Universidad de Deusto
Biblioteca

Franda de Incarnatione.-

Est. 9
Plut. 2
Universidad de Deusto
Biblioteca
361918
319835
232.8
Ar 1 f
40000361918
Est. 9
Plût. 3

Universidad de Deusto
Biblioteca

PHILIPPI ARANDA
MONEVENSIS
E SOCIETATE IESV
IN CÆSARAVGVSTANO COLLE

ARANDA
DE
DIVINI VERBI
INCARNATIONE.

25492

COLEGIO DE ESTUDIOS SUPERIORES
BILBAO

EST. 9 PLUT. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Del Collegio de la Comp.ª de Ihs. de Palencia
y su Librería
Comprose año de 1716

ARANDA
DE
DIVINI VERBI
INCARNATIONE.

R. P.
PHILIPPI ARANDA
MONEVENSIS
E SOCIETATE IESV
IN CÆSARAVGVSTANO COLLEGIO, THEOLOGIÆ PVBLICI PROFESSORIS,
SANCTÆ INQVISITIONIS HISPANÆ QVALIFICATORIS,
& in Archiepiscopatu Cæsarauguſtano Examinatoris Synodalis.

DE
DIVINI VERBI INCARNATIONE,
ET REDEMPTIONE GENERIS HVMANI.
CVM
INDICIBVS NECESSARIIS.

ANNO 1691.

CÆSARAVGVSTÆ:

Typ. DOMINICI GASCON Infantionis, Regii Nosocomii de Gratia Typographi. Cum permissu Superiorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO DON ANTONIO IBAÑES DE LA RIBA HERRERA, ARCHIEPISCOPO CÆSARAVGVSTANO MAGNO CASTELLÆ PRÆSIDI.

DVOLVITVR tandem ad Pedes Tuos, Illustrissime Præsul, & Præses Maxime, Thologica hæc de Mysterio Incarnationis Elucubratio; quam, Tuo Nomini, ad Prima, Maximæ, quâ præemines, Præfecturæ læta Nuntia, testaturus, inter communia gaudia, Grati plausum Animi, Vovi. Illa quidem, morantium, & intersistentium, Typorum Lentitudinem, anno ferè toto pertæsa; sui Authoris & Fidem, & Votum exolvere, citiùs voluisset. Iam verò sub Vmbrâ Tui Nominis, feliciter audet ad Lucem: quando, Majorum Claritudine; Meritorum Prærogativâ; Dignitatis Apice; & Præfecturæ Fastigio, Tantus es, ut Illustrare non nequeas, quem obumbres: jamdiu enim, etiam in sacris literis, vel ipsa Magni Præsulis, & Præsidis *Vmbra*, ritu Luminis, cæpit, in Accurrentium solatium, illuscescere. *Act. 5.*

Hos ego Radios in Sole tui Nominis, Illustrisime Præsul, ab *Ortu* splendescere video, *procedentes, & crescentes usque ad perfectam Diem.* *Prov. 4.*

Ortum ducis, Longâ Majorum, multiplici terrâ, marique Præfecturâ, & Equestri Thesserâ insignium Serie, ex Oppido, cui inter Mõtana Burgensia, Nomen dedisse visus est ipse Sol. *Solares* est. Vsque adeo, vel àb ipso Solo, ubi natus, natus es in Auspiciũ Illustrissimi. Indidẽ, & ex Avìta Cognominũ de *Ibañes* Ascendentium Prærogativâ potiùs, quàm Fortunâ, Stemma est illud Tuum, in quo supereminet Vndis subterfluentibus Turris, & interpuncti triplici Sceptro militari, Mures adjacent Armellini duo, circumeunte per oram inferiorem, in Orbem, Epigraphe -- *Gratia Dei.* Quæ Familiæ Tuæ Decora, dum, tacità mecum mente, pertracto; Ejus video, in Turris apiçe,

ce,Celsitudinem: in Nive Ponticorum Murium, Puritatem:in Præliaribus Insignibus Fortitudinem:& in Lemmate Divinæ Gratiæ adhærentem adeò Avitæ Familiæ,faventis Providentiæ Benignitatem, ut non mirer,præclarissimos tot Heroes,anteactis retrò Sæculis, ex eâ, tanquam ex fœcundâ propagine,ad Litteras,ad Arma,ad Militaria sceptra,& ad præclaras,etiam ad Indos usque, expeditiones prodiisse. Vnus inter alios eminet,(cui fieret,præteritione calami silentis, injuria : cùm adhuc in Loquentis Famæ tuba versetur,) Franciscus Ibañes. Is est,qui Dux in expugnationibus Baëzæ, & Vbedæ præclarissimus,eo se Regi suo probavit, commendavitque clamore facinorum,ut sibi,Familiæque, Exemptorum,& Nobilium, (Ricos Hombres Hispani dicimus)laticlavium,& Privilegium obtinuerit. Et hæc ex Paterno Cognomine: nam ex Materno,de la Riba Herrera, inter innumera Togæ,Bellique,Decora; inter plurimas Militarium Ordinum Thesseras; inter Honores Tribunatùs, Centurionatùs, Præfecturaque Castrensis non semel habitos: imò inter Summas etiam,Classis Indicæ,& Panamanę apud Quitum in Indiis Provinciæ Præfecturas,circumstant ad oculos omnium,Marchiones de Villatorre,Vicecomites de Cabañas,& Comites de Mansilla.

Is natus es: sed, ut qui Natus ad Maxima, Majoribus additurus majora de Tuo.Compluti,Regium illud Divi Ildephonsi Collegium, Sapientiæ verè Regia,agnoscit Te, & Togà,& Ingenio suum: Ibi ex Ore tuo Aristoteles est loquutus in Cathedra. Sed, quominùs in Sacratiora Theologicæ Facultatis Subsellia erumperes; in causa, Oxomensis Ecclesia fuit, quæ, Tuis Capta Dotibus, Literisque,è Complutensi Te Toga ad Sacrum Canonicatùs Magistralis Onus, Honoremque præripuit.Nec,diu Oxomensem hac sorte frui, passa est Ecclesia Malacensis. Vsque adeò Pluribus natus es. In hac Malacensi, Magistrali primùm; postmodùm Archidiacono,Pontificiarum Insularum unus Tibi defuit Honor:Onus, & Munus certè meritis,& Factis implesti. Diœcesim illam totam,Solis titu,& more Præsulis visitasti. Quot in ea perlustranda reliquisti Posteris impressa vestigia,ardentis,& impigri Zeli; Prudentiæ circunspicientis Omnia, & nihil timentis; Indolis, commoda negligentis,nec horrentis incommoda; vni demum Animarum Lucro invigilantis?

Hæc Pastoralis Officii Munia,Summâ cum Laude,plausuque Totius Malacitanæ Diœceseos obita,nihil omninò Te suspicantem,muto meritorum, Factorumq; præconio, sensim inauguravere Pontificem.Africa cæpit Insulis claresceré Tuis in Episcopatu Septensi. Sed dolens Europa,prærectum ita sibi,eximiarum adeò Dotium Fructū: vocante mox Famâ; & vacante ad hæc Cæsaraugustanâ in Aragoniâ Sede,delato,citra spem,& ambitum Archiepiscopali Baculo,Te, Populorū omniū summa cū gratulatione,reduxit. Quis in hac Sede, Pontificiæ prudentiæ tuæ Gemmas; Zeli Candorē Impigrū; Ecclesiasticæ Disciplinæ promotrices virtutes edisserat? Vix Archiepiscopalis Throni fastigium attigisti;cùm,ad Ovium Commissarum pascua intentus, illico Pontificii Zeli, Voce,Calamo, Exēplo, radios quaqua versùm cępisti difundere. Verùm,quia Visitatio,quasi anima est Officii Pastoralis;vixdum eluctatus à gravissimis in Regni totius, Bonū, & Reipublicæ Civilis, & Ecclesiasticæ Commodum Curis; in eam, Otii impatiens,nec expeditionis labore deterritus, animum intendisti.Diœcesim,longo terrarum tractu difusam; & difficili quandoque per avia,& prærupta itinere etiam inaccessam,perlustrasti simul, & illustrasti.Nec Zelum Tuum absterruit prærupturum viarum obvius labor: nec tenuitas Parochiarum Benignitatis tuæ sensit absentiam Æquè,frequentis, ac infrequentis Oppida Populi, Pastore suo gavisa sunt;Solito,Parochiarum Animas æstimare,non Domos.Quoties, implexis viis, nec facilè patientibus aliud itinerandi genus,repentem Te,& percusis offendiculo pedibus gradientem(necui deesses) veneratæ sunt Oves Tuæ? Et contigit, ut remensis non semel viis, obstante Tractus difficultate,zelo tamen facilè tractus,ne pauculæ,quæ distractis hinc inde locis,remanserant Oves, sine Pastoris sui solatio,& sine Sacro Chrismate, remanerent,sub dio Pontificalia exercere non renueris,solaturus Suspiria Pauperum. Emicuere tùnc tres Actus illi Hierarchici, Purgandi, Illuminandi,& Perficiēdi. Missis in antecessum Apostolicis Viris,purgabas Populos:præsentiâ illuminabas: perficiebas Exemplo.

His intentum,& alia, in Archiepiscopatùs Lucem, & Animarum bonum gravissima meditantem, ecce Te revocant Carpentanorum Mantuam Regiæ Litteræ, in Supremum Castellæ Præsidem.Hæsisti ad Inopinatum fulgorem Honoris. Ad Regiam Benevolentiam accurristi. Neque poterat,tota,quanta est, Illustrissime Præses,& Præsul,

sul Indolis Modestia tuæ; favore, & Gratia plenum Catholicæ Majestatis, interciſis Onus detractandi, prætexendiq; excuſationem viis, vel admiſsionem Præfecturæ, vel acceſſum ad Regias aures, diſtrictè jubentis imperium eluctari. Paruiſti. Et in Omnium luce, fruſtra, fugeres ab Vmbra ſequente: Nam & quandam veluti Vmbram Tui, Dignitatum, Honorumque Faſtigia video. Sequuntur, vel reluctantem etiam Te: quando & alios vtroque greſſu ſequentes eludunt. Vtinam, vel invitus Emineas!

Iam Supremus Caſtellæ Præſes, inter innumera, & vaſta Negotiorum curarumque molimina, quantus ſis: rerum exitus Populorum
Pſal.84. acclamatione plenus oſtentat. In Te, Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt: cùm & indolis Pacatiſsimæ Tuæ ſe prodat Accurrentibus Benevolentia: & inflexibilis Tui Animi pateat Concurrentibus Æquitas. Omnibus facilis; ſolùm es irrecto difficilis: inacceſſus aſſentationi; ſolùm paras Præſidium Veritati. Vtinam, ſub Te Præſide, in oſculo Iuſtitiæ, & Pacis, De Divina Benignitate, ferat tandem, Hiſpania Fructum ſuum. Interim, Illuſtriſsime Præſul, Humanitate, quâ ſoles, jamdiù à me debiti dignare leve hoc pignus obſequii mei, & in lucem audenti ſub Vmbra Tui Nominis operi, Præſes Maxime, de luce Tui Nominis ſit Præſidium.

Cæſarauguſtæ. Ex hoc Collegio Societatis Ieſu die 1. Maii anni 1691.

ILLVSTRISSIME DOMINE:

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ

Servus Obſequentiſsimus

Philippus Aranda Societatis Ieſu.

FA-

FACVLTAS

Rev.adm. P.Gabrielis Sierra Provincialis Societatis Ieſu in Provincia Aragoniæ:

GABRIEL Sierra Societatis Ieſu in Provincia Aragoniæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi factâ à Reverendo admodum Patre noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, facultatem facio ut Opus inſcriptum: *De Incarnatione Verbi Divini*, à Patre Philippo de Aranda Societatis noſtræ Theologo compoſitum, & eiuſdem Societatis gravium, doctorumque hominum iudicio approbatum, typis mandetur, in quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Cæſarauguſtæ 9. Martii 1691.

Gabriel Sierra.

CENSVRA

REVERENDISSIMI P. MAGISTRI Fr. LVDOVICI Pueyo & Abadia, Carmelitani Ordinis in Aragonia Ex-Provincialis, Fidei Cenſoris, Examinatoris Synodalis, & poſt Philoſophiæ, & alias Scholaſticæ Thologiæ Cathedras in Academiâ Cæſar-Auguſtanâ, Expoſitivæ nuper; nunc Veſpertinæ Cathedræ Anteceſſoris Meritiſsimi.

THEologicum Opus *de Divini Verbi Incarnatione, & Redemptione Generis humani*, à R.P.Pilippo de Aranda Societatis Ieſu, Cenſore Fidei, Examinatore Synodali, & in Cæſarauguſtano Collegio, Publico Theologiæ Profeſſore iuſſus evolvi, ac legi: & ſtatim non Cenſoris, ſed Prædicatoris Perſonam accepi: Operi perfecto otioſa eſt approbatio iuxta proloquium: *Sol, & Luna non egent interprete.* Luminaria magna non ſubiacent cenſuræ, ſed laudi. Diſſertiſsimus Philo de opere perfecto ſic fatur: *non commendatione eget, dummodo detur innoteſcere.* Scopus libri eſt Deus Incarnatus, miraculum Gratiæ in vtero Matris, Artis miraculum in calamo Authoris: Ibi, conceptus in *Splendoribus Sanctorum*; hic, ſcriptus in Magiſtrorum ſplendoribus: vtrobique partus immaculatus, puriſsimus, & ſine rugâ: talis partus decet Deum, canit Eccleſia: talis calamus deſiderabatur ad Incarnati Dei extricandas ſubtiliſsimas quæſtiones. Optimo iure Author Philippus appellatur: Philippus quippe interpretatur: Os Lampadis. Sic lucet, & ardet, vt abſcondita Myſterii ſplendeant. Ioan.4 Mulier Samaritana hæc pronuntiat: *Scio quia Meſsias venit.* Poſt profundiſsimas Author-

ris

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris elucubrationes,qualis Meſsias venerit , jam ſcimus. Mulier Samaritana in Verbo Incarnato ſolùm quæſtionem : *an ſit* , diſſolvit : Author noſter quæſtionem abſconditam, *quid ſit*, ediſſerit: Et ex ejus calamo,Meſsiam in ſplendoribus genitum,in luminoſis Sapientiæ radiis ſcriptum admiramur.

Penna tua verè Aquileia,quia ſi iſta totum Solis fulgorem gyrat: Tua , vniverſum Solis Theadrici ſplendorem rotat.Sic ſcribis,ut potiùs,quàm ſcriptor,fulgeasMargaritarius:ita quidē ſcribis,vt non clauſulas,ſed conchas producas:ita producis conchas,ut Margaritas claudas: ita Margaritas claudis,ut candidas gignas. Liber iſte,Margarita eſt illa pretioſa,quâ inventâ,ſolers ille Trapezita vēdidit omnia,& comparavit eā.Illa ſola locupletavit Mercatorem,& ſolus noſter Author poterit ditare Lectores.Video te ſatis meruiſſe famam , & cum Virgilio: *tuâ famâ ſuper Æthera notum.* Profeſſores Theologiæ dum te evolvant,te commendabunt Scholaſticum Heroa,cùm miro fœderes conſortio profunditatem , & claritatem naturâ inter ſe diſidentes; multa congeris,ſed cuncta diſtinguis. Zona,ſeu via lactea ob multitudinem,& aggregationem radiat indiſcernibilis:hìc in ſui vocat admirationem multitudo Stellarum,luminoſus argumentorum acervus,via lactea Sententiarum,cum ſplendore diſtincto,& impermixto. Non te legant Alumni , ſed Magiſtri : quippe liber adeo eruditus *factus eſt cibus grandium.*

O Religio Ieſuitica ſemper victrix,& triumphatrix? quotidie Viros virtute conſpicuos progerminas.Quid iucundius? Martyres oſtentas. Quid gratius? Doctos progignis. Quid dulcius? Scriptores promulgas. Quid vtilius? Geneſ. 2. legitur fluvios egrediens de loco Voluptatis irrigans univerſam regionem Paradyſi,qui inde dividitur in quatuor Capita.Irriget fons iſte Paradyſum , dum naſcentia eius ſunt capita. Optimo iure Religio Ieſuitica irrigat Eccleſiæ Militantis Paradyſum , qui fons eſt ita munificus,& mirificus virtutis,& Sapientiæ, ut ex eius perenni ſcaturigine naſcentia pro rivulis Capita celebrentur:cū non Magiſtri,ſed Scholarum Principes decantentur: non Profeſſores Scientiarum,ſed Anteſignani ſuſpiciantur. Et quod mirabilius eſt,fons ille dividitur in quatuor Capita,quatuor ſcilicet Theologias.Si evolvas Theologiam Scholaſticam, comperies Authores Ieſuiticos , nedum Magiſtros,ſed Coriphæos: Si Moralem,Anteſignanos; Si Expoſitivam, Principes ; Si Myſticam , Optimates. Verè Ignatius Patriarcha,alter in lege Evangelicâ Abraham , quem fecit Deus creſcere *in gentem magnam*:alii legunt *Vexilliferam*:filii nanque Magni Ignatii vexilla Sapientiæ ducunt,cùm ubique eos,Primarios Authores,Duces,Magnates,Principes veneremur.Sed quid immoror!HocOpus cenſuræ meæ à Perilluſtri D.D.Bartholomæo Sanz de Vera,Archiepiſcopatùs Cæſarauguſtani Gubernatore , & Vicario Generali rite commiſſum,liberans à Cenſurâ, iure pro me laudat,& approbat lib.9.Epiſt.7.Sydonius Apollinaris: *In te omnia vigent,fides in teſtimoniis,virtus in argumentis, proprietas in epithetis, opportunitas in exemplis , puritas in ſenſibus , vis fortis in verbis,& fulmen in Clauſulis.* Sic Sentio in Carmelo Cæſarauguſtano die 1. Maii Anni 1691.

Fr.Ludovicus Pueyo & Abadia.

IMPRIMATVR.

D.Bartholomæus Sanz de Vera.

CEN-

CENSVRA.

Reverendi Adm.P.Mag.Fr.Didaci de Gracia, Ordinis Sancti Auguſtini,nuper Cœnobii Cæſarauguſtani Prioris : modò Provinciæ Aragoniæ Definitoris: Propoſitionum Fidei Cenſoris: Examinatoris Synodalis : & in Cæſarauguſtano Lyceo , poſt Philoſophicas Cathedras; primùm Theologicæ S.Thomæ: nunc Durandi digniſſimi Moderatoris.

AMbit lucem profundiſsimi Myſterii elucubratio,à profundiſsimo Theologo R. P. Philippo Aranda Societatis Ieſu Veſpertino Cæſarauguſtani Collegii moderatore, Propoſitionum Fidei Cenſore,& Synodali Examinatore elaborata; Orbis potius Litterarius ambit tanti Magiſtri lucem , quā jam radiantem, è ſuggeſto plauſit,& in quotidianis cōcertationibus vividè ſcintillantem vidit. Prodit ex ſcientiarum Encyclopedia, Doctrinæ erario,ex Societatis Ieſu in Auguſto Collegio celebri Muſæo , ex quo nihil unquam mediocre prælа ſudarunt,ſed omnia ſumma;nec degenerem inveni Authorem,dignam imò prolem,diſſerendi ſubtilitate, inveniendi copiâ,ingenii perſpicacitate,intellectûs acumine, diſputandi acrimoniâ toto tractatu teſtantem; quòd nec imbellem progenerant Aquilæ columbam. *Miror tamen in vno Opere tàm ſubtiles, tam eruditas, tàm varias , è tota Theologia doctrinas , vel de novo excogitatas, vel novo illuſtratas acumine , vel ex oblivionis latebris erutas,novâ luce perfuſas;providè nanque,nec noſtrâ contentus,ut cœleſtem promereatur laudem,* profert de theſauro ſuo nova,& vetera:*ſed nec in iſtis minori laude dignus; quia ut ſcribebat Lipſius*:Nec Aranearum textus ideò melior , quia ex ſe fila gignunt, nec noſter vilior , quia ex aliis libamus ut apes. *Ex alienis floribus non faſciculum ligat,ſed ſubtilis aculeo ingenii favos diſtillat:gignit natura flores , ſed mellis dulcedinem ſolerti apum ſtudio debemus:agnovi plures Antiquorum,& Recētiorum flores toto ſparſos volumine,ſed in dulciorem abire naturam Authoris fecit ingeniū: ideò Authorem dixi; alios Compendiatores vocarem. Adeò ſubtilitèr,nervosè,ſolidè diſputat,ut non ſolùm recentes,verum, & antiquos coæquare Theologos , imò & ſuperare plurimos pro comperto habeam. Convincit novitatis oſores , vanos veterum amatores*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Greg. Homil.16.in Ezechielem: Quanto Mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ Scientiæ aditus largius aperitur. *Reprehendit Horatius lib.2.Epist.1.*

Si veteres ita miratur, Laudatque Poëtas,
Vt nihil anteferat, nil illis comparet, errat.

Nec scientiæ Pelagus antiquorum scriptis valuit exhauriri; & si, dicente Plinio Iuniore lib.3. Epist. Nec in gignendis optimis lassa est natura, & quasi effæta. *Nec mirum, si in Theologiæ Scholasticæ Oceano novos veritatis, & ingenii fœtus edat subtilissima mens, semitas nondum tritas aperiat: si quotidiè in rebus senescentis naturæ novos, & fœliciores partus admiramur. Censoris munus iussu magnifici, & perillustris D.D. Antonii Blanco Regiam Regentis Cancellariam Aragoniæ suscepi: abiit calamus in Panegyrim; sed quommodò ab illius laude abstinerem, quem omnes laudant? qui quot scribit Quæstiones, tot sui exarat Elogia? quot sui Lectores, tot faciet Encomiastes? Imò maiorem dicēdi copiam exoptarem, ne adeò rudi Minervà potius debitæ laudi detrahatur. Sed à Sinesio Epist.22.didici*: Equidem, quamquam laudator impar, bonum sæculi publicabo, nihil ex hoc derogatur operis tui gloriæ; nā & Homerum novimus à dissimilibus prædicari; careret quidem fama magnorum virorum celebritate, si etiam minoribus testibus contenta nō esset. *Hoc denique testatum omninò velim, tot in paginis contra boni regiminis politiam, bonosve mores, nec apicem contineri, sed plura proficua Magistris, plura Discipulis necessaria, omnia prælo, & plausu digna. Sic Sentio in Conventu S.P.N. August. Cæsaraugustæ die 6. Iunii anno* 1691.

Fr. Didacus Gratia.

IMPRIMATVR.

Blanco Regens.

LEC-

LECTORI BENEVOLO.

Ratio scribēdi.

VIX est, Ingenue Lector, qui Librum tuis oculis offerens, Te priùs non moretur in limine, præfaturus de Scriptionis Causâ, de Substantiâ, de Stylo, de Methodo. Morem hunc excipiendi in Operis atrio Lectores suos, deque illius qualitate urbanè & breviter prænonendi, omnium ferè jā calculis, & authoritate firmatum, ut in Cæteris laudare ipse Soleo, lubens sequor. E Tribus Scholasticæ Theologiæ voluminibus, quæ jamdiù meditatus, prælis apparo, Primum habes ad manum, ad oculos: Editione quidem illum, & Curâ Primum: re tamen ipsâ, rerumque Scholasticarum Ordine, Tertium. Scopus is fuit. De Deo Primùm ut respicit Hominem, Scientiâ, Providentiâ, & Auxilio, disputare: deinde de Homine, prout respicit Deum, Operatione, Honestate, & Obsequio: demùm de Deo-Homine, *per quē, & in quo creata sunt omnia*, ut ad Colossenses Apostolus. In Primo Tomo, qui in selectiores Angelicæ Primæ Partis, & in aliquas Primæ Secundæ Quæstiones excurret, Deum Scientem, Providentem, & Auxiliantem, id est, Scholam Scientiæ Mediæ, repræsentare est animus: in Secundo, qui percurret Primam Secundæ, Hominem ad Vltimum Finem suum; suis Actibus, moribusque tàm Naturalis, quàm Supernaturalis Ordinis, gradientem inducam: Id est, jaciam Moralis Theologiæ Fundamenta. Totus hic Tertius, Deum-Hominem, & in ipso (ut *in quo sunt Omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*,) totam ferè Theologiam speculatur.

Operis Divisio.

Cur ab Incarnatione initium Editionis?

Nec erit, cur susceptum à me mireris, præpostero quasi gradu, cōsilium, Hunc, licèt ordine Tertium, ante alios, primò emittendi, evulgandique. A quo enim ingressus in Adyta Theologiæ melior, & securior, quàm ab eo, qui de se verisimè testatus est esse *Veritatem, Viā, & Ostium* Veritatis? Accedit ille Primatus, de quo profundissimè Apostolus ad Colossens 1. & quo adeò Christus Dominus, *Primogenitus Omnis Creaturæ*, præeminet, ut, sicut *omnia per ipsum, & in ipso Creata sunt, & ipse est ante Omnes, & omnia in ipso constant*; ita ante omnia Reliqua, suo quasi jure, præire debeat Scholasticum Opus, quod in Christi Domini considerationem assurgit. His Ego Tractationis ipsius adjungo Dignitatem, & Amplitudinem. Hæc enim

est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est,inter Scholasticas, illa Tractatio: ubi Partem à Toto vix distinguas:usque adeò Reliquæ,vel ancillantur Ipsi,vel in ipsa, tanquam in Epilogo continentur.Ipsa,ex Argumenti sui varietate mirabili,sic ambit omnia ferè Puncta Reliquarum, ut omnium videatur esse, quasi Centrum. Vix alibi decidendum occurrat,quod,saltem ex transcursu,hìc reliqueris indecisum: vixque possis alibi decidere quidquam, quin ea,quæ concernunt ad hujusmodi de Incarnato Verbo Controversias,præmeditato tenore decideris. Quid ergo mirum,quòd Lucẽ præ cæteris Prima videat, præpostero,non consilio certè,sed summũ ordine,Lucubratio,quæ cæteras Argumenti varietate complectitur.

Scriptionis Causæ.

Transeo jam ad Scriptionis Causas,ad substantiam,ad Stylum, ad Methodum. Et pro scribendi causis,vanò recurrerem ad Amicorum Preces;& ad Superiorum imperia. Neque enim tanti has meas Curas facio,ut eas,tàm operosis Superiorum meorum Curis dignas censeam,in Scholâ,& in Cætu potissimùm, ubi vix enumerare præ copiâ valeas celeberrimos Scriptores.Amicorum verò Preces, Amicitiæ,quæ sint ea cunque,si Amici sunt, magna facilè censentis,& credentis,ritu propositæ; inermes,ipso etiam amicitiæ sono,redduntur: Tuique Cõscius,& modestè reluctans,ipsa facit amicitia,ut interpellantium Amicorum Preces,sine istarum contemptu, & sine illorum offensione,prætereas.Aliæ Causæ suppetunt:ex quibus,(nam & cæteras premam,)aperio duas.Altera est ipsa Scholastici munerisRatio:& Scholasticarum Controversiarum Gravitas,altera.Et quidem à Magistro,quam exigere velis aliam,scribendi causam, quàm Onus Officii? Eam ipse vellem,& existimo in singulis,qui Scholæ,vel ex stipendio,vel ex Obediẽtiâ mancipati,Res Theologicas tractant,implendi sui Muneris Curam,ut etiam in hoc sæculo Scripturienti, (quale nostrum est,)non videatur otiosum,inter illustria Prædecessorum Scholasticæ rei monumenta, ea, quæ pro suorum Auditorum disciplina, ipsi denuò meditantur,adjcere.Ipsa lucis publicæ,vel reverentia, vel spes,Ingenia cogeret ad Specimẽ sui,cũ maximo literariæ Rei Emolumento.Et in Me militat ea causa fortiùs:qui, Scholæ addictus primùm,variâ rerum vicissitudine compulsus è Cathedrâ sum, annos aliquot,ad Suggestum Oratoriæ Sacræ, indesinenter,pluribus in Locis,exercitæ:Regressus postliminiò ad Magistri curas, experiri demũ debui,testarique, quàm pro mea tenuitate sedulò, posthabitis aliis, commendatam à Superioribus iterum (inter studia adeò diversa,) legendi, docendique provinciam suscepissem.Et in eâ (quæ causa est altera,)controversiarum Scholasticarum Gravitas, tanta est, ut vix possint Auditoribus,dictando, proponi, sine maximo suæ dispendiò Dignitatis.Quis exundantis Oceani pelagus intra bipalmaris alvei, aut cogat,aut premat angustias? Scholastici periodus anni, brevior est,quàm ut capere possit,difficultatum, pro suâ cujusque dignitate, contemplationem:nisi velis,cum dispendio Auditorum,& tædio,unâ finire cõtroversiâ Scholaris anni circuitum.In eo,insinuare plurima, poteris: elucidare,pro merito,multa non poteris. Igitur linguæ succedat calamus,opus plerumque est,ut quæ intra Scholæ claustra,non satis lingua edisseruerit; calamus denuò, Typorum beneficio, pro dignitate rerum,evolvat.

Substantia.

Substantia Scriptionis,Rem,& Sententias tangit.Has ego,nec peregrinas amo:neque despicio,quia singulares:neque minoris æstimo, quia communes.Quò præponderet Sanctorum Patrum Authoritas, & consensus,latente etiam ratione,facilis ibo.Vbi Veritas,non quæsita de facili, sed post accuratam investigationem,lectisque,& evolutis,quotquot rem ex professo tractaverint, magis apparuerit; stabo. Sola ad alicui subscribendum movere me Ratio poterit: effectus,aut contentio numquam. Miserum enim ego,& aut vænalis,aut indisciplinati eum Ingenii censeo, qui, Magister, & Indagator Veritatis ex Munere,vel ex amicitia sententias, vel ex contentione superinduit. Quis enim adeò doctus,qui discere,vel dediscere neqeat?

Stylus.

De Stylo nihil est, cur loquar. Latinus est. Neque enim sumus in illis sæculis,in quibus,neglectâ styli puritate, Veritatem inducere conati sunt Sapientissimi in Scholas:non quidem eam,Nudam;sed obsoleto,laceroque centone vestitam,ac olente barbariem. Sæculorum hoc vitium fuit,ubi de corruptâ Latinitate,manst in scholis,squallor iste Sermonis,quem depellere non est facile, præscriptionis suo jam quasi jure gaudentem.Latinè loqui volunt plurimi,non latinè:& Latinitatem ipsam,quò purior est,audent appellare caliginem.Sic etia, oculis lippientibus est caligo, Sol ipse.Quis damnet in latinè loquente,puritatem latinitatis? Non propterea ego laudo in his feriis,Elocutionis phaleras,Græcanismos, & Sesquipedalia verba: nec requiro exquisitiorem compositionem.Stylum amo Latinum, qui sub manu nascatur. Hunc sequor.

Ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Methodus. Ex rectâ methodo pendent omnia. Eam in Rebus singulis, in Disceptationibus, in toto demum Opere, tenere volui. Et in Opere placuit illa, quæ Argumenti Substantiam priùs; ejusdem exinde Convenientiam, & Necessitatem; Causas præterea, tàm Intentionales, quàm Morales, & Physicas; Effectus postmodum; & Totius denique Perfectiones, Attributaque sequeretur. In Disceptationibus, illam communem Laudo, & Sequor; quæ, statu quæstionis exposito, quid alii senserint, priùs: postea quid Author ipse: denuò, præassertæ partis defensionem annectit, cum subnascentibus Corollariis. In Rebus etiã ordinem volo. Paucioribus fortè contenta foret aliquando materies fateor: Sed his moventur isti; & his, illi: & Omnibus, debitor, Author est. Quæ videntur debilia, fortioribus adjuncta, sæpè robur accipiunt; augent aliquando: semper illustrant: nam & ex humi repentibus, & è sursum erectis Floribus, Horti pulcritudo consurgit. Neque longitudinis accusationem timeo, si otiosa non sit. Verborum brevitatem in magnis controversiis curo; non, Rerum: neque omninò Verborum, *si Materies, multiplicare verba coegerit. Possunt quidem, quandoque multa breviter dici, sed ubi Brevitas, Sententiarum pondera non extenuat: non ubi intellectui, multa necessariò intelligenda defraudat. Invaluit & segnitia modernorum, quæ mox superfluum vocat, quidquid cum eorum desidiâ non concordat.* Ira olim magnus Author. Ego, quæ mei erant officii, prælocutus, pro toto hoc Opere, proque aliis, Deo volente, secuturis, ad Benevolentiam tuam, Lector, appello.

Petrus Cluniacens. lib. 1. Epist. 34.

ANIMADVERSIO
De Typographiæ Lapsibus.

Leviſsimi occurrunt, ex alicujus literulæ inversione subnati: quos proinde, sensum invariatè referentes, faciliùs condonabit, & corriget Lector, quàm ipse, prodigus otii, citra operæpretium accumularem. Tres asſigno. *Pag.* 8. in Titulo *lege: Difficultatis.* Pag. 305. n. 51. lin. 4. lege *Fruſtra.* Pag. 572. n. 138. lin. 2. pro quia, lege *quàm.*

INDEX

INDEX, ET ORDO LIBRORVM, DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.
NVMERVS PAGINAM INDICAT.

LIBER PRIMVS
DE SVBSTANTIA INCARNATIONIS.

DISPVTATIO I.

Vnionis Hypostaticæ Possibilitas, & Existentia. Pag. 3.

Sect. I. Difficultates ex parte Verbi: ubi ratio solida, cur nec mutetur, nec perficiatur. Pag. 4.
§. 1. Expositio difficultatis. Ibid.
§. 2. Prima difficultatis expeditio. p. 5
§. 3. Expeditio altera. p. 7
Sect. II. Difficultates ex parte Humanitatis: ubi, qualiter Verbum in ipsa suppleat defectum subsistentiæ. p. 8.
§. 1. Difficultatis propositio. Ibid.
§. 2. Mens nostra circa quidditatem, & munus subsistentiæ. p. 10.
§. 3. Expeditio difficultatis. p. 14.
Sect. III. Difficultates ex parte Vnionis: ubi, quid Vnio? cur Hypostatica, propria Verbi? cur ab ista derivet denominationes subsistendi, non aliàs? p. 14.
§. 1. Prima difficultas. Ibid.
§. 2. Secunda difficultas. p. 15.
§. 3. Tertia difficultas. p. 16.
Sect. IV. Difficultates ex parte cõpositi: ubi, de hac Voce: & de extremorum proportione ad unum Per se. p. 17.
Sect. V. Consectarium Catholicæ Veritatis contra Nestorium, & Euthychetem: horum errores: alia dogmata: & termini Actionis Incarnativæ. p. 19.
§. 1. Catholica Veritas contra Errores Nestorii, & Euthychetis. Ibid.
§. 2. Alia Dogmata concernentia Catholicam Veritatem. p. 21.
§. 3. Termini actionis Incarnativæ. p. 25.

DISPVTATIO II.

Vnionis Hypostaticæ physica quidditas. p. 26.
Sect. I. Vnio Hypostatica necessariò est Modus ab Humanitate, & à Verbo distinctus. p. 27.
§. 1. Probationis Asserti. Ibid.
§. 2. Obiectiones Thomisticæ. p. 30.
Sect. II. Vnio Hypostatica necessariò est Modus ab Humanitatis productione distinctus. p. 33.
§. 1. Rationes Asserti. Ibid.
§. 2. Respondetur P. Magistro Bernal & aliis Modernis ab authoritate pugnantibus. p. 35.
§. 3. Respondetur eisdem disputantibus à ratione. p. 36.
§. 4. Vltima obiectio: ubi vulgarium axiomatum expositio non vulgaris. p. 39.
Sect. III. Vnio Hypostatica nequit esse Specialis influxus activus Verbi solius: Vbi de Dependentia Humanitatis à Verbo. p. 40.
§. 1. Probationes: ubi an Divinæ re-

 la-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lationes posſint agere ſpecialiter ad extra. Ibid.
§.2. Argumenta difficilia. p.42.
§.3. Aliud Argumentum: ubi de Dependentia Humanitatis a Verbo. p.45.
Sect. IV. Vnio Hypoſtatica idẽtificat ſibi vim Vnionis Humanæ, quoad munus communicãdi Corpus, & Animam Chriſti inter ſe. p.47.
§.1. Fundatur Authoritate Concluſio. Ibid.
§. 2. Illuſtratur Theologica ratione Concluſio. p.49.
§. 3. Firmatur Ratione Philoſophica. p.51.
Sect. V. Defenditur ab Obiectionibus Doctrina præcedens. p.52.
§.1. Obiectiones ab Authoritate. Ibi.
§. 2. Obiectiones à Ratione Theologica. p.56.
§.3. Aliæ duæ Obiectiones. p.59.
§.4. Vltima Obiectio: Vbi de Doctrinæ Concordiâ Cum permanentia Nexûs Hypoſtici in Triduo mortis. p.61.
Sect. VI. Corollaria in plenam elucidationẽ Hypoſtaticæ Vnionis. p.63.

DISPVTATIO III.

Vnionis Hypoſtaticæ Excellentia. P.66.

Sect. I. Quanta ſit Excellentia Vnionis Hypoſtatic. in Rationis Entis. Ibid.
§. 1. Supernaturalitas Hypoſtaticæ Vnionis. Ibid.
§. 2. Indeſtructibilitas. p.72.
§. 3. Quantitas Entitativæ Perfectionis. p.75.
Sect. II. Quanta ſit Vnionis Hypoſtaticæ Excellẽtia in ratione Vnionis, & Doni? & quo iure? an quia ex ſe Sanctitas, Beatitudo, aut jus ad omnia Dei Dona? p.80.
§.1. Puncta decidenda. Ibid.
§.2. Vnionis gradus in ratione Vnionis. Ibid.
§.3. In ratione Doni. p.81.
§.4. In ratione juris ad Dona. p.83.
§.5. Obiectiones ſolutæ p.85.
§.6. In ratione Sanctitatis. p.89.
§.7. In ratione Beatitudinis. p.92.
Sect. III. Quanta ſit Excellentia Vnionis Hypoſtaticæ in ratione Veri, ſeu Cognoſcibilis. Ibid.
§.1. Quæſtiones diſputandæ. Ibid.
§.2. Vnio quo ſenſu Incomprehenſibilis. p.93.
§.3. Quo ſenſu indemõſtrabilis? p.94
§.4. An ex aliqua ſuppoſitione naturaliter maneat evidenter Cognoſcilis. p.97.
Sect. IV. Defenditur Doctrina Sectionis præcedentis. p.98.
§.1. Argumentum 1. Ex defectu propriæ ſubſiſtentiæ. Ibid.
§.2. Alterum Argumentum ex Copia Medii Connexi: vbi de medio connexionis in ordine ad Cognoſcendum. p.101.
§.3. Tertium Argumentum ex miraculis notis Dœmoni. p.105.
§.4. Alia Argumenta ex Signis credibilitatis. p.107.

DISPVTATIO IV.

Vnionis Hypoſtaticæ Termini, provt de facto. p.111.

Sect. I. Terminus Aſſumens, & aſſumendi ratio. p.112.
§.1. Quæ certa ſunt; vbi Cur Secunda Perſona Incarnata? Ibid.
§.2. Magna Controverſia de ratione terminandi, & aſſumendi ex parte Verbi. p.113.
§.3. Divinitas immediatè Vnita, immediatione terminationis. p.115.
§.4. Illationes contra varios dicendi, & diſcurrendi modos. p.118.
§. 5. Obiectiones contra Doctrinam præcedentem. p.122.
§. 6. An ex vi Vnionis exiſtant ſpecialiter in Humanitate Perſonæ non Incarnatæ? p.123.
Sect. II. Terminus Aſſumptus, & Aſſumptionis Ordo. p.124.
§. 1. Doctrinæ Catholicæ repræſentatio. Ibid.
§. 2. Quouſque Sanguis aſſumptus? p.125.
§.3. Quouſq; alia, Dentes, &c. p.127.
§. 4. Aliquarum Locutionum qualitas. p.128.
§. 5. Quo ordine Partes aſſumptæ. p.129.
§.6. An ſtatus Aſſumptionis ſit phyſicè violentus Humanitati. Ibid.

DISPVTATIO V.

Vnionis Hypoſtaticæ termini de poſſibili. p.131.

Sect. I. Terminus Aſſumptibilis. Ibid.
§.1. De Natura non Rationali. Ibid.
§.2. De Natura Angelica. p.134.
§.3. De Natura propriam retinente Subſiſtentiam. p.135.
§.4. De Natura incompleta, & de Accidente. p.138.
Sect. II. Terminus Aſſumptivus. p.139.
§.1. An quævis Divina Relatio? vel omnes ſimul? Ibid.
§.2. An Natura Divina? p.142.
§.3. Quotuplex eſſet homo, aſſumpta multiplici Natura, vel Aſſumente multiplici ſubſiſtentiâ? p.144.
§. 4. An etiam Deus ſub ratione vitæ, aut alterius Perfectionis? p.146
§. 5. An etiam Creata Subſiſtentia poſſit aſſumere? p.147.

DISPVTATIO VI.

Vnionis Hypoſtaticæ vis ad Communicationem Idiomatum. p.150.

Sect. I. Quid ea Communicatio ſit? eiuſque ratio. Ibid.
§.1. Explicatio Cõmunicationis. Ibid.
§. 2. Aliorum pro eius explicatione Diſcurſus. Ibid.
§.3. Noſtra mens. p.152.
Sect. II. Regulæ generales ad vſum Communicationis Idiomatũ. Ibid.
Sect. III. Dubia Incidentia. p.155.

LIBER SECVNDVS

De Neceſſitate Incarnationis. p.159.

DISPVTATIO I.

Suppoſitio Convenientiæ: abſolutæ Neceſſitatis excluſio: Status Controverſiæ. p.160.

Sect. I. Convenientia Incarnationis exponitur. Ibid.
§.1. Quo genere cõveniens Deo? Ibid.
§.2. An toti etiam Trinitati. p.162.
§. 3. Convenientiæ circunſtantiæ, & extenſio. p.164.
Sect. II. Excluditur abſoluta Neceſſitas. p.166.
§.1. Senſus Authorum, Ibid.
§. 2. Principia pro eorum intelligentia, & deciſione. Ibid.
§. 3. Excluſio Neceſſitatis abſolutæ tàm Moralis, quàm phyſicæ ad producendum ad extra. p.167.
§. 4. Excluſio Neceſſitatis abſolutæ Moralis ad productionem Optimi ad extra. p.170.
§. 5. Specialis excluſio talis neceſſitatis ad productionem entium ſupernorum. p.172.
§. 6. Quouſque ſtet cum præcedentibus in Deo neceſſitas ad electionem Optimam. p.173.
§. 7. Illationes contra ſpeciales ſenſus Authorum. p.174.
§. 8. Obiectiones contra Doctrinam præcedentem. p.177.
§.9. Difficultas Emergens de laudabilitate morali Actuum Divinorum. p.180.

DISPVTATIO II.

Neceſſitas Incarnationis ex ſuppoſitione diſtincta à Satisfactione peccati. p.185.

Sect. I. Controverſiæ ſenſus: & ſenſus Authorum. Ibid.
Sect. II. An ex ſuppoſitione Creatâ cõtingenti poſſit neceſſitari Deus ad aliud? quantùm, & quomodo? p.186.
§. 1. Statuitur in Deo neceſſitas ex aliqua ſuppoſitione creata contingenti. Ibid.
§.2. Quanta ſit hæc neceſſitas? & in quo conſiſtat. p.188.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§.3. Occurritur per illationes Objectionibus quæ possent opponi. p.191.
Sect. III. Quousque ex suppositione cõtingenti creara necessitetur Deus ad decernendam Incarnationem? p.194.

DISPVTATIO III.
Necessitas Incarnationis ex suppositione satisfactionis exhibendæ pro peccato. p.197.

Sect. 1. Sensus, & status Controversiæ: & Authorum iudicia. Ibid.
Sect. II. Faciliora prœmittuntur, præstitutis nonnullis ad controversiam. p.298.
§.1. Præmissa ad Controversiã principalem. Ibid.
§. 2. Impossibilitas satisfactionis per vires naturales pro quovis peccato. p.200.
§.3. Possibilitas satisfactionis pro veniali per vires gratiæ. p.202.
Sect. III. Excluditur infinitudo lethalis offensæ. p.208.
§. 1. Qui propugnent, & qui negent. Ibid.
§.2. Aliquæ probationes asserti. Ibid.
§.3. Subtiliores probãdi formę. p.213
§.4. Vltima probatio ex insufficiẽtia cũ opportunis illationibus. p.215.
Sect. IV. Objectiones in oppositũ. p.216
§. 1. Obiectio 1. ex dignitate offensi. Ibid.
§.2. Alia Obiectio ex infinitate formæ. p.219.
§.3. Subtiliores Obiectiones. p.220.
§. 4. Obiectiones ex incompensabilitate, & ex vi demeritiva. p.222.
Sect. V. Tenenda, in principali puncto controversiæ, veritas. p.226.
§.1. Auctoritas, & ratio à posteriori veritatis assertæ. Ibid.
§. 2. Solvuntur aliqua argumenta. p.228.
§.3. Argumentum speciale, vbi doctrina Ripaldæ de distinctione satisfactionis à merito condigno retunditur. p.232.
Sect. VI. Vltimũ Argumentum: vbi de ratione à priori assertæ veritatis. p.236.
§.1. Aliquorum rationes pro asserta veritate non solidæ. Ibid.
§.2. Expenditur, & reiicitur ratio P. Ripaldæ. p.238.
§. 3. Expenditur, & reiicitur ratio, Card. Delugo. p.241.
§.4. Expenditur, & impugnatur ratio P. Vazquez. p.242.
§.5. Proponũtur acutæ aliæ rationes, & deseruntur. p.344.
§.6. Ratio verosimilior. p.245.
§.7. Difficultates obiici solitæ, & modi solvendi. p.246.
§.8. P. Munieſſæ discursus in illustrationem Eximii Doctoris exponitur, & deseritur. p.247.
§.9. Fit satis communibus obiectionibus: & aliter proponitur ratio P. Suarez. p.248.
§.10. Tandem deseritur. p.250.
Sect. VII. Veritatis assertæ vera ratio. Ibid.
§.1. Proponitur, & probatur. Ibid.
§.2. Defenditur. p.252.
Sect. VIII. Et vltima. Illationes in vlteriorem lucem, & coronidem Controversiæ. p.256.

LIBER TERTIVS.

De Causis Incarnationis. p.261.

DISPVTAT. I. ET PRÆAMBVLA. Ibid.
Modus, & Ordo Decernendi Divinus: præsertim in negotio Incarnationis.
Sect. I. Iudicia Theologorum: assumpta Principia: & vera sententia. p.262.
Sect. II. Asserta Veritas statuitur in genere, & à priori. p.266.
§. 1. Probatio duplex ex perfectione Dei, & ex rei possibilitate. p.266.
§. 2. Probatio altera ex conditione distinctionis virtualis. p.268.
§. 3. Aliæ probationes ex divina cõprehẽsione, & ex positiva imperfectione. p.270.
Sect. III. Illustratur asserta veritas, ostẽsa Decretorum inter se subordinatorum repugnantia. p.272.
Sect. IV. Illustratur ulterius, ostensâ Decretorum inter se independentium repugnantia. p.274.
Sect. V. Illustratur ulterius, exclusis à Deo variis Decretorum speciebus. p.275.
Sect. VI. Firmatur Asserta Veritas solutione Argumentorum in oppositum. p.278.
§.1. Argumenta primi generis. Ibid.
§.2. Argumẽta secũdi generis. p.280
§.3. Argumẽta tertii generis. p.283.
§.4. Instantia difficilis. p.287.
Sect. VII. Illatio pro principali puncto controversiæ. p.292.

DISPVTATIO II.
Causæ Finales Incarnationis. p.295.

Sect. I. Excellentia Christi Domini secundum se, & ut Caput, & Fons est Omnis Gratiæ est Causa Finalis Incarnationis adæquata, non ex parte Decreti, sed Obiecti: undecunque primaria. p.296.
Sect. II. Excellentia Christi ut Redemptoris, seu Peccati Remedium fuit causa finalis Incarnationis adæquata; non ex parte Decreti, sed objecti; nec primaria tamen, nec necessaria. p.299.
Sect. III. Finalis Causa Incarnationis integratur ex excellentia Mysterii, & ex Remedio peccati tanquam ex finibus ex modo finalizandi totalibus. p.302.
Sect. IV. Christus Dominus ex vi præsentis Decreti, estò non per ipsum; sed per aliud, veniſſet, Adamo non peccante, nec alio. p.304.
Sect. V. Respondetur argumentis in oppositum. Ibid.
§.1. Argumenta communia. Ibid.
§.2. Argumenta Valentiæ, & Vazquii. p.305.
§.3. Argumenta Lessii. p.306.
§.4. Argumenta Recentium. p.310.
Sect. VI. Christus Dominus decretus est etiam, ut Redemptor, sine antesione Prævisionis absolutæ peccati futuri. p.311.
§.1. Authoritas, & Ratio. Ibid.
§.2. Duplex defẽsionis modus. p.313
Sect. VII. Argumẽta in oppositũ. p.315.
§.1. Argumẽta Primi generis. Ibid.
§.2. Argumẽta secũdi generis. p.319.
§.3. Argumẽta tertii generis. p.326.
§.4. Argumẽta quarti generis. p.332
Sect. VIII. Christus Dominus decretus est Redemptor Originalis, & Actualium, etiam Venialium. p.335
Sect. IX. Concordia præcedentium cũ Immunitate Deiparæ à Debito Originali. p.337.

DISPVTATIO III.
Causæ meritoriæ Incarnationis. p.340.

Sect. I. Explicatur, & statuitur meriti divisio in Remunerandum, & Solutivum. Ibid.
§.1. Termini Controversiæ, & Authorum judicia. Ibid.
§.2. Nostrum Iudicium. p.342.
§.3. Argumenta contraria. p.343.
Sect. II. Generales Conclusiones ex prædicta divisione legitimæ. p.348.
§.1. Prima Cõclusio Generalis. Ibid.
§. 2. Secunda Conclusio Generalis. p.351.
§. 3. Aliæ duæ Conclusiones Generales. p.353.
Sect. III. Dirimitur Controversia quoad substantiam Incarnationis. p.355.
Sect. IV. Dirimitur Controversia quoad ejus Circunstantias p.356.
Sect. V. &. §.1. Difficultas emergens. p.357.
§.2. Tentatæ Solutiones specialiter reiiciuntur. p.358.
§.3. Nostra Solutio. p.361.

DISPVTATIO IV.
Causæ Physicæ Incarnationis. p.362.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sect. I. An ulla physica dispositio ad Vnionem in Humanitate præcesserit. Ibid.
Sect. II. An præcesserit ulla moralis dispositio? p.363.
Sect. III. Quæ causæ influxerint physicè in Hypostaticã Vnionẽ. p.304.

LIBER QVARTVS.

De effectu Incarnationis. p.367.

DISPVTATIO I.

Redemptionis Quidditas, Veritas, & Modus. p.368.

Sect. I. Quousque Christi satisfactio debeat dici Redemptio? Ibid.
§.1. Catholica Veritas. p.369.
§.2. Objectiones oppositæ. p.370.
Sect. II. Quousque Christi Redemptio dici possit, & debeat satisfactio? p.372.
§.1. Termini, & Opiniones. Ibid.
§. 2. Sententia Nostra. p.373.
Sect. III. Quousque se extenderit satisfactio, & Redemptio Christi Domini. p.375.

DISPVTATIO II.

Redemptionis, & Satisfactionis Christi Condignitas. p.377.

Sect. I. Christi Redemptio, & Satisfactio, ex se fuit condigna simpliciter. Ibid.
§.1. Authorum Sententiæ. Ibid.
§.2. Tenenda Veritas. p.378.
§. 3. Defenditur Veritas asserta. p.379.
Sect. II. Assertæ Condignitatis Origo, quidditas, ratio. p.383.
§.1. Difficultates expediendæ: & Authorum sensus. Ibid.
§. 2. Quid negandum circa Rationem valorantem? p.384.
§. 3. Quid tenendum? p.385.
§. 4. Quid negandum circa modum? p.386.
§. 5. Assignatur verus modus, ejusque ratio. p.387.
Sect. III. Assertæ Condignitatis vis in actu secundo. p.389.
§. 1. Conclusiones veræ sententiæ. Ibid.
§. 2. Solutio difficultatum, & ultima Conclusio. p.391.
Sect. IV. Duo dubia: & illatio de Principio *Quod*, & *Quo* satisfaciente. p.393.

DISPVTATIO III.

Satisfactionis, & Redemptionis Christi infinitudo. p.396.

Sect. I. Satisfactio Christi, seu Opera sunt infinita simpliciter in ratione Valoris, & Meriti. Ibid.
§. 1. Probatio communis defertur. Ibid.
§. 2. Solida ratio ab Authoritate. p.397.
§. 3. A ratione. p.398.
§. 4. Aliquæ Objectiones. p.400.
§. 5. Objectiones aliæ difficiliores. p.401.
Sect. II. Assertæ Infinitatis Origo, & Ratio. p.404.
§. 1. Discursus Card. Delugo examinatur, & repellitur. Ibid.
§. 2. Vera ratio proponitur, & defenditur. p.406.
§. 3. Altera Objectio: ubi, cur crescente merito ex dignitate Personæ merentis; non ita ex dignitate Personæ offensæ crescat offensa. p.408.
§. 4. Objectio difficilior: ubi an ex majori Gratia merentis crescat meritum. p.410.
Sect. III. Assertæ infinitatis vis ad omne possibile præmium. p.414.
§. 1. Quæstio, & Opiniones. Ibid.
§. 2. Vera resolutio. p.415.
§. 3. Duo argumenta in Oppositum: ubi an Vnio Hypostatica assignari possit in præmium æquale Christi meritis? p.417.
§. 4. Mens nostra circa præcedens dubium. p.421.

§. 5. Aliud argumentum: ubi an sit possibilis simultas Duplicis Christi. p.424.
Sect. IV. Assertæ infinitatis intrinseca vis respectu Præmiantis. p.426.
§. 1. Tenenda Sententia. Ibid.
§. 2. Argumenta in oppositũ. p.428.
Sect. V. Tria dubia: & illationes duæ in Coronidem Controversiæ. p.432.
§. 1. Quid de Valore, ex infinitate Rei oblatæ? Ibid.
§. 2. Quid ad satisfaciendum pro peccato hypotheticè impossibili ipsius Christi? p.433.
§. 3. Alia curiosæ indaginis. p.435.

DISPVTATIO IV.

Redemptionis, & Satisfactionis Christi Domini rigor in specie Iustitiæ. p.438.

Sect. I. Termini, & status controversiæ: sensus Authorum: origo dissidii, & ordo tenendus. Ibid.
Sect. II. Potest obligare se Deus Homini, ex strictâ justitiâ. p.441.
§. 1. Primæ Probationes ab Authoritate. Ibid.
§. 2. Rationes à priori. p.443.
§. 3. Ratio cõmunis à paritate. p.444
§. 4. Quid de discursu P. Ripaldæ. p.446.
Sect. III. Defenditur Doctrina præcedens. p.447.
§. 1. Argumenta Communia, & primum ab Authoritate. p.448.
§. 2. Alterum argumentum principale à Ratione Divini Dominii. Ibid.
§. 3. Instantia difficilis: & alia objectio ex servitute. p.453.
§. 4. Aliud argumentum, ex defectu alteritatis in jure. p.455.
§. 5. Fundamentum, & Argumenta P. Vazquez. p.457.
Sect. IV. Specialia Argumenta Recentiorum. p.459.
§. 1. Objectiones P. E. arzæ. Ibid.
§. 2. Objectiones Card. Sfortiæ. p.461
§. 3. Objectiones Amici, & aliorum Recentium. p.463.
Sect. V. Argumenta specialia contra Iustitiæ species: ubi mens nostra circa ipsas. p.465.
§. 1. Rationes dubitandi. Ibid.
§. 2. Quid de Commutativa, & Distributiva? p.466.
§. 3. Quid de Legali, & Vindicativa? p.468.
Sect. VI. Potest Homo circa Deum exercere strictam justitiã, & injustitiã? & quousq; exercear. p.469.
§. 1. Exponitur nostra Sententia. Ibid.
§. 2. Objectiones in Oppositũ. p.473.
§. 3. Alia Objectio: ubi cur non sit in peccante obligatio statim pœnitendi! p.477.
§. 4. Vltima Objectio: ubi an virtus pœnitentiæ sit specialis Iustitia. p.481.
Sect. VII. Nulla strictæ Iustitiæ Conditio defuit Satisfactioni Christi Domini. p.482.
§. 1. Iustitiæ communes Conditiones. Ibid.
§. 2. Iudicium de Prima. Ibid.
§. 3. Iudicium de secunda. p.484.
§. 4. Iudicium de Tertia. p.485.
§. 5. Iudicium de 4. & quinta. p.489.
§. 6. De Reliquis Cõditionibus. p.491
Sect. VIII. Resolvitur Controversia Capitalis: ubi de speciali rigore justitiæ in Christi satisfactione. p.493.
Sect. IX. Quæstiones annexæ pro luce, & coronide Controversiæ. p.495.
§. 1. Ex qua Virtute Christus obtulerit, & Deus acceptaverit satisfactionem? Ibid.
§. 2. Aliæ quæstiones. p.499.
§. 3. Vltima quæstio: quid sit in Deo Moralis obligatio? p.508.

DISPVTATIO V.

Christi Domini Satisfactionis, & Redemptionis obligatio, ex præcepti. p.502.
Sect. I. Prævia ad Controversiam: & iudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudicia Theologorum. Ibid.
§.1.Præmittenda. Ibid.
§.2. Opinandi varietas. p.505.
Sect.II. Etsi respectu Christi foret possibile præceptum obligans in conscientia, præceptum de Redimendo genere humano per mortem, non fuisset Naturale, aut ex lege Naturali. p.506.
Sect. III. Etsi Christus foret capax præcepti obligantis in conscientia, tali præcepto, saltem absoluto, non est ipsi præcepta mors. p.510.
§.1.Asserti Probatio potissima ab Authoritate, & à jactura libertatis. Ibid.
§.2.Thomistica Solutio. p.511.
§.3.Solutio P.Suarez. p.512.
§.4.Solutiones Prudentii, & Bernal: Granadi, & Herize. p.514.
§.5.Solutio P.Gabrielis Vazq.p.516
§.6.Solutio Patris Arriagæ, & Amici. p.518.
§.7. Solutiones celebriores à facultate petendi dispensationem.p.519.
Sect.IV.Christus Dominus,etiã ut Homo,non fuit capax Præcepti obligantis in Conscientia. p.522.
§.1.Probationes Asserti : & prima à priori. Ibid.
§.2.Altera etiam à priori. p.524.
§.3.Communes Probationes illustratæ. p.532.
§. 4. Argumenta in Oppositum diluuntur p.526.
Sect. V. Explicatur Christi præceptum: ubi de Teologorum judiciis suprà relatis judiciũ nostrũ.p.532
§.1.Multiplici Propositione explicatur vera sententia. Ibid.
§. 2. Quid de oppositis suprà relatis. p.534.
Sect. VI. Resolvuntur quæstiones annexæ. p.536.

DISPVTATIO VI.

Christi Domini Satisfactionis, & Redemptionis libertas cum impeccabilitate, Perfectione morali, & Recepto conjuncta. p.538.

Sect. I. Data est Christo Domino Optio Vitæ Passibilis, vel impassibilis simulque redimendi, vel non redimendi mundum. Ibid.
Sect.II. Item Optio quomodolibet eligendi inter Operationes sibi possibiles. p.541.
Sect. III. Concordia Doctrinæ præcedentis cum Præceptis Christi : & horum cum summa libertate, & Perfectione morali. p.544.

LIBER QVINTVS.

De Toto ex Incarnatione Coalescente, Iesu Christo, Deque ejus Perfectionibus, moribusque. p.545.

DISPVTATIO I.

Christi Domini Sanctitas. p.546.

Sect.I. A qua perfectione sanctificetur Humanitas Christi? Ibid.
§.1. Prima Conclusio. Ibid.
§.2. Secunda Conclusio. p.549.
§.3.Tertia Conclusio. p.550.
§.4.Quarta Conclusio. p.552.
§.5.Quinta Conclusio. p.553.
§.6.Sexta Conclusio de Gratia Habituali. p.554.
§. 7. Concernentia ad ipsam Gratiam Habitualem. p.556.
Sect.II.Quantùm sanctificetur Humanitas à Sãctitate Increata. p.559.
§.1.Prima Conclusio. Ibid.
§.2.Altera Conclusio. Ibid.
§.3. Tertia Conclusio. p.560.
§.4. Quarta Conclusio. p.561.
Sect. III. Quantùm sanctificetur Humanitas à Sanctitate Creata : vbi de plenitudine Gratiæ: & an hæc in Christo augeri posset. p.566.
§.1.Prima Cõclusio hypothetica.Ibi.
§.2.Secunda Conclusio negativa infinitæ Intensionis. p.567.
§.3. Tertia Conclusio de summitate Gratiæ Habitualis. p.570.
§.4. De taxâ determinandæ summitatis. Ibid.

Sect.

Sect. IV. De Gratia Christi, vt Capitis. p.572.
Sect. V. De Virtutibus, & aliis Donis Christi Gratiam Comitantibus. p.575.
§.1. Quæ certa, præmittuntur. Ibid.
§.2.Quid de Fide. p.576.
§.3.Quid de Spe,& Pœnitẽtia? p.577
§.4. Quid de aliis Virtutibus, & Donis?. p.570.
§.5. Quid de Gratia Auxiliante ad operandum supernè. p.580.

DISPVTATIO II.

De Prærogativis Sanctitatis in voluntate Creata Christi. p.581.

Sect. I. Statuitur, & ostenditur Impeccabilitas Christi Domini. p.582.
§.1.Certa, in Controversia : ejus status,& Opiniones. Ibid.
§.2.Humanitas Christi ratione vnionis præcisè, manet impeccabilis ex natura rei, in utroq; sẽsu.p.583
§.3.Humanitas Christi, etiã vi vnionis præcisè, manet divinitus impeccabilis. p.585.
§.4. Etiam ratione vnionis præcisè, manet divinitas incompossibilis cum potestate peccandi. p.589.
§.5.Hæc impeccabilitas Christi Domini non est extrinseca,& ex decreto, sed essentialis. p.590.
Sect. II. Quæstiones affines. p.591.
Sect. III. Statuitur, & explicatur Incapacitas moralis Imperfectionis in Christo Domino. p.597.
§.1.Quid moralis imperfectio?& ratio dubitandi. Ibid.
§.2.Vera resolutio. p.600.
Sect.IV.Statuitur,& exponitur Summa Christi Creatæ voluntatis Concordia cum Divina. p.601.
Sect. V. Quas, & quousque permisserit in Anima Christi Passiones, ejus Impeccabilitas,& Sãctitas? p.603.
§.1.Regulæ Generales. p.604.
§. 2. Quid de Tristitia, & Dolore. p.605.
§.3.Quid de Timore, Ira, & Admiratione? p.607.

DISPVTATIO III.

Christi Domini Scientia. p.608.

Sect. I. An per Scientiam Increatam intelligat, aut saltem possit Humanitas Christi? 608.
§.1.Decisio quoad factum. Ibid.
§.2.Decisio quoad possibile. p.610.
§.3.Hypothetica Decisio: & quid de Censura? p.611.
§.4.Objectiones oppositæ. p.612.
§.5.Vltima Objectio : Vbi an in Christo sit aliqua Scientia Theãdrica? p.614.
Sect.II De Scientia Beata Animæ Christi Domini. p.615.
§.1.Termini Quæstionum Ibid.
§.2.Ejus existentiâ, certitudo, Perfectio, Necessitas, & quasi Quantitas. p.616.
§.3.Sphæra Objectiva, quoad possibilia. p.618.
§.4.Quoad Futura. p.621.
§.5.Quid de Perpetuitate Vnionis ipsius? p.624.
§.6.Aliæ Quæstiones. p.627.
Sect. III. De Scientiâ Infusâ Animæ Christi Domini. p.628.
§.1.Ejus existentia & Perfectio.Ibid.
§.2.Ejus Objecta. p.630.
§.3.An etiam Trinitas? p.631.
§.4.Ejus Principia & Species.p.634.
§.5.Vsus. p.638.
§.6.Proprietates p.639.
Sect. IV. De Scientia Naturali, Perse infusa : Per se acquiribili, & experimentali : Vbi an ab aliquo Christus didicerit? p.640.
§.1.Quam certò admittendæ? Ibid.
§.2.Ex quo tempore? p.641.
§.3.Objecta,Principia,& Vsus.p.643
§.4.An Christus vnquam didicerit quidquam, vel ab Angelo, vel ab Homine? p.643.
Sect. V. De extremis oppositis Scientiæ. p.645.
§.1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§.1. De Ignorantia, & errore. Ibid.
§.2. De Reliquis extremis. p.648.

DISPVTATIO IV.

Christi Domini Libertas, Meritum, & Oratio. p.649.

Sect.I. Statuitur & explicatur in Christo libertas sufficiens ad merendum. Ibid.
§.1. Ratio dubitandi. Ibid.
§.2. Qualis in Christo libertas. p.650
§.3. Mens nostra circa Christi Domini libertatem. pag.651.
§.4. Sufficientia libertatis ad actus æquales in ordine ad meritum. p.653.
§.5. Objectiones contra sufficientiã prædefensam. p.656.
§.6. Occurritur Rationi dubitandi supra propositæ. p.660.
Sect. II. Per quos Actus, & quo tempore meruit Christus? p.661.
Sect. III. Quibus, & quid meruerit? p.665.
§.1. Quid sibi? Ibid.
§.2. Quid alijs? p.667.
§.3. Quid insuper Angelis? p.668.
§.4. Quid demum Hominibus, præsertim Prædestinatis? p.669.
Sect. IV. Difficultas emergens ex præcedentibus Doctrinis. p.671.
§.1. Propositio Difficultatis. Ibid.
§.2. Opinatio P. Esparzæ? p.672.
§.3. Vnde sit petenda solutio? p.673.
Sect. V. De Oratione Christi Domini. p.674.

DISPVTATIO V.

Christi Domini Servitus, Filiatio, Prædestinatio. p.678.

Sect.I. Christus Dominus, etiam ut Homo, nec est, nec dici potest propriè Servus. p.679.
§.1 Argumentũ ab Authoritate. Ibid.
§.2. Aliquæ Solutiones. p.680.
§.3. Verosimiliores solvẽdi viæ. p.681
§.4. Solutio Patris Suarez. p.682.
§.5. Lumberij, & Munièssæ Responsiones. p.683.
§.6. Argumenta à Ratione. p.687.
§.7. Objectiones Solutæ. p.688.
Sect.II. Christus, etiam ut Homo, nec est, nec dici potest Filius adoptivus. p.690.
Sect.III. Christus, ut Homo, & Filius, non utcumque Proprius, sed etiã Naturalis, neque totius Trinitatis, sed Patris Æterni. p.692.
§.1. Positis aliorum Sententijs, excluditur P. Bernal. Ibid.
§.2. Excluditur alia Sentẽtia. p.694.
§.3. Sententia Vera. p.695.
§.4. Ratio veræ Sententiæ. p.696.
Sect. IV. Quousque dici possit Christus Prædestinatus? p.699.

DISPVTATIO VI.

Christi Domini Officia. p.701.

Sect.I. De Christo Capite, Redemptore, & Medico Animarum. Ibid.
Sect.II. De Christo Propheta, Doctore, Iudice, Legislatore, & Mediatore. p.702.
Sect.III. De Christo Sacerdote, ejùsque Sacerdotio. p.704.
Sect. IV. De Christo Rege, ejusque Regno. p.707.
§.1. Quæ, Certa, Suppono. Ibid.
§.2. Controversia: ejusque Divisio. p.708.
§.3. Objectiones oppositæ. p.709.

DISPVTATIO VII.

Christi Domini Potentia. p.711.

Sect. I. An Christus, ut Homo, sit vi vnionis Omnipotens: & quousque ab unità Omnipotẽtià reddi possit potens Humanitas? Ibid.
§.1. Damnatis Vbiquistis, quæstio proponitur? & sententiæ. Ibid.

§.2. Quàm potens Christi Humanitas ex vi Vnionis? p.712.
§.3. Ab Omnipotentià nullomodò reddi potest, ex solà vi Vnionis, potens. p.713.
§.4. Defenditur Doctrina præcedens. p.715.
Sect.II. An Humanitas physicè potuerit ad miracula Christi concurrere? Vbi de Potentià Obedientiali. p.717.
§.1. Positis certis, instituitur Quæstio. Ibid.
§.2. Mens nostra circa Potentiam Obedientialem. p.718.
§.3. Regula tenenda, & Decisio controversiæ. p.720.
Sectio. III. Quâ ratione concurrerit? p.722.
Sect.IV. Quæstiones annexæ. p.724.

DISPVTATIO OCTAVA, ET VLTIMA.

Christi Domini Adoratio. p.725.
Sect.I. De Adoratione in communi: quid sit? & quotuplex. Ibid.
Sect.II. De Adoratione Christi, & Humanitatis ipsius. p.729.
§.1. Controversia Prima. Ibid.
§.2. Altera Controversia. p.731.
Sect.III. De Adoratione Sanctorum, & eorũ Reginæ Matris Dei. p.734.
Sect.IV. De Cultu, & Adoratione Imaginum. p.736.
§.1. Suppositis nonnullis, exponitur Controversia. Ibid.
§.2. Decisio Controversiæ per quatuor Asserta. p.737.
§.3. Argumentis in oppositum fit satis. p.739.
Sect. V. De aliarum rerum Adoratione. p.740.

R.P.

Universidad de Deusto
Biblioteca

R. P.
PHILIPPI ARANDA
SOCIETATIS IESV,
DE DIVINI VERBI INCARNATIONE, ET REDEMPTIONE GENERIS HVMANI, LIBRI QVINQVE.

SAPIENTIAM *Dei loquimur in Mysterio: quo Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*: unita ad Hypostasin, seu Personalitatem Verbi Divini, Humana Natura nexu illo mirabili, quo ex Duabus Naturis, Divina, & Humana, sine ulla earum confusione, *aut ulla alterius in alteram conversione, sed Assumptione solum Humanitatis ad Deum*, Verus Deus, & Verus Homo, *unitate Personæ Vnus* Christus existit. Is ille Nexus est, quem jure Paulus, *Sacramentum à sæculis absconditum in Deo*; Dionysius, *omni intelligentia, ipsiq; Angelorum Primati ignotum*; Cyrillus Alexandrinus, *Opus Divinæ Sapientiæ*; Gregorius, *Ineffabile Sacramentum*; Damascenus, *Opus omnium novorum maximè novum, & solum sub sole novum*; Præceptor Angelicus, *miraculum omnium miraculorum*; alij Patres, *summam omnium Mirabilium*; ex ipsorum ore Sanctorum Tridentina Synodus, *Vnionem Admirabilem*; Theologi demum ex

1. Corinthio. 2. Ioann. 1.

Athanas. in Symb.

Ephes. 3. Dionys. de Divin. Nomin. cap. 2 Cyril. l. b. 5. in Isaia cap. 52. Greg. lib. 18. Mor. c. 26. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 1. Thom. in 3 dist. 2. q 2 art. 2.

Universidad de Deusto

assumẽte Divini Verbi hypostasi, Hypostaticã: & ex assumpta humanitate, Incarnationẽ appellant; ea synecdoche, qua ex notatione Cyrilli, & Athanasij totã naturam Humanã, solo carnis nomine, plus inde significante, quã sonat, scripturæ passim insinuant: Isajæ 40. *Sciet omnis caro, quia ego Dominus*: & Lucæ 3. *videbit omnis caro salutare Dei*. Ergo Vox *Incarnatio* non est cur Grammaticastris Hæreticis absonet, nisi quia verè catholica: Elegans enim est, & mirificè propria: nova tamen ex novitate Mysterij: nam decuit in Novissimo Mysterio loqui novissimè. *Corporationem* dixit Hylarius ex Tullij gustu: *Inhumanationem* Græci cum Damasceno. Nos illa utemur: verùm cum ipsa vox pluribus tàm Vnionem, quàm Actionem Vnionis ipsius hypostaticæ productivam sonet; ne subrepat in sequentibus æquivocatio dicetur Vnio, Incarnatio formalis: ipsius verò Actio, Incarnatio effectiva, seu activa dicetur.

Trid. sess. 13. cap. 3. Cyrill. in Scholi. de Incarnat. Vnigeniti. Athanas. in Orat. de Deip. Isaiæ 49. Luc. 3. Hylarius prolog. in Psalm. ex Cicerone de Univers. Damascen. li. 3. de F. d cap. 6.

Inde jam ad Opus aggredimur: unum quidẽ ex tota Theologia: verum ad Theologiam fere totam in uno. Vt enim Christus Dominus, Deus Homo (qui scopus est istarum Disputationũ) sit epilogus omnium Operum, quæ architectari potest Altissimi Dextera; ita & instituta de ipso Tractatio epilogus esse debet omnium ferè rerum, quas Theologia versat: neque enim ulla illius est pars, quæ ad hujusce declarationem Sacramenti non influat. Vnde ab Anselmo jure dicta est, *& Pretiosa, & Speciosa* ista de Incarnato Verbo Materia. Speciosa: quia *de Speciosa forma, præ filiis Hominum*: Pretiosa, quia de illo, in quo *sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*.

Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 1. Psalm. 44 Colossens. 2. 3. Athanas. Cyril. Alexand. Ambros. Fulgentius. Leo. Anselm. PP. Ephes. Conc. Magister. S. Thom. Suarez. Vazquez.

Egere de hoc Mysterio multi. Ex SS. Patribus, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Fulgentius, Leo, Anselmus, & Patres Ephesini in Actis ejusdem Ephesini Concilij. Ex Theologis, Magister, ejusque Commentatores *lib. 3. sent. à Dist. 1.* S. Thom. & ejus interpretes 3. *p. à q. 1.* Ibi plenissimè, & omninò eximiè per duo volumina, Noster Eximius: per unum eruditissimum P. Vazquez. Dedere de ipso volumina specialia Cardinalis de Lugo, Ragusa, Becanus, Koninc, Bernal, Vvadingus, Aldrete, Arriaga, Hurtadus uterque, Petrus, & Gaspar, Vterque Perez, Martinus, & Antonius, Amicus, Esparza: & hi ex Nostris. Ex Externis, Alvarez, Prudent. Godoy: & apud hos alij, quos in loco laudabimus. Circa dogmata Mysterij propria scripsit per volumina duo Petavius. Nos in rem nostram, mutata aliquantò methodo S. Thomæ, ut paucis multa complectamur, Substantiam Incarnationis priùs, id est, Vnionis hypostaticæ posibilitatem, existentiam, & Naturam: ex inde terminos: convenientiam insuper, & Necessitatem: præterea causas, & effectus: indidem locutiones ex ipsa resultantes: denique totum ex ipsa coalescens, Christum Dominum Contemplabimur.

Cardin. de Lug. Koninch. Bernal. Vvading. Aldretus Arriaga. Pet. Hurt. Gasp. Hurtado. Martin Perez. Anton. Perez. Esparza. Amicus. Alvarez. Prudent. Godoy. Petavius.

LIBER PRIMVS.

DE SVBSTANTIA INCARNATIONIS.

1 VNIRI Verbum Divinum Humanitati, dicimus substantiam Incarnationis: quo proinde nomine venit apud Theologos Hypostatica Vnio, quâ *Verbum Caro factum est*. Ex illis definiri sic potest: *Realis, physica, & mirabilis Vnio, qua secunda Persona Trinitatis Naturam humanam substanti aliter integram assumpsit in unitate Personæ, facta Perfectus Homo, & permanens Perfectus Deus Personalitate puri hominis impedita*. Quæ descriptio, ut in Vnione hypostatica tangit omnia, quæ physicè Mysterium Incarnationis importat mirabilia, sic de ipsa plenè nequit exponi, quin posibilitatẽ, & existẽtiam ejus præstituat; quidditatẽ examinet: eruat physicas proprietates, & perfectiones: & tandem ex ipsius ductu nexûs in terminos, ac enata subinde inter ipsos idiomata, disputandi methodus relabatur.

DISPVTATIO I.

VNIONIS HYPOSTATICÆ POSSIBILITAS, & Existentia.

2 VTRAQVE *de fide est: & ex alterius suppositione, quam scripturæ faciunt, evidens altera: nam quod existit, potest existere. Ideo statuta semel contra Iudæos ex scripturis Veteris Testamenti, quod præstant Suarez, Hurtadus, Koninchus, Martinon, & Petavius: contra Gentiles, ex notis fidei, quod Valentia promovet: contra alios hæreticos ex novo Testamento, quod acutè premit Antonius Perez. Vnionis istius existentia, ejusdem probata supponitur posibilitas. Hanc ulte-*

Suarez. Hurtadus Koninch. Martinon. Petavius. Valentia. Anton. Perez.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ulteriùs positivè convincere nequit ratio naturalis, ostendendo eā unionem positivè possibilem: negativè potest; ipsam ostendendo, quantum in nobis est, possibilem negativè, id est non impossibilem: quod pendet ex solutione difficultatum, quæ contra ipsam ex radice quadruplici, nempe Verbi assumentis, Naturæ assumptæ, modi assumendi, & compositi resultantis inde, progerminant: disputandumque de singulis.

SECTIO I.

DIFFICVLTATES EX PARTE VERBI: ubi ratio solida, cur nec mutetur, nec perficiatur.

§. I.

EXPOSITIO DIFFICVLTATIS.

1 PRopono sic: Repugnat, uniri Verbum Humanitati, quin mutetur intrinsecè: atqui intrinsecè mutari, repugnat: ergo & uniri Verbum Humanitati: ergo tan abest ab existentia Mysterium Incarnationis, & Hypostaticæ unionis, ut ipsum potius impossibile reddat immutabilitas Verbi Divini: quæ de fide est: *nā ego Deus, & non mutor*, inquit Malachiæ 3. Deus ipse: *apud quem* (ex Iacobi canonica 1.) *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.* Patent inde consequentiæ cum minori; & sequela majoris ostenditur.

Malach. 3
Iacob. 1.

2 Primo, nam intrinsecè mutari est habere se intrinsecè, nūc aliter, ac antea: fieri enim id nequit sine temporali, & novo transitu de non-esse intrinseco ad intrinsecum esse, quod ante non erat: atqui repugnat, uniri Verbum humanitati, quin de novo aliter se intrinsecè habeat, & fiat hic transitus: ergo quin mutetur intrinsecè. 2. quia Motus est *actus Entis in potentia, provt in potentia*; Vnio autem nectens intrinsecè Verbum Humanitati actuat unibilitatem illius, ipsa vi nexūs, ad quem fuit ab æterno indifferenter capax, & in potentia: ergo motus est etiam respectu Verbi. 3. Ex unionis intrinseco accessu Verbum perficeretur: quod fieri sine mutatione nequit, & patet assumptum, tum quia complexum ex unione, & Verbo perfectius esset solo Verbo. Tùm etiam, quia Vnio hypostatica est ex cōceptu suo maxima perfectio, cùm ex conceptu suo sit accessus ad primum esse, conjunctio cum ipso, atque adeò maxima elongatio à nihilo: perfici autem de novo, soluth videtur esse, habere de novo perfectionem intrinsecam: quod Verbo competit. Neque recurras cum ingenioso Valentia ad eminentialem unionis præcontinentiam in Verbo. Tùm quia Divina Natura præcontinet etiam attributa; ex eorum tamen accessu formali perficitur. Tùm etiam: quia illa præcontinentia non obstat, quominus Verbum ex formali Vnionis accessu denominetur unitum: ergo nec obstat, quominus denominetur perfectius. Probo consequentiam, quia cum Vnio hypostatica, sit ex hoc ipso conceptu perfectio; de nominatio uniti videtur inseparabilis à denominatione perfecti.

Valentia.

3 Quartò: quia à cōtrario saltē videtur imperfici, deteriorarique Verbum ex unionis accessu: quod repugnat æquè, & æquè mutationem importat. Assumptum, de quo rursus *lib.* 2. urgetur in præsenti sic: quia ratione unionis subit Verbum denominationem minoris æterno Patre: ergo amittit puram æqualitatem cum ipso: nam intrinseca minoritas, & æqualitas pugnant adinvicem. Hæc autem æqualitatis amissio sine maxima imperfectione fieri nequit. Quintò, quia quod Verbū non recipiat, & subiectivè se habeat, (qui communis recursus est, novissimè negatus ab Vvadingo, & satis interceptus ex nuper dictis) non excusat mutationem intrinsecam. Tùm quia non excusat, ne Verbum intrinsecè aliter de novo se habeat. Tùm etiam, quia calor, etsi crearetur in manu, ipsam redderet calidam, & mutaret. Tùm demum, quia ut actuetur intrinsecè aliqua indifferentia, vel requiritur passio termini actuātis, in ipsa, vel non. Si 1. ergo etiam ut actuetur unibilitas Verbi. Si 2. ergo nec ut succedat motus, cùm eo ipso succedat actus entis prout in potentia.

Disp. 1. num. 11.

Vvading.

6 Sextò, quia neq; quod Verbū purè terminet (qui est recursus alter, vel idem sub sono diverso) quidquam juvat in casu nostro. Tùm quia desideramus sensum istarum vocum? quid est pure terminare? quod ut explices positivè, eges ulteriori ratione, quam inquirimus. Tùm etiam quia objectū, licet sit purus terminus, mutatur extrinsecè per cognitionem: quidni similiter mutetur intrinsecè, qui pure terminat, si de novo intrinsecè terminat? Tùm demum, quia modus hic dicendi subit aliam difficultatem, quâ nempe ratione maneat unitū intrinsecè Verbū, si purè terminus est?

De Lugo.

quā egregiè promovet Eminentiss. Lug. *disput. 11. sect. 6. à num. 68.*

7 Septimo. Nequit ulla Natura, quantūvis completa sit in se, sic alteri uniri de novo, quin perficiatur, aut deterioretur: atque adeò quia immutetur intrinsecè: ergo nec Verbum. Vltimò. Repugnat, quod Deus denominetur de novo cognoscens per creatam cognitionem, vel per creatā subsistētiā de novo subsistens: quovis eas modo ipsi fingas uniri, quin mutetur intrinsecè: ergo similiter quod Verbū denominetur unitum intrinsecè de novo. Consequens videtur arduæ disparitatis, semel admisso antecedente, quod est omnium Theologorum, nullo dempto, quem viderim. Et hæc est Difficultas, quam jure Theologi censent in hoc Mysterio maximam: & humano etiam ingenio insuperabilem Doctor Eximius *disp. 8. sect. 4.* Multorum curis, quas intercepit proponendi modus remissis, & videndis apud Lugo cit. Aldretum *disp. 31.* Prudent. *disp. 1.* multa passim accipiētē ab Amico nostro, sine laude calami, quo juvatur, & God. *disp. 14* duplicem ipse explicationem difficultatis adhibeo.

Suarez.

Lugo.
Aldretus
Prudent.
Godoy.
Amicus.

§. II.

PRIMA EXPEDITIO DIFFICVLtatis.

8 PRima sit ex notione entis summè perfecti, quale Verbū est, quia Deus. Ens sūmè perfectum ex suo cōceptu ita dicit in se omnem omnis generis perfectionem; ut nullus extra ipsum sit modus habendi perfectionem sine aliqua imperfectione. Vnde necessario esse debet ex se omnis modus habēdi omnē sine ulla imperfectione perfectio nē: quare perfectiùs est in Deo quævis finita perfectio, quā in se nā modus, quo est in se, necessario dicit imperfectionem. Horum omniū brevis est ratio, quia eus summè perfectū est per essentiam illimitatio: est primū esse: est elongatio summa à nihilo, cui ex defectu essēdi, magis, aut minus accedit Imperfectio. Patet exinde eus summè perfectum ex conceptu suo summè esse felix, & nullius extra se indigens: alioquin nō esset summè perfectū. Hinc nascuntur plura notanda quammaximè.

9 Primum: ut Dei plenitudini, nec obest, nec prodest existentia, vel non existentia ullius creaturæ: nesset enim æquè felix, esseque pro arbitrio potuisset omnis universitas rerum, nullā productā: ita nec ipsi obest, nec prodest modus coexistendi cum aliqua sive intrinsecus, sive solum extrinsecus.

10 Alterum: Deus ut coexistens, seu unitus Humanitati, non format complexum solo Deo perfectius, adhuc extensivè: illud: quia Deus sic unitus non præponderat contradictorio: Deo scilicet nō unito. Istud: quia licet hic fiat extensio rerum, non fit extensio modorum habendi sine imperfectione perfectionem.

11 Tertium: Deus nec perfici, nec imperfici potest per talem accessum; illud: quia complexum esset melius; tùm quia convenientius Deo foret, contra illationem primam, habere talem accessum intrinsecè, quā solum extrinsecè; tùm demum, quia non additur Deo modus simpliciter perfectus habendi perfectionem. Istud: quia licet addatur modus imperfectionis, non derogat omni modo perfectionis, quem præhabet Deus: unde novus manet sine exercitio imperficiendi: de quo *lib.. seq.* quare complexum non est pejus solo Deo, cum comparatio sit impossibilis; nihilque detrahat infinitudini, quam supponit: Tùm etiam, quia convenientius Deo esset, illam habere solū extrinsecè, quam intrinsecè contra primam illationem.

Disp. 1. à num. 11.

12 Quartū: Ens summè perfectū unicè cōpleri potest per perfectiones simpliciter tales, sive per prædicata nullam imperfectionē ex se dicentia: idque modo identico, qui perfectior est. Vnde respectu creaturarum nullam habere potest incōpletionem, aut vacuitatē; ideoq, nec potest esse respectu illarum simpliciter in potentia, nempe perfectibilitatis, aut in completionis; sed ad summum abusivè

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& secundum quid, nempe puræ indifferentiæ, putæ terminationis, aut quasi activæ communicationis sui.

13 Quintum: grande discrimen inter Naturã, respectu Attributorũ, & Relationũ & ipsã, respectu creaturarũ. Per istas nec cõpleri, nec perfici, nec imperfici potest, adhuc extensivè per illas completur & perficitur intrinsecè extensivè; non intensive. Completur intrinsecè, quia identicè habet, deffectura, si non haberet: non perficitur intensive, quia ens summè perfectum (id quod forte de singulis divinis perfectionibus dicam alibi) intensivè, & æstimativè crescere nequit: bene tamen extensivè; quia fit (ut solet dici) quasi virtualis extensio modorum habendi sine imperfectione perfectionem. Vnde non est idem in Deo, habere aliquam perfectionem intrinsecè, ac ita Deo intrinsecam esse, ut convenientius sit intrinsecè habere, quam solum extrinsecè: nam hoc sonat necessitatem habendi, quasi a posteriori: quod unicè Attributis, & Relationib⁹ convenire potest: illud unicè sonat nexum intrinsecum, qui salvari potest cum omnimoda contingentia, & independentia in habendo: quod contingit in casu nostro.

Tom. in 1. par. tract. de Deo sciente.

14 Sextum: summum discrimen inter Deum & creaturam, quantũvis completam in se: nam hæc, cum sit finitæ perfectionis, per intrinsecum accessum alterius (si capax aliunde sit) necesse est perficiatur, & crescat in bonis, & esse suo: vel deterioretur, impedito, vel amisso per accessum connaturali suo statu: nam una res unibilis alteri, vel convenire ipsi debet, vel positivè disconvenire, vel saltem non disconvenire, quo fiet, ut unita augeat perfectiones illius, ad quam intrinsecè, licet citra exigentiam ullam, accedit. Ex his alte penetrandis, & inculcandis opportunius alibi: nunc in forma

15 Respond. facilè ad argumentum, negando majorem. Cujus primam probationem distingue. Mutari est aliter se habere, quoad esse completivum rei, concedo: quoad esse purè terminativum, nego: id enim potius est se rem alteri communicare, quam mutari. Motu enim fit transitus ad intrinsecum esse aliqualiter completivum rei per accessum alterius exinde meliorantis, vel deteriorantis illã, ad quam accedit. Quæ singula procul à Verbo sunt: cujus alietas potius est alietas communicationis sui esse ad Creaturam, quam alietas esse proprii. Et hæc est mens Philosophorum omnium, inductione convinci facilis: & rationem assigno mox. Ad secundam: esse in potentia Philosophis sonat perfectibilitatem, vacuitatem, & indigentiam complementi. Mera enim indifferentia communicandi se alteri, quin exinde perfectionis emolumẽtũ, accrescat, vel damnum imperfectionis, potius est actus purissimus perficiendi; de obligatus tamen ab exercitio, ex suprema independentia. Vnde sumitur ratio præcedentium: & negatur minor: nam ens in potentia prout in potentia est quasi semi-ens, alterius indigum, vel certe perfectione aliqua vacuum. Exinde nec actuari per unionem dici debet unibilitas Verbi, sed exerceri.

16 Ad tertiam, negetur assumptum ex Doctrina solutionis, non sistentis in recursu Valentiæ bene præcluso. Quod verò Verbũ denominetur unitum, non tamen perfectum, licet in unione conceptus Nexus, & perfectionis sit realiter idem, sumitur à capacitate Verbi ad unam, & non ad aliam denominationem ex notione entis summè perfecti: cui comunicari decet: repugnat perfici. *Valentia.*

Ad quartam, negetur exibidem dictis assumptũ. Nec adhibita probatio valet; nam Verbum ex accessu Humanitatis non amisit æqualitatem cum Patre, sed factus est homo, quæ non est ipsi ratio, ut sit æqualis Patri. Ideo cum reduplicatione loquitur Athanasius *in Symbolo: æqualis Patri secundum Divintatem; minor Patre, secundum Humanitatem.* *Athanas. in Symbol.*

17 Ad quintam: Ratio subjectionis, & receptionis manifestè imperfectionem importat: nam necessario dicit perfectibilitatem, & vacuitatem in esse ponderatam supra. subiectionis tamen, & receptionis absentia non excusat arguentis absurda, nec omne genus mutationis propriæ, licet Physicã fortè excuset. Ideo nõ fido Thomistis in hac parte.

Ad sextam dicimus, Verbum purè terminare, si ly purè non excludat intimam communicationem, & realem nexum sui ad Humanitatem, satis explicare immutabilitatem ejusdem, adhibitis, quæ Doctrina solutionis addebat. Nec erit exinde munus unionis explicatu difficile: de quo *sect. 3.* latè. Ad septimã, data est disparitas *n. 14. fine.*

18 Ad

18 Ad ultimã difficilioris operæ, posthabitis aliorum disparitatibus, aliam ipse consequentis ad antecedens admissum assigno, sequens Doctrinæ filum. Intelligere hoc obiectum, & subsistere exigit ex se Deus: estque munus proprium prædicati, per quod completur intrinsecè, & extensivè perficitur Deus, & ad quod in Deo supponitur quasi virtuale incomplementum, (ut dici solet:) Nequiret ergo Deus reddi per creatam formam intelligens, & subsistens, quin eo ipso præstaret hæc Deo munus proprium prædicati complentis in trinsecè, & extensivè perficientis; atque adeò quin ex se compleret intrinsecè, & extensivè perficeret, ac mutaret: nam forma præstans munus perfectionis, ut perfectio est, necessario rem perficit, & immutat. At respectu unionis ad creaturas, nec Deus habet ullum incomplementum, etiam virtuale, & extensivum: nec ejus munus est prædicati ullius complentis Deum, aut extensivè perficientis; unde licet de novo Deus denominetur intrinsecè unitus, non ideo ab unione, vel perfici, vel mutari dicendus est: cum magis Deo non conveniat tale munus uniti, quam alterius prædicati purè extrinseci Deo. Et hucusque prima solutio, quæ mihi magis eo placet, quo melius de Deo loquitur; generalius occurrit toti difficultati: & magis sapit rationem SS. PP. ad mutationem exigentium, habere se rẽ aliter per meliorationem, aut depravationem intrinsecam sui, quos lege apud Ruiz *de Vol. disp. 16. sect. 1.* *Ruiz de Montoya.*

§. III.

EXPEDITIO ALTERA.

19 SEcunda fit ex mente S. Thomæ, hucusque, nisi fallor, introspecta non satis. Tetigit argumenti difficultatem Angelicus Doctor *quæst. 16. & ad 2.* dicit, posse de novo dici de Verbo factum esse hominem sine ejus mutatione quia solum id de ipso *dicitur relativè*: quod mihi videtur profunde dictum: & explico sic longe aliter ac Thomistæ Doctorem communem vulgo vix excedentem inducunt. Sunt Denominationes cõmunes Deo, & creaturis, atque adeò nullam dicentes ex genere suo imperfectionem: quam hauriunt aliunde ex terminis, ex quibus in specie coalescunt. Sume exemplum in denominationibus producti, & connexi: utraque & in Deo est & in creaturis, sed diversimode: Producti in Deo non est causari: nec connecti est dependere nempe ex exclusione prædicati, quod facit Connexionem in Creatura dependẽtiam, & productionẽ, causationem: & hoc est deffectibilitas, & indigentia: quæ si absint, ut Deo certissimè absunt, exigi essentialissimè à Patre filium, & habere naturam, & esse, licet connecti sit, & produci, non est causari, nec dependere. *S. Thomas.*

20 Sic discurro in præsenti ex his, quæ insinuat S. Thomas. Intrinsecè aliter se habere quam antea potest esse commune Deo, & Creaturæ: erit in utroque: sed diversimodè: in Deo esse nequit cum mutatione: in creaturæ sine mutatione esse nõ nequit, nã hîc, & non ibi debet intervenire deffectus, ex quo modus se aliter habendi transit in mutationem Ratio: nam *intrinsecè aliter se habere* solùm, & præcisè dici de Deo potest *respectivè: id est ly intrinsecè aliter*, non sonante modum novum habendi se in se, & quoad esse proprium (quod fieri nequit sine commodo, vel incommodo: lucro, vel dispendio sui) sed sonante præscisse modum novum aliter se habendi cum creatura, novum modum illi favendi, se illi communicandi, & existendi in ipsa per intimam præsentiam sui medio dono substantialis unionis: at de creatura dici non potest *aliter se intrinsecè habere*, quin absolutè dicatur, id est ly *intrinsecè aliter* sonante novum modum essendi, seu habendi se in se, & quoad esse suum, nempe cum proprii esse vel lucro, vel dispendio: quo ex prædicato transit in mutationem modus aliter se habendi, quam antea. Quare de Deo concederem nunquam, ex calamo Thomæ, se habere intrinsecè aliter in se, sed intrinsecè se aliter habere cum creatura illam perficiendo de novo. *Idẽ Doct. Angel.*

21 Sed rogas quam denominationem Deo tribuet iste modus habendi se aliter? Patri Martinonio placuit, eum vocare innovationem intrinsecam: verum mihi durus est hic sermo: quippe Verbi novitas innovatio Dei, Verbum innovatum, plusquam sonat quam de novo perficere, & uniri de novo. Ea denominatio non potest esse alia, quam de novo communicari, specialiter perficientis, & innovantis Creatu- *Martinon*

ram

Universidad de Deusto
Biblioteca

ram per novam, & intimam præsentiam sui in illa: quæ procul ab omni suspicione mutationis sunt, cum unicè sonet summum in Deo sic denominato perfectionem. Applicare formæ Doctrinam, facile ex dictis est.

22 Ex quibus omnibus pro Difficultatum aliarum ex eadem radice pullulantium interceptu: Infero 1. contra Vvadingum *disp. 4. à §. 45.* Verbum Divinum, nec esse, nec posse dici subjectum Humanitatis. Ratio: quia ratio subjecti dicit in completionem, & modum essendi natum perfici, vel imperfici. Nec quòd à Verbo sustentari dicatur Humanitas, satis est: nã hic sustentandi modus est quasi activus, purè completivus, & perfectivus. Infero 2. Verbum Aristotelicè, & propriè nõ esse partem: licèt abusivè sic dicatur ab Authoribus notæ non malæ. Ratio: quia ratio partis est conceptus semientis, scilicet egentis alia ad effectum, quo melius se habeat, unde dicit inferioritatẽ ad totũ: quæ Verbo non competunt. Infero 3. Verbum Unitum non esse magis diligibile, quam Verbum non unitum, quod tangit acutè S. Thomas *quæst. unic. de Union. Verbi Incarnat. art. 1. ad. 9.* Ratio: quia bonitas est mensura diligibilitatis: ex accessu tamen unionis, nec redditur melius Verbũ: nec, licet plura sint bona, adjicitur plus bonitatis ad complexum. Infero 4. optimè dictum à Doctoribus Angelico, & Eximio, Incarnari esse non posse sine pati: nec incarnationem sine mutatione: id est Verbum incarnari sine pati Creaturam; aut Verbi Incarnationem sine Creaturæ mutatione. Infero 5. Humanitatem, nec esse, nec dici posse formam respectu Verbi. Ratio, quia forma dicit correlationem ad subjectum. Infero sexto: Nec Verbum dici posse formam respectu Humanitatis. Ratio: quia de Conceptu formæ est incompletio, & indigentia alterius ad Omnes, vel ad aliquas proprias operationes, ut consideranti genus omne formarum, fiet omninò evidens.

Vvading.

Infrà nn. 69.

S. Thomas

Doct. Angel.

Doct. Eximius.

Suarez.

23 Nec obest 1. quod Humanitatem perficiat, compleat, aut immutet: nec enim exinde sequitur, quod informet: nam id stare sine incompletione nequit: illud stare potest cum summa plenitudine essendi, cõmunicata per nexũ intrinsecũ ad modũ purissimi termini reddentis Naturam Personatam, & subsistentẽ. Nec obest 2. Quod unio sit educta, respondeatque causa materialis, ex parte Humanitatis; atque adeò correlatio ad formalẽ: Nã unio facit vicẽ formæ modalis; respectu cujus erit Humanitas causa subjectiva, non Verbi. Nec obest ultimò: ex Verbo & Humanitate resultare cõpositum; quod videtur sine causa materiali, & formali esse non posse. Nam id solum est verum de composito propriè physico: non verò de Composito leges omnes Naturæ superanti. Compositum autem illud unicè physicum dici potest, ut id sonat extrema physicè, & realiter unita in unum per se: non tamen ut sonat illas alias imperfectiones compositi physici. Quare ob ista censeri non debet impossibile Vnionis Hypostaticæ Sacramentum.

SECTIO II.

DIFFICVLTATES EX PARTE HVMANitatis: vbi qualiter Verbum in ipsa suppleat effectum subsistentiæ.

§. I.

DIFFICVLTATIS PROPOSITIO.

24 PRopono sic: Vel Personalitas est idem cum natura, vel non? Si primum: ergo vel nequit hypostaticè assumi vel assumi nequit in unitate Personæ: illud Authoribus est commune: hoc evidens; & utrumlibet contra Mysterii possibilitatẽ, & fidem. Si 2. dicetur, quod à nullo unquam Philosopho veteris ævi. Augetur ex inde difficultas 1. quantumvis Humanitas distinguatur à subsistentia propria, videtur incapax subsistere per alienam: restat ergo nihilominus impossibile Mysteriũ. Probatur assumptum: incapax est homo sedere, sessione aliena; & Agens, agere aliena actione: ergo & Humanitas subsistere per alienam subsistentiam: & ratio paritatis est: quia utrobique hi sunt modi, & quasi usus meri rerum, quibus semel insunt.

25 Augetur 2. & operòsius: Nequit Humanitas privata propria subsistẽtia, reddi subsistens per subsistentiam Verbi, quin hæc suppleat vicem illius, communicando Naturæ formalem effectum subsistentiæ, quo

quo privatur ex propria: id autem apparet multipliciter impossibile: tùm quia propria subsistentia communicat suum effectum adinstar causæ formalis, & modalis: Formæ tamen, & modi vicem facere nequit ens, cui repugnat informatio. Tùm etiã quia formalis, & primarius effectus subsistentiæ est reddere Naturã sistentem in se, incommunicatã alteri substantiæ, quæ non sit de naturali complemento suo, eamque facere sui juris, & procul ab unione cum alieno suppositò: at Verbum præstat Humanitati contradictorios effectus: ergo nequit illam reddere subsistentem.

26 Dices 1. hunc esse formalem effectum subsistentiæ propriæ: non tamen alienæ. Bene; ergo effectus subsistentiæ propriæ insupplebiliis per alienam est. quo ergo jure dixerunt hucusque ex frequenti Patrum authoritate Theologi, Verbum suppleviſse Humanitati subsistentiam propriam, quam impedivit? Deinde assignandum erit munus subsistentiæ præscindentis à propria, & aliena: hoc enim præstari debet ad minus Humanitati: alioquin ut implicat reddi albam à forma non præstante munus albedinis, sic implicabit reddi subsistentem à termino non præstante munus subsistentiæ.

27 Dices 2. effectum formalem subsistentiæ esse reddere Naturam incommunicabilem alteri supposito, nempe distincto ab illo quod ex se, & ex ista resultat. Bene: ergo Paterniras cum ex se sit communicativa Naturæ alteri supposito, nempe Filio, non reddet ipsam subsistentem. Deinde hic effectus facilè aptabitur unioni hypostaticæ, quæ nec partialis subsistentia dici potest.

28 Dices 3. tale suppositum debere esse omninò distinctum. Bene: ergo seorsim à subsistentiis relativis, quodvis divinum prædicatum est subsistentia. Imò & quævis perfectio Naturæ finitæ.

29 Dices 4. effectum formalem subsistentiæ esse reddere Naturam incommunicabilem alieno supposito: quem jam præstat subsistentia Verbi: nam suppositum inde resultans, licèt alienum sit Humanitati, non est concreto. Bene: ergo præstatur effectus subsistentiæ per communicationem Naturæ supposito sibi alieno: quod omninò est non præstari effectum subsistentiæ propriæ. Deinde nec suppositum Patris, nec Spiritus Sancti alienum, seu extraneũ est supposito Verbi, licèt distinctum: ergo per subsistentiam Verbi non redditur Natura, ex munere subsistendi, incommunicata Patri, nec Spiritui Sancto: secus ac habet ex sua subsistentia.

30 Ob hæc, tacta leviter olim à Vazquez *disp. 71. num. 11.* pòst à Cardinali de Lugo, demum & specialius à Martinonio *d. sp. 1. sect. 3.* molesto semper recursu eiusdem nodi, & ancipiti semper exitu, coacti sunt dicere P. Vvadingus *disp. 4. dub. 3.* & P. Tiphanus *lib. de hypostas. cap. 23.* & R. adm. noster Thyrsus *tom. 3. disp. 27.* latissimè in hæc disputans (quem Recentiores imitati sunt nuper) formalem effectum subsistentiæ propriæ per alienam supleri non posse; atque adeò nec suppletum à Verbo, nisi impropriè, ad eum modum, quo in accidentibus Eucharisticis supplетur per creationẽ eductio. Verum id & est difficultati cedere; & est refragari communi Theologię ex Patribus discurrenti. Deinde sic arguo: ergo sicut illa accidentia dici nequeunt per creationem educta: ita nequit Humanitas, aliena subsistentia dici subsistens: & ratio est, quia sicut implicat denominatio educti, ubi deest formalis effectus eductionis: ita pariter implicat denominatio subsistentis, ubi deest formalis effectus subsistentiæ: ubi autem talis effectus oriũdus à propria forma, seu qu si forma, suppleri nequit, ibi necesse est desit: nec ergo Humanitas subsistit in Verbo. Quod tãdem approbat P. Tiphanus, jure consequentiæ, sed Theologorum injuria, confitentium ex ore Sanctorum, Verbum factum esse Humanitati subsistentiã, & hypostasim: quod valet, istam in illo subsistere. Legantur hæc in Athanasio contra Valentinum, apud Euthym. *in panop. par. 1. tit. 9. cap. 2. pag. 130.* in Euthymio ipso *tit. 7. pag. 149.* in Damasceno *de fide cap. 2. vel justa Græcum 49.* Quare ut toti difficultati satisfiat, & inde lux aliqua, infra dispiciendis, affulgeat: regredi cogimur ad Philosophiã, & ex inde de subsistẽtiæ habitudine ad naturam, & speciali munere verum, & breve ferre judicium: unde pendent hæc omnia. Sit ergo sine strepitu citationum

Vazquez. Card. de Lugo. Martinon Vvading. Tiphanus. Thyrsus. Recent.

Athanas. Euthym. Damasc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. II.

MENS NOSTRA CIRCA QVIDDITATEM, & munus ſubſiſtentiæ.

31 PRimâ concluſio: ſubſiſtentia tam in Ente infinito, quam in ente finito eſt quid poſitivum. Prima pars eſt Omnium: & ſecunda contra Schotiſtas, & ex noſtris contra Molinam, & Vvadingum, & Thyrſum noſtrum eſt cómunis, & Patrum. *Molina. Thyrſus. Vvading.* Eſt communis: ut paradoxum eſt opinari, Perſonæ nomen eſſe in nobis titulum ſine re; nihilque addere præter denominationé extrinſecam, quæ nihil ſit in rebus.

32 Eſt Patrum tria dicentium: primũ, Perſonalitatem hominis propriam vel conſumptam, vel impeditam a Verbo: certè, quod nihil eſt, nec impediri poteſt, nec cõſumi: id enim ſonat contingentiam exiſtentiæ: nec eſt cur Patres impropriiſsime locuti putentur. Alterum: Verbum non aſſumpſiſſe Naturam ante in propria hypoſta ſi p. æxiſtentem, nequid perfectionis nativæ corrumperet in Natura, quam ornare potius venit: ſic S. Thomas *3. par. q. 33. art. 3. & quæſt. 4. art. 1. ad 3.* qui termini pro ratione poſitiva Perſonæ ſunt manifeſti. *S. Thomas* Tertium: Humanitatem non in ſemet ipſa ſed in Verbo habere ſubſiſtentiæ rem: it. Ruſticus Diaconus *diſp. contra Acephalos*, apertè inſinuans, Humunitatem Chriſti habere in ipſo, quod aliæ Naturæ habent in ſemetipſis, nempe rem ſubſiſtẽtiæ: eſt ergo Patrum aſſerta Veritas, ſecus ac gloriantur ex Vvadingo, & Tiphano Recentes unicè nixi quod negativè ſubſiſtentiam explicent Patres, addantque, ſi à Verbo dimitteretur Humanitas, eam eo ipſo propriè ſubſtituram. Vtrumque bene. Illud: quia in rebus obſcuris proclivius eſt explicare quid non ſit res, quam quid ipſa ſit: nec vagari ultra neceſſe erat Patribus, oſtenſuris defectum ſubſiſtentiæ propriæ in Natura: nam ſi uniebatur ad Verbum, ſupponi eo ipſo incompleta ſubſtantialiter debuit ad unum per ſe: ſi non uniebatur, completa ſupponi debuit: quis autem inde ſubſiſtentiam, eſſe negationem inferat, aut purum nihil? Hoc: quia dimiſſa Humanitas nativè revolveretur in perfectionem connaturalem ſuam. Neque Patres aſſerunt Humanitatem, ſi dimitteretur eo ipſo præciſè ſubſtturam, quod advertendum eſt, & notavit acutè Martinon. *diſp. 7. nu. 38.* Sic ergo illuſtrata poſitio *Rustic. Diacon. Vvading. Tiphanus. Martinon* *Martino.*

33 Probatur 1. Augendo à priori rationem communiter ſumptam à paritate divinæ Hypoſtaſis. Omnis participatio divinæ Perfectionis in ente finito eſt ex ſe poſitiva perfectio; ſeu fit in ipſo per poſitivum modum eſſendi, atqui Ratio perſonæ eſt participatio divinæ Perfectionis in ente finito: ergo eſt Poſitiva perfectio, ſeu fit per poſitivum modum eſſendi. Minor eſt mihi evidens, & oſtenditur major, tum inductione: tum à priori: quia participatio divinæ perfectionis in ente finito eſt imitatio divinæ perfectionis in eſſe: tùm à poſteriori: nam ſumma elongatio ab eſſe non poteſt eſſe imitatio perfectionis.

Probatur 2. nam ſi ſubſiſtentia non eſt aliquid poſitivum, nequit in Humanitate ſuppleri: quis enim aſſerat unum contradictorium ſuppleri per aliud? Dices, ſuppleri, quia Verbo completur Humanitas. Contra: Omne complementum ſupponit incompletionẽ ſuæ lineæ in eo quod complet: ergo & Verbum in Natura incompletionem ſubſtantialem: quod unicè intendo: nam incompletionem quis per nihil compleat: aut eſſe ſubſtantiale per genus entium, quæ vel ſunt ens rationis, vel accidentibus omninò minora?

34 Probatur 3. nam ſi ſubſiſtentia non eſſet aliquid poſitivum, Humanitas eſſet ens ſubſtantialiter omninò per ſe completum: non ergo poſſet aſſumi in unum Per ſe à Verbo Divino: nam ex duobus entibus completis non reſultat unum per ſe: cujus axiomatis receptiſsimi, quo abuſi ſunt Neſtorius, & Euthyches, ille ut negaret veram unionem Humanitatis ad Verbum; iſte, ut unione admiſſa, confunderet exinde Naturas in tertiam: ratio à priori eſt: quia unio ſeu compoſitio ſubſtantialis (ut ex inductione, & ex repugnantia, quã in formando ex Leone, & Angelo unum per ſe, patet) tendit neceſſe ad perficiendum ſubſtantialiter alterum unitorum: idque ea perfectione quam exigat ſaltem in æquivalenti. Vnde Patres ex eo contra Eutychem negarunt unam Naturam ex Humanitate, & Divinitate, quia utraque in eſſe Naturæ completa: poſuerunt contra Neſtorium unum per ſe Perſonale: quia licet

Verbum eſſet omninò completum in linea ſubſtantiali: non ſic erat Humanitas. Si ergo nulla perfectio Naturæ detrahitur, abſceſſu ſubſiſtentiæ, nec ejus acceſſu, ſupervenit, quid ipſa completius fingi poteſt?

35 Probatur 4. Natura dicitur exaltari, non deprimi per aſſumptionem: cujus ratio mihi eſt facilis: nam cum ex ſe pendeat ab aliquo termino in exiſtendo, melioratur illi infinitè terminus dependentiæ. At ſi ſubſiſtentia non eſt aliquid poſitivum Natura non pendet ab aliquo, redditaque de novo pendens à Verbo, deprimi dicenda eſt potius, quam exaltari quoad eſſe phyſicum: nam quodvis dependentiæ genus, imperfectio eſt: nec nobilitas termini tollit imperfectionem: nam fingens independens à Deo in fieri, fieri de novo dependens deprimeres eo ipſo potius, quam exaltares, non obſtante infinitudine ejus à quo dependeat.

36 Vltimo: nam per ſe videtur ſatis abſurdum dicere: Naturas omnes tàm ſpirituales, quam materiales, ejuſdem generis ſubſiſtentiis terminari: nam ut Divina Natura exigit ſui generis terminationem perſonalem, nempe divinam: ita videtur exigere finita Natura, finitam: & in hac ſerie, ſpiritualis Natura ſpiritualem: & materialem materialis: at hæ ſunt manifeſtæ differentiæ poſitivorum. Dices ex Reverendiſsimo Noſtro Thyrſo *tom. illo 3. diſp. 27. num. 44* Ergo Natura exigit pro Naturali cõplemento aliquid poſitivè incompoſsibile cũ ſtatu Hypoſtatico, quod repugnat, & ſequitur. Sequitur: quia Natura retinens propriam ſubſiſtentiam nequit aſſumi. Repugnat: quia nulla res exigit non habere majorem perfectionem, ea, quam habet: eſſet etenim averſari perfectionem ſui: & ſtatum Hypoſtaticum non ſolum eſſe *ſupra, ſed contra* Naturam. Non me movet acumen: Nam æquè, & magis opponitur cum ſtatu Hypoſtatico ſubſiſtentia negativa, & tamen eſt de connaturali ſtatu Naturæ: ergo dicere tenemur omnes, connaturalem ſtatum Naturæ excludere ſummam ſui perfectionem. Quare conceſſo conſequente, juxta dicenda *diſp. 5. ſect. 1. §. 3.* nego ejus repugnantiam: omnis enim res limitata, ut ſubeſt termino limitanti, excludit cætera non ſua, quamvis perfectiſsima. Neque id eſt averſari majorem ſui perfectionem; ſed ſuam expoſcere, eaque eſſe contentam, cum damno conſequenti: Quod ſi ex conſequenti impedit ulteriorem, eſt conditio ſuæ limitationis: & non averſio. *vide num. 42.* Imò in noſtro caſu, ſic ſuam appetit Natura, ut ſine violentia ſuppleri ſinat per meliorem, ut dicemus *diſp. 4 ſect. 2. §. 6.* *R. P. N. Thyrſus.* *Infra diſp 5. à nu. 25.* *Infra diſ. 4. à nu. 96*

37 Obſtare poſſent huic veritati tria. *Ex Schoto* duo, alterum *ex Tiphano*. Primum: nam alioqui manſiſſet in Verbo violenter Humanitas. Alterum: nam alioqui non fuiſſet ſanatus totus homo: quod enim non eſt aſſumptibile, non eſt curabile, dicente Damaſceno *lib. 3. de fid. cap. 6.* Verbum aſſumpſiſſe *totum id quod in homine plantavit, ut totum hominem curaret.* Tertium: nam Verbum aſſumpſit Humanitatem cum omni perfectione ſubſtantiali, quæ eſt in aliis puris hominibus: non aſſumpſit Perſonalitatem Humanam: ergo hæc non eſt perfectio ſubſtantialis. Conſequẽtia ſequitur. Minor eſt de fide. Pro majori diſputat *cap. 1. & 29.* P. Tiphanus con fidentiſsimè ex Patribus, & Conciliis: quorum verba nobis eſſe debent in hoc Myſterio regula. Primò autem definit Concilium Lateran. *ſub Martino 1. conſult. 5. can. 5. & 9. quod in nullo eſt diminuta, deminorata*, nec ulla naturali proprietate ſpoliata Natura aſſumpta. 2. dicunt S. Leo *Serm. 5. de Nativit.* Cyrillus, Alexand. *in lib. de fid. ad Regin.* Auguſt. *cap. 24 Enchyrid.* Damaſcen. *3. de fid. cap. 13.* Maximus Conſtantinop. *in Epiſtol. ad Maximum Præsbyt. & in Epiſtol. ad Nicandru.* Verbum aſſumpſiſſe quicquid eſt hominis præter peccatum. Quæ ſingula latè exaggerat Reverendiſ. Noſter Thyrſus *tom. illo 3. diſ. 27. ſect. 4. §. 1. & 3.* *Schotus. Tiphanus.* *Damaſc.* *Tiphanus.* *Lateran. ſub Mart.* *Leo. Cyrill. Auguſt. Damaſcen Maxim.* *Thyrſus. ExTipha.*

38 Reſp. ad 1. Schoti negando ſequelam, & rationem expiicabo *diſp. 4. ſect. 2. §. 6.* Ad alterum ejuſdem dicatur 1. probari eo pluſquam Schotus vellet. 2. diſting. aſſumpſit totum quod eſt de linea Perſonę, nego, de linea Naturæ, concedo: intendit enim per hæc Damaſcenus integritatem utriuſque Naturæ in Chriſto Domino, ut bene notant Cajetanus, & Valentia. *3.* negetur aſſumptum neque enim Verbum ſanavit hominem per contactum: ſic enim ſolum ſanaſſet Humanitatem individuam, quam aſſumpſit: at hæc Medico non egebat. Senſus Damaſceni eſt: Verbum mediante Natura, quam aſſumpſit ſine Per- *Infrà diſ. 4. à n. 96.* *Damaſc.* *Cajetanus Valentia.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sonalitate, per opera condignè satisfactoria curasse, & Naturas, & Personas, de quarum specie, & ordine erat illa, quam personam dignatus est, sine diminutione tamen proprietatum, quæ sunt de integritate Naturæ. Ad tertiũ Tiphani dicatur CC. & PP. salva semper omni veritate Catholica, loqui in favorem alicujus. Salvant hîc Personæ unitatem in Christo: atque adeo ponunt inassumptam hominis hypostasim: & impeditum aliquid, quod extitisset in inassumpta Natura. Favent dualitati Naturarum in Christo ipso contra *Eutichi. Photinian. & Monothelit* sensusque est: nihil Christo Domino defuisse de illis, quæ requiruntur ut in ipso dicatur esse Natura humana simpliciter integra in sua perfectione substantiali Naturæ: nempe verum Corpus, Anima Rationalis, voluntas, affectus humani, quorum singula suo quisque modo negarunt hæretici. negetur ergo major. Mitto plurima, quæ videri poterunt in Koninc *de Trin. disp.* 2. Aldret. *disp* 39 & Martinonio *disp* 7. *sect.* 3.

Koninch. Aldret. Martinon

39 Secunda conclusio: Ratio positiva quam subsistentiam dicimus, distinguitur, & separabilis est à Natura in ente substantiali composito. Dicemus infrà de simplici *disp.* 5. Probatut assertio 1. ex Ecclesiæ sensu, quem inter alios optimè sic exponit *Ephihanius in septima Synodo act. 6. ideo Hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quã ut ostendant Naturam & hypostasin, idẽ esse: quæ sanè inter se differre veri Catholicæ Ecclesiæ Alumni agnoscunt.* 2. ex Mysterio Incarnationis: unde constat actualis separatio Humanitatis à propria subsistentia. 3. Contra Modernũ, excipientem ab hac regula Naturas irrationales, alioqui compositas, quia eas putat à Verbo inassumptibiles Nam ea etiam inassumptibilitas venire debet ex alio capite, præciso titulo completionis in esse suo: at inassumptibilitas nascens ex alio capite, & non ex præciso titulo completionis inesse, non est inassumptibilitas propria subsistentiæ. Confirmatur: Omnis Natura irrationalis, quantumvis inassumptibilis à Verbo, constat ex materia aliquin assumptibili, & ex forma substantialiter incompleta: ergo constat ex materia, & forma nõ identificantibus subsistentiam sibi: ponenda est ergo subsistentia, non in ea inassumtibilitate quam retinet etiam forma secundum se incompleta, sed in aliquo & à Materia & à forma distincto. Vnio restat, in qua fortè consistit subsistentiæ ratio in omni substantiali composito.

Infrà disp 5. à n. 20. Epiphan.

Infrà dif. 2. à n. 115.

40 Tertia Conclusio: Primarius, & formalis effectus subsistentiæ, ut sic, est complere Naturam, ultimò, constituendo cum ipsa suppositum Explico, postmodum probaturus. Debet subsistentia complere Naturam: est enim id quod hæc exigit ad cõplementum sui. at debet incommunicabiliter, & ultimo: nam & complere Naturam competit Vnioni Hypostaticæ, convenit Attributis in Deo; convenit spirationi Activæ: & horum nulli convenit ratio subsistentiæ, ex deffectu modi complendi Incommunicabiliter, & ultimò: quod non sonat incommunicabilitatem resultantem Naturæ, quasi specificativè, & materialiter reddatur non ultra communicabilis ex accessu subsistentiæ: falleret enim hic conceptus in Deo; sed sonat incommunicabilitatem termini substantialis, quo completur, ut nempe sit subsistentia, complementum substantiale Naturæ non ultra terminabile; quo perinde Natura reduplicativè, formaliter, & prout in concreto sit totum incommunicabile, & exinde suppositum.

41 Probatur asserta Conclusio 1. quia nullus alius restat formalis effectus, quem subsistentiæ tribuas *ex num.* 26. 2. quia hic nec alius ex principiis fidei, unde novimus subsistẽtiam, potest colligi. Imprimis enim ex Mysterio Incarnationis, scimus Humanitatem assumptam à Verbo, non hominem: Naturam, non suppositum: ergo id quod non est assumptũ, est quod complevisset ultimo Naturam in esse suppositi. Id autem est unicè subsistentia. Deinde scimus Verbum constituisse cum Humanitate assumpta suppositum: Verbum autem subsistentia est: ergo munus primarium, quod ex Mysterio Incarnationis colligi de subsistentia potest, id ipsum est unicè quod asserui. Iam ex Mysterio Trinitatis scimus Naturam præcisim à Relativis subsistentiis nõ esse suppositum; per earum quamlibet compleri incommunicabiliter, ut explicui, constituique suppositum: ergo munus primarium subsistentiæ, aliud non est quam complere Naturam ultimò constituendo cum ipsa suppositum.

42 Et assignari posset optima ratio à prio-

à priori: quippe nulla perfectio positiva per se primò est ad impediendam aliam perfectionem, sed ad Naturam, ad quam accedit, perficiendam, & ex consequenti ad impediendam aliam perfectionem aliquo modo Naturæ contrariam: ergo subsistentia per se primò est ad perficiendam substantialiter, & ultimò Naturam; non verò ad aliam subsistentiam, vel perfectionem impediendã: nisi summùm ex consequẽti. Antecedens constat ex inductione, & ex ratione: frigus enim non est per se datum aquæ, ut calorem impediat: nec igni calor, ut frigus arceat: sed utraque perfectio data est per se primò ad perficiendam naturam ad quam accedit: quidquid sit de consequenti impeditione, qua se mutuò arcẽt. & est ratio: nam si hæ perfectiones datæ primò forent ad formalem effectum impediendi se mutuo: æquè bene se Naturæ haberẽt, illis impossibilibus, ac ipsis possibilibus se habent: quod manifeste repugnat & sequitur: nam si essent illæ qualitates impossibiles, per se ipsas haberent Naturæ, quod primò per se habent ex illis qualitatibus: cum ambæ impeditæ jam essent, nec esset eorum deffectus, aut effectus supplendus in naturis, cum illis impossibilibus, necessarius non foret. Non ergo debet esse formalis effectus subsistentiæ vis impediendi aliam completionem, vel subsistentiam, vel vis incommunicabilitatis, sed vis perficiendi, & compiendi Naturam substantialiter, id est ultimo, & in esse suppositi.

43 Dices: per hæc inexplicatam relinqui rem: quippe notio suppositi est æquè difficilis, & obscura. Id nego. Cõstat enim nobis suppositi notio ex principiis aliunde notissimis. Nã ex receptissima Boetii, & Richardi Doctrina cõstat Personã esse *Rationalis Naturæ substantiam individuã*, id est, titulo completionis in esse incommunicabilem, seu clarius: concretum substantiale intellectuale incõmunicabile. Deinde ex communi philosophia constat, suppositum, esse gradum superiorem respectu Personæ, quippe non dicit Naturam intellectualem, sed ab intellectuali, & non intellectuali præscindentem: unde pro Notione suppositi restat nobis evidentissima definitio; *Concretum substantiale incommunicabile*: non ergo tenebrescit ex termino, per quem expliço, formale, & primarium subsistentiæ munus.

Boetius. Richard.

44 At rogas: cujus modi est extremum, cui, vi subsistentiæ, suppositum redditur incommunicabile? Resp. remissis apud Suarez *dis.* 34. *Met. Sect.* 5. Lugum *dis.* 12. *de Incarnat. sect.* 3. Oviedum *controv.* 6. *Metaph. pun.* 6. & Alphonsum *disp.* 8. *Phys. sect.* 3. de multiplici cõmunicationis, & in communicationis genere, mutuis; esse omne illud, cum quo ad sui ulteriorem substantialem perfectionem constitueret suppositum, unum essentiale per se. Ratio est, quia subsistentia est terminus non ultra terminabilis, nec ultra complebilis: atque adeo id quo formaliter ultimò constituitur in linea substantiali ens absolutè completum. Ad entis autem absolutè completi, hæc Incommunicabilitas sufficit, & requiritur. Rogas ultra: quanta sit hæc Incommunicabilitas? Respond. cum Suarez, Lugo, & Aldrete contra Modernos aliquos summã esse. Ratio est: quia Incomunicabilitas orta ex titulo entis completi major esse debet ea quæ oritur ex sola conditione Naturæ secundum se incompletæ: hæc autem respectu perfectionum substantialium, quæ non sint de suo naturali complemento, est naturalis & physica: ergo illa esse debet etiam metaphysica, & summa.

Suarez. Lugo. Oviedo. Alphonso

Suarez. Lugo. Aldret.

45 Ex isto positivo, & primario effectu formali subsistentiæ, ut sic, nascuntur alii secundarii: nempe reddere Naturam sui juris, sistentẽ in se, & incommunicabilẽ alteri substantiali complemento. Primi duo sunt effectus inseparabiles subsistẽtiæ propriæ, tàm in Creaturis, quàm in Deo. Nam ex vi subsistentiæ propriæ redditur Natura complementi ulterioris, quod de connaturali perfectione non sit, inexigens, & quasi siggillatur in esse proprio, atque adeo sistit in se. Deinde vi ejusdem subsistentiæ redditur Natura ens suum, ad modum quo vi inhærentiæ redditur accidens, ens alterius; sumitque jus in operationes, ut nempe nulli tribuantur suppositio, nisi suo: quo respexit acutè Paschasius *lib.* 2. *de Spiritu Sancto cap.* 4. in Christo, Persona, *Personam consumpsit, quia persona res juris est*: non quasi voluisset, ad gustum Vvadingi, Personalitatem in nobis esse quid mere morale: sed quia subsistentia, dat jus Naturæ in operationes procedentes à se, quod *Egoitatem, tuitatem, & suitatem*, barbarè, sed philosophicè vocavit ex lexico suo Ca-

Paschasius. Vvading.

Caramuel.

ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

muel *in Metalogica*: Vnde fluxit axioma: *Actiones sunt suppositorum*, non quidem elicitivè, semper, sed appellativè, denominativè, & attributivè.

46 Tertium effectum, quasi negativum incommunicabilitatis specificativæ solum attribuo finitæ subsistentiæ propriæ: Nam divinæ repugnat. Et est inter utramque disparitas, à paucis animadversa: Nam in Deo exigitur à Natura subsistendi ratio, non mero titulo completionis in existendo: habet enim id illa ex se perfectissimè; sed titulo fœcunditatis substantialis intraneæ: unde Divina subsistentia exigit, ne Natura maneat specificativè incommunicabilis alteri subsistentiæ propriæ: at in Creaturis, subsistentia unicè exigitur titulo cōpletionis in existendo: cui titulo cumplenè satisfaciat propria subsistentia, eaque una: impossibilitat, ex ipso completionis titulo, quem adimplet, ulteriorem terminum in Natura eamque reddit etiam specificativè incommunicabilem ulteriori substātiæ, qua fiat unum essentiale Perse. Video hæc esse aliquanto difficilia, sed mihi vera, multiplicique; consequentiæ, quam in loco videbimus. Solvamus ex his modo difficultates objectas *à nu.* 24.

§. III.

EXPEDITIO DIFFICVLTATIS,

47 AD argumentum, concedenda secunda pars disjuncti: nec curandum hic de sectis Philosophorum: *veros enim Philosophos, fides nos fecit.* Ad primam confirmationem, negetur assumptum; sitque pro probationis consequente disparitas ex conditione ipsa modi, & subsistentiæ. Modi, qui eatenus causant, ut modi sunt, & ut meri usus entium, sunt de eo genere perfectionum, quæ unicè limitantur ad bonum utentis, & habentis: resque perinde, quas non modificant, non denomināt: talis est sessio, & actio, & unio. At subsistere, cum unicè primariò sonet completionem in esse substantiali, venire potest ab omni, quod eam perfectionem substantialiter completivam inducere possit: quale est ens Divinum sibi & omnibus, ex perfectionis infinitate sufficientissimum. Neque enim subsistere in Deo est adinstar modi, sed rei, sui communicativæ, prout velit.

48 Ad alteram, concedatur Verbum perfectissimè suppleviſſe Propriā subsistētiam in Assumpta Natura, præstando formalem & primarium effectum subsistentiæ ut sic: neque enim hæc suppletio requirit, ut quidquid propria præstat Humanitati præstaret & ipsi Verbi subsistentia: id enim nō esset suppleri, sed esse propriā subsistentiā. Quare suppleri propriā subsistentiā, est dari à Verbo, Naturæ primarium effectum quem à propria subsistentia haberet: idque accipit a Verbo cumulatissimè, sine imperfectione tamen, aut modi, aut formæ: nam hæ sunt, non quidem subsistentiæ ratio, sed finitudo, seu imperfectio subsistentiæ.

49 Ex quo patet ad primam probationem majoris: ad alteram, nego eos esse primarios, sed vel æthymologicos, aut secundarios effectus, subsistentiæ, qui licèt absint, dummodo primarium habeat Humanitas, perfectè subsistet in Verbo. Imò & hoc etiam aliqualiter præstat Humanitati, dum meliorat illi jus, & terminationem, eamque facit incommunicabilem alteri, vel ulteriori complemento dū est in supposito Verbi. Non ergo ex difficultatibus ex parte Naturæ timeri impossibilis debet Hypostatica Vnio.

SECTIO III.

DIFFICVLTATES EX PARTE VNIONIS ubi quid Vnio? cur hypostatica propria Verbi? cur ab isto derivet denominationes subsistendi, non alias?

§. I.

PRIMA DIFFICVLTAS.

50 EX parte Vnionis hypostaticæ difficultas est multiplex. do triplicem hic: dabo reliquas in sequentibus. Prima est ex conceptu unionis, quæ inter Verbum, & Humanitatem videtur impossibilis ad unum per se: Nam Vnio substātialis, cui non inhæret, nō præstat denominationem uniti: inhærère autem verbo repugnat *ex sect.* 1. & probatur assumptum 1. nam unio ex conceptu suo est duorum intimus nexus, vi cujus alterutrum æquè manet intrinsecum alteri: ergo æquè debet inhærere utrique, vel nulli. 2. Nam unio est essentialiter modus eorum, quorum est unio, nec nisi modificando denominat: modi autem, rebus, quarum modi sunt, insunt. 3. Vnio ubi non est, non exercet uniendi munus: id enim exercet immediatè per intimam exhibitionem sui: ergo nec exercet vim uniendi in extremo, in quo non est. 4. quia si unio hypostatica non subjectatur in Verbo, non differet à puro respectu, qui solùm modificetur in uno, & terminetur ad aliud: per respectum autem hujusmodi ne queunt duo intrinsecè inter se unita, & cōmunicata minere.

51 Nascuntur hæc ex apprehensionibus assuetis vulgō compositorum naturalium: unde elevanda mens est in Mysterio supra Naturam; & distinguendus in Vnione substantiali duplex formalis effectus: alter inhærendi, uniendi alter: Vterque adinvicem separabilis. Quā modus, inhæret: unit, quā intima duorum realiter adæquatè distinctorum communicatio, cum alterius saltem perfectione; mutuaque unius alteri substantiali præsentia. Vnde unire diversum quid est ab inhærere, nec habetur formaliter ex conceptu modi: de cujus nempe ratione formali nō est duo respicere. Quare licet Vnio non subjectatur in utroque extremo, non ideo reddet ea minus unita; si nempe sine uno effectu formali, præstet alterum: id enim erit, eam unionem esse unicè modum unius, & duorum unionem. Exinde igitur, licet hypostatica Vnio, non subjectetur in Verbo, non ideo reddet minus unitum Humanitati, quam intrinsecè sit Humanitas Verbo: Nam vi talis nexus, subjectati solum in Humanitate, secluso quovis titulo intentionali, præcisoque etiam conceptu immensitatis, & efficientiæ, Verbum manet substantialiter intimè præsens Humanitati, subinde perfectius existenti: quod sine vera, physica, & intrinseca Vnione substantiali nequit intelligi: est enim hæc Vnionis formalissima ratio.

52 Resp. jam, & nego assumptum: & consequentiam primæ probationis. Nam ut unio sit intimus duorū nexus, satis est, ut in utroque sit unitivè, id est, utrumque (alio titulò præciſſo) constituat intimè præsens alteri, cum dependentia, vel perfectibilitate saltem unius ab altero. Ad secundam, dicatur modo solummodo esse modificationem illius, cujus est inhæsivè non autem illius, cujus est solùm terminativè. Vnio quidem est modus essentialiter respectivus: atque adeò duorum: duorum tamen est unitivè, quia unit utrumque: non vero est necessario modus duorum: nam ad munus uniendi, non debet essentialiter esse duorum inhæsivè. Vnde neganda est major, vel distinguenda.

53 Ad tertiam, permisso antecedente: nam unio continuativa denominat punctā a terius ubicationis à suā, distinguo consequens: in extremo in quo non est, vel inhæsivè, vel intimè terminativè, concedo: in quo solùm non est inhæsivè: nego. Neque enim unio talis est ex conceptu inhærentiæ: sed ex alio. Ad quartam, nego sequelam: nam purus respectus, vel præcindit, vel excludit intrinsecitatem, & intimam præsentiam respectus in termino, & termini in alio extremo vi respectus ejusdem, unum alteri communicantis, unumquiperficient.s per communicationem alterius, quæ prædicata sunt suoſtātialis Vnionis, & hypostaticæ.

§. II.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

54 ALtera difficultas est: Nam hæc Vnio nequit esse propria Verbi, ut hoc solùm uniat, non verò reliquas Personas Sanctissimæ Trinitatis: hoc autem erat opus ad Mysterii possibilitatem: & probatur assumptum 1. Nam seclusō titulō causalitatis subjectivæ, nullus restat in Verbo, cur præ reliquis Personis denominetur unitum; cum habeant singulæ intimā assistentiam Vnioni, & per istam Humanitati. Quid autem specialius est in Verbo? 2. Nā vel hæc unio fit specialiter à Verbo, vel nō? Si 1. ergo contra dogma Theologorū datur effectus ad extra toti Trinitati nō communis. Si 2. nequit esset propria Verbi. Dices: esse Verbi propriam, terminativè. Contra: nam sic esse propriam, solùm est, esse Verbi per intimam assistentiam, quā fit ipsi, & per ipsam Humanitati substantialiter præsens: At tota Trinitas unioni assistit intimè: ergo tota terminat, & manet unita; & consequenter Incarnata. 3. Implicat, ex Personis unam videri; non aliam:

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliam: ergo & à fortiori implicat unam uniri, nec alias: Ratio. Nam visio, utpote intellectualis, magis subtilis est, & præcisiva, quam unio pure physica. Mentis enim est præcindere; nō Naturæ. In sententia Vnionem Hypostaticam ponente in terminatione speciali identificata cum Verbo, non premit ista difficultas. Pro communi, & vera sententia, de qua *disp. seq. sect. 1.*

55 Respondeo negando disputantis assumptum; & antecedēs primæ probationis: duplex enim est titulus: alter in unione: & alter in Verbo. In unione, ipsa ipsius Natura, essentialiter ordinata ad unum per se ex Humanitate, & sola Persona Verbi constituendum. In Verbo, intrinseca terminatio (ne tamen hanc ab unione distinguas) vi cujus, etiam præcisso conceptu Immensitatis & efficientiæ redditur substantialiter & intimè præsens Humanitati, quam subinde complet & perficit. Id quod reliquæ Personæ non præstant: neque enim vi formalis unionis assistunt Humanitati; sed quia aliunde immensæ, localiter; quia identificatæ cum Natura Verbi: quod unitur, per circumincessionem: de quo *infrà*. Vide Bernal *disp* 23.

Vide infrà disp. 4. à num. 65.

Bernal.

56 Ad alteram: quidquid sit, an Vnio ex speciali emanatione dici possit propria Verbi, quæ subtilior est quæstio, de qua videbo me *disp. 2. sect. 3.* dicatur modo propriam esse Verbi ex intrinseca terminatione substantialiter perfectiva: Id quod cæteris Personis non competit: non enim titulo unionis, sed Immensitatis, & Mediatæ identitatis assistunt Humanitati; quam unicè terminat intrinsecè Verbum, substātialiter complet, & hypostaticè perficit. Vnde hæc intrinseca terminatio est notionalis proprietas ad extra Verbi solius.

Infrà disput. 2. sect. 3.

57 Ad tertiam: permisso cum Suarez antecedente quod negant Schotistæ Salas, Arriaga, & alii, sit inter alias, quas nunc premo, disparitas: Nam ratio movendi visionem est toti Trinitati communis: est enim essentia Divina, quæ Deo est ratio motiva, & activa ad extra: Ratio terminandi unionem est propria Relationis. Convenire autem toti Trinitati, quod Deo cōvenit ratione prædicati communis, non est necesse minus, quam sit necesse toti Trinitati non convenire, quodunicè convenit Deo ratione proprietatis relativæ.

Suarez. Schotistæ. Salas. Arriaga.

§. III.

TERTIA DIFFICVLTAS.

58 TErtia difficultas est: Implicat unio, vi cujus Verbum Humanitati cōmunicet denominationem Immensæ, seu Vbicatæ; Durantis, seu æternæ: ergo & implicat unio, vi cujus Verbum Humanitati communicet effectum formalem subsistentis. Vexare solet hæc paritas multorum ingenia, laborantium pro disparitate consequentis: quæ videtur alioqui facilis, dicendo discrimen esse quòd Humanitas est ex se capax subsistendi, non verò est capax, æternam esse, vel immensām, sicut nec est capax ut sit ens omninò perfectum.

59 Instas: licèt Humanitas nō sit capax ex se, esse æternam, & immensām, est tamen ex se capax ubicari in aliquo loco, & contingenter in omni; respondere alicui instanti, & contingenter omni: cur ergo unita immensitas non ubicat in aliquo loco, vel contingenter in omni; aut cur æternitas non facit eam respondere momentis aliquibus, aut omnibus contingenter.

60 Respondebitur: neque æternitatem aut immensitatem cum ea limitatione posse præstare, suum effectum ad certum tempus, & locum, neque sine illa limitatione posse contingenter. Ratio prioris est: quia forma non communicat partim suum effectum, si subiectum aliunde sit capax: cum ergo Humanitas sit capax existere in pluribus locis, non potest aliunde venire, quod immensitas illam non ita locet, nisi quia nullibi potest. Idem esto de æternitate. Ratio posterioris est: quia eo ipso quod Humanitas contingenter existeret in omni loco, & tempore, vi unionis creatæ, daretur ens creatum, de cujus essentia foret, immensum esse, & æternum, scilicet unio. Hæc non sequuntur ex consequente. Sed de hac Doctrina *alibi*. Volo nunc altius rem discutere, & discurrere generalius.

Infrà disput. 5. lib. præf. sect. 2. §. 4. & lib. 5. disp. 1. n. 13. & 14.

61 Triplex Entium genus invenio. Alię sunt meræ perfectiones alterius: sic accidentia, quæ, si sunt in se indeterminata, & vagè perfectiva, dicuntur res; si limitantur ad unum, dicantur modi. Aliæ sunt perfectiones sui, & alterius; quia nempe communicata perficiunt, & perficiuntur in ordine ad propias operationes: sic formę.

Hæc

Hæc duo genera Entium semel communicata, tribuunt suos formales effectus, quia ad id muneris instituta sunt ex genio suo: cum hoc discrimine, quod accidentia modi, limitantur ad unum: non tamen accidentia Res. Alia sunt perfectiones simpliciter sui, nec ex se ordinatæ in bonum alterius: sic substantiæ simplices, Deus, Angelus: cum duplici discrimine notando quammaximè. 1. licèt Angelus sit perfectio sui non est tota sui perfectio: eam enim emendicat ab accidentibus. Deus verò est in se, & ex se tota sui perfectio.

62 Secundo: inter prædicata Dei sunt, in quibus, præter esse perfectionem sui, est perfectio simpliciter simplex, posse communicari, tribuereque suos formales effectus alteri: sunt, in quibus non est perfectio, talis communicatio. Illa sunt perfectiones Dei, ut perfectio exercita Dei, & aptitudinalis Creaturæ: quia sunt perfectio Dei sine ulla imperfectione: ista ob eandem rationem, sunt unicè perfectio exercita Dei. Vnde illa communicata denominant, quia intervenit Dei placitum unione firmatum: ista licèt communicata non denominant: quia unio non facit Deum, quem unicè denominare, habent ex conceptu perfectionis.

63 Ad utraque discernenda, sumatur hęc regula. Omnis Perfectio Divina, quæ, nisi communicet suum effectum, non potest secum identificare unibilitatem cum Creatura, habet pro perfectione simplici sui gradus esse perfectionem exercitam Dei & aptitudinalem Creaturæ: unde unita, denominat. Perfectio verò, quæ secum potest unibilitatem identificare, quin debeat cōmunicare suum effectum, habet de gradu suæ perfectionis, unicè esse perfectionem exercitam Dei, quoad speciales suos formales effectus. Ratio prioris: quia unibilitas est in Deo perfectio. Ratio posterioris: quia salva semel unibilitate, ea communicatio præjudicaret aliis attributis, quod est impossile. Iam applicando, & ulterius explicando Doctrinam

64 Concedo antecedens, & nego consequentiam. Nam Immensitas, Immortalitas, Æternitas, intellectio, & hujusmodi, sunt perfectiones sui, de quarum nempe gradu est perfectio simpliciter simplex, se unicè denominare. Subsistentia & Sanctitas sunt Perfectiones, de quarum gradu, præ-

ter esse perfectionem exercitam sui, est perfectio simpliciter simplex, esse aptitudinaliter Creaturæ. Ratio: quia nequit stare unibilitas Dei, quin istas communicare possit. Stare tamen potest quin illas communicare debeat: id imò præjudicaret aliis Attributis. Stare sine primo nequit Dei unibilitas: quia unio est per se ordinata ad perfectionem, & cōplementum saltem uni extremi: unde cum Deus sit unibilis Creaturæ, necessario fit, esse debe e substantialiter completivum, & perfectivum ipsius; quod est reddere subsistentem: & exinde necessario fit etiam, esse debere sanctificativum ipsius, ut est necesse quod homo Deus sit Deo infinitè magis amabilis gratusque homine puro, quantumvis grato. Stare sine secundo potest ipsa unibilitas; quia ad conceptum unionis, sufficit si perficiatur intimè alterum extremorum, quin necesse sit, (ut est evidens) communicari omnes formales effect extremi perfectivi.

65 Præjudicaret id aliis Attributis: nam si denominaret intelligentem, deberet effici, aut recipi contra rationem entis à se perfectissimam: si, immensam, uti ipsa Deus nō posset, ut instrumēto ad motū locali, ad descensum in terras, ad peregrinationem quærendi perditas oves, ad separationem corporis ab anima, & sanguinis ab utroque, contra Dei dominium: si, æternam; destruere non posset ex ipso pro libito: si, immortalem, & impassibilem; proponi non posset in Redemptionem, exemplum, assimilationem, & imitationem suorum fratrū contra Dei benignitatē, & Potentiā. Quorum singulis contradicentia docet fides, & Providentiæ Ratio. Est ergo de perfectione aliorum Attributorum, non posse communicari, vi unionis; & est posse, de perfectione Divinæ sanctitatis, & subsistentiæ: nulla est ergo paritas; nec ex parte unionis argui debet Mysterii impossibilitas.

SECTIO IV.

DIFFICVLTATES EX PARTE COMPOsiti: ubi de hac Voce: & de extremorum proportione ad unum per se.

66 PRopono sic 1. Omne compositum fit ex partibus invicem ordinatis: at inter Deum, & Creaturam repugnat hic

Universidad de Deusto

ordo partium: ergo Compositio. Firmo: Compositum resultat ex partibus se mutuo perficientibus: ergo ubi nulla ratio partium, nullum ibi compositum. At Deus nequit esse pars ex *sect. 1. num. 22.* 2. Inter visibilia, præsertim in unum per se necessaria est proportio: Finiti autem ad infinitum, nulla esse potest, cùm distantia inter utrumque sit summa. Firmo: major est inter Deũ, & Creaturam, quàm inter Angelum, & hominem, & inter contraria duo diversitas: ergo sicut ex his implicat unũ per se; ita, & à fortiori, quod ajunt, ex illis.

Supr. sect. 1. nu. 22

67 Tertiò: ex duobus secundum se completis, repugnat unum per se: nam quicquid advenit enti completo, extrasubstantialiter advenit, atque adeò accidentaliter: at Deus est ens omninò completum, nec ullam potentialitatem passivam sibi admiscet: & similiter Humanitas: alioquin caruisset aliqua substantiali perfectione, nec ipsam integram, sed defectuosam assumpsisset ad se personalitas Verbi: ergo.

68 Quartò: Vnum per se resultat ex terminis, quorum alter sit per modum actus, alter verò per modum potentiæ: Repugnat utrumlibet Deo respectu Creaturæ, & Creaturæ respectu Dei. Vltimò. Nam in Vno per se, ly per se significat ex intentione Naturæ, ut fiet evidens inductione facta per omnia quæ novimus: sed Natura nequit intendere totum, de quo nunc quæstio: nam est omnino supra Naturam: ergo nequit esse unum per se, sed omninò per accidens. Nunc sic: Repugnat Mysterium Incarnationis, si ex Humanitate & Verbo repugnat compositio in unum per se: nam repugnante essentiali prærequisito, vel constitutivo, repugnat essentia illud exigens essentialiter ut possibile: At hæc repugnat, ut vidimus: ergo & illud.

Aristotel. Nestorius malus Philosophus.

69 Hæc fortè decepere Nestorium, nimis immixtum Aristoteli. Cæterum momenti non sunt: noto voces, *compositum*, & *partes*, multis in hoc Mysterio scrupulosè displicere, assuetis Aristotelis lexico: Nã ex hoc, *Compositi* ratio sonat imperfectiones Potentiæ, & Actus, subjecti, & formæ & ratio partium, mutuam perfectibilitatem, & incõpletionem, repugnantem Mysterio. Et sub hoc etymo placuit S. Thomas *sect. 1. nu. 22.* Cæterum non video, cur ita restringantur hæ voces, cùm eas assumant inoffenso calamo V. Synodus Generalis *collat. vel consultatione 8. Can 4* Cõcil. Lateran. *sub Mart. 1. Can. 8.* Athan. *in orat. quòd unus sit Christ.*, Damasc. *3. de fid. cap. 3. 4. & 5.* Et videtur esse ratio: nã cõpositũ est id quod constat ex pluribus realiter interse adæquatè distinctis, & inter se unitis. Et seclusis imperfectionibus perfectibilitatis, Pars erit, quæ cum altero cõponit per modum entitatis realiter abillo distinctæ. Quod utrumque intervenit in Mysterio: nam est de fide Christum ex Humanitate, & Verbo constitui, Nec Verbum esse se solo totum Christum. Vide Martinonem his favent em *disp. 5. num. 102. & 7. num. 31.* & ex ipso Godoyum *disp. 10. § 1.* Si tamen adhuc mavis, & hæreas, dummodo servetur vera, realis, & substantialis Christi Domini constitutio ex Humanitate, & Verbo, verè, realiter, & propriè unitis inter se in Vnitate Personæ, utere voce *concreti, & Extremorum*. Iam resp.

V. Synod. *Lateranen sub Mart.* *Athanas.* *Damasc.* *Martin.* *Godoy.*

70 Ad 1. Nego majorem, unicè veram in Composito naturali. Cujus extrema ordinantur adinvicem, ut pars ad compartem: quia mutuo perfectibilia: omnis enim intrinseca ordinatio ad compositionem fundatur in perfectibilitate unius ab altero. In Compositò verò supra Naturam, quale est præsens, non requiritur hæc ordinatio extremorum: sufficit ex parte Creaturæ, obediẽtialis perfectibilitas: & ex parte Dei, perfectivitas naturalis per modum, perfectissimi termini: idque non ex intrinseca ordinatione, sed ex absoluta vi perficiendi Creaturam, modo, nec sibi, nec illis repugnanti. Vnde solvitur confirmatio.

71 Ad secundum. Non obstat entitativa distantia, quòminus inter Creaturam, & Verbum detur proportio perfectibilis, & perfectivi in linea subsistendi: ut illa nõ obstat quomin' detur inter Deũ, & creaturam proportio cognoscitivi, & cognoscibilis; Visibilis, & visivi. Et ad unum per se non requiritur alia proportio: cui tam non obstat distantia entitativa, ut faveat potius: nam quo magis imperfectum est, magis est perfectibile à continente omnẽ perfectionem in se, si aliunde non implicat. Ad confirmationem: distinguo: est major in ratione entis, concedo: in ratione perfectivi & perfectibilis, quæ unicè spectatur ad unũ per se, nego. Certè magis conveniunt in ratione entis duæ animæ Rationales: quam Corpus, & Anima: Ex his fit unum per se: & repugnat ex illis, ob defectum proportionis Perfectibilis, & Perfectivi.

72 De hujusmodi proportione facile judicamus in naturalibus: in aliis non apparet ita facilè Regula Generalis. Pro nostro casu inter Humanitatem, & Verbum inde deducit Vvadingus videndus *dub. 9.* quod Humanitas sit intrinsecè personabilis, & capax elevari ad ordinem divinum, unde dicit aptitudinem specialem ad participandos à Verbo Divino infinitè sui communicativo nobilissimos effectus.

Vvading.

73 Ad 3. Potentialitas solum requiritur in Parte quæ cum sui perfectibilitate componit: Non ita Verbum: Quod etsi sit substantialiter omniò completum, non sic Humanitas: & hoc sufficit, ut ex utroque resultet unum per se: eo enim ipso Humanitas se habet per modum substantialiter perfectibilis: & Verbum, per modum Perfectivi in eadem linea substantiali: Nec ideo illam defectuosam assumpsit, aut defectum ipsius: nam subsistentia non est de constitutione Naturæ; & hanc assumpsit integram, non quidem integritate suppositi, sed Naturæ. Nec dici debet, eam assumptam cum privatione perfectionis substantialis: quia id sonat æquivocè; sumique posset pro perfectione de constitutivo Naturæ: Neque cum privatione propriæ Perfectionis: tum ob eandem rationẽ: tum quia privatio dicit aptitudinẽ: & hanc Natura non habet ex dicẽdis *disp. 5.* ad propriam subsistentiam, si semel assumatur à Verbo. Dici solum potest eam assumptam sine propria subsistentia.

Infrà disp. 5. à n. 25.

74 Ad quartum: id est verum in composito Naturali: secus in nostro: cujus mensura non debet illud esse in his, quæ imperfectionem important. Ad vltimum: distinguo majorem: per se significat ex intentione Naturę vel in se, vel in æquivalenti, concedo. Solum in se, nego: nam ad vnum per se, sufficit, si fiat æquivalenter id quod intendit, & appetit ipsa: & distinguo minorẽ: nequit intendere, ex horrore, nego: ex perfectione superexcedente appetitum ipsius, concedo: quod est dicere. A Natura non Sperni hoc compositum; imo gratia sui æstimari plusquam omnes alios substantiales effectus naturales, qua ratione dicitur non intendere, quæ sunt per accidens. Non tamen ipsa illud intendit, quia adeo æstimat, ut nec sibi putet debitum, nec posibile. Si semel fiat, gratius est, composito quod ex Humanitate, & propria subsistentia resultaret: quia sibi perfectius, & melius. Hæc dixi secutus analogiam appetitus. Ex quibus tandem

75 Concludimus, Mysterium Incarnationis, neque ex parte Verbi, quasi debuisset exinde mutari, perfici, vel imperfici: neque ex parte Humanitatis, quasi suppleri nequeat in ipsa effectº formalis subsistẽtiæ, quæ positiva est, & separabilis à natura: neque ex parte unionis, quasi nec foret unio, nec propria Verbi, nec posset denominationem subsistẽti di, sine aliis, derivare: nec demum ex parte compositi, quasi ex partium improportione, & deffectu intentionis Naturæ, esse non posset vnum perse, Impossibile esse, probarique satis evidentia negativa posibile, quod alioqui fides docet existens.

SECTIO V.

CONSECTARIVM CATHOLICÆ VERITATIS cõtra Nestorium, & Euthychetem: horum errores: alia dogmata: & termini Actionis Incarnativæ.

§. I.

CATHOLICA VERITAS CONTRA ERRORES Nestorii, & Euthychetis.

76 VEritatis Catholicæ cõsectarium nititur conclusione quadruplici. Prima: inter Naturam Humanam, & Personam Verbi, interceſsit vera realis, & physica Vnio. Secunda: ea Vnio non est facta in Natura: scilicet ita, ut Divinitas, & Humanitas, vel conversivè, vel confusivè, vel permixtim coaluerint in unam, vel in tertiam Naturam; sed ita facta, ut in Christo manserint integræ, & impermixtæ duæ Naturæ, Divinitas, & Humanitas. Tertia: Ea Vnio facta est in Persona, scilicet ita, ut in Christo, licet naturæ sint Duæ, non sint duæ Personæ, sed una: quâ duæ Naturæ subsistunt, Divina per identitatem: per Vnionem, Humana. Quarta: Ea unio præstat Vnum substantiale per se: qui est Christus: non quidem unus unitate Naturæ, sed unus in duabus Naturis unitate hypostasis & Personæ. Hæc docet de Mysterio fides: videndique de his Bellarminus *lib. 3. de Christo à cap. 3.* Suarez *disp.* *Bellarm.* *Suarez.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vazquez. Valentia. Koninch. Becanus. Bernal. Petavius.

7. Valentia *q.* 2. Vazquez *disp.* 14. & 15. Koninch *disp.* 7. *dub.* 1. & 4. Becanus *cap.* 6. Bernal *disp.* 13. & 14. & Petavius *lib.* 3. pro Catholica veritate ex Authoritate, & ratione pugnacissimè disputantes. Ipse rem premo, quia polemici potius pulveris est quam Scholastici.

Conc. Eph. Calcedon. Constantinop. 2. Lateran. VI. Synod.

77 Pro Prima: Authoritas: ex Concil. Ephes. 1. *Can.* 2. 3. & 4. Calcedonens *act.* 5. Constantinopolit. 2. (quæ fuit *V.* Synodus Generalis) *Can.* 5. Lateranensi *sub Martin.* 1. *cap.* 2. Ratio: quia nisi intercessisset realis, vera, & physica Vnio, stare nó possent locutiones scripturarum, & idiomatum communicatio.

78 Pro secunda: Authoritas: ex Concil. Calcedonens. præsertim *act.* 5. Constantinopolit. *Can.* 2. 7. 8. 10. 11. Lateranens. *sub Martin.* 1. & sexta Synodo Generali. Ratio: quia Christus, est verus homo, & verus Deus: ergo & naturæ duplicis. Tùm quia hæc Naturæ unitas deberet fieri, vel *integraliter*: & hęc inter Divinam, & Humanam Naturam repugnat ex terminis: vel *conversivè*: & hæc etiam: nam quod convertitur, desinit esse, & transit in alterum: desitio autem repugnat Deitati: Humanitati negatur ab scripturis, dicentibus Christum esse hominem, & Verbum factum esse Carnem: quod intellige constitutivè, vel acquisitivè non conversivè: sicut & illud Genes. 2. *factus est homo in animam viventem*, & illud vulgare, quo dicitur homo fieri sanus non quia cóvertitur in sanitatem, sed quia sanitatem acquirit. Quòd si Iustinus Martyr *in Apologet.* 2. Pro Christianis asseruit, Verbũ ita Carnem factum ut in Eucharistia panis fit Corpus Christi: sumpsit comparationem ex veritate rerum utrobique præsentium: non ex modo mutationis, aut unionis. Vel *complexivè*, & *essentialiter*: & hæc requirit incompletionem, & ordinem causæ formalis, & materialis: ut fiat una radix: & commune principium operationum, quam Naturã dicimus: ut ex Corpore, & Anima: repugnat autem unio, vi cujus Divinitas sit causa materialis vel formalis Humanitatis; aut è contrà: & vi cujus proprietates unius oriantur ab altera. Quod si Athanasius in symbolo dixit: *sicut Anima Rationalis & caro unus est homo: Ita Deus, & homo unus est Christus*; dicere voluit: quòd sicut ea conveniunt in una Persona humana: ita Divinitas, & Humanitas in una Persona Divina: atque penes id est simile exemplum; longe dispar in multis. Vel *per productionem tertiæ entitatis*: & hæc fieri nequit sine corruptione, & alteratione unitorum, ut mixtum ex elementis.

Genes. 2.

Iustini. M.

Athanas. in Symb.

Authorit. Concilior.

79 Pro tertia: Authoritas: ex Concil. Ephes. 1. Calcedon. Constantinopol. 5. Hispalens. 2. Toletan. 11. Ratio: Tùm quia secluſa semel unitate Naturæ, nequeunt scripturæ salvari de Christo Domino, nisi per unitatem Personæ. Tùm etiam, quia illa unitate repugnante, sola restat hæc vnitas per se. Tùm demum, quia secluſa unitate suppositi: Naturæ duæ nequeunt de se mutuò dici, denominatione substantiva, & substantiali, sed purè denominativa, & accidentali: ut à veste dicitur vestitus homo, non vestis: lignum, auratum ab auro, non aurum: Deus verò ratione hujus Mysterii verè dicitur Homo.

V. Synod.

80 Pro quarta: Authoritas ex eisdem locis: & præsertim ex *V.* Synodo Generali *Can.* 5. qui sic habet: *si quis nõ cõfitetur Dei Verbum Carni substantialiter uniri; & propterea unam ejus Personam, anathema sit.* Ratio: quia Naturæ in Christo (licet alioqui substantiæ intellectuales, & duæ) completæ sunt una Personalitate: concretum autem, ex Natura, & Personalitate, est unum substantiale per se. Per hæc ivimus obviam erroribus Nestorii, & Euthychetis.

Nestorii, & sequacii error. juxta P. Bernal, Elipandi, & Felicis. iuxta Valentiam Sectariorum.

81 Nestorius, sequutus in parte Ebionem, Cherintum, Photinum, Samosatenum, & Theodotionẽ negantes Divinitatem Christi, & in parte sequutus à Felice, & Elipando, teste Bernal *disp.* 64. & teste Valentia *punct.* 2. à Luthero, Calvino, Brentio, & Serveto; negabat 1. Christũ esse substantialiter filium Dei; sed sola agnominatione, per singularem gratiam, & conformitatem cum Deo: fassus proinde divisim in Christo Naturas duas, & duas Personas. Negabat 2. Christum esse compositum substantiale ex Humanitate, & Verbo, fassus proinde accidentale ex duabus Personis, media solum unione per affectum, seu affectiva. Negabat 3. B. Virginem fuisse *Theotocon*, seu Dei Matrem: fassus illam unicè, Christiparam, & Christum Deiferum. Huic errori occurrunt 1. 3. & 4. Conclusio.

Euthychetis error. Quos secutus, & à quibus.

82 Euthyches Præsbyter Constantinopolitanus, & cujusdam Monasterii Abbas, extremè discedens ab Antistite suo Constãnopolitano Nestorio, secutus Apollinaristas ex parte, & ex parte Cherinthianos, & Manichæos ex diverso delyrio negantes dualitatem naturarum in Christo; secutus posmodum ab Acephalis (sic dictis, quia diu sine capite vagabantur;) novissimè à Luthero, Schuvenckfeldio, Musculo, & Vbiquistis, teste Valentia, negabat post unionem, in Christo duas Naturas, unicè fassus unam, sicut & unam personam. Quod Authores intelligunt diversimodè.

Vazquez. Card. de Lugo. Bellarm. Bernal. Koninch.

83 Vazquez ita, ut Euthyches posuerit unam naturam ex Humanitate, & Divinitate compositã, ut est una ex Corpore, & Anima in homine. Lugus ita ut censuerit Vtramque in unam coaluisse, diminutione facta in utraque. Suarez ita, ut unam posuerit, Conversione Humanitatis in Deum. Bellarminus econversò, conversione Divinitatis in Carnem. Bernal (cui Koninckus appropiat) ita, ut exemplo ducto ab Eucharistia, putarit factam esse transsubstantiationem, solamque mansisse Divinam Naturam, sub accidentibus humanæ, in illam conversę. Alii demum ita, ut ambas putarit unione destructas, & tertiam resultasse. Pro suo quisque judicio disputat eruditè. Mihi sedet P. Valentiæ Mens, hæc singula, pro diversitate temporum, & genio defensorum, tribuens Euthychetis errori: cui occurit 2. Conclusio: interceptis supra, quæ pro eo, & Nestorio possent apparenter induci. Restat alia brevi percurrere, ut Menti Lingua consonet; & Doctrinæ puritati, puritas locutionis.

P. Valent.

§. II.

ALIA DOGMATA CONCERNENTIA Catholicam Veritatem.

Magister. S. Thomas Augustin

84 QVæris 1. An Christ⁹ sit, & vocari possit Persona cõposita. Magistro *in 3. dist. 6. quæst. 2. & ibi.* S. Thomæ cum multis videtur, quòd non. 1. quia Verbum nequit esse Pars: dicente Augustino *lib. 3. contra Maximum cap. 10. Nec tamen Deus, Pars hujus Personæ dici potest*: sine partibus autem repugnat compositio. 2. Verbum non est Persona Composita: Christi autem est eadem Persona, ac Verbi: ergo. 3. Verbum est Persona simplex: Persona Christi Cõposita: ergo in Christo resultat altera Persona: ergo est duplex: una Composita; & alia, simplex. 4. Vbi est Compositum, neque hoc de extremis, neque extrema de se prædicantur adinvicem: neque enim dicimus: homo est Anima: nec hęc est Corpus: at dicimus: Christus est homo: homo est Deus. 5. Attributa Humanitatis non dicuntur de Christo, nisi cum addito limitante, quando oppositum competit Verbo: sic sine addito non dicimus: Christus est creatus: incipiens esse, &c. At Compositio repugnat simplicitati Verbi Durandus (quem protegũt novissimè M. Prudentius, & Godoy: ille *tract. & disp. ultima*: hic *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 10 §. 5.) distinxit compositionem hujus ad hoc; & hujus ex his. Illam admisit; hanc negavit in Christo. Illam: quia solum dicit Verbi subsistentiam in recto, sustentantem Humanitatem in obliquo: quæ nõ est imperfectio. Hanc: quia sonat dependentiam, & posterioritatem compositi à partibus: quæ Imperfectiones Christo repugnant.

Durandus M. Prudẽt Ill. Godoy

S. Thomas V. Synod. Lateranen sub Martino 1. & sub Innoc. Dionys. Bernard.

85 Respond. tamen ad quæstionem affirmativè cum S. Thoma *3. p. q. 2. art.* 4. & communi Doctorum recentium sensu. Authoritas: ex *V* Synodo Generali *collat.* 8. *can.* 4. vocante Christi subsistentiam compositã: & unitionem Dei Verbi ad Carnem secundum compositionem; ex Lateranen. *sub Martino* 1. *consult. & can.* 4. ex Lateranen. *sub Innocentio III. de fide catholic. cap.* 1. ex Dionysio *de Divin. Nom. cap.* 1. ex Damasc. *lib. 3. de fid. cap.* 14. *fin.* ex Bernardo *in Cantic. Serm.* 2. Ratio: quia Compositio est unio distinctorum. Tum etiã quia inter simplex, & Compositum non est medium: at Christi Persona non est simplex. Nec momenti sunt, quæ in oppositum.

Supra nu. 69 & nu. 22. Aug.

86 Ad 1. dixi jam *num.* 69. Nunc addo vel Compositionem in genere, posse sine partib⁹ esse; vel partes in genere nõ dicere imperfectionem. Augustinus est in sensu, qui placuit *num.* 22. Ad alterum, concedo majorem: quia facit sensum de Divino esse Verbi: deinde minorem: quia licèt in Christo fiat additio Naturæ; non vero sit Personalitatis, ad quam Persona multiplicatur, additio: & nego consequentiam, quia vtrobique ex variatione subjecti datur, vel negatur locus verificationi prædicati. Ad tertiũ, nego duplicem consequentiam, quia ea compositio non addit Personalitatem novam. Instas: vel est eadem Persona Christi ac Verbi, vel non? Si 2. ergo distincta, & multiplex. Si 1. ergo est in utroq; composita: ergo potuit de Verbo prædicari ante Incarnationẽ Persona Composita. Resp. esse eandem: ad impugnationem dico in Verbo, & in Christo esse compositam post Incarnationem: quam importat subjectum *Christus*: non verò subjectum, *Verbum*: unde valet illa locutio de

Christi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christo, simpliciter; non valet de Verbo, sine addito, & nego vltimã consequentiam, quia licèt Persona ante, & post Incarnationem sit eadem essentialiter: est tamen denominativè diversa: ut est idem, nec idem Individuum Petrus post accessum albedinis. Ad quartum, vera est major de Composito, & Componentibus in esse Naturæ; non verò in esse suppositi: quod in ejus prædicationibus importatur in recto: sed de his *disput. 6* *Disp. 6. hujus lib. 1.*

87 Ad quintum, vera summùm est major de attributis unicè propriis Humanitatis: talia quæ in argumento: at esse Compositum convenit Christo, non ratione Humanitatis solùm, sed ratione Personæ: unde non solum de Christo, sed de Persona dicitur: de qua sine addito, creatam esse, aut incépisse non diceres. Ratio: quia cui convenit esse terminum unionis in fieri convenit esse terminum in facto esse: quod est idem, ac componere, & esse compositum: at Christi Personæ convenit esse terminum unionis in fieri: non verò convenit, nec potest, terminú creationis, aut actionis. Nec obstat simplicitas Personæ secundum se: quia id non convenit illi Personæ, vt præcisè subsistit in propria, sed ut subsistit in assumpta Natura, cum qua componit.

Durandus M. Prud. Ill. Godoy. 88 Durandi distinctio nulla est: quia licèt præ se ferat acumen, nulla tamen est compositio, quæ non sit hujus ex his, id est constans ex ipsis componentibus. Nec quę addidere novissimè Prudentius, & Godoy, eam distinctionem gratam aut necessariã faciunt. Vterque nititur 1. in eo quod incompositione hujus ex his componentia dici non possunt de composito, nec de se adinvicem. Verum id neque in compositione hujus ad hoc, verum: neque enim verè dices: *Humanitas est Personalitas Verbi, aut Christus.* Quod si componentia adinvicem prædicantur in concreto, simulque de composito, alia est ratio nempe, quia suppositum & rectum est idem. Nec dicas: verè prædicari de Persona Christi, seu Christo, Verbi Personalitatem: nam id negatur à multis: & qui concedunt, concedunt ex idẽtitate, quam rectum hujus nominis Christus habet cum Personalitate Verbi 2. quia compositum hujus ex his, importat in recto componentia: Distinguo: semper, nego: aliquando, concedo: id enim etiam aliunde venit, nempe ex Natura ipsorum componentium, quibus vel repugnat, vel congruit adjacere, &c. Nihilo minus consulerem cum Suarez cautionem *Suarez.* in his, addendo determinationem: v.g. Persona Christi prout subsistit in duabus Naturis, seu Christus, aut hæc Persona secundũ omnia, quæ comprehendit, & adæquatè sumpta, est Persona composita.

89 Quæris 2. Ex quibus propriè dicatur composita Christi Persona? Respondeo 1. propriè dici compositam ex Personalitate Verbi, & Humanitate: idque jam est inter recentes Scriptores certum. Ratio: quia conjunctum ex illa, & ex ista est ex *num.* 85 propriè compositum, & Persona propriissimè. Respondeo 2. etiam propriè dici compositam ex duabus Naturis: idque est probabile cum Vazquez ob locutiones Patrum omnimò claras, & sine addito, quas allegat *disp. 16. cap. 2.* Suarez & Bernal putant impropriè dici. Ille, quia Natura Divina non unitur immediatè: iste, quia Persona Verbi cum Divina Natura non facit compositum, sed idem, secus, ac locutio innuit. Verum & illud est falsum de quo *disp. 4.* nec obstat, quia simpliciter est unita: hoc verò non tollit compositionem duarum Naturarum in una Persona. Cautè tamen vsurpanda locutio, ne significari videatur unitas in Natura. *P. Vazq.* *P. Suarez* *P. Bernal.* *Infra disp. 4. à sect. 1 §. 3.*

90 Hinc inferes 1. Christum propriè dici, & esse compositum: legendus Petrus Diaconus *lib. de Incarnat. & Gratia cap. 3. A Sanctis Patribus, adunatione Divinitatis, & Humanitatis, Christus Deus compositus prædicatur.* 2. Nec esse, nec dici posse, Naturam vnam compositã ex Divina, & Humana: audi S. Maximum Martyrẽ apud Euthymium *in Panop. tit. 15. §. in duabus Naturis: Naturam unam compositam, Christum dicere, omninò recusamus: quia nemo PP. probatorum, ad hunc usque diem, vocem hanc protulisse deprehenditur: & quoniam ab Apollinario, & Discipulis ejus videtur esse profecta.* *Petrus Diacon.* *S. Maxim.* *Euthym.*

91 Tertiò: quid dicendum ad illud dubium hic celebre: an nempe dici possit: *Christus est Divinitas, & Humanitas, seu duæ Naturæ?* Vazquez enim & Bernal affirmant ex ore Augustini, Leonis, & Damasceni: Vide loca apud Vazquez *disp. 15. cap. 1.* Suarez *disp. 35. sect. 2.* locutionem admittit in sensu identico, recusat in alio. Lugus admittit in sensu formalissimo *disp. 10. num. 18.* Alii omninò recusant, ut damnatã contra Ioannem Hus *in Cõstantiensi, sess. 15.* *Vazquez.* *Bernal. ex* *Augustin* *Leon.* *Damascen* *Suarez.* *Lugo.*

92 Censeo tamen eos omnes Authores in re convenire: nam eam locutionem verificant,

cant, sumendo Christum ex parte subjecti reduplicativè, ut pro conjuncto supponit, & ex parte prædicati, Humanitatem, & Divinitatem, unitas in Verbo: & in hoc sensu est vera locutio. Husius admisit, existimando, Christum esse duas Naturas, Divinitatem, & Humanitatem, non solum conjunctim, sed divisim; ita ut posit prædicari de singulis. Idque damnatur in Constantiensi, teste Vvaldensi, erro tũ Vviclefi, & Husii diligentissimo indagatore, & censore fortissimo quem vide *tom. 1. fid. lib. 1. art. 3. cap. 39.* *Constant.* *Vvaldens.*

93 Dices: ergo sicut dicitur: Christus est duplex Natura, & Christus est passus, flagellatus, crucifixus, dici poterit duplicem Naturam, passam, flagellatam, crucifixã. Nego consequentiam: quia ea de Christo dicũtur in suppositione valde diversa. Primum: in suppositione reduplicante, & formali. Alterum, in specificativa, & materiali: quam facere nequit illa expressio conjuncti: *Divinitas, & Humanitas*: quia ex se reduplicat.

94 Quæres 3. An verè dici possit: *Christus, vt homo est Persona?* Negarunt aliqui Antiqui, quibus accessit novissimè disputans operosè, Reverendus Noster Thyrsus, suscitaturus emortuam veterum Opinionem. Affirmant Theologi reliqui, quos à Doctissimo calamo P. Thyrsi plane protegit multiplici nomine, & Sanguinis, & Magisterii, & amicitiæ, meus P. Thomas Munièssa, in exculissimo volumine *de Incarnatione* recens edito *disp. 2. sect. 8.* & quibus plenè assentior. 1. Quia ex *lib. 5.* Christus, *vt homo*, est etiam Filius Naturalis Dei: ergo, & Persona. Quæ hic tentat Reverendissimus Noster, discutientur in loco. 2. Quia Christus, *vt homo*, est Naturæ Rationalis, Individua, & incommunicabilis substantia: Quid aliud autem est esse Personam? 3. Nam Christus, *vt homo*, ex vi notæ reduplicantis, non excludit hypostasim Verbi facientis, cum Natura, quam exprimit, vnum per se, & Incommunicabile, Perseitate, & incommunicabilitate propria suppositorum: imò includit, ex voce concreta: ergo Christus ut homo, non potest non dici verissimè Persona. Quare placet P. Vazquez, non dubitans dicere, eam propositionem, in nullo sensu, quam proprie reddere verba possint, posse esse falsam: ita *disp. 69. cap. 2. num. 7.* *Rever. N. P. Thyrs.* *P. Thomas Muniessa.* *P. Vazq.*

95 Dices 1. Christus *ut homo*, etiam complexè sumpta, nota reduplicante, est quid incipiens, & contingens, sed Christus non est Persona incipiens, aut contingens: ergo nec ut homo est Persona. 2. Nam si Christus *ut homo* esset Persona, ex Incarnatione susciperet adjectionem Personæ Trinitas, contra *anathematismum 5. Synodi quintæ.* 3. Nam si in Christo complexum hominis esset suppositum, posset dici quod Verbum, utpote Pars Complexi, existeret in aliquo creato tã quã in suppositio, veluti pars in toto. Vnde Denominationes competẽtes Verbo, ut principio *quod* tribui possent Verbo, ut existẽti in aliquo creato; atq; adeo Christo, ut homini, quod male sonat. 4. Nã si Humanitas costitueret in Christo, cũ Hypostasi Verbi Personam, constitueret Personam creatam, contra fidem: ergo non constituit: ergo Christus, ut homo, non est Persona. 5. Quia Christus ut homo est minor Patre: ergo & Verbo: ergo & suppositio Verbi: ergo ut homo non est suppositum: quia suppositum est quod excellit in toto substantiali. 6. Si enim Christus ut homo, esset suppositum; sicut est verum, quod Christus ut homo incipit, creatur, & est contingens, esset verum, quod Christus esset, ut homo, suppositum creatum, incipiens, & contingens. *V. Synod.*

96 Respondetur. Ad primum, distinguo minorem: Christus non est Persona incipiens esse Personam, & contingens esse Personam, secundum se, concedo: non est Persona incipiens esse Personam hominem, & contingens esse Personam Hominem, nego. Itaque Christus non est suppositum, quod incepit esse suppositum; sed suppositũ quod incepit esse suppositum homo. Ad 2. impr imis i le anathematismus est contra Nestoriũ à quo nos longe sumus. Et deinde nego sequelam. Solum est verum quod Verbum factum homo, suscepit adjectionem humanitatis vi cujus adjectæ ad suppositum Verbi, Verbum, quod homo factum est, incepit esse suppositum Homo, atque adeo, sine adjectione subsistentiæ, aut Personæ, *ut homo*, verè potens dici Persona.

97 Ad 3. permissis illis vocibus, dico posse dici quod Verbum existat in aliquo creato tanquam in supposito simpliciter increato: non enim naturæ alienæ accessio facit distinctionem aut novitatem suppositi in Christo à Divino suppositio, sed Divino suppositio Naturam addit capacem subsistendi per ipsum; atque adeo existit in toto tribuẽs toti suppositalitatem, & esse suppositum. Nec exinde fit denominationes comitantes suppositum Verbi secundum se, tribui posse supposito Verbi, quà supposito homini: nam

illæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

illæ denominationes sequuntur suppositum Verbi, ut independet à quoquam contingente, quod per unionem sui meliorare velit. Ad 4. nego sequelam. Constituit enim Personam in Christo, non vtcumque sed Personam hominem: id quod non dicit novitatem Personę, sed novitatem alicujus naturæ in eadem Persona, facta per ipsam subsistentis. Ad 5. dico, Christum, *ut hominē*, esse minorem Patre, Verbo, & supposito Verbi. Ly *ut* notante Abstractū Humanitatis assumptæ; non verò suppositum assumens Humanitatem in Vnitatem sui suppositi. Ad 6. nego sequelam: quia denominatio creati, incipientis, & contingentis appellans supra suppositum, ut pote exprimens Personalitatem, sonat contingentiam, incæptionem, & creationem subsistentiæ: quæ voces mox recurrent. Latè de his citati Thyrsus, & Munieſſa, cum fructu legendi: Arguens, ille; & iste, satisfaciens: vterque doctissimè.

Thyrsus. Munieſſa.

98 Quæris 4. An Christus dici possit Persona Divina, & Persona Humana? Persona Increata, & Persona creata? Affirmant duo illa priora Cajetanus, Valentia, Vazquez Granadus, & Amicus, advertendo, Christū dici posse Personam Humanam; vnā tamen cum Divina. Suarez, & alii renuunt ob apparentiam erroris Nestoriani: sed id vitari videtur ex addito. Bernal *disp.* 13. *sect.* 6. vtrā que admittit cum eadem limitatione, consulens sine ulla offensione dici posse Christum Personam Divinhumanam, seu Theandricam.

Cajetanus Valentia. Vazquez. Granadus. Amicus. Suarez. Bernal.

99 Ipse censeo 1. circa duo priora, Personā Christi non esse absolutè, & simpliciter vocandā Personā Humanā, sicut Divina vocatur: nā hoc illi convenit subsistentivè essentialiter ex Personalitate, & Natura: illud extraessentialiter, & denominativè à Natura cōtingēter assumpta. 2. Absolutè dici debere Divinam: non verò Humanam sine addito limitante: ne videatur sermo Nestorii. 3. posse vocari Personam Humanam in sensu, qui significet Personam, quæ ex assumpta Natura Humana sit Homo. Circa posteriora, censeo etiam 1. posse similiter, & cum addito vocari creatam. 2. difficilius, & scrupulosius assumendam hanc locutionem: quia videtur magis aliena à Patrum Lexico, negantium Personam creatam in Christo: quippe in his, & similibus habenda præ oculis Regula prudentissima S. Maximi, quam dedi *num.* 90.

S. Maxim. Martyr.

100 Quæris 5. An Christus dici possit *Vnum & Duo: Vnum, & multa: Vnus, & plures: aliquid, & aliud: alius, & alius: aliud, & aliud?* Quæ tangit, & examinat S. Thom. *quæst.* 17. & ibi Suarez, & latius Vazquez; Lugo *disp.* 24. Bernal *disp* 47. Ipse sumo duas regulas ex Martinono *disp.* 8 *sect.* 2. pro his & similibus. Prima est: Quia Christus est verè, & simpliciter unum ens per realem, & substantialem compositionem; & quæ in eo sunt, licèt in se multa, non tamen sunt in ipso sine unione, & compositione: vitandi sunt modi, quibus significatur esse multa sine ea unione: ea sunt prolata simpliciter, & sine addito: Christus est duo: Christus est multa: Christus est aliud, & aliud: cum addito tamen, assumi possunt: nam & à Patribus assumuntur: Christus est duo unita realiter in unitate Personæ: multa physicè in unum conjuncta: duæ Naturæ, unitę secundum subsistentiam: aliud secundum Divinitatem; & aliud, secundum Humanitatem: unum simul, & multa. Secunda est: quia Christus est unica Persona, & unica hypostasi Divina constituitur in esse Personæ; vitandi sunt modi, quibus significetur suppositorum pluralitas: ea sunt. Christus est plures: Christus est duo, masculinè: Christus est alius, & alius: nam masculina absolutè prolata significant diversitatem suppositorū; ut neutra, Naturam. Absolutè, inquam; nam leniri posset ex addito dutitas, dicendo: Christus est plures Naturæ, unitæ ad eandē hypostasin: duo quoad Naturam, seu duæ Naturæ conjunctæ. Et per hæc ad quæstionem, de qua vide *citatos*.

S. Thomas. Suarez. Vazquez. Lugo. Bernal. Duplex Regula ex Martinon.

101 Quæris 6. Quid absolutè dicat Christus in recto? Respondeo 1. in re Christum dicere ex una parte Humanitatem: id est corpus, & Animam unitim: ex alia, Personam Verbi, & insuper Hypostaticam unionem. Respondeo 2. Nomen *Christus* interdum significare in recto concretum ex Personalitate, & Divina Natura, & in obliquo Humanā: ut opinor, in illis: *antequam Abrahā fieret, Ego sum. Ego & Pater vnū sumus.* Interdum in recto conjunctum ex iis singulis: ut opinor in illis: Christus est duæ Naturæ unitæ: *tunc videbitis Filium hominis, &c.* Interdum, apud aliquos, in recto concretum ex Personalitate Divina, & Humana Natura, & in obliquo Divinam: quod ipse maximè dubito. Interdum, apud alios, solam Personalitatem in recto: in obliquo Naturas: quod æquè ambigo: redibitque sermo de his *disp.* 6. Illud in his sume pro certissima regula, energiam, aut varietatem supponendi hujus vo-

Infrà disp 6. lib. hujus primi.

vocis *Christus* metiendam, & emendam ex conditione prædicati, quod tribuis, ex usu & manuductione scripturarum, Patrū, & Theologorum: nam in hæc illud cadit appositissimè: *ne innitaris prudentiæ tuæ.*

§. III.

TERMINI ACTIONIS INCARNATIVÆ.

102 COllige tandem, terminum totalem, seu *Qui* remotum Actionis Incarnativæ, seu Incarnationis Activæ, esse Christum in, & ex duabus Naturis, Divina, & Humana, subsistentem. Terminum verò partialem *Qui* immediatum, & proximū esse Hypostaticam Vnionem. Terminum verò formalem, & *quo*, seu ad quem esse Personalitatem Divini Verbi. Suppono terminos ex Philosophia: & quoad duo priora convenio cum communi: quia terminus totalis *qui* seu remotus (quia nempe solùm terminat actionem in proximo, ex quo resultat) est totum ex unione producta coalescens: & hoc totum in Incarnatione est Christus, & Deus Homo: ut in generatione Humana est homo genitus. Terminus partialis *qui* immediatus, & proximus est qui producitur immediatè: & hæc est in Incarnatione Vnio Hypostatica: ut in homine genito Vnio Humana inter Corpus, & Animam. Dissentio penes tertiū, & probo: quia terminus formalis *quo* seu ad quem est quo terminus totalis, & completus constituitur in ea ratione in qua est terminus talis actionis; sed terminus totalis actionis Incarnativæ, nempe Persona constans ex Personalitate Assumente, & assumpta Humanitate, constituitur in esse talis ratione divinæ Personalitatis: quæ unicè cōplet, & perficit Humanitatem ex *sect.* 1. ergo terminus formalis *quo* seu ad quem Incarnationis activæ est sola Personalitas.

Ragusa. Suarez

103 Occurrit Ragusa *disp.* 40. cum Suarez *disp* 8. *sect.* 2. pro unione: nam hæc formaliter terminat actionem: non verò Personalitas, aut humanitas: ergo unio solum est Terminus formalis *quo*, seu *ad quem*. Resp. de ratione termini formalis *quo* non esse, per actionem attingi productivè, sed vel productivè, vel communicativè. Id enim sufficit ut complcatur exinde compositum. Exemplum habes in Anima Rationali. Occurrit

Cabrera. Vazquez.

Cabrera *quæst.* 2. *art.* 7. *disp.* 2. cum Vazquez *disp.* 19. *cap.* 2. & aliis pro Humanitate: Terminus adæquatus actionis est Verbum factū homo: forma autem hujus complexi, seu quasi forma est Humanitas. Retorque pro Deitate in concreto Deus homo. Respondeo primarium, & proximum terminum totalem Incarnationis esse Personam ex Personalitate Verbi, & Humanitate constantem: hujus autem concreti veluti forma sola est Verbi Personalitas. Deinde licèt in hac denominatione *Verbum factum homo*, sit veluti forma Humanitas: denominat tamen ut purè complebilis, & perfectibilis ultimò per aliud; atque adeo semper intenditur illud aliud, quo simpliciter perficiatur, & compleatur: nec unquam ipsa excedit lineam subjecti, nec unquam termini simpliciter formalis lineam tangit.

104 Quid de Termino *à quo*? Dico, respectu Verbi non fuisse; quia nec mutatio: nec propriè respectu Humanitatis; quia non præcesserat sine unione (saltem adæquatè, quod propter materiam dico) potuit tamen. Impropriè dici potest terminus à *quo* ipsa negatio unionis, & termini totalis: quia omnis actio temporalis habet id ex conceptu suo, ut de non esse transferat ad esse, Vnionem, & totum. Duo adverte: non esse de ratione actionis terminum à *quo*, ut est terminus formalis *quo*: quia sine hoc esse nequit: sine illo potest, si ab æterno fieret. Alterum, non esse de ratione actionis habere pro termino à *quo* negationem termini formalis; quia hæc, licet actio temporalis sit, nō præcedit necessario: ut patet in nostro casu: ubi terminus formalis est ineffectibilis; & in Resurrectione, ubi supponitur existens anima.

105 Conciliari tamen, & ornari penes hæc Autores possent ex discursu P. Koninch *disp.* 2. *dub.* 8. distinguentis in eadem actione ex diverso munere varias appellationes, habitudines, & terminos: putantis exinde Terminum formalem *quo* actionis esse illum, qui formaliter specificat ipsam sic, vel sic expressam, & appellatam: atque adeò esse eum, ex cujus positione habet actio, quod sit talis, qualis eo nomine significatur. Ratio: quia sicut forma rei permanentis est illa, à qua formaliter habet, quòd sit talis, aut talis: ita terminus formalis actionis erit, à cujus veluti formæ extrinsecæ positione habet actio, quod talis appelletur. Firmat: quia terminus formalis actionis ille debet esse, à quo veluti à forma terminus *qui* totalis habet quod sit talis, qualis nomine, quo actio significatur, dicitur fieri.

Koninch.

Universidad de Deusto
Biblioteca

106 Iam Actio Incarnativa, vel ſumitur ſub appellatione Incarnationis, vel ſub appellatione productionis, vel ſub appellatione unitionis, vel ſub appellatione aſſumptionis, vel ſub appellatione Perſonalizationis. Sub prima appellatione habet pro termino formali *quo* Humanitatem unitã Verbo, nam ab ipſa ut unita dicitur Verbum Incarnatum; & actio dicitur Incarnatio. Sub appellatione productionis, & unitionis habet pro termino formali *quo* Vnionem: nam & ab ipſa dicitur Verbum unitũ Humanitati, & hæc illi, & actio dicitur Vnitio: deinde ſola terminat immediatè productionem. Sub appellatione aſſumptionis habet pro termino formali Perſonam Verbi. nam ab ea dicitur aſſumpta Natura Humana, & actio, aſſumptio. Tandẽ ſub appellatione Perſonalizationis habet pro termino formali, Perſonalitatem Verbi, à qua perſonatur Humanitas, & actio dicitur Perſonalizatio.

107 Notat in calce 1. terminum finalem immediatum, ſeu qui Denominationis eſſe modò Verbum; modò Humanitatem; modò unionem: modò illud utrumque pro diverſitate denominationum. 2. Terminum omninò totalem, & ſimpliciter finalem eſſe Chriſtum ex utraque Natura compoſitum in unitate Perſonæ. Hic diſcurſus eſt valde veroſimilis. Et hæc nimis multa, pro his qui hæc amant. Pergo jam ultra, functus ſemel his, quæ tardare alioquin poſſent, & negotium ubique faceſſerent.

DISPVTATIO II.

VNIONIS HYPOSTATICÆ PHYSICA Quidditas.

1 QVATVOR examino. Primum: an Vnio Hypoſtatica ſit ſubſtantialis modus ab extremis Humanitate, & Verbo, diſtinctus? Negant ex Noſtris Valentia, Martinon, & Vvadingus; & Thomiſtæ communiter contra S. Thomam apertè contradicentem *quæſt. 2. art. 7.* Affirmant communius Schotiſtæ cum Schoto; Noſtri cum Suarez. Adhærent è Thomiſtis Herrera, Araujo, Prudentius, & Godoy: qui duo, ne videãtur omninò deferere Cajetanum, & ſuos, addunt ultra modum Vnionis in Humanitate receptæ, novam ex parte Verbi, & realiter indiſtinctã ab ipſo, quà manere poſſit intrinſecè unitũ Humanitati. Loca ſunt pervia. Colludunt Recentes ex noſtris poſt Matthiã Borrull *in manuſcriptis* putantes ex diſcurſu Valẽtiæ per ſolam unionẽ indiſtinctam realiter à Verbo, ſalvari Myſterium poſſe in alia Providentia.

Thomiſtæ, & Valent. Martinon. Vvading. Schotus. Suarez. M. Herrer M. Arauj. M. Prud. M. Godoy. Borrull.

2 Secundum: an iſte modus in ipſa Humanitatis productione conſiſtat: ita ut ipſa productio ſit ipſiſſima Aſſumptio Humanitatis ad Verbũ, & Hypoſtatica Vnio. Indicavit Molina 1. *p. diſp.* 18. *memb.* 4. § *id verò ut melius*: tenuit Cabrera 3. *part.* aſſeruit poſtmodum, & illuſtravit uberrimè P. Auguſtinus Bernal *diſp.* 12. ſecutus à multis ex noſtra, & Caſtellana Provincia: negant cæteri cum communi Theologia, quam ſpecialiter illuſtrant Reverend. Noſter Thyrſus, & Munieſſa meus: ille *tom.* 3. *ſelect. diſp.* 26. hic *diſp.* 1. *de Incarnatione ſect.* 5. & 6.

Molina. Cabrera. Bernal.

Thyrſus, & Munieſſa.

3 Tertium: an ſaltem in ſpeciali Verbi influxu effectivo ad ipſam Humanitatem conſiſtat: quo nempe concurſu ſpeciali, nec reliquis Perſonis communi, & à Verbo ſuſtentetur Humanitas, & maneat ipſi unita, & propria Verbi? Negat communis Theologia ex indiviſione operum Divinorum ad extra: inſinuavit id potius, quam Bernalis diſcurſum, Molina citatus: Cumplexus eſt præſidenter Carolus Franciſcus de Abra de Raconis *tract.* 1. *de Incarnat. cap.* 3. *quæſt.* 3. promoverique poſſet ex his quæ Ripalda tetigit *diſp.* 41. *de ſupernaturalitate num.* 63. & 69. & 70. & poſtmodum gloriosè dilatavit M. Prudentius *tract.* 3. *diſp.* 1. *dub.* 2.

Carol. Ab. de Racon. P. Ripald. M. Prud.

4 Quartum: an ſaltem iſte modus ſubſtantialis unionis, & Hypoſtaticæ non ſolum aſſumat, & uniat Humanitatem Verbo, ſed etiam partes Humanitatis adinvicem communicet, ita nempe, ut ipſa formalis aſſumptio Humanitatis ad Verbum ſit Vnio, quæ vicem Humanæ faciat, quoad munus formalis infuſionis Animæ ad Corpus, & mutuæ, ſubſtantialiſque communicationis inter utrumque. Id quod præter communem Theologiam, manuducente ſpeciali Philoſophia, primus aſſeruit, illuſtravitque, & edidit denuò in exculiſſimo opere *de Incarnatione diſp.* 1. *à ſect.* 7. Magiſter Provinciæ noſtrę Doctiſſimus, Primarius Barcinonenſis, & in Theologicis Præceptor meus, mihi Doctrinæ, amoris, & Sanguinis conjunctione Chariſſimus R. P. Thomas Munieſſa cum laude ſecutus à Magiſtris Doctiſſimis inter quos eminet Primarius noſtræ Vniverſitatis, & Metropolitanæ Cæſarauguſtæ Magiſtralis D. D. Vincentius Navarrete.

P. Thomas Munieſſa. D. Vincent Navarret.

SECTIO I.

VNIO HYPOSTATICA NECESSARIO eſt modus, & ab Humanitate, & à Verbo diſtinctus.

§. I.

PROBATIONES ASSERTI.

5 OStendo 1. Per actionem Incarnativã, Verbum caro factum eſt: immutata eſt intrinſecè Humanitas, & hypoſtaticè aſſumpta potius à Verbo, quam à Patre, & Spiritu Sancto: ergo neceſſario factum eſt aliquid, quo formaliter Verbum factum ſit caro; immutata ſit intrinſecè Humanitas, & Hypoſtaticè aſſumpta potiùs à Verbo, quam à Patre, & Spiritu Sancto. Antecedens eſt ex fide: & conſequentia evidens: quia ex terminis ipſis patet impoſſibile, dari in rebus novam eſſentiam, novam denominationem, novos conceptus objectivos, qualia ſunt, Verbum fieri carnem, mutari intrinſecè Humanitatem, & hypoſtaticè aſſumi potius à Verbo, quam à Patre, & Spiritu Sancto, nihilo ſuper addito præter ea omnia, quæ præcisè poſita non ſufficiunt, ut Verbum caro fieret, ut intrinſecè mutaretur Humanitas, & aſſumeretur potiùs à Patre, quam Spiritu Sancto. Sed iſtud aliquid eſt Vnio Hypoſtatica, & modus & ab Humanitate, & à Verbo diſtinctus: ergo. Subſumptæ prima pars eſt evidens. Et probo ſecundam: nam in complexo Humanitatis, (etiam privatæ propria ſubſiſtentia) & Verbi, nihil eſt præter ea omnia, quæ præcisè poſita non ſufficiunt, ut Verbum caro fiat, ut intrinſecè mutetur Humanitas, & hypoſtaticè aſſumatur potius à Verbo, quam à Patre, & Spiritu Sancto: cùm in caſu quo Spiritus Sanctus Naturam Humanam aſſumeret, & non Verbum: exiſteret hoc idẽ, ſine tali veritate, complexum.

6 Confirmatur. Incarnationem operata eſt tota Trinitas, ut convincemus *ſect.* 3. & definitum in Toletano VI. & XI. ergo operata eſt tota Trinitas id quo poſito Verbum caro factum eſt, & quo poſito Verbum non poteſt non fieri caro: ergo id quo poſito Verbum non poteſt non fieri caro eſt opus ad extra totius Trinitatis. Sed id neque eſt Humanitas: quia ipſa nec exigit, nec determinatur ad talem acceſſum: nec Verbum, aut aliqua Verbi formalitas: quia nec iſta, nec illud eſſe poteſt opus ad extra: ergo aliquid eſt & ab Humanitate, & à Verbo diſtinctum: quo, præciſis reliquis, Verbum factum eſt caro. Id autem eſt unio Hypoſtatica. Confirmatur inſuper: ſtrictior eſt unio hypoſtatica, quã ea quæ per Gratiam fit, aut per Viſionem: nam ex his alia eſt purè moralis, alia intentionalis; iſta vero eſt ſubſtantialis, & phyſica: atqui iſtæ ſunt aliquid entitativè & denominativè ſuper additum terminis, eiſ-

Conc. Toletan. VI. & XI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eisque intrinsecum: ergo & illa.

7 Ostendo 2. ea forma, quæ præcludat evasionem adversariorum, & opinationibus *num.* 1. propositis occurrat. Id quo formaliter mutatur intrinsecè Humanitas, & nectitur hypostaticè Verbo, nec est Humanitas (ut plures Thomistæ volunt;) nec esse potest Volitio Divina, quam connotet actio Incarnativa, (ut ex Valentia putabat Alvarez;) nec potest esse terminatio identificata cum Verbo, (ut de facto cum Godoy tenent Prudentius, & Gonet, ac de possibili Borrull,) nec demum complexum Humanitatis, & Verbi: ergo id quo formaliter immutatur intrinsecè Humanitas, & nectitur hypostaticè Verbo, aliquid est ab Humanitate, & à Verbo distinctum ipsis Humanitati, & Verbo intrinsecum, & in illa receptum. id autem est Unio hypostatica: ergo hæc est modus & ab Humanitate, & à Verbo distinctus. Quæ sub sumpsi verissima sunt: & 1. cõsequẽtia evidẽs quoad omnes suas partes: nã Humanitas nequit nisi moraliter immutari per quid extrinsecus adveniens; non verò physicè & intrinsecè: neque Verbum manere potest homo non assumpta per intrinsecam unionem Humana Natura: at alia unio, præter eam ab eo distinctam, omninò repugnat, ut videbimus. Antecedens ergo

Thomistæ. Alvarez. ex Valent. Godoy. Gonet. Prudent. Borrull.

8 Probatur quoad primam partem: 1. quia id quo Humanitas hypostaticè nectitur Verbo, est sublimis accessus, & omninò supra vilem gradum ipsius; omninoque indebitus, ut est quod homo sit Deus: qui ergo potest vel quoad entitatem, vel quoad denominationem identificari cum ipsa Humanitate, quam supremè superat? 2. quia Humanitas est exigentia naturalis, & connaturalis entitativa propensio ad propriã Personalitatem: ergo est repugnantia entitativa naturalis, ut sit unio cum Verbo. 3. Quia tota essentia & entitas Humanitatis stare potest sine eo quod unita sit Verbo: ergo ipsum formale unionis cum Verbo non est Humanitas: separatio enim in creatis saltem, est evidens distinctionis realis argumentum: alioquin cur subsistentia per vos à Natura; cur intellectio, à mente; cur affectus, à Voluntate: cur potentiæ & habitus ab Anima; cur demum, (quod miror,) similitudo à rebus similibus distinguatur?

9 Dices: necti Humanitatem Verbo, nõ addere novam entitatem Humanitati, sed exercitium aliter se habendi; atque adeo non dari separationem quoad entitatem, sed præcisè quoad denominationem. Contra 1. & objicio singula exempla, quæ nuper attuli: & expecto disparitatem: quam vanò sumes ex actione: cur enim in illis non sit actio, quæ purè det esse denominativũ, ut est Incarnativa; cujus ex hoc discursu nulla potest entitas assignari pro termino: quod mihi videtur arduæ, & paradoxę cogitationis. 2. ergo illa denominatio est titulus sine re; nihilque ponit physicum in rebus: quid ergo physicè mutat Humanitatem intrinsecè? Quid ipsam determinat potius ad Verbum, quam ad Spiritum Sanctum: nam ex se ad utrumlibet est æquè indifferens? 3. In relatione similitudinis v. g. entitas, & exercitium per vos ita sunt idem, ut illa pereunte, & hoc pereat, & hoc pereunte, illa: quidni in nostro casu? Nec recurras ad diversitatem Prædicamentorum: nam hæc nec dat rebus, nec tollit distinctionem. 4. Demum: vel exercitium hoc de formali, est extra voces aliquid, vel non? Si 1. illud voco hypostaticam Unionem. Si 2. ergo quin tollatur, aut detur aliquid præter voces, Humanitas mutatur intrinsecè, & physicè nectitur Verbo: cur ergo non unitur Spiritui Sancto? Dicis, ex defectu actionis incarnativæ: sed te premam in termino: qui cum nihil per te sit præter voces: quid facit ejus accessus vel abscessus ad rem, de qua quæstio?

10 Probatur quoad secundam partem, etiam 1. quia Unio hypostatica, nempe id quo Verbum caro factum est, est aliquid operatum ad extra *ex num.* 6. Sed divina Volitio nõ est aliquid operatum ad extra: ergo. 2. quia Unio hypostatica, si consisteret in Volitione divina, non esset opus divinæ Omnipotentiæ: nec istâ egeret Mysterium Incarnationis ad existentiam sui. 3. Volitio divina, utpote rebus extrinseca solũ potest unire moraliter, & affectivè; non verò intrinsecè, physicè, & substantialiter: ergo in hac discurrendi via, Verbum solũ est homo; & homo, Deus, unione morali & quoad affectum: qui est error Nestorii. Ratio autem est quia Volitio solũ dat rebꝰ denominationẽ voliti, quę ex suo genere est purè extrinseca. 4. quod nam est talis Volitionis objectum? Si unio: nam certe vult Humanitatem uniri potius Verbo, quam Spiritui Sancto hoc objectum est de quo quærimus. Si solum Humanitas & Verbũ? At potest Deus velle Humanitatem, & Verbum, quin exinde unjantur: nam denominatio voliti non est denominatio uniti: non ergo potest assignari objectum divi-

divinæ Volitionis Incarnativæ, quin assignetur aliquid ab ipsa distinctum, & ab Humanitate, & à Verbo.

11 Dici posset: objectum volitionis esse quidem Humanitatem, & Verbum; at eam non unire ex objecto quod habet, seu in actu signato, sed ex speciali Natura, & modo tendendi, seu in actu exercito. Contra 1. ex hoc enim modo philosophandi præverti tota Philosophia posset. 2. Nam unde unde habeat illa volitio energiam uniendi, habet ex se, atque adeo ex prædicato omninò extrinseco Naturæ: ergo nequit hanc physicè mutare, nec unire plusquam moraliter, & extrinsecè: quod ut homo physicè Deus sit est, impertinentissimum.

12 Probatur quoad tertiam partem idẽ antecedens, etiam 1. nam ea unio identificata cum Verbo necessariò foret Deus, atque adeò, & æterna, & immensa: ergo ex vi talis unionis Humanitas saltem semel existens esset ubique: quod hæreticum est, & probo sequi: nam ea est vis unionis substantialis ut extrema locet in ubi suo. 2. Nam si semel, hæ temporales terminationes admittantur in Deo in genere physico: cur negandæ sunt aliæ, in genere morali volendi, & sciendi? Has autem tota Theologia negat, & meritò: nam præter mutationem, & inconstantiam, temporalitas repugnat prædicato divino, ut repugnat limitatio ad locum, & finitudo potentiæ: non tamen possunt admitti terminationes istæ, quin eo ipso vel temporales fingantur, vel obnoxiæ temporalitati: qui ergo putes esse Divinas? 3. Nam hæ terminationes nequeunt esse necessariæ: alioquin & homo necessariò esset Deus; & necessariò Pater etiam & Spiritus Sanctus forent Incarnati. Nec liberæ: Tum quia sine ulla necessitate extenditur mysterium Libertatis Divinæ: quod nisi manuducente fide, non novimus: tum etiam quia hæc denominatio non videtur qualiter à potentia libera pendeat, ut intellectio Divina, quę vel est virtualiter ipse actus volendi, ut volunt Esparza, & Antonius Perez, vel oritur ex determinatione divinæ mentis ad cognoscendum omne verũ; quod esse sic, vel aliter verũ à decreto dependet. Hæc ratio si bene expendas profunda est, expendetur & infrà ratio hujus repugnantiæ à priori *num.* 18.

Martinus Esparza. Antonius Perez.

13 Quartò similiter in Patre, & in Spiritu Sancto admittendæ forent istæ formalitates, æternum otiosæ: quod esse omninò ridiculum, dixit verè Suarez *disp.* 8. *sect.* 4 §. *addunt aliqui.* Do rationem, & occurro Magistro Prudentio, irridenti censuram Eximii: nam præter otiositatem, daretur in Patre aliquid præter esse Patrem, incommunicatum, & incommunicabile Filio, contra Conc Florentinum apertè definiens omnia, quæ in Patre sunt, communicare, & esse in Filio præter esse Patrem: & exinde colligens contra Græcos, spirationem activam esse simul in Filio.

Suarez. *M. Trud.* *Conc. Flor.*

14 Quintò: daretur prædicatum Divinum, quod formaliter, & essentialiter esset perfectio Creaturæ, atque adeo ex se ordinatum ad istam tamquam ad finem cui: sequela, quam absurdam omninò censeo, patet: nam ea terminatio, ex se essentialiter perficeret Creaturam; & omne suum esse vel existentiale, vel denominativum (utcum que loquamini) haberet in ordine adhunc formalem effectum. Sextò: nam conceptus unionis dicit imperfectionem ex genere suo: cum ex suo conceptu sit habitudo Creaturæ ad Deum, suique ad terminũ, sine quo nequit esse, saltem connaturaliter. Septimò: nam saltem, quoad factum rei iste recursus manifestè contradicit S. Thomæ, dicenti unionem esse quid creatum; & Toletano dicenti Incarnationẽ esse opus ad extra totius Trinitatis: quorum utrumque repugnat Divino Verbo.

S. Thomas. Conc. Tolet

15 Vnde sic arguo contra Godoy Prudentium, & Gonetum: Vel quid creatum, & opus ad extra totius Trinitatis, sufficit, ut Verbum Caro factum sit, vel non? Si 2. ergo Vnio Incarnativa, seu Incarnatio non est opus ad extra totius Trinitatis contra S. Thomam, & Toletanum: nam, nisi Verbum Caro fiat, Incarnatio non est. Si 1. ergo præcisa quavis unione Increata, Verbum manet substantialiter unitum Humanitati, & homo: ergo & quavis unione Increata seclusa manet Mysterium Incarnationis. Ad quid ergo Increata illa unio? Dicit Godoy, ut Verbum uniatur intrinsecè. Bene, & instauro argumentum. Vel ut Deus sit homo id requiritur, vel non? Si 2. frustra est. Si 1. ergo ex vi unionis, quæ sit quid creatum, & opus ad extra totius Trinitatis manet unitum intrinsecè Verbum: nam manet homo. Id quod aliunde convincitur: nam præcisa quavis unione Increata, ex vi creatę manet Humanitas Vnita substantialiter Verbo: ergo & e contra: nam hæc mutua habitudo est: nec intrinsecitas receptionem sonat, ut imaginantur hi Recentes.

Contra Godoy. Prudent. Gonetum.

16 Pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

16 Probatur denique, quoad ultimã partem antecedens. Nam complexum ex Humanitate, & Verbo, nihil dicit, quod formaliter sit unitivum; stareque potest sub eisdẽ omninò circunstantiis loci, penetrationis, & temporis, quin Humanitas subsistat in Verbo. Dicit Martinonus: eos terminos stare non posse cum usu, & exercitio suæ unibilitatis, quin uniantur: at hunc usum esse præcisse modum habendi se aliter, solumque virtualiter distinctum ab ipsis. Non satisfacit: Nam imprimis hic usus repugnat identificari realiter Verbo, & in ejus aliqua virtualitate consistere, ut vidimus. Deinde ea virtualitatum partitio Humanitati repugnat ex generaliori principio, quo repugnat finitudini capacitas prædicatorum contradicentium, ut alibi expensum est. *Martinon.*

17 Insuper arguo sic: vel stare potest hoc complexum sine tali usu, & exercitio unitorum, vel non? Si 2. ergo & Pater, & Spiritus Sanctus Incarnati sunt: deinde id est omninò repugnans divinæ independentiæ. Si ergo 1. ergo hic usus, aliquid est præter terminos ipsos: vel necessariò uniuntur, si semel existunt. Probo consequentiam: nã repugnat perire constitutum, non pereuntibus constitutivis; hisque manentibus, non dari constitutum: at existente Humanitate, & Verbo, dantur constitutiva unionis: ergo & unio datur. Deinde quid ultra deest quo minus hæc Humanitas sit cum hoc usu respectu Patris, & Spiritus Sãcti: cum hic usus sit coexistẽtia terminorũ. Recurrere verò pro his ad Mysteriũ libertatis Divinæ est abuti Mysteriis, & absonè loqui, metiendo creaturarũ finitudinẽ cũ infinitudine Creatoris. Ibi nos cogit Fides ad mirabiles illos effectus, & virtuales distinctiones: hic vero quis cogit? ibi nos ad hæc cogit mysterii sublimitas: hic quid nos cogit ad hæc? ibi natura Volitionum, & intellectionum, nempe vitalitas, & æternitas denominandi nos cogit, ne quicquam ea putemus extra Deum, unde revolvimur ad mysteria cum libertas salvanda sit: hic ista prædicata non cogunt. Vide quanta sit disparitas ex illis ad ista?

18 Quorum omnium ratio à priori, quã hucusque distuli, & pro materiis multis valde notanda, est: Nam Vnio ex conceptu suo definitivo, importante totam sui quidditatem, entitatem, & esse, est exercitium uniendi, & consistit in usu: ut actio ex conceptu suo definitivo est exercitium agendi: Duratio, exercitium durandi; ubicatio, exercitium ubicandi, & consistunt in usu talium denominationum: ut ergo repugnat usus sine usu; repugnat unionis quidditativum esse quin uni at: ergo entitas unionis est exercere denominationem uniendi: ergo repugnat quod unio sit ens quod absolutè stare potest sine tali denominatione: at Humanitas potest; potest Verbum: potest utrumque. Humanitas, ut patet in mea, & in Christi respectu Spiritus Sancti. In Verbo: nam ab æterno non est unitum. In Vtroque: nam & coexistunt ea, & Spiritus Sanctus, cum eisdem circunstantiis quoad entitatem.

19 Confirmatur. Actuale exercitium uniendi, prout actualiter unit, constitui nequit per aliquid formaliter non uniens; at qui secluso modo superaddito, quem adstruximus, tale exercitium constitui debet per aliquid ex se formaliter non uniens: ergo constitui debet per id quod sibi non sufficit: quæ manifesta repugnantia est: omnis enim res sibi sufficit, aut non est. Major ostenditur: nam actuale exercitium ubicandi, durandi, & agendi constitui nequit per id per quod, nec est formaliter ubicatio, nec duratio, nec actio: alioquin per consortium duplicis formæ, quarum neutra determinata sit ad aliquem effectum formalẽ, salvari hic determinatissimè poterit; & ecce viam negandi omnes modos: cui tantum non insistit, nec sine plausu discursus, P. Quiròs in Philosophia *disp.* 103 *sect.* 1. *n.* 3. Minor etiã patet: nam per vos illud exercitium stare potest ab æterno, si identificetur cum Verbo, quin uniat: stare potest in tempore, si identificetur cum Humanitate, quin uniat: & in utroque denominatio exigit aliquid aliud, quod formaliter unio non sit: puta decretum Dei: determinatum instans, & id genus alia. *P. Quiròs.*

§. II.

OBIECTIONES THOMISTICÆ.

20 OBjiciunt Thomistæ 1. Talis modus superadditus esset accidens 2. mutaret intrinsecè Verbum. 3. Inter materiam, & formam nullus intervenit ad formalem effectum uniendi. 4. Humanitas non aliter accedit ad Verbum, ac propriam terminat subsistentiam: idque habet sine modo hanc & illam intermedio. *Thomistæ disput.*

21 Firmat infirmas has copias Godoius, & ex ipso Prudentius, & Gonetus 1. Nam nisi *Ill. Godoy. Prudent. Gonet.*

nisi per Vnionem identificatã assumeret Humanitatem Verbum; non maneret intrinsecè unitum. ut non maneret intrinsecè unita materiæ forma, nisi ultra modum materializationis illi intrinsecum interveniret alter Informationis intrinsecus isti. 2. Vnio Personalitatis ad Naturam, est causalitas, qua Verbum Naturam Humanam terminat, & hypostaticè causat: at actui purissimo quale Verbum est, repugnat per causalitatem à se distinctam exercere vim suam: undé bonus Thomista, actiones, quibus ad extra operatur Deus, non distinguit ab ipso ex S. Thoma: quorum ea est ratio: nam indigentia actuationis distinctæ venit à limitatione & potentialitate, quæ procul à Deo.

22 Tertiò, quia per id unitur Humanitati Verbum, per quod terminat ipsam, & complet: at ipsam per se ipsum complet, sustentat, & terminat. 4. Verbum se ipso est intelligibile, seque ipso visionem terminat, & unitur intelligibiliter ipsi, sine medio alio Verbo: ergo similiter in nostro casu. 5. Si qua ratio obstaret discursui identificantium unionem cum Verbo; maximè quia ab Æterno existeret sine exercitio uniendi. Id autem nó obstare patet tum in actione Divina ad extra, quæ ab æterno existit, & tamen suum effectum solum præstat in tempore: tum in essentia Divina, quæ præstat vicem verbi in intellectu beati, cujus verbi natura est unire intelligibiliter Beato Deum; & tamen existens ab æterno, id præstat in tempore. Tum demum in actibus liberis: cujus ad imitationem quis neget hic argui posse dando rationem doctrinæ totius, & disparitatem ad res creatas: nam Infinita perfectio ex sui excellentia continet perfectiones multiplicis entitatis creatæ; atque adeo potest quoad totam entitatem existere quin communicet formalem effectum.

23 Respondeo, & uno verbo antiquis Thomistis nego quadruplex assumptum argumenti quadruplicis. Nec recentium confirmationum fortuna est melior. Ad 1. nego sequelam, & suppositum probationis. Hallucinatio videtur in eo niti quod ratio intrinsecitatis recipiendi sonet: quod apertè falsum apparet casu, quo divinitùs Vnio cessaretur. Quid ea importet, attigi *sect.* 3. præcedentis disput. & *sect.* 6 præsentis attingam *num.* 186. ubi penes hoc appendam judicia Theologorum. *Infrà num. 186.*

24 Ad alteram (quicquid sit an Verbũ exerceat aliquod genus causæ, quod vult P. Amicus, contentus voce causæ purè hypostaticè terminativæ) concessa majori: negetur minor: imò actui purissimo repugnat ex cõcepta independentiæ suæ, ea colligatio cum ente finito: deobligatur enim ex eo ipso titulo ab exercitio: cujus distinctio, & temporalis existentia ideo non minuit rationem actus purissimi, quia nullam potentialitatem supponit, quam compleat, aut perficiat. Nec bonus Thomista debet identificare cum Deo omnem actionem ad extra, cum actio creaturæ, necessariò à Deo distincta, sit etiam actio Dei ex S. Thoma, qui si divinam volitionem vocat creationem, latè loquitur; & creationem accipit pro determinatione Divinæ voluntatis ad creandum in tempore: sic productio caloris solet dici calefactio; productio unionis, Vnio: productio albedinis, dealbatio. At hæc distinctio non ex eodem titulo est in Deo, ac in creaturis: In his est ex limitatione, & potentialitate: in illo, ex summa inconnexione, & independentia. Quidquod ex actione ad unionem est magna disparitas: nam illa non est muneris intrinseci terminis: Secus, ista. *P. Amic.* *S. Thomas.*

25 Ad 3. distinguo: per id per quod complet, & terminat, *ut quo*, & per modum exercitii, concedo: *ut quod*, & per modum termini hypostaticè terminantis, nego. Sic virtus est quæ causat, & dat esse effectui; non tamen id, medio quo causat, per modum exercitii. Ad 4. Verbũ seipso est intelligibile, & terminat visionem, *ut quod* & per modum objecti: non verò *ut quo*, & per modum exercitii: hoc enim est ipsa Visio, sibi identificans rationem Verbi, per quod immediatè & formaliter illabitur Deus menti Beatorum: quippe ipsa est essentialiter determinatio mentis ad Deum, & Dei ad mentem in genere possessivæ intuitionis. Similiter discurre de unione, quam jam faremur se ipsa intrinsecè affigi Verbo, & Humanitati; sed diversissimè. Ad 5. transeat assumpta major: & nego minorem; cujus probationes vel sunt falsæ suppositionis, vel omninò impertinentissimæ, ut vidimus. Nan intellectiones, & volitiones sunt connexionis unicè moralis, & intentionalis cum suis objectis; at unio est physica connexio cum suis terminis; atque adeo requirit eorũ præsentiam; sine qua nequit esse; ut illæ possunt: quæ disparitas est notanda quam maximè.

26 Objici specioſius posset ex Valentia, Martinon, & Vvadingo 1. Verbum vel habet ab intrinseco hunc modum, vel ab extrin- *Valentia. Martinon. Vvading.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

trinseco ? Non secundum : nam & ab ipso fluit ; & in ipso manet intrinsecè. Si ergo primum : ergo vitaliter : quod quis asserat: viveret enim Verbum per aliquid à se distinctum; defuisletque ab æterno aliquod vitæ genus in Deo, ipsi non implicans.

27 Secundò. Modus proportionari debet cum re, quam modificat ; & Vnio cum terminis, à quibus specificatur, & quos unit: ergo proportionari debet cum Humanitate, & cum Verbo, quoad esse entitativum, & physicum. At inter Verbum, & Humanitatem repugnat entitativa proportio : ergo & ens proportionatum utrique quoad entitatem.

28 Tertiò. Ens modale in genere entis est infimum; ens autem, cujus esse sit facere hominem Deum,& summæ excellétiæ,ut est súmæ excelétię quod præstat:repugnat ergo in terminis ereata Vnio hypostatica. Confirmatur : Nulla est qualitas (quæ quidem, ex genere suo,est modo perfectior) quæ nos formaliter reddat Deo gratos, sine ulteriori extrinseca Dei acceptatione,& cõdonatione peccati:ergo nulla est substantia quæ ex natura sua habeat facere Hominem Deum.

29 Quartò. Positis à parte rei quacumque re, vel modo potest Verbum cohibere hypostaticum influxum, nec fieri homo:ergo repugnat hæc unio,qualẽ adstruximus.Cosequẽtia liquet & antecedens ostenditur : tùm quia daretur alioquin ens, cui debita, imò & essentialis esset summa conjunctio cum Deo : quod videtur absurdum : si enim id competere Angelo, est contra summam Dei independentiam ; nullaque est excogitabilis Natura creata, cui debitum sit subsistere per infinitam subsistentiam: quanto magis absonat, id essentialiter competere reculæ entitatis exiguæ, qualis est modus? Tùm quia influxus hic hypostaticus est distinctus ab effectivo: ergo & separabilis. Tùm etiam quia repugnat ens, quod necesitet Deum ad se uniendum Humanitati ; ut repugnat ens necesitans, ut aliquid producat ad extra: talis autem esset hæc unio. Tùm insuper quia talis unio connotaret solum Verbum ut terminũ extrinsecum ; at sine connotato extrinseco conservari res potest: ut sine colorẽ existenti Visio. Tùm demum quia Nullum est ens creatum, quod sit in eodem ordine cum Deo: ergo nullum est quod exigere essentialiter debeat Deum ut terminum intrinsecè componentem unum subsistantiale cum Natura creata: talis autẽ esse deberet hæc unio nostra.

30 Quintò, & vltimò: nam ens indifferens, ut sit dextrum, vel sinistrum respectu alterius, sine ullius rei additione determinatè sit dextrum, vel sinistrum: sit que transitus ad contradictorium sine accessione ullius rei vel formæ : imò Saul ex non rege factus est Rex: quin ulla daretur in rebus variatio sive extrinsecè, sive intrinsecè : quidni similiter extrema sine ullius reculæ accessione transeant ex non unitis ad unita ? Hucusque Nostri cum & pro Thomistis, sed animosiùs certè, quam feliciùs.

31 Respondeo & ad 1. nego partem utrãque dilemmatis. Habet intrinsecè, non tamen ex determinatione, propensione, seu indigentia perficiendi se per effectum, quasi per actum suæ Naturæ proprium aut completivum sui: quod in viventibus sonat rem haberi ab intrinseco: quidquod negata cum Stoicis Vita purè physica,argumentatio nulla est. Ad secundum probans simili forma, Vnionem accidentis cum substantia substantialẽ, & accidentalem esse debere : spiritualem, & corpoream, quæ fit inter corpus, & animã; dicatur proportionẽ unionis & modi non esse metiendam ex entitate terminorũ, quasi debeat esse in eodem gradu naturæ; sed ex energia præstandi munus ad quod institutum est à Natura : cui præstando parum obest imparilitas in esse, ut patet ex adductis exemplis.

Stocorum opinio de Vita.

32 Ad 3. id est discrimen inter substantias has modales (quæ quoad esse vix differunt ab accidentibus,) & inter entitativas; quòd istæ sunt subjecta, quibus benefacit Deus : illæ, media perquæ benefacit, specificata ex dono, quod afferunt & exinde æstimabilia, quidquid sit de intrinseca entitativa perfectione sui: non enim æstimantur ex eo quod ipsæ sint excellentia quam volumus, sed quia via ad illam: quod non eis venit ex ratione entis, sed ex ratione connexionis cum summo bono : unde in genere entis possunt esse imperfectæ, & perfectæ in genere connectendi cum Deo. Quare transeat major: & distinguo minorem : est excellentiæ summæ in ratione doni, concedo: in ratione entis, nego Summa excellentia in genere entis est facere hominem Deum quasi per formam, seu quasi formam, unde talis denominatio sumitur ; non verò facere hominẽ Deum, quia est via, qua communicatur ipsa Divinitas : id enim non habetur ex ratione entis, sed ex ratione connexionis.

33 Ad confirmationem omisso antecedente

dente, quod falsum nunc censeo, nego consequentiam, & est disparitas, quia illa unio per Gratiam est moralis Dei nobiscum,hæc physica: illa, destruit quid morale, nempe peccatum, quod fieri nequit sine cessione divini juris ; quæ fortè dicit aliquem actum divinum; at hæc,constituit unum substantiale per se,& totum physicum : unde substantialiter debet unire Humanitatem Verbo,& Verbum Humanitati. Illa demum moraliter caussat remissionem peccati, media scilicet cõplacentia in eius bonitate que tanta non est quanta est peccati malitia: hæc caussat formaliter,& intrinsecè.

34 Ad 5. nego antecedens: nam hic hypostaticus influxus non distinguitur ab unione. Ad cujus primam probationem, redargutu facilem in complexo,cui debeatur hęc denominatio Dei hominis, nego sequelam: aliud enim est dari ens cui sit essentialis, & debita conjunctio cum Deo ; aliud est esse ens quod sit essentialis conjunctio cum Deo: illud sonat Naturam, cui debeat Deus esse conjunctus,cuique insit jus ad Divinitatem; hoc sonat,medium per quod elevare Naturam Deus posit : id autem non est absurdum,sed necessarium, ut Deus communicare se posit. Nec ille modus habet rationem juris,sed beneficii,omninò indebiti.

35 Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam : ut neque terminus separari potest ab omni actione, quantumvis distincta realiter. Ad 3. distinguo: Ens quod absolutè, & antecedenter necesitet, concedo: quod consequenter & ex suppositione necesitet, nego : nam& visio semel posita sic necesitat, ut Deus se intentionaliter Beato communicet ; & actio, ut producat: idque habent omnia dona Dei, ut si Deus se determinet ad illa conferenda, maneat exinde determinatus, ut donet : quod necesitari non est,sed uti donis suis, & libertate. Ad 4. nego antecedens imprimis: est enim Vnio intrinsecus duorum nexus. Deinde consequentiam : nam visio manere potest sine colore ex deffectu connexionis cum ejus existentia: at unio,cum sit duorum exercitium, cum eorum existentia connectitur essentialiter. Ad 5. concedo antecedens, strictè loquendo, nego consequentiam de ente creato id purè exigente, *ut quo* ; nam hæ rationes,quæ se habent, *ut quo*, cum sint via ad terminum, non habent ex genere entis vim suam,sed ex genere connexionis. Licèt ergo repugnet ens cui, *ut quod*, insit ea exigentia: non tamen repugnat ens,cui insit *ut quo*: sicuti neque repugnat ens cui insit exigentia intuitionis Dei *ut quo*, nempe Visio: repugnante cui insit,*ut quod*,nempe Natura intellectuali, cui visio beatifica debeatur.

36 Ad 6. & ultimum; nego assumptum in utroque casu : primus dicit variationem ubicationum. Alter actum Dei volentis dare Sauli potius quam alteri jus in subditos. At in humanis, inquies, cum è non Marchione, Marchionem facit Rex, quæ fit variatio rerum ? dico etiam fieri voluntatum variationem, nempe Regis volentis huic potius quã alteri dare jus Marchionatus in subditos: quid autem, & in quo consistat id jus,alterius est loci. Et certè istæ denominationes purè extrinsecæ, & morales quid faciunt ad rem nostram,ubi de intrinseca, physica, & substantiali denominatione sermo contexitur?

SECTIO II.

VNIO HYPOSTATICA NECESSARIO est modus ab Humanitatis productione distinctus.

§. 1.
RATIONES ASSERTI.

37 ARgumẽtor sic,& suadeo 1. si Vnio hypostatica foret ipsa productio Humanitatis, Humanitas foret assumpta ex vi creationis : ergo ipsa creatio esset formale jus ad assumptionem: ergo haberet assumi ex ipso jure creationis ; atque adeò Gratiam,quâ nulla sit major. Id autem dissonat Patribus, & rationi. Patribus; omninò distinguentibus contra Pelagium à jure creationis omne genus Divinæ Gratiæ, ut dictum est latè disputando de Auxiliis. Rationi : quia prius esse debet,ut creatura sit, quam ut bona sit ne superbiat, & ut agnoscat dependentiam à Deo suam in Donis. Illustratur hæc ratio

Patres contra Pelag. tract. de Deo Auxil

38 Primo:ipsa productio est essentialiter & ex conceptu suo titulus Divini Dominii, quo sit creatura dependens,serva Dei,infinitè distans ab esse infinito.ergo est ex conceptu suo titulus inferioritatis,servitutis,& summæ à Deo distantiæ in creatura. Hæc sunt certissima. Ergo nequit ex conceptu suo esse titulus possidendi physicè Deum,& accessus ad summã amicitiã cum ipsoDeo.Cõsequentia mihi liquet ex oppositione summa terminorum : si ergo ex conceptu suo pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

productio Humanitatis nequit esse titulus ita gloriosus: ergo neque hypostatica Vnio.

39 Illustratur 2. Actio productiva est ejusdem ordinis cum effectu, quem producit idque ex conceptu suo: nam totum esse actionis est in ordine ad terminum; est via ad ipsum & quasi canalis, quo rei communicatur essentia: ergo repugnat ex conceptu suo actio, quæ termini naturalis cum sit, sit ex suo conceptu supernaturalis: nã Ens naturale, & supernaturale sunt differetiæ, diversissimi ordinis: ergo actio productiva Humanitatis, quæ terminus naturalis est, nequit esse hypostatica Vnio: nã iste conceptus est conceptus supernaturalitatis. Omnia bene fluunt ex antecedente: quod ultra confirmo: tùm quia actio est formalis communicatio esse, quod tribuit: ergo est continentia illius ejusdem esse quod tribuit: non eminentialis: nam hæc est propria causæ: ergo formalis: repugnat ergo termini naturalis, supernaturalis productio. Tùm etiam quia actio ex genere suo est fœcunda ulterioris esse: ergo in ordine suo. Quis enim credat ens supernaturale ex cõceptu suo fœcũdũ, essentialiter deprimi, ut semper exerceatur infra suũ ordinem? Tùm quia Natura instituit actiones, gratia terminorũ, atque adeò commensurat his illas quantum potest. Tùm demum quia nihil videtur esse debere magis proportionatum essentiæ rei, quam illud medium, quo essentiã accipit. Huc recidit, si vim sit habitura, ratio, quam urgent aliqui conati eam actionem fore naturalem, & supernaturalem; debitam, & indebitam.

40 Illustratur 3. Illa actio poneret Humanitatem ex termino præsuppositio, ut illã intrinsecè sustentante, ex conceptu suo: produceret enim Humanitatem, vi talis actionis manentem in Verbo, & fluentem ab ipso atque adeo essentialiter præsuppositio: ergo esset actio imitans eductionem, & quasi eductiva Humanitatis à Verbo: quod certè Humanitatis productioni non congruit dicente post Hieronymum apolog. 2. *contra Rufinum*, & post Leonem *epist.* 11 S. Augustino *epist. 99. ad Evodium*: *ita sibi creavit animam Dei Filius, ut cæteris creat.* Confirmatur: Humanitas habet esse essentialiter independens à Verbo; tanquam à termino sui sustentativo: ergo actio Humanitatis essentialiter est communicatio talis independentiæ: ergo non est ipsamet dependentia: daret enim quod ipsa non habet: imò contradictorium esse.

Hieronym. Leo. Augustin.

41 Argumentor, & suadeo 2. Humanitas dependet à Verbo, tanquam à termino substantialiter complente in esse suppositi: ergo specialis dependentia, quam habet à Verbo, est à posteriori: ergo specialis hæc dependentia nequit identificari cum actione ipsius Humanitati productiva. Probo hanc consequentiã, entymema, ex quo video sequi, postmodum probaturus. Nam dependentia actionis à termino est positivè à priori: nam actio est essentialiter causalitas dantis esse, & actualis communicatio, qua agens se determinat ut det esse effectui: ergo tota dependentia, quam dicit à termino est dependentia connexionis præcedentis ad esse: ergo nequit esse dependentia qua formaliter supponatur ipsum esse termini quem producit, ut patet ex terminis: ergo nequit esse formalis dependentia à posteriori, quod idẽ est: & probandum assumpsi. Entymematis verò antecedens certissimum est: nam Humanitas pendet à Verbo tanquam à termino reddente substistentem: effectus autem primarius subsistentiæ ex *Disp. 1. sect. 2.* est complere Naturam ultimo substantialiter, seu in esse suppositi.

Sup. Disp. 1. sect. 2.

42 Probo jam consequentiam primam. Nã dependentia Naturæ à termino complẽte substantialiter ipsam est dependentia Naturæ à posteriori. 1. Nam & in Divinis subsistentiæ se habent à posteriori virtualiter; ut dici solet 2. quia terminus rei supponit initium, & terminus substantialiter completivus, rem quam ultimò compleat. 3. Et sit ratio à priori Doctrinæ rorius: nam dependentia Naturę à termino substantialiter completivo, nempe subsistentia, est dependentia Naturæ à proprietate, & proprietatis à Natura: Nullus enim hucusque Philosophus, ex quo nota est subsistentia, eam non agnovit ut proprietatem Naturæ: neq; aliud ex mysteriis fidei colligas; sed dependentia Naturæ à proptietate est dependentia à posteriori, & dependentia proprietatis à Natura est dependentia modi à principio, cui debetur: quis enim fingat proprietates rei rẽ præcedere; cũ *non entis non sint proprietates, & qui dat formam, dat ejus consequentiam* nempe proprietates, quasi appendices formę nec est mentio proprietatum, ubi non est origo entium inseparabilium à Natura? ergo dependentia Naturæ à termino substantialiter complente est dependentia à posteriori: est enim dependentia rei à termino essentialiter supponente illius existentiam, atque adeo

adeo & actionem productivam ipsius. Atqui Vnio hypostatica est specialis dependentia Humanitatis à Verbo: ergo supponit actionem productivam Humanitatis: ergo nequit esse ipsa productio.

Patres cũ S. Thoma. Bernal.

43 Argumentor, & suadeo 3. ex his, quę contra Patres, Theologiam, & Philosophiã solidiorem, cogitur admittere discursus iste. 1. cogitur admittere non præcessisse pro aliquo priori partes Humanitatis ad assumptionem: secus ac asserunt SS. PP. & specialiter S. Thom. 3. *p. q. 4. art. 2. & q. 6. art. 4. ad 3.* Secundo: cogitur admittere, omnem productionem substantialem esse subsistentiam: & exinde in Divinis, (unde arguit Bernal à pari, omnino impertinenter, ut videbimus) Productio Filii esse deberet subsistentia Filii; at Pater est Productio Filii: ergo & ipsius subsistentia contra fidem: In creatis, in opinione valde probabili indistinguente productiones à terminis, subsistentiæ forent idem cum Natura; in eisdem denique ipsa productio Humanitatis, cum sit productio substantialis sui, cur non esset sui subsistentia: unde in Christo esset pluralitas subsistentiæ. Nec dicas, ideo non esse quia est sui communicatio ad alienum suppositum: nam suppositum Christi non potest esse alienum respectu substantiæ, essentialiter ipsum exigentis ut terminum. 3. Cogitur admittere subsistentiã atq; adeo proprietates rerũ, ipsas præcedere, & caussare; & terminos esse priores initio, quod ex ipsis terminis implicat. 4. Cogitur admittere plutalitatem subsistentiarum in quovis composito, secus ac ex conceptu subsistentiæ jam diu mihi exploratum habeo. Hæc autem egent firmissimis fundamentis, qualia certè non sunt, quę Bernal objicit: sunt enim ipsistima quæ sibi jam ante Doctor Eximius, apud quem vide *disp. 8. sect. 1.* multa contra discursum Bernalis, qui

Suarez. Bernal.

§. II.

RESPONDETVR P. AVGVSTINO BERNAL, & aliis modernis, ab Authoritate pugnantibus.

S. Thom. Leo.

44 OBjicit 1. Longam seriem Patrum. Thomæ *art. 8. ad 3. dicentis* assumptionem *ratione differre* ab unione: ergo assumptio, quæ est actio, est realiter unio. Leonis *in Epist. Decret.* 11. dicentis, Naturã non prius, sed *ipsa assumptione creatam*: ergo assumptio & creatio Humanitatis, idem sonat. Augustini 35. *Enchiridii* dicentis de Christo; inde cæpisse, & inde incepisse, & *ipsa susceptione factum esse*: ergo susceptio quæ est hypostatica Vnio est actio. Gregorii Magni *lib. 9. Registri ep. 61.* dicentis: de Spiritu Sancto ex carne Virginis *concipi, fuisse ungi* ab Spiritu Sancto: ubi unctionem Spiritus Sancti nominat Vnionem hypostaticam, & identificat cum conceptione Humanitatis. Fulgentii sæpe *de Incarnatione* præsertim *cap 2. & 3.* dicentis ipsam *acceptionem carnis fuisse conceptionem Virginalem*; & *lib. de fid. cap.* 18. ipsum Verbum suæ *carnis acceptione conceptum*; ipsamq, *carnem* Verbi *Incarnatione conceptam*: quæ sunt ipsa verba Bernalis. Concilii Alexandrini *ep.* 10. *S. Cyrilli* dicentis, *Verbum in ipso utero Virginis sustentasse generationem carnalem*: quod intelligi nequit, nisi ipsa generatio terminetur ad Verbum, & ipsum uniat. Sextæ demum Synodi *act.* 11. dicentis de Humanitate: *in illo*, nempe Verbo, *& non per ipsam habuit existentiam*: ergo non habuit Humanitas existentiam nisi in Verbo: ergo quia per eandem actionem facta est Humanitas, & unita est Verbo.

Augustin. Gregor. Magn. Fulgent. Concil. Alexand. Cyrill. Sexta Syn.

45 Respondeo. Sanctus Thomas, ponit assertionem nostram *in corpore articuli*; unde contra nos esse nequit. Nota, assumptionem sumi formaliter posse, vel effectivè: sicut & Incarnatio & unio. Sic à S. Thom. Pater dicitur uniens Humanitatem, quia producit unionem. Assumptio effectivè realiter distinguitur ab Vnione: formaliter, solà ratione ex diverso conceptu, & connotato. Hæc est mens Thomæ. Alii Patres loquuntur de unitate durationis, qua Christi Humanitas simul producta est, & unita Verbo contra Nestorium, & alios errantes animam Christi præcessisse, & ante unionem in Cælo præexistisse, non verò de unitate actionum. Sic se & alios explicant Leo, Fulgentius, & Augustinus ubi citantur: & nos solemus dicere: idem in sole esse Lucere, & calefacere, identitate durationis, non verò actionum identitate. Quod si inculcant *ipsa assumptione creatam* Naturam, *ipsa* carnem *Incarnatione conceptã*: qui videntur termini ultra sensum intentum à Patribus excurrentes, nec subtiliter dicti; ideo præstant ut asserant, tam longe abesse ut ea Natura tempore præcesserit ad unionem, ut & unio non solùm una tempore fuerit cum productione Naturæ, sed hæc propter illam: neque enim extitisset ea Hu-

Mens S. Thomæ. Et aliorum SS. PP. contra Nestorium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manitas nisi assumptio esset. Quare ablativus, quo Patres se explicant, & quidem subtilissimè, & pleni mysterio, unà significat identitatem durationis contra Hæreticos, & simul finalem causam, & scopum productæ Humanitatis, ad ipsius excellentiam, & fidelium instructionem. Quo sensu non diceretur ineptè de Petro simul videnti, & ambulante ut videret: Petrus videt simul & visione deambulat: idest una cum visione, & ob visionem. Quo tota vis Bernalis infringitur contra communem hanc interpretationem Theologorum.

Longè à mente Bernalis.

46. Secundo fieri satis (stando rigori Scholastico) posset his Patribus per productionem, quæ indivisibiliter duplicem habeat terminum, Humanitatem ex una parte; & hypostaticam Vnionem ex altera, ut per se liquet. Quæ summùm doctrina, (quam de possibili probant Lugo & Arriaga; ille *disp.* 11. *sect.* 1. hic *disp.* 20. *num* 10. & de facto P. Koninch *disp.* 6. *dub.* 1. *de Incarnatione*, & P. Benedictus Robles *in doctissimis manuscriptis quæst.* 6. *& art.* 5. *dub.* 1. mihi nunquam placituri) ex his locutionibus infertur, & Bernali nihil favet.

Card de Lugo. Arriaga. Koninch. Robles.

47 Tertio veriùs, & ad ritum Scholæ præsiùs responderi Patribus posset ex Doctrina, quæ *sect.* 4. tribuet identicè Vnioni Hypostaticæ, vicem Humanæ. Ex illa cum Leone dicetur Humanitas *ipsa assumptione* creata; quia producta in esse Partium interse, unitarum, per Vnionis hypostaticæ productionem: in qua consistit effectiva assumptio; sicut & formalis in illa. Cum Augustino dicetur, Christus *ipsa susceptione factus*, nempe susceptione effectiva, efficienter, quia producta per illam est unio identicè Humana, & Hypostatica: susceptione formali, constitutivè, & formaliter, quia per ipsam & partes uniuntur interse, & cum Verbo. Cum Gregorio dicetur *formalis conceptio*, *ipsa Vnio Humana*, quæ ex accessu identico Hypostaticæ cum Verbo, Sanctificat simul, & ungit: unde concipi est ungi ab Spiritu Sancto. Cum Fulgentio *ipsa carnis acceptio*, quæ est hypostatica Vnio, dicetur *formalis Conceptio Virginis*: in Humana unione consistens. Cum Alexandrino dicetur *Verbum in utero sustentasse generationē* carnalem *in facto esse*, quia ea ipsa est Hypostaticus nexus, quo sustentat Humanitatem, & complet. Cum Sexta demum Synodo dicetur Humanitas *extitisse semper in Verbo*, quia nusquam unitæ interse sunt partes, nisi per unionem ad Verbum. Vide quàm expeditè: & variè Patres intelliges sine discursu Bernalis.

Explicantur aliter SS. PP. Leo. Augusti. Gregor. Fulgent. & Conc.

§. III.

RESPONDETVR EISDEM DISPVTANtibus à Ratione.

48 OBjicit 2. quia sic, nec aliter explicari aptè potest quomodo Virgo Maria citra metaphoram sit Mater Dei. Sic explicatur aptè, quia ipsa Humanitatis generatio præstita à Virgine fuit unio cum Deo. Non aliter: quia juxta Sententiam communem eatenus dici potest Dei Mater, quatenus producit Humanitatem, cui contingenter advenit, & valde de peraccidens unitri cum Deo. Id autem non sufficere, ut propriè Virgo Maria dicatur Mater Dei, nisi modo quo mulier dicitur Mater Regis, id est impropriè, sic probatur 1. quia ideò fœmina non dicitur propriè concipere Regem & Mater Regis: quia ejus actioni generativę non debetur illa denominatio in Filio, sed per accidens advenit; sed juxta opinionem communem Humanitati ex vi Marianæ generationis advenit de peraccidens unio cum Deo: ergo 2. ideo licèt aliæ Matres non attingant actione Personalitatem, dicuntur Matres hominis: quia & actioni, & termino producto debetur Personalitas; at neque Actioni Virginis, neque termino producto ab ipsa ut Mater est, debetur Personalitas Verbi. 3. qui licèt producat lignū, nihil producit vi cujus fiat calidum, non dicitur calfacere lignum, nec producere lignum calidum, nisi peraccidens, alio Agente fortuito calorem immittente: ergo similiter licèt Virgo produxerit Humanitatem, si nihil poneret vi cujus homo sit Deus, non dicetur propriè Mater Dei. Cui difficultati, quam gravem agnoscit Doctor Eximius *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 1 *sect.* 1. fine, planè satisfacit iste discursus.

P. Suarez.

49 Respondeo 1. cum ipso Suarez & communi sententia rectè, & propriissimè Mariam dici Dei Matrem: tùm quia eo ipso momento, quo unitę sunt partes à Virgine concursu materno, unitæ sunt Verbo, & Deus homo factus est: sic propriè Iudæi dicuntur interfecisse Deum; cujus utriusque ratio ex S. Thoma est quia sicut agere, ita nasci, & generari, est suppositorum. Tùm etiam, quia partes pro priori ad concursum Maternum Virginis consentur unitæ Verbo: unde accedente pro posteriori Virginis materno concursu, vi ejus coaluerunt in unum substantiale per se, Deum hominem. Quare magis propriè dicitur Virgo Mater Dei, quà Fœmina, Mater Regis: nam homini genito advenit dignitas Regia, ut accidens purè extrinsecum, atque adeo quin Vnam per se cum illo faciat; at subsistentia Divina vel supponitur intrinsecè in partibus pro priori Naturæ, vel advenit intrinsecè Humanitati, supplés in ipsa quod propria faceret, & cum ipsa constituens ens substantiale per se, quale poneretur in Humanitate quam concipit Virgo, & quale decet, & citra exigentiam aptum est poni in Humanitate, vi generationis humanæ intendentis per se suppositum: atque adeo quasi exigitur in æquivalenti, scilicet in termino, quem perfectissimè supplet.

S. Thomas.

50 Hucusque pro communi sententia: quâ certe expeditiùs salvat præsentem veritatem Bernal: quicquid ex Suarez opponat Aldrete *disp.* 32. *sect.* 4. *n.* 15. Respondeo 2. eo summùm argumento convinci actionem, qualem describit *num.* 46. actionem simul, & unionem Humanitatis ad Verbū, non convinci. Per illam enim salvaretur hic rigor, quem Bernal intendit, omnino plenissimè. Respondeo 3. Meliùs, & veriùs salvari Dei Maternitatem in Virgine, ex doctrina quam tetigi *num.* 47 & illustrabo *sect.* 4. asserendo formalem Virginis Conceptionem esse Hypostaticam unionem ad Verbum.

Bernal. Suarez. Aldretus.

Infrà sect. 4.

51 Objicit 3. Humanitas Christi Domini, sistitur in alieno supposito, & pendet à Verbo ut ab ipsa sustentante: ergo ex suæ vi productionis pendet à Verbo, ut termino unibili: ergo quia ipsa productio Humanitatis est unio ejusdem ad Verbum. Antecedens est certum, & utraque illatio probanda. Probo secundam: Nam res, quæ producitur in alio, seu dependenter ab alio, per eandem actionem, per quam producitur; unitur alteri: nec aliter explicabitur, qualiter res ex vi productionis suæ pendeat ab altero: idq; patet in accidentibus, & formis materialibus, per eandem indivisibilem rationem, & productis, & subjecto affixis: cur ergo si, quæ naturaliter producuntur dependenter ab altero, manent ipsi per eandem productionem unita; non ita pariter discurrendū de iis, quæ miraculosè producuntur dependenter ab altero?

52 Confirmatur: Res alioqui existens in alio naturaliter, per eandem actionem, per quam miraculosè fit independenter ab illo, existit per se; ut patet in accidentibus Eucharisticis: ergo res alioquin existens independenter ab alio naturaliter, per eandem actionem, per quam miraculosè fit dependenter ab illo, existit in ipso: ergo. Probo jā primam consequentiam. 1. quia alioquin Humanitas, ejusque productio essent indépendentes à Verbo. 2. quia pendere à Verbo sustentante, est habere existentiam sustētatam à Verbo: si ergo ex vi suæ productionis Humanitas nō pēdet à Verbo: nō potest habere existentiam pendentē specialiter à Verbo: nam hanc habet ex vi productionis.

53 Dices: Humanitatem pendere solum à Verbo ut sustentante à posteriori, ut essentia pendet à proprietatibus. Contra 1. quia ideo essentia pendet à proprietatibus, quia ipsi debentur, & illas hæc exigit à se fluere: quid simile in Humanitate ad Verbū? Cōtra 2. quia Natura nō pēdet à proprietate ut sustentante, sed potius ut sustentata. Contra 3. quia id est apertè concedere prius Humanitatem extitisse in se, quam in Verbo: non ergo potest explicari res ista, quin Humanitas pendeat ex vi suæ productionis à Verbo, ut à termino Vnibili. Hæc est potissima ratio P. Bernal quæ mihi magis quam eius, probat, discursum De Raconis, Theologis, & Bernali specialiter invisum.

Abra de Racon. seq. sect.

54 Respondeo 1. pro communi Sententia, cōtedo antecedens, de Verbo sustentante per modum hypostatici termini, completis ipsum in esse substantiali, seu in esse suppositi, ne quæstio purè vocalis sit, & nego primam consequentiam; cujus primam probationem distinguo: Humanitas ejusque productio essent independentes à Verbo, ut unibili à priori, concedo cōsequentiam: sunt enim entia, quę ut sint, non egent unionis ad Verbum à posteriori; subdistinguo: per se, concedo; peraccidens, ex defectu subsistentiæ propriæ, quam Humanitas, & productio exigunt, & quam supplet Verbum, nego consequentiam. Itaque, & productio & Humanitas pendent à Verbo, quatenus supplente defectum termini, sine quo nequeunt esse.

55 Ad secundam, concedo antecedens, quatenus habet existentiam à Verbo completā, qualem exigit habere per propriā subsistentiam, & multò melius: & nego consequentiam. Nec Humanitas pendet à posteriori per se à Verbo, ut essentia pendet à proprietatibus: quare hæc dependentia non exigit quod Verbū ipsi debeatur, sed quod de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

debeatur ipsi quod Verbum supplet, & sine quo non suppleto periret, aut violenta foret. Nec sustentatio, quâ subsistentia præstat Naturæ, est cõmunis aliis proprietatibus; nihil enim aliud sonat, (nisi hæreamus in nomine, cum Vulgo grammatico) quàm complementum substantiale, quo Natura *siggillatur inse*, & redditur *proprii juris* in ordine ad operationes ab ipsa procedentes, ut diximus *disp. 1. sect. 2.* Quidquod est magna disparitas à subsistentia creata ad Divinam Verbi: nam illa, utpote modus potius adjacet, quâ sustentat, potius habetur, quam habeat Naturam, & physicè obliquum est; at subsistentia Verbi sic complet Humanitatem ut habeat, & maneat principale rectum concreti. Nec demum id est concedere quod Humanitas unquâ existat in se completa sine Verbo, licet sit concedere actionem, & Humanitatem præcedere pro priori Naturæ ad unionem ad Verbum. Sed de hac dependentia dicam expensius *sect. seq.* Nunc satis instantiis Bernalis est factum.

Suprà disp. 1. sect. 2.

Vide sect. seq.

56 Respondeo etiam 2. pro eadem Sententia communi, negando secundam consequentiam: nam ad veritatem primi consequentis sufficit actio, quæ indivisibiliter Humanitatem, & unionem ejus ad Verbum producat, vel quæ absolutè connexa sit cum productione Vnionis; vel quę cum tali productione solum sit conditionatè connexa, casu nempe quo divinitùs suspendatur emanatio subsistentiæ propriæ. Ad prob. 1. permisso antecedente de his quæ connaturaliter fiunt dependenter ab altero, nego consequentiam, & sit ratio disparitatis, & major: nam in illis ipsum esse rerũ est inesse subjectis: cumque actiones sint proportionatæ Naturæ terminorum, seipsis formaliter & effectivè ponunt terminos quales esse exigunt: at in his, quæ solum miraculosè & peraccidens dependenter ab alio fiunt; ipsum esse, cui Natura conformat actiones, inexigit intrinsecitatem ad jacendi.

57 Secundò ad eandem probationem, nego anteced. res enim etiã quæ naturaliter fiunt dependenter ab alio, uniuntur ipsi permodũ ab actione distinctum. Et hujus probabilioris Philosophiæ ratio nunc est mihi 1. ipsa ratio actionis videtur exigere, ut ponat terminum, ne tamen cogat Agens primum, ut ipso perficiat; vel deturpet Naturam: quiusus decenter à primo distinguitur in favorem Divini dominii. 2. Quia perit actio plerumque, nec terminus desinit intrinsecè manere in subjecto, cui semel insuit: ut patet in Vbicationibus motu locali, vel impulsu factis; in quę eorum absceſſu manentibus; & patet in formis materialib' unum per se constituentibus cum materia: dicere verò ex sola conservatione variari composita, ridiculum est. 3. Quia & Vnio Humana fit dependenter à materia præsuppositа: uniri verò per actionem est accipere quod ipsa formaliter habet à Natura, excusante quantum potest otiositatem denominationum, & entium. 4. Quia dici solet, bilocato divinitus Corpori posse applicari duo Agentia, loco disita, quin necesse sit actionem, aut terminos bilocari, quod falsum esset: nam ipsamet actio esset unio termini cum corpore, atque adeò exigentia intrinseca physicæ indivisionis, non patientis ut terminus sit ubi non sit alter intrinsecè unitus.

Cur actio eductiva sit distincta ab Vnione.

58 Nec confirmatio valet: nam permisso antecedente, negatur consequentia. Ratio: tum quia actio antecedentis est creatio, quæ talis naturæ supponitur; consequentis autem actio non est eductio, quæ permittitur talis esse Naturæ qualis intendit Argues. Tùm etiã: quia adhuc dum naturaliter fit dependenter ab altero, res unitur ipsi per modum ab actione distinctum. Nec exinde fit explicatu difficilis eductionis essentia, dicendo eam esse, quæ producit terminum indigẽtem alterius, & finit ex conceptu suo succurri tali indigentiæ, utpote naturali. Quid si pendere ab alio *infieri*, diceret istius aliquem confluxum intrinsecum?

59 Respondeo jam 3. juxta doctrinam exhibendam *sect. 4.* distinguo primum consequens: ex vi suæ productionis, qua nempe fit Materia, & forma, nego consequentiã: ex vi productionis, qua Materia, & forma fiunt unitæ, & Humanitas, concedo primam consequentiam; & nego secundam: nam ad id muneris abundè sufficit, quod Vnio, qua partes interse conjunguntur, sit unio earum suique ad Verbum: eo enim ipso ex vi ejusdem productionis Humanitas existit, & existit in Verbo: nam ab eadem actione, fit unio partium inter se, & cum Verbo: sic res dicitur existere vi productionis, quia accipit mediã productione id quo formaliter existit: eo etiam ipso nec Humanitas, nec productio sunt independentes à Verbo: cum hęc ponat, & ab hac illa acoipiat formalem à Verbo dependentiam. Eo demum ipso ex vi productionis Humanitas accipit existẽtiã, non ut cumque, sed ut sustentatam à Verbo: nam

Infrà sect. 4. Latè.

nam per eandem actionem & uniuntur interse partes, & complentur ultimo in linea substantiali per Verbum.

§. IV.

VLTIMA OBIECTIO: VBI VVLGARIVM Axiomatum expositio non vulgaris.

60 OBjicit ultimò: Productionis, qua fiat Humanitas & Vnionis, qua ad Verbum uniatur, Identitas est ex se possibilis, & aliunde necessaria. Prima pars assumpti probatur: tùm quia non apparet contradictio. Tùm etiam quia creationi solum repugnat dependentia essentialis à termio, ut à subjecto, non verò ut à termino purè unibili. Secunda pars ostenditur 1. quia alioquin esset in Christo Personalitas creata: nam productio substantialis est subsistentia sui termini: tùm quia per illam, si creativa sit, fit res independens ab alieno supposito: ergo sistit in se. Tùm etiam quia accidens completur & existit in alio per inhærentiam, quæ est productio: ergo substantia completur per independentiam quæ sit productio. Tùm insuper, quia etiam in Divinis, unde novimus subsistentiam, subsistentiæ sunt productiones, nempe Relationes. Tùm demum quia nihil aliud restat in quo subsistentia stare possit. 2. Ostenditur ex illis axiomatis: *Non sunt multiplicanda entia, sine necessitate: Nec Natura per plura præstat, quod per pauciora potest.*

61 Respondeo negando utrãque partẽ assumpti: quamvis prima permissa, non sequitur altera. Ad probationem primæ primam, de hoc arguendi abusu, utilem alibi doctrinã expendi: & hìc repugnãtiæ satis apparentis non unam notam aperui. Ad alteram, nego etiam antecedens: nam creatio se ipsa discedit extremè ab opposita differentia eductionis, cujus naturæ foret illa productio termini in alio præsuppositо. Ad alterius partis probationem primam nego sequelam paradoxæ doctrinæ, qualis est dicere, initia esse posteriora terminis; & proprietatibus, Naturam. Nec independentia ab alieno supposito esse potest subsistentiæ munus, cũ id sit jam connaturale Naturæ.

62 Nec actio potest esse cõplementũ ultimũ termini, cũ termin' eo nõ extendatur ultra, quòd illud esse, quòd per actionem accipit, non indigeat altero: si enim indigeret ex se, connaturalis actio permitteret indigentiam: neque enim immutat essentias, sed communicat prout continentur in causis. Nec paritas ab accidentibus ulla est: tùm quia falsæ suppositionis: tùm quia accidens est essentialiter entis ens; completurque per id quo accipit inesse subjecto: at independentia illa quæ venit ex conceptu productionis non potest esse hypostaticum complementũ, cum finat in termino, ulteriori completioni locum ut patet in Anima Rationali.

63 Nec à Divinis paritas adducta, est ad rem: 1. nam illæ productiones sunt pro posteriori Naturæ, quam complent: secus, istæ creatæ. 2. Nam illæ productiones non producunt Naturam, quam reddunt subsistentem; secus, istæ. 3. Nam illæ productiones sunt productiones Personæ: secus, istæ. 4. Nam neque in Divinis productio, qua persona producitur, est ejus subsistentiæ ratio, sed termin' productus: quippe Pater est productio Filii; nec est ejus subsistentia: Pater & Filius sunt productio Spiritus Sancti, & ab ejus Personalitate distinguuntur: mẽlius ergo nos ex hac paritate contra Bernal arguimus, quam ipse contra nos posit. Nec demum deerit, in quo constituas subsistentiam, ut constabit ex decursu.

Augustin. Bernal. Sect. 4. §. 3

64 Altera probatio abutitur illis axiomatis. Dici solet communiter: *frustra fieri per plura*, quando res æquè commodè per pauciora fieret: & necessitatem, ad multiplicationem entium non debere esse extremã, sed ex ratione probabili congruam: quo fit satis Bernalio: quicquod necessitas extrema nunc est, & pluribus indigens.

65 Volo tamen data occasione, illorum axiomatum sensum, quem pauci callent, & quo plures abutuntur sine discrimine rerum & sententiarum, exactè nunc pendere, notando ex Eminentissimo Sfortia *Assert. Theolog. lib. 5. de Incarnatione cap. 10. num. 167. & seqq.* tria, ex quibus aptè fluat horum axiomatum explicatio. *Primum*: Naturam intendere substantias, gratia ipsarum: Accidentia verò, & modos substantiales (quos in hoc ab accidentibus non discernit) propter substantias, tanquam propter finem intrinsecum, & immediatum: substantias deinde irrationales propter Rationales, quæ solæ sunt amabiles amore benevolentiæ, tanquam propter finem extrinsecum, & mediatum. Ratio: quia id postulat ordo rerum, & providentiæ: ut optima quæque præcedant, & minus bona sint propter optima. *Secundum:*

Cardin. Sfortia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum: Naturam in substantiis quærere quantum potest perfectioné ex vi causarum, quæ sunt in hoc ordine rerum. Ratio: quia hoc ipsum est bonum ipsarum substantiarum, quas propter ipsas amat. *Tertium*: Naturam in accidentibus, & modis, quibus substantias perficit, separare potius quam adunare (quantum potest commodè) perfectiones. Ratio: quia hoc ipsum est bonum substantiæ, cujus gratia accidētia producuntur: estque ex duplici causa. Prima: ne uno scilicet accidente amisso, inter tot vicissitudines mutationum, & Agentium, quibus obnoxiæ substantiæ sunt, tota perfectio deperdatur: sic est bonum Diviti, Thesaurum habere in monetis pluribus, ne fiat unica amissione mendicus è divite. Secunda: quia contingere potest, quod unius perfectionis usus, saltem de peraccidens, repugnet alterius usui: præstatque distinctio perfectionum, ne talium usus mutuò impediantur interse.

66 Vnde fit Naturam, eas perfectiones quas semel esse voluit & statuit in substantiis per accidentia, vel per modos substantiales, potius eas distinguere in plures, quantum potest: nec alia potest afferri ratio cur in albo dulci, quod inseparabiliter tale videmus, non sit putandum accidens identicè dicens differentias dulcedinis, & albedinis: & sic in aliis, in quibus videmus accidentia plura, quæ præstari per unum possent. Non est ergo sensus axiomatum, qualis vulgo putatur.

67 Sensus primi est: Naturam nunquam producere aliquod ex illis entibus, quæ sunt bona solum ut media, nisi id necessarium sit ad totum illud bonum quod ipsa intendit ut finem. Ratio: quia id spectat ad prudentiam ipsius Naturæ operantis: & hoc est *non esse multiplicanda sine necessitate entia*. Secundi sensus: Naturam, si per unam simplicem, aut breviorem operationem potest consequi finem suum, non adhibere aut longiores, aut plures. Ratio est: quia connaturalius est operari per lineam rectam uti simplicissimam, & brevissimam: & hoc est *non debere per plura fieri quod per pauciora potest*.

SECTIO III.

VNIO HYPOSTATICA NEQVIT ESSE specialis influxus activus Verbi solius: ubi de dependentia Humanitatis a Verbo.

§. I.

PROBATIONES: VBI AN DIVINÆ Relationes possint agere specialiter ad extra?

68 DVo intendit assertio: de facto, alterum: alterum de possibili. Primum contra Rachonium aperte tuentem, & Prudentium ausum pro illo disputare, visumque protegere, ostendo 1. & contendo de fide. Tùm ex Lateranensi *sub Innocent. III. cap. firmiter de summa Trinitate*, sic loquente de Filio: *à tota Trinitate communiter Incarnatus, ex Maria semper Virgine*. Tùm ex Toletan. VI. *cap.* 1. sic dicente: *tota cooperata est Trinitas formationem susceptı hominis; quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis*. Tùm ex Toletan. XI. *in confessione* sic dicente: *Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas, operasse* (seu operata esse) *credenda est: quia inseparabilia sunt opera Trinitatis*. Tùm ex Ioann. 5. ubi Christus de se: *Non potest* (ait) *à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit; hæc & Filius similiter facit*. Vide PP. in id conspirantes clarissimis vocibus, & innumero penè censu apud Ruiz *disp.* 110. *de Trinitate à sect.* 2. Vel ergo istæ sanctiones de fide non sunt (quod nemo pius audiet) vel est de fide quoad factum Assertio nostra, sine qua stare earum veritas nequit. Vnde Augustinus *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 4. cum dixisset: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur*: addit: *hæc etiam mea fides est, quoniam hæc est catholica fides*.

Abra de Racon. *Prudent.* *Lateranen. sub Innoc. III.* *Toletan. VI. & XI.* *Ioann. 5.* *SS. Patres apud Ruiz præsertim Augustin.*

69 Ostendo 2. ille specialis Influxus Verbi vel est purè effectivus vel non? Si primum: ergo non unit Humanitatem Verbo; nec substantialiter hoc illi communicat ad Mysterium. Patet illatio: nam purè rem effici, non est uniri effectum Agenti: tùm ex horum diversitate, & separatione conceptuum: producere, & Vniri: unionis, & productionis: tùm quia Trinitas maneret unita, cuicumque dat esse. Si ergo 2. ergo est effectivus, & unitivus. Includo jam Rachonii in circulo: quo ut exiret, ivit in hæc contra Theologos omnes: & rogo: vel communicat intrinsecè Verbum Humanitati qua effectivum, vel qua unicivū? Non primum ex prima parte dilemmatis superioris. Si ergo 2. ergo formalitas influxus in illo modo super flua est: vel dicat, quod à nobis interrogat: cur non Verbum mutat? quid habet ille modus, ut unio est, cur potius sit unio Filii, quā Spiritus Sancti? quid est in Verbo esse terminum intrinsecum illius influxus, ut unio est? cur si Pater, & Spiritus Sanctus non indistant ab Humanitate, & ab hoc modo, uterque utrumque non terminant intrinsecè? Dicere cum Prudentio *disp. illa* 1. *tract.* 3. *nu.* 28. quia non sunt Pater, & Spiritus Sanctus in illis per potentiam est impertinens: esse enim per potentiam est efficere modum: modum efficere vel non efficere quid facit, ut per illum uniaris, aut non? mitto plurima, quæ facilè colligentur ex dictis, vel quæ facilè sua cuique mens suggeret.

Racon. *Prudent.*

70 Alterum de possibili contra Prudentium, & Ripaldam subdubitantes in Oppositum *Locis suprà citatis*, & Arriagam *tom.* 1 *tract. de Vis. disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 34. Ostendo 1. ex authoritate communi omnium PP. & Theolog. apud Ruiz *cit.* 2. quia hæc actionum ad extra divisio sapit Arianismum, ut ex erroribus apud ipsum Ruiz *ubi suprà* legendis constabit. 3. Quia Sanctiones illæ Conciliorum, & PP. Loquuntur etiam de possibili; & innituntur inseparabilitate operum divinorum ad extra; atque adeò absolutè falsificarentur, ex falso motivo. 4. Quia omnia posse seu Omnipotentia est virtus ad extra productiva, toti Trinitati communis, & simpliciter infinita in suo genere: ergo est necessitas ne sit ens ad extra quod ab ipsa non sit, aut ullus essendi modus, qui non producatur ab ipsa: si enim daretur ens quod ab omnipotentia non foret, aut esset modus essendi, qui non emanaret ab ipsa; jam nō esset virtus omnipotens. Atqui quod Deo convenit ratione prædicati communis, toti convenit Trinitati: ergo & actio ad extra.

M. Prud. Ripald. & Arriag. Ruiz de Montoya.

71 Dices ex Ripalda, & Prudētio, posse hæc ita componi, ut opus ad extra sit ex Attributo Omnipotentiæ à tota Trinitate, & ex notionali virtute specialiter ab una Persona, vel per eandem, vel per diversam actionem, quo vitatur absurdum. Contra Virtutem illam notionalem, mox. Contra nunc: nam si diversa sit actio: jam est aliquid, quod in Omnipotentia contentum non sit, & toti Trinitati commune. Si eadem: jam operatur una Persona dissimiliter, ac alia ad extra contra Verba Christi Domini supra relata, & constantem Conciliorum, & PP. intelligentiam.

Evasio Ripaldæ. & Prud. refellitur.

72 Confirmatur efficacissimè: nam si semel inveniri potest in aliqua Creatura titulus, ut vel per diversam, aut per eandem realiter actionem magis pendeat, & oriatur ab una, quam ab alia Persona: ut Adversarii rimantur in Visione ex titulo imaginis; & in Vnione hypostatica ex titulo specialis hypostaticæ communicationis: idque citra infinitudinem, & conceptum Divinæ Omnipotentiæ: qua ratione se tuebuntur ab iis qui similes, vel fortioris energiæ titulos prætexant in aliis creaturis, ut specialiter, vel ab aliquo Attributo, vel Relatione nascantur? Vnde plures erunt effectus specialiter exempti a Divina Omnipotentia: nec erit nobis ulla ratio tuendi indivisionē operum divinorum ad extra contra Arianos: nam Theologis alia hucusque non fuit, quam ea quam in argumento exhibui, nempe Omnipotentiam esse communem tribus Personis: eamque ex suo conceptu, & infinitudine esse totam Dei activitatem, & operandi virtutem ad extra. Eos autem, & fortioris energiæ titulos, invenire post discursum adversariorum est facile. Cur enim ea, quæ ex Scripturæ, Conciliorum & PP. ore potius uni qual alteri Personæ tribuuntur, non erunt ita propria, ratione specialis influxus, per quem specialem appropriationem intelligas? Cur Gratia, *quæ rigorosioris est similitudinis cum Divina* Natura, quam imago intentionalis cum objecto suo non exiget specialem influxum à Natura? Cur Charitas, ab Spiritu Sancto, cui specialiter attribuitur, & qui specialiter procedere dicitur ex amore, vel ut amor, speciali influxu non fluat in nos? Sic discurrere potest in alia, ut bene ponderat Herize *in* 1. *par. tract.* 4. *disp.* 42 *n.* 27.

Herize.

73 Quinto: repugnat Deum esse omniscium ex prædicato communi, atque adeò Patrem; si quidquam sciat Filius, quod non Pater; aut modo aliquo speciali sciendi, quo Pater non sciat: eo enim ipso esset Filius plusquam Pater, sciens: ergo repugnat Deū esse Omnipotentem ex prædicato communi, atque adeò Patrem, si quicquam producat Filius, quod non Pater, aut modo, quo Pater non producat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

74 Sextò. Nam vel Filius (idem eſto de quavis alia Perſona) ſpecialiter produceret ex Virtute Omnipotentiæ communi Tribus Perſonis, vel ex virtute notionali ſolius propria ? Non primũ: quia ſi attributum eſt commune, erit & actio: quis enim applicaret Omnipotentiam potius ad Filiũ, quam ad Patrem cum ſit virtus toti Trinitati communis, & effectuum eſſentialiter pendentiũ à virtute cõmuni? Vt enim implicat, quod cognoſcente Filio, Pater nolit cognoſcere, quia ex attributo communi cognoſcit uterque, neq; ipſis penes hanc diviſionem libertas eſt: ita pariter in caſu noſtro.

Neque ſecundum, tùm quia prædicata, quæ ex ſuo conceptu relativa non ſunt, nec oppoſita cum aliis Perſonis, ſunt toti Trinitati communia: alioquin liceret multiplicare juxta numerum relationum ſingula attributa Dei: at virtus productiva ad extra non dicit ex ſuo conceptu relationem, nec oppoſitionem ad intra. Tùm etiam, quia jam Attributũ abſolutum non eſſet Omnipotentia, cum eſſet virtus ad extra productiva, quam ipſa non diceret in linea ſua: unde nec diceret omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem in genere ſuo. Tùm inſuper, quia jam in Deo, & Tribus Perſonis non eſſet eadem virtus, potentia, & actio, ut eſt eadem eſſentia, ſecus ac contra Hæreticos clamant Patres, & diſſertiſsimè Damaſcenus, & Cyrillus: hic ex identitate actionis, & virtutis diſputans pro identitate Naturæ *lib.* 1. *Theſaur. cap.* 9. *med. lib.* 2. *c.* 2. *fin. & lib.* 12. *c.* 1. *init.* ille ex eadem identitate preſsè verificans Verba Ioannis adducta *lib.* 4. *de fid. cap* 19. Non eſſet autem apta conſequentia ex identitate operationis ad Naturæ Identitatem: niſi operationis identitas veniret ex neceſsitate ſemper agendi cũ omnimoda unitate, æqualitate, & uniformitate Virtutis, & modi in operando: nam per eandem actionem concurrere duo diverſæ Naturæ Agentia poſſunt, utpatet: & advertendum eſt maximè, ut SS. PP. diſcurſum, & conſequentiam teneas.

SS. Patres Damaſc. Cyrillus.

Tùm præterea, quia ſi daretur virtus notionalis propria Filii, v. g. dari poſſet effectus proprius Filii: cumque res ex titulo actionis debeant venerationem, & adorationem, & ſubjectionem ſuo primo Principio ex Dionyſio *de Divin. nom cap.* 2. dari poſſet effectus & creatura quæ plus eſſet Filii, quam Trinitatis, magiſque deberet ex natura ſua venerari, ac adorare unam, quam tres Perſonas: quod eſt laborare pro Arianiſmo novo.

Dionyſ.

75 Tùm demum (& ſit ratio Doctrinæ totius à priori) quia Trinitas, ſeu Deus ut Trinus, atq; adeò Perſonæ Divinæ, ut contradiſtinctæ ab eſſencia, licèt cõtineant creaturas, continentia perfectionis, & infinitudinis, infinitè ſuperante perfectionẽ illarum, nõ tamẽ poſſunt eas continere, continentia emanativa, & productiva; atque adeò nec eſſe virtus ad extra productiva, quod idem eſt. Aſſumpti ratio. Nam continentia emanativa dicit modum eſſendi proportionalem effectui: hic enim eſt imitatio ſuæ cauſſæ præſtita per actionem, quæ quaſi phyſica quædam cognatio inter effectum, & cauſam, hujus illi ſpeciem aliqualem imprimit: unde ſolemus cauſam quærere per effectus, quaſi per quaſdam imitationes illius. At creaturæ habent eſſendi modum, nihili imitativum, imò quaſi inverſum, & quaſi contrarium modo eſſendi Dei ut Trini: Nam Creaturæ ſunt ens in ſe. ut dicit ens concretum eſſentiæ: non ita Relationes: Creaturæ ſunt ens in ſe per identatem omnium, & cum omnibus, quibus aliquod ſuum prædicatum eſt idem: non ita Relationes. Ex ipſa rerum Creaturarum Natura, quo magis eam penetres, eſt inopinabilis magis, & quaſi incredibilis Trinitas: eſt enim ex ipſa notione Creaturarum omninò admirabilis: & admirabile conſiſtit in eo, quod ſit vel ſupra, vel contra ſuſpicionem, & præſumptionem eorum, quibus eſt admirabile: ergo continentia Creaturarum emanativa, & productiva nequit eſſe Deus ut Trinus, aut Perſonæ, ut contradiſtinctæ ab eſſentia.

76 Quæ omnia dixi, zelo veriſsimi axiomatis: *Opera ad extra ſunt toti Trinitati communia, & indiviſa*, ſupponi jam ſoliti, non probari: imò vocati nuper in dubiũ à Theologis, quos per hæc inſequor: quibus adde Meratium, & Araujum, variè tentates limitationem axiomatis univerſaliſsimi, illum *tom.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *hunc tom.* 1. *in* 3 *p. q.* 1. *art.* 2. *dub.* 5. contra quos lętor poſt hæc ſcripta vidiſſe P. Aldrete *tom.* 2. *de Incarnat. diſp.* 50. *ſect.* 1.

Meratius. Araujus.

Aldrete.

§. II.

ARGVMENTA DIFFICILIA.

77 OBjicies 1. pro poſsibilitate ſpecialis influxus ex Ripalda, & Prudentio, ſupponentibus ad argumentum duo. Pri-

Ripalda. M. Prud.

Primum: poſſe intuitivè videri unam Perſonam, ſine alia. Id quod de poſsibili, tenent Moderni plurimi cum Schotiſtis. Alterum: Intuitionem oriri debere ab objecto, utpote ipſius imaginem, vel immediatè influente per ſe, vel per ſpeciem propriam ſui: qui cõcurſus, licèt dicatur objectivus, quia præſtatur ab objecto titulo objecti, tamen effectivus eſt: nam concurſus ſpecierum alius, eſt imperceptibilis. Inde ſic arguunt. Implicat videri unam Perſonam ſine alia; una ſine alia non cõcurrente ſpecialiter effectivè, ut objectum eſt, ad imaginem propriam ſui: ſed Perſonam unam ſine alia videri non implicat: ergo nec ſequela ſpecialis influxus. Conſequentia ex vi formæ evidens, reddit conſequens ex præmiſſarum probabilitate probabile: nec ultra ſe extendunt Authores, quos impugno, colligentes inde ſic: ſi ergo non implicat (id enim cogimur fateri probabile) ſpecialis influxus unius Perſonæ in viſionem ſui: in Vnionem ſpecialem ſui cur implicet?

Schotiſtæ.

78 Confirmatur: Vel implicat ſpecies propria unius Perſonæ, vel non? Si 2. ergo illa producit ſpecialiter vice unius Perſonæ, & non alterius: cur ergo ſi dari poteſt ens, medio quo, vel in quo una Perſona ſpecialiter influat in effectum alioqui communem; ipſa immediatè per ſe non poſsit? Si 1. ergo Omnipotentia concurrit vice objecti pro una, & non pro altera Perſona: quod non eſt intellectu facile: tùm quia cum ſpecies eſt eſſentialiter cõmunis, eſt etiã & viſio. Tùm etiam, quia Omnipotentiæ concurſus eſt omninò & purè effectivus. Tùm inſuper quia ſi Omnipotentia non alligat ſpecialiter actionem objecto ſpeciali, non explicabitur qualis ſit ejus concurſus vice objecti: hæc autem alligatio, quam Deus facit cũ creaturis titulo inferioritatis, & ſubjectionis earum per ſpeciale decretum, cur fieri non poſsit cum Perſonalitatibus Divinis titulo ſuæ perfectionis, & conjunctionis, aut viſibilitatis earum per ſpeciale decretum? Sic enim potius extenditur ſphæra Omnipotentiæ, & modus operandi Divinus. Multa miſcet objectio.

79 Reſpondeo duo illa eſſe falſa: & quidem ex hoc ipſo diſcurſu, quem late Aldretus exaggerat *diſp.* 5. *de Viſ. tota ſect.* 3. Deinde primum eſſe extrinſecè probabile: non æquè ſecundum. Vndenam enim Intuitio eſſe debet imago, quæ ſpecialem objecti influxum exigat; cum intuitiones divinæ rerũ non oriantur ab illis? undenam ratio imaginis exigere plus poteſt, quam oriri à prædicato identificato realiter cum objecto, qualis eſt Omnipotentia cum Relationibus, cum plerumque ſufficiat oriri à prædicato diſtincto, nempe ſpecie? Vndenam Omnipotentia non præſtet illum ſpecialem influxum objectivum, qui conſiſtat in eo, quod viſionem determinet ut expreſsiva ſit potius hujus quam alterius, cũ nec in ſpecie impreſſa, aliter ſit (ſecluſa quæſtione nominum) explicabilis? Inſuper hoc ſecundũ nec eſſe poteſt abſolutè probabile, ſi ratione certæ repugnet; qualis eſt caſus noſtri: ubi Philoſophia, & privata judicia, fidei, & SS. PP. Sententiis ancillatura ſunt; nõ è converſò hæc illis. Præterea, qualis is cumque fuerit titulus inveniendi influxum ſpecialem in Viſionem: qui par eſt titulus in Vnione: cujus terminatio nullum dicit, aut exigit ex conceptu ſuo modum agendi? imò plus plerumque paſsionis, quam actionis importat. Demum, nego majorem ſyllogiſmi, & argumenti totius, etiam permiſsis præſciſsionibus his in Viſione.

P. Aldret.

80 Ad dilemma confirmationis non implicet illa ſpecies: fiet à tota Trinitate; & per actionem toti Trinitati communem determinabit intellectum creatum ad viſionem unius potius, quam alterius Perſonæ: quia unius potius, quam alterius Perſonæ Viſionem continet: idque eſt ipſam concurrere vice objecti, ſecluſis vocibus, & nihil ſimile ſolitario influxui Perſonæ unius. Implicet ea ſpecies; cur Omnipotentia modo ſuprà inſinuato non concurret vice objecti: non tamẽ per illã alligationẽ actionis intentam ab Augente: nam alligatio actionis ut actio eſt, ad terminum, qui ſpecialiter non ſit operativus, nec abſolutè operativus ex ſpeciali virtute ſed ex communi, repugnat ex terminis ex *num.* 74. aliam alligationem ut viſionis ad terminum ſpecialiter, vel unicè expreſſum, non nego, ſuppoſitione præſciſsionis ad miſſa. Vide quo recidat tota argumenti machina!

81 Objicies 2. pro ejuſdem influxus poſsibilitate: Immenſitas Dei eſt Attributum æquè commune toti Trinitati, & æquè infinitum in linea ſua, ac eſt Omnipotentia; ſed nec immenſitatis communitati, nec infinitati derogat quod una Perſona ſpecialiter correſpondeat enti creato modo, quo altera non correſpondeat: vt docet de hoc Myſterio fides: in quo vi unionis exiſtit in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Humanitate Verbum, modo quo nec Pater, nec Spiritus Sanctus: ergo nec communitati, nec infinitudini Omnipotentiæ derogabit, quod una Persona specialiter influat in eius creatum, modo quo non influat altera.

82 Confirmatur 1. vi unionis ita fit Humanitati præsens Verbum, ut etiam præcisso Immensitatis Attributo, vi unionis in ipsa maneat: ergo vi unionis existeret in Humanitate Verbum, etiã si non foret immensum: ergo quod habet à sua immensitate toti Trinitati communi, etiam ipsa deficiente respectivè ad Humanitatem haberet ex vi unionis: ergo Vnio est modus specialis correspondendi rebus ab immensitate distinctus: cur ergo repugnet modus specialis producendi ab Omnipotentia distinctus? & Vrgetur: licet Deo sit essentiale, & commune esse in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam, ut dici solet: non repugnat alicui Personæ modus essendi in rebus specialis ex his tribus: cur ergo repugnet, & modus specialis essendi per potentiam?

83 Confirmatur 2. posse communicari ad extra est essentiale, & commune Deo, ut est bonitas: cujus est Natura, se posse diffundere: at non implicat specialis communicabilitas unius Personæ propria: cur ergo licet omnia posse sit Deo essentiale, & commune, repugnet specialis activitas unius Personæ ad extra? Confirmatur 3. Non repugnat specialis unibilitas in una Persona: ergo neque specialis activitas. Probo consequentiam, nam vel hæc sequitur, vel infirmantur rationes nostræ: Nam illa unibilitas non est ex conceptu suo relativa ad intra; & est tamen propria Personarum: non est ex conceptu suo Pater in Patre; nec communicat Filio: est modus se habendi divinus ad extra; nec tamen est communis: quæ ergo potest esse disparitas antecedentis ad consequens? Fateor argumenti (quod solus objeci) difficultatem: cujus solutionem discere mallem, quam docere.

84 Notanda sunt ad responsionem quatuor. Primum: Aliud est Deum esse Immensum: & aliud esse in rebus. Illud est perfectio simpliciter simplex, Deo indeffectibilis, consistitque in perfectissima necessitate, ne sit extra se aliquid, & ut sit se toto summè diffusus cum omnimoda simplicitate sui. Istud est Deo deffectibile, & absolutè Liberum; ut est ipsi Liberum, quod creaturæ sint. Vnde licèt posita creatura, Deus necessario indistet ab ipsa, genere indistantiæ infra constitutionẽ summo, ex Attributo Immensitatis: hæc tamen non est alligatio Dei absoluta cũ ulla re: multò minus, intrinseca: nã licet indistantia Dei à creaturis, sit in suo genere summa; at genus illud indistantiæ non est genus indistantiæ absolutæ, & constitutivæ: neque enim id est munus immensitatis, nec essentiale Deo, nec ipsi ex ullo attributo necessarium, quovis etiam exercitio posito alterius Attributi in genere suo: quare possunt omnia Attributa exercere se in genere suo, quin vi ullius necessitatus sit ad unum substantiale cum creatura.

85 Secundum: in hac denominatione Verbi Vniti duo importantur: esse Verbum Humanitati præsens: & esse illi communicatum intimè quoad esse Proprium, constituendo cum ipsa suppositum, medio suæ unibilitatis exercitio. Primum habet Verbum ab immensitate: per quam, posita conditione productionis, summè indistat ab ipsa, eo genere indistantiæ, quo maneat extra, constitutionem, & completionem rei: idque æquè habẽt Personæ cæteræ, quia Attributum commune est. Alterum habet Verbum speciale, ex Natura Vnionis terminatæ ad ipsum in eo quod est ipsi Proprium: unde Vnio, supposita essentialiter illa indistãtia, immensitas, facit aliam in alio genere diversissimam, vi cujus Verbum, in eo quod cũ cæteris Personis non communicat, communicat cum Humanitate, dando illi formaliter esse Proprium. Quare ex his, & ex notabili 1. Vnio nec respectivè facit vices immensitatis, sed supponit.

86 Tertium: Id inter producere, & esse per Vnionem in aliquo, discrimen intervenit: quod producere, cum sit exercitium dantis esse, supponit ex conceptu suo virtutem ad extra productivam, præcontentivam illius esse, quod confert. Esse verò per Vnionem in aliquo, solum dicit communicationem sui esse Proprii, quo juxta genus unionis perficit, & complet extremum, cui se dat formaliter. Cum verò Virtus ad extra productiva, sit ex genere suo communis toti Trinitati: nam Deo, ut Deus est, competit dominium omnium extra se entium, atque adeò productio; nõ potest esse actio propria Personæ, sine detrimento Omnipotentiæ: nam eo ipso Deus, ut Deus, non esset omnis virtus, & omnimodè activa creaturarũ, quarum est omnimodè Dominus. At cuique Personæ, quia & distinguitur ab alia, & proprietate constituitur, est specialis vis terminan-

nandi Naturam, æquivalens infinitè omni complemento, quod à rebus infra se venire potest; atque adeò sine detrimento alicujus prædicati communis, potest specialiter exercere, quod sui est, dando formaliter esse proprium, per communicationem tamen, toti Trinitati effectivè communem.

87 Quartum: Vnibilitas in Personis non est Perfectio diversa à Relatione: nam ipsa Relatio, cum sit ex se terminativa Naturę infinitæ, ex hoc ipso conceptu manet perfectissimè æquivalẽs omni terminationi substantiali, quæ per entia infra se præstari potest, in genere suo: quod est esse unibile alteri, elevando ad esse Divini suppositi. Ex his aptè descendit solutio argumenti totius.

88 Respondeo, & distinguo minorem: quod una Persona correspondeat rebus, modo, quo non altera intra genus correspondentiæ immensitatis, nego minorem: extra illud genus, & in genere valde diverso, concedo minorem, & nego consequentiam ex doctrina primi, & tertii notabilis: ubi data disparitas, & ratio major. Ad 1. confirmationem, suppositio est impossibilis, & quidem contra exigentiam Causæ Primæ, & naturam ipsius unionis: unde ipsa unio manet ex ea ipsa suppositione impossibilis: nam ipsa Natura Vnionis ex cõceptu effectus habet hanc specialem indigentiam indistandi à suo principio: Vt enim Deo asignanda est summa independentia à terminis; his attribuenda, quanta congruit conceptui creaturæ dependentia à Deo: ut bene Quiròs *in quæstionibus ad 1. p. q. 8. art. 1. nu. 6.* Deinde distinguo antecedens: vi unionis in ipsa maneret, genere indistandi infra constitutionem proprio verbi, nego: cæteris Personis cõmuni, concedo: nã ea unio ex essentiali sua depẽdentia à creatore, indigeret illa indistantia: gen. indistantiæ propriũ Verbi esset, quo cũ ipsa constitueret unum substantiale Perse. Vnde permisso primo consequente, nego secundã & ultimã consequentiam ex eisdem notabilibus: ex quibus ad instantiam adjunctam patet, modum hunc unionis, non esse ex genere illorum, quibus Deus esse dicitur in rebus per essentiã: præsentiã, & potentiã: quare vel absolutè negetur antecedens, vel eo, uti suprà, distincto, negetur consequentia. Ad alteram confirmationem dicatur: posse communicari ad extra per participationem suarum perfectionum, factam per emanationem rerum imitantium sui causam, esse essentiale Deo ex Natura suæ bonitatis;

P. Quiròs.

at posse communicare quoad esse proprium dando hoc ipsum formaliter, proprium esse debet suppositi, cujus est proprium esse, quod datur. Neque illud est verum nisi de perfectionibus à creatura imitabilibus: sunt enim multæ in Deo inimitabiles, ex quibus ex ipsis rerum Naturis redditur admirabilis. Vltima confirmatio per notabilia præclusa est, tertium præsertim, & ultimum.

§. III.

ALIVD ARGVMENTVM: VBI DE DEpendentia Humanitatis à Verbo.

89 OBjicies demum tertio pro ipso rei facto: si unio Hypostatica non consisteret in influxu speciali Verbi solius; nec explicari potest in quo consistat dependentia Humanitatis à Verbo: nec dari ratio cur tota Trinitas Incarnata non maneat ex vi unionis. Prima pars assumpti probatur: Tùm quia depẽdentia Humanitatis à Verbo, est dependentia creaturæ à Deo: at dependẽtia creaturæ à Deo est effectiva, & à priori: aliud enim depẽdentiæ gen. nõ est creaturę à Deo, sed creaturæ à creaturis, neque est dependentia, quæ sine imperfectione concipi possit. Tùm etiam, quia conceptus unionis, & dependẽtiæ sunt separabiles, & indepẽdentes: & omninò diversi: nam unio ex conceptu suo tendit ad componendum: dependentia verò ordinatur ad esse rei: imò dicit ipsum rei esse indigens altero, ut sit: qua autem ratione indiget altero ut sit, si ponatur esse, antecedenter ab speciali dependentia respectu illius: ergo nisi Vnio dicat specialem influxum, explicari non potest in quo consistat dependentia Humanitatis à Verbo.

90 Altera pars ostenditur: nam vi unionis tota Trinitas manet intimè Humanitati conjuncta: quod sic suadeo: tùm quia, unio est essentialiter dependentia, vi cujus indiget indistantia sui à creatore: ergo est essentialiter ratio indistandi à Deo, atque adeo à tota Trinitate: ergo est essentialiter ratio indistandi Humanitatis à Deo, & à tota Trinitate. Probo consequentiam, quia implicat quod unio sit essentialiter indistantia sui ab Humanitate, & sui à Deo, quin eo ipso sit ratio faciens indistare Humanitatem à Deo. Tùm etiam, quia Vnio semel posita, est essentialiter conditio, sub qua Deus ratione suæ Immensitatis indistat intimè ab ipsa, & con-

se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequenter ab omni, à quo indistet Vnio: quid ergo habet specialiter Verbum, si secludas influxum? Dices, habere terminationem intrinsecam. Contra: nam hæc terminatio intrinseca vel nihil aliud sonat, quam quod unitum Humanitati maneat: & de hoc expectatur specialis ratio: vel nihil aliud sonat, quam quod vi unionis terminetur Humanitas Verbo: at quid hoc est præter quam assistere Verbum intimè Humanitati, posita unione: & hoc probavimus esse toti Trinitati commune? Respondeo, &

Suprà disp. 1. sect. 3. à nu. 54 & hic à n. 186

91 Nego utramque sequelam. Secundæ probatio præclusa jam est *disp. 1. sect. 3.* & rursus *sect. 6.* præsentis eventilabitur: ubi de unionis intrinsecitate respectu Verbi. Distinguo nunc propositionē æquivocā: manet conjuncta, id est, infra constitutionem indistans, Omitto: manet conjuncta, id est, substantialiter intimè completa, & intrinsecè indistans, nego: nec quæ superadduntur, valent; non primum: quia licet Vnio ex ratione entis creati indigeat indistare à Creatore, habet ex conceptu omni creaturæ communi, non verò ex conceptu unionis: vi cujus unicè completur Humanitas substantialiter à Verbo. Non alterum: quia licet etiam unio sit conditio, sub qua Deus ex immensitatis attributo rebus assistat, quibus indiget Vnio: at hæc assistentia est infra constitutionem, & communicationem intrinsecam Dei cum Creaturis. Itaque illa unio id habet toti Trinitati commune nempe esse effectum ab ipsa indivisè productum: id habet speciale cum Verbo: nempe esse nexum ipsius cum Humanitate, & talem nexum, ut medio ipso compleatur, & perficiatur Humanitas in esse substantiali per Verbum: non verò per reliquas Personas: unde has, & illud respicit diversimodè: ut principium, respicit totam Trinitatem, seu virtutem toti Trinitati communem: ut terminum, quem Humanitati communicat, solum Verbum: ex quo, & ex illa fit unum substantiale Perse.

92 Primæ sequelæ probatio tangit dubium, quod examinant acutè præ aliis Suarez, & Lugo: ille *disp. 8. sect. 3. fin. hic disp. 11. sect. 8.* & nos incidenter attigimus *sect. præced. num. 40. 41. & 54.* in quo nempe consistat dependentia Humanitatis à Verbo? Nam, ubi supra, supposuimus consistere in ipsa Hypostatica Vnione: quæ est Sententia communis, & videtur sentire falsò: Tùm quia dependentia creaturæ à Deo est dependentia effectiva, & à priori: aliud enim dependentiæ genus à posteriori, non est dependentia creaturæ à Deo sed creaturarum à creaturis: atqui dependentia Humanitatis à Verbo est dependentia creaturæ à Deo: ergo. Tùm etiam, quia cōceptus unionis, & dependentiæ sunt separabiles, independentes, & omninò diversi interse. Ob hæc putant aliqui apud Suarez eam consistere in modo ab Vnione distincto: Bernal in actione productiva Humanitatis, quæ sit simul unio ejus ad Verbum, ut vidimus. Koninch *disp. 6. de Incarnatione dub. 1.* in actione, qua simul & producatur Humanitas, & ejus unio cū Verbo. Alii verò putant consistere in speciali modo ab unione distincto ob rationes in probatione sequelæ positas. Noviſsimè tandem Abra, & Vvadingus asserunt explicari non posse nisi per specialem influxum, quem impugnavimus.

Suarez. Bernal. Koninch. Abrà. Vvading.

93 Nota 1. dependentiam esse duplicem: à priori, aliam: aliam à posteriori. Illa est dependentia effectus à causa, vel efficienter, vel dispositivè, vel motivè communicante rei existentiam. Ista est dependentia connexionis à termino, quo res jam præsuppositа indiget, vel ad sui conservationē, vel ad statum sibi conformem, & connaturalem: unde hæc dependentia non ita stricta est, ac illa. Nota secundo, quod exinde fit, dependentiam vel sumi posse pro emanatione rei à suis causis: & hæc, exigitive est Natura effectus, & formaliter, actio: vel sumi posse pro indigentia, quam res habet alterius ad sui conservationem: & hæc, est ipsa Natura rei, sic indigentis: vel sumi posse pro ipsa actuali assecutione termini, cujus res indiget; & hæc est ipsa actualis unio cum illo termino. Pro nostro casu jam

94 Censeo 1. dependentia Humanitatis à Verbo, sumpta à priori & effectivè non est specialis, sed toti Trinitati communis: Patet ex hucusque dictis: nam exigitivè est Humanitas, opus ad extra, & præcontentum in virtute communi: formaliter est actio ad extra, æquè communis toti Trinitati. Censeo 2. dependentia specialis, quam habet Humanitas à Verbo, sumpta quasi in actu 1. & pro indigentia consistit remotè in ipsa entitate Naturæ: proximè verò in ipsa, & in deffectu propriæ subsistentiæ. Prima pars probatur: nam ea tota dependentia, quā habet Humanitas à subsistentia Verbi, est in digentia perfectionis, sine qua esse non potest in esse suo substantiali nisi incompleta, & violenta: ea autem indigentia est ipsa entitas

Suarez. Lugo, & suprà.

titas Naturæ. Secunda pars probatur: Nam entitas Naturæ per propriam subsistentiam completur in esse substantiali suo: ergo nisi per deffectum subsistentiæ propriæ nec absolutè, nec proximè indiget ad hunc effectum altero.

95 Censeo 2. actualis specialis dependentia Humanitatis à Verbo, consistit in ipsa unione hypostatica: non verò in alio modo superaddito. Probatur: nam Humanitas eatenus pendet à Verbo, quatenus hoc illi tribuit quod exigebat in æquivalenti, & sine quo juxta vel ultra mensuram nativæ indigētiæ, & appetitus innati non suppleto vel peti ret, vel violenta maneret: ergo id medio quo assequitur Humanitas hanc quietem, à Verbo est specialis dependentia Humanitatis ab ipso: sed præciso quovis alio modo superaddito, media unione id assequitur à Verbo Humanitas: nam eo ipso quod in suo esse substantiali completa maneat (quod eo ipso quod unita sit Verbo, jam habet) contenta est: ergo. Confirmatur. Influxus Personalis est id quo formaliter Personalitas cum Natura facit suppositum: ergo est influxus unionis, ut unio est: nā eo ipso quod Personalitas intelligatur unita Naturæ, intelligitur esse suppositum: ergo est influxus non effectivus, sed purè terminativus: ergo solum in Vnione consistit, quatenus communicanti Naturæ, perfectionem, sine qua vel in se, vel in æquivalenti, non esset nisi violenter in rebus.

96 Censeo 3. hæc specialis dependentia Humanitatis à Verbo est à posteriori. Fit ex dictis, & patet: nam est dependentia Humanitatis à Verbo, ut supplente terminum illa posteriorem, & quo illa jam præsuppositа indiget, ne violenta sit. Nec obstat quod dependentia creaturarum à Deo sit effectiva: & hæc soleat esse creaturarum à creaturis: nam utrumque est verum de dependentia absoluta, & essentiali; non verò de dependentia solum peraccidens ex abundantia divinæ Perfectionis: neque enim hoc genus dependentiæ dicit in termino divino incompletionē emanationem, aut indigentiam adjacendi, quales dicit in terminis creatis. Nec obstat independentia conceptuum unionis, & dependentiæ: nam hæc independentia, vel solum est inter conceptus Vnionis, & dependentiæ à priori: vel inter Vnionem, & dependentiam in generalioi abstractione: nam Vnionis suppositalis, de qua est quæstio, & dependentiæ à posteriori conceptus convertibiles sunt, & reciproci. Quo satis occurrimus argumento Caroli de Raconis, & aliorum apud Suarez, quem vide.

Carolus de Racon. P. Suarez.

SECTIO IV.

VNIO HYPOSTATICA IDENTIFICAT sibi vim Vnionis Humanæ, quoad munus communicandi Corpus, & animam Christi interse.

§. 1.

FVNDATVR AVTHORITATE Conclusio.

98 VOlo dicere: quod idem realiter modus unionis, & communicavit interse substantialiter Animam Corpori; & utrumque verbo: ita ut Verbum assumpserit Corpus & Animam interse unitas, non alio substantiali nexu, quam illo quo reddidit subsistentes in se. Quare Vnio eadem duo præstat: & unire substantialiter partes interse, & eas sic unitas sistere in Verbo: ita P. Thomas Muniessa cum laude quam habes suprà num. 4.

P. Thom. Muniessa.

99 Moveor 1. Authoritate: quam sumo imprimis ex locis PP. & Conciliorum, quæ pro Bernal attulimus *sect. 2. à num. 44.* iis enim neque per Bernalis discursum verè satisfieri potest; neque sine nostro discursu plenè. Illa enim communis evasio, quam protexi mus *num. 45.* de unitate durationis, parum quadrat rigori Verborum: & nec fortè menti Leonis, Fulgentii, & Augustini. Rigori Verborum: quia durationis unitas, & simultas non sufficit, ut dicatur Animam Rationalem, quia simul tempore productam, & unitam corpori, ipsa unione creari. Menti: quia Patres intendunt unum; nempe durationis simultatem: idque intentum alio medio probant; nēpe identitate assumptionis formalis cum conceptione passiva Virginis: ut explicuimus *num. 47.* alioquin assertam simultatē durationis insulsè promoverent impropria locutione. Quidquod Fulgentius addit, *Carnem non unitam Verbo non potuisse concipi sine coitu viri*: quæ est secunda ratio quam pro simultate durationis apponit *illo cap. 3. sub fin. de Incarnatione*, & omninò difficilis nisi in discursu nostro, dicente Carnem Christi, conceptam esse modo subquo non potuit concipi non unita Verbo: quia ipsa acceptio carnis formaliter sumpta est passiva Conceptio Virginis sine viro: qui fortè necessarius

SS. Patres adducti suprà nu. 44. fatent.

Fulgentius præsertim ex peregrina ratione.

esset

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset ad unionem Corporis, & animæ, non eas unientem Verbo, ex naturali exigentia.

Confessio Iustinian. quæ habetur post V. Synodum.

100 Sumo deinde authoritatē *ex Cōfess. fid.* Iustiniani quæ habetur *post V. Synodum* in hæc Verba: *Dei Filius plasmavit sibi in sua subsistentia Carnem animatam anima Rationali:* unde colligit Personę Vnitatem in Christo. Pero, qua ratione potuit sibi in sua subsistentia plasmare animatam carnem Dei Filius; ita ut bona sit illa consequentia Personę unius: nisi supponatur eo ipso nexu, quo subsistentia Filii sumpsit ad se carnem, infusam huic animam, mansisseque eodem nexu, & carnem animatam, & in Verbo; aliter mansuram in hypostasi propria: qui noster discursus est?

Synod. VI. Sophron.

101 Sumo insuper authoritatem ex Sexta Synod. *in epist.* quam approbat, *Sophronii act.* 11. ubi & approbat hanc Locutionem de Corpore, & Anima Christi; scilicèt Humana Natura, *in illo namque & non in semetipsa habuit existentiam unam*: quid est unam existere Naturam, nisi corpus, & animam unitim existere, facta ex duabus existentiis per unionem una? Si ergo non in semetipsa, quasi per eam unionem maneret in ipsa, sed in illo habuit existentiam unam quasi per eam unionem, qua facta est una, communicata est Verbo: (nam qui potest alter esse horum Verborum sensus, ut eo ipso maneat probata unitas Personalitatis in Christo?) fit eandem unionem esse & hypostaticam, & Humanam: alioqui Natura subsisteret in se: quę est sententia nostra.

Ioann. 11. apud Baron ad ann. 534.

102 Sumo præterea authoritatem ex Ioann. 11. *epist. 3. decretali* quam habes apud Baron. *tom. 7. ann. 534.* ubi de unitate Personæ reddens rationem ait Pontifex: *Non ante existente carne, & postea unita Verbo, sed ab ipso Deo Verbo initium, ut esset, accipiens, ex materno corpore sumpsit initium.* Quæ verba, secluso cum omnibus speciali influxu Verbi effectivo, qua ratione possunt manere vera nisi dicendo Carnem Christi ex ipsa unione ad Verbum accepisse formaliter, ut esset humana, & ut inciperet esse caro humana: idque initium ex materno corpore traxisse: quia ex materno concursu conjuncta est Animæ, nexu, qui indivisibiliter esset & humanus infusionis animæ ad Corpus; & hypostaticus terminationis earum partium ad Verbum: quod ipsi pro assertione posuimus!

S. Thomas.

103 Sumo ad hæc authoritatem ex S. Thoma tùm *ex disputat. quæst. unic. de Vnione Verbi Incarnati art. 2.* tùm *ex hac 3. p. q. 2. art. 5.* Vtrobique sic sibi objicit: *ex Vnione animæ & Corporis in nobis caussatur Persona, vel hypostasis: Si ergo Anima & Corpus fuerunt in Christo unita, sequitur quod fuerit ex unione eorū aliqua hypostasis constituta: non Verbi quæ est æterna: ergo, &c.* Respondet utrobique pariformiter S. Doctor: illa quæst. unic. sic: *Ad duodecimum* (eo enim ordine sibi ibi objecerat) *dicendum, quod unio Animæ, & Corporis in Christo ex hoc ipso est dignior, quam in nobis, quia non terminatur ad suppositum creatum, sed ad suppositum æternum Verbi Dei.*

Egregium testimoniū Doct. Ang.

104 *Tertia p. q. 2. art. 5. sic: Ad primum* (eo enim ordine hic sibi objicit) *dicendum, quod ex hac ratione moti videntur illi, qui negaverunt unionem animæ, & Corporis in Christo: ne per hoc scili. èt cogerentur Personam novam, vel hypostasim in Christo inducere: quia videbant, quod in pueris hominibus ex unione Animæ ad Corpus constituitur Persona. Sed hoc ideo in pueris hominibus accidit: quia Anima, & Corpus sic in eis conjunguntur, ut per se existant; sed in Christo uniuntur adinvicem, ut adjuncta alteri principaliori, quod subsistit in Natura ex eis composita: & propter hoc ex unione animæ, & Corporis in Christo non constituitur nova hypostasis, seu Persona, sed advenit conjunctum Personæ, seu hypostasi præexistenti.* Hucusque Doctor Angelicus, & exinde explicatam primam solutionem reassumit vocando unionem Corporis, & animæ in Christo, Nostrâ nobiliorem, digniorem, & virtuosiorem ex termino nobiliori: quod explicat per nobiliorem gradum essendi, quam habet virtus sensitiva in homine ex accessu discursivæ, quam in bruto: licèt in bruto, & non in homine sit ultima forma constituens speciem. In his clarè video sententiam nostram. Pendo singula.

Expenditur in rem nostram.

105 Fatetur imprimis S. Thomas *in Nobis ex unione conjungente Corpus, & animam resultare Personam*: id enim adversarii assumebant: & concedit assumptum. 2. negat id ipsum *ex unione Corporis, & animæ in Christo Domino*: unde negat consequentiam argumenti. 3. dat rationem disparitatis ex Vnionum diversitate: circa quam caligaverant ii quos deserit, & impugnat, nempe quia in nobis est Naturæ terminus ultimus Vnio; at in Christo Vnio ejus Corporis, & animæ habet pro ulteriori termino substantiali Verbum, ita ut *ex ipsa unione Corpus, & Anima* per ipsam unita *adveniant hypostasi Verbi.* 4. exinde colligit *Vnionem corporis & animæ in Christo* eo ipso esse nobiliorem, virtuosiorem & digniorem quam in nobis, ex accessu *intrinseco, & identico novi* respectus ad novum, nobilioremque terminum. Quod verò iste respectus ad Verbum identicè accedat ad unionem Corporis, & animæ in Christo, & exinde sumat S. Thomas diversitatē unionū, & totam disparitatis vim: paret 1. quia fatetur illam ipsam unionem, præter Corpus, & animam, ulterius terminari ad suppositum Verbi: Vnio verò non terminatur ad rem, quam non respicit pro termino: neque respicit pro termino rem, nisi respectu transcendenta, i sui ad ipsam conjungendo illam alteri. 2. quia fatetur ex illa terminatione manere unionem illam digniorem, & nobiliorem, ut manet virtus sensitiva nobilior in nobis, quam in brutis ex accessu gradus discursivi: at hæc dignitas venit ex identico accessu. 3. quia fatetur ex ipsa Vnione, qua Corpus, & Anima Christi uniuntur in se, advenire conjunctum ipsum hypostasi Verbi: repugnat verò quod vi unionis, qua partes interse coeunt, maneant adjunctæ principaliori, vel sint in Verbo, si unio illa non sit unio essentialiter respectiva ad Verbum: nam alioqui manere posset, quin partes per ipsam unitæ forent in Verbo: non ergo ex illa, sed ex altera Verbo advenirent.

Mens S. Doctoris Nostra.

106 Mens igitur S. Thomæ non semel, nec cursim expressa, sed approbata semel & iterum est, Vnionem Corporis, & animæ in nobis esse terminum ultimum substantialem Naturæ, atque adeò subsistentiam: secus in Christo, quia Vnio quæ datur inter ejus Corpus & Animam, est simul hypostatica, qua partes illæ conjunctæ sistuntur in Verbo: quæ est nostra mens. Quam expresit iterum idem Doctor Angelicus *q. 3. art. 6. O. Dicendum, quòd sicut supra dictum est* (nempe loco citato, & jam expenso) *ex unione animæ, & corporis in Christo, non fit neque nova Persona, neque nova Hypostasis, sed fit una Natura assumpta in Personam, vel hypostasim Divinam.*

S. Bonaventura.

107 Sumo denique authoritatem ex Doctore Seraphico D. Bonav. *in 3. dist. 5. quæst. 5. de 2. principali*: ubi similiter sibi sic objicit: *Anima Rationalis unita carni facit Personam; sed cum Deus humanam carnem assumpsit, animam Rationalem carni conjunxit: ergo* Respondet sic: *ad illud quod opponitur quod Anima Rationalis conjuncta, vel unita carni facit Personam, dicendum, quod verum est, quando anima, & caro non conjunguntur digniori; tunc enim non solum ex anima & carne constituitur ipsa Natura, sed & ex ipsa Natura hypostasis, & Persona: non sic autem est in proposito: quia anima & caro fuerunt sibi invicem unita ipsi Verbo, nec in aliquo instanti fuit anima illa, quin esset unita Verbo: & ipsa hypostasis æterna erat in qua communicabantur Corpus & Anima.* Hucusque Doctor: ex cujus calamo distinguitur major: Anima Rationalis unita carni facit Personā, si caro & anima *ex illa unione non sint sibi invicem unita Verbo* concedit: si caro & anima per illam unionem sint *sibi invicem unita Verbo*, negat: quia vi unionis, qua interse coeunt, conjunguntur digniori; unde ipsa hypostasis Verbi est in qua conjunguntur Corpus & Anima: quia unio earum partium cum Verbo, est simul unio earundem partium interse. Quare similiter Bonaventura unionem nostram facit in nobis rationem subsistentiæ: & pro disparitate assignat in Christo identitatem unionis Humanæ cum Hypostatica: nec ejus verba aliùm sensum pati possunt, nisi violentè legantur.

§. II.

ILLVSTRATVR THEOLOGICA RATIONE Conclusio.

108 MOveor 2. ratione Theologica. Sumo primam ex proprietate Maternitatis in Virgine: & formo sic: Vel ex concursu Materno Virginis ponitur aliquid quo necesse sit Deum esse hominem: & hominem Deum, vel non? Si 2. ergo ex concursu materno Virginis Deus nō est Homo: nec Verbū caro factū est: qua ergo ratione propriè dicitur Mater Dei? Vrgetur 1. quia si ex concursu materno non ponitur aliquid quo necesse sit, quod Deus sit homo, ponetur aliquid, quo naturaliter necesse sit ne Deus sit homo: nempe unio naturalis proportionata Materiæ, & Formæ, atque adeò exigens ne compositi fiat communicatio ad hypostasim non sua: qua ergo ratione ex concursu vi cujus maternè ponitur id quod naturaliter exigit ne Deus sit homo, potest proprie manere Mater hominis Dei? Vrgetur 2. ergo non potest dici Virgo Mater Dei, cum majori proprietate, qua Agens calefaciens hostiā consecratam; cujus calorem Deus miraculosè extra subjectum tenet, dicitur agere calorem supernaturalem, & caussa miraculi: quod ego concedam nunquam? Si ergo 1. at-

Universidad de Deusto
Biblioteca

atqui ex concurſu materno, ut tali, ponitur animatio Corporis: ergo animatio Corporis, quæ eſt unio Humana inter Corpus, & Animam, eſt id quo neceſſe ſit quod homo ſit Deus: ergo eſt etiam hypoſtatica Vnio. Vide quàm expeditè Maternitatis Divinæ proprietatem protegat hic diſcurſus!

109 Dices: Iudæi dicuntur Deicidæ, & Chriſticidæ, licèt non deſtruxerint Vnionem Diuinitatis ad carnem: quidni ergo Virgo Sanctiſsima dicenda Dei Mater, licèt unionem non produxerit. Miror hæc placere viris Doctis. Contra 1. quia falſum aſſumitur, 2. quia magis propriè cenſetur à me Virgo Maria, Mater Dei, quam Iudæi, Deicidæ. 3. Et præcipuè, minus requiritur, ut dicatur totum deſtrui, quam ut dicatur poni: quam enim cumque partem deſtruas, deſtruis totum: non autem eris cauſſa totius, licèt ponas quancumque partem. Eſt ergo maxima diſparitas. Imò hinc patris æſtimo rationem factam & ultra

110 Confirmo 1. cauſſans materiam v.g. nec tamen cauſſans formam, nec Vnionem ipſius ad materiam; licèt in eo ipſo inſtanti fiat concretum, nequit eſſe vel dici cauſſa concreti ex materia & forma reſultantis: patet in eo qui parietem cauſſat, quin tamen advenientem ex alterius arbitrio albedinem cauſſet, nec iſtius unionem ad illum: nõ enim hic dicetur cauſſare concretum: ergo neque qui cauſſet Humanitatem, nec tamen cauſſet ſaltem in radice ſubſiſtentiam Divinam, nec unionem iſtius ad illam, poteſt dici cauſa concreti reſultantis: ergo nec virgo poteſt dici cauſa talis concreti, ac proinde nec mater. Nec certe percipio quam ſolutionem adhibet Godoy *diſp.* 12. §. 1. *num.* 11. Confirmo 2. Variatio temporis nequit eſſe præciſè ratio cur actio diverſimodè denominet: ſi autem Virgo cauſſaret Humanitatem ſine ſubſiſtentia, complendam in alio inſtanti per ſubſiſtentiam Verbi, non diceretur Mater Dei: cur ergo ſola temporis diverſitas ſufficiat ad hanc denominationem tã diverſam?

Godoy.

111 Sumo ſecundam ex ipſa hypoſtatica Vnione: & formo ſic: Vi unionis hypoſtaticæ Deus eſt homo: ergo vi unionis hypoſtaticæ Deus ſumpſit id quo ſit homo: ergo vi unionis hypoſtaticæ ſiſtuntur in Verbo partes, earumque compoſitio & Vnio: nam per aſſumptionem partium, præciſim ab earum compoſitione, Deus non manet homo, ut patet in triduo: quę ſingula diſco ab Auguſtino 1. *de Trinitate* Loquente ſic: *Talis erat illa ſuſceptio*, nempe hypoſtatica, *quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Vel ergo vi unionis hypoſtaticæ partes ut unitę ſiſtuntur in Verbo, quia eadem Vnio indiviſibiliter eas interſe nectit, & ſimul Verbo: vel quia hypoſtatica Vnio terminatur ad Corpus, & animam, & unionem earum *ut quod*?

Auguſtin.

112 Non ſecundum 1. quia hypoſtatica Vnio non terminatur ad ens incapax hypoſtaticè eſſendi, ſeu ſubſiſtendi *ut quod*, qualis eſt Vnio, cum Natura non ſit ex probabiliori ſententia: cum neque ſit *ut quod principium motus, & quietis, &c.* 2. Quia vel hęc terminatio eſſet indiviſibilis per reſpectum phyſicè ſimplicem ad Corpus, & animam, & unionẽ earum, vel diviſibilis per reſpectum conſtatum ex tribus? Hoc videtur intellectu difficile: nam quo genere unitatis fieret una ex tribus illis terminationibus hypoſtatica Vnio? Non genere unitatis eſſentialis per modum actus, & potentiæ: nam hæ rationes excedunt inanitatem modi. Non genere unitatis complexivę per unionem aliam mediã: nam id ſine fundamento diceretur, ſicut & ſine ipſo diceres, eas uniri per terminationẽ illã, quę fit ad unionem corporis, & animæ: tùm quia ſic unio ad verbum bis traheretur ad ipſum: nempe per ſui reſpectum eſſantialẽ, & per acceſſorium alterius: quod otioſum eſt: tũ quia ſi non eſt abſurda Vnio hypoſtatica, quæ ſit unio unionis humanæ, & duarum ad Verbum, cur noſtra ſit? Non genere unitatis integralis: nam illæ ſunt Vniones diverſiſsimæ naturæ, cum altera ſit materialis ad corpus: altera ſpiritualis ad animam: debet ergo ea terminatio eſſe indiviſibilis per reſpectum phyſicè ſimplicem: ergo vi ejus reſpectus manent partes in Verbo, & ſimul interſe unitæ: ad quid ergo altera diſtincta unio partium interſe? Probo conſequentiam: impoſsibile enim eſt, quod eodem indiviſibili nexu duo maneant penetrata cum tertio, quin eo ipſo maneant, & intimè penetrata interſe: ſimulque apparet impoſsibile quod duo interſe habentia ordinem actus, & potentiæ maneant intimè penetrata, nexu ſubſtantiali: quin eo ipſo maneãt ſubſtantialiter communicata interſe: ergo de primo ad ultimum fieri nequit quod unio hypoſtatica, vi cujus Deus ſit homo, non ſit unio corporis, & animæ interſe: quæ erat prima pars dilemmãtis primi, & aſſertio noſtra.

113 Sumo tertiam ex locutionibus SS. Patrum, & Conciliorum & formo ſic: Vnio hypoſtatica ſic conſtituenda, ut vi ejus dici poſ-

Patres, & Concilia.

poſsit *plaſmaſſe ſibi in ſe ipſo Verbum carnẽ animatam.* (ut loquitur Iuſtiniani confeſsio;) *carnem formatam, & animatam in Verbo.* (ut loquitur S. Leo *ſerm. 8 de Nativitate*) *acceptionem carnis fuiſſe Conceptionem ipſam Virginis*, ut Fulgentius *ſuprà* loquitur) *conceptum Virginis fuiſſe Deo carnique communem.* (ut ipſe Fulgentius *Lib. de Incarn.* loquitur *cap. 6. med.*) Atqui ad hanc energiã Vnio hypoſtatica, ſine identitate cum Humana unione nõ ſufficit; ergo Vnio hypoſtatica conſtitui debet identificans ſibi vim unionis Humanæ. Conſequentia eſt bona. Et major certa: nam Vnio hypoſtatica talis conſtituenda eſt, qualis à PP. & Conciliis credenda proponitur.

Iuſtinian. *S. Leo.* *Fulgentius*

Suprà ſect. 3.

114 Probo minorem: nequit (ſecluſo ſemel influxu ſpeciali Verbi, quem impoſsibilem judicavimus) dici caro ſpecialiter à Verbo plaſmata & animata in ſe ipſo per acceptionem hypoſtaticam carnis, quæ fuerit Cõceptio Virginis Deo & carni cõmunis; quin ipſe terminus Virginalis conceptionis activæ, & ipſa paſsiva conceptio: (in qua conſiſtit animatio carnis) fuerit ſicut & carni, & Deo cõmunis: & ipſa carnis acceptio, eſsẽtialiter, & ſpecialiter pendens à Verbo: ſed ipſa paſsiva Cõceptio Virginis, in qua cõſiſtit animatio carnis eſt Vnio humana: ergo quin unio humana ſit ſicut & carni & Deo cõmunis, & ipſa carnis acceptio, eſsẽtialiter & ſpecialiter pendens à Verbo: ergo quin eadem unio nectat interſe partes, & ſimul Verbo, identificans ſibi vim humanæ ſimul, & hypoſtaticæ. Major præformati Syllogiſmi patet: ſi conceptio paſsiva Virginis, ſeu animatio carnis ſecundum ſe independet à Verbo: qua ratione poteſt attribui Verbo animatio, ut plaſmata in ipſo? Qua ratione conceptio eſt Deo & carni communis? Qua ratione ipſa conceptio Virginis eſt acceptio & aſſumptio carnis ad Verbum?

§. III.

FIRMATVR RATIONE PHILOSOPHICA.

115 MOveor 3. ratione philoſophica, quam formo ſic: Vnio inter Corpus, & Animam, quæ non ſit hypoſtaticus nexus ad alterum, eſt ſubſiſtentia creata, & humana; ſed in Chriſto non eſt ſubſiſtentia creata, & humana: ergo nec Vnio quę non ſit hypoſtaticus nexus ad alterum: ergo Vnio Humana Chriſti non diſtinguitur ab hypoſtatica. Conſequentię bene ſequuntur, & minor eſt vera. Major (quam de omni hujuſmodi unione eſſentiali intelligo) ſupponi deberet ex Philoſophia: ſuadetur brevi nunc 1. authoritate aperta S. Thomæ, & Bonaventuræ: quod mihi ſufficeret in hanc rem. Vide ſupra *num.* 103. & 107. Suadetur 2. ex congruentiis: nam imprimis Vnio eſt ſubſtantia: eſt complementum partium ipſis poſterius: eſt Naturæ poſitiva perfectio: & ultima in linea naturali, ut loquitur S. Thomas *in 3. diſt. 6. q. 3. art. 1. ad 3.* In eam partes inclinant, eaque complentur, & ſiſtunt in connaturali ſuo ſtatu. Vnde pro aſsignanda ſubſiſtentia nihil aſſumitur, quod non ſit certũ: nullumque de novo inducitur ens, quod omnis Philoſophorum ætas non agnoverit: ſitque facilis communium axiomatum explicatio, quòd nempe generari, naſci, corrumpi ſuppoſitorum ſit: & quòd actiones non alteri quam ſuppoſitó tribuendæ: nempe ſuppoſita eſſe generationum terminos, & actionum initia: id quod ſolùm directè, & primario de Naturis; indirectè & ſecundario de ſuppoſitis explicare communis ſententia poteſt. Ob hæc iuiſſent opinor omnes in hanc opinandi viam in Philoſophia, ſi eam cum Myſterio Incarnationis conciliare potuiſſent, quod ipſi præſtamus.

S. Thomas. *S. Bonav.*

116 Suadetur 3. ratione non inefficaci: poſitis præciſè Corpore, Anima Rationali, & Vnione non ultrà communicante partes, quas complet, & unit interſe, datur Perſona: ergo Vnio quæ non ſit hypoſtaticus nexus ad alterum, eſt ſubſiſtentia. Conſequentia liquet: nam ratio Perſonæ formaliter venire debet à ratione ſubſiſtentiæ, quæ neque in materia, neque in forma conſiſtere poteſt, cùm ex ſe ſint Incompletæ, & ordinatæ ad aliud ſubſtantiale. Probo antecedens: iis enim præciſè poſitis, datur ſubſtantia Rationalis cum incommunicabilitate Perſonæ: ergo & Perſona. Probo hoc antecedens: Incommunicabilitas Perſonæ eſt Rationalis ſubſtantiæ perfectio, vi cujus nec ad eſſe, nec ad operari indiget altero, manetque inexigens, & in appetens ulterioris communicanis ad alterum, cum quo faciat unum Perſe eſſentiale: atqui illis præciſè poſitis datur ſubſtantia Rationalis ita perfecta, ut nec ad eſſe nec ad operari indigeat altero, &c. ergo datur ſubſtantia Rationalis cum incommunicabilitate Perſonæ.

117 Dici communiter ſolet: partes etiã ut unitas adhuc exigere modum alium ſubſtantialem, quo formaliter reddantur incom-

Universidad de Deusto
Biblioteca

municabiles ulteriori subsistentiæ : & hunc modum esse subsistentiam, sinequa manent incompletæ. Contendo talem modum esse impossibilem, & dicitur exigi : quia sine ipso esset incompleta Natura : fac impossibilem, & sine ipso complebitur : unde patet evanidam esse solutionem.

118 Contra deinde 1. tota ratio cur Natura non indigeat altero, maneatque sic inexigens ulteriorís complementi, est habere in se quicquid requiritur ad omnes operationes oriundas ab ipsa, atque adeo ad esse substantiale suum, quod istæ supponunt; atqui corpus, & anima vi unionis habent in se, quicquid requiritur ad omnes operationes oriundas ab homine: cum iis præcisè positis sit virtus earum sufficienter præcontentiva : ergo & esse substantiale suum, quod istæ supponunt: ergo & totam rationem cur ulteriorís complementi non egeant : ergo & incommunicabilitatem suppositi.

119 Contra 2. Impossibile est, quod Natura sit in se manca, & incompleta ex defectu rei, vel modi, quo etiam impossibili, nihil ipsi defficeret ad omnes operationes oriundas ab ipsa: nam eo ipso, modo illo impossibili, & manentibus præter ipsum aliis, datur in Natura sufficiens esse, ut se in omnibus, per quæ potest, exerceat, & consequenter esse sufficiens & completum ad statum suum: qui nihil ultra videtur exigere quam ea, per quæ Natura non sit otiosè in rebus; atqui etiam impossibili illo modo, nihil corpori, & Animæ unitis difficeret ad omnes operationes oriundas ab ipsa : utpatet : ergo.

120 Contra 3. quia nullum est in tota latitudine entium ens, quod sit perfectio alicujus substantiæ completiva ex solo titulo impediendi ulteriorem perfectionem: & ratio mihi est clara: quia factis simul impossibilibus impediente & impedito, æquè bene se haberet illa substantia: quod manifestè repugnat. Haberet se æquè bene: quia jam impossibilitate ulterioris perfectionis esset impedita communicatio. Manifestè repugnat: sicut & quod substantia æquè bene se habeat sine sua perfectione, ac sine illa : Unde fit evidens omnem perfectionem, seu completionem rerum debere per se præstare rebus aliquid præter impeditionem ulterioris perfectionis: id enim necessariò secundarium est. Rogo nunc : quid ille modus dat Corpori, & Animæ unitis, præter impeditionem ulterioris perfectionis; si præcisim ab ipso per adventum unionis, anima jam est communicata corpori, hoc animatum, & in ipsis est quicquid sufficit ad operationes omnes oriundas ab homine? ergo talis modi necessitas repugnat ex terminis.

Hæc opinio opinioni Bernalis præponder.

121 Accedit his ab extrinseco Authoritas magni ponderis, tùm ex probabilitate, quâ huic doctrinæ faciunt Viri Doctissimi ab Authore suo consulti. Tùm ex probabilitate, quam nemo negavit Doctrinæ P. Augustini Bernal : cujus est necessaria sequela, opinio nostra, vel nostræ simillima, sine absurdis tamè, quæ Bernalistis objecimus *sect.* 2. Docent enim Bernalistæ 1. omnem eductionem esse formaliter, & se ipsâ unionem sui termini cum subjecto à quo educit: deinde omnem actionem substantialem, sive eductivam, sive creativam, quæ non sit communicatio formalis sui termini ad alienum suppositum, fore subsistentiam : unde tenentur dicere, unionem humanâ per eandem actionem, per quam educitur, vel subsistere in Christo per creatam subsistentiam, vel formaliter viri materiæ, & simul Verbo : ex doctrinam similem nostræ. Docent 2. in triduo mortis unitam esse corpori Christi, & Verbo formam quandam cadavericam: quâ, utpote materialem, fatentur educi : Unde eodem consequentiæ filo trahuntur ut dicant unionè formæ cadavericæ, quæ est eductio, cum corpore esse simul unionem hypostaticam eorum extremorum, & compositi ad Verbũ. En Doctrinã omninò nostrã! Non ergo potest hæc displicere : cui semel placuerit Doctrina Bernalis : nec illius agnosci probabilitas sine nostra: cum òmnia, quæ nobis objiciatur tanquam absurda, sint necessariæ consequentiæ in Doctrina Bernalis: cujus, quæ putamus, & enumeravimus *sect.* 2. absurda, excusamus aliunde nos.

SECTIO V.

DEFENDITVR AB OBIECTIONIBVS Doctrina præcedens.

§. I.

OBIECTIONES AB AVTHORITATE.

Concil. Trident.

122 OBjectio 1. ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 3. ubi* dicit existere in Eucharistia, *Corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum : ipsum autem corpus sub specie vini & sanguinẽ sub*

sub specie panis, animãq; sub vtraq; vi naturalis illius cõnexionis, & cõcomitãtiæ qua partes Christi Domini, qui jã ex mortuis resurrexit, nõ amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem ejus cũ corpore, & anima hypostaticam unionem. Hucusque Sacrosancta Synodus: unde sic: Concilium loquens de Vnione partium Humanitatis Christi, qua copulantur inter se: deque Vnione hypostatica (hic enim est communis Theologorum sensus;) illam absolute vocat naturalem, & hanc absolutè Admirabilem, id est supernaturalem; ut nemo non videt: sed Vnio Naturalis, nequit esse supernaturalis Vnio: ergo nec Vnio Corporis, & animæ Christi inter se, potest, supposita catholicè Tridentini authoritate, & Veritate, esse hypostatica Vnio Corporis, & animæ ad Verbum. Hæc difficultas olim mihi visa magni ponderis: quam primus, & auditor objeci Magistro meo Authori Doctrinæ, præoccupans latè, & variè in adversariis ad ipsam, solutionem, quam dignatus ipse post est adjicere in secundis Curis ad eandem, Me sub auditoris sui nomine quo maximè glorior, de discursus opportunitate laudato.

P. Munieſſ. in ſuã ſententiam ac obiectio ne.

123 Responsio sit. 1. nomine connexionis, & concomitantiæ Naturalis non venire ex phrasi, nec ex mente Concilii, Vnionem Corporis, & animæ: unde nec ipsam naturalem vocat: sed venire connexionem naturalis dependentiæ, quam habet Corpus ab Vnione, & Anima, & connaturali sui integritate. Hujus interpretationis, quam probant Suarez, Koninchus, Bernal & Dicastillus de Sacramento Eucharistiæ, & qua ruit objectio, probabilitatem evincit tùm intentio Tridentini eo sensu contenta, non curantis de his quæ ad rem impertinebant : ut enim Doctor Eximius, res est definita, non distinctivus ille modus loquendi : is enim usurpat° est ex Theologis variè hujus energiam concomitantiæ declarãtibus. Scio repugnare penes hoc Patri Suarez probabilissimè post Vazquez P. Bernal *disp. 36. de Euchar. sect.* 1. §. 1 *n.* 2. Tùm & ipsa ratio cõcomitantiæ quæ etiam comprehendit unionem non minus, ac Animam: unde supponi debet, ante ipsam unionem, in corpore Tùm demum, quia inter Corpus, & Sanguinem, & alios humores non datur hæc unio, & tamen vi naturalis connexionis ex positione corporis, adsunt in Eucharistia concomitanter.

Suarez. Koninch. Bernal. Dicaſtillo.

Suarez. Vazquez. Bernal.

124 Secundo : licèt nomine connexionis, & concomitantiæ veniat apud Concilii Vnio inter Corpus, & Animã, exinde non posse argui distinctionem, vel indistinctionem ipsius ab Hypostatica, utpote impertinentem ad rem Concilii: vocarique potuisse eandem Vnionem ab ipso Concilio *Naturalem, & Admirabilem : Naturalem*, non quidem contrapositè ad *Supernaturalitatis* conceptum, sed quâ modum Corporis, & Animæ constitutivum in esse *Natura compositæ*, illis, vel in se, vel in æquivalenti connaturalem, & debitum : *Admirabilem* verò ex respectu hypostatico ad Verbum : vi cujus ratio unionis humanæ alioquin, & ex genere suo partibus debita manet supernaturalis, & indebita. Vnde Vnio inter Corpus, & Animam, vocatur *naturalis* id est *humana*: Vnio eorum ad Verbum, vocatur *Admirabilis* id est *ex ipso conceptu supernaturalis* : dicique id verissimè potest, præcisim ab eo quod hę rationes, vel terminationes in unam, & eandem unionem coalescant.

Theologi ad Concil. Trident.

125 Sic, & bene respondere solent identificantes cum habitu Charitatis Habitualem Gratiam ad illa loca ejusdem Concilii, quæ de ipsis quasi distinctivè loquuntur : ut *sess. 6. Can.* 11. dixit Iustificationem non fieri exclusa Gratia, & Charitate : præscindit enim Synod^s à modo distinctionis inter utrãque vel realis, vel formalis, permisso Catholicarum scholarum examini, nec ad rem Cõcilii contra Hæreticos pertinente: ut notant passim Theologi, & pro ipsis *in Historia Tridentini* Eminentissimus Sfortia Noster.

Card. Sfortia.

126 Objectio secunda: ex S. Thoma variis in locis manifestè repugnante Doctrinæ præcedenti *3 par. quæst. 6. art 4. ad 3. fin.* sic inquit: *Vnione Personali prius secundum intellectum oportet, quod Caro uniatur Animæ quã Verbo* : ergo ex S. Thoma unio Corporis & animæ, præcedit ad unionem ad Verbũ: quod sine distinctione fieri nequit. *in 3. dist. 2. q. 2. art. 3.* sic : *hæc quatuor necesse est simul fuisse, scilicet conceptionem carnis, creationem Animæ, conjunctionem utriusque, & unionem ad Deitatem*: Vide quam enumeratè distinguat. & *dist. 6 q 3. art. 1. ad 3.* sic : *dicendum quod Damascenus loquitur quantum ad unionem Divinitatis ad Humanam Naturam, ex qua non consurgit 3. Natura speciei, non quantum ad unionem animæ ad corpus* : ergo ex mente Damasceni distinguit S. Doctor duas Vniones, Hypostaticam, & Humanam.

S. Thomas objicitur.

127 Hæc sibi Author objecit : hæc alia ipsi olim Auditor ipse: *3 par. q. 6. art. 5 ad 3.* sic: *dicendum, quod unio Personalis est, ad quã ter-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter minatur assumptio; nō tamen Vnio Naturæ, quæ resultat ex conjunctione partium: ubi manifestè distinguit conjunctionem partium, seu unionem Naturæ ab Vnione Personali, seu hypostatica. *In 3. dist. 2. q. 2. art. 1. quæst. 1. ad 2.* sic: *Deitas magis unitur Carni, quam Animæ, quæ unitur ei naturali unione, propter quod separabilis est: Divinitas autem unitur carni per gratiam Increatam, quæ immutabilis est: & ideo illa unio nunquam separatur.* Nihil videtur dici posse clarius pro distinctione harum unionum, sed clariora sunt quæ sequuntur. *3. p. q. 50. art. 4. ad 1.* sic: *non cessavit illa susceptio* (*nempe* hypostatica in triduo mortis) *per separationem Verbi ab Anima, vel à Carne: cessavit tamen Vnio carnis & Animæ*: ergo hæc unio distinguitur à susceptione Corporis, & Animæ.

128 *In 3 dist. 6. q. 3. art. 1. ad 3.* sic: *dicendū quod Cōpositio Animæ Rationalis ad carnem est ultima in operibus Naturæ; sed cōpositio Humanitatis ad Verbū nō fit operatione Naturæ, sed virtute divina.* Quid clarius! Pleraq; ex his æquè vel fortiùs impetunt Bernalis discursum, quam Nostrum. Hunc extra ipsorum ictum esse, iisque firmari potius, nec S. Thomam sibi per hæc contradicere spero demonstrare, dato genuino sensu locorum ad mentem Angelici Præceptoris.

Illustrat Sententiā nostram.

129 Responsio sit: Primus locus manifestè supponit sententiam nostram; cū unionem, qua dicit oportere carnem animæ uniri prius, secundum intellectum, quam Verbo, dicat esse Personalem, id est hypostaticam: in qua distinguit secundum intellectum formalitatem: unionis humanæ, & formalitatem hypostaticæ: additque prius ex modo concipiendi præintelligi debere carnem unitam Animæ, quam Verbo: & merito: quia prius est rem esse, quam compleri: Caro enim nisi animata non est apta subsistere, sicut enim, ut exemplo ipso S. Thomæ me explicem, prius est carnem esse, & inesse per essentiam, præsentiā, & potentiam Verbum, quam carnem animari: quia quod non est animari non potest: ita prius est, nempe secundum intellectum, carnem animari, quam uniri Verbo: quia quod non est animatum, nequit esse Persona. Hæc est mens S. Thomæ. Vide quam distet à distinctione Vnionis humanæ ab hypostatica.

130 Secundus locus non objicitur aptè: aliud enim est eas quatuor rationes necessarias esse ad Fidem Mysterii, & fuisse simul: aliud fuisse simul unicè duratione, non verò identitate alterius cum altera. Illud dicit S. Thomas: hoc non exprimit: vel certè non exprimit quicquam, quod Nobis adversetur: imo addit expressè quod faveat: addit enim non fuisse possibile quod prius concepta fuisset Caro quam assumpta, & animata: nam concipi est animari, & ex animatione habet assumi: unde colligit verba, quæ objiciuntur, & ipse colligo patrocinium causæ nostræ.

Damasceni Locus allegatus à S. Thoma.

131 Tertius locus, dicit axioma Damasceni sumptum *ex lib. 3. de Fid. cap. 11.* nempe *in Domino Iesu non est, communem speciem accipere*, non esse intelligendum quasi negaret in Christo Corpus, & Animam interse unita, & exinde speciem Naturæ humanæ, sed quod negaverit ex Vnione Divinitatis ad humanam, non resultasse tertiam Naturæ speciem. Inde quid ad rem nostram? Legatur integrè locus: omittit enim Arguens quod ipsi nocet. Rationē autem, cur ex ista Vnione, licèt species constituatur Naturæ compositæ, non assurgat Persona, ut in nobis, dedit ex discursu nostro, ubi supra.

132 Quartus locus dupliciter intelligi potest. 1. in sensu formali assignante assumptioni activæ terminum formalem suum, quasi dicat, assumptionem, ut assumptio est, dici sic ab Vnione, non quâ præcisè est Vnio partiū inter se, sed qua est Personalis, & hypostatica: quod est verissimum. & nos fatemur. 2. in altiori sensu, quasi dixerit Sanctus Thomas terminum assumptionis in Christo, nempe terminū actionis assumptivæ esse unicè Personalem Vnionem; non vero Vnionem Naturæ, quæ ex mera conjunctione partium resultat: talis enim Vnio in Christo non fuit. Hunc esse sensū S. Thomæ mihi suadeo, tùm quia sic optimè occurrit argumento. Tùm quia *ad 1.* fatetur, assumptam, partium assumptione, Naturam humanam totam: quod ægrè intelligas, nisi partes, ipsa assumptione formali, Natura tota maneant, id est unitæ: quod innuit in *Corpore art.* sic: *Anima, & Corpus sunt ad invicē unita ad constituendam Naturam humanam in Verbo.*

133 Quintus locus ex ratione quam pro se affert, subobscurus, tripliciter etiam intelligi potest 1. sic: quasi dixerit S. Thomas Divinitatem fortius uniri Corpori, quam Animā; cū ista, unione naturali unitur: nam hæc unio ita est solubilis, ut, ea semel soluta, nō maneat effectus uniti: at Divinitas ita ex increata Gratia, id est ex subsistētia Verbi nunquā dimittē te, quod semel assumpsit, unitur Corpori, ut licèt

cèt Vnio numericè sit solubilis, manere debeat formaliter in alia effectus uniti: nā pereunti in triduo Vnione Corporis, & Animæ interse, & cum Verbo, manere debuit alia duplex ad Corpus, & Animam divisivè. Idque casu, quo unam solam unionē agnoscas in Mysterio Incarnationis. 2. Si plures uniones admittas, unam nempe, qua Corpus: aliam, qua anima: aliam, qua simul Corpus, & anima interse uniantur, & cum Verbo, clarior est solutio loci: nam Corpus, animæ solùm nectitur unā, eaque solubili: Verbo autem duplici, atque adeò indissolubiliter. 3. quasi sit sensus magis uniri Deitatem Corpori quam animam, quia ista unitur unione naturali, id est, de complemento Naturæ, & accommodata ipsi Naturæ solubili: neque enim Naturale in his accipit S. Thomas prout cōtradistinctum à supernaturali, ut videre est *q. 2. art. 12. ad 3.* at Divinitas unitur Corpori ex immutabili Gratia, id est ex Decreto de non dimittendo unquam Corpore, quantumvis separetur ab Anima. Vnde ex his contra nos inferri nihil potest.

134 Sextus locus per Doctrinas nuper expositas facilem habet explicationem. Vel enim distinguit vnionem Corporis, & Animæ interse ab aliqua eorundem susceptione: vel est sensus, cessasse quidem Vnionem Corporis, & Animæ, non tamen susceptionem eorum, quia licet ad usque triduum non alia fuerit susceptio, quam ea per quam etiam Corpus, & Anima sunt inter se conjuncta; tamen non cessavit illa denominatio susceptī Corporis, & Animæ per unionis alterius successionem.

135 Vltimus locus, qui videtur esse cōtra Nos clarior, est clarior pro Nobis in sēsu S. Thomæ: qui est dare rationem cur in nobis Vnio sit ultimum esse, & non in Christo: redditque dicendo ab operibus Naturæ non argui posse ad opus omninò supra Naturam: Vnde licèt unio Corporis, & Animæ sit ultima in operibus Naturæ: non vero in hoc opere incarnationis, quæ supra Naturam est, nec ejus operatione fit, sed Virtute Divina: Vnde concedit S. Thomas Vnionem in nobis rationem vltimam Nostri, atque adeò subsistentiam: & cogitur hic dicere quod asserimus. Vide quā absit S. Thomas, ut noceat.

Athanas.

136 Objectio 3. ex Athanasio, & Damasceno: ille *apud Euthim. in Panop. tit. 15.* sic inquit: *hic neque caro pars Verbi est, neque Verbum pars carnis: horum enim utrumque priusquam conjungantur* (hypostaticè) *perfectam Naturam ostendit, ut nihil omninò neque Divinitati, ad rationem propriam, neque Humanitati desit. Aliud enim est duabus ex partibus essentiam absolvi: & aliud duas essētias conjungi, quarum utraque perfecta sit.* Vbi Athanasius tria dicit: primum: aute hypostaticam unionem, Humanitatem fuisse perfectam: Secundum, nihil ipsi omninò defuisse ad rationem propriam Humanitatis: Tertium: aliud esse, Naturam ex suis partibus absolvi, id est conjungi corpus, & Animam in unam Naturam; aliud, eam sic absolutam jungi Divinitati: quæ sine distinctione unionis Humanæ ab hypostatica nequeunt intelligi. Damascenus *3. de fid cap. 12. fin.* quin *animatæ quoque carnis proprietates habuit: eas enim dispensationis* (id est Vnionis Personalis, ut ipse se explicat *cap. 17.*) *ratione, Verbum suscepit, naturalis motus ordine, verè ac naturaliter existentes* Vbi Videtur Damascenus innuere Corpus Christi animatum fuisse naturalis motus ordine, scilicet unione purè naturali; quæ nequit identificari cum hypostatica. *Damascen.*

137 Responsio sit: Athanasium dare ibi discrimen cur sicut ex Corpore & Anima fit una Natura, non sic tertia fiat ex Humanitate, & Divinitate: idque discrimen sumit ex completione utriuslibet præcisim ab altera in esse Naturæ: unde nequit ex ipsis utpote in sua Naturæ linea cōpletis fieri tertia: qualis fit ex Corpore & Anima incōpletis: aliud enim est absolvi unam Naturam, seu tantū compleri per aliud reciprocè & mutuo; quod fit inter Corpus & Animam; aliud jungi Naturam Humanam Divinitati; cum sufficienti perfectione in utralibet ad lineam Naturę Huc tamen quid facit distinctio unionis Humanæ ab Hypostatica? manet enim semper æquè verum Nihil præcisim à Divinitate deesse Humanitati ad propriam rationē: adest enim Corpus; adest anima; & hujus ad illud communicatio sive distincta sive indistincta ab hypostatico nexu cum Verbo.

138 Damascenus autem eo loci incipit agere de proprietatibus utriusque Naturæ: dicitque & suas Humanitati fuisse, & Divinitati etiam suas: Vt enim in Christo negari nequit veritas carnis animatæ per animam Rationalem, sic neque veritas proprietatum, tali Naturæ congruentium: ubi vox illa *Naturalis, & naturaliter* referri debet ad Naturam: non quasi dixerit Damascenus carnem animatam ordine motus naturalis, & non mira-

Universidad de Deusto
Biblioteca

miraculosi, sed quasi dixerit animatæ carni non defuisse proprietates, quæ consequuntur ipsam Naturam, sed eas vere, physicè, & perfectè illi fuisse: quid inde contra discursum nostrum ex Damasceno?

§. II.

OBIECTIONES A RATIONE Theologica.

139 OBjectio 4. Vnio hypostatica est supernaturalis & indebita Naturæ: ergo nequit identificari cum Vnione Humana. Antecedens est certum: & consequentia probatur multipliciter 1. quia Vnio humana est Naturalis: at naturale & supernaturale sunt differentiæ extremè oppositæ: 2. quia Vnio Humana est de essentiali constitutivo Naturæ humanæ: neque enim seposita partium unione, manet Natura constituta: alioquin in triduo mortis Verbum mansisset humanæ Naturæ, seu Humanitati unitum, & homo: ergo Humanitas dicit unionem constitutivè: quid ergo magis Naturæ debitum, quam quod est de illius essentia? Vnde 3. Implicat Naturam in suo esse constitui essentialiter ex prædicato non suo, imò ex possessione physica sui Domini: ergo implicat in suo constitui essentialiter ex unione quæ purè naturalis non sit: nam supernaturalis, & hypostatica ex suo genere est prædicatum alienum, & indebitum, & physica possessio sui Domini.

140 Quartò: Vnio humana essentialiter intrat constitutivum Humanitatis: ergo Humanitati simpliciter debetur Vnio hypostatica. Probo consequentiam, quia Vnio hypostatica simpliciter est debita prædicato secum identificato, atque adeo & enti per ipsum constituto; atqui Humanitas Christi constituitur in esse talis per te ex prædicato identificato cum Vnione hypostatica: ergo & Humanitati debetur. Vrgeo: Humanitas dicit essentialiter unionem: ergo hæc humanitas hanc unionem: sed huic unioni non est indebita, nec gratiosa Vnio hypostatica: ergo nec huic Humanitati contra Scripturam & PP. Vnionem hypostaticam omninò indebitam non solum partibus, sed & Humanitati prædicantibus.

141 Quintò: Quia si Vnio hypostatica identificaretur cum Humana, Humanitas Christi in esse essentiali suo esset compositū simpliciter supernaturale; atque adeo specie differens ab Humanitate nostra, quæ est compositum purè & simpliciter Naturale: unde Christi Natura non esset ejusdem speciei cum Nostra: nec Christus homo ejusdem speciei nobiscum: quod dici nequit. 6. fieret Mariam non fuisse Matrem Naturalem: nam ex concursu ad Vnionem Humanam est Mater: at si hæc non sit Naturalis, nec illa est Naturalis Mater. 7. Nec Christus se naturaliter nutrivisset: cum nutritio dicat novam unionem animæ ad novam materiam quæ si hypostatica sit, & supernaturalis, nequit à virtute nutritiva Christi produci naturaliter.

142 Responsio sit, antecedente concesso negando consequentiam. Ad 1. probationē notetur ex S. Thoma *q. 2. art. 12.* & ex Suarez *in commentario* multiplex sensus, quo ens Theologicè supernaturale, dici naturale potest: quare & Vnio hypostatica, licèt supernaturalissima sit, potest dici in aliquo sensu Naturalis, nempe quatenus identificat sibi formalitatē physicè constitutivam Naturæ *ut quo*, & ex Corpore & Anima facientem Naturam unam. In hoc sensu Vnio Humana semper est naturalis: & concedo antecedens: in sensu verò contradistinguente ens Naturale à supernaturali simpliciter, & Theologicè: (quæ solùm differentiæ sunt oppositæ) Vnio humana Christi non est naturalis; sed supernaturalis: non quidem ex conceptu Vnionis Humanæ, (sub quo à supernaturalitate præscindit) sed ex accessu identico formalitatis toti Naturæ indebitæ, unde Vnio tota manet indebita. *S. Thomas. Suarez.*

143 Ad secundam probationem, notetur, Naturam humanam, seu Humanitatem esse Partes unitas: unde constitutivè, essentialiter, & determinatè dicit Corpus, & Animam in recto, & *ut quod*: in obliquo, & *ut quo* Vnionem; indeterminatè tamen, hanc vel illam; nullam determinatè: nam sive sit hæc unio vel illa, dummodo sit aliqua, manent eædem numerò partes unitæ, & eadem numerò Humanitas: sic licèt in resurrectione Christi Domini non succesisset, juxta non paucos, eadem unio inter Corpus, & Animam, quæ ante Triduum fuerat, eadem numerò dicitur Humanitas resurrexisse. Quare Humanitati ad formalem effectum Naturæ unius, & specificam rationem Humanæ Naturæ debetur aliqua Vnio: hæc determinatè non debetur: imò positivè indebebitur, si formalitati Vnionis Humanæ accedat identitas hypostaticæ: ut in casu nostro: juxta quē di-

stinguendum est antecedens & cōsequens: & neganda ultima consequentia: non enim rei debetur quod de illius essentia determinatè non est.

144 Ad tertiam, Esse determinatum Humanitatis est Corpus & Anima, dicens tamē essentialiter aliud esse indeterminatum, scilicèt in Vnione: Fateor autem implicare quod Natura essentialiter cōstituatur quoad esse suum determinatum, & in his, quæ determinatè postulat, ex prædicato non suo, exque possessione physica sui Domini; at Naturam constitui quoad esse indeterminatum, quod importat, & in his, quæ solùm petit indeterminatè ex prædicato determinatè non suo, & ultra ejus exigētiā; quid implicat: hoc enim solùm est, ex favore specialissimo creatoris constitui, modo, quem ipsa non exigit: ea enim minimum requirit: nempe conceptum Vnionis humanæ, quantumvis minimæ perfectionis in individuo, & datur maximum: quod non est, deberi Humanitati ex essentia sua possessionem sui Dōi, sed gratiosè conferri, ut determinatè nobilissimè faciat, quod indeterminatè & imperfectissimè poterat juxta exigentiam Humanitatis.

M. Raymūdus Lumb. 145 Ad quartam quam ante M. Lumberium novissimè objicientem, objeceram ubi supra Magistro meo, dicatur similiter Humanitati non deberi determinatam Vnionem, unde nec istam: quæ imò ex prædicato hypostatici nexus manet simpliciter indebita. Notetur hic tamen: quod Humanitas Christi sumi potest specificativè, ut dicit Corpus, & Animam Vnita: & reduplicativè prout Humanitas Christi est, & prout in Christo est. 1. modo solùm dicit determinatè corpus, & animam, & indeterminatè unionem. Secundo modo, dicit specialem unionem, quæ simul hypostatica sit: tamen licèt in esse Naturæ humanæ præscindat à formalitate nexus hypostatici: quia hæc non est formaliter cōmunicatio Corporis, & animæ interse; sumptæ tamen realiter sub ea reduplicatione debetur Hypostatica Vnio: at iste modus essendi, supra quem sit reduplicatio, est indebitus simpliciter Humanitati, quæ sic unitur in Christo.

146 Hinc ad instantiam adjunctam, distincto antecedente, nego consequentiam; & concessa minori subsumpta, etiam ultimam: quia hæc Humanitas non sumitur ex determinatione unionis, sed partium. Vnde simpliciter & absolutè respectu Humanitatis fuit maxima Gratia uniri Verbo: quia fuit maxima Gratia sic partes uniri; & partibus sic unitis fuit omninò gratiosum habere unionem: quare Vnio hypostatica fuit summa Gratia Humanitati Vnitæ, specificativè acceptæ: quæ nihil aliud est, quam partes unitæ: quamvis ipsis, & Humanitati reduplicativè, seu prout sic unitis, & elevatis, Gratia non fuerit. Id enim est præter sensum Scripturæ & PP. nec est absurdum, ut neque tale putatur à nemine, quomodocumque constituatur assumptio, dici Naturæ assumptæ specificativè, gratiosam fuisse assumptionem, nō verò reduplicativè, & prout assumptæ.

147 Ad quintam dicatur Humanitatem Christi absolutè fuisse compositum naturale, prout hæc vox sonat naturam ex vero Corpore, & vera anima constitutam: ex modo tamen, quo fit, miraculosissimo, dici posse & debere cum Oviedo *controv. 6. de Gratia p. 3. nu. 17.* compositum Theologicè supernaturale quoad modum, non verò quoad substantiam, & entitativè: nam partes in recto, & principaliter importatæ manent ejusdem entitatis, & ordinis naturalis. Nego exinde fieri Humanitatem Christi esse speciei diversæ cum Nostra: nam specificatio Naturæ compositæ sumitur à Naturis partialibus ex quibus fit: unde multi fatentur Vniones in nobis esse speciei diversæ, non tamen exinde colligunt Naturas nostras specie differre. Nego demum exinde fieri Christum fore diversæ speciei hominem à nobis (licèt hic omnibus hæreat aqua ex diversitate specifica subsistentiæ quæ constituti è importatur in homine:) Ratio, de, & pro qua Lyncæus 2. *phys. tract. 9. num. 16. & 73.* & multa ex multis Bernal *disp. 45.* & Nos demum *disp. 6.* quia ad eandem speciem hominis, sufficit habere humanitatem ejusdem speciei: qualem in Christo fassi sumus. *P. Oviedus* *Lyncæus.* *Bernal.* *Infrà disp. 6. à nu. 24.*

148 Ad sextam, notetur Matrem naturalem dici dupliciter. 1. contrapositè ad legalem, & putativam: & sic nego firmissimè sequelam. 2. contrapositè ad supernaturalem, & miraculosam: & sic, ambabus ultris amplector & sequelam & locutionē cum S. Thom. Bonavent. Dionysio, Ildephonso, Marsilio, Gabriele, & aliis apud Vegam in Theolog. Mariana *Paleſt. 14. Certam. 9.* *S. Thomas.* *Bonavent.* *Dionys.* *Ildephons.* *Marsilius.* *Gabriel, & alii apud P. Vega.*

149 Ad septimam & ultimam, concedatur sequela, quam etiam concedit in terminis P. Bernal *disp. 19. num. 41.* Sed nota tria: 1. in nutritione duo Vnionum genera produci: nam & produciter Vnio integralis materiæ *Bernal.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

riæ novitùs acquisitæ cum præexistenti: & Vnio essentialis novæ materiæ ad Animam. Alterum: eam Vnionem integralem, utpote naturalem, naturaliter, & principaliter fieri à Virtute nutritiva Naturali Christi: unionem verò essentialem, utpote supernaturalem, obedientialiter, & instrumentaliter. Tertium, quòd hic modus nutriendi se, licèt ex parte non sit debitus, naturalisque facultati nutritivæ Humanitatis, secundum se, at est cõnaturalis ipsi prout in hoc supposito: nã supposito elevatissimo, cui actiones attribuuntur ex generali regula, supernaturaliter operari, erat operari connaturaliter: sic multi: Ripalda *tom. 2. disp. 129. num. 43.* Lugus *disp. 11. sect. 5* Cypullus *q. 2. de Incarnatione art. 12. num. 5.* Amicus *disp. 8. sect. 4.* nec dissentit *supra* Suarez.

Ripalda. Lugo. Cypullus. Amic. Suarez.

150 Objectio 5. fieret inde Verbum non assumpsisse Humanitatem: quod dici nequit, & ostenditur sequi: nam Verbum unicè assumpsit id ad quod terminata est hypostatica Vnio: ut patet: sed Vnio Hypostatica non terminatur ad Humanitatem: Nam Humanitas, sunt partes & Vnio: si autem Vnio hypostatica sit Vnio Humana, cum terminare non possit ad se ipsam, neque terminabitur ad partes & Vnionem ipsarum: ergo neque ad Humanitatem. Vrgetur à contrario: Vnio hypostatica terminatur ad id, quod univit Verbo; sed univit Humanitatem Verbo; atque adeo partes, & unionem Humanam: ergo terminatur ad Humanitatem, atque adeo ad partes, & Vnionem Humanam. Sed non terminatur ad se ipsam: ergo ipsa non est Vnio Humana. Minor patet, nam Verbo unitæ sunt partes, ut Humanitas, atque adeo ut interse sunt unitæ.

151 Hæc objectio potius est contra eos, qui negant immediatè assumptam à Verbo Vnionem Humanam: qui tamen, ut videre est apud Aldrete valide patrocinantem *disp. 32. sect. 2. à nu. 14.* non negant assumptam Humanitatem à Verbo: quia licèt assumpta non sit Natura ut una, tamen est assumpta Natura per unionem una: Naturæ autem nomine simpliciter, & *ut quod* unicè veniunt corpus & Anima: Vnio enim non est Natura, sed quo Corpus, & Anima fiunt Natura una. Vnde si Verbum, inquiunt, assumit immediatè Corpus, & Animam, quæ sunt Humanitas, ut quod, & Rectum Naturæ, licèt immediatè non sumat Vnionem, sed adveniat aliunde partib⁹, dicetur, assumere Humanitatem, & totam Naturam: sicut & Deus

Aldrete.

dicitur odisse peccatum habituale, quia odit id quod peccatum dicitur, licèt odisse non possit quod peccatum habituale importat essentialiter in obliquo, & *ut quo*, nempe Divinam non condonationem.

152 Responsio sit: negando sequelam. Ad probationem negetur major: nam Verbum, & assumpsit Vnionis terminos, & ipsam immediatissimè, ut formale medium assumendi: unde & unionem Humanam, realiter indistinctam à formali assumptione: & in ipsa partes unitas, quæ sunt Humanitas. Nota tamen, quod licèt formalis assumptio, uniat Verbo Humanitatem, & partes unitas, quia se ipsa est exercitium eas inter se uniendi; nõ ideo dicendum, terminari ad corpus & animam, & unionem: quia ipsa non terminatur ad se, licèt se ipsam uniat Verbo; nec ideo negandum, terminari ad Humanitatem: nam cum Humanitas sint partes unitæ, & Rectum Naturæ, imò tota Natura, *ut quod*, & denominationis, implicat unionem hypostaticam esse unionem ipsarum partium interse, quin eo ipso terminetur ad partes unitas. Id quod multis exemplis passim obviis poterat illustrari.

153 Ad confirmationem, distinguo majorem: terminatur ad id totum, quod univit Verbo: nego: nam non terminatur ad se ipsam, quæ per se mansit unita Verbo: ad id quod præter se univit Verbo, concedo majorem & minorem, & consequentis primam partem, & nego secundam. Nam Vnio hypostica dicitur unire Verbo Humanitatem, ut dixi, terminarique ad ipsam Humanitatem quia Humanitas sunt partes unitæ: ut autem terminetur ad partes unitas, non est opus, quod terminetur ad partes, & unionem: sic dicimus effectionem terminari ad effectum, quin terminari debeat ad ipsam effectionẽ ex qua effectus dicitur. Nota demum pro verborum lusibus, qui misceri hic possunt, Verbo per Vnionem hypostaticam accessisse partes ut unitas, id est, medio quo partes interse manserunt unitæ. Illa enim reduplicatio numquam debet admitti, si sonet præunionem ipsarum partium interse. Veritas enim Catholica solum statuit, Verbum assumpsisse Corpus, & Animã non separata, & inunita, sed unita, sive per unionem distinctam ab Hypostatica, sive per ipsam identificantem in se duas formalitates, & Vnionis Humanæ, & Hypostaticæ.

§. III.

§. III.

ALIÆ DVÆ OBIECTIONES.

154 OBjectio 6. Verbum assumpsit carnem mortalem, & modo passibili & mortali: ergo Vnio Humana realiter distinguitur ab Hypostatica. Antecedens sumitur ex ore Conciliorum, & Patrum. Probatur cõsequẽtia. Si Vnio humana nõ distingueretur ab Hypostatica, Verbum assumpsisset corpus & animam sola unione hypostatica, quæ realiter esset humana, interse unita; sed Corpus, & Anima sola unione hypostatica interse unita sunt quid immortale, aut quid existens modo nec passibili, nec mortali: ergo. Probo minorem: tota mortalitas humani compositi, seu carnis humanæ venit ab Vnionis destructibilitate: sicut mors in ejus solum destructione consistit; atqui Vnio illa inter Corpus, & Animam esset indestructibilis: ergo corp⁹, & anima sic unita esẽt quid immortale, quid existens modo impassibili, & immortali. Minorem, sola indestructibilitate ex natura rei, negata hucusque à nemine contentã, sumo ex PP. & Conciliis apud Petavium ore pleno vocantium hypostaticũ nexum inamissibilem, & indissolubilem. *Infra* dabo loca clarissima. Sed Verbum non aliter assumpsit unita, Corpus, & Animam, quam illo hypostatico nexu: ergo & modo simpliciter immortali.

Petavius.

Vide infra nu. 165. & disp. 3. à num. 32.

155 Augetur difficultas: ea Vnio esset naturaliter indissolubilis: ergo & Christus immortalis, etiam ut homo: ergo occisio Christi Domini venire non potuit ab hominibus; vel si ab ipsis venit ut instrumentis, venire non potuit sine speciali elevatione qua dolores dissolverent hujusmodi unionem inter corpus & animam Christi: ergo sibi ipsi supernaturaliter operanti, vel Deo specialiter elevanti debet attribui violentia mortis Christi Domini: ergo, vel Christus dicendus est occidisse se ipsum, vel ipsum occidisse Deus: non autem homines, nisi quatenus causæ fuerunt dolorum, qui sufficerent in alio supposito dissolvere unionem: quæ omnia perabsurda sunt, & censentur à Suarez *tom. 2. in 3. p. disp. 38.* tamen sequuntur ex antecedente, quod

P. Suarez.

156 Probo 1. quia destrueretur immediatè, vel mediatè ab agentibus naturalibus? Non primum: quia inintelligibile est quod ens supernaturale immediatè ab Agenti Naturali destruatur, nisi sit actus liber ipsius, aut liber effectus. Imò, nec ullum ens præsertim substantiale destruitur in naturalibus immediatè ab Agentibus. Non secundum: quia id esset vel tollendo dispositiones naturales; at ad ens supernaturale, quod debeatur ipsis, nullæ sunt; vel inducendo formã cõtrariã: at quæ forma contraria potest excogitari Vnioni hypostaticæ? 2. quia nullum ens naturale vi sua potest facere, quod causa supernaturalis desistat ab operando. 3. quia illa Vnio est forma sanctificans nulli deficiens, nisi culpa propria: ergo ubi est impossibilis culpa, est indeffectibilis. 4. quia si Agentia naturalia possunt eã Vnionem destruere: cur vocatur à PP. indissolubilis. 5. quia ea unio se ipsa redderet humanitatem doloribus inaccessam. 6. quia durissimum videtur, quod Dolores naturales possint vi sua quemquam à fine suo ultimò avellere: cum dicat Apostolus: *Quis nos separabit, &c.* Hæc objectio turbavit olim me contra Doctrinam, quàm modò sequor.

Rom. 8.

157 Responsio sit: anticipando Doctrinam exhibendam *disp. seq.* de Vnionis hypostaticæ indestructibilitate *sect. 1. §. 2.* Vnio hypostatica est absolutè obnoxia destructioni: quia ens finitum. Ex natura rei est in numero indestructibilis ex exigentia, quã secum identificat, ut termino suo dentur gloriosæ dotes: formaliter, & in specie est essentialiter indestructibilis ex decreto, quod supponit in Deo non dimittendi Naturam, quam semel assumpsit.

Disp 3. sect 1. à nu. 32.

158 Ex his fusius exponendis loc. cit. tria sunt; unde solutio petitur argumenti. Primũ: Vnionem hypostaticam, si existat cum iis omnib⁹, quæ cõnaturaliter exigit, reddi indestructibilem numero: quia eo ipso terminus esset impassibilis ex accedente dote debita Vnioni. Secundum: eam Vnionem, si miraculosè ponatur sine iis omnibus, quibuscum decet & exigit esse, manere posse destructibilem vi naturalium agentium, si secum identificet formalitatem egentem naturalibus dispositionibus ad aliquam denominationẽ uniti quam præstat: quia facto primo miraculo separationis à proprietate, qua redditur inaccessa naturalibus agentibus, sine novo manet ipsis obnoxia. Tertium, eam tamen formaliter quoad conceptum Hypostaticæ Vnionis, & in specie, esse absolutè indestructibilem, & indissolubiles à Deo partes, semel ipsi hypostaticè unitas ex Dei decreto: cujus rationem infrà dabo, do nunc solutionem in forma: &

Universidad de Deusto
Biblioteca

159 Ad argumentum nego antecedens: & minores probationum nam licèt ea unio, si existeret, qualis, inspecta sua natura, deceret, & posset, redderet Corpus impassibile, & gloriosum; tamen voluit Deus ex fine nostræ Redemptionis eam ponere qualis in Christo fuit, sine refusione talium proprietatum in terminos. Nec Patres aliam indissolubilitatem intendunt, quam explicatam nuper, ut fiet ex sequentibus omninò planú. Nota id argumentum omnibus esse commune: nam sive Vnio hypostatica sit etiam humana, sive non, exigit in termino assumpto impassibilitatis dotem: & in Sententia P. Suarez putantis admitti debere specialem unionem hypostaticam ad Vnionem Humanam, ut tota Humanitas in ratione totius dicatur assumpta, specialiter solvendum: idque ex nostro discursu. *P. Suarez.*

160 Ad confirmationem distinguo antecedens: naturaliter indestructibilis non supposito aliquo miraculo, concedo antecedens: illo supposito, nego antecedens & consequentiam: unde ad subillatas, circa quas videndus est omninò Suarez *ibi citatus*, omninò dicendum, nec occidisse se Christum, cedendo voluntariè ulteriori vitæ, ut dixere nonnulli; nec occisum à Patre, ultra exigentiam, nec ex ulla quasi coactione causarum suspendente concursum, ut insinuarunt alii, sed occisum verè & propriè à judæis naturaliter, sed omninò violenter, ex dissolutione partium violenter facta.

161 Antecedētis probationes nullæ sunt. Ad primum dicatur, ens supernaturale destrui naturaliter posse, ut patet in Gratia, in nostris actibus: & hoc mediatè destructum ex corruptione dispositionú naturalium, quę licèt exigere nequeant ens supernaturale, exigi possunt ab ipso ad sui conservationem, & exiguntur ab isto, de quo est quæstio ex formalitate Vnionis humanæ. 2. est omninò falsa. Ad tertiam omisso quod Vnio sit forma Sanctificans, satis est quod nisi ex culpa propria non sit formaliter, & in specie deffectibilis, ut concessimus. Vnde patet ad quartam. Quinta vera est, si ea unio consideretur cum iis omnibus, quæ secum in terminis exigit. Nec sequitur demum, quod in sexta contenditur: ea enim conjunctio cum fine suo maneret formaliter & in specie in creatura: licèt modum aliquem conjunctionis permitteret Deus obnoxium agentibus naturalibus ex causis altissimis Providentię suæ, & Copiosæ Redemptionis nostræ.

162 Objectio 7. quia hæc tota Doctrina vel non effugit inconveniens, quod fugit: vel non oritur necessario, ex radice, quæ putatur: Nititur enim in eo quod Vnio in nobis sit subsistentia: unde, ne duplex sequatur in Christo, inventa est hæc identitas Vnionis Humanæ cum hypostatica. Contendò autem nec ex eo quod Vnio sit in nobis ratio subsistendi, sequi identitatem Vnionis humanæ, & hypostaticæ in Christo: nec ex ea identitate permissa, evitari in ipso, humanam & creatam subsistentiam. Primum ostendo sic: quia licèt Vnio, quæ cònaturaliter est in nobis, sit subsistentia; Vnio inter Corpus & animam definet esse subsistentia eo ipso præcisè, quod ponatur cum exigentia unionis hypostaticæ: nam eo ipso vi talis unionis Corpus & anima non sistunt in se, nec reduntur alteri incommunicabilia subsistārialiter; at ea unio talis exigentiæ non est Vnio Hypostatica: ergo ex illa Doctrina Philosophica non est necessaria sequela, hæc Theologica. Ostendo jam alterum: Nam ea Vnio simul Humana & Hypostatica, non minus unit, perficit, & complet intrinsecè Corpus & Animam interse: quam Vnio purè humana: cur ergo non sit illa, subsistentia, ut est ista: cum illa sit subsistentia ex hoc solo munere? Hæc, ut vides, objectio premit æquè Bernalem, & Asseclas.

163 Responsio sit: negando sequelam utramque. Ad ostensionem primæ dicatur: eam Vnionem, quæ talis exigentiæ fingitur, non fore subsistentiam: esse tamen ideo impossibilem. Tùm quia si semel admittenda est diversitas, & supernaturalitas unionis, pronius est eam identificare cum hypostatica: nam nec vitantur incommoda, sed augentur per illam distinctionem: nec per illam operaretur Agens, linea recta, sed obliqua: cum finis, brevius posset haberi per unam operationem. Tùm etiam quia ea unio haberet ex se, & non precisè ex terminis supernaturalitatis excellentiā: quod repugnat modis: quorum tota perfectio refunditur in extrema. Tùm insuper, quia ea Vnio secum afferret enti purè finito per ipsam constituto, proprietatem esse Divini, & simpliciter infiniti: quod implicat in ipsis terminis: nam proprietas non excedit id, cujus est proprietas: quod discrimen adverte inter illam Vnionem & hypostaticam: nam licèt Vnio hypostatica afferat Humanitati quid Divinum; at affert quia se ipsa ut quo constituit ens non purè creatum sed Divinum: unde prærogativæ non debentur composito ratione sui, sed termini, quem affert. Tùm demum quia vel illa exigentia est essentialis & indispensabilis: & sic se ipsa est ordo intrinsecus ad Verbum, atque adeo Vnio hypostatica: & implicat in terminis Arguens. Vel est solum naturalis, & dispensabilis: & sic manifestè sequuntur illa, quæ nuper objeci: nam puræ creaturæ deberetur infinita proprietas: quod etiam repugnat ex terminis: est ergo necessaria sequela ex illa Doctrina Philosophica, Theologica hæc quam defendimus.

164 Ad ostensionem alterius, concedo antecedens, & nego consequentiam. Rationem autem addi ex S. Thoma, ex quo Doctrinam hausimus 3. *p. q.* 4 *art.* 2. *ad* 2. his verbis: *Naturæ assumptæ non deest propria Personalitas propter deffectum alicujus, quod ad perfectionem humanæ Naturæ pertineat, sed propter additionem alicujus, quod est supra Humanam Naturam.* Nò ergo desinit Vnio, quæ in Christo est, esse subsistentia quia minus uniat, minus perficiat partes humanitatis, aut quia huic vel illi deest aliquid perfectionis; sed quia magis unit, magis perficit, uniendo non solum interse partes, sed etiam Verbo: cumquo fiat unum essentiale per se: sic actus supernaturalis non desinit esse naturalis ex deffectu alicujus perfectionis ad speciē actus requisitæ, sed ex incremento ulterioris perfectionis, actus speciei, totique Naturæ simpliciter indebito. *S. Thomas.* *Ejus egregium testimoniū pro nostra Sententia.*

Vnde acutissimè addit S. Doctor *ad* 3. impeditam in humanitate Personam propriam: non quia corrupta sit aliqua perfectio, sed quia impedita est aliqua, *quæ aliter esse posset*, nam per unionem hypostaticam, utpote sibi identificantem vim Vnionis humanæ, impeditus est *modus, quo aliter esset* in Humanitate, perfectio nexus humani; Nempe *Vnio purè Naturalis.* Vide quam in Doctrina nostra persistat Angelicus Doctor; & quam procul à constitutione subsistentiæ per *Negativum*, contentus *Vnione* per semetipsam *complente, & incommunicante* Partes Vnitas, alteri: ut se clare explicuit *locis suprà citatis à num.* 103. secus, ac moderni cum Thyrso, Bugis, Vvadingo, & Tiphano conati novissimè sunt interpretari, pro *subsistentia Negativa*, quam *suprà* suppressimus. *Et pro subsistentia in Positivo Vnionis.* *Procul à Negativo, ut nos suprà à num.* 115. *& dis.* 1. *sect.* 2. *à num.* 31. *Thyrsus. Bugis. Vvading. Tiphan.*

§. IV.

VLTIMA OBIECTIO: VBI DE DOCTRINÆ concordia cum permanentia nexus hypostatici in triduo mortis.

165 Objectio 8. In morte Christi realiter desiit esse unio Humana inter ejus Corpus, & Animam: sed Vnio hypostatica non desiit esse realiter: Verbum enim, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, ex Damasceno: ergo Vnio humana, & hypostatica realiter distinguuntur. Firmatur ulterius minor ex locutione apud Petavium inoffensa, & communi Pontificum, Conciliorum, & Patrum: à quibus Vnio hypostatica dicitur Nexus indissolubilis, & inamissibilis. Audite Bernardum *lib.* 5. *de Consid. Inde est quod nec morte incidente ullatenus interci di hæc potuit etsi carne, & Anima invicem separatis.* Leonem *Serm.* 17. *in tantam unitatem Dei, & hominis Natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte dissjungi.* Damascenum 3. *de fid. cap.* 27. *Divinitas autem à neutro* (hoc est nec ab anima, nec à Corpore,) *quo quomodo sejuncta est.* Hæc sufficiant: ergo Vnio hypostatica non modò dissoluta non est, nec existere desiit in morte Christi, sed etiam nec morte est dissolubilis, aut ullatenus, & quoquo modo amissibilis. *Damascen.* *Petav.* *Bernard.* *Leon.* *Damascen.*

166 Ob hæc dicere posset aliquis secutus P. Ribadeneyrā *in simili de Actib.* Vnionem hypostaticam esse talis naturæ, ut sit absolutè unio Corporis, & Animæ ad Verbum: & conditionatè unio Corporis, & Animę interse, nępe ad præsentiam dispositionú & debitæ penetrationis: quo fierer etiam juxta nostra principia obvenire potuisse separationem, & mortem Christi, nulla hypostatica Vnione, imò nullo ente entitativè destructo. *P. Gaspar Ribadeney.*

167 Magister, & Author Doctrinæ nostræ secutus etiam in simili P. Suarez, rem hanc composuit, conatus satisfacere Patribus per tres Vniones: aliam corporis ad Verbum: aliam animæ ad ipsum Verbum: aliam, Corporis, & Animæ interse, & cum Verbo: quo sibi visus est posse dicere Vnionem hypostaticam nec morte interciśam esse nec periisse, nec esse solutam: nam licèt perierit Vna, quæ simul est Humana, tamen manserunt aliæ, perquas separabiliter adinvicem Corpus & Anima conjungebantur ad Verbum. Nec timet otiositatem: quia illæ *P. Suarez. P. Mumiess.*

Vnio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vniones præstant diversissima munera: duæ enim distinctæ ab Humana, uniunt Corpus, & animam separabiliter: tertia verò indivisim, & inseparabiliter interse, & cum Verbo: quæ unionum simultas, & munera necessaria videntur Mysterio, & locutionibus PP. & CC de ipso.

168 Alii Authores communiter putant satisfieri non posse Patribus, si semel admittatur unio hypostatica dissoluta: unde censent Vnionem hypostaticam semper eandem mansisse: nec in triduo periisse nisi unionem humanam, quam ideò non solum fatentur ab hypostatica distinctam, sed etiam immediate inassumptam: quare Vnionem hypostaticam ex duplici reali terminatione, altera ad Corpus, ad animam altera, componunt.

Vazquez. Lugo. Albertin. Araujus.

169 Vazquez *disp. 37. cap. 10. num. 61. & disp. 20. cap. 3. num. 30.* Lug. *disp. 12. num. 49.* Albertinus *tom. 2. Coroll. 9. quæst. 9. Theol. num. 5.* Araujus *in 3. part. quæst. 3. art. 5. dub. unic. num. 21.* minus scrupulosi incedunt, falsique Vnionem hypostaticam Humanitatis ad Verbum fuisse respectum physicè simplicem ad Corpus, & Animam, ut interse unita, defendunt eam ex deffectu termini, nempe Vnionis humanæ, periisse per mortem; successisseque alias ad Corpus, & Animam divisivè vnienda in triduo, quod ajunt sufficere & veritati de non dimissis unquam à Verbo, Corpore, & Anima, sed semper retentis sive per hanc, sive per aliam unionem; sicut Deus conservans effectum modo hac, modo alia actione; dicitur perseverare in influxu ad effectum, nec ipsum à sua conservatione dimittere: & locis citatis Patrum nihil aliud intendentium: sic censent etiam

Hurtadus. Vvading. Esparza. Bernal.

Hurtadus *dip. 46. sect. 4. num. 22.* Vvadingus *disp. 4. num. 130.* & judicat probabile Sparza *quæst. 20. ad 7.* Imò Pater Bernal *dis. 20. num. 10.* docet in Nativitate Christi Vnionem hypostaticam Vnionis humanæ ad Verbum periisse, & successisse tunc aliam: Hurtadus ipse *loco cit. num. 23.* periisse partiales hypostaticas uniones per decremēta Corporis, ut augebantur per eius incrementa. & alii demum apud ipsum Bernal, totales etiā variatas vel ad motum localem Christi, vel ad successionem singulorum instantium. Vsq; adeò variant, in controversia juxta citatum Sparzam levi, Doctorum judicia.

170 Censeo ipse 1. difficultatem esse cōmunem: nam Verbum in morte necessariò dicendum est aliquid dimisisse, quod semel, vel immediatè, vel mediatè assumpsit, nempe Vnionem Humanam. unde explicari debet ab omnibus Dāmascenus, nempe de partibus essentialibus, & Recto subsantiali Naturæ: nempe Corpore, & Anima, quæ sunt tota Natura Humana, & Humanitas in recto, & ut *quod*.

Damascen.

171 Censeo 2. Patribus omnino satisfieri dicendo nexum hypostaticum esse formaliter, & in specie indissolubilem, & morte inamissibilem, sive ex natura ipsa Vnionis hypostaticæ, sive ex decreto Divino: quasi, licèt periret ex Divina permissione materialiter, & in individuo aliqua unio; formaliter, & in specie perire non posset quoad effectum sistendi Corpus, & Animām indeffectibiliter in Verbo vi hypostatici nexus.

172 Hunc sensum inde mihi persuadeo 1. quia Patres solum intendunt, ex separatione corporis, & animæ non secutam separationem ullam eorum à Verbo: cui veritati cōtra nonnullos oppositum ex illo Christi *ut quid dereliquisti me*, arguentes; faventibus saltem in speciem Hylario, Ambrosio, & Eusebio apud Suarez *disp. cit. 38. tom. 2. in 3. part. sect. 2 fin.* sufficit ea necessitas alicujus unionis Verbi ad Corpus, & Animam, ut vi ejus non possint unquam dici à Verbo dimissa: quid hoc facit ejusdem numerò unionis permanentia? 2. quia Patres æquè dicunt indissolubiliter unitam esse Verbo Humanitatem, cum constet in triduo mortis Humanitatem esse solutam: unde necessariò explicandi sunt, ut nos fecimus.

Hylarius. Ambrosius. Eusebius. Suarez.

173 Censeo 3. ob locutiones Patrum sensu explicato contentas, nec curantes speciales philosophandi vias in negotio Fidei, non esse necessarium recursū ad illud ternarium unionum: quarum duæ separabiliter uniant Corpus, & Animam Verbo; altera indivisim ad invicem, & inseparabiliter. 1. quia ut nuper dixi, aliud à Patribus intenditur. 2. quia indissolubilitas à Patribus asserta, si semel accipienda sit materialiter, & in individuo, coget asserere Vnionem hypostaticam, vi cujus Natura Humana unita est Verbo ex genere suo esse indissolubilem: at iste discursus planè fatetur aliquā unionem hypostaticā, imò eam quæ Mysterio sufficit, & qua Verbum Caro factum est, realiter dissolutam in triduo: quod concedit in simili Pater Suarez: non ergo salvat iste discursus rigorem locutionum; sed deserit. 3. quia cùm aliunde explicari possint, & debeant Patres, frustra multiplicantur Vniones, quæ æternùm otiosi simę erunt, & fuerunt adusque triduum in

P. Suarez.

Christo

Christo Domino. Adde quod ex deffectu tālis unionis in triduo, cum Vnio juxta Authorem, cui ternarium placet, sit forma sanctificans, Anima maneret minus Sancta, saltem extensivè, quod mihi non aptè sonat: obsequia enim Deo præstita augent, non minuunt Sanctitatem.

174 Censeo 4. minus necessarium esse recursum ad genus illud unionis partim absolutæ, & partim condicionatæ, quam insinuavi *num. 166. 1.* quia non eget bona causa, tam debili patrocinio, quo veretur in odium. 2. quia ille modus impossibilis censeri debet ex *dictis sect. 1. à num 18.*

Suprà sect. 1. à nu. 18.

175 Censeo ob hæc omnia 5. inter Corpus, & Animam Christi, & eorum ad Verbum, unicam esse admittēdam unionem: quæ simul & Hypostastica sit, & Humana: Eam verò materialiter, & in individuo destructā in triduo; mansisseque formaliter, & in specie, non quidem quoad effectum communicandi Corpus, & Animā interse; bene tamen quoad effectum sistendi, & retinendi hypostaticè uni ta Corpus & Animā in Verbo per alias duas immediatissimè succedentes; quæ postea in Christi resurrectione, utpote suo officio iam functæ: perierint. Vnde Corpus, & Animam, quæ semel assumpsit Verbum, nunquam dimisit: nec morte interrupta est unitas, quā Deus decrevit retinere Corpus, & Animam semel assumpta. Quare ad argumentum concedenda est major, &, formæ gratia, distinguenda minor: Vnio hypostatica non desiit realiter, quoad effectum retinendi Corpus, & Animam in Verbo, quasi formaliter, & in specie, concedo minorem: quasi materialiter, & in individuo, & quoad effectum communicandi Corpus, & Animam interse, nego minorem, & consequentiam.

SECTIO VI.

COROLLARIA IN PLENAM ELVCIDATIONEM Hypostaticæ Vnionis.

176 His in plenam elucidationem Hypostaticę Vnionis, annecto Corollaria quatuor: Primum ipsam essentialiter esse substantialem: Alterum, esse modum substantialem singulis terminis nēpe Corpori, Animæ, & Verbo intrinsecum æquè, sed diversimodè. Tertium, esse materialem. Quartum, esse physicè simplicem, contrapositè ad essentialem compositionem; compositum verò integrali compositione pro diversitate partium materiæ, quas indivisibiliter unit, Animæ, & Verbo. In duobus ultimis nequit esse difficultas juxta nostra principia: nam ea Vnio cum indivisibiliter uniat Corpus, Animam, & Verbum: necessariò pendet à re sensibili, quantitativa, & integrali: unde necessariò manet materialis, & particeps integralis cōpositionis. Id quod nota dictum de Vnione, quæ nunc est in Christo, & quæ fuit ante triduum: nam de his, quæ in triduo, dici debet, eam quæ fuit Animæ ad Verbum, spiritualem fuisse: aliam verò Corporis ad ipsum Verbum, materialem. Rationem facilè colliges. Et hæc de duobus ultimis Corollariis.

177 In aliis aliqua dissensio inter Authores Catholicos est. Resistunt Primò, Durandus, & Paludanus ex una parte; Gabriel ex alia: Scotus, & Ochamus ex alia. Primi putant accidentalem: quia advenit enti completo in actu; & adest, & abest citra subjecti corruptionem, nempe Verbi. Alter, putat esse quādam supersubstantialem qualitatem, quæ dicatur Gratia unionis, & quæ vim habeat uniēdi Humanitatem Verbo. Alii putant, esse meram relationem, non extrinsecus, sed intrinsecus advenientem. Resistunt 2. Corollario Albert. *quæst. 5. de Prædicam. Substantiæ Coroll. 5. dub. 1.* Less. *lib. 12. de perfect. Div. cap. 6. num. 52.* Lorca *disp. 3. num. 4.* (quibus assentiuntur Thomistæ *num. 1.* relati, & tantum non Aldrete *disp. 31. sect. 6.*) putantes unionem esse intrinsecam Humanitati: Verbo tamen extrinsecam: nec aliter audent abstergere, vel excusare notam mutationis in Verbo.

Durandus. & Palud. Gabriel. Schotus. & Ochamus.

Albertin. Lesius. Lorca. Thomistæ. Aldrete.

178 Ostenditur igitur contra citatos Authores veritas Corollarii primi. 1. quia apud omnes Vnio humana substantialis est: & hanc non distingui ab hypostatica, contendimus. 2. per rationem à priori: quia ratio formalis constituēdi substantiam, nequit esse contradictorium ipsi, nempe accidens: at tam Humana, quam hypostatica est ratio formalis constituendi substantiam: illa, Naturam: hæc, suppositum. 3. quia substantia est, vel ens constitutivum suppositi: vel prima radix operandi, vel ratio qua res sit simpliciter esse; non verò talis: id enim accidentium est: at hæ notiones æquè competunt Vnioni Humanæ, ac Hypostaticę. 4. quia & termini sunt omninò substantiales, & ens resultans ex cōjunctione est omninò perse: ergo & modus uniendi. 5. quia modus, quo subsistentia propriā sibi Naturæ communicat: ut fiat Persona

vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel suppositum, est substantialis: ergo & modus, quo Verbum, Humanitati, cum inde Persona resultet. 6. quia id non solum insinuari, sed definiri videtur à Conciliis vocantibus eam unionem substantialem, Verbum substantialiter unitú carni, Vnitionem factã secundũ hypostasim: quorum loca vide apud Ragusam *disp.* 38. & Lug. *disp.* 11. *sect.* 4. Vnde contradicentium Authorum phrasis, (licèt sensus plane catholicus sit, admissa una solum Persona in Christo, & unione ad id muneris sufficienti inter Humanitatem, & Verbum,) Nestorium sapit.

Ragusa. Card. de Lugo.

Durandus.

179 Dices pro Durando. Quod advenit enti in Actu, est accidens, sed hic modus advenit enti in actu, scilicet Verbo: ergo est accidens. Cõfirmatur: Accidens est, quod adest, & abest absque subjecti corruptione; sed hæc unio adest, & abest tam Humanitati, quam Verbo citra eorum corruptionem: ergo. Dici solet ob hæc: Vnionem esse accidens Logicum respectu Verbi, quod non obstat rationi substantiæ. Alii aliter dicunt, Vnionem esse Accidens prædicabile; non verò prædicamentale.

180 Melius respondetur distinguendo majorem: Quod advenit enti in actu, & nullũ ens in actu constituit, est accidens, concedo: quod advenit enti in actu, & ens in actu simpliciter constituit, est accidens, nego: sic existentia tua advenit mihi in actu, sed quia simpliciter te in actu constituit, est substantia. Vnio autem Hypostatica licèt adveniat Verbo in actu, tamen & Naturam in acti constituit, & ex ipsa & Verbo ens simpliciter præstat, nempe hominem. Ad confirmationem: Hęc unio cum sit Humana, adesse, & abesse non potest citra subjecti corruptionem: Verbum enim non est subjectum illius, sed tota Humanitas. Deinde distinguo accidens est quod adesse, & abesse potest citra subjecti corruptionem, subjecto omnimodo constituto jam in actu simpliciter, concedo: non ita constituto, nego. At humanitas non est constituta in actu simpliciter sine subsistentia: quia nondum est ens Perse completum, nempe homo.

181 Dices iterum: ergo datur substantia supernaturalis. Distinguo; modalis, & *ut quo*, concedo: entitativa, & *ut quod* nego. Ratio discriminis: quia substantia entitativa venit sub ratione Naturæ, supra quam supernaturalitas est. Sed expensius *infra*. Dices ultrà: ergo illa substantia subsisteret: at non per creatam subsistentiam, ne sit duplex in Christo: ergo per Divinam: quod æquè repugnat: cum proprietas excedere nequeat id cujus est proprietas. Nego sequelam: nam substantiæ rationi sufficit esse de constitutivo suppositi: subsistere autem solum est Naturæ, qui conceptus non est in illo modo.

Disp. 3. à num. 2. & latè ad 1. 2

182 Dices pro Gabriele: Vnio hypostatica dicitur Gratia Vnionis: per eamque dicitur accepisse Humanitas unctionem Spiritus Sancti: juxta illud: *unxit te Deus, Deus tuus Oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: ergo est quędam supernaturalis qualitas. Hæc ratio reddit mihi omninò suspectam Grabielis Sententiam; eamque Nestorianæ similem reddit: certè ea qualitas, si accidens est, nequit esse ratio constituendi unum substantiale perse: deinde si est absoluta, ut ponitur à Gabriele, nequit esse nexus se ipso determinans Humanitatem, & Verbum ad unum. Insuper: si ea Vnio solum significat specialem Sanctitatem vi cujus Verbũ in Humanitate dicatur esse, est error Nestorii. Demum Vnio hypostatica dicitur Gratia Vnionis, non quod ipsa sit qualitas: sed quia est maximum beneficium. Adde Gratiam dici posse, ex munere Sanctificandi, si forte habet; vel minimum, ex munere afferendi secum maximam Sanctitatem, & omne genus Gratiæ. Quo sensu intellige locum Psalmi: ni mavis de Christo resurgente cum aliis intelligere.

Gabriel.

Psalm. 44.

Infrà disp. 3. sect. 2. §. 4. & 6. & lib. 5. disp. 1. sect. 1

Vid. Lorin

183 Dices demum pro Schoto: Vnio, respectus est ad extrema, quæ unit: ergo est relatio. Ob id opinor Schotum bene sensisse. Nota tamen modum illum substantialem Vnionis, (licèt essentialiter sit respectivus: nam id est de conceptu modi unitivi) non esse Relationem prædicamentalem, quæ resultet ex conjunctione Humanitatis ad Verbum: (quod fortè volunt Nominales sic locuti) sed Relationem transcendentalem, in qua consistat ipsa conjunctio: unde, licèt quæstio de voce fiat, tamen vitanda est vox relationis prædicamentalis in his: quia hæc supponere solet rem, quam refert in esse suo simpliciter constitutam, quod insinuavit Schotus per Relationem extrinsecus, vel intrinsecùs advenientem; cùm tamen Hypostatica Vnio ipsa constituat Naturam in esse Naturæ Compositæ, & ponat in esse suo primo simpliciter, constituendo simpliciter hominem.

Schotus.

184 Ostenditur denique veritas secundi Corollarii. 1. quia timor ille mutationis in Verbo ex intrinsecitate Vnionis est omninò vanus ex *disp. 1. sect. 1.* 2. Intrinsecitas illa unio-

Suprà disp. 1. sect. 1.

unionis ad Verbum negari, nisi inconsequẽter nequit: Nam modus ille unionis in humanitate receptus, illique intrinsecus, vel unit Humanitatem intrinsecè Verbo, vel nõ? Si 2. per quid unietur intrinsecè Humanitas Verbo? Si ergo primum: ergo vi illius unionis, Humanitas habet intrinsecè Personalitatem Verbi: qua ergo ratione concipi potest, Verbum esse extrinsecum medio quo formaliter, & intrinsecè & citra denominationem extrinsecam, habet Verbum Humanitas?

185 Dicitis, quia nec Humanitas, nec Vnio inhærent, aut subjectantur in Verbo. Hæc tota radix discordiæ, quam levissimo pulsu succido: nam pone creari cum multis Vnionem humanam inter Corpus, & Animam: illa manet intrinseca utrique: non quia recipitur: nam fit actione creativa: ergo precisè quia seipsa est physica indivisio unius ab altero, pendens essentialiter ab utroque, & ex utroque formans unum essentiale Perse: sed hæc omnia competunt Vnioni respectu Verbi citra receptionem: ergo 3. quia hæc denominatio *Verbum est homo*, & *homo est Deus*, non est denominatio extrinseca, sed substantialis, & intrinseca; secus ac istæ *homo est visus*, *vestitus*, *dexter*: ergo nec unio est extremis extrinseca, sed intrinseca.

186 Rogas tamen: in quò consistat ratio intrinsecitatis: ut unà evellantur scrupuli in hac materia? Respondeo 1. vocem, *intrinsecitas*, sumi variè posse: vel pro essentialiter, media identitate: ut dicimus de homine esse intrinsecè Rationalem, vel Risibilem: vel *cõstitutivè* media identitate, vel unione: qua res cõpleri dicitur & constitui in suo esse: sic est intrinseca Materiæ forma, & formæ Materia: Vel pro *physica indivisione* titulo unionis, ut unio est (id est, sepositò quovis alio titulo, vel intentionali, vel immensitatis, vel effectionis) quo & unio ab extremis, & extrema indistant interse in ordine ad faciendum formaliter se ipsis unum simpliciter, ideſt, Per se: quod duobus modis accidit in substantialibus, (de quibus loquimur) vel per modum compositionis essentialis, vel per modum continuæ. Ex hac indistinctione oritur hîc tota confusio.

187 Respondeo 2. primo modo nec humanitati est intrinsecum Verbum: nec huic est intrinseca humanitas; & neutri Vnio: ut perse patet ex deffectu identitatis. Secundo modo, nec Vnio nec Humanitas sunt intrinsecæ Verbo: quia non sunt de esse completivo illius; Verbum verò vi unionis manet intrinsecum Humanitatis, & Vnionis: quia utramque substantialiter perficit, & complet. Tertio modo & Verbum humanitati, & hæc Verbo, & unio utrique mutuo, intrinseca sunt: nam hæc intrinsecitas consistit, *quoad* essentialem compositionẽ, in illa physica indivisione, & indistãtia in ordine ad unum perse, vi nexus, sepositò quovis intentionali titulo, vel immensitatis, vel efficientiæ: quo nempe nexu, necessitanter extrema ad indistantiã locatem summã: ita ut ubi sit extremum quod perficitur, & completur, esse debeat completivum: secus tamen, si hoc purè completivũ sit, & perfecti um. Quoad compositionem continuam, in physica indivisione inter res quãtitativas summam, orta ex vi nexus: quo necessitantur extrema, ut unum sit alteri contiguum.

188 Respondeo hinc 3. Vnionẽ hypostaticã, ideo intrinsecã Verbo, & illi Verbũ: quia se ipsa, seclusò quovis alio titulo præter ipsam, ut unio est, est formalis absoluta necessitas indistandi substãtialiter à Verbo: ita ut ubi ipsa sit, necessario comunicet Verbum Humanitati quod unio postulat, nempe se ipsum ad unum essentiale Perse. Id quod non habet ea Vnio respectu Patris, & Spiritus Sancti, sed respectu Verbi solius: quod respicit ut Terminum Personalem ex specifica differentia, quia est Vnio Personalis; ut unicum sui terminum intrinsecum, quem Humanitati communicet ad unum Perse, ex peculiari differentia, quia Verbum respicit unicè, ut Vnio est: unde in ipsa, duo distinguendi sunt ordines: alter, effectus, aut actionis ad causam: alter, Vnionis ad terminum: Vt effectus, aut actio respicit, & terminat totam Trinitatem: quia est ordo ad Deum, ut Deum: Vt Vnio unicè respicit Humanitatẽ, & Verbum, illam, ut subjectum in qua recipitur, & quam perficit: istud, ut terminum Personalem, quo purè perficit, & complet Humanitatem.

189 Hinc disces, cur, licèt Vnio sit absoluta necessitas ne indistent physicè extrema, quæ unit utque sint ubi sit ipsa: imò quod ubi sit Vnum, ibi sit alterum; non debeat existere Humanitas ubicumque sit Verbum: debeat autem Verbum existere, ubicumque Humanitas sit. Ratio enim est & regula generalis: quia ea Vnio solum respicit Verbum ut purum terminum intrinsecum, & purè completivum, & perfectivum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Humanitatem verò respicit, non ut quid completivum Verbi; est enim hoc in se, & ex se completum omnino, & perfectum; sed ut quid completum ex ipso Verbo: Completivum autem debet existere, ubi est id quod ex ipso resultat completum: cum per exhibitionem sui compleat, & præstet hunc formalem effectum: at completum non debet existere ubicumque completivum est: cum hoc nec exerceat ubique complendi munus, nec ad suum esse altero indigeat.

190 Dices: Animus Rationalis unitur Materiæ, ut quid incompletum: nec tamen quævis pars materiæ unitę, est ubi est Animus: Nam materia pedis non est in capite, ubi est Animus Rationalis: ergo hæc regula fallit. Respondeo. Animus Rationalis est completivus materiæ & essentialiter, & integraliter: quia cum illa facit totum & essentiale, & integrale: Vnde extremum, cui unitur ad hæc duo munera, non est pars materiæ, sed tota, seu multiplex. Ob id determinatur vi unionis ad existendum cum tota materia adæquata, non verò cum parte materiæ, quæ solum poscit naturaliter, ut ubi sit Animus, sit una pars materiæ, quacum constituat totum essentiale; non verò ut sit tota materia, ubi sit Animus, quia hoc est contra Naturam totius integralis; sed quod contigua sit ipsi altera pars materiæ, in qua sit etiam Animus, ad totum integrale constituendum.

DISPVTATIO III.

VNIONIS HYPOSTATICÆ EXCELLENTIA.

1 SERVENDA ea quidem ex Attributis, quæ in se veluti anticipat, & haurit ex termino Hypostatica Vnio: aliunde enim locupletare modos Vnionis, importunum est fini ob quem inventi: ut acutè Eminentissimus Sfortia Noster *Assert. Theolog. lib. 1. cap. 4. num. 25.* Ejus autem Excellentia considerari potest in ratione Entis: in ratione Vnius, sed Vnionis: in ratione Boni, seu Doni: & in ratione Veri, seu cognoscibilis. Ad rationem entis, pertinent supernaturalitas, incorruptibilitas, entitativa perfectio. Ad rationem Vnitatis, seu Vnionis, an sit Vnionum maxima. Ad rationem Boni: an sit Donorum maximum: & quo jure? an suo, vel termini? an quia in se Sanctitas, aut Beatitudo, aut tandem jus ad ea & omnia Dei Dona? Ad rationem Veri, seu cognoscibilis: an & qualiter cognosci possit? Sic omnia, quæ de ista Vnione disputari possunt, amplectimur.

Cardin. Sfortia.

SECTIO I.

QVANTA SIT EXCELLENTIA VNIONIS Hypostaticæ in ratione entis?

§. I.

SVPERNATVRALITAS HYPOSTATICÆ Vnionis.

2 PRimum Excellentiæ caput in ratione entis est supernaturalitas. Et de hac difficultas est quadruplex. Prima: an Vnio sit ex suo conceptu supernaturalis? altera: an ita supernaturalis, ut nulli Naturę possit esse connaturalis, etiam possibili? Tertia: an substantiæ intellectivæ, cui esset connaturalis Visio Dei, permissæ gratia disputandi, connaturalis esse deberet, aut posset Hypostatica Vnio? Quarta demum, an ejus supernaturalitas obstet: quominus dici possit, aut debeat Naturalis, & essentialis Christo Domino: & quo demum jure?

3 Sit 1. Conclusio: Vnio hypostatica est ex

ex suo conceptu supernaturalis: & adeo, ut nulli entitativæ substantiæ: imò nec ulli creaturæ possit esse connaturalis, & debita. Est omnium: & primam partem, pro qua disputat acutissimè *disp. 3. cap. 1.* P. Antonius Perez, ostendo: tùm ex CC. eam vocantibus *ineffabilem*, & *admirabilem*: quæ sunt notæ supernorum entium maximè propriæ: Tùm quia est ex se possessio summi boni & summa fælicitas. Tùm etiam quia est passiva obligatio Dei ad omnia bona. Tùm insuper: quia ut Deus fiat homo, non sufficit exhibitio solius Omnipotentię ex parte actus primi; quæ ut minimum requiritur ad quemlibet effectum, tanquam generale requisitum ad omnia: necesse est enim insuper exhibitio suæ Personæ, ut unitæ, & constituentis talem effectum: ergo præstari id nequit à Natura ex generali concursu Omnipotentiæ, qui summùm ipsi debetur: ergo nec Vnio hypostatica: ergo Vnio hypostatica est impossibilis ex his quæ Naturæ debentur: ergo non est naturalis, sed opus Dei propriissimum, & omninò supernaturale. Tùm demum ex his per quæ secundam partem ostendo.

P. Anton. Perez.

4 Et primò quidem: quia Proprietas Naturæ Divinæ nequit esse proprietas Naturæ non Divinæ: Tùm quia proprietas non excedit perfectionem ejus cujus est proprietas, manetque in eodem ordine cum Natura. Tũ etiam quia fieret Naturæ divinæ non deberi meliorem proprietatem, quam Naturæ ex se contemptibili, & vili, qualis est omnis creata; at si ulli substantiæ entitativæ connaturalis & debita foret Vnio hypostatica; eo ipso Naturæ non Divinæ deberetur infinita proprietas: nempe subsistentia Dei.

5 Secundò: Vel illa substantia haberet propriam subsistentiam distinctam à Divina, vel non? Si secundum: ergo subsistentia Divina: non esset plene connaturalis in Vna Natura, cùm alioquin esset connaturaliter alteri debita. Deinde: Natura ad modum essendi suum exigens pro connaturali, & essentiali complemento esse Divinum, est Deus: nam omni enti infra Deum ad suum essendi modũ sufficit ens distinctum à Deo. Demum: Nulla est Creatura, cui Deus extra jura creationis non possit Deus ultra favere: at Naturæ, cui esset debita Divina Personalitas & Vnio, sicut proprietas indispensabilis, favere, nõ posset extra jura creationis: nam inter ea esset Vnio: & Personæ Divinæ unitæ debentur omnia.

Si 1. ergo cum Natura suppositari nequeat propria simul & aliena subsistentia, eo ipso quod connaturaliter inclinaret ad alienam; repugnaret ad Propriam: unde Propria non esset propria, sed aliena; aliena non esset aliena, sed propria. Deinde: eo ipso Natura inclinaret in operationes, omninò sublimes, & debitas Divino supposito, si inclinaret in divinam subsistentiam: ergo illæ operationes essent illi Naturales: ergo esset illi violentum esse cum propria subsistentia & sine Divina: Nam violentum est Naturæ esse in statu, in quo non possit habere operationes omnium optimas sibi naturales: quippe Natura inclinat in optimum: ergo illa Natura nõ esset naturaliter cum propria subsistentia: ergo nec haberet subsistentiam naturalem distinctam à Divina, contra suppositionem: ergo si Natura naturaliter petit esse in supposito purè creato; naturaliter nequit esse in Divino supposito: si autem nequit esse naturaliter in Divino supposito: repugnat substantia entitativa cui unio Hypostatica sit connaturalis, & debita.

6 Tertiò quælibet entitas creata supernaturalis ex sua perfectione superat Omnem gradum substantiæ entitativæ de facto existentis: ergo entitas increata supernaturalis ex sua perfectione infinitè excellentiori superat omnem gradum substantiæ entitativæ, etiam possibilis: ergo nulli potest esse connaturalis, & debita: ergo nec Vnio: cum deberi hæc nequeat, quin debeatur & terminus.

7 Ostendo jam ultimam partem 1. Nam omnis creatura, imò collectio donorum omnium est inferior dignitate, & æstimatione quam Vnio hypostatica: ergo nulla potest esse ratio, cur debeatur Hypostatica Vnio. Secundo: nam omnis creatura non extrahit ens à ratione purè creati: sed ratio pure creati nequit esse jus ad esse Divinum, ut constitutivum sui suppositi: ergo nulli creaturæ potest esse connaturalis & debita Hypostatica Vnio.

8 Sit 2. Conclusio: Substantia supernaturali, cui esset connaturalis Gratia, aut Visio Dei, permissa possibili, possibilis est etiã cui connaturalis sit Hypostatica Vnio: sic Antonius Perez *tract. 3. in 1. secundæ disp. 8. cap. 2. num. 15.* Aldretus *tom. 1. de Incarnatione disp. 37.* Quirós *tract. 3. in 1. p. disp. 20. sect. 5. num. 77.* Probatur 1. quia omnia, & singula argumenta, quæ à ratione instruuntur pro illius substantiæ possibilitate, æquè pro istius possibilitate militant: ut evolven-

Ant. Per. Aldretus. Quirós.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti Ripaldam Eximium Patronum substantię illius, evidens fiet.

9 Probatur 2. quia Gratia Habitualis, & Visio sunt proprietas inseparabilite & unicè debita Vnioni Hypostaticæ, aut Personæ per ipsam Vnitæ: aliqua enim perfectio maximè propria destinari debet specialissimo supposito: at quæ alia, præter Gratiam & Visionem? Implicat autem quod uni connaturalis sit Proprietas alicujus essentiæ quin ipsi talis essentia connaturalis sit: essentia enim, & Proprietas sunt intra eundem ordinem proportionis.

Infrà lib. 5 disp. 1. nu. 50. & 53. & a num. 127.

10 Confirmo id ratione, nisi fallor, evidenti: Omne jus ad proprietatem, ut proprietas est, est indistinctum ab essentia cujus est proprietas: sicut omne jus ad Risibile, ut proprietas est, est indistinctum à Rationali humano: & omne jus ad calorem in summo, ut proprietas est, est indistinctum ab igne: ergo si Gratia habitualis & Visio sunt proprietas Vnionis hypostaticæ & Divini suppositi: omne jus ad illas ut proprietates, est indistinctũ ab Vnione hypostatica & Divino supposito: ergo nequit supponi substãtia cui sint proprietates connaturales Gratia & Visio, quin ipsa supponatur Vnio hypostatica, & Divinum suppositum: ergo

11 Dices, hoc argumenti genere nihil probari: nam sicut igni assignatur in proprietatem calor, non utcumque, sed in intensione determinatâ; sic potest in proprietatẽ assignari Vnioni Hypostaticæ Gratia, non utcumque sed in determinata intensione: quare non omne jus substantiale ad Gratiã converti debet cum Hypostatica Vnione. Contra 1. quia ratio, cur debita maneat Gratia in proprietatem maximè propriam, Hypostaticæ Vnioni, est esse Gratiam jus ad Hæreditatem Paternam, & jus ad Paternam hæreditatem est maximè proprium Filii: atqui Gratia secundum se est jus ad hæreditatem: ergo Gratia secundum se est proprietas maximè propria Filii: ergo est proprietas maxime propria Hypostaticæ Vnionis: ergo ita manet debita Vnioni, ut etiam debita maneat secundum se.

Contra 2. quando proprietas, ratione suæ perfectionis, sequitur ad naturam, potius ob excellentiam Naturæ, quam ob ejus activitatem, sequitur Naturam juxta sui perfectionem entitativam potius quam juxta intensionem: & ratio est, quia perfectio proprietatis secundum se sequitur excellentiam substantialem Naturæ; atqui Gratia sequitur ad Vnionem, ob istius excellentiam potius, quam ob ejus activitatem, ut patet: ergo. Contra 3. quia essentiæ Ordinis planè diversi, convenire debet Proprietas etiam ex toto ordine entitativè diversa: ergo & Vnioni, Gratia etiam secundum suam entitatem accepta.

Contra 4. quia si Gratia secundum se non esset proprietas consequens ad Vnionem, & posset esse communis proprietas respectu suppositi purè creati; excessus suppositi Theandrici à non theandrico in jure ad Gratiam, esset unicè penes intensionem: *Infrà lib. 5 disp. 1. à num. 115.* tam sic: Infinita Intensio repugnat in actu, atque adeo nec in Christo fuit: sed intensio quælibet ex finitis cadere potest in exigentiam purè creatam, si semel cadit accidens Gratiæ, secundum se: ergo nullus excogitari posset excessus in jure ad Gratiam inter suppositum Theandricum, & non Theandricum.

12 Et ratio omnium est: quia Proprietas, consequens ad essentiam entis superioris, & ipsi proportionata, quatenus est essentia dignior & superior; competere nequit quasi proprietas inferiori & minus dignæ substantiæ: ut inductione patebit quam firmat ratio; nam Proprietas est argumentum dignitatis in substantia, unde majori dignitati, respondere debet perfectio non cadens in minorem, tanquam perfectio debita. Iam sic: sed Gratia non proportionatur Vnionis Hypostaticæ Excellentiæ, secundum intensionem gradualem: ergo Vnioni Hypostaticæ, in linea superioris essentiæ, proportionatur Gratia, secundum suam entitativam perfectionem: ergo Gratia, præcisim ab hac vel illa intensione, nequit esse proprietas debita alteri substantiæ, quam Hypostaticæ, & Theandricæ. Consequentiæ videntur sequi: & prima potissimum: quia nulla restat ratio proportionis nisi perfectio entitativa, si semel intensionem excludas à ratione proportionante.

Minor autem ostenditur: quia omnis intensio, quæ in actu exerceri cathegoremati cè potest, est finita, & qua major & major existere possit: ergo proportio venire non potest ab intensione. Et ratio est: tùm quia ab incerto gradu nequit nasci certa proportio. Tùm etiam quia nulla est intensio, quæ minor non sit excellentia Vnionis, & quæ non possit cadere in jus purè creatum, si semel Gratia, secundum suam entitativam perfectionem, non excedit omne jus substantiale purè creatum: ergo jus substantiale ad Gratiam tanquam Proprietatem, convertitur cum Vnione Hypostatica: qui scopus erat argumenti nostri. Videatur de discursu multa disputans P. Quiròs *in 1. p. tract. 3 de Vis. disp. 20. maximè sect. 2. & 4.* vestigiis hærens Doctissimi Aldreti *tom. 1. in 1. P. disp 3. sect. præsertim 5.*

Infrà loc. cit.

P. Quiròs. P. Aldret.

13 Probatur 3. Gratia pertinet ex se ad Vnionis Hypostaticæ ordinem: ergo necessario secus habere se debent Gratia, & Vnio Hypostatica, ac Gratia, & dona naturalia, quoad proportionem connaturalitatis & exigentiæ interse mutuam. Vt enim ordinis diversitas, & distinctio in his, obstat quominus supernaturalia dona cadant in connaturalitatem, & exigentiam entis naturalis: in illis, ordinis identitas & indistinctio, eo ipso fundat proportionem ad jura connaturalitatis, & exigentiæ. Et Vrgetur. Identitas, & indistinctio ordinis moralis fundat proportionem meriti congrui, nempe connaturalitatis moralis: ut patet in ipsa Gratia respectu Vnionis hypostaticæ: & in aliis supernaturalibus donis, respectu Gratiæ: ergo & identitas, & indistinctio ordinis physici, fundat eo ipso proportionem connaturalitatis physicæ: ergo si Gratia & Vnio Hypostatica semel probentur intra eundem ordinem, cui sit illa debita, ista non potest esse supernaturalis. Probatur igitur antecedens: quia Gratia est principium connaturale videndi existentiam hypostaticam Vnionis. Ipsa enim humanitas eâ eguit inter alias causlas, ut videret Deum, in Deo cætera, præsertim hypostaticam Vnionem. Iusti mediante Gratia merentur augmentum Fidei, & Visionem: quibus eam attingant, & videant. Virgo Deipara, mediante ipsa Gratia, meruit saltem de congruo Maternitatem ipsam Dei, & familiaritatem cum Christo: est ergo Habitualis Gratia connaturale principium pertinens ad ordinem hypostaticum.

Infrà lib. 5 disp. 1. à num. 49.

14 Oppones in speciem urgenter: licèt in aliqua creatura supponatur tota donorum collectio; atque adeo Gratiæ: non fit ipsi connaturalis, & debita Vnio hypostatica, juxta primam conclusionem: ergo neque juxta secundam, licèt supponatur creatura substantialis, cui connaturalis sit Gratia, fiet, ipsi vel alteri connaturalem fore Vnionem hypostaticam. Nego consequentiam: & est mihi triplex ratio disparitatis.

15 Prima: quia exigentia seu jus connaturalitatis ad Gratiam ut proprietas est, est essentia cui ipsa debetur ut proprietas: & hęc est Filiatio Naturalis Dei, aut par cum Deo cognatio: collectio verò totius gratię nequit se ipsa dare jus, Personæ extraneæ, ad Filiationem naturalem, aut similem cognationę Dei.

16 Secunda: quia Gratia est ex se perfectio Naturæ, cui datur, & quam elevat: non destructio, neque corruptio: cum autem fieri nequeat Vnio hypostatica in Natura, quã perficit Gratia, quin eo ipso necesse sit destrui aliquam naturalem perfectionem, nempe subsistentiam propriam: inde est quòd neque tota collectio Gratiæ dat jus Naturæ ad Vnionem Hypostaticam: esset enim dare jus contra se ipsam: at in casu consequentis supponitur jam ea exigentia, ex parte Naturæ, propria ordinis hypostatici.

17 Tertia: quia connaturalitas unionis hypostaticæ est connaturalitas proprietatis substantialis ad Naturam; quæ proprietatis connaturalitas necessariò supponit in ipsa Natura proportionem substantialem ad illã: repugnat tamen in terminis, quod accidens, enti qui per accidens & ultra exigentiam advenit, imprimat proportionem substantialem aliquam. At in Natura, cui esset connaturalis aut gratia, aut Visio, supponitur jam illa proportio substantialis ad dona ejusdem ordinis cum Hypostatico.

18 Oppones insuper non urgenter minus: Gratia est proprietas Vnionis hypostaticæ in quarto modo? ergo & Vnio esset Violenta sine Gratia: & Gratia est violenta sine Vnione: ergo est in justo violenter Gratia: quod quis asserat? Respondeo 1. per instantiã: licèt Vnioni debeantur in termino, quem respicit, gloriosæ dotes, non tamen fuit in Christo Violenta Vnio sine ipsis: ergo similiter. 2. licèt fides sit proprietas connaturalis Gratiæ, non fit, ipsi Fidei, violentia sine gratia positæ in peccatore: ergo neque in casu nostro: vel si in his non timetur violentiæ rigor: neque à me timebitur in casu nostro. Deinde directè respondeo negando consequentiam. Non enim patitur violentiam res, licèt non sit cum his omnibus, quibuscum, inspecta sua Natura, & conditione deberet, & deceret esse, nisi hęc vel sint connaturale subjectum, aut perfectio intrinseca qua melioratur in esse suo, aut terminus indispensabilis suæ activitatis.

19 Ratio est duplex: 1. quia violentum dicitur ad similitudinem involũtarii, ex quo possit nasci tristitia de privatione rei: ut ergo nequit rationabiliter quis tristari de privatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vatione rei, quæ nec sit perfectio sui, nec terminus suæ activitatis, nec connaturale subjectum suum; ita neque violentia fieri potest. 2. à priori ex definitione Violenti: *quod est ab extrinseco, passo non conferente vim*: id est, positivè resistenti. Nulla autem res dicitur positivè resistere, dum manet in connaturali subjecto, quod sibi immediatè debetur, aut dum ipsi nulla sui perfectio negatur, nec actio suæ activitati consona, & debita. Ex his, cum Gratia habitualis neque recipiatur immediatè in Vnione hypostatica, sed in Anima Rationali, neq; illâ intrinsecè perficiat, sed animam, neque fiat ab unione: inde est, neutram ex disjunctione manere violentam: Neque enim hæc proprietas imitatur in omnibus naturales proprietates: quippe solum est proprietas titulo consequentiæ, & vi connexionis ad Vnionem, quæ sine magno miraculo vinci non potsit ipsi vinci potest. Non verò correspondet in Gratia ea connexio cum Vnione, ut sine miraculo vinci nequeat.

20 Adde pro Gratia Habituali (nam violentiâ in Vnione, si privetur ea coexistentia subjectivâ cum Gratia, fatentur aliqui cũ Quirós) : ipsam Gratiam ex consecutione ad Vnionem habere quod connaturaliter fũdet adoptionem in Persona extranea, si ponatur semel in ipsa: unde non manet violenta, etsi sejungatur ab Vnione: nam ipsa jam præstat aliquem effectum connaturalem suũ: imò faceret violentiam subjecto cui inest si ipsa foret violenta: nam exigeret in subjecto destructionem propriæ perfectionis. Ob hæc dici solet in simili: neque fidem esse violentam suæ Gratiæ; quia unum è muneribus suis est esse dispositionem ad ipsam Gratiã: neque Animam separatam esse simpliciter violentam quia habet operationes, quas in eo statu exercet, independentes à materia. Hæc sufficiant.

P. Quirós.

21 Sit 3. Conclusio: Vnio hypostatica, licet in se sit supernaturalissima, imò tota radix supernaturalitatis creatæ, dici tamen potest & est simpliciter Naturalis Christo Domino: non quidem ratione Naturæ Humanæ; sed ratione compositi, & Naturæ Divinæ, sumpta tamen voce Naturalis pro *connaturali*, vel non excedente, vel pro debita ad lineam suppositi quod constituit: quo pacto, & essentialis dici etiam posset. Quæ cur addam, scies *a num.* 29. in calce quæstionis, Ita Sententia communis post Doctorem Eximium contra Durandum, & ex parte contra Vazquez.

Suarez contra Durandũ & Vazquez.

22 Probari solet in genere 1. ex Lateran. *sub Martino 1. consult. 4. sub titulo Symboli Ephesini*: Vbi Vnio hypostatica dicitur Naturalis Vnitio: & consonant alii Patres. Verum Lateranêse, & alii Patres sumunt Naturale contradistinctè ab unione morali per extrinsecam Dignitatem, & Authoritatem contra Nestorium: quasi contra ipsum definierint veram, physicam, & realem unionẽ, & compositionem in Christo: damnata Vnione Nestorii solùm morali per extrinsecum affectum, & dignitatem.

Lateran. sub Mart.

23 Probari solet 2. ex August. *cap. 40. Enchirid.* ubi post alia sic: *ac si in Naturæ Humanæ susceptione fieret quodammodo illa Gratia illi homini Naturalis.* Verum Augustinus per vocem *quodammodo* restrinxit locutionem satis, vocavitque Vnionem, *Naturalem*, unicè *secundum quid*. Sensusque fuit, eam Vnionem fuisse illi homini Naturalem, id est ab initio Naturæ habitam, & quasi Natam cum ipsis intrinsecis Naturæ Principiis, quasi ab ipsis Naturæ visceribus oriretur. Sic intelligo S. Thomam *quæst. 2. art. 12.* quiescentem in hoc sensu Augustini: qui acutè addidit *quodammodo*: tũ quia non erat plena similitudo, cum his quæ Naturalia dicuntur ob modum, quo insunt inamissibiliter in Natura à sui principio: tùm quia id non sufficit ut res alteri dicatur simpliciter Naturalis: nam & Gratia quasi concreata est cum Angelis, nec illis est simpliciter Naturalis. Forte Augustinus est in strictiori sensu, vocavitque illam unionem *Naturalem* illi homini, *quia* ex identitate Vnionis hypostaticæ cum Humana, non quomodocumque ea Vnio Naturam univit Verbo, sed & constituit simpliciter Naturam Vnam. Quicquid de his sit

Augustin.

Ejus Mens.

S. Thomas.

Quid fortè Augustin.

24 Prima pars Conclusionis, quæ negativa est, & certa probatur: quia Naturæ humanę nequit esse Naturalis simpliciter Vnio cõtrapositè ad supernaturalem, aut ratione sui: aut ratione doni præaccepti: aut ratione privationis subsistentiæ propriæ. Non ratione sui: quia eo respectu est omninò indebita, & supra omnem exigentiam, ut sæpe vidimus. Non ratione doni præaccepti, sicut ipsi debetur Habitualis Gratia connaturalissimè ratione Vnionis hypostaticæ prius, prioritate Naturæ, & originis habitæ: tùm ex 2. Conclusione: tùm quia cum Vnio hypostatica sit primum donum supernaturale, quod Humanitati Christi confertur, nequit aliud supponere, vi cujus illam Humanitas exigat. Non ratio-

ratione præfatæ privationis: quia privatio perfectionis Naturalis nequit fundare jus ad perfectionem alterius, & altioris ordinis, sed ad summum ad similem ejus ordinis, vel ad ipsam cujus est privatio: nullo ergo modo potest aut esse aut dici Christo ratione Naturæ Humanæ Naturalis Hypostatica Vnio, sensu contrapositò ad ens supernaturale.

25 Probatur altera pars, quæ est affirmativa: Nam respectu Compositi, hæc Vnio se habet ut forma ad suum formalem effectũ, seu ob quam resultat hoc Cõpositum Christus: sed forma dicitur & est simpliciter Naturalis respectu sui formalis effectus: nã ipsi est essentialis: rei autem quid est magis naturale quam qnod ipsi essentiale est: ergo & Vnio est simpliciter naturalis Christo ratione compositi formaliter sumpti. Confirmatur: Nam licèt intellectui creato non sit naturalis Visio Beatifica, est tamen simpliciter essentialis, & naturalis ipsi ut videnti Deũ: ergo similiter in casu nostro.

26 Probatur jam ultima pars: quia Vnio hypostatica non excedit virtutem Naturalem Naturæ Divinæ à quo provenit, & ex qua constituitur Christus: ergo ipsi est simpliciter Naturalis ratione Naturæ Divinæ. Dices 1. cum Vazquez. Ea Vnio licèt proveniat à Natura Divina, non provenit naturaliter, sed liberè. Respondeo: licèt ea Vnio non proveniat naturaliter à Natura Divina: prout naturale opponitur libero: tamen provenit naturaliter, prout Naturale opponitur supernaturali, seu excedenti Naturæ vires: ita & actibus liberis non tollit libertas naturalitatem; nec risui, ridendi libertas, qua utimur penes ipsum.

Vazquez.

27 Dices 2. cum ipso: licèt ea Vnio proveniat à Natura Divina, non sufficit ut dicatur Naturalis Christo: quippe Naturale dicit oriri à Natura intrinseca rei, seu ipsius constitutiva: ea verò provenit à Natura Divina, quà est extrinseca Christo: & prius origine, vel Natura, quam constituat Christum: nam media ipsa unione constituit. Respondeo imprimis: & quantitas oritur ex materia prima, juxta probabilem opinionem, prius quam sit compositum; & tamen non solum est intrinseca & naturalis Materiæ, sed toti composito: non ergo Naturale requirit ortum rei, quæ talis dicitur, à parte compositi reduplicativè, prout conjuncta cum aliis facit compositum, sed ad summum ortum rei, à parte compositi specificativè. Deinde licèt ea Vnio oriatur à Natura divina quoad suum esse primum, seu quoad primam productionem sui prius origine, quam sit in cõposito, tamen ab illa prout Composito otitur quoad suum esse secundum, seu quoad conservationem sui ejusdem esse: idque sufficit ut dicatur simpliciter naturalis Christo Ratione Naturæ Divinæ: sicut id sufficit, ut dispositiones ad Naturam auri, dicantur ipsi simpliciter naturales, quia licèt productæ primum à solo sole, conservãtur postmodum in auro ab auri Natura.

28 Dices 3 at Virtus productiva Vnionis hypostaticæ non est naturalis Virtus Naturæ Divinæ; sed supernaturalis. Respondeo: Naturæ Divinæ, omne genus Virtutis ad extra esse naturalissimum; ut naturalissima est summa perfectio. Dices 4. Naturale & supernaturale dicuntur comparativè, ut proprietas ad subjectum: non ergo dici possunt Respectu Naturæ Divinæ. Respondeo, & etiam latè dici comparativè ad principiũ, cujus ea Virtutem aut excedunt, vel non excedunt. Dices 5. id esse sumere Naturale, & supernaturale purè ethimologicè, & pro secundario conceptu. Fateor.

29 Vnde hæc asserta conclusio nihil derogat excellentiæ supernaturalitatis Theologicè, & absolutæ Hypostaticæ Vnionis. Quod ut aptè, & ultra explicem; noto Naturale sumi posse dupliciter; & simul etiam dupliciter supernaturale Theologicum. Primò sumitur supernaturale primario, & quid ditativè: & hoc sensu supernaturalitas est perfectio, in quo fundatur excessus supra Naturam: unde non est met'enda per hunc aut illum excessum. Imò in hoc sensu necessario debet excipi comparatio ad Naturam Divinam, & quodcumque prædicatum Dei. Ratio est quia supernaturalitas in hoc sensu solum consideratur in ordine ad Naturam, respectu cujus fundat excessum, & immunitatem debiti, quia aliunde est perfectio non cadens in ejus proportionem, & appetitum, seu exigentiam: Patet autem, respectu Naturæ Divinæ comparari non sic posse entia creata. Secundò sumitur supernaturale secundariò, & quasi ethimologicè pro illo excessu quem primaria perfectio fundat.

Quomodo usurpanda sit vox supernaturalis?

30 Naturale sumitur primò contrapositè ad supernaturale primo modo acceptũ: & in hoc sensu sonat imperfectionem essendi talem, ut ex se maneat infra perfectiones *Divini Ordinis*, ut ajunt aliqui, vel *infra felicitatem*, & obnoxia miseriæ. Hoc autem est esse, positivè naturale, facta comparatione ad

super-

Universidad de Deusto
Biblioteca

supernaturalitatem primariam: unde patet conceptum entis naturalis sub hac acceptione repugnare divinæ Naturæ, nihilque respectu ipsius naturale dici posse. Secundò sumitur contrapositè ad supernaturale secundo modo acceptum: & in hoc sensu sonat non excessum ad vires alterius. Hoc autem solùm est esse naturale negativè, id est non excedens: & hoc sensu, Vnio hypostatica, & omne genus entium absolutè supernaturalium sunt naturalia respectu Dei: nempe negativè, id est non excedentia vires Dei, nec talia, ut Deus egeat elevatione ad ipsa producenda: nam à quo eam expectet, Omniû Dominus, & infinitè potens? Non verò positivè, ut diximus: neque enim eget Deus extra se quoquam: cum nihil sit extra ipsum quod sit, nisi ab ipsius aliquali participatione, bonum.

31 Hæc qui confundunt, confundunt voces, sensus & omnia, contenti in his materiis sono vocis, & nescio qua supernaturalitate ethimologica & respectiva: coacti exinde dicere nec aptè ad Philosophiam, nec ad Theologiã decorè, Peccatum esse ens supernaturale respectu Dei magis quam Gratiam: quia, inquiunt; hæc non superat vires Dei: & est ipsi naturalis: illud superat: & est illi impossibilis. Hæ locutiones non sunt bonæ: & in Theologia sunt vitandæ. Peccatum non est impossibile Deo, quia superet Deum, aut ejus vires: sed quia ita superatur à summa Dei Sanctitate, ut maneat ipsi omnino impossibile. De quibus latè in speciali tractatu Nostrarum Elucubrationũ *in primam secundæ, tom. 2.* — *Latè ad 1. 2. lib. de ente sup.*

§. II.

INDESTRVCTIBILITAS.

32 ALterum Excellentiæ caput in ratione entis, est indestructibilitas. Et de hac, difficultas est triplex. Prima: an Vnio hypostatica sit ex natura rei indestructibilis? quod negant nescio qui apud Bernal *disp. 20. sect. 3.* ducti prava Divinæ Immensitatis intelligẽtia: affirmant communiter omnes. Vazquium excipe ex generaliori Doctrina, data jam disputando de Auxiliis *disp. 2. sect. 1. §. 3. num. 53.* Altera: an etiam sit essentialiter indestructibilis? quod apud Aldretum *disp. 36. sect. 3.* affirmant aliqui: quibus adde Eminentissimum Sfortiam *de Incarnatione cap. 5. à num. 94.* Tertia: an hæc indestructibilitas veniat à suppositione Decreti Divini, vel ex intrinsecis ipsius Vnionis? Sfortia illud insinuat: hoc, Moderni citati apud Aldretum, ex eo fundamẽto, quia forma Sanctificans (qualem Vnionem putant) censetur, nisi propria culpa, inamissibilem: ergo ubi ex unionis intrinsecis est impossibilis culpa propria, manet Vnio ex suis intrinsecis inamissibilis. — *Bernal.* — *Vide tom. in 1. part. tract. de Auxiliante Deo.* — *Aldrete.* — *Card. Sfort*

33 Recentes secuti Bernal, & Hurtadũ promiscuè respondent: alii putant indestructibilem saltem quoad eas partes unionis integrales, quæ non est necesse pereant, cursu nutritionis: quoad eas verò, quæ necesse est pereant, eo decursu ex deperditione materiæ, putant etiam naturaliter destructibilem: quod Magister *disp. praced.* laudatus *nu. 4. & sect. 4. & 5.* affirmat tam sub his terminis, quam de unione identificante sibi vim Vnionis Humanæ: de alia, quæ terminatur ad Animam, ipsa exceptione, negare videtur. Alii generalius putant Vnionem hypostaticam cum termino perse corruptibili, qualis est Vnio Humana, manere per se corruptibilem: Vnionem verò cum termino per se incorruptibili, qualis est materia & Anima, esse incorruptibilem. Sic moderni ex Bernal addente juxta sua principia Vnionem hypostaticam, qua tota Humanitas unita est Verbo, utpote indentificata cum actione Virginea, variatam in Nativitate Christi Domini. — *Bernal.* — *Hurtado.* — *P. Mueſſa.*

34 Sit 4. Conclusio, & in hoc puncto prima: Vnio hypostatica numericè, seu in numero, spectata Divina potentia, est destructibilis: indestructibilis tamen est ex natura rei; nisi facto prævio miraculo negandi prærogativas, quas in termino exigit. Tres partes habet assertio. Primam ostendo: nam omnis creatura est deffectibilis, & destructibilis, ex suo concepta: ut disputando de Deo Auxiliante probatum est evidenti ratione: quam sumpsi brevissimam ex ipso titulo divini Dominii: quæ est rei productio vel conservatio. Nec video cur me mirentur tam facile convictum hoc arguendi genere, qui ex ipso Duranduum, negantem Deo immediatum concursum cum secundis causis ad aliquos effectus, increpent quasi sustulerit titulum Divini Dominii pertinentem ad lineam causæ Vniversalis & Primæ. At Vnio Hypostatica est ens creatũ: ergo est ex se, saltem divinitus, ens deffectibile, & destructibile. Vide in hanc rem à ratione, & authoritate plura pulcrè discussa apud Aldretum *disp. illa 36.* — *Tom. in 1. p. de Aux. Deo.* — *Aldrete.*

Osten-

35 Ostendo secundam partem primo: nam omnia Dei Dona, secum afferunt aliquã impænitentiam donationis fundantis indestructibilitatem, nisi accedente culpa donatarii: *sunt enim*, docente Paulo, *sine pœnitentia Dei dona*: ergo donum exellentissimum dicit ex se impœnitentiã donationis, fundantem indestructibilitatem, cujus res creata sit capax: at naturalis indestructibilitatis capax est creatura, ut patet in Angelo, Materia prima, & Anima Rationali. Secundo: Intentionalis possessio Dei est ex se naturaliter in deffectibilis: ergo & physica possessio Dei. Tertio: Vnio hypostatica seipsa exigit Visionem Beatificam, & dotes gloriosas, cum accommoda distributione pro natura, & capacitate terminorum quos unit ad Deum: ergo seipsa exigit proprietates cũ sui duratione connexas: est ergo ex natura rei indestructibilis. Ostendo tertiam partem: nam si fiat miraculum quo privetur Vnio, proprietatibus quas in terminis exigit, & quæ obstent eorum corruptioni naturali, naturaliter, seu vi naturalium agentium poterit destrui: vel ex deffectu termini, qui naturaliter corrumpitur: vel ex deffectu dispositionum naturalium, quas ex aliqua sui formalitate supponit ad sui conservationem in individuo.

36 Dices ex Modernis apud Bernal: Vnio hypostatica necessario variata est ad motum localem Christi Domini: sed Christo Domino fuit motus localis simpliciter Naturalis: ergo & unioni destructio. Minor & consequentia patent: & ostenditur major: nam Vnio necessario variatur, variato sui termino; sed ad motum localem Christi necessario variatus est terminus Vnionis: Nam Verbum ut præsens huic spatio distinguitur saltem Virtualiter à se ipso ut præsenti in alio spatio: respondet enim diversis spatiis per diversas Virtualitates Immensitatis simpliciter immobiles: Vnio autem terminatur ad Verbum prout præsens spatio, in quo ipsa est: ergo. — *Moderni apud Bern.*

37 Hæc discurrendi ratio, quæ Bernalium, acutè repulsum ab Aldrete, premit & cogit ad curas multas, non videtur digna Theologo: nec tenet intentum. Non tenet intentum: quia Vnio terminaretur ad Verbum, quasi specificativè: non verò ad ipsius illas virtualitates, & ubiquitates: unde non sequitur necessitas ulla variationis, cũ nulla sit immediati termini. Non videtur digna Theologo, primo: quia immensitatem cum ubiquitate confundit. Secundo: quia fingit spatium extra Deum: Deus est sibi spatium; & extra se nullius indiget. Videatur omnino Lessius de hoc Attributo Immensitatis. Tertio: quia omne Divinum est æquè immensum ac Deus, ut est æquè æternum, & æquè indeffectibile, ac perfectum ut Deus: ergo repugnat ille cumulus Virtualitatum siggillatim immobilium: aliquid enim Dei esset limitatum, nec esset hîc ubi Deus est. Apage cum his Theologiis, & Virtualitatibus. — *Aldrete.* — *Leonard. Lessius.*

38 Dices ex ipso Bernal. Vnio specificatur ex termino: ergo si terminus est perse destructibilis: & ipsa manet naturaliter destructibilis. Deinde, Vnio potest ex vi formalitatis alicujus egere dispositionibus naturalib⁹ destructioni naturali subjectis: ergo eo ipso manet ex natura rei destructibilis. Neque hi discursus firmi sunt. Non primus: quia licèt Vnio specificetur à termino, tamen si ab alio refundat in se jura proprietatum inamissibilium, imò præservantium terminum naturâ sua corruptibilem ab Agentium naturalium incursu; eo ipso reddit ipsum indestructibilem, & immunem ab Agentibus naturalibus: talis autem est ex nobilitate Divini termini Hypostatica Vnio. Non alter: quia eas ipsas dispositiones naturales reddit immunes ab Agẽtibus naturalibus, jure impassibilitatis, quã refundit in terminos. Non ergo, secluso miraculo prævè facto, potest Vnioni Hypostaticæ assignari tam facile, ut Bernal putat, contrarium Agens naturale. — *Bernal.*

39 Sit 5. Conclusio, & in hoc puncto secunda: Vnio hypostatica, licèt in numero sit saltem divinitùs destructibilis; in specie tamen est absolutè, & etiam divinitus indeffectibilis. Volo dicere: quod licèt ex dominio Divino posit Deus hanc numero unionem hypostaticam ad hos terminos destruere, tamen non potest ita destruere, quin aliã substituat, qua eas partes in se retineat, quas semel assumpserit. Ratio prima est, ab inconvenienti: nam ex opposito contingere posset, quod Natura aliqua Rationalis, quæ eandem habuisset adorationem, & honorẽ, ac Deus; postea damnaretur: unde Natura assumpta, de hoc præscia ex jure ipso unionis, posset invidere damnatis sortem suam, ob metum majoris cruciatus: quæ omnia summè incongruunt Divinæ Sapientiæ, & dignitati.

40 Secunda ratio est etiam ab Inconvenienti. Nam ex opposito hypostatica Vnio se-

Universidad de Deusto
BibliotecA

secus ac omnes Scholastici, & Fideles communiter sentiunt, non esset summum inter conferibilia, imò neque inter collata jam à Deo, beneficium: contingentia enim possessionis minuit maximè æstimationem doni; majusque esset Beatifica Visio de sui possessoris perpetua felicitate certificans.

S. Thomas. 41 Tertia ratio sit à priori, & quam non semel insinuat S. Thomas præsertim *3. part. quæst. 50. art. 20.* quia de ratione doni propriissimè dicti, ut distinguitur ab aliis beneficiis est esse irrevocabile nisi propter culpam Donatarii: unde dixit Apostolus *esse sine pœnitentia Dei Dona*, quod patet in supernaturalibus Donis, quæ nobis non deficiunt nisi ex culpa, seu libertate nostra, seu in ulterius bonum nostrum: ergo potiori jure de dono omnium proprissimo, & maximo, qualis est Unio hypostatica, & in ipsa summū Bonum, est summa irrevocabilitas, id est quanta cadit in creaturā citra dispendium Divini Dominij, ubi non intercedat culpa donatarii. At hæc irrevocabilitas etiam absoluta in specie cadit in creaturā: & in Donatario implicat culpa: ergo. Facit etiam huc: quod de ratione veræ amicitiæ juxta omnes, est velle, quantum in se est, perpetuitatem amicitiæ: sed multo perfectior, & strictior est amicitiæ nexu Hypostatica Unio: ergo.

42 Quarta ratio sit etiam à priori: Nam Vinculum perfectæ Filiationis Naturalis est indissolubile, & cui debetur Hæreditas, præciso crimine, id est Beatifica Visio: at hæc affert metaphysicam certitudinem nunquam deficiendi à bono possessō, nempe per essentialem indestrubilitatem in specie: ergo & a fortiori Vinculum perfectæ Filiationis Naturalis: & hæc est Hypostatica Unio.

43 Quinta sit etiam à priori, & omnium basis: Nam spectat ad dignitatem ipsius Verbi, ut illa Natura, cui ipsum communicetur, communicatione summa possibili ad extra, ametur à Deo, quantum est amabilis creatura, id est amore indissolubili: ergo licèt Deus posset Naturam hypostaticè unibilem contemnere, posita semel unione nō potest: ergo Unio manet indestructibilis etiam Divinitùs. Non Numero: nam hoc implicat: ergo saltem in specie.

44 Sit 6. Conclusio, & in hoc puncto tertia: Hæc indestructibilitas licèt sit juxta essentiam & exigentiam Unionis hypostaticæ, reduci debet ad Divinum Decretum, quod supponit. Explico simul & probo conclusionem. Sunt aliquæ suppositiones rerum, quæ fieri à Deo non possunt nisi per specialissima decreta, quibus se obligat ad alias res. Sunt obvia exempla. Ea opportuniora: Suppositio Revelationis, & actus Fidei de perpetuitate ipsius Fidei in genere ad usque mundi finem, fieri non potest à Deo nisi per speciale decretum, quo se obligat ad conservandam in Ecclesia Fidem. Suppositio Characteris Sacerdotalis, fieri non potest à Deo nisi per decretum de mittendo Filio Dei sub hostiam ad Verba Sacerdotis. Suppositio Visionis Beatificæ fieri non potest nisi per Decretum, eam in Beato conservandi per totam æternitatem vel in individuo, vel in specie. Licèt his suppositionibus sit essentialis illa necessitas respectiva ad aliud, tota tamen reduci debet ad speciale decretum.

45 Ratio est: quia illæ suppositiones sunt liberæ obligationes quasi passivæ, quas subit ipse Deus animo volentissimo, & testificationes quasi passivæ, suæ determinationis activæ, & (ut loquar ad nostros mores accommodatius) acceptationes, quas sinit Deus creaturis sumere de illa quasi lege Decreti sui, quod sibi imposuit: ergo licèt illa necessitas sit essentialis ipsis suppositionibus, reduci primariò debet ad Decretum. Sic in præsenti discurro: Positio Unionis hypostaticæ est suppositio ex earum genere, quæ fieri nequit à Deo nisi per speciale decretum non dimittendi creaturam, quam semel assumat: id enim fit evidenter ex præcedenti conclusione: at illa suppositio est obligatio quasi passiva libera Dei, & acceptatio quam sinit liberè creaturæ de suo decreto: qua non posita non obligatur creaturæ Deus: quia hæc quasi lex est ex illis quæ nisi acceptatæ non obligant: ergo tota necessitas reduci primariò debet in Decretū.

46 Dices: Non implicat minùs, nec minùs derogat Divino Dominio, quod suppositio alicujus creaturæ sit necessitas ne destruatur alia, vel sui species: quam quod sit necessitas ne ipsa destruatur in individuo: si ergo hoc implicat, quidni & illud? & illo non implicante quur istud implicet? Respondeo Negando assumptum. Non enim pertinet ad Dominium Dei, quod cum usu quovis sui componat omnes: sunt enim aliqui usus inter se oppositi: ut patet: unde, ne sit de Dominio Dei ponere chymeras, dum res facit; nec esse potest quod cum usu aliquo componat omnes. Productio autem creaturæ, qua posita Deus necessario ponit aliam est suppositio consequens, & usus quidam spe-

specialis Divini Dominii in producendo rē illam, ad quam dicitur esse necessitas; usus, inquam, producendi consistens activè in decreto Divino; passivè verò in illa suppositione quam liberrimè facit: neque enim suppositio necessitat Deum ad productionem, vel conservationem alterius rei magis, quam Decretum à quo ponitur. Patet autem cum usu, quo Deus pro libitu suo, vult rem vel producere, vel conservare, non posse componere usum destruendi rem ipsam. At Productio cujusque creaturæ nequit esse suppositio ita consequens ut Deus necessitetur ad sui non destructionem in individuo: quia ea ipsa productio est titulus Divini Dominii, quo res producta cadit in usus bene visos Domino: non ergo potest esse titulus quo res eximatur ab usu destructionis in instanti sequenti possibilis, si velit Dominus.

47 Quare discrimen in eo est: quod productio rei in individuo, non est immediata productio alterius, quæ ex ipsa consequitur; nec totius speciei: unde licèt res ipsa in individuo, titulo productionis cadat in usus Domino benevisos, atque adeo non possit allegare jus ad permanendum, nisi velit Dominus; non tamen titulo ipsius productionis cadit vel res consecuta, vel tota species: licèt ergo repugnet ex oblæsione Divini Dominii quod res sit indestructibilis in individuo: quia ex ipso titulo Dominii eximeretur ab Vsu Domini: nō exinde repugnat quod una res sit necessitas, ne Deus aliam destruat, vel sui speciem: quia positio talis necessitatis est obligatio libera, quam sibi Deus imponit non destruendi: sicut licèt ex oblæsione Divini Dominii implicet necessitas in aliqua creatura, ut producatur à Deo; non exinde
Vvading. implicat (secus ac Vvadingus perperam aut contendit aut supponit *disp. 1. de Incarnatione,*) quod ex positione unius creaturæ sit Deus necessitatus ad aliam: ut patet in exemplis adductis *num.* 44. & in positione omnium connexionum cum suorum terminorum existentia.

48 Replicabis: si foret creatura essentialiter indestructibilis in individuo, ipsa ejus productio esset suppositio consequens, & quasi obligatio passiva, quam sibi liberè imponeret Deus ad ejus permanentiam, seu non destructionem: imò esset quasi abdicatio libera sui juris: non ergo repugnat creatura indestructibilis: aut si hæc, hoc non obstante, repugnat; similiter repugnabit creatura, vel in specie indestructibilis ex positione unius individui, vel quæ sit necessitas, ut altera detur. Iam convictum dedimus Vvadingum de aperta falsitate consequentis, tùm exemplis adductis: tùm ex existentia certæ revelationis, & actus Fidei, de Eterna existentia Humanitatis Christi: quibus suppositionibus passivè obligatur etiam metaphysicè Deus ad conservationem æternam Humanitatis. Quare nego antecedens, ut in terminis implicans: nam titulus, quo directè & primò res cadit in dominium Domini, nequit esse abdicatio juris quod ipsa fundat, nec obligatio passiva Domini, ne liberè utatur re quam facit, nec necessitas, ne sit novum Domini beneficium, conservatio subsequens, cum sit novus usus juris testificati per primam productionem dominii: cujus loco proinde possit Dominus ponere usum oppositum destructionis. *Vvading.*

§. III.

QVANTITAS ENTITATIVÆ *Perfectionis.*

49 TErtium Excellentiæ caput in ratione entis est entitativa perfectio. Et de hac, difficultas est triplex. Prima: an Unio hypostatica ratione sui sit quoad entitatem excellens, & magna perfectio, seu excellentis, & perfectissimæ entitatis? Inquo negando, visus est singularis P. Antonius Perez, quem proinde impugnant Aldrete *disp 34. per totam*, & Muniessa *de Incarnatione disp. 1. à num.* 148, putantes pugnare se pro communi Sententia. Perez verò, quocum it fere Esparza *quæst. 25.* putat *tract. 6. disp 3. cap. 2. illat. ultim.* discursum suum, quem exposuerat *disp. 1. cap. 13.* esse omnium fere Theologorum tacitè; expresse plurium quos ibi pro se laudat, affirmans Vnionem esse ens omnium maximum, & perfectissimum, non tamen ratione sui, sed termini, & formalis effectus, qui ex ejus positione resultat. *Antonius Perez. Esparza. cōtra quos Aldret. & Muniessa.*

50 Altera: an sit tantæ perfectionis entitativæ, ut excedat omnia entia supernaturalia creata: vel etiam alia: sitque omnium entium ens perfectissimum? In quo P. Raguſa *disp. 41. §. 2.* & cum Cabrera *disp 2. ad art. 9.* Mag. Lorca *disp 17.* negant. Quorum ille, solum dat excessum perfectionis Vnioni, quoad entia supernaturalia nobiliora, qualis est Visio, facta comparatione non quidem inter entitates, sed inter formales effectus. Isti, unicè dant excessum respectu omnium *Raguſa. Cabrera. M Lorca. Aldretus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

entitatum, attenta Vnione, non formaliter, sed causaliter, nempe ratione compositi, quod ferè est idem: voluntque singuli hanc esse mentem omnium: quod mirificè favet
P. Anton. Perez. Aldrete. Antonio Perez. P. Aldrete conditionatè, affirmat *num. 13.* ex suppositione quod Gratia sit entitativè melior Anima Rationali, vel Angelo. At suppositio est valde dubia, & quæ communiter resolvitur negativè.

51 Tertia: an inter ipsas Vniones Hypostaticas dari possit inæqualitas, vel excessus in perfectione: vita, ut quæ esset ad Naturam Angelicam sit perfectior quam quæ nunc ad
Ripalda. idem Ald. Humanam est? Quod vix attingitur. Ripalda & Aldrete, qui tetigere, affirmant: & præferunt Angelicam Humanæ: ille *disp. ultim. sect. 39.* hic *disp. cit. sect. 3. num. 7.* Addunt Recentes nonnulli perfectiorem fore quæ simul tres Personas attingeret, aut plures Perfectiones Divinas, quam quæ unicam, aut unicè Verbum.

52 Sit septima, & hoc in puncto prima Conclusio: Vnio hypostatica, licèt concretè sumpta, & ratione formalis effectus, sit & moraliter, & physicè, entitas omnium perfectissima; tamen formaliter & ratione sui solùm est tantæ perfectionis, quanta cadit in modum substantialem: excedit verò perfectione, singula & omnia supernaturalia dona: & Omnes creaturas etiam Rationales, si hæ perfectione excedatur à Gratia. Assertio duo supponit, & intendit tria. Supponit primo, eam Vnionem concrete acceptam, & prout una cum effectu suo formali, & physicè, & moraliter, esse entitatem omnium perfectissimam: quod negavit hucusque nemo: & patet: nam Vnio sic accepta, dicit esse Divinum: at esse Divino nihil æstimabilius, aut melius: imò nihil æquè. Supponit secundo, eam rationem sui, & in suo esse physico inspectam, non esse tamen exiguæ perfectionis, & entitatis, quam putavit Perez *cit.* sed evadere in se ex essentiali respectu ad terminum, magnæ & excellentis perfectionis, & entitatis.

53 Quod ostendo multipliciter. Primò: quia supernaturalitas, & indestructibilitas sunt signa evidentissima perfectionis in essendo, seu entitatis: ut inductione convincitur: at Vnioni Hypostaticæ quoad suum quidditativum conceptum, licèt ex respectu ad terminum, convenit summa supernaturalitas, & indestructibilitas cujus sit creatura capax: ergo & convenit magna perfectio in essendo, seu entitatis. Cõfirmatur, & præcluditur evasio: convenire aliquid Vnioni ex respectu ad terminum, est ipsi convenire ratione sui, seu quoad suam quidditatem inspectæ: nam ipsa præscindi nequit ab ipso respectu, cum sit ipse respectus formaliter: at ea singula conveniunt Vnioni ex respectu, vel quia respectus ad terminum: ergo ratione sui.

54 Secundò: Physica dignitas, vi cujus sit ens exigentia summæ perfectionis, possessio summi boni, & jus ad omnia Bona, est necessariò dignitas perfectionis, & entitatis ultra vulgarem: Ratio mihi est evidens: nam physica dignitas, vi cujus ens constituitur ex prædicatis, quæ necessariò sunt perfectio ult. perfectiones vulgares, & passim obvias, necessariò est dignitas constituendi ens perfectius: nam perfectio entis venit expluribus, vel paucioribus prædicatis, quæ necessariò sunt perfectio: at quis putet physicam exigentiam summæ perfectionis, possessionem summi boni, & jus ad omnia bona non esse, non solum ratione termini, sed ratione perfectionis in se ex termino indispensabiliter resultæ, magnum quid, & conceptum perfectionum? Sed Vnio Hypostatica vi sui conceptus, seu ratione sui est physica ratio, seu dignitas, vi cujus ipsa sit exigentia summæ perfectionis: possessio summi boni: & jus ad omnia bona: ergo:

55 Tertiò: Nam Modi, seu unionis perfectio crescit, cæteris paribus, aut decrescit in se per respectum ad terminos, ex horum nobilitate, vel ignobilitate: ut patet in Vnione ad terminos spirituales, quæ spiritualis manet: ergo & perfectio Hypostaticæ Vnionis: ergo ex termino summæ perfectionis crescet, quantum poterit. Quartò: quia, si licèt philosophari hic, ut solet Adversarius in specimen ingenii sui, non semel: quo magis ens ex se distat à non ente, & accedit ad summum ens, est magis ens; atque adeo majoris entitatis, & perfectionis: nam Imperfectio sumitur à recessu majori, vel minori ab esse, & accessu majori, vel minori ad nihil: perfectio verò sumitur econtrario ab accessu majori, vel minori ad primum esse, & à majori vel minori recessu à nihilo; Atqui Vnio hypostatica ex se distat, quantum creatura potest, à non ente; & quantum creatura potest, accedit ad summum ens: ergo est, quantum creatura potest, ens & perfectio. Et hæc de duobus quæ supponit Assertio. Modò

56 Probatur ejus prima pars: Nam tota perfectio, quam ratione sui dicit Hypostatica Vnio, est intra sphæram modi substantialis;

lis; & intra ipsam est summa: ergo Vnio hypostatica solum est tantæ perfectionis quanta cadit in modum substantialem. Antecedentis prima pars patet: nã perfectio rei nequit excedere rem ipsam. Secunda suadetur: nam ex suppositione secunda non habet Vnio, un de limitari possit ipsi ratio perfectionis: cum ea tota sumatur ex respecta intrinseco ad summam perfectionem. Id quod intellige, si cætera paria sint, ob dicenda *Concl. seq.*

57 Probatur secunda pars assertionis primo: quia Visio, Gratia & alia dona supernaturalia se habent sub inferiori genere, & cum respectu debiti ad rationem juris; & cum subordinatione proprietatis ad suam quasi Naturam, cmparata cum Vnione hypostatica: ergo hæc est illis entitativè perfectior. Antecedens constat ex præcedentibus,
S. Thomas. & dilucidè ex S. Thoma *3. part. quæst. 7. art. ultim. fin. corp.* per hæc Verba: *Gratia habitualis Christi Domini intelligitur consequens hanc unionem, sicut splendor solem.* Secundo: quia, quando rei, perfectius convenit ratio ex qua res alia perfecta est, & dicitur; perfectior est: nam *propter quod unumquodque est tale, & illud magis* ex Top. Arist. sed Vnioni Hypostaticæ perfectius convenit ratio, ex qua Gratia & Visio perfectæ sunt, & censentur: nempe accessus ad esse Divinum: ergo perfectior est. Sumo rationem hanc ex
Idẽ Doct. Angelic. calamo S. Thomæ *3. part. quæst. 4. art. 1. ad 2. Multo major & perfectior est Vnio ad Deũ secundum esse Personale, quam quæ est secundum operationẽ: quanto namque* (addit acutè
Cajetan. Cajetanus *super ipsum art.*) *majus est esse Deum personaliter, quam participativè, tanto major est Vnio Personalis, quam participativa.* Ostenditur tertia & ultima pars: Nam res perfectior alia superante tertiã, eo ipso manet perfectior tertiâ.

Anton. Perez. 58 Dices adversus hæc omnia ex Antonio Perez. Primò: Respectus ad rem, quâ nõ est ratio perfectionis nõ potest esse dignitas perfectionis: at Vnio hypostatica est respectus ad Deum, quâ non est ratio perfectionis: quia Personalitas non est in Deo ratio perfectionis: ergo. Secundò: Accessus ad perfectionem summam potest contingere sine ullius perfectionis transfusione in se: ut patet in actibus liberis Divinis: qui secundum se non sunt perfectio; & tamen accedunt summè, id est, identicè ad perfectionem summam: ergo quod unio sit accessus ad perfectionem summam, non arguit in ipsa perfectionis argumentum. Tertiò: quia si perfectio Vnionis colligi posset ex conjunctione cum Deo, exindeque præferretur Gratiæ, seu Visioni: quasi certum esset, eo rem esse magis in se perfectam, quo magis cum Deo conjunctam, tria fierent manifestè absurda. *Primum*, Humanitatem prout sic Vnitam evadere necessariò perfectissimam rerum omnium. *Alterum*: Ipsam Vnionem esse summam creaturam, saltem in specie, quæ fieri à Deo possit. *Tertium*, esse infinitam simpliciter in genere creaturæ.

59 Quartò: quia licèt conjunctio cum Deo per modum imitationis sit argumentum perfectionis; non tamen est argumentum perfectionis conjunctio cum Deo per modum putæ communicationis, qua Deitas cõjungitur creaturæ: At hæ rationes sunt interse separabiles; nec Vnio ex se habet nisi secundã: ergo. Minor patet: & ostenditur major ratione & exemplo. Ratione: quia imitatio fieri nequit nisi per prædicata, quæ sint in exemplari, transfusa per imitationem in alio: unde nequit fieri ens infinitum per imitationem cum Deo, sine forma infinitæ perfectionis: quæ proinde implicat: at conjunctio fit per meram connexionem intrinsecam, qua ponatur in altero summa perfectio. Exemplo: existat duplex linea: brevissima, altera; altera longissima. Brevissima fieri potest longissima, vel per imitationem longissimæ: & sic opus est, quod Deus producat novam quantitatem, tam longam, ut æquet; vel per conjunctionem cum longissima; & ad hoc sufficit punctum indivisibile, seu unio indivisibilis continuativa, quæ ratione sui non faciat extensionem. Similiter in casu nostro.

60 Quintò: quia tribuendi perfectionem entitativam Vnioni nec est necessitas, nec utilitas, imò perversitas philosophandi & adulandi Divinis per humana mendacia. Non est necessitas: quia rationi unionis sufficit pura ratio determinationis unius ad aliud. Nõ est utilitas: quia Natura nõ instituit uniones gratia sui, sed terminorum; nec ut æquivocarentur cum formis: quod esset facile, si ipsis anticiparent formales effectus formarum suarum, & æqualem perfectionẽ. Esset perversitas philosophandi: tùm quia unionibus & modis nulla est alia perfectio ex Philosophiæ, & Naturæ fine, quam respicere terminos. Tùm quia, sic esset necesse dicere Deum intrinsecè non posse reddere per communicationem sui, creaturam perfectam, & ens summè æstimabile, sola sui perfectione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctione, sine interventu alicujus creaturæ magnæ perfectionis ad hunc finem: quo formalis effectus, ut divinior esset, habere deberet plus creatæ entitatis, & plus creaturæ, minusque purũ esse ab adminiculo creaturarum: quod non bene sonat.

61 Sextò & à priori. Quia Vnio hypostatica est inter modos creatos unionis, major Vnio non solum ratione termini uniti, sed ratione uniendi: ergo est ex se debilissimæ entitatis, & perfectionis, & fere nullius. Antecedens datur, & probo consequentiam: quia Vnio ex conceptu unionis petit esse modum, & debilis entitatis: ergo quo major est Vnio, petit esse debilioris entitatis. Ratio autem est: quia quo major est Vnio, debet mediare minus: imò esse pura duarum complexio, neque ens habens, neque forma habita, sed, ut inquit Philosophus, *purum habere*: unde ratione sui nullam fere æstimationem habet; totaque ejus æstimatio est æstimatio extremorum: imò neque æstimari potest æstimatione distincta ab extremorum æstimatione: cum autem æstimatio sit mensura bonitatis, & perfectionis, sit Vnionem Hypostaticam, cum unicè sit æstimabilis ratione formalis effectus, seu Divini suppositi, nullam in se, aut fere nullam dicere rationem entis, & perfectionis. Nec inde est mirabilis minus, sed multo admirabilior. Hæc ita exposui, necui videatur Antonii Perez discursus, levis conjectura, & mera somnia, ut plerumque Authoris ingeniosissimi discursus, quia intelliguntur parum, & examinantur minùs, video accipi.

P. Anton. Perez Laus: cur nonnullis nõ gratus?

62 Respondeo tamen; & unà ad primum & secundum, negando suppositum: Personalitas enim, & actus liberi sunt perfectiones summæ secundum se. Deinde quis admisit Personalitatem, aut actus liberos esse aliquomodo perfectionem rationem sui, qui summam non admiserit: at fateris in Vnione hypostatica ratione sui aliquam perfectionem, licèt per respectum ad terminũ, quidni ergo magnam, & excellentem? Insuper Vnio fortè pro termino intrinseco & Immediato non Relationem solum, sed & Naturam Divinam habet.

Infrà disp. 4. sect. 1. §. 3.

63 Ad tertium. Non constat de certa regula metiendi rerum perfectiones, ut bene Ripalda *disp.* 21. *sect.* 2. Vnde non est facile dicere: quæ res, ecquam excedat perfectione? Verum si cætera paria sint: (posset enim aliunde res crescere, vel decrescere;) bona est regula metiendi Creaturis perfectionem, accessus ad perfectionem summam: cum enim sola Dei perfectio, simpliciter sit perfectio; per ordinem ad ipsam, res dicendæ sunt perfectæ, vel secus: juxta suam quæque Naturam, & conditionem. Quare fieri posset ut conjunctio sit summa, & tamen non derivet nec fundet in ente, quantam perfectionem posset, quia impeditur ab ipsius entis conditione.

Ripalda.

64 Hinc fit, quod licèt Vnio præferatur Visioni, & Gratiæ; si tamen aliunde non conveniat inter Disputantes, hæc dona, licèt ex genere suo substantiis Rationalibus inferiora, ex specifica differentia, nobilitante, compensante, & quasi elevante improportionem illam generis, ipsis substantiis dignitate, & perfectione præcedere, non fieri Vnionem esse perfectionẽ omnium Creaturarum summã, licèt sit valde excellens & magna (quod sat nobis contra discursum Antonii Perez est;) quia limitatur ex cõditione sua. Vnde non sequitur ullum ex tribus inconvenientibus. Si tamen Gratia, & Visio dignitate præcedant omnes alias Creaturas, ut ex S. Thoma docent apud Ripaldam *cit.* multi, Vnio erit etiam physicè dignior: & Humanitas erit omnium rerum perfectissima, prout in concreto Vnionis; Vnio erit in specie saltem interjecta, res inter creatas perfectissima: non verò infinita simpliciter in genere Creaturæ: quia sunt termini repugnantes: ac si diceres, fore infinitam simpliciter in linea secundum quid.

Vide Ripal da loc. cit.

65 Ad quartum. Si perfici est assimilari Deo, vel imitari Deum, ut contendit arguens; arguit ex petitione principii. Quare nego minorem: fieri enim nequit, quod sit ens substantiale ex suis prædicatis intrinsecis summus accessus ad summam perfectionem, quin eo ipso maneat imitatio maxima illius perfectionis, ad quam accedit: ut patet ex Attributis, & perfectionibus omninò supra vulgus entium, quas, ex ipso accessu, cum communi Theologia, in Hypostatica Vnione collegimus. Ad exemplum, quo fit aptè vendibilis illa Doctrina, sit disparitas: quia extensio omninò excludit penetrationem rerum, seu entium, per quæ fit: at Vnio continuativa penetratur cum altero ex punctis sibi immediatis.

66 Ad quintum. Negetur assumptum: est necessitas: quia ut *supra* probavimus illa determinatio nequit in se non manere magna perfectio. Est utilitas: quia Natura instituit Vniones gratia terminorum: unde quantæ perfectionis ex respectu ad terminos, sit Vnio capax, tanta est de intentione Naturæ. Nò est perversitas: tùm ex nuper dictis: tùm quia maxima Dei laus est, cum vult se ipsum dare Creaturæ, viam ipsam, seu quasi viam, ex quodam quasi tactu Divinitatis, manere cum vestigio Divinitatis, & ferè Divinam: non enim id est egere adminiculo Creaturarum, sed ostendere, ubicumque se communicat, divitias liberalitatis summæ suæ.

Supra à n. 53.

67 Ad ultimum transeat antecedens, & nego consequentiam: Nam & Vnio inter Corpus, & Animam est major unio, quam continuativa inter materiæ partes: & hæc est imperfectior. Creatio est perfectior seu major actio, quam generatio: & hæc non est minus imperfecta, nec modus. Vbicatio Angeli est perfectior Vbicatio, quam nostra, nec ideo nostra est magis modus, & perfectior entitas. Ad probationem miror hallucinationem sic discurrentis: Ratio modi, seu modalis entitatis consistit in indivisibili, nempe in illa dependentia intrinseca, & essẽtiali ab alio, sine quo nequeat esse; at hæc non potest crescere, licèt crescat perfectio quoad specificum conceptũ modi: nec enim dependentia ab alio est ratio occludendi incrementum perfectionis ulterioris in specie ad quam descendit: ut innumeris exemplis ostendi posset.

68 Vnde, quãdo dicimus Vnionem esse perfectionem, aut actionem, non ideo id dicimus, quia magis sint modi, aut crescant in ratione modi: illa enim ratio consistit in indivisibili, sed quia perfectius explet conceptum specificum ad quem contrahitur ratio modi. Imò si licèt ita discurrere, ut Adversarius facit: Illa Vnio hypostatica, quo major est Vnio, minus habebit modi: nam ex ipso suo respectu terminatur ad terminũ indefectibilẽ, & alium terminũ à quo dependet, reddit ex modo uniendi incapacẽ destructionis, ipsaque habet permanentiam, quanta cadit in creaturam. Et hoc est omninò mirabile in illa Vnione, quæ, cum tam magna perfectio sit faciat immediatissimè Vnum, ex extremis summè distãtibus, imitando summam Vnitatem, quæ inter Personas est, ut loquitur ad Eugenium S. Bernardus: Aliudque est ejus æstimationẽ præscindi non posse moraliter ab æstimatione termini: aliud, & omninò diversum, eam ex ipsis intrinsecis non habere physicè magnã rationem æstimationis. Per quæ toti discursui P. Antonii Perez, plenè, nisi fallor, est factum satis.

Bernard. ad Eugen.

69 Sit octava conclusio, & in hoc puncto secũda: Inter hypostaticas Vniones da i nequit excessus perfectionis simpliciter ex inæqualitate terminorum finitorũ: neque ex Divinorum paucitate, vel numero vel simpliciter, vel secundũ quid: Vnde simpliciter nó est perfectior Vnio, qua Deus Angelicam Naturam assumeret; quam ea, quâ nunc Humanam: nec perfectior unio unius Personæ, quam trium, aut unius Attributi, quam omnium, si posibile foret. Loquor physicè: nam moraliter fortè esset Humana perfectior, quam Angelica, ob majorem dignationem ex majore indignitate subjecti: ex quâ simpliciter crescit ratio beneficii. Patet 2 pars: Nam apud me æquè est perfecta Vna Persona, ac tres simul: unum Attributum: ac omnia: nec melius esset totum ex una Persona, seu ex uno Attributo physicè unitis resultans, quam resultans ex tribus Personis, aut ex omnibus Attributis: non est ergo unde derivetur ex Divinis terminis inæqualitas in Vniones. Adde quod fortè nulla est posibilis, quæ non attingat immediatè Naturam.

Tract de Trinit. & tom. in 1. p. tract. 1.

70 Probatur prima pars. 1 quia tota ratio perfectionis, qua simpliciter excedit: ilia entia Vnio, venit ex conceptu communi hypostatici nexus: ergo ubi conceptus hic non minuitur ex inæqualitate Naturatum, neque minuitur simpliciter perfectio. Secundo: quia licèt spiritualitas, vel materialitas venire posint in Vnione ex inæquali perfectione Naturarum, iste excessus vel compensatur aliunde satis, vel nihili habetur accedente titulo quo Vnio redditur eus etiam entibus pùrè spiritualibus perfectius. Compensatur aliunde: nam ex ista inæqualitate Naturæ, quam respicit Vnio, venire potest, quod sit ipsa in causa ut dentur inter creaturas aliquæ cognatæ Divino suppositio, & Mater Dei: quæ est summa utilitas, ut est ejus dignitas inter purè creatas maxima. Nihili habetur: nam si titulus Vnionis hypostaticæ facit ipsam unionem præpõderare rebus multis spiritualibus, nequit ex deffectu talis perfectionis simpliciter minui.

71 Dices: at evenire potest, quod si Vnio in subjecto capaci sit Sanctitas & Beatitudo, formaliter, ex incapacitate subjecti careat his perfectionibus. Imprimis nulla est posibilis hypostatica Vnio, quæ non exigat in suo termino vel remotè, vel proximè capacitatem ad has denominationes: nam Creaturæ completæ irrationali implicat Vnio, ut *infrà*. Vnde, licèt ea unio non esset formaliter

Infrà disp. 5 sect. 1. §. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter Sanctitas,& Beatitudo, eſſet tamen jùs intrinſecum ad hæc omnia bona : imò eſſet jus ad Beatitudinem, & Sanctitatem, indiſtinctam ab hypoſtatica unione ; & ad Sanctitatem & beatitudinem, accidentalem. Quare ſatis etiam per illam exigentiam ita nobilem compenſaretur ille deffectus.

SECTIO II.

QVANTA SIT VNIONIS HYPOSTATICÆ Excellentia in ratione Vnionis, & Doni ? & quo jure ? an qui a ex ſe Sanctitas, Beatitudo, aut jus ad omnia Dei dona?

§. I.

PVNCTA DECIDENDA.

72 HAnc Excellentiam plenè dabit enodatio quinque difficultatum. Prima : an Vnio Hypoſtatica ſit in ratione, & munere unionis omnium maxima ? Negat Durandus *in 3. diſt. 1. quæſt. 3.* inclinante Vazquez *diſp.20. cap. 2.* & aſſentiente Bernal *diſp.19. num.56.* quorum ille ſolum eam præfert, quia terminus, quem habet,eſt maximus : & exinde manet unionum maxima: iſte,præfert entitativa perfectione: ſed uterque abs re loquitur: nã terminus,vel entitas unionis non eſt ratio vel munus Vnionis, ut Vnio eſt. Affirmant cæteri communiter apud Amicum, inter hos, & illos acutè medium *diſp.8. ſect.5.*

Durandus. Vazquez. Bernal. *Contra Amicus.*

73 Secunda difficultas:an ſaltem ſit Donum omnium Maximum?Negant Durandus Marſilius, Richardus, & Argentinas : affirmant communiter alii apud & cum Suarez, & S. Thoma. Sed hinc tertia : an jure ſuo ſit Donorum maximum ? an jure termini? Illud fieri videtur ex ſupra dictis; & hoc videtur fieri ex communi ſenſu.

Durandus. Marſ.Rich. Argentin. Cont.Thom & Suarez.

74 Quarta: an ita ſit Donorum maximũ, ut non ſolum ſit communicatio Sanctitatis, jus ad ipſam,& Beatitudinem,ſed ipſa Vnio ſit in ſe formaliter Sanctitas,& Beatitudo in ſubjecto capaci?Sanctitatem formaliter aſſerunt præter alios, quos ipſi citant, Suarez *diſp.53. ſect.3.* Bernal *diſp. 29. ſect. 4* Vvadingus *diſp.5. dub.1.* Amicus *diſp.16. ſect.5. num.131.* Aldrete *diſp.35.*Prudentius *tom.2. tract. 1. diſp. dub. unic. ſect. 6.* Nec plenè diſſentiunt apud Aldretum citatum Granadus, & Leſsius. Diſſentiunt plenè præter alios Vazquez *diſp.41.cap.4.* Card. de Lugo *diſp.16. ſect.2.* Puente Hurtad. *diſp.47. ſect. 3.* Antonius Perez *tract. 6. diſp. 1. cap.13.* Eſparza *quæſt.25.* Godoy *tract. 5. diſp.21. §. 3.* & Lumbier *tract.2. diſtinct. 5. quæſt. 19. art.2. à num. 947.* Beatitudinem contendit eſſe Ripalda *tom.2. diſp.100. ſect.10. nu 90.* inclinante nõ parum Prudentio *tract.3.diſp. 1. dub.3.ſect.2.* contradicente tamen Oviedo *in primã ſecundæ controv.2.tract.1.punct. 5. num.9.*

Contra Vazquez Lugo Hurtad. Ant. Per. Eſparza. Godoy. Lumbier. Ripalda. Prudent. Cõt.Ovied.

75 Vltima difficultas : an ſit jus ad omnia Dei Dona? Affirmat paſsim P.Antonius Perez præſertim *tract.6. diſp.1. cap.4. & 5.* cæteri vix attingunt.

Anton. Perez.

§. II.

VNIONIS GRADVS IN RATIONE Vnionis.

76 SIt prima Concluſio: Vnio Hypoſtatica quoad munus, & rationem uniendi,ſeu prout Vnio eſt,eſt omnium maxima. Probatur. Vnio, quò majoris efficacitatis eſt in copulandis extremis : quò ea reddit magis interſe inſeparabilia : quò demum ea facit magis unum, eſt major Vnio quoad munus & rationem Vniendi,ſeu prout unio eſt: ſed Hypoſtatica Vnio penes hęc tria ſingula eſt omnium maxima : ergo & quoad munus uniendi, ſeu prout eſt Vnio. Conſequentia eſt bona, & major evidens: Nam cum Vnio ex ſe ſit nata ad conſtituendum ex multis unum ; unum conſtituatur ex virtute unionis nectentis extrema : extrema eo perfectius interſe nectantur, quo unitius, & inſeparabilius ſe adinvicem habent, hæc neceſſariò erunt unionis propria,prout unio eſt.

77 Minoris oſtenditur prima pars: Nam quo magis interſe diſtant duo in ratione perfectibilis,& perfectivi (quæ eſt requiſita proportio ad unionem) major & efficacior vis unionis requiritur ad ipſa componenda: eo enim ipſo, quod in ea ratione diſtent interſe mutuo, magis recedunt à mutua Inclinatione unius in alterum, & conſequenter à componibilitate:unde,quæ in ratione perfectibilis, & perfectivi interſe, omninò diſtant, manent incomponibilia interſe : Quæ autem magis à componibilitate recedunt, majori vi unionis egent, ut in compoſitionem veniant: ſicut quanto mobile minus inclinat in motum, tanto major vis impulſus requiritur ad motum : Atqui Humanitas, & Verbum in ratione perfectibilis,& perfectivi diſtant interſe maximè: Nullam enim habent interſe propenſionem adinvicem in ratione perfectibilis, & perfectivi; ſed meram obedientialitatem ex parte Humanitatis, & eminentialem ſe communicandi vim ex parte Verbi, ſummè recedentem ab omni genere phyſicæ Inclinationis: ergo major,imo maxima vis unionis,& efficacitas requiritur ad compoſitionem Humanitatis & Verbi: ergo &c.

78 Oſtenditur ſecunda pars minoris: Nam eo per unionem redduntur magis inſeparabilia interſe duo, quo magis eſt eorũ unio inſeparabilis ab ipſis: & eo hæc ab extremis eſt magis inſeparabilis,quo eſt magis immutabilis, durabilis, indeffectibilis, & indiſſolubilis; atqui Hypoſtatica Vnio eſt omnium magis immutabilis : imò immutabilis maximè, & maximè indiſſolubilis : ergo in munere reddendi interſe extrema magis interſe inſeparabilia eſt omnium maxima.Minor latè probata eſt *ſect. præcedenti §. 2. à num. 32.* quam ulteriùs firmo ſic à priori. Nam quo proprius accedit ens creatum ad eſſe Divinum, eo participat magis proprietatem eſſe Divini : quæ eſt immutabilitas: Proprietas enim ſequitur eſſe. Atqui Vnio hypoſtatica inter omnes proximè accedit ad Deum: eſt enim via proxima,qua ſuppoſitum Divinum & Deus intrinſece venit in conſtitutionem unius entis cum creatura:ergo omnium proximè & maximè participat proprietatem immutabilitatis in eſſendo.

Suprà à num.32.

79 Oſtenditur tertia pars minoris: quia Vnio eo facit extrema magis unum, quo magis imitatur identitatem;at unio Hypoſtatica,omnium maximè, imitatur identitatem: ergo & facit extrema omnium maxime unũ. Probatur minor : Nam ea unio magis imitatur identitatem,primo quæ majorem fundat communicationem idiomatum inter extrema. Secundò: quæ magis eorum ſeparationi repugnat. Tertiò : quæ magis intimè rem communicat cum ſuo ſuppoſito:eò enim ipſo fundat majorem indiviſionem denominationum : iſtæ enim ſunt ſuppoſitorum. Quartò vi cujus Rectum compoſiti ſimplicius eſt, & magis indiviſum:eo enim ipſo vi unionis phyſicæ reſultat moralis quędam indiſtinctio Naturæ à magis ſimplici,& indiviſo: ſed Hypoſtatica Vnio omnium maximè maximam fundat communicationem idiomatũ inter ſubſtantialia extrema : maximè reſiſtit eorum ſeparationi; maximè communicat Naturam ſuppoſito ſuo : nam licèt Vnio inter ſubſiſtentiam creatam & Naturam ſummè communicet Naturam ſubſiſtentiæ, at hypoſtatica Vnio non ſolum intimè communicat Naturam Perſonalitati, ſed Perſonæ:nam communicat intimè Verbo: & Verbum eſt Perſona Divin humana: Vi demum hypoſtaticę unionis Rectum compoſiti eſt ſimpliciſsimum, & ſumme indiviſum : unde vi ipſius, reſultat moralis quædam indiſtinctio Naturæ à ſimpliciſsimo, & ſumme indiviſo: ergo Vnio hypoſtatica omnium maximè imitatur identitatem.

P.Anton. Perez.

§. III.

IN RATIONE DONI.

80 SIt ſecunda Concluſio : Vnio Hypoſtatica in ratione Doni eſt Donum omnium maximum: nempe quo majus dari à Deo nequeat. Id quod de Fide, vel Fidei proximum cenſet P. Antonius Perez ingeniosè diſputans ex Scripturis *tract.2. de Incarnatione, & 6. tom.2. diſp.1. cap.4.* Ratio *prima* ſit : quia *ex ſect. præced.* Vnio hypoſtatica ratione ſui ſuperat phyſicè omnia ſupernaturalia Dona : prout una cum effectu formali, ſeu concretè cum Termino,ſuperat omnes creaturas, & importat eſſe Divinum: ergo eſt Donorum omnium Maximum. *Secunda* ſit: In ratione Doni (quæ eſt quædã moralis acceptio rei) nõ diſtinguitur Vnio, ſeu poſſeſsio,à Bono,quod affert: at Bonum quod Hypoſtatica Vnio affert eſt omnium maximum : ergo & ipſa inter Dei Dona eſt maximum Donum. *Tertia* ſit: Ratione unionis Humanitas eſt dignior titulo perfectionis intrinſecæ,& doni accepti,majori veneratione, quam ulla pura creatura cum Donis omnibus ſibi poſsibilibus : ergo quia Donum Vnionis eſt omnium maximum. *Quarta* ſit: Ea eſt major Gratia,& major perfectio inter gratuitas, quæ ſubjectum magis perficit, & elevat ad eſſe Divinum: at Vnio hypoſtatica ſubjectum inter omnia Dei Dona magis perficit, & elevat ad eſſe Divinum : quippe ratione ipſius *habitat in illo plenitudo Divinitatis Corporaliter*, id eſt non ſolum aſsimilativè, & intentionaliter, teſte Paulo : ergo. *Quinta* ſit: Vi unionis ſit Humanitas Chriſti idem moraliter cum Divinitate : ita ut omnis honor, & Gratia ipſi poſsibilis, non debeat cenſeri magna, & excedens; ſicut nullũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

bonum creatum in Divinitatis honorem impensum, confetur illi magnum & excedens: de quo *mox*. Donum autem vi cujus resultat hæc moralis identitas, & reputatio quoad jus ad omne bonum, est omnium maximum necessario.

Mox à nu. 87.

81 Dices primò: Perfectior est Vnio ad tres Personas, quam ad Vnam: sicut perfectior esset Visio Trium Personarum, quam Vnius: ergo Vnio Hypostatica, quæ de facto datur, non est Donorum omnium maximū. Secundò: majus est uniri Beatificè Deo, quā hypostaticè. Tùm quia hoc dono non manet Possessor beatus; manet illo. Tùm quia per Visionem communicatur habenti Tota Trinitas, ut summum est Bonum formaliter; at per Vnionem communicatur una Persona, qua est summum Bonum materialiter. Tùm insuper, quia illa ob sui excellentiam communis esse nequit Creaturæ Irrationali: hæc potest. Tùm præterea quia illa est perfectissima operatio Creaturæ: hæc, modus. Tùm demum quia Visio prudenti appetibilior est, quam Vnio Hypostatica: hæc enim destruit proprium suppositum; illa perficit: nulla autem Persona potest appetere prudenter destructivum sui: ergo Visio est unione perfectior: nam appetibilitas consequitur ad rationem Perfecti, & Boni.

82 Respondeo: & ad primū nego assumptum ex *Sect. præced.* Et ex dicendis alibi posse sibilitatem visionis, à qua sumitur paritas. Eâ tamen permissa, negari posset etiam inæqualitas earum Visionum, quoad intensivam perfectionem. Deinde esset magna disparitas: Nā Visio unius Personæ tantum, non esset forma perfectè beatificans: ut quæ non expleret omninò appetitum Rationalem sic videntis Deum: quippe ea ipsa visione videret tantundem Boni latere se, quanto fruitur, privatique se Bono æquè amabili: quo Videntis sic Deum appetitus maneret inquietus, & anxius. At Vnio Hypostatica est perfectissima forma in ratione constituentis substantialiter Deum: neque enim constitutum ex unione ad unam Personam esset minus Deus, quam constitutum ex unione ad Tres: neque hoc esset melius illo. Imò per Vnionem ad Vnam ita satiatur appetitus innatus Naturę, ut neque ulterius aliam exigat, nec cum ulteriori appetitu obedientiali maneat: nam ex unione ad unam perfectè subsistens, non eget ulteriori complemento in linea substantiali.

Tom. in 1. 2. tract. de summo Bono.

Vide ibi.

Infrà disp. 5. sect. 1. §. 4. & sect. 2. §. 1.

83 Ad secundum: Nego antecedens. Ad primam probationem dicatur imprimis Vnionis Hypostaticæ, (licèt Beatitudo non sit, de quo *mox*) deberi Beatificā Visionē, & non econtrà: unde necessariò qui dat illā, dat moraliter hanc; cum in illa det jus ad hanc. Imò, dat finem intrinsecum, ad quem connaturaliter ordinatur Beatifica Visio, ut appendix perfectio: patet autem finem intrinsecū ad quem alia res ordinatur, jure Naturæ perfectiorem evadere. Deinde dicatur, licèt Vnio non sit Beatitudo formalis, afferre secū intrinsecè Possessori Beatitudinem objectivam, & objectum Beatificans: unde manet Possessor ita felix, ut in se habeat quo sit Beatus, quin extra se quicquam quærat, & quo alios beate possit. Patet autem, hæc tāto esse meliora, & æstimabiliora Beatitudine formali, quanto Deus est melior creatura; & Visionis objectum, ipsâ.

84 Ad secundum: hæc, quæ vocatur materialis communicatio, est intrinseca & substantialis; quâ non solum participatè, sed formaliter datur esse Divinum creaturæ: aliæ sunt communicationes accidentales & extrinsecæ: unde his illa prævalet tanto, quantò majus est esse Deum, quam assimilari Deo. Ad tertiam dicetur *disp. 5. sect. 1. §. 1.* quod verum sit, negando suppositum arguētis. Deinde quod Vnio possit communicari Naturæ Irrationali; non Visio: non est titulus majoris perfectionis, sed ratio specialis conditionis, vi cujus ad specialem potentiā spectat hæc qualitas: ratioquin exinde posset argui excessus perfectionis in sensatione, & quavis cognitione præ Hypostatica Vnione. Ad quartam: Nō obstat ratio modi summitati æstimationis, & Doni. Ad quintam: Negetur assumptum: licèt enim Nulla res innatè possit appetere sui destructivum; potest elicitè: quando destructivum, seu impeditivum propri suppositi est ipsi majus bonum, & major suæ Naturæ perfectio: alioquin nec juxta hanc Legem esset prudenter appetibilis Visio Dei, cum contingere nequeat sine prævia destructione compositi.

Infrà disp. 5. sect. 1. §. 1.

85 Instabis adversus præcedentia: primo: quia Beneficium est *actio benevola, gaudium tribuens accipienti*: sed majus est gaudium à beatifica visione resultans, quam ab Hypostatica Vnione: cum hæc non sit de linea potentię intentionalis, ut illa: ergo. Secundo, quia præcisim à Visione, status Vnionis est status obscurus, neque statuens Creaturam Rationalem in centro, & in ultimo fine: ergo facta inter statum utrumque comparatione eligibilior est status Visionis, quam status Vnionis; secluſa visione. Tertio: quia saltem complexum ex Vnione, & Visione majus donum est quam Vnio: ergo Vnio non est donorum omnium maximum.

Seneca.

P. Thomas Munieſſa. De Connexione Vnionis cū Visione lib 5. Disp. 3. à num. 49.

86 Commendat P. Thomas Munieſſa hîc *disp. 1. sect. 15. nu. 185. & nu. 188.* difficultatem objectionis: quam ego præoccupasse mihi videor, & video exiguam. Respōdeo ad primam instantiam: concessa majori, sumptis rebus secundum se: nam contingere potest, ut Beneficium non tribuat gaudium accipienti, per accidens, vel quia gaudium impeditur, vel aliunde: Beneficium autem solùm est actio benevola, nata tribuere gaudium accipienti. Negetur in hoc sensu minor, ut evidenter falsa. Majus enim gaudium perse resultat ex dono majori, & bono intimius, & meliùs habito. Ad secundam: Nego antecedens: tùm quia obscuritas, & remotio Creaturæ Rationalis à centro dicunt negationem, & distantiam, incompossibiles cum Vnione: Nam Vnio est perse ipsam necessitas indistandi, & quidem immobiliter, & aliunde est possessio summi Boni per se beans, & perse afferens, ut appendices sui luces visionis beatificæ. Vnde nego consequentiam. Ad tertiam nego antecedens in sensu morali in quo sumus. Nam Vnio in ratione doni est omnia ipsa, quæ ipsa secum indissociabiliter importat in jure. Deinde si quæstio est de dono ad donū præcisè sumptis, an hoc prævaleat illo in ratione doni, ad quid complexi consideratio?

§. IV.

IN RATIONE IVRIS AD DONA.

87 SIt tertia Conclusio. Vnio Hypostatica ita est Gratiarum omnium maxima, & maximum Donorum, ut sit jus ad omnia Dei Dona. Explico Conclusionem, postea probaturus. Volo itaque dicere, quod licèt in Humanitate sint multæ Gratiæ, possintque esse plures, ab unionis Dono distinctæ physicè, tamen ita manent omnes intra ordinem Hypostatici Doni, ut ejus facta semel suppositione, censeri moraliter nequeant novæ gratiæ, ex præcollato per Donū Vnionis Humanitati, cui confertur, titulo, seu jure connaturalitatis ad omnia supernaturalia dona, vi cujus quæcumque superaddiderit Deus, censeri debent connaturalia, & debita, nec novum simpliciter Beneficium. Vnde Deus ea superaddens, & conferens, potius operatur ex debito, & ex consequentia connaturali sui Primi Doni, quam ex pura liberalitate, quā exercere solet in eorū dispēsatione Donorum. Illustrari hæc possent per analogiam ad illa beneficia, quæ in nobis reputantur ex ordine Creationis: licèt enim hæc sint dona physicè distincta à Creationis Dono, tamen simpliciter non vocantur Gratia, ut *de Auxiliis disputando* confecimus: quia licèt in eorum dispensatione Deus aliquomodo exerceat beneficientiam suam, operari tamen dicitur, non purè liberaliter, sed ex aliquo debito, & consequentia Creationis. Sic explicata Conclusio.

Tom. 1. in 1. part. Tract. de Deo Aux.

88 Probatur primo: Vnio Hypostatica in ratione Doni est Divinitas unita Humanitati, seu non distinguitur à Divinitate unita Humanitati faciens nempe seipsa perfectionem intrinsecam Humanitatis ipsam Divinitatem: ergo in ratione Doni est perfectio Humanitatis intrinseca, quæ sit perfecta, & adæquata causa efficiens, tùm physica, tùm moralis, omnium Gratiarum in Christo possibilium consequenter ad Donum Hypostaticæ Vnionis: ergo ex suppositione Hypostatici Doni, nullum aliud Donum esse potest supra perfectionem intrinsecam Humanitatis, quæ sit perfecta & adæquata causa efficiens tùm physica, tùm moralis omnium: ergo neque simpliciter novum beneficium, neque nova simpliciter Gratia: Nam Gratiæ ratio necessario requirit esse supra perfectionem intrinsecam, id est supra vires intrinsecas effectivas, vel physicè, vel moraliter, illius, qui accipit, vel cui fit Gratia: quæ enim Gratia fiat illi qui ex perfectione intrinseca sibi & physicè, & moraliter sufficit ad ejus acquisitionem? Ergo Omnes Gratię in Christo possibiles consequenter ad Donum Vnionis sunt necessatiò connaturales: ergo Donum Vnionis est jus ad omnia: quod ponebat assertio: bene ex iis deducta, si stet entymema principale: cujus antecedens ex præcedentibus est certissimum: & consequentia evidens: Nam Divinitas Vnita Humanitati, quæ per Vnionem fit Humanitatis intrinseca perfectio, est causa efficiens perfecta, & adæquata, tùm physica tùm moralis omnium Gratiarum in Christo possibilium.

89 Illustratur hæc ratio primò: Eodem modo se habent ex suppositione Vnionis Hypostaticæ supernaturalia Dona ad Christi Humanitatem, ac si per Impossibile dedisset Deus ipsi quandam Gratiam à Deitate distinctam, quæ in ordine ad alias gratias

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſequentes ſe haberet independenter ab omni alio, etiam ab ipſo adjutorio Dei; ſed in tali impoſsibili eventu Gratiæ ſequentes donum Vnionis, non poſſent eſſe ex iſtius ſuppoſitione ſimpliciter indebitæ, aut nova Gratia: ergo ſimiliter in caſu de facto. Minor & conſequentia patent, & major oſtenditur: nam vi unionis tribuitur Humanitati Divinitas: & hæc eſt cauſſa adæquata ſupernaturalium Donorum, non indigens juvamine alterius.

90 Illuſtratur ſecundò: Licèt Deo ſit Liberum, quod Humanitas habeat Donum Vnionis, & in ipſo Divinam Perſonã; at ex ſuppoſitione Vnionis nõ eſt Deo Liberum, quod hac Perſona ſit Deus, & Omnipotens; Atqui Omnipotẽtia eſt connexio perfectiſsima cum Donis ſupernaturalibus, ut ſibi poſsibilibus: imo eſt ipſorum neceſſaria poſsibilitas: ergo vi Vnionis eſt in humanitate Chriſti intrinſecè quædã connexio cũ Donis ſupernaturalibus ut ſibi poſsibilibus, genere connexionis independenti ab arbitrio Divino: ergo vi unionis confertur Humanitati intrinſeca perfectio, vicujus ſint poſsibilia, ſupernaturalia Dona: ergo confertur illi jus, ut ſupernaturalia Dona ſint poſsibilia: qua ergo ratione poſſunt eſſe ſupernaturalia reſpectu illius: cujus intrinſeca perfectio eſt tota neceſsitas, ut eſſe poſsint? In quo vides rationem cur dici poſſet magis eſſe connaturalia Chriſti Humanitati poſt donum Vnionis Dona ſupernaturalia, quam nobis, noſtra bona naturalia: nam connexio, quam vi unionis importat ex intrinſeca perfectione Humanitas, eſt aliquomodo independentior ab arbitrio Dei, quam noſtra connexio.

91 Probatur ſecundo Concluſio: Ex Dono Vnionis Humanitas habet intrinſecè dignitatem, ſuperantem & quaſi abſorbentem omne genus indignitatis ad ſupernaturalia Dona: ergo ex Dono Vnionis habet Humanitas intrinſecè dignitatem ad omnia ſupernaturalia Dona ſine munere, aut obice ullius indignitatis ad quodlibet. Ergo repugnat quod per ullam donationem fiat ipſi ſimpliciter ulla dignatio: Carenti enim ex intrinſecæ Dignitatis bono omni genere indignitatis nulla dignatio fieri nequit: ergo neque ſimpliciter ulla Gratia: Gratia enim dicit ex conceptu ſuo dignationem in Donante: ergo Nulla eſt Gratia, quæ non ſit connaturalis Humanitati Chriſti, poſt donum Vnionis: ergo Donum Vnionis eſt jus ad omnem. Hæc omnia bene deſcendunt ex primo entymemate in quo vis tota: & cujus conſequentia liquet: Nã Dignitas intrinſeca, vi cujus in aliquo ente ſuperatur & abſorbetur omne genus indignitatis ad aliquod Bonum, neceſſario eſt perfectio, vi cujus ens nequit impoſterum reputari ullatenus indignum tali Bono, ſed dignificatum ad ipſum. Antecedens autem non liquet minùs: Nam Dignitas Perſonæ Divinæ, quam facit intrinſecam Humanitati Donum Vnionis, eſt major infinitè quam tota Indignitas Naturalis Humanitatis: ea enim dignitas major eſt quam indignitas peccati mortalis: Naturalis indignitas eſt minor indignitate morali peccati: ſicut ergo illa dignitas ſuperat Indignitatem, quæ multo eſt major, ſuperabit, & obruet indignitatem, quæ eſt multo minor.

92 Illuſtratur hæc ratio primo: Divinitas media Vnione, ut quodam Divinitatis organo, reddit Humanitatem Chriſti dignam omni bono poſsibili: ergo reddit dignam, ut omnis ejus indignitas quaſi oblitteretur, & ſe gerat Deus circa illam, quaſi non eſſet. Conſequentia ſuadetur: nam & hoc eſt magnum Humanitatis bonum. Tùm quia ea Vnio petit, ut ſe gerat cum Humanitate Divinitas, quoad hos effectus quaſi eſſet ipſa Divinitas, quantum patitur rerum veritas.

93 Illuſtratur ſecundo: quia Natura Humana non ſuſcepit bona, nomine proprio; ſed nomine Perſonæ Divinæ, cui omnia ſunt ferè nihil: ego poſita Vnione, nullam habet indignitatem Humanitas ad Dona ſuſcipienda. Probo conſequentiam: Nam ſi poſita Vnione, habet ullam indignitatem Humanitas, perinde eſſet ac dicere Perſonam, cujus nomine ea dona ſuſcipit, indignam eſſe ad ſuſcipienda ipſa Dona in Humanitate, quam Vnio facit ſuam.

94 Illuſtratur tertiò: Si ex ſuppoſitione Vnionis, Gratiæ, quæ ſequuntur non eſſent connaturales Humanitati, Humanitas indignior eſſet, inſpecta ſecundum ſe, ſuſcipiendi Vnionem, & aliud Donum ſimul, quam ſolam Vnionem: hoc autem eſt impoſsibile: ergo quia ex ſuppoſitione Vnionis nulla manet indignitas ad alia Dona, ſed dignitas, vi cujus reddantur ipſi omnia, quæ ſequi poſſunt, connaturalia: ergo quia Donum Vnionis eſt jus ad omnia. Major patet: quia indignior eſt humanitas duplici beneficio, quã Vno, ſi ſemel ſupponatur indigna beneficio. Minor probatur: quia ſuppoſita Vnione, collatio ulterioris Doni Humanitati Chriſti facta non eſt major in Deo dignatio, quam negatio talis Doni. Imo negatio eſt major dignatio: videtur enim ſuprema Dei majeſtati conformius Naturã, quam ſemel aſſumpſit, locupletare donis, & immunitatibus, quę Dignitatem ad quam evehitur, deceant: unde major dignatio viſa eſt ex parte Dei Naturam aſſumere ſubjectam mortalitati, quam ſi immortalẽ aſſumptione ipſa reddidiſſet: ergo impoſsibile eſt quod Humanitas ſit indignior ſuſcipiendi Vnionem, & alia Dona ſimul, quam ſolam Vnionem.

Latè lib. 5. Diſp. 5. ſect 3.

95 Probatur tertiò Concluſio: Vnio Hypoſtatica, ſeu Donum Vnionis eſt neceſſario ſeipſo Vinculum perfectæ Filiationis Naturalis: ergo Vnio Hypoſtatica, ſeu Donum Vnionis eſt jus ad omnia Dei dona. Antecedens eſt certum: & Probo conſequentiam: Nam Vinculum perfectæ Filiationis Naturalis eſt jus ſeu neceſsitas ad amorem illius Naturæ, cui fit, majorem omni genere amoris, quo Deus ferri poſsit in creaturas: ergo eſt jus, & neceſsitas ad amorem majorem eo, quo vellet Deus dare Purę Creaturę omnia ſupernaturalia Dona diſtincta à Vinculo Filiationis, aut ſimilis cognationis cum ipſo Deo: ergo eſt jus, & neceſsitas ad amorem, quo magis velit bonum Naturæ aſſumptæ, quam illi, cui vellet omnia ſupernaturalia Dona: ergo eſt jus, & neceſsitas ad amorem magis inductivum boni in Humanitatem aſſumptam, quam illum, quo Deus in puram Creaturam vellet inducere omnia ſupernaturalia Dona: ergo eſt jus ad ea ipſa omnia Bona: nam Dignitati, cui connaturalis eſt ex parte Dei affectus inductivus omnis Boni, nequit non eſſe connaturale omne Bonum: eo enim ipſo ea Dignitas cauſſat medio illo affectu Divino, quocum ipſa connectitur, Omne Bonum in ſubjecto, erga quod tantum amorem fundat.

96 Omnia hæc, quæ convincunt apertè, quod intendimus; apertè deſcendunt ex ſecundo entymemate, cujus conſequentia patet: nam ſi amor ille major eſt omnibus, perquos tendere poteſt Deus erga puras Creaturas, neceſſario eſt major eo, quo tenderet in Creaturam, cui vellet dare omnia ſupernaturalia Dona; cum hæc omnia non extrahant ens è linea puræ creaturæ. Antecedens non patet minus: tùm quia ad menſuram æſtimabilitatis eſt Dei amor: vinculũ autem Filiationis affert Dignitatẽ omni creaturarũ dignitate majorem. Tùm etiam quia decet, ut ſummam Dei communicationem ad extra ſequatur amor *ad extra* ſummus: ut ſummam *ad intra*, ſummus ſequitur.

§. V.

OBIECTIONES SOLVTÆ.

97 Oppones primo: Humanitas Chriſti Domini in Vnionis Dono accepit omnium Donorum maximum: ergo potius eſt facta debitrix per Donum Vnionis, quã in illo jus acquiſierit ad alia Dona, tanquam ſibi debita ex primo. Probatur conſequentia: quia Gratia non debet fieri gravamen Benefactoris: ergo neque Vnius beneficii acceptio poteſt tollere rationem gratiæ, ſequentibus beneficiis: ſic enim diſcurriſſe nos memini *diſputando de Auxiliis*: ergo neque unius acceptio beneficii poteſt dare jus, quo fiant debita, quæ ſequantur. *Habes in tom. in 1. p. tract. 3.*

98 Reſponderi primò poſſet: Humanitatem ex dono Vnionis factam eſſe Debitricem, non quidem illius doni ſolius, ſed omnium; quia, cùm eo Vnionis Dono ſuperata ſit & abſorpta omnis Humanitatis indignitas ad alia Dona, & data ſit ipſi ſumma dignitas ad alia omnia Dona, moraliter accepiſſe jam omnia dicenda eſt; nec ipſi fieri poſſe nova Gratia, cum nulla reſtet indignitas ſuperanda per ullam novam dignationem: hoc autem non eſt grávare Benefactorem, ſed in uno dediſſe jam omnia, extitiſſeque liberaliſsimum: & hoc eſt eſſe Donum Vnionis jus ad omnia Dei Dona.

99 Reſpondeo ſecundò: Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia ſunt aliqua beneficia, de cujus ſpeciali ratione eſt Benefactorem conſtituere debitorem. Sume exemplum in promiſsione, qua te velis ex juſtitia obligare ad donationem alicujus rei: en ipſa Gratia, quam alteri præſtas, te conſtituit ita debitorem, ut executio donationis maneat alteri debita, & non poſsit eſſe nova Gratia: quia tota ratio Gratiæ conſtitit in liberalitate Promiſsionis, & in eo quod ſpecialitas Promiſsionis te cõſtituerit debitorem. Tale puta Donum Hypoſtaticæ Vnionis.

100 Ratio à priori eſt: quia per illud donum vocatur Humanitas ad Filiationem naturalem Dei, ita ut homo ille etiam ut homo, ſit Filius Naturalis Dei. Filiatio autem Naturalis, etſi ſit ſummum beneficium quod accipimus à Parentibus; quoad effectum reddendi illos debitores noſtros, pariade ta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen se habet, ac si non esset beneficium: neque enim patet beneficium Filiationis, & bonum generationis computare debet in hæreditatem jure Filiationis debitam: alioquin Filio, quia majus bonum accepit, diminuenda esset hæreditas: augenda Filiæ, quia minus accepit.

101 Cujus discursus in purè creatis ratio non est difficilis: Nam licèt Generatio sit aliquomodo voluntaria; tamen Filiorũ Nativitas semper censeri debet opus Naturæ potius quam voluntatis, ad effectum obligãdi voluntatem Genitoris: quasi ab ea nihil Filius acceperit, restentque omnia, quæ à Voluntate Paterna dependent; accipienda in debitum, & consequentiam Filiationis: non quia Filius non debeat cẽsere illud opus omninò voluntarium ad effectum gratitudinis, & quoad munus præstandi obsequia Patri in Gratiam tanti beneficii: sed quia computando rationes partium, quas in generando Filio habent Voluntas, & Natura, nullæ videntur esse Voluntatis; Naturæ, omnes: Quare bene solet dici Patrem non dare sua voluntate, sed suscipere Filium.

102 Exinde Pater videri debet dedisse, non merè naturaliter, sed voluntariè Filium, ad effectũ gratitudinis, ut lex naturalis obliget Filium ad obsequia in Patrem, quasi totum ab ipso acceperit: videri debet dedisse, involuntariè, & mere naturaliter: imò suscepisse potius quam dedisse, ad effectum obligandi Patrem erga Filium, ut huic lege naturali debeat hæreditaria bona: quæ proinde non dicenda sunt dari gratis, sed deberi: quia sequuntur Filium ex connexione, quæ quoad effectum obligandi Patrem, & ipsum reddẽdi debitorem, non censetur moraliter gratuita, & arbitraria Patri, sed merè naturalis.

103 Ex ipsis elevanda mens est ad inenarrabilem Christi generationem: dicendum què ideo Dona consequentia ad Filiationis Donum, non esse nova beneficia, nec novas gratias, quia consequuntur ex connexione, quæ quoad effectum obligandi Deum, ut ipsa superaddat, & conferat, non censeri debet tanquam gratuita, & orta ex Voluntate Dei, sed habita ipso Naturæ Divinæ necessariò operantis impetu. Do rationem. Nam Christus non solum *ut Deus*, sed *ut homo* est Filius Naturalis Dei: Nam ut homo non constituit diversum suppositum à Filio Dei: quod sufficit, ut supposita dependentia Humanitatis, & Hypostaticæ Vnionis ab æterna generatione, *hic homo*, etiam *ut homo* integret Filiationem Naturalem: & hæc est ratio cur licèt *hic homo*, ut *Deus*, non dicatur Filius Naturalis Mariæ, dicatur tamen & sit Dei Naturalis Filius: quia nempe Verbum esse Deum non pendet à temporali generatione: esse tamen hominem pendet à generatione æterna. Iã si ad analogiã generationis purè humanæ computentur in Christo partes, quas in eo habet Divina Voluntas, & Natura Divina, videbimus, quædam habere Christum à Voluntate Divina: quædam à Natura necessariò operante: habet à Voluntate Humanitatem, & Vnionem: habet à Natura ipsam generationem æternam & esse Verbum, quod est æquè bonum, ac totus Christus. Igitur est incomparabile quod habet *hic homo* à Natura, cum eo quod habet à Voluntate: nam ab illa habet bonum Filiationis: in quo fundatur connexio ad hæreditatem, & bona Patris.

Latè loc. cit. ad lib. 5. Disp. 5.

104 Fit ergo ex his: quod licèt Donum Filiationis sit summum beneficium, censerique debeat ut res omninò gratuita, & arbitraria Deo in tali homine quoad effectum fundandi in Humanitate Christi (quæ sola pars est perceptiva beneficii) summum gratitudinis debitum, quo perinde se gerat ac si suæ personæ liberè concessa fuisset & Divinitas, & Filiatio, ut sibi obvenit: (Nam Rationalis Naturæ proprium est æstimare sui suppositi bona, quasi propria & sua; suique suppositi & honores, & onera in se transferre:) tamen quoad effectum fundandi connexionem ad Bona Patris, & hæreditatem, & obligandi Deum ut conferat, non computari debet ut arbitrarium, & gratuitum: quia connexio est ipsa Filiatio Naturalis, quæ potius est ex Necessitate Naturæ, quam ex arbitrio Voluntatis. Vnde consequentia Dona, non dicenda sunt dati gratis, sed deberi. *Replicabis &*

105 Oppones secundò: Licèt Gratia sit jus ad Gloriam, ut hæreditatem; habenti Gratiam, fit nova simpliciter Gratia per executionem, & collationem Gloriæ: ergo licèt Vnionis Donum sit jus ad consequentia Dona, per executionem, & collationem eorum fiet nova simpliciter Gratia habenti Donum Vnionis. Confirmatur: Auxilia consequentia ad habitualis Gratiæ Donum, licèt præcontineantur in ista, sunt nova beneficia, & Gratiæ: ergo similiter in casu nostro.

106 Responderi solet ad argumentum: Gratiam non esse jus absolutum, sed conditionatum ad Gloriam, si nempe Gratia ornatus

natus decedat in ipsa: quæ conditio maximè pendet ab exequente Gloriam: Promissio autem, quam imitatur illud jus, licèt, si absoluta sit, non sinat locum novæ Gratiæ in executione rei promissæ, sinit tamen si sit cõditionata, sub conditione præsertim pendenti maximè à Voluntate promissoris. Ad confirmationem, de qua satis *in libris de Auxiliante Deo*, quos dabit *tom.* 1. addo nunc dignitatem Gratiæ compẽsari satis per præmium ultra condignum Gloriæ: quare quidquid superaddatur, superadditur ultra dignitatem ipsius. Neutrum Vnioni potest accomodari. Prætermissis his tamen

Tom. in 1. p. lib. de Aux. Deo.

107 Respondeo primò negando duplicem consequentiam. Disparitas ex dictis nuper est: Nam illa seu connaturalitas, seu exigentia, seu connexio juris, quæ est in habituali Gratia ad Gloriam, seu alia Dona, & quæ fundat obligationem ad ipsa homini conferenda est prædicatum (licèt essentiale Gratiæ, & inseparabile physicè) tamen in prudentum æstimatione, non merè naturale, sed arbitrarium, & quasi superadditum Gratiæ, & simpliciter morale, atque adeo non fundans connexionem merè naturalem sed pure moralem quoad effectum obligandi Benefactorem ad alia dona.

108 Ratio est, quia tota ea vis exigentiæ, connaturalitatis, seu connexionis fundatur in Gratia, ut Gratia est alteri facta citra ullam connexionem mere naturalem ipsius, imò citra ullam ipsius accipientis dignitatem, sed ex mero exercitio liberalitatis Divinæ: patet autem connexionem, quæ habetur unicè ex exercitio Divinæ liberalitatis, censeri debere quasi omninò gratuitam, & arbitrariam, quoad effectum conferendi alia dona: nam exercitium plene liberale obstare non potest, ut effectus consecutus sit simpliciter liberalitatis effectus, & nova Gratia. Hoc autem est non gravari sua ipsa Gratia Benefactorem: & hæc est illa ratio quam ex Suarez dedimus *loco citato de Auxiliis*, (præeunte jamdudum Augustino;) quod nempe Gloria sit nova Gratia, quia est Gratia pro Gratia: At vero connexio, vi cujus Donum Vnionis fundat obligationem ad consequentia Dona non est mere arbitraria, nec censetur gratuita, sed pure naturalis: nã est ipsa ratio Filiationis Naturalis, quę quoad effectum obligandi genitorem, non computatur opus arbitrii, sed Naturæ, nec opus liberalitatis, sed necessitatis: unde Bona consequentia dicuntur haberi jure, non gratia.

Suarez. Augustin.

109 Ex hac Doctrina nascitur discrimẽ illud (quod sæpe tetigi disputando de Auxiliis; explicui nunquam) inter ordinem rerum Gratiæ: & inter ordinem naturalium rerum. Vtrumque Deus constituit. Sed diversimodè. Naturalem, secutus possibilitatem rerum: Gratuitum, secutus liberalitatem suam. In illo, suam voluntatem accommodat rebus: in isto, res accommodat suæ liberalitati: iste, est ordo potius voluntatis Divinæ, quam rerum: atque adeo magis arbitrarius, quam consentaneus rebus: ille, est magis rerum, quam Voluntatis Divinæ. Ratio est: quia in ordine naturali, ubi se finit Deus exigentiis rerum, quoad nos mensura Voluntatis Divinæ est naturalis possibilitas, vel impossibilitas rerum, vi cujus intelligimus earum quendam nexum ipsis innatum, sine recursu ad Divinæ liberalitatis exercitium: at in ordine gratuito mensura nexûs inter res Gratiæ est Divina liberalitas: totum enim hunc nexum reducimus ad res, ut gratia sunt, atque adeo ad res ut sunt effectus liberalitatis Divinæ, & Beneplaciti. Vnde videtur dicendum Naturæ Rerũ Deum dedisse, seu accommodasse potius suam potentiam, ut fieret, quod naturaliter potest, seu quod res vellent, quam suam liberalitatem, ut fieret quod ultra posset, & quod ipse vellet. Secus, ordini gratiæ dedisse, seu accommodasse suam liberalitatem, ut fieret ultra, seu supra quod res volunt, & quod ipse liberaliter volet. Quare nequit rebus pure creatis dare donum aliquod gratiæ sine novo exercitio suæ liberalissimæ Bonitatis.

110 Respondeo secundo dando disparitatem aliam, ex qua forte lux affulgeat præcedenti. Suppono duplicem esse dignitatem: Perfectam, & absolutam unam; quæ nempe nullam secum compatiatur indignitatem. Aliam ex parte, & imperfectam; quæ licèt aliquam tollat indignitatem, omnem non tollit. Sume exemplum in sponsa Regio Matrimonio digna: erit digna perfectè, si pulchra, & proba satis, & æquè nobilis. Si tamen cæteræ dotes adsint, & nobilitas desit, non erit Perfectè digna; indigebit enim *supplemento Natalium*: sicut & *supplemento Natalium* eget ad honores Hispanos, Vir extraneus, cæteroqui dignus. Ad hunc modum considerari potest, & debet duplex indignitas in Natura: altera est indignitas morum: & hæc est indignitas peccati. Altera est indignitas *ex defectu natalium*: & hæc est indignitas *vilitatis*, & *ineptitudinis naturalis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ralis ad ſupernaturalia Dona. Hæ indignitates ſeparabiles ſunt, & ſeorſim vincibiles & ſuppletibiles: earum tamen alterutra, licèt altera deſit, dat locum novæ dignationi: nam dignatio non poteſt non eſſe nova, ſi bonum confertur ſubjecto cum præcedenti indignitate ad tale Donum.

111 Sit ergo diſparitas: Nam Donum Filiationis eſt ita ſummæ dignitatis, ut obliteret, & abſorbeat omne genus indignitatis in Natura, cui fit, tam quæ ſumitur ex parte morum, quam quæ ſumitur *ex deffectu natalium*, ut probavimus *ſupra*: omni autem genere indignitatis exclusa moraliter vi ſummæ dignitatis, non reſtat locus dignationi novæ: unde habenti illud Donum, nequit fieri nova dignatio, aut nova Gratia, quæ ſine dignatione non fit. At Dignitas Gratiæ, licèt ſit tanta digniras, ut excludat indignitatem morum, ſeu peccati mortalis; non tamen tollit, aut ſopit illam aliam indignitatem, quaſi *ex deffectu natalium*, nempe naturalis vilitatis, & ineptudinis, quæ in ſubjecto, cui fit gratia, ſupponitur: neque enim gratia fit Gratiæ, ſed habenti Gratiam: quare ſi ſupponatur etiam ex ſuppoſitione Gratiæ cum indignitate aliqua ad ulteriora dona, hæc dabuntur aliqualiter indigno, atque adeo per novam dignationem impræſcindibilem à novo exercitio liberalitatis, & nova Gratia.

Suprà à num. 91.

112 Quod autem indignitates iſtæ in Natura diſtinctæ ſint, nec iſta ſolum ſit indigna Gloria: v.g. quia eſt indigna Gratia, patet: nam major indignitas eſt hominis ad Gratiam, & Gloriam ſimul, quam ad Gratiam ſolam. At cur, *inquies*, Dignitas Gratiæ non obruet, illam indignitatem Naturalem: plerumque enim dignitas morum, & aliarum dotium obruit indignitatem *Natalium*? Reſpõdeo, per dignitatem ex una parte, non obrui, ſed ſupplerì indignitatem ex alia: niſi indignitas ſit major, quam illa dignitas. Dignitas autem Gratiæ minor eſt quã ſit indignitas illa Naturalis, ſeu ex parte Naturæ: ſicut etiam eſt minor, quam indignitas peccati mortalis: licèt iſtæ multum interſe differant: hæc enim eſt culpabilis: illa, Naturalis: hæc, fundat odium & indignationem: illa contemptum, & dedignationem: hæc fundatur in malitia: illa in Vilitate: huic demum contrarjatur amabilitas, & bonitas: illi, honorabilitas, & excellentia.

113 Ratio autem aſſumpti eſt primò: quia homo ex illa indignitate naturali manet indignus omni, & quolibet dono ſupernõ; imò habet debitum carendi omnibus, & ſingulis: ex dignitate verò gratiæ non redditur dignus omni, & quolibet. Secundò: licèt homo ſit obedientialiter aptus ad omnia ſupernaturalia Dona; tamen ejus vilitas, & contemptibilitas eſt ſufficiens titulus, ut Deus rationabiliter neget omnia: dignitas autem Gratiæ non eſt ſufficiens titulus, ut Deus velit omnia dare. Tertiò: Homo gratus, facta comparatione cum Dei majeſtate eſt aliqualitur ſed parum dignus: ex vilitate tamen Naturæ eſt valde indignus. Quartò à priori: quia ea vilitas conſiſtit in peccabilitate: Dignitas Gratiæ in poſsibilitate præſtandi obſequia Grata Deo: ut autem obſequia omnia ſunt minor dignitas, quam ſit indignitas, unum peccatum mortale: ita pariter ea dignitas Gratiæ minor erit, quam illa indignitas Vilitatis. Non ergo ſuppleri poteſt hæc indignitas in Natura per Gratiæ dignitatem. *Vrgebis*, &

114 Oppones tertiò: ergo Chriſti Humanitas non tenebitur novas gratias agere pro conſequentibus Donis: quod videtur abſurdum. Si autem tenetur: ergo æſtimare eas debet, ut nova beneficia: ergo verè ſunt talia: neque enim Deus exiget veras gratias pro beneficiis, quaſi ſola fictione veris, atque adeo fictis. Reſpondeo, Humanitatem Chriſti non poſſe æſtimare illa conſequentia Dona, ut moraliter diſtincta à Dono maximo, quod accepit, licèt ea poſsit æſtimare, ut dona ex ordine Vnionis, ut dici ſolet de Donis, quæ nobis obveniunt ex jure creationis: tenebitur tamen ad gratias agendas pro ipſis quia tenetur ad eas agẽdas pro Dono in quo quaſi præaccepit: tenebitur deinde ad novas, ut nos dicimus teneri ad agendas Gratias pro his rebus quæ cadunt etiam intra jura, & ordinem creationis: tenebitur demum ad novas, licèt Gratiæ non ſint ſimpliciter novæ: quia Humanitas quoad effectum gratitudinis non debet penſare ſuam obligationem cum connexione, qua dona inferuntur ex primo, ſeu cum vi, quam Donum unionis habet quoad effectum obligandi Deum, ut ipſi reliqua ſupperadat, ut *diximus*.

Suprà à num. 101.

115 Sit quarta Concluſio: Vnio Hypoſtatica, moraliter ratione termini, habet eſſe jus ad omnia Dei dona: phyſicè ratione ſui, ut inſtrumentarius titulus. Explico ſimul & probo duas partes Concluſionis. Et prima liquet; quia cũ Vnio Hypoſtatica in ratione doni moraliter non diſtinguatur à termino, per indeque ſit dari Vnionem Divinitatis, ac dari Divinitatem, fit Vnionem ipſam moraliter ſumptam in ratione Doni ratione termini, cujus æſtimatione penſatur ſub ea conſideratione, habere quidquid inde conſequitur.

116 Secunda pars probanda & explicãda eſt per analogiam muneris, quo Procurator fungitur exigendo à me debitum nomine Creditoris: Procurator reipſa exigit legitimè debitum; ut titulus inſtrumentarius tamen; non ut præcipuus ad legitimam exactionem debiti: præcipuus enim titulus exigendi eſt jus creditoris, qui jure ſuo conſtituit Procuratorem: unde non eſt gratia Procuratori facta, ſi non excedat titulum creditoris: hic enim eſt menſura gratiæ & debiti, & hic eſt titulus, quo Procurator legitimè petit. Similiter in Vnione phyſicè inſpecta dicendum: Ipſa eſt titulus inſtitutus à Divina perſona, ad exigenda omnia bona: quod præſtat ex ſummo illo acceſſu, quem phyſicè habet ad Perſonam Divinam: qui acceſſus, cum ſit ipſi phyſicè eſſentialis, legitimè conſtituit ipſam in titulum exigendi bona Perſonæ divinæ unitæ debita: manet tamen titulus inſtrumentarius, & non præcipuus: quia menſura gratiæ, & debiti ſimpliciter ſumitur ex Dignitate Perſonæ, quæ ſuo unibilitatis jure inſtituit Vnionem in Humanitate quaſi in Procuratorem ad exactionem debiti.

§. VI.

IN RATIONE SANCTITATIS

Suprà à num. 52.

117 Sit quinta Concluſio: Vnio Hypoſtatica, licèt ſit medium, quo Humanitati communicatur, ipſa Divina Sanctitas, & jus, quo debetur ipſi Habitualis, manet etiam in ſe, formaliter, & *ut quod*, ſubſtantialis forma Sanctificans. Ratio ſit: quia Vnio hypoſtatica ratione ſui, & ex intrinſeca perfectione ſuperat Gratiã & Viſionem: ut ſupra diximus: ergo neceſſariò eſt ratione ſui formalis Sanctitas, ſeu Sanctitas formaliter, & *ut quod*. Probo conſequentiam: quia repugnat exceſſus perfectionis, ubi nõ eſt exceſſus præferibilitatis, & dignitatis ad amorem Divinum: qui utpote nixus intuitiva menſura rerum, eſt prima regula perfectionis: ergo ſi Vnio hypoſtatica ratione ſui & ex intrinſeca perfectione ſuperat Gratiam, & Viſionem, neceſſario eſt illis major intrinſeca dignitas ad amorem Divinum, ratione ſui, & formaliter. Atqui nequit eſſe major intrinſeca dignitas ratione ſui ad Divinum amorem, ſi non ſit ratione ſui forma Sanctificans: nam forma Sanctificans eſt dignitas ad amorem amicabilem, quo omne genus amoris inferius eſt: ergo.

118 Ratio ſecunda ſit: Vnio hypoſtatica ex ratione ſuæ intrinſecæ perfectionis eſt impeccabilitas, atque adeo puritas ab omni deffectu morali: eſt enim vinculum cognationis cum eſſe Divino, ratione ſui, & formaliter, & tota ratio creata *quæ* cognationis. Deinde eſt perfectio ratione cujus manet Creatura, quantùm poteſt à forma creata, in ordine Divino: Inſuper eſt dignitas ad amorem Dei, ratione ſui & formaliter, ita magnum, ut reddat Creaturam, quæ ex ſe contemptibilis eſt, incontemptibilem: demum eſt radix operationum divinarum in Anima: nam eſt jus ad comprincipia neceſſaria, imò & ad omnia Dona: cur ergo ſi ex his, quæ minus habentur à Gratia, hæc eſt forma Sanctificans, *ut quod*, non ſit etiam formaliter, & *ut quod* forma Sanctificans Vnio?

119 Ratio tertia ſit: Vnio Hypoſtatica ratione ſui eſt major acceſſus ad Deum, quam Gratia: Deinde non eſt minor ratio communicandi phyſicè Deum Creaturæ, ac Viſio eſt ratio communicandi intentionaliter Creaturæ Deum: Cur ergo ex acceſſu minori Sanctificet Gratia; & non Vnio? aut cur ex pari ratione communicandi, Viſio ſit Beatitudo formalis: & Vnio non ſit formalis Sanctitas?

120 Illuſtrantur hæc omnia per formas arguendi præcluſivas communium evaſionum. Primò ſic: Vnio hypoſtatica ratione intrinſecæ perfectionis, & ex ſua quidditate eſt acceſſus ſummus ad Deum: ergo ratione intrinſecæ perfectionis, & ex ſua quidditate eſt ſummus receſſus ab objecto divinæ indignationis: Ergo Humanitas, cui eſt formalis ratio accedendi, quantum creatura poteſt ad Deum, manet incapax Divinæ indignationis, imò & incapax contemptus Divini, & diſplicentiæ, ex ipſo conceptu, & perfectione phyſici acceſsûs: ergo manet ex ipſo cõceptu, & perfectione phyſici acceſſus digna affectu Divino, oppoſito indignationi, contemptui, & diſplicentiæ: Nam dignitas & perfectio, quæ ratione ſui impedit contemptum, diſplicentiam, & indignationem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem, necessario est dignitas, & perfectio, quæ ratione sui fundat affectum oppositum contemptui, displicentiæ, & indignationi: omnis enim perfectio fundat affectum formaliter oppositū fugę quam impedit. Nunc sic. Affectus oppositus contemptui, & indignationi est affectus amicabilis, & amiciriæ, quo Deus tendit in Creaturam Rationalem, ut sibi gratam: ergo Vnio Hypostatica est ratione sui formalis dignitas fundans amorem amicabilem, & amicitiæ quo Deus tendit in Creaturam Rationalem, ut sibi gratam. Sed Dignitas fundans ratione sui, & formaliter hujusmodi affectum est formalis Sanctitas: Nam eo ipso manet Creatura amica & grata: ergo.

121 Secundò sic: Id quo existit assimilativè Deus solùm in Anima, est Sanctitas formalis, & *ut quod* Animæ, ut patet in Gratia habituali: ergo id quo Deus existit formaliter in Anima, est Sanctitas formalis, & in genere suo *ut quod* Animæ. Probo consequentiam: Ideo id quo existit assimilat vè Deus in Anima (licèt sit quasi via, qua Divinitas est in Anima) est formalis Sanctitas, & *ut quod*, quia perfectio seipsa assimilans Deo Animam est perfectio formaliter inductiva morum Divinorum in Anima: & exinde perfectio ex sui conceptu exclusiva morum repugnantium Deo, id est peccati, & inductiva complacentiæ amicabilis Dei: neque enim alios conceptus requirit Sanctitas *ut sic*: quod si mavis, adde quod exinde sit radix operationum supernaturalium in Anima; atqui id quo existit formaliter Deus in Anima, (licèt sit via, qua Divinitas est in Anima) est perfectio seipsa formaliter inductiva morum Divinorum in Anima; atque adeo perfectio seipsa incomposibilis cum omni peccato; & dignificans ad amorem Dei amicabilem: imo radix operationum divinarum in Anima: ergo est etiam formalis Sanctitas, & *ut quod*. Probatur minor: quia ratio formalis Divinæ cognationis, est ratio formalis exigendi in Anima, quod Animam Deo cognatam decet: id nempe quod Deum decet in ente, quod ad sui maximam cognationem vocat; atqui mores solùm Divini decent Divinam cognationem: ergo.

122 Tertiò sic: Nequit esse perfectio seipsa intimè accedens ad Deum, quin sapiat & transfundat in se Dei perfectiones, quantum posit: ergo quin formaliter hauriat in se perfectiones entis Divini, quantum participari à Creatura sic accedente possunt: ergo quin hauriat ex accessu perfectiones, quæ formaliter cadere possunt in ens modale. At qui enti modali non repugnat formalis Sanctitatis conceptus: ergo & hanc perfectionem formaliter haurit. Minor sublumpta patet: nam si accidenti ex suo genere debilis existentiæ, non repugnat ratio formalis Sanctitatis, *ut quod*; cur repugnat in suo genere enti modali substantiali? Deinde assignetur in communi ratio formalis Sanctitatis, *ut quod* ut exinde pateat, quam non repugnet enti modali talis vis perficiendi.

123 Difficultas autem solum est in primo antecedente, & duplici consequentia. Secunda patet: quia si ratio formalis intimè accedendi ad esse Divinum, debet ex accessu participare formaliter perfectiones, quantū à Creatura participari possunt, necessariò participabit perfectiones quarum sit capax in specie sua ens, in quo consistit ipse formalis accessus, atque adeo ens modale. Probo primam: quia nequit sapere Deum, quantum posit, nisi participando in se perfectiones Dei, quantum ab ente sic accedente participari possunt. Antecedens jam ostenditur: nam creatura quo magis accedit ad Deum, magis specificatur ab ipso: magis autem specificari à Deo est magis imitari Divinum ens: magis imitari Divinum ens est transfundere in se perfectiones Divinas, quæ minus communicantur aliis Creaturis: ergo de primo ad ultimum, &c. Alia demum adjungenus *lib. 5. disp. 1. sect. 1. §. 5. à num. 37.* *Infrà lib. 5. disp. 1. à num. 37.*

124 Dices primò: creata Sanctitas est ratio Filiationis Divinæ, eo modo quo est Sanctitas: nam est jus ad hæreditatem: hæreditas est autē debitum respōdens juri Filiationis, ex illo Pauli: *Quod si Filius, & hæres.* *Galat. 4. Rom. 8.* Atqui Hypostatica Vnio non est ratio Filiationis Divinæ: Nam hæc est duplex: Naturalis; quæ consequitur unicè Naturam Divinam prout in Verbo: Adoptiva, quæ requirit Personam extraneam, & repugnat Christo: ergo.

125 Secundò: quia Vnio non anticipat in subjecto formalem effectum termini quem communicat: alioquin iste superfluereret: sed terminus præstat Humanitati formalem effectum Sanctæ, & Gratæ: non ergo anticipat hunc effectum Vnio. Tertiò: Vnio Hypostatica est via qua communicatur Animæ Sanctitas: non est ergo Sanctitas: sicut Vnio metaphysica, qua se communicat Animal Rationali, non est formaliter aut Animal, aut Rationale: nec physica, qua se cōmunicat Anima Corpori, est Animula quædam media.

126 Quartò: Creata Sanctitas est participatio Divinæ Naturæ, atque adeo imitatio quædam illius in radicando Rectitudinem Vniversalem in Anima: sed Vnio non est talis participatio: ergo. Confirmatur: repugnat Sanctitas; quæ non sit vel per modum actus: & hæc est affectus, quo diligentes super omnia Deum, ipsi reddimur amicabiliter redamabiles: Idque repugnat Vnioni physicæ. Vel per modum habitus, illorum affectuum productivi: nec Vnio est habitus. Vel per modum Naturæ: & hæc est Natura Divina, vel physicè, ut Deitas: vel imitativè: ut Gratia habitualis. At Vnio non est imitativè Deitas: nam illud in Gratia est munus radicandi operationes Divinas in Anima: imò Vnio solum est imitativè identitas Personalitatis Divinæ ad Naturam: ergo.

127 Quintò: Vnio Sanctitatis creatæ ad Animam non est Sanctitas, licèt sit incomposibilis cum peccato: nempe Gratiæ Habitualis Vnio cum Anima: ergo neque Vnio Sanctitatis increatæ cum Anima. Sextò: per id Sanctificatur Humanitas Christi formaliter per quod *Vngitur*; juxta os Patrum: at Vngi est Deificari: nec id habet à modo unionis: ergo neque Sanctificari. Septimo: Vnio hypostatica est modus ex se cōmunis subjecto insanctificabili: nempe Naturæ irrationali: ergo non est ex se Sanctitas. Octavò: nam si hæc foret Sanctitas superflueret in Christo Habitualis Gratia: quā negare Christo non possumus. *Respondetur.*

128 Ad primum, omissa nunc Doctrina P. Bernal de, & pro tertia specie Filiationis ultra Naturalem, & Adoptivam, *de qua lib. 5. disp. 5. sect. 3. §. 1.* dicatur jus ad hæreditatem competere Filio: unde bene Paulus intulit, quod si Filius, & hæres; at non solū latius enim patet hæres, quam Filius. Inde Nepoti convenit; convenit aliis ex testamento; conveniret Patri & Spiritui Sancto Naturam assumentibus, sine ulla specie Filiationis; convenit modo ipsi Spiritui Sancto jus ad omnia Dei dona, quin Filius sit: convenit demum Gratiæ prout in Christo: ubi nullam Filiationē exercet. Quare nego antecedens: non enim est de conceptu Sanctitatis, ratio Filiationis, imò neque jus ad Hæreditatem; sed incomposibilitas cum peccato, & dignitas ad amicabilem Dei amorem. *Bernal, & contra ipsū lib. 5. disp. 5. sect. 3. §. 1.*

129 Ad secundum, distinguatur major: non anticipat formalem effectum specificū, & proprium termini, concedo: generícum, nego: Vnio autem, inferioris ordinis Sanctitas est, quam terminus: sicut ergo potest unio anticipare formalem effectum actuari, elevati, substantialiter perfecti, licèt Terminus hos effectus exinde præstet: quia præstat hos ille modo excellentiori; sic & anticipare poterit formalem effectum Sancti, & Grati, quē exinde præstabit terminus excellentiori modo. Ad tertium, nego consequentiam: quia eo ipso quod Hypostatica Vnio sit via Sanctitatis Increatæ, manet cum ratione formaliter definitiva Sanctitatis. Ex quo patet ad exempla vulgaria, quibus utitur arguens.

130 Ad quartum, dicatur imprimis, de conceptu Sanctitatis non esse radicare Rectitudinem universalem; ut volunt multi; sed esse puritatem à sceiere, & dignitatem ad amorem amicabilem Dei. Et hoc est, Sanctitatem esse Divinæ Naturæ participationem. Deinde, negetur minor: quia Vnio radicat in Anima, quam Deo jungit, omne genus supernaturalium Donorum. Ad confirmationem adjunctam, dici primò potest Vnionem esse Naturam Divinam imitativè *ex num. 121.* perfectiùs multò, quam Gratiam habitualem. Secundò, falsò supponi nō dari genus aliud Sanctitatis, quam illud triplex, quod enumerat Arguens: Sanctitatis enim conceptui sufficit Ratio perfectionis ex se incomposibilis cum peccato, & dignificans ad amorem amicabilem Dei.

131 Ad quintum negat P. Bernal, quem secuntur alii Docti, antecedens (mirante Godoy, nec impugnante satis:) ipse consequentiam nego: Tùm quia Vnio Gratiæ habitualis ad Animam, non est participatio, seu cōmunicatio Divinitatis in Anima, qualis est Hypostatica Vnio; sed pura communicatio participationis, & communicationis, nempe Gratiæ. Tùm etiam quia ea Incomposibilitas cum peccato non illi est ratione sui, sed termini. *Bernal.* *Ill. Godoy.*

132 Ad sextum dicatur, ex Patribus melius pro nobis argui, cum nihil ipsis frequentius sit, quam Humanitatem mansisse unione, & assumptione Sanctam, & Gratam. Deinde licèt Vngi Humanitatem sit ipsam Deificari; & id, quo ungitur, sit ejus Sanctitas; nō fit exinde omne Sanctificari ut quod esse Vngi, & deificari formaliter: alioqui nō Sanctificaretur Humanitas per Habitualem Gratiam.

133 Ad septimum, dicetur primò, Ser-

Universidad de Deusto
Biblioteca

monicum unicè nobis esse de Vnione in subjecto capaci Sanctificationis. Secundò potest negari suppositum arguentis ex *infra* dicendis, *Disp. 5. hujus libri sect. 1. §. 1.* Tertiò retorqueri potest: nam saltem Vnio hypostatica est Sanctificatio *ut quo*: quæ non minus eget subjecto Sanctificabili, quam Sanctificatio *ut quod*. Quartò dici posset Vnionem semper esse Sanctitatem, at non denominare semper ex defectu subjecti: sine quo denominatio non est. Vide Amicum, & ex ipso Prudent. *ubi sup* Ad ultimum, assignabitur *alibi* ratio, quæ nihilominùs probet in Christo necessitatem Habitualis Gratiæ.

Infrà disp. 5. num. 2.

Amicus. Prudent. lib. 5 d. sp. 1. à nu. 49.

§. VII.

IN RATIONE BEATITVDINIS.

134 Sit sexta Conclusio: Vnio Hypostatica est Beatitudo formalis Humanitatis, in genere physico, & substantiali. Ratio est: quia est possessio summi Boni perfectior intuitivâ visione ipsius Dei in ratione possessionis; at possessio summi Boni perfectior intuitivâ visione ipsius Dei in ratione possessionis est Beatitudo formalis: est enim eo ipso possessio, vi cujus formaliter possessor intelligitur positivè non miser, & cum formali jure ad Bona omnia status Beatifici propria: ergo.

Rursus ad 1. 2. lib. de Summo Bono.

135 Confirmatur. Deus ex se per formalem identitatem secum ipso est summè felix, & Beatus: est enim Deus, quo nihil melius fingi potest: ergo identitas Dei secum ipso est summa felicitas, & Beatitudo formalis in genere physico: ergo pariter Vnio hypostatica est Creaturæ assumptæ felicitas formalis, & Beatitudo in genere physico & substantiali. Paritas eo nititur: quod Hypostatica Vnio summè imitatur illam identitatem, & est vis expultiva omnis miseriæ à subjecto cui datur. Videndus Ripalda *disp* 100. *sect.* 10.

Ripalda.

136 Dices ex Oviedo, Aldrete, & aliis. Beatitudo est tranquillitas animi in summo Bono quod possidet; deinde est Satiativa appetitus; insuper est ultima quies possidentis. Nihil horum convenire potest Vnioni formaliter. Respondeo Beatitudinem & felicitatem ex conceptu suo solum esse possessionem Boni, in quo sita est Beatitudo realis & objectiva; quæ Deus est: illa verò tranquillitas, & satietas formalis sunt quid annexum felicitati, & quasi Dos appendix possessionis illius: sunt enim actus intellectus, & Voluntatis. Vnde Vnio Hypostatica est ex conceptu possessionis Beatitudo formalis in genere suo, nempe physico, & substantiali: & exinde manet eminenter, & in radice summa tranquillitas, Satietas, & omne Bonum. Et miror hæc objici ab iis, qui sentiunt Beatitudinem formalem in sola visione consistere: Tranquillitas enim, & Satietas Animi venit etiam aliunde, nempe ex affectu quem suscitat intentionalis adeptio summi Boni. Distinguendæ ergo sunt Beatitudines, ut distinguuntur Sanctitates. & alia erit Beatitudo accidentalis, quæ communis est, & in operatione consistit: alia substantialis, quæ extraordinaria est, & in substantiali possessione Dei consistet. Alia dabimus *ad 1. 2. lib. de Summo Bono.*

Amicus. Prudent. ubi sup.

Oviedo. Aldrete.

SECTIO III.

QVANTA SIT EXCELLENTIA VNIONIS Hypostaticæ in ratione Veri, seu Cognoscibilis?

§. I.

QVÆSTIONES DISPVTANDÆ.

137 In hujus Examen Excellentiæ cadunt quæstiones quatuor. Prima: an Vnio hypostatica eo sit usque excellens in ratione scibilis, ut sit à creato intellectu incomprehensibilis? Inqua videntur affirmare P. Suarez & P. Albertinus: ille hic *disp. 27. sect. 3. fin.* hic *tom. 1. princip. 1. Philos. q. 4. Theol. num. 30.* Negat P. Ripalda *disp 13. de supernaturalitate.* Cæteri non attingunt.

Suarez. Albertin. Ripalda.

138 Secunda: an ejus possibilitas naturali evidentia possit ostendi? Inqua triplex hucusque fuit discurrendi modus. Primus distinxit duplicem evidentiam, perfectam, & positivam; unam: aliam, negativam, & imperfectam. Illam vocat simpliciter evidentiam, quæ consistit in tam exacta penetratione rei, ut cognoscenti constet rem esse possibilem: hanc vocat secundum quid, quæ consistit in solutione contradictionum hîc & nunc occurrentium ita clara, ut solventi constet rem ob eam contradictionem non esse impossibilem: & hâc evidentiâ naturali negativa putat ostendi posse possibilitatem Vnionis hypostaticæ: negat tamen alia positiva: sic Valentia *de Incarnatione quæst. 1. punct. 2.* Tannerus *quæst. 1. dub. 1. num. 6.* & iuclinant Amicus, & Martinonus. Secundus distinxit duplicem statum: alterum, in quo Vnio consideretur præcisè possibilis, & nondum facta: alterum in quo jam facta supponatur: & in hoc affirmat posse evidenti cognitione naturali cognosci: negat in illo: ita Nonnulli secuti Medinam. Tertius sine limitatione negat, additque solo Dei supernaturali magisterio nosci certò posse: & hic est communis apud Amicum, addentem *disp. 2. sect. 1.* neque ex aliis Mysteriis revelatis colligi præsentis possibilitatem evidentia naturali posse.

P. Valent. Tannerus. Amicus. Martinon.

Medina.

Amicus.

139 Tertia: an saltem ejus existentia? In qua Primus dicendi modus tribuitur Schoto, & Medinæ videntibus asserere, existentiâ Incarnationis, jam factæ manere perviam naturali evidentiæ. Secundus modus dicendi est P. Aldreti *disp. 38. sect. 7.* asserentis existétiâ Incarnationis, semel certò supernaturaliter cognitam, posse subinde certitudine naturali repensari. Tertius, qui est communis, æquè negat sine ulla limitatione.

Schotus. Medina.

P. Aldret.

140 Quarta: an saltem vel possibilitas, vel existentia Vnionis subjecta sit naturali probabilitati, suspicabilitati, aut conjecturabilitati? inqua Moderni aliqui affirmant. Distinguunt alii ante, & post revelationem. Negatur communiter probabilitas naturalis: suspicabilitas, aut conjectura non ita displicet: Martinon, & Koninch æquè utrumque improbant: P. Amicus (ex quo non Laudato, M. Prudentius) naturalem probabilitatem, via inventionis improbat: approbat eam, viâ confirmationis.

Martinon. Koninch. P. Amicus. & ex ipso M. Prud.

§. II.

VNIO QVO SENSV INCOMPREhensibilis?

141 Sit prima Conclusio: Vnio Hypostatica moraliter, & in ratione Doni est adeo excellens, ut sit ab intellectu creato Incomprehensibilis: physicè tamen, & in se sumpta manet supernaturaliter comprehensibilis ab intellectu creato. Sic Suarez, & Ripaldam concilio: & prima pars patet: quia in ratione Doni non distinguitur ab Incomprehensibili, ut suprà visum. Secunda probatur: primò, quia Incomprehensibilitas est Attributum tam speciale Dei, quam Immensitas, æternitas, Immutabilitas, & Omnipotentia, ut definitum videtur in Lateran. 2. *sub Innocent. III.* Cap. *firmiter de summa Trinitate*: cuntibus in eundem sensum Patribus, quos citat & elucidat P. Aldrete *tom 2. disp. 62. sect. 4. à num. 11. & sect 8. à num. 8.*

Concilian-tur Suarez & Ripald.

Lateran. 2.

P. Aldret.

142 Secundò: quia Incomprehensibilitas termini non reddit incomprehensibilem respectum in ipsum terminum: alioquin amor naturalis Dei, actio, qua Deus se exercet, imò omnis creatura essent entia incomprehensibilia: quod nemo dicet: ratio autem est: quia incomprehensibilitas termini non facit quod respectus in ipsum non possit apparere in cognitione creata, quantus sit in se: id autem sufficit ad comprehensionem: nam eo ipso exhauritur entis intrinseca cognoscibilitas. Tertiò exinde & à priori: quia comprehensio est ita plena objecti cognitio, ut totam ipsius intrinsecam cognoscibilitatem exæquet: tunc exæquat, quando, quantum est objectum merito perfectionis & æstimationis suæ cognoscibile, penetrat ipsum cognitio: tunc autem, quantum est objectum in se & merito suo cognoscibile, penetrat ipsum cognitio, quando tantum est & apparet in cognitione intentionaliter, quantum est in se physicè. Id quod hîc explicabo brevissimè duobus modis, quibus tota de comprehensione Doctrina vel perstringatur, vel exhauriatur.

143 Primò distinguendo inter res, quæ sunt cognoscitivæ simul, & cognoscibiles; & inter res, quæ sunt purè cognoscibiles. Res quæ sunt cognoscitivæ simul, & cognoscibiles, taxant sibi cognoscibilitatem, seu esse intentionale per virtutem illam intentionalem cognoscendi, quam habent; cùm enim quævis Res cognoscitiva, se sibi æquet, est comprehensiva sui, atque adeò non est sui meritò cognoscibilis magis, quam est sui cognoscitiva: unde cognitio quæ non æquet virtutem illam intentionalem, non poterit ipsius rei æquare cognoscibilitatem: æquabit verò, quæ talem virtutem adæquet; per eamque cognoscetur objectum, quantum est sui merito cognoscibile, tantumque apparebit intentionaliter, quantum est in se physicè.

Quid Comprehensio?

Rerum verò, quæ non sunt cognoscitivæ, cum desit virtus intentionalis propria in taxam propriè cognoscibilitatis, taxanda hæc erit per concursum objectivum perfectionum, quæ relucent in ipsis: tuncque dicentur cognosci, quantum sui meritò sunt cognoscibiles, & apparere tantæ intentionaliter, quantæ sunt in se physicè, quando res objectivè concurrit quantum potest, id est, influit in cognitionem penes suas omnes perfectiones, ita ut ejus concursus objecti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vus æquetur, & ex ipso nulla ipsius rei perfectio lateat cognoscentem.

144 Secundò: dicendo, sine ulla inter res cognoscibiles distinctione, per eam cognitionem cognosci rem, quantum est sui merito cognoscibilem, apparereque tantam intentionaliter, quanta est in se physicè ac consequenter comprehendi, quæ cognitio ita imitatur intentionaliter naturam physicam objecti, eamque sic totam exprimit, ut non solum nihil ob jecti lateat cognoscētem; sed neque latere possit, quantum est ex vi cognitionis. Vnde, si objectum tale sit, ut de ipso penes intrinseca invariato verificari possit aliquod prædicatum intrinsecè pertinens ad ipsum objectum; cognitio etiam debet, sine ulla intrinseca variatione, extendere se ad repræsentationē illius: v. g. Deus licèt modo sit decernens hunc mundum, talis est Naturæ, ut sine ulla ejus intrinseca variatione, verificari de ipso posset opposita denominatio non decernentis mundum: cognitio autem comprehensiva Dei, debet in esse tuo intētionali sic imitari Naturam Dei, ut licèt modo exprimat Deum decernentē; sine ulla sui variatione se possit extendere ad repræsentandum Deum ut non decernentem: quod unicè Divinæ cognitioni competit. Ratio autem est quia cognitio adæquans cognoscibilitatem totam objecti, debet esse tanta in genere cognitionis, quantum est objectum in genere cognoscibilis: si ergo objectum quantum est ex se se extendit in genere intelligibilis ad denominationes intrinsecas ipsi aliquomodo deffectibiles, & cognitio quantum est ex se debet excédere se in genere cognitionis: sic recitat *tract. de scientia Dei quæst. 7. sect. 2. à num.* 24. Pater Herrerra ex Patre Alphonso *in manusc. de scientia disp. 7. sect. 5.* & uterque ex Doctissimo Magistro Complutensis Collegii nostri Patre Marcelo de Aponte.

P. Herrer.
P. Alphon.
P. Marc. de Apont.

145 Ex quibus & incōprehēsibilitas Vnionis patet; & via, quâ, salva solius Dei incomprehensibilitate, subtiles replicas, quæ tùm ex discordia Authorum in explicando conceptu comprehensionis, tùm ex Doctrina nostra, permittente Vnionis Hypostaticæ perfectionem supra omnia intellectiva creata, fieri adversus hæc possunt, exsolvas.

§. III.

QVO SENSV INDEMONSTRABILIS?

146 SIt secunda conclusio: Vnionis Hypostaticæ tam existentia, quam possibilitas superat evidentiam naturalem: unde adeò est excellens in ratione cognoscibilis, ut solo naturalis luminis ductu sit indemostrabilis tam quoad existentiam, quam quoad possibilitatem. Est omnium, & certa positio: & ratio sumi solet à supernaturalitate Vnionis, perinde ac si de conceptu supernaturalitatis esset immunitas ab evidentia naturali: quod est difficilioris indagionis; nec æquè certum, ac est præsens veritas: quis autem veritatem certam fundet in incerto principio? Principii autem incertitudinem ostendi non semel *in 1. 2. lib. 1. de Summ. Bono*, & in speciali tractatu *de supernaturalitate*.

Latè in lib. ad 1. 2.

147 Solidius igitur multò fundatur hæc veritas in Scripturis, & Patribus: à quibus uno ore dicitur hoc Vnionis Hypostaticæ Mysterium, *Sacramentum absconditum: Mysterium ineffabile: Sapientia abscondita: Inventum planè Divinum, nec oratione explicabile, nec ratione perceptibile.* Vide rē in hanc multa apud Suarez *disp. 3. sect. 1.* Valentiam *quæst. 1. part. 2.* Bernalium *disp. 1. sect. 2.* & Aldretum *disp. 38. sect. 1.* ex quibus locis formatur hic Syllogismus apertè concludens in Ferio: Nullum ens, quod ductu luminis naturalis inveniri potest, & patet evidentiæ naturali, est Dei per Antonomasiam adinventio: Mysterium simpliciter ineffabile: Sacramentum simpliciter absconditum in Deo: Inventum nec oratione explicabile, nec ratione perceptibile: sed Mysterium Vnionis Hypostaticæ ductu luminis naturalis inveniri potest, & patet evidentiæ Naturali: ergo non est Dei per Antonomasiam *adinventio*: quod repugnat Isaiæ *cap. 12. versic. 4. nec Mysterium simpliciter ineffabile*: quod repugnat Ephesino, Calcedonensi, & sextæ Synodo: nec *Sacramentum simpliciter absconditum in Deo*; quod repugnat Apostolo ad Ephesios 3. nec *inventū denique oratione inenarrabile, & ratione imperceptibile*, quod repugnat Calcedonensi: Hierotheo, & Dionysio: ergo ab oppositō consequentis, si tale est, quale Scripturæ, Concilia, & Patres asserunt, necessariò est tale, ut neque ductu luminis naturalis inveniri simpliciter possit, nec

Suarez.
Valentia.
Bernal.
Aldretus.

Isaiæ 12.
Ephesin.
Calcedon.
& VI. Syn.
Ephesior. 3.
Calcedon.
Hieroth.
Dionys.

nec pateat evidentiæ naturali. Deinde ratione

148 Ostenditur utraque simul pars primò: Decet magnum Artificem habere intra sphæram artis opus exemptum à Vulgi, & imperitorum intelligentia: & Magnum Principem habere intra sphæram beneficentiæ Gratiam sibi soli simpliciter perviam: ergo decet Deum, quâ summum Artificem habere intra sphæram potentiæ opus ad extra exemptum ab intelligentia omnis creaturæ, & quâ summum Principem habere intra sphæram beneficentiæ Gratiam, quam solus naturaliter assequi mente possit. Consequentia mihi patet: nam omnes creaturæ intellectivæ sunt, comparatæ cum Deo, inf. a imperitum vulgus comparatum cum Artifice peritissimo: Vt ergo hic habet opus vulgi intelligentia sublimius: quia respondens intelligentiæ ejus, vulgus excedenti: necessariò Deus, quia summè intellectivus, & summè potens, habere debet opus, ita respondens illi suæ intelligentiæ & potentiæ, ut exemptum maneat simpliciter ab intelligentia omnis entis cognoscitivi, quod respectivè ad ipsum est infra vulgus: quò respexisse visus est Lactantius *lib 1. de falsa Relig. cap. 1. Nihil* (inquiens) *inter Deum hominesque distaret, si consilia, & dispositiones illius majestatis æternæ, cogitatio assequatur humana.*

Lactantius

149 Antecedens autem non patet minus: quia nihil apud homines frequentius est, quam parvi habere artifices, quorum opera vulgus assequitur, nec putat mirabilia: & ratio prudentis illius existimationis est: quia summus artifex, ut mente vulgus excedit, censetur opera edere respondentia menti, longe excedenti ingenia vulgi, atque adeò hui comniò mirabilia, & mente inassequibilia. Nunc sic: Atqui inter opera Dei ad extra, & inter Divina Dona, nullum est majus, nec admirabile magis, quam Hypostatica Vnio: ergo hæc est exempta ab intelligentia omnis creaturæ. Qui esset exempta, si creatura posset ductu luminis naturalis assurgere in ejus penetrationem evidentem?

150 Ostenditur utraque simul pars secundo: Nequit evidenter ostendi vel existētia, vel possibilitas Vnionis quin cōstet pari evidentia, neque ex parte Vnionis, neque ex parte Naturæ, neque ex parte termini assumentis latere repugnantiam ullam; sed nulla creatura potest ductu naturalis luminis evidenter assequi, neque ex parte Vnionis, neque ex parte Naturæ, neque ex parte termini assumentis latere se repugnantiam ullā: ergo. Major constat: & probo minorem: nam assequi nequit ulla creatura evidenter ductu luminis naturalis, nullam latere repugnantiam ex parte unionis, neque ex parte Naturæ, neque ex parte Termini assumentis: quin hæc tria penetret evidenter ductu luminis naturalis: quod sibi est impossibile: alioquin & evidentiæ Naturali pateret Mysterium Trinitatis: sinè cujus evidentia, nequit haberi Divinæ Personalitatis evidentia.

151 Confirmatur: Intellectus ductu luminis Naturalis, quo magis penetret conceptum unionis per has quas novit communiter, recedit magis à conceptu Hypostaticæ: nam illæ sunt perfectiones utriusque extremi, quod tangunt: hæc, secus: quo magis penetret Naturam, magis eam cognoscit inclinatam ad id, quod est cum Mysterio incompossibile; nempe ad subsistentiam propriam: quo magis Deum penetrat, magis miratur distantiam à finitudine, summam completionem, & independentiam: quæ rationes potius dissuadent quam suadent Mysterium istud Incarnationis: ergo Intellectus creatus quo magis assequatur ductu luminis naturalis de rebus, assequetur de mysterio minus.

152 Ostenditur utraque simul pars tertio: Quia nequit haberi evidentia Demonstrationis, nisi ex ipsis terminis rerum: vel ex effectu ipsas infallibiliter arguente: vel in causa ipsas præcontinente, aut exequente: id est, nequit haberi evidentia rei nisi intuitiva per proprias species, & in se, vel in medio manuducente infallibiliter intellectum in ipsam. Atqui Vnionis Hypostaticæ tam quoad possibilitatem, quam quoad existentiam repugnat naturalis evidentia sive in se, sive in medio: quod suadetur apertè: Mysterium enim Incarnationis non est notum ex terminis: putant enim *stultitiam* aliqui: alii *scandalum*, teste Paulo: Deinde Naturæ est connaturalis, & debitus status incompossibilitatis cum Mysterio: quis autem asserat Naturæ esse notum ex terminis id quod ipsa facit putari inverisimile? Sed neque est in tota Natura medium infallibiliter suadens hoc Mysterium aut esse possibile, aut existere: nam quodnam id est? ex nulla enim Naturæ positione sequi potest ejus existentia: merèque nascitur ab occultissima & altissima Dei decernentis Providentia: Ejus au-

Apostol. ad Hebræos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem possibilitas necessariò dicit possibilitatem eventus, quam dissuadet potius, quam suadeat Naturæ congeries: nullum enim est medium naturale: quod sit difforme Naturæ: atque adeo quod suadeat esse possibile quod est contra Naturæ inclinationem, & exigentiam.

153 Ostenditur utraque simul pars quarto: Nullum est Agens Rationale, quæ ratione proprii juris in sua, non habeat effectum ita pertinentem ad secretum, & Arcanum sui Cordis, ut nulla Intelligentia saltem inferior possit ipsum investigare: ergo potiori jure Deus ratione supremi juris habebit effectum ita arcanum, & secretum, ut, nisi volente, nulla inferior intelligentia possit investigare: sed Omnis creata intelligentia est Deo summè inferior: ergo ratione sui supremi juris habebit Deus opus ita remotum à creaturis, ut nulla possit ipsum evidenter attingere. Sed Nullum inter omnia Dei opera ad extra mirabilius est & altius Mysterio hypostaticæ unionis: quod proinde vocant Patres *ænigma quoddam Divinæ Omnipotentiæ, & Sacramentum ipsius*: ergo Mysterium Hypostaticæ Vnionis ita remotum est à Creaturarum Intelligentia: ut nulla ipsum possit solo ductu nativi luminis evidèter attingere.

154 Sit tertia Conclusio: Neque ex aliis Mysteriis revelatis; neque suppositа ipsius Vnionis revelatione, neque ex vaticiniis & prophetiis: neque ex miraculis præcedentibus potest solo ductu luminis naturalis evidenter assequi Vnionis ipsius possibilitatem, aut existentiam creatus Intellectus. Ostenditur prima pars: Nullum est Fidei Mysterium quod sit huic omninò simile, aut suasivum istius, quantù ad evidètiam requiritur: Nam medium fundans evidentem cognitionem alterius, ita debet esse suasivum, ut nullam sinat occasionem formidandi, proindeque omnes, & singulas difficultates occurrentes positivè vincat: at quodnam est hoc medium inter omnia Mysteria revelata? Sola poterit Eucharistia objici: at Vnio quæ ibi intervenit, quam habet similitudinem cum Hypostatica ut istius pariat evidentiã?

155 Ostenditur secunda pars: quia licèt revelatio Mysterii possit excitare creatum intellectum ad inquisitionem medii, nullum adhibet; nec in tota Naturæ congerie est aliquod, in quod ea inquisitio, revelationis occasione, de novo præstita incidat. Ostenditur tertia pars: quia Vaticinia, & prophetiæ, sunt locutiones ænigmaticæ: quæ licèt pariant credibilitatem objecti, & moralem quandam certitudinem, evidentiam rei non pariunt: ex capitibus enim valde diversis sumitur rei possibilitas, ac credibilitas. Ostenditur ultima pars. Nam miracula eatenus sunt suasiva rerũ, quatenus in earum testificationem eduntur: planèque de ista intentione cõstat: dum enim latet intentio operantis miraculum; hærebit intellectus: atqui nequit haberi naturalis evidentia de illa intentione Dei respectivè ad Mysterium Vnionis: ea enim intentio pertinet ad arcana Divini cordis: ergo.

156 Sit quarta Conclusio: Non perinde tamen naturali ratione potest demonstrari ut impossibilis, Hypostatica Vnio: imò imperfectè, secundum quid, & negativè potest, facta revelatione, demonstrari possibilis: id est, non impossibilis Ostenditur prima pars: quia omnis demonstratio procedere debet ex veris: neque ex veris potest concludi nisi verum: at Vnio hypostatica non est reipsa impossibilis, sed possibilis: ergo nequit demonstrari naturaliter ut impossibilis. Falsum enim, quale est quod Vnio Hypostatica sit impossibilis, cum non habeat principia veritatis, nequit ex ipsis ostendi, ut evidenter verum.

157 Ostenditur altera pars: quia nulla argumentatio, quæ contradictionem Vnionis Hypostaticæ opponat, potest esse reipsa convincens, & demonstrativa; imò fallax, & falsa: ergo necessariò peccare debet vel in materia vel in forma: ergo facta semel revelatione, ex qua sumat intellectus occasionem ad inquirendum defectum arguentis, potest evidenter contradictionem solvere, non quidem evidentia positivè ostensiva veritatis oppositæ; evidentia tamen ostensiva rationis sufficientis ut neget assumptum arguentis: quod iste demonstrare aliunde non potest; & respondens ita negat, ut evidentiam possit exibere de eo quod in negando, se prudenter gerat. Vide Valentiam acutè promoventem hæc ex Sancto Thoma *tom. 1. quæst. 1. punct. ultim.* Dixi *facta semel revelatione*: nam præcisim ab ipsa, cum nullum ex entibus, quæ naturæ subjacent, possit favere solutioni magnarum difficultatum occurrentium in hoc Mysterio: licèt aliquas fortè possit; abstrusiores non poterit vi naturalis luminis, vel in oppositum inclinantis, vel opptimendi facilè. *Valentia cũ S. Thom*

158 Sit tertia Conclusio: solo ductu luminis naturalis neque est de Vnionis aut possi-

sibilitate, aut existentia in intellectu creato possibilis assensus positivè probabilis per viam inventionis: bene tamen negativè, purè ab extrinseco, & per viam confirmationis: est dicere, quod creatus Intellectus solo luminis naturalis ductu neque probabiliter inveniet esse possibile, vel existens Mysterium Incarnationis: inventum tamen, poterit probabiliter confirmare. Secunda pars patet: quia semel inventum tueri potest ab objectionibus, similibus illustrare, & suadere quæsito per naturale lumen inter Humana, & Divina discrimine: ut hucusque nos fecimus.

159 Prima probatur quia quod patet inventioni, & investigationi probabili, non est simpliciter investigabile, nec inenarrabile: multa enim sunt in Philosophicis arcana Naturæ, quæ quia probabili ratione sunt per via, non censentur inenarrabilia: imò ferè semper hæremus in probabilibus, & raro assequimur unam, vel alteram evidentiam: at Mysterium Incarnationis dicitur à PP. & CC. simpliciter inenarrabile, & investigabile. Tùm etiã quia nullum est inter naturalia medium ita ducens in notitiam Incarnationis tam quâ existentis, quam quâ possibilis, ut vi suæ connexionis omninò evacuet temeritatem assensus. Tùm demum quia licèt occurrentibus intellectui creato terminis ad Incarnationis Mysterium necessariis, vellet ipse inquirere conareturque probabiliter solvere contradictiones obvias, nequit absolutè præbere assensum sine temeritate, quin sine temeritate possit assentiri quod nulla se latet contradictio, aut quod omnis, quæ se lateat, contradictiò sit apparens, & vincibilis. Sed id temerè diceretur, solo ductu luminis naturalis: ergo. Permissi naturalem probabilitatem purè negativam, & purè extrinsecam: illam intellectus, qui incautè assentiret, ob solutionem alicujus repugnantiæ sibi occurrẽtis: hanc illius, qui sinè examine assentiretur Alteri, sibi hoc mysterium attestanti: illa enim non est simpliciter probabilitas: sed assensus incautus. Ista est purè extrinseca, & orta forsan ex sola suspicione, vel animo fallendi, vel temerario assensu.

160 Sit sexta Conclusio: Cadere tamen potest Vnionis Hypostaticæ possibilitas, imò & existentia in aliquam suspicionem merè naturalem. Ostenditur: tùm quia id non est simpliciter investigari, nec cognosci Mysterium: ergo nec opponitur Patribus, nec Conciliis, nec minuit excellentiam Vnionis

in ratione cognoscibilis. Tùm etiam quia, ad suspicionem sufficit apparentium contradictionum solutio, & alta cogitatio Divinæ Omnipotentiæ. Demum quia, multa quasi per insomnia mentis, alioquin possibilia dubitamus an impossibilia sint; alia, alioquin impossibilia, dubitamus an sint possibilia: quid ergo mirum quod occurrentibus terminis ad Mysterium necessariis, intellectus incipiat de possibilitate suspicari? cum sciat plura posse à Deo fieri, quam quæ creata mens solet, aut potest assequi?

161 Sit ultima Conclusio: per Magisterium Sancti Spiritus & supernaturaliter, nosci multipliciter potest Hypostatica Vnio tã quâ possibilis, quàm quâ existens. Probatur enumerando modos. Primò in Verbo per Beatificam visionem: sic vident Beati. Secũdò obscurè, sed certò per fidem: sic nos noscimus. Tertiò, evidentia in attestante, per miraculorum attestationem: sic noverunt Apostoli: vel evidenti notitia interna supernaturali reflectente supra actum Fidei, vel Visionem Beatam. Quartò, notitia quidditativa, & intuitiva per proprias species: sic Christi Animam: an etiam Virgo Deipara? Valde in assensum propendeo in gloriam tantæ Matris.

§. IV.

An ex aliqua suppositione naturaliter maneat evidenter cognoscibis?

162 Quæres, pro Doctrinæ coronide: an saltem post præcognitam ex Divino Magisterio, & supernaturaliter, Vnionem, possit ipsa subinde quasi regustari, & repensari cognitione naturali, quæ certa sit vel de possibilitate ipsius, vel etiam de existentia, juxta qualitatem supernaturalis expressionis, quæ præcesserit? Tangit hoc dubium post Eminentissimũ de Lugo *disp. 1. de Fid. sect. 9. num. 191.* P. Aldrete *disp. 38. sect. 2.* ex quo prænoto ad responsionem tria: *Card. de Lugo. P. Aldret.*

163 Primum: duplex excogitari posse genus supernaturalium entium: aliud eorum quæ sunt simpliciter supernaturalia: & hæc sunt quæ sub nulla cõsideratione sunt Naturæ debita: aliud eorum, quæ sunt solum supernaturalia secundum quid: & hæc sunt, quæ ex suppositione alicujus entis supernaturalis, negari Naturæ non possunt: dicunturque supernaturalia, quia supponunt aliquid

Universidad de Deusto
Biblioteca

supernaturale : dicuntur tamen secundum quid: quia ex illa suppositione sunt debita.

164 Secundum: omni intellectui, debitam esse experientiam seu cognitionem experimentalem actus, quem elicit: unde & homini & Angelo. Ratio est: quia omnis actus, quem elicit Natura Rationalis, est ex se materia vel gaudii, vel remorsûs: Tùm etiam quia omnis actus quem elicit Natura Rationalis potest cadere in præceptum, vel prohibitivum, vel positivum: jure autem Naturæ debet in experientiâ operâtis cadere, an actu peccet, vel non peccet. Vnde fit primò: etiâ actus supernaturales cadere in experientiam operantis tan Angeli, quam hominis: cum hoc discrimine: quod homo suæ materialitati immersus, eos confusè cognoscit, & unicè experitur ad modum actuum naturalium. Angelus verò clarè cognoscit: quia eo ipso quod differêtia actus se lateret, vel inferret non esse naturalem: nam actus naturales discernit optime: vel dari miraculum: quia actûs alioquin debiti sibi notitia, jure Naturæ debita, occultatur. Fit secundò: deberi Angelo, vel homini speciem experimentalem, vi cujus actus quos elicit, licèt alioquin supernaturales, experiatur in se modo dicto: quæ species, & cognitiones experimentales præsuppositivè tantùm, & secundum quid sunt supernaturales.

165 Tertium: ex his cognitionibus, & speciebus ex suppositione jam debitis, manere & effluere in intellectu species productivas notitiæ certò cognoscêtis actus ut præteritos: Vt enim Angelo debetur experientia sui actus, dum est: debetur reminiscentia, dum non est: at istæ species, & cognitiones consequutæ, jam sunt omninò naturales, quia magis à supernaturalitate distant, nec exigunt aliquid supernaturale simpliciter, existens, ut ipsæ existant: quæ est magna differentia inter species, per quas experitur intellectus præsentiam suorum actuum supernaturalium, & inter species, per quas cognoscit illos, ut præteritos. Ex his

166 Respondeo ad quæsitum, affirmando, posse Intellectum creatum, præsuppositâ semel supernaturali cognitione de Possibilitate, vel existentia unionis, habere deinceps cognitionem naturalem certam de possibilitate, vel existentia ipsius unionis: non tamen quæ intuitiva sit, sed abstractiva, & quasi in attestante. Ratio primæ partis ex prænotatis est: quia cognitionis supernaturalis præsuppositæ, & experimentaliter habitæ, debentur intellectui species naturales ad naturalem reminiscentiam certam; quæ eam consideret ut aliquando habitam, & præteritam: sicut de aliis actibus dictum est: sed cognitio naturalis certa cognitionis certò, & infallibiliter attingentis Vnionis aut possibilitatem aut existentiam, seu cognitio certa experientiæ circa prædictam cognitionem supernaturalem directam, est vel formaliter, vel illativè cognitio certa naturalis de possibilite, vel existentia Vnionis: ergo præsuppositâ semel cognitione supernaturali mysterii, poterit subinde aliqua de ipso haberi naturalis certa cognitio. Semper tamè, erit verum, absolutè dicere, haberi non posse certitudinem de mysterii vel possibilitate, vel existentia independenter à Magisterio Spiritus Sancti docentis, cujus nempe vel revelatio, vel infusa notitia præsuppositivè requiritur ad hujusmodi certitudinem.

167 Ratio secundæ partis est: quia cognitio intuitiva non tendit ex se in objectum ut absens; sed in objectum ut præsens: id est (ne patiaris æquivocationê in multis aliis;) modo apto dese coexistere cum objecto præsenti, & ita ipsû exprimente, ac si objectû existeret; ac per se concurreret ad cognitionem sui: at illa cognitio naturalis tendit in objectû directum suû, ut absens, & preteritû; in Mysteriû, indirectè, mediatè & per dis cursum: ergo penitus abstractivè; & quasi in attestante. Quod addo, quia per solâ recordationem præteriti actus, cognoscitur Mysterium vel ut possibile, vel ut existens, fuisse aliquãdo objectû, atque adeò solû cognoscitur in ordine, quem præteritus actus dicebat ad Mysterium ipsum vel qua possibile, vel qua existens.

SECTIO IV.

DEFENDITVR DOCTRINA SECTIONIS præcedentis.

§. I.

ARGVMENTVM PRIMVM EX DEFFECtu propriæ subsistentiæ.

168 OMissis, quæ contra primam Conclusionem objici poterant, quia ex Doctrina inibi expensa, vel ex danda in præsenti præoccupabuntur satis,

Objicies primò contra secundam Conclusionem: Non repugnat Angelo v. g. naturalis evidentia de separabilitate Naturæ à propria subsistêtia: vel de separatione, si fiat. Ratio est: quia Angelo debetur, aut deberi saltem potest evidentia de rebus naturalibus: unde eo ipso quod separatio fiat, desinet videre propriam subsistentiam in Natura; arguet que evidenter separationem ipsius, cujus, si existeret, experiretur evidentiam. Adde quod implicat penetratio evidens Naturæ & subsistentiæ: quin videat, an ita se comitari debeant, ut sint inseparabiles mutuò. Deinde Nec repugnat Angelo naturalis evidentia de inseparabilitate Naturæ ab omni subsistentia, tam propria quam aliena. Ratio est eadem: ea enim evidentia separari nequit ab evidenti penetratione Naturæ. Demum Nec repugnat Angelo naturalis evidentia, de impossibilitate, qua nequit Natura subsistere per alienam creatam subsistentiam. Ratio est etiam eadem: quia hæc evidentia separari nequit ab evidenti penetratione tùm Naturæ, tùm omnis finitæ subsistentiæ.

169 Iam sic: Implicat hæc evidentia triplex in Angelo, sine evidentia Mysterii Incarnationis, vel possibilis, vel existentis: sed illa triplex evidentia non implicat in Angelo, sed est naturaliter debita: ergo nec implicat, sed est naturaliter debita evidentia Mysterii Incarnationis vel possibilis, vel existentis. Consequentia per se patet: & minor ex præsuppositis. Major eget sola terminorum expositione: cui enim evidens est separabilitas, aut separatio Naturæ à propria subsistentia, & simul est evidens impossibilitas subsistendi per aliam finitam subsistentiam, & non subsistendi per aliquam, si Natura existat in rebus; necessariò est evidens hanc subsistere, vel posse per subsistentiam alienam, quæ finita non sit: ergo quæ sit infinita, & Divina: sicut ex terminis est impossibile, quod Natura sit sine propria subsistentia nec possit in rebus existere sine aliqua, quæ non sit finita; & quod existat sine subsistentia quæ Divina non sit.

170 Confirmatur objectio, in speciem difficillimè, præoccupando communes solutiones. Pone casum, quo Deus ut Author Naturæ promittat, & revelet Angelo, se nihil ex entibus naturalibus ipsi occultaturum: id enim cum sit circa materiam naturalem, & cujus alioquin debetur Angelo perfectissimæ mentis, experimentalis evidentia naturaliter, naturaliter videtur possibile. Nunc sic: in eo casu, esset impossibile, quod Humanitas existeret sine propria Personalitate, quin evidenter inferret Angelus deffectum talis subsistentiæ: ut patet: ergo si alioquin videt non posse existere sine subsistentia, & nullam esse in Humanitate subsistentiam creatam, evidenter inferet esse Divinam: ergo non repugnat Angelo naturalis evidentia Mysterii tam quà existentis, quam quà possibilis.

171 Vrgetur primò juxta nostra principia: Nequit existere Humanitas sine Vnione: idque erit Angelo evidens: & nequit existere sine subsistentia propria, quin careat unione non communicante extrema Divino supposito: idque erit Angelo etiam evidens: ergo nequit videri Humanitas, cum evidentia deffectus propriæ subsistentiæ, quin videatur cum evidentia unionis Hypostaticæ. Illud esse potest naturaliter evidens Angelo: ergo & istud.

172 Vrgetur secundò juxta principia communiora. Deffectus & carentia propriæ Personalitatis, utpote miraculosa, est quid Naturæ indebitum, & supernaturale: ergo deffectus & carentia Personalitatis Divinæ, & Vnionis Hypostaticæ, est quid Naturæ congenitum, & quid naturale: ergo Angelus, cui debetur evidentia naturalis, omnium Naturalium, & qui scit nihil sibi occultandum ex ipsis, inferet evidenter ex inexperimento carentiæ, terminum positivum: nam *impossibile est simul idem esse & non esse, & quodlibet est aut non est: & ex contradictoriis alterum necessariò debet existere.*

173 Vrgent alii tertiò: Hæc naturalis carentia evidenter cognoscitur ab Angelo: ergo cognoscitur in ipsa evidenter Terminus, quocum ea connectitur, & à quo specificatur: Terminus autem est hypostatica Vnio. Apparentius urgeri id ipsum posset quartò sic: Ea naturalis carentia comprehenditur ab Angelo: ergo cognoscitur ejus necessitas, vel contingentia in existendo. Sed nequit evidenter cognosci necessitas, quia non habet: ergo cognoscitur evidenter ejus contingentia. Sed contingentia carentiæ est signum evidens possibilitatis in termino: ergo.

174 Aliter proponi solet objectio communiter sic: Angelus evidenter cognoscit in Humanitate carentiam propriæ subsistentiæ, si enim hæc carentia sit Naturalis, non excedit debitam evidentiam: neque si sit supernaturalis, ut permittere visi sumus *num.* 146. Deinde supernaturalis esse non potest: nam Excellentia supernaturalis est excellen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia entis ſimpliciter, & carentia eſt ens ſecundum quid, & abuſivè: qui termini repugnantes ſunt: ergo ſi aliunde evidenter ſciat, ut poteſt, Humanitatem exiſtere, & nō poſſe exiſtere cum aliena ſubſiſtentia creata, nec ſine ſubſiſtentia; manifeſtè colligit ductu luminis naturalis, ſubſiſtere per Divinam, quod eſt Myſterium Incarnationis.

175 Qui modus arguendi mihi maximè diſplicet: obſcurat enim difficultatem ſuppoſitione vulgari putantium carentias rerum eſſe reculas, & entitatulas aliquas diſtinctas ab omni ente poſitivo: quod placere ſolum poteſt ſiniſtrè de rebus intelligentibus; inde coactis, tertio quoque greſſu, ceſpitare in abſurda: quale eſt, quod adverti, conandi in ente quod vix audent vocare ens ſecundum quid, & abuſivè, ponere conceptum ſupernaturalitatis, quæ eſt perfectio entium omninò ſimpliciter talium.

176 Odi hos ludendi in ſeriis & tricandi potiùs quam Philoſophandi modos: gratos fortè aliis, quia cæperunt ingenioſioribus diſplicere cum laude. Quare apud me duo ſunt certa contra carentiatores iſtos. *Primū:* Carentiam propriæ ſubſiſtentiæ in Humanitate eſſe vel Hypoſtaticam Vnionem, vel impedimentum aliud phyſicum ſubſiſtentiæ, quod illud cumque ſit; carentiam Vnionis Hypoſtaticæ eſſe vel propriam ſubſiſtentiā, vel aliud phyſicum impedimentum: unde metienda per hæc eſt cognoſcibilitas, vel incognoſcibilitas harum carentiarum: Nullū enim eſt ens, à poſitivo diſtinctum. *Secundum:* ſi admittantur carentiæ a poſitivo diſtinctæ, dictum iri: carentiam propriæ ſubſiſtentiæ non eſſe ſupernaturalem, contra Bernal, & alios: tùm ex ratione, quam inſinuavi nuper. Tùm etiam quia omne ens ſupernaturale eſt perfectio Naturæ elevativa. Tùm quia ſi ſit poſsibilis multiplex ſubſiſtentia, carentia iſtius determinatæ, naturalis eſt: & omnium collectivè: quia nōn exiſtente Natura, præceſſit, nec nova ſuccedit. Nec eſſe ſimpliciter naturalem, contra Prudentium, & alios: quia nec eſt Naturæ motus, nec ad ejus exigentiam pertinens. Aliunde tamen eſſe poſſe incognoſcibilem ex deffectu medii, vel ſpeciei naturalis.

Mens noſtra circa carentias.

Bernal.

M. Prudēt.

177 Ad argumentum igitur, pro cujus ſolutione laborant plurimi, quos apud Aldretum latè inſequentem, vide: Reſpondeo, ex evidentia illa triplici bene ſequi evidentiam Myſterii vel poſsibilis, vel exiſtētis: verùm in Angelo nec dari poſſe evidentiam ſeparabilitatis Naturæ à ſubſiſtentia propria conjunctam cum evidentia de eo quod cum ea privatione manere poſſet integra Natura: quod erat opus ut inferret Myſterii poſsibilitatem: ratio eſt: tùm quia nullū eſt mediū in quo id cognoſcere poſsit; tùm quia ipſa Myſterii arcanitas exigit, ne Angelo ad hujuſmodi evidentiā ſpecies concedantur. Nec facta ſeparatione, dari poſſe in ipſo evidentiam illius ex ſola inexperientia propriæ ſubſiſtentiæ: cum evidens Angelo ſit, ab Agente ſupremo occultari ſibi res poſſe pro libito: & indeberi ſibi evidentiam experimentalem entis alioquin evidenter cognoſcibilis, ſi ponatur in rebus aliud ens impediens, ne Angelo fiat evidentia talis ſubſiſtentiæ. Cùm ergo id ſciat evidenter Angelus, & alioquin ipſa Vnio Hypoſtatica ſit exigentia ne Deus cum Angelo ad evidentiam illativam ſui concurrat; caſu quo propriam ſubſiſtentiam in Humanitate non videat; hærebit, & potius colliget negari ſibi à fortiori Agente concurſum ad cognoſcendum, quam ibi non eſſe rem, quam, licèt experiri alioquin poſsit, modò non experitur.

Aldrete.

178 Dices: ergo neque ſcit evidenter Angelus, nocte non eſſe lucem: ſcit enim, eſtò lux ſit, occultari ſibi à Deo poſſe. Similiterque dici poſſet de obſcuratione ſolis in morte Chriſti; & de ipſius ſtatione ad vocem Joſue. Nego conſequentiam. Nam in his caſibus non eſt ratio prudens dubitandi, vel formidandi: ſecus tamen in caſu Myſterii: neſcit enim Angelus, quod Humanitas manere poſsit in rebus, privata ſubſiſtentia propria. Quid quod in illis caſibus, cùm non ſit ens impediens, ne Angelus reflexè recogitet, & examinet inexperientiam ſuam evidentem, aut ne format illam reflexionem: *ſi eſſet hoc ens, experirer ipſe*, manifeſtè deducet abeſſe rem quam inexperitur, vel ex ita reflexione, vel ex illa: at in caſu noſtro ipſa privatio propriæ ſubſiſtentiæ, quæ eſt Vnio ſummæ arcanitatis, reſiſtit, & exigit ne dentur Angelo ſpecies ad reflexiones illativas ſui.

179 Ad confirmationem (omiſſo, an dari poſsit revelatio naturalis, ſeu Dei ut author eſt Naturæ, de qua maximè diſſident Ripalda, & Antonius Perez: ille affirmans *tom. 1. diſp. 11. num. 44.* hic negans *tract. de 1ia. diſp. 1. cap. 3.*) reſpondent Ingenioſi & docti Magiſtri concedendo arguentis aſſumptum, ex ſuppoſitione talis revelationis naturalis, & pro ſe allegant Aldretum. Verum nec

Ripalda. Antonius Perez. P. Munieſſ. Aldrete.

nec Aldretus favet ullibi: nec reſponſio ſibi conſtat: nam ſi locutio illa eſt ſimpliciter naturalis: & evidentia conſequuta naturalis erit: qui ergo negari poterit Myſterium ſimpliciter evidentiæ naturali patere?

180 Reſpondeo igitur, eam revelationem naturalem, in caſu quo ponatur in rebus à Deo, forma, excludēs aliquod naturale, per ſe occulta & conſequenter exigens ne dentur intellectui creato ſpecies illativæ ſuæ exiſtentiæ, vel non eſſe poſsibilem, vel ſolum extendi ad entia naturalia, quæ non redduntur negativè evidenter incognoſcibilia ex forma per ſe occulta, quæ exiſtit. Ratio eſt: quia alioquin Deus falſificaret ex poſitione talis formæ revelationem ſuam: cum exhibitio talis formæ ſit neceſsitas occultandi rem naturalem, quam ipſa excludit, ne pateat ipſa. Cum ergo Vnio hypoſtatica ſit forma per ſe occulta, & exigens ne intellectui creato ſint ſpecies, ex quibus ipſa poſsit evidenter inferri naturaliter, ſit caſu quo Deus eam ponat in rebus, paciſci non poſſe cum Angelo de non occultanda ulla re naturali, vel quoad præſentiam, vel abſentiam: vel ad ſummum paciſci ſolum poſſe de non occultanda ulla re naturali, quæ non maneat extrinſecè incognoſcibilis ex conſortio, ſuperioris Agentis, vel exigentis, cujus poſitionem ſibi reſervat. Ex quibus nulla vis manet confirmationi, nec inſtantiis.

181 Ad primam, concedi conſequentia poſſet, & deberet, ſi nota poſſet eſſe evidēter Angelo abſentia naturalis Vnionis. Ad ſecundam dicatur: carentiam Divinæ Perſonalitatis in Humanitate exiſtente, eſſe ipſam Vnionem Naturalem, de qua diximus: imò licèt eſſet à poſitivo diſtincta, redderetur incognoſcibilis ex poſitione Vnionis hypoſtaticæ ut ſuprà. Ad tertiam: quis ferat carentiam connecti cum termino? Dicunt, connecti in cognoſci: at quanta connexio hæc eſt, ut pariat evidentiam? Nego hanc carentiam diſtingui ab ipſa Vnione naturali, vel alio phyſico impedimento. Ad quartam, in ſuppoſitione admittente carentias diſtinctas à poſitivo fateor argumenti difficultatem, quo non ſemel uſus cum victoria ſum. Verùm ea ſuppoſitio chymerica eſt.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

§. III.

ALTERVM ARGVMENTVM, EX COPIA medii connexi: ubi de medio connexionis in ordine ad cognoſcendum.

182 OBjicies ſecundò: Datur medium naturale, cadens in evidentiā intellectus creati, ſufficiens ad inferendam Myſterii præſentis poſsibilitatē: ergo Vnionis hypoſtaticæ poſsibilitas non ſuperat evidentiam Naturalē. Conſequentia eſt evidens: nam neque naturaliter cenſentur res naturales naturaliter demonſtrabiles, niſi ex copia medii. Probatur antecedens primò, in potentia obediētiali Naturæ ad Vnionem: quę utpote naturalis comprehendi ab Angelo naturaliter poteſt: inde ſic: nequit comprehendi res connexa cum termino, quin cognoſcatur evidēter terminus connexionis, ut talis; ſed potentia obedientialis connectitur cum Vnione hypoſtatica, ut poſsibili: ergo nequit comprehendi, quin Vnio cognoſcatur evidenter ut poſsibilis.

183 Probatur antecedens, ſecundò in actu naturali affirmanti probabiliter, ut multi volunt, vel poſsibilitatē, vel exiſtentiā Vnionis Hypoſtaticæ, & Myſterii Incarnationis. Inde ſic: Angelus reflectens naturaliter ſuper hunc actum, cognoſcit ut expreſsivum, & relatum ad Vnionem; cognoſcit eſſe probabilem; & cognoſcit eſſe verum: nam veritas eſt proprietas naturalis ipſius: eaque ſinguła, cum merè naturalia ſint, cognoſcere evidenter poteſt: at nequit evidenter cognoſcere actum ut expreſsivum unionis, & ut probabilem, & verum, quin evidenter cognoſcat Myſterium quale affirmatur ab actu. Vrgetur: quia Angelus ita reflectens, evidenter ſcit, actum non eſſe falſum: alioquin non ſciret eſſe probabilem: ergo ſcit evidenter, eſſe verum.

184 Probatur tertiò antecedens in Deo ut Authore Naturæ, qui ſub ea præciſione eſt ens cadens in evidentiam Naturalem. Inde ſic: Deus ut Author Naturæ, ſe cognoſcit comprehenſivè, videtque ſe ut unibilem creaturæ: alioquin Deus ut Author Naturæ colligeretur ex ipſa deffectuoſus, & æquè in intelligendo imperfectus cum creaturis: ſed Deus ut ſic expreſsivus Vnionis eſt medium ſufficiens ad evidentiam illius: ergo. Vrgetur id aliter: Cognitio quam habet Deus, ut Author Naturæ, eſt participabilis naturaliter:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter: sicut participabiles sunt supernaturaliter, quas habet Deus, ut Author Gratiæ: sed Deus ut Author naturæ cognoscit evidenter mysterium: ergo.

185 Probatur antecedens quartò, in hoc Syllogismo facto ab homine, & cognito ab Angelo: *Omnis homo vel completur subsistentia creata, vel increata*; sed *hic homo* (nempe Christus) *non est completus per subsistentiam creatam: ergo per Increatam.* Inde sic: ista conclusio est medium infallibile ducens in existentiam Mysterii: ergo evidenter præcognita, fundat evidentiam de Mysterio. Sed est medium Naturale: nam communiter conclusio Theologica, Naturalis habetur: ergo. Dices eam inniti revelationem: unde & pariter reflexionem: contra: nam Revelatio quæ supponitur in minori de Fide, non est revelatio mysterii, sed subsistentiæ creatæ exclusæ.

186 Pro solutione horum, & similium, & quæ frequenter occurrere solent in materiis Theologicis

Noto primò: Connexio medii cum aliquo termino comparatur aptè cum ente *diaphano*, & est quasi quædam *diaphanitas spiritualis*, quę tàm abest ut obstet inspectioni termini, ut ipsa potius faciat terminum apparere intuenti tale medium.

187 Noto secundò: Vt datur inter entia *diaphana* magna diversitas: nam alia sunt ita diaphana, ut ipsis mediis, objectum objiciatur ut est plenè in se: alia ita, ut acuant potentiam: alia, ita, ut retardent potius: alia ita, ut objectum faciant apparere colore non suo, sed medii: sic datur inter entia ista connexa, & quasi *spiritualiter diaphana*, magna diversitas: nam alia ita sunt spiritualiter diaphana, ut objectum faciant plenè apparere ut est in se: alia ita ut potentiam acuant; alia ita ut ex limitatione retardent potentiam potius: alia demum ita, ut faciant terminum apparere diminutè, & quasi colore non suo, sed medii. Ratio diversitatis est perfectio, vel limitatio connexionis in medio: quæ potest comparari cum claritate, vel obscuritate entis diaphani. Eamque perfectionem vel limitationem explico exemplo appositissimo: sicut enim in actibus intellectus datur connexio intentionalis ita perfecta, ut exprimat omnes perfectiones objecti, & connexio intentionalis ita imperfecta & obscura, ut licèt totam entitatem objecti attingat, solum exprimat per unum prædicatum: quia non est omnis modus exprimendi entitatem objecti: ita in physicis datur connexio physica, ita faciens apparere terminum, ut quasi totum exprimat: & connexio physica ita limitata, ut non faciat terminum apparere sub omni ratione, qua est in se: quia non est omnis modus physicus exigendi terminum, vel respiciendi.

188 Noto tertiò: Expressio intentionalis termini qui cognoscitur ex vi medii, non potest excedere qualitatem connexionis, quę est in medio: unde si medium est obscurum, & limitatum, solumque faciens rem apparere cum hoc aut illo prædicato, non amplius cognoscet & exprimet intentionalis expressio ex vi medii, quantumvis ipsum penetret. Ratio est: quia expressio sequitur naturam speciei quæ præcedit: hæc autem talis est respectu termini: quale, medium. Vnde si medium connexum alioquin cum termino, ita sit improportionatum in esse suo cum esse termini, ut species medii non sit species termini, nec necessariò connexa cum illa, quantumvis penetres per proprias species medium, nunquam terminum in illo cognosces: fierique poterit medium connecti physicè cum terminò; non verò perceptibiliter, easque rationes separari posse, ostendit experientia, cũ tangitur à cæco color, nec videtur; cùm videtur color, nec Deus videtur: cum lux percepta sensibus cognoscitur, nec Deus intelligitur.

189 Noto quartò: Duplex est modus rẽ cognoscendi ex medio: duplexque medium sufficientis connexionis, ut terminus cognoscatur per identitatem, seu connexionem specierum inter medium connexionis, & terminum. Alter modus est ad instar imaginis tùm physicæ tùm intentionalis: & hoc genus medii, & connexionis est summum: nam facit apparere terminum quasi sine discursu, & intuitivè juxta qualitatem imaginis. Alter modus est causæ, & effectus: & hoc genus medii, licèt certum, non est ita perfectum. In & ex effectu, ascendendo exinde ad causam, cognoscitur causa juxta perfectiones præcisè requisitas ad effectum, seu quæ relucent in effectu, juxta illud: *nemo dat quod non habet*: alias, si quæ sunt, perfectiones in causa, non infert via cognitionis, licèt reipsa cum omnibus connectatur.

190 Sic, ex calore, & calefactione solem agnoscis calefactivum, habentemque perfectionem caloris vel formaliter, vel eminẽter: virtutem esse productivam auri, ex calore, non agnoscis, quantumvis ipsum penetres.

tres. In & ex causa, descendendo in effectũ, cognoscitur effectus, eo nempe titulo, & modo quo continet: unde si ipsa de se solum habeat esse causam alterius effectus partialẽ, & indigentẽ adjutorio elevante titulo perfectionum, quas cõmunicare ipsa per se potest effectibus suis naturalibus, nunquam ille effectus apparere poterit ex vi causæ hujus cognitæ, nisi ad modum effectuum ejus naturalium: sic causa obedientialis, quantumvis penetretur, nequit esse medium, cognoscendi effectus supernaturales ut tales, neque aliquid supernaturale esse posibile: quia tota ea connexio cum eorum posibilitate, venit, à potentia quam habet eliciendi actus naturales; nec ulteriorem in ipsa perfectionem dicit: unde tota ea connexio est ad modum naturalitatis: quæ non minus obscurat diaphanitatem, & connexionem medii, quã color rubeus in vitro, vi cujus objectum album nequit discerni à non albo, & apparet ut rubeum ratione medii. Vnde modus affirmandi, dari in rebus potentiam obedientialem, eamque connecti cum effectibus supernis, qui modus necessariò infert posibilitatem effectus superni, haberi non potest ex quacumque penetratione Naturæ per proprias species.

Vide infrà lib. 5. disp. 7. sect. 2. §. 2. & 3.

191 Noto quintò: Vt fiat perfecta rei comprehensio non est opus, ut penetretur in ipsa omnes termini, quibuscum connectitur, majori claritate connexionis intentionalis, quam est connexio physica, quam res comprehensa dicit ad terminos. Vnde si res physicè solum obscurè, & quasi implicitè refertur ad aliquem terminum, cognitio comprehensiva rei non debet excedere cognitionem implicitam termini. Imò si res alioqui connexa cum termino, ex aliquo prædicato ita transcuret cõnexionem ut non sinat quod propria species sit species termini, non requiritur ad ipsius rei comprehensionem, ut ullo modo per comprehensionem, terminus attingatur. Demum si connexio cum aliquo termino non addat rei perfectionem ultra perfectionem aliam cõnexionis ad alios terminos magis obvios, & naturales, quæ proinde jam discernitur satis; neque requiritur ad ejus comprehensionem, quod cognitio comprehensiva, rem cum illo termino, cujus connexio non addit rei perfectionem, comparet.

192 Quorum omnium ratio mihi est evidens: quia, ut fiat perfecta rei comprehensio, sufficit si per cognitionem exhauriatur rei cognoscibilitas, & appareat intentionaliter tanta, quanta est in se, ita ut ex nulla alia cognitione res videri posit æstimabilior: ut autem exhauriatur tota rei cognoscibilitas, & res in cognitione appareat tanta, quanta est in se, nec est opus quòd cognitio cognoscat in ipsa terminos, si ipsius rei connexio non sufficit ad eorum manifestationem: nec est opus quòd cognitio excedat cognitionem implicitam termini, si rei connexio terminum quasi implicitè solum respicit; neque est opus quòd cognitio referat ad terminos, ex quorum connexione non augetur rei perfectio.

193 Vnde non est opus distinguere cum multis duplex genus comprehensionis entium naturalium, perfectæ, & imperfectæ: imperfectæ: quæ cognoscibilitatem rei naturalis in se, & in ordine ad terminos naturales adæquet: quasi hæc sola sit posibilis Intellectui naturali. Perfectæ, quæ cognoscibilitatem rei naturalis in se, & in ordine ad omnes suos terminos tam naturales, quam supernaturales adæquet: quasi hæc naturaliter sit imposibilis Intellectui naturali. Hæc enim distinctio nascitur ex sinistra explicatione comprehensionis. Quare dicendum & omnia entia naturalia, & potentiam obedientialem posse comprehendi naturaliter comprehensione perfecta: quin exinde possit inferri, cognosci clarè debere Trinitatem, à qua dependent physicè res creatæ; aut cognosci debere posibilitatem effectuum supernorum, quacum connectitur potentia obedientialis. Et rario est: quia res creatæ solum quasi implicitè referunt Trinitatem, & potentia obedientialis non est in ente naturali nova perfectio ultra perfectionem, quam dicit in ordine ad naturales effectus: ex eo enim potest voluntas, elevari ad supernaturaliter videndum; quia est naturaliter volitiva. His prænotatis

Vide me loc. cit.

194 Respondeo negando antecedens. Ad primam probationem, concesso quod Angelus comprehendere posit potentiam obedientialem Naturæ, seu Naturam in qua est potentia obedientialis, nego perinde debere cognoscere omnes terminos potentiæ obedientialis, modo cognoscendi, & affirmandi, dari in Natura talem potentiam, aut terminos supernaturales esse posibiles: ratio est: quia connexio potentiæ obedientialis cum termino supernaturali non addit perfectionem ultra perfectionem connexionis cum terminis naturalibus: unde licèt ea

conne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

connexio potentiæ obedientialis non appareat per modum affirmandi talem potentiã, aut talium terminorum possibilitatem, res Naturalis apparet tanta, quanta est ipse, & exhauritur tota ejus cognoscibilitas: nam modos affirmandi, dari talem potentiam obedientialem, & possibiles esse supernaturales effectus, oriri unquam nequit ex vi connexionis, quam dicit Natura ad supernaturales effectus: nam eos respicit ad modum naturalitatis, ut dicebam, quæ non sinit, ut species talis medii sit discretiva supernaturalitatis in termino.

195 Vnde distinguo majorem: nequit comprehendi res connexa cum termino, quin appareat terminus evidenter, si connexio sit sufficiens ad evidentiam termini, ex vi propriæ speciei, concedo: si connexio sit insufficiens, nego ex dictis majorẽ: & concessã de connexione physica, negatã de connexione perceptibilitatis, minore, nego consequentiam. Imò hic dari debet, & potest ulterior ratio: Nam Potentia, quam obedientialem passivam vocant, in Natura, ut personetur alienâ subsistentiâ, media Vnione hypostatica, identificat sibi connexionem Naturalem cum subsistentia propria, vi cujus inclinationis apparere debet Natura ut propendens in aliquid incompossibile cum Vnione hypostatica: atque adeo licèt connexa sit cum possibilitate Vnionis, illa naturalis propensio ad oppositum, ita quasi obscurat connexionem, ut nunquam sinat, quòd species propria Naturæ, quantumvis sit perfecta, sit species Vnionis Hypostaticæ, ut possibilis: quare licèt penetretur, & comprehendatur in se Natura, nunquam ex vi ipsius cognosci poterit possibilitas Hypostaticæ Vnionis, nec haberi poterit modus affirmandi, dari potentiam obedientialem in Natura, aut Vnionem esse in ipsa possibilem.

196 Ad secundam probationem, permisso quòd dari possit cognitio probabilis de Mysterio, nego quòd licèt Angelus cognoscat illum actum ut expressivum unionis, cognoscat illum, ut verum: imò quod debeat cognoscere ut probabilem: datoque cognosci ut probabilem, quòd debeat cognoscere ut evidenter verum. Ratio primi dicti est: quia Veritas illius actus non est naturalis, sed mixta ex ente naturali, & arcanitate Mysterii: unde licèt Angelus reflectat supra talem actum, nunquam attinget modo affirmandi, talem actum esse verum: sic neque coexistẽtia lapidis cũ Trinitate cognoscetur naturaliter ab Angelo modo affirmandi, dari talem coexistentiam lapidis cum Trinitate. Ratio secundi dicti: quia etiam dato quòd actus sit probabilis ab intrinseco (quod negavi) est probabilis ob rationes, ex quibus motus est ad asserendum, qui sic asseruerit: & hæ esse possunt occultæ reflectenti. Ratio tertii dicti est: quia probabile non est necessitas realis veritatis, sed apparentis. Ad confirmationem, distinguo antecedens paralogizans: Angelus reflectens, evidenter scit, actum non esse falsum evidenter, concedo: evidenter scit actum non esse falsum in se, licèt non appareat evidenter, nego: id enim nescit Angelus ex reflexione supra probabilitatem actus: nam licèt probabilitas excludat evidentiam falsitatis, non tamen falsitatem excludit.

197 Ad tertiam probationem, admonui jam *disputando de Auxiliis*, quid rei latere possit, & debeat sub his vocibus: Deus *ut Author Naturæ*, & Deus, *ut Author supernaturalis*. Repeto brevissimè: hæc distinctio non sonat distinctionem in Deo, sed in effectibus, & ex istorum comparatione, in nobis comparantibus modò Deum cum effectibus naturalibus, modo cum supernis. Vnde Deus ut Author Naturæ, est Deus qualis à nobis colligitur ex Natura, ex cujus consideratione ad Deum ascendimus. Deus ut Author supernaturalis est Deus, ut colligitur ex operibus supernaturalibus. Quare Deus ut Author Naturæ non habet plus perfectionis quam eam, quæ arguitur à nobis ex effectibus per quos Deum noscimus: id est, non habet in nobis Deus plus perfectionis, quam quæ colligitur ex naturalibus effectibus: nec ideò deffectuosum putamus Deum, quia nec negamus alias perfectiones, sed præscindimus, nec scimus alias esse perfectiones, & damus quot ipsi noscimus. Ex his dicendum, Deum ut Authorem Naturæ non apparere ut cognoscentem Vnionem Hypostaticam, & Mysteria adeo arcana, licèt appareat ut se comprehendens in ea linea, in qua cognoscitur, & apparet: quare nego antecedens. Ad confirmationem: distinguo: est participabilis naturaliter cognitio quam habet Deus ut Author Naturæ, juxta modum, quem habet in Deo, nego: juxta limitationem nostrã, transeat: & ex hoc arguendi genere dici posset, æterniratem, & immensitatem participari à creaturis posse, cum Deo ut Authori Naturæ conveniant.

Tom. in 1. p. tract. de Aux. Deo, & rursus ad 1. 2. tract. de Supern.

198 Ad quartam probationem, si cum multis negetur, Conclusionem pendentem à præmissa supernaturali, naturalem esse posse, non erit illud medium Naturale; cum sit conclusio pendens ab Actu Fidei facienti vicem Præmissę minoris. Si verò pendentia à præmissa de Fide, non facit conclusionem necessariò supernaturalem, illud medium erit entitativè naturale: in ratione tamen medii sufficientis ad manifestationem objecti, ingenerando notitiam istius sine formidine, erit supernaturale: nam tota vis connexionis, quam habet cum illo objecto, venit ab actu Fidei, & revelatione, quæ virtualiter est revelatio Mysterii; & ex consortio præmissæ majoris evidentis transit in revelationem quasi formalem objecti quod per conclusionem infertur. Vnde Angelus, licèt in ea conclusione entitativè naturali cognosceret Mysterium Incarnationis, absolutè dicendus erit cognoscere in supernaturali medio, & non ex viribus suæ Naturæ.

§. III.

TERTIVM ARGVMENTVM EX MIRACULIS notis Dæmoni.

199 OBjicies tertiò contra tertiam Cõclusionem: Dæmon evidenter naturaliter cognoscebat miracula Christi fieri virtute Divina: fierique in confirmationem Incarnationis: ergo mediis miraculis cognoscere potuit evidẽter naturaliter executionem, & existentiam Incarnationis. Consequentia convincitur ex hoc evidenti Syllogismo, quem formare Dæmon poterat: *Quod miraculis confirmat Deus*, est: *confirmat Incarnationem*: ergo *est*. Antecedens autem ostenditur quoad primam partem de evidentia naturali: quia Dona supernaturalia negantur Angelo malo: Tùm quia lumine naturæ vidit Resurrectionem Lazari, & restitutionem visus. Ostenditur quoad secundam partem de evidentia Divinæ virtutis: quia evidenter penetrat Naturæ vires, nec ipsas videt tantæ virtutis. Tùm quia (ut præcludatur Ripaldæ effugium) actio utpote entitativè naturalis in his operibus miraculosis patuit evidenter Angelo malo; sed ea actio respiciebat Deum ut causam principalem, & fortè ut totalem: ergo. Ostenditur quoad tertiam partem de evidentia Divinæ intẽtionis: quia eam audiebat à Christo dicente Matth. 9. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: adolescens tibi dico surge*: Matth. 11. *Vt cognoscant, quia tu me misisti*. Deinde audierat Patrem dicentẽ. *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite*: ergo ex auditu Christi manifestè patuit Dæmoni intentio Dei.

Ripalda.

Matth. 9. & 11. & 17.

Aranda de Incarnatione.

200 Confirmatur argumentum primò: quia nequivit Dæmon cognoscere Hunc hominem esse Deum, evidenter, sine notitia evidenti Incarnationis: sed illud cognovit evidenter ex testimonio Patris adducto: ergo & hanc. Confirmatur secundò: Dæmon ipse testatus est Luc. 4. Christum esse Deum: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene venisti perdere nos. Scio te, quia sis, Sanctus Dei*: additque Evangelista de Christo: *non sinebat eum loqui, quia sciebat ipsum esse Christum*. Vnde

Luc. 4.

201 Confirmatur tertiò: Dæmon fuit impedirus à Deo, ne cognosceret existentiã Incarnationis: idque testantur plurimi Patres apud Bernal *disp. 1. sect. 4. §. 2.* Sed impeditus non est, ne cognosceret probabiliter: nam ita cognovisse, est ferè evidens, testanturque similiter Patres plurimi apud Koninchum *disp. 1. dub. 3. num. 37.* ergo impeditus est ne cognosceret evidenter: ergo evidentia naturalis non fuit illi impossibilis: non enim Deus Chymeras impedit.

Bernal.

Koninch.

202 Confirmatur quartò: Probabile est Angelis fuisse revelatum initio creationis hoc Mysterium; eosque habuisse Fidem Christi Venturi: maloque peccasse recusando exhibere debitam reverentiam Christo sic proposito: ergo mansit in illis evidentia de revelatione præterita, sicut & de peccato commisso: ergo mansit evidentia ex qua colligerent, humanitatem Christi subsistuturam sine propria, & in Divina subsistentia: ergo inexperti propriam subsistentiam in hac humanitate, poterant evidenter inferre hoc Individuum fuisse sibi olim propositum: ergo & Mysterium Incarnationis.

203 Pro solutione argumenti certè *difficilis*, seponamus in hac re, certa ab incertis. Duplex insinuatur opinio Sanctorum Patrum de notitia Incarnationis in Dæmone. Altera videtur concedere possibilitatem naturalis evidentiæ, saltem in attestante, facta comparatione miraculorum, quæ videbat fieri, cum Vaticiniis & prophetiis: & hanc putat impeditam in ipso adusque mortem Christi, vel saltem adusque tentationem in deserto. Sic Patres quos allegat, & sequitur Noster Eximius *tom. 2. in 3 part. disp. 31. sect. 3.* Altera solùm videtur concedere Dæmoni cognitionem suspiciosam,

P. Suarez.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& assensus infirmi.

Koninch. 204 Ipse utramque conciliari posse sententiam censeo: primò dicēdo cum Koninc, Dœmoni positis miraculis concedi debere notitiam Incarnationis ultra probabilem, nempe moraliter evidentem, immixtam tamen aliquali formidine. Prima pars patet authoritate Sacrorum textuum, quos argumentum allegat. Tùm ratione: quia miracula conjuncta cum prophetiis, & Vaticiniis: quæ certè non latebant Dœmonem, faciunt moralem evidentiam: Tùm etiam quia ex scripturis clarè poterat inferre Dœmon signa Messiæ cadere in Christum, & jam eo tēpore res ita esse, ut venire deberet Promissus à Deo Filius Dei. Secunda pars apertè asseritur à Hieronymo *in cap. 8. Matth.* dicente: *Dæmones suspicari magis Filium Dei, quam nosse intelligendi sunt*: cui adde Chrysostomum, Bedam, Gregorium, Tertullianum, & Thomam. Ratio est: ipsa, quam Christus præferebat, obnoxietas, & subjectio ad easdem corporis necessitates, & dolores, quibus cæteri hominum subjacemus: unde suboriebatur dubitatio de Majestate Dei, quam hæc, quo magis eam noscebat, magis dedecere cognoscebat: quæ dubitatio frequens, velut aliqua in luce clarissima nebula, non sinebat eum firmè consistere, ipsumque cogebat in aliquales experientias Divinitatis, quam formidabat in Christo.

Hieronym. Chrysostom Beda. Gregorius. Tertullian S.Thomas.

Augustin. 205 Secundo dicendo cum Augustino *lib.9. de Civit. cap. 21.* hanc etiam evidentiam moralem aliquando impeditam Dœmoni, eumque aliquando non expertum ipsam in se: Verba Augustini sunt: *Christus tantùm innotuit Dæmonibus, quantum voluit; tam autem voluit, quantum oportuit.* Et videtur id colligi ex anxio desiderio, quod præferebat Demon tentandi, & investigandi an Christus esset Deus.

Suarez. 206 Tertiò dicendo cum Suarez: eam evidentiam impeditam Dœmoni, tempore infantiæ: nam & id docent Patres: idque impeditionis genus extendi posse adusque tentationem in deserto: exinde verò permissam: nam non est ratio cur celaretur Diabolo, per impeditionem probabilitatis, & alicujus moralis evidentiæ, Christi Adventus, & Divinitas.

207 Quartò dicendo, post mortem Christi, notiorem factam esse Dœmoni ipsi pœnam & rabiem Christi Divinitatem, & triumphum; juxta illud Iacobi: *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Quintò dicendo, nunquam impeditam Dœmoni naturalem evidentiam: seu evidentiam, quæ solo naturalis luminis ductu posset haberi: nam hæc est impossibilis. Iam

208 Respondeo ad argumentum, negādo antecedens: ad probationem dicatur (licèt Dœmon evidenti a naturali potuisset assequi ea Christi miracula vera fuisse, factaque virtute Divina, quod negat Ripalda *citatus*, & dubitat Cardinalis de Lugo *de Fid. disp.2. sect.1. num. 22.*) eum tamen evidentia naturali non potuisse assequi ea fieri à Deo in confirmationem Incarnationis, & nō ob alios honestos fines: quippe non est evidens, sed plenè dubium, Deum non posse patrare miracula in aliquem finem; & ipsis miraculis, alium eorum conscium abuti in diversos fines etiam firmandæ falsitatis. Sic potestate consecrandi Sacerdos plerumque abutitur, & alii gratia Sanitatum, operante hic, & ibi miracula Deo ex diversissimo fine à fine Sacerdotis, & alterius Sanantis; nec cooperante malitiam, sed permittente. Nec ex illis Christi Verbis poterat pluſquā moralem evidentiam elicere immixtam formidine: neque ex illo testimonio Patris: unde enim scivit à Patre esse, & non ab Agente Supremo sibi occulto? Vnde eos sonos de Filiatione adoptiva non esse scivit?

Ripalda. Card. de Lugo.

209 Nec obstat quod miracula sint quasi Sigillum Dei, quo res, & locutiones obsignat: non enim est metaphysicè evidens eo nō posse abuti Ministrum, cui committit. Quare miracula solum pariunt evidentiam rei moralem, & metaphysicam evidentiam credibilitatis prudentis, seu obligationis credendi: sicut tenemur credere esse Regis literas eas, quæ ex Regio Sigillo tales apparent, licèt non sit evidens metaphysicè, eas non esse suppositicias.

210 Ad primam confirmationem, ex dictis patet. Ad alteram, dicunt aliqui satis probabiliter, mentitos per illos clamores Dœmones, ausos jactare, ut scientiam, meram suspicionem; increpatosque, nec permissos dicere quod sciebant, ipsū esse Christum, quia mentiebantur: suspicabantur enim; non sciebant. Dicendum, ea verba Demonum solam in ipsis colligere notitiam probabilem, vel ultra probabilem, nempe moraliter evidentem: nunquam verò omnino firmam, & sine formidine. Ad tertiam, dicatur, aliquando impeditum Dœmonem ne conciperet notitiam, quam aliunde poterat: sæpe probabilem, permissa solùm suspicione:

S. August. cione: sæpe moraliter evidentem, ut in tempore infantiæ: sæpe omnem, ex Regula data D. Augustini.

211 Ad quartam dicatur, licèt eam revelationem Deus Angelis communicasset initio creationis, ex triplici adhuc capite non colligi ex ejus reminiscentia in Dœmone Mysterium Incarnationis in hac Individua Humanitate. Primò: quia potuit esse revelatio de Mysterio in specie, & non in individuo: vel ita obscura, & sine omnibus circunstantiis, ut licèt colligeret evidenter Angelus majus futurum Mysterium in aliquibus circunstantiis, dubitaret an essent præsentes. Secundò: licèt fuisset Revelatio determinata, apparuisset que evidenter credibilis: quia tamen obscura, & invisa propter objectum invisum Dœmoni, nec iste volebat recogitare motiva credibilitatis, nec firmiter adhesit: unde nihil mirum, quod nec reminiscendo posset de mysterio formare firmum assensum. Tertiò: licèt fuisset determinata, & clara; potuit esse incerta de tempore, & de modo conferendi Humanitati donum Vnionis: an nempe, dependenter à meritis de congruo, an independenter ab illis, præque invidia nolebat persuadere sibi jam esse fœturiginem sui mali; putabatque vel certe poterat suspicari ex aliquo textu, sinistrè cōcepto, ut ex illo, *dilexisti justitiam & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus*, &c. dandam post mortem, & merita, Vnctionem Hypostaticæ Vnionis.

Psalm.44.

§. IV.

ALIA ARGVMENTA EX SIGNIS credibilitatis.

212 OBjicies quartò contra eandem, secundam Conclusionem: Mysterium Incarnationis ex signis, & miraculis sit evidenter credibile, discursu naturali: ergo & evidenter possibile. Antecedens patet ex tractatu de Fide, unde cum communi supponimus. Consequentia probatur. Quod est evidenter Impossibile, est evidenter incredibile: unde valet ista consequentia: Hoc est evidenter impossibile: ergo est evidenter Incredibile: quis enim credat, quod videt evidenter aliter esse, ac proponitur? Ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile: quare valere debet & ista consequentia: Hoc est evidenter credibile? ergo & est evidenter possibile. Probatur ista consequentia ex regula Dialecticæ: *ab opposito consequentis, bene deducitur oppositum antecedentis*: ergo ab opposito hujus consequentis: est evidenter incredibile, bene deducitur oppositum antecedentis illius: est evidenter impossibile. Sed oppositum illius consequentis, est, evidenter credibile; & oppositum illius antecedentis est evidenter possibile: nā evidenter credibile quis non videat opponi cum evidenter Incredibili: & evidenter possibile cū evidenter impossibili: ergo vel fallit illa Regula, vel ex evidenter credibili infertur evidenter possibile.

213 Confirmatur, præcludendo communem evasionem alio modo proponendi, & arguendi ex propositione negativa ad affirmativam, mutato prædicato *finito* in *infinitū*, media particula *non*, ut docet alia Regula Dialecticæ: sic arguo: bene infertur sic: non est evidenter Incredibile: ergo non est evidenter impossibile: ergo bene etiam infertur: non est evidenter impossibile: ergo est evidenter non impossibile: alioquin falleret adducta Regula. Sed quod est evidenter non impossibile, est evidenter possibile, ut expendenti constabit: ergo quod non est evidenter incredibile, est evidenter possibile. Sed quod est evidenter credibile non est evidenter incredibile: ergo de primò ad ultimum, &c. Vrgetur: sicut est evidens, Deum mentiri non posse; sic est evidens, Fidei subesse falsum non posse: ergo si est evidens Incarnationem esse credibilem fide Divina, evidens erit credi posse per actū cui repugnet falsitas: ergo & evidens erit esse possibilem.

Qualiter evidenter credibilia Mysteria Fidei?

214 Tota objectio, *paralogismus est*, sed solvendus. Nota dupliciter sumi posse, evidenter credibile. Primò pro evidentia de eo quod res possit nunc terminare actum Fidei Divinæ: & hæc evidentia stare non potest sine evidentia de eo quod res sit à Deo revelata: & dici potest evidentia Divinæ revelationis, & in hoc sensu, evidenter credibile infert evidenter possibile: & in hoc sensu, Mysteria Fidei non sunt nobis evidenter credibilia. Secundò pro evidentia actus Fidei, ita ut ly *evidenter* cadat supra actum creditionis, à quo venit denominatio: & sic in hoc sensu, Mysteria Fidei sunt evidenter credibilia, cum Fides sit, ex se actus obscurus. Tertiò pro evidentia de eo quod prudenter & rationabiliter possit, & debeat existimari dictum à Deo quod proponitur: & hæc nō est evidentia revelationis, nec Myste-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rii, ſed evidentia obligationis, & motivorum ad prudenter imperandum actum Fidei obſcurum in his circunſtantiis: & in hoc ſenſu, Myſteria Fidei ſunt evidenter credibilia & inter ipſa Myſterium Incarnationis. Iam in hoc ſenſu

215 Reſpondeo conceſſo antecedẽte, negando conſequentiã. Quia poſsibilitas venit ab intrinſeco rei, ut ſolet dici: credibilitas ab extrinſeco, quę ſupra tẽ alioquin impoſsibilem cadere poteſt. Ad probationem concedo antecedens: nam judicium evidens de impoſsibilitate rei neceſsitat ad diſſenſum de poſsibilitate, nec ſinit apparentiam veri poſsibilis, ſine quâ nequit dari credibilitas. Ad iſtius probationẽ approbo regulã illã Dialect cæ, & nego hic argui ab oppoſito conſequentis. Ratio eſt duplex, & totuplex explicatio regulæ. Prima: quia regula loquitur *de oppoſito contradictorio* conſequentis ad *oppoſitũ contradictoriũ* antecedentis mediãte particula *Non*: non verò de oppoſito alio genere oppoſitionis: & Regula ſic explicata fundatur in eo, quod unũ ex contradictoriis debet exiſtere, & ex actibus contradictoriè oppoſitis alter eſt verus, alter falſus neceſsario Hinc valet ex his: *eſt homo*: ergo *eſt* Animal, iſta arguendi ratio: *non eſt Animal*: ergo *non eſt homo*: non verò: *non eſt Animal*: ergo *non eſt brutum*, ſeu *Lapis*. Cum ergo modus objectus non arguat mediante particula *non*: nec evidenter poſsibile ſit contradictorium cum evidenter impoſsibili: quia datur res, quæ nec ſit evidenter poſsibilis, nec ſit evidenter impoſsibilis: inde ex his: eſt evidenter impoſsibile: ergo eſt evidenter incredibile: non valet iſta arguendi ratio: eſt evidenter credibile: ergo eſt evidenter poſsibile: ſed iſta: non eſt evidenter incredibile: ergo non eſt evidenter impoſsibile.

Regula: ab Oppoſito cõſequentis: & quomodo intelligenda?

216 Secunda: quia nomine *antecedentis, & conſequentis*, (de quibus Regula Dialectica) veniunt termini, ſeu rationes objectivæ: quarum una alteram inferat: & illa, quæ connectitur, & infert aliam, ſeu ex qua alia colligitur, dicitur antecedens: & illa quę infertur, & colligitur, dicitur conſequens: ſic curſus eſt antecedens ad motum, homo, ad Animal: & in hoc ſenſu, qui Regulæ legitimus apud me eſt, ex oppoſito conſequentis, rectè ſequitur oppoſitum antecedentis: ut ex non motu, non curſus; ex non Animali, non homo: quia ſublato per negationem genere, aufertur ſpecies; ſublata parte, aufertur totum; ſublato termino connexionis, connexio. Cum ergo credibile, & poſsibile, nõ ſe habeant ut antecedens, & conſequens, cum res poſsit eſſe credibilis, quin ſit poſsibilis; latente me ſcilicet impoſsibilitate rei, & affirmata à viris eximiæ authoritatis ejus rei poſsibilitate: & poſsit eſſe poſsibilis, quin ſit credibilis, eunte in impoſsibilitatem Authorum omnium pondere, fit in caſu noſtro, non argui ab oppoſito conſequentis ad antecedentis oppoſitum. Vnde patet ſophiſtica ſpecies arguendi.

217 Ad confirmationem ſimili ſophiſmate laborantem, dicatur eam regulam arguendi *à negativa* ad *affirmativam* mutato prædicato *finito* in *infinitum*, optimam eſſe; at hic non ſervari: quia mutatio prædicati non debet eſſe inadæquati prædicati, ſed integri, ita ut particula *non* infinitans afficiat totum quod erat in negativa prædicatum: v.g. ex hac negativa: *Petrus non eſt velociter currens*, malè inferes: ergo *Petrus eſt velociter non currens*: bene tamen: ergo *Petrus eſt non velociter currens*: cum ergo in hoc propoſitione negativa non eſt evidenter impoſsibile, prædicatum non ſit ſolum ly impoſsibile, ſed evidenter impoſsibile, non infertur bene; ergo eſt evidenter non impoſsibile, ſed: ergo eſt non evidenter impoſsibile. Et regula ſic explicata fundatur in eo quod inter formam, & carentiam formæ non datur medium: unde excluſa per negationem intentionalem forma, ſequitur, & affirmari poteſt carentia formæ.

Altera Regula explicatur.

218 Ad Inſtantiam, jam præmonui evidentiam credibilitatis non eſſe evidentiam revelationis exiſtentis, aut quod Myſterium hic & nunc aptum ſit terminare actum Fidei Divinæ, ſed evidentia motivorum, & obligationis imperandi aſſenſum obſcurum Fidei circa Myſterium propoſitum ut dictum à Deo, quæ evidentia eſt & dici poteſt evidens apparentia locutionis Divinæ de tali Myſterio: ex hac autem evidenti apparentia non ſequitur exiſtentia revelationis, aut Myſterii veritas per metaphyſicam evidentiam, ſed per moralem ad ſummum.

219 Objicies quintò contra primam partem quartæ Concluſionis: Hæ propoſitiones, contradictoriæ ſunt: *Ratio naturalis non poteſt demonſtrare Incarnationem eſſe poſsibilem*: *Ratio naturalis non poteſt demonſtrare Incarnationem eſſe impoſsibilem*: ergo altera eſt falſa. Non prima: ergo ſecunda. Probatur antecedens: nam illæ reſolvuntur in has: *Rationi Naturali non eſt poſsibilis Incarnatio*:

Rationi Naturali non eſt impoſsibilis Incarnatio; ſed iſtæ ſunt contradictoriæ, ſaltem æquivalenter: ergo & illæ. Probatur minor: nam iſta: *Rationi Naturali non eſt Incarnatio impoſsibilis*, reſolvitur in hanc: *Rationi Naturali Incarnatio eſt non impoſsibilis*: ergo poſsibilis. Vrgetur arguentis aſſumptum: Quod eſt incredibile ex ratione naturali, ex ratione naturali poteſt oſtendi ut incredibile: ſed quod oſtendi poteſt ut incredibile, poteſt oſtendi ut impoſsibile: ergo quod eſt incredibile ex ratione naturali, poteſt ex ratione naturali oſtendi ut impoſsibile. Sed Myſterium Incarnationis eſt incredibile, ex ratione naturali: ergo ex ratione naturali poteſt oſtendi ut impoſsibile. Probatur ſubſumpta minor: id, cujus negationem in omni ente demonſtrat Ratio naturalis, eſt incredibile ex ipſa ratione naturali; ſed ratio naturalis in omni ente demonſtrat & exigit negationem Incarnationis, nempe ſubſiſtentiam propriam: ergo &c.

220 Reſpondeo ad argumentum: negãdo antecedens: nam illæ propoſitiones ſunt ambæ affirmativæ, nec una præcisè negat quod requiritur ad falſificationem alterius contra legem contradicentium. Nec probatio valet: nam propoſitiones adductæ reſolvuntur in has: Non eſt poſsibilis Demonſtratio poſsibilitatis Incarnationis Rationi naturali: nec ipſi eſt poſsibilis demonſtratio impoſsibilitatis ipſius: quod nullam dicit contradictionem: nam res, licèt neceſsariò ſit poſsibilis, vel impoſsibilis: non tamen eſt neceſsariò aut evidenter poſsibilis, aut evidenter impoſsibilis. Sumitur enim id in ordine ad intellectum cui poteſt eſſe occulta poſsibilitas rei naturaliter ſibi relicto, & eunti poſt veſtigia naturalium rerum: nec evidens impoſsibilitas: quia circa non-rem non datur evidentia rei.

221 Ad confirmationem, jam præmonui incredibilitatem non eſſe argumentum impoſsibilitatis. Addo nunc, id, quod ex ratione naturali, phyſicâ evidentiâ, convincitur non exiſtere, demonſtrari ad ſummum poſſe impoſsibile ſolis naturæ viribus, non verò ſimpliciter impoſsibile. Quare ex ratione naturali ſibi relictâ, probabitur, evidentia phyſica, ſeu innixa principiis, & exigentiis rerum, eſſe negationem Incarnationis, atque adeo juxta ipſas exigentias, & vi ipſarum non fieri credibilem exiſtentiam tanti Myſterii: eſſe tamen hoc impoſsibile, probabitur nunquam. Ratio tamen argumenti pro oſtendenda impoſsibilitate evidentiæ naturalis de exiſtentia Myſterii, acuta eſt.

222 Objicies ſextò contra ſecundam partem Concluſionis ejuſdem. Ens non repugnare, eſt eſſe poſsibile: ergo demonſtrari non repugnans, eſt demonſtrari poſsibile: ſed demonſtrari poſsibile negativè, eſt demonſtrari non repugnans: ergo evidentia naturalis, quam negativam vocavimus, eſt poſitiva poſsibilitatis quam prima concluſione negavimus. Confirmatur primò: Nequit Myſterium demonſtrari poſsibile negativè, niſi per evidentem ſolutionem contradictionum occurrentium contra Myſterium; (id enim diximus eſſe cum Valentia evidentiam negativam, quam lumine naturali poſſumus aſſequi de Myſteriis Fidei: neque quod nulla occurrat difficultas & cõtradictio, quæ ſolvi non poſsit evidenter à nobis, & ex vi cujus evidens ſit non poſſe contra nos probari repugnatiam Myſteriorum) atqui evidens ſolutio contradictionum occurrentium contra Myſterium nequit ſtare ſine evidentia falſitatis, quam intendit arguens contra Myſterium: ergo neque poterit Myſterium demõſtrari poſsibile negativè, niſi per evidentiam falſitatis. Sed evidentia falſitatis eſt evidentia contradictoriæ veritatis: ergo. Confirmatur ſecundò: Nullum eſt Theologis, & Philoſophis medium frequentius ad oſtendendam poſsibilitatem, quam ſolutio contractionum: dici enim ſolet: *non apparet repugnantia, quod oſtendam ſolutione earum, quæ poſſunt objici: ergo eſt poſsibile*: quia Deo convenit poſſe, quod non apparet repugnare: ergo evidens ſolutio contradictionum erit evidentia non repugnantiæ: atque adeo Angelus, qui evidenter ſolvat lumine Naturali contradictiones contra Myſterium, cogetur lumine naturali evidenter aſſentiri Myſterio.

P. Valent.

223 Reſpondeo ad argumentum, conceſſo Entymemate, diſtinguendo ſubſumptam minorem: demonſtrari poſsibile negativè eſt demonſtrari non repugnans ſimpliciter, nego; ſecundum quid, concedo: id eſt: eſt demonſtrari non repugnans ex vi contradictionis objectæ, ita ut maneat evidens, argumentum oppoſitum non convincere repugnantiã myſterii: nec ex lumine naturali poſſe adduci evidentiam, quæ demonſtret intentum: unde evidentia negativa, quam conceſſimus de myſterio lumini naturali, non eſt evidentia poſitiva Myſterii, ſed evidentia de eo quod prudenter ſe gerat, qui negat

ar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

arguentis intentum, & medium probationis, seu evidentia reflexa de defectu evidentiæ in medio, quo probatur conatur arguens impossibilitatem Mysterii.

224 Ad primâ confirmationem distinguitur duplex genus solvendi aliquod argumentum evidenter: vel enim solvi potest evidenter positivè, per ostensionem evidentem falsitatis, & rationis oppositæ: vel solvi potest evidenter negativè, aut ex evidenti defectu formæ; aut ex evidēti ratione, quod se gerat prudenter in negando, quod alioquin contra se demonstrati non potest, aut ex evidentia reflexa, de eo quod desit medio, & arguenti evidentia, qua demonstret intentum. Illud primæ solutionis genus stare nequit sine evidentia veritatis: hoc tamen potest. Vnde distinguo majorem: nisi per evidentem solutionem negativè, concedo: per evidentem solutionem positivè, nego majorem, & minorem simul. Nam bene stat, non esse mihi evidens, quod res repugnet: imò esse mihi evidens, quod non possit demonstrari repugnans, nec actu demonstretur per contradictionem occurrentem, quin eo ipso sit evidens, quod res non repugnet, aut quod possit demonstrari non repugnans.

225 Ad secundam dicatur, quod evidens positiva solutio contradictionum, per ostensionem veritatis, est evidentia non repugnantiæ: non verò solutio evidens negativa: quapropter Angelus, licèt videat contradictiones objectas non esse evidentes, atque adeò negativè solvat evidenter, non cogetur evidenter assentiri Mysterio, sed suspendere assensum, & dicere: non video per hæc hucusque repugnare: an verò supersit alia contradictionis ratio, nescio: quis enim novit profunda Dei? De illo axiomate legendus Ripalda *disp.11. sect.3. num.12.* Ipse planè video, non apparentiam contradictionis non arguere rem possibilem: defectus enim mei intellectûs, non probat defectum contradictionis vel in re, vel in alio. *Ripalda.*

226 Objicies septimò contra quintam Conclusionem: solutio argumentorum, & congrua ratio sufficit ad probabilitatem assensus; sed præcisâ revelatione, potest citra Mysterium Incarnationis ex lumine naturali inveniri solutio argumentorum, non utcumque sed evidens, & congrua ratio: ergo & probabilitas assensus positiva per viam inventionis. Major constat: assensus enim innixus ratione congrua positiva, & argumentorum solutione, non est imprudens, sed positivè prudens. Adde quod multæ opiniones probabiles, solâ nituntur argumentorum solutione.

227 Minor quoad primam partem datur à nobis: quoad secundam ostenditur: Nam Angelus tria cognoscit plusquâ probabiliter, ex quibus sumitur ratio congrua pro possibilitate Mysterii. Primò cognoscit Naturam distingui à propria subsistentia. Secundò cognoscit sine ea esse posse, si suppleri aliunde possit. Tertiò cognoscit Deum seipso supplere in creaturis posse, quod non dicit imperfectionem, sed perfectionem. Inde sic discurreret satis aptè: supplere munus subsistentiæ in Natura creata, non dicit ex se imperfectionem, imò dicit perfectionem: nam solùm est Naturam perficere, & complere; dareque creaturæ quod ipsi competit, titulo non involventi imperfectionem, sed perfectionem; sed Deus supplere potest seipso quidquid non dicit imperfectionem, sed perfectionem: ergo potest supplere seipso munus creatæ subsistentiæ. Hic discursus apparet valde probabilis.

228 Respondeo admissa majori, si solutio argumentorum sit talis, & ita congrua ratio, ut sit suasiva judicii prudentis: nam si ita non sit, nunquam concedam, ea sufficere ad probabilem assensum: unde quod additur in majoris patrocinium, multas esse opiniones, quarū probabilitas tota pendet à solutione argumentorum, Verum unicè censeo in duplici casu. Primò si solutio non sit merè negativa, sed positiva; atque adeo suasiva judicii prudentis, quæ manifestè conjungitur cum persuasione quod nulla possit afferri ratio, quæ non sit probabiliter, & positivè vincibilis.

229 Secundò, si solutio jam supponat opinionem existimari ex alio capite probabilem, quod caput, ostenditur, per argumenta nova non convinci falsum, nec à sua probabilitate deturbari. Nunc nego minorem. Ad probationem dicatur, neque solutionem illā, quam permisimus evidentem lumini naturali parere prudentem suasionem de eo quod nulla contradictio lateat, neque de veritate mysterii: nam non convinci per hæc media, impossibilem esse rem, & alioquin contingere posse quod sit impossibilis, est evidens, & hæc evidentia non sinit vim suasivam in illo genere solutionis.

230 Ad rationem dico, licèt Angelus sciat suppleri à Deo posse seipso quod non dicit imperfectionem in se; at scit etiam non

non suppleri à Deo posse, quod alioquin non dicit imperfectionem; si modus supplendi importet imperfectionem in Deo, aut non sinat esse possibilem summa independentia Dei à creaturis in essendo. Cùm autem ex nullo modo quo se Natura communicat sub sistentiæ suæ in creatis, colligere probabiliter possit, modum illum, quo Deus supplere deberet munus subsistētiæ, vacare imperfectione, hinc neque congruè neque probabiliter colligere poterit Deum id posse; atque adeo neque Mysterium Incarnationis. Adde quod quo majus foret naturale lumē, eo magis retardaret prudentem assensum, summa obscuritas, quam experiretur, & deberet in se fateri finitus intellectus circa Personalitatis Divinæ habitudinem ad Naturam, & inaccessibilem constitutionē in se.

DISPVTATIO IV.

VNIONIS HYPOSTATICÆ TERMINI, prout de facto.

1 ACTIONIS Incarnativæ, seu Incarnationis Activæ Terminos dedimus *disp.1 sect.5 §.3.* Formalis Incarnationis, seu Vnionis Hypostaticæ Terminos modò damus: & dicuntur esse Tres. Totalis, qui ex Vnione resultat: & hic est Christus: de quo jam *ibi*: Partiales duo, qui dicuntur Vnionis formales Termini, quia per illam Vniti formaliter inter se: & horū Alter, est Verbum: alter, Humanitas. Vterque dicitur Terminus unitus: Humanitas, Terminus assumptus: Verbum, Terminus assumens, & Incarnatus. Appellationum harum rationem dedit Theologis S. Thomas *quæst. 2. art.8* Dicuntur æquè Verbum, & Humanitas, Termini Vniti: quia Vnio solum denotat conjunctionem Duorum in unum: Et hæc fit ex Humanitate, & ex Verbo. Dicitur unicè Verbum Incarnatum, seu Terminus Incarnatus, quia Incarnatio dicit unionem prout factam in Persona, cui per ipsam accessit caro: unde licèt *tres Personæ* possint dici *Incarnantes*, & *Vnientes*, quia producunt unionem Incarnativam; *sola persona Filii* dicitur *Incarnata*, quia sola terminavit Vnionem. Dicitur etiam unicè Verbum, Terminus assumens: quia Assumptio dicit Vnionem factam in extremo, & ab extremo, quod per ipsam alteri jungitur: unde licèt Pater, & Spiritus Sanctus producant Vnionem, quia non terminant, seu uniuntur, non dicuntur assumentes. Dicitur demum Humanitas, Terminus assumptus, & non assumens, quia quamvis uniatur, non producit Vnionem: unde *Assumptio* dicit actionem, & quasi passionem: nempe producere unionem, & uniri per ipsam, quod solius est Verbi. Examinemus modò, ad plenam Vnionis Hypostaticæ comprehensionem, Terminos ejus Assumentem, & Assumptum: in Assumente, rationem assumendi: & Assumptionis ordinem, in Assumpto: & quidem prout de facto: eosdem examinaturi postmodum, de possibili. *Suprà disp. 1. à nu.102*

S.Thomas.

SEC-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO I.

TERMINVS ASSVMENS, ET ASSVmendi ratio.

§. I.

QVÆ CERTA SVNT? VBI CVR SECVNda Persona, Incarnata?

2 DE Termino Assumente, & ratione Assumendi, duo sunt certa; & alterum valde controversum. Certum est primo contra Sabellianos, & Patripassianos, secundam Personam Trinitatis, nempe, Personam Filii, eamque solam, fuisse Terminum Assumentem Humanitatis, seu hypostaticè Humanitatem assumpsisse, & Incarnatam esse. Sic docet Fides. *Contra Sabellian. & Patripass.*

3 Nec obest, quod Divinæ Relationes sint interse mutuò connexæ in vi terminandi Naturam: Vnde videtur fieri, terminandam Humanitatem à tribus, si terminari dicatur ab una. Nam ea connexio non est respectu Naturæ alienæ, sed propriæ: duplex enim est. Prima ex parte Naturæ, ratione suæ infinitatis. Altera ex parte Relationum, ob illam quam inter se dicunt habitudinem originis, & respectus intrinseci. Qui duplex titulus non est respectu Humanitatis: quam proinde, Persona Verbi, cum vim habeat terminandæ Naturæ, propriam, & distinctam ab aliis, terminare potest, quin eo ipso ab aliis terminari debeat.

4 Nec item obest, quod respectus activus ad extra debeat esse communis toti Trinitati: ergo respectus etiam sustentativus, & communicativus ad extra. Nam ex multis, quæ *disp. 2. à num. 68.* dicta sunt, patet titulum activi respectus esse communem: & titulum sustentandi per communicationem suæ proprietatis, esse Personis proprium. *Suprà disp. 2. a nu. 68.*

5 Nec obest insuper, quod suppositum sit incommunicabile: & subsistentia, ultimus Naturæ Terminus non ultra terminabilis: unde videtur fieri Personam uniri substantialiter ultra non posse. Nam *disp. 1. sect. 2. à num. 40.* ubi hæc explicui, ita explicui, ut id hic frustrà objiceretur. *Et disp. 1. à num. 40.*

6 Nec obest denique, quod Visionem terminare non possit una Persona sine aliis: ergo nec Vnionem. Nam est clara disparitas loco citato: *& disp. 1. sect. 3.* Addo clariorem aliam. Nam Vnio solum unit intrinseca rei: Visio vero, præsertim intuitiva, æquè tendit ad intrinseca, ac ad extrinseca rei: unde ea, quæ mutuam habent inter se habitudinem, majorem habent connexionem in ordine ad claram cognitionem, quam ad Vnionem physicam: ipsa enim habitudo est utriusque cognoscibilitas: non verò unibilitas utriusque: seu est necessaria ratio cur cognoscatur utrumque: habitudo enim, ratione speciei communis ad terminum, est intentionaliter idem cum ipso termino: non autem est ratio cur uniatur utrumque: quia non ideo utriusque est idem physicum esse, unde sumitur ratio: Nam Vnio tendit ad faciendum unum physicè cum re unibili; res autem unibilis non facit unum, nisi per id quod ipsa est intrinsecè talis. Visio verò non tendit ad faciendum unum cum re Intelligibili, sed ad exprimendam omnem ejus perfectionem, & respectum, quæ, quin exprimâtur extrinseca, nequeunt exprimi: Inde scientia non potest exprimi reflexè sine expressione Termini, seu objecti; uniri tamen physicè potest, & unitur intellectui sine physica unione Termini, seu objecti. Videte Suarez *disp. 12. sect. 1.* & Amicum *disp. 14. sectione etiam prima*, & eruditissimum Patrem Bernal *disp. 21.* *Suprà loc. cit. & disp. 1. sect. 3.* *Suarez. Amicus. Bernal.*

7 Certum est secundò: Cur potius secunda Persona Naturam Humanam assumpserit & incarnata sit, quam Prima, & Tertia Sanctissimæ Trinitatis, Rationē Deo fuisse sufficientissimam; qui prudentissimè operatur in singulis: Nobis verò rationem, quæ convincat, non esse aliam, quam Decretum Dei ipsius, in cujus arcana, quis penetret? esse tamen congruentias, quas in aliqualem intradiationem consilii sui dignatus est Deus dare nobis per ora Sanctorum, & Theologorum: quæ proinde, licèt non cōvincant, veneranda sunt: Vide *loc. cit.* multas apud Doctorem Nostrum: ex quo derivant, & persequuntur avidè Recentiores. Illæ perplacent. *Suarez.*

8 Prima: major affinitas hominis cum Verbo, quam cum personis reliquis; nam & hoc procedit Imago: & ille factus est ad imaginem Dei. Altera: Per idem producit Artifex opus, & reparat: Per Verbum igitur ut exemplar Divinum, homo à Deo conditus, debuit reparari jam lapsus. Tertia: decuit ut Adoptivos Filios Filius Naturalis faceret, & redimeret. Quarta: Qui appetendo Scientiam boni, & mali perierant: imò appetendo similitudinem Dei, congruit ut per verā Dei Scientiam, & imaginem revivisceremt.

Quin-

Quinta: major convenientia in participatione Idiomatum: ut nempe, qui generatione æterna est Filius naturalis Dei: temporali generatione fieret Filius hominis: & qui ab æterno Patrem haberet, Matrem habere diceretur in tempore: Ne generationis, & idiomatum humanorum attributio, pareret in aliis Relationibus confusionem, & occasionem errandi: quas hominibus incautè se in ipsas induentibus ex genio in malum lubrico, cautissimè præcavet Deus ex genio salutis hominum indulgentissimo. Et hæc illa duo, quæ dixi, certa.

§. II.

MAGNA CONTROVERSIA DE RATIOne Terminandi, & assumendi, ex parte Verbi.

9 CONtrovertitur maximè: quæ in Personam Verbi fuerit ratio physica Naturam assumendi, seu terminandi unionem? est quærere: cùm in Persona Verbi, duæ sint rationes: Altera, Personalis Relationis, ita propria Verbi, ut per eam incommunicabiliter constituatur in se, & distinguatur ab aliis Personis: Altera, Perfectionis absolutæ, nempe Naturæ, in qua cum Patre, & Spiritu Sancto communicat, quia in Tribus est una, & eadem: an sub ratione Personalis Relationis unicè terminaverit unionem? an sub ratione Perfectionis absolutæ? an sub utraque? an demum unicè sub altera, ita, ut utraque Vnionem æquè physicè terminaverit? In quo variant ita Theologi (quorum dicendi modos videre poteris apud Vazquez *disp. 26.* Koninch *disp. 7. dub. 2.* Amicum *disp. 14. sect. 3.* & Bernal sparsim *tota disp. 22.* cum fructu videndâ) ut conciliari vix possint: aut ægrè possit discerni, quid sentiant. Quid sentiam ipse: & illi, meo videri, debeant, asserendo proponam: quid videantur sensisse singuli, & in ipsis displiceat mihi, rejiciam inferendo. *Vazquez. Koninch. Amicus. Bernal.*

10 Assero tria, per quæ me explico. *Primum*: Immediatione terminationis æquè immediatè terminat Vnionē Humanitatis Natura Divina, ac Personalitas Verbi: adeo, ut, si per impossibile, manente Personalitate, deficeret Natura, Vnio deficeret ex defectu termini. *Secundum*: immediatione rationis, sola Personalitas Vnionē terminat: quod est dicere, Naturam esse terminum immediatum Vnionis, sed non esse rationem terminandi; atque adeò non uniri ratione absoluti, sed Relativi; non sequendo communitatem ad tres Personas, sed *prout in Verbo*: non *propter se*, sed *propter Verbum*: quia *attento fine intrinseco Vnionis* non eam terminat, *quia essentia Dei*, sed *quia essentia Verbi*, seu Personalitatis Vnitæ: adeò ut si per impossibile, defficiente Personalitate, maneret Natura, non maneret finis intrinsecus Vnionis istius, sed ista deficeret non ex deffectu termini, utcumque, sed *ex deffectu finis intrinseci. Tertium*: Ratione Verbi, & *prout in Verbo* immediatè terminat Vnionem, & unitur Humanitati tota Persona Filii, *id est*, quicquid est idem cum Relatione Filii. Convenio quoad hæc tria cum Muniessa, sic in re docente *disp. 2. de Incarnatione sect. 2.* Et ego *P. Muniess.*

11 Hos sumo terminos à Concilio Rhemensi *sub Eugenio*, à Sancto Bernardo, & à Sancto Thoma *quæst. 3. art. 2. ad arg. & in Corp.* & hæc veritas, negata sub his terminis à Modernis communiter; asserta cōmuniter sub æquivalentibus mihi videtur à Magnis Theologis. Nā persuadebo mihi nunquam S. Thomam, Suarez, & Vazquez, dum dicunt Vnionē terminari ad Naturam *Secundariò*, ratione Verbi, seu *mediante Verbo*, intendisse cōtra manifesta verba Rhemensis, mediationem interjectionis, & exclusisse immediationem physicę terminationis: cùm hæc Verba sint clarā satis, & unicè excludant immediationem rationis, quasi formalis; & intendant unicè *mediationē finis intrinseci*, & *congruitatis* quod non obstat, ne Natura contractè, & *prout in Filio*, propriè, physicè, & immediatè terminet Vnionem. *Rhemense sub Eugen. Bernardus. Thomas. P. Suarez. P. Vazq.*

12 Ratio est primò: quia his ipsis terminis utuntur de Vnione Verbi ad corpus, quam dicunt fuisse mediante Anima, & de Vnione ad Animam, quam fuisse dicunt mediante mente: quin hæc tamen mediatio obstet immediationi physicæ terminationis ad Corpus, & Animam. Secundò: quia conveniunt in eo quòd Natura dicatur Incarnata, & Vnita, quod ex dandis *infrà* non video dici posse sine assertione nostra quoad illas tres partes: quas ostendam, ascensu retrogrado ad primam, ex ultimis. *Infrà à nu. 27.*

13 Et tertia pars Assertionis legitimè descendit ex præcedentibus. Et ultra firmatur: Persona Filii se intrinsecè, media Vnione, dedit Humanitati plenè, & quantum potuit: ergo Vnio plenè, & quantum potest, terminatur ad Personam Filii: ergo terminatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

natur immediatè ad totum, quod est Filius, prout est in Filio, seu quia Filius est. Consequentia hæc patet: nam sicut Visio, quæ non terminaretur ad totum, quod est Filius immediatè immediatione terminationis, non terminaretur plenè, & quantum Visio potest ad Personam Filii: ita Vnio, quæ non terminaretur immediatè ad totum, quod est Filius, non terminaretur plenè, & quantum Vnio potest ad Personam Filii. Consequentia prima probatur: tùm quia Persona Filii tantum se dat Humanitati, quantum unitur: ipsa enim Vnio est quasi taxa dationis; & tantum unitur, quantum Vnio terminatur: ergo si persona Filii se dedit Humanitati plenè, & quantum potuit, Vnio terminatur ad ipsam, plenè, & quantum Vnio potest. Tùm etiam, quia non se dat Intellectui Persona Filii, media Visione, plenè & quantum potest; si Visio non terminatur ad ipsam plenè, & quantum potest Visio: ergo similiter.

Coloss. 2. 14 Antecedens ergo probatur. Primò: quia Persona Filii ita se dedit Humanitati per Vnionem, ut dici cum Apostolo ad Colossens. secundo, posit, media Vnione *inhabitasse Plenitudinem Divinitatis in Christo Corporaliter*; ea autem inhabitatio est unio: neque enim plus habitat, quàm unitur: ergo Persona Filii ita se dedit Humanitati per unionem, ut uniret ratione sui plenitudinem suæ Divinitatis: ergo se dedit plenè, quanta est, & quantum potuit. Secundò: quia Christo *non est datus Spiritus ad mensuram,*
Ioann. 3. ut de ipso loquitur Ioannes Baptista *Ioann. 3.* ergo neque se dedit Verbum Humanitati, nisi plenè, & quantù potuit. Tertiò: quia Qui dat se ipsum, dare vult quantum potest: sed Persona Filii per Vnionem se dedit Humanitati: ergo dare se voluit plenè, & quantum potuit.

15 Secunda pars, nempe, quòd immediatione rationis non sit Vnita Humanitati Divinitas, sed Personalitas, id est, quod Natura non sit unita secundum se, nec ratione absoluti, sed quia est Natura Filii, *prout in Filio, & ratione Relativi*: Probatur primò, Authoritate manifesta. Tùm Rhemensis: cujus
Rhemensis Verb. apud Baronium. hæc verba sunt apud Baronium *tom. 12. ad ann. 1148. Credimus, & confitemur, ipsam Divinitatem, sive Substantiam Divinam, sive Naturam Divinam dicas, Incarnatam esse, sed in Filio.* Tùm V. Synodi *act. 5.* cujus hæc
V. Synod. sunt Verba: *Siquis Vnã Naturam Incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quia ex Divina Natura & Humana Vnio est secundum subsistentiam facta, anathema sit.* Tùm sexti Toletani *can. 1.* cujus hæc sunt *Toletan. VI.* Verba: *Solus Filius suscepit Humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate Divinæ Naturæ*, id est, (declarante se ipsum Concilio) *in eo quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati*: ergo Natura Divina non est unita, prout in se est, vel secundum se, seu prout quid commune: ergo nec est unita ratione absoluti, sed Relativi; nec quia communis est essentia, sed quia essentia est Filii; nec propter se, sed propter Filium, & prout in Filio: quæ sunt limitationes Assertionis nostræ.

16 Probatur secundò ratione: quia si Natura mansisset Vnita, ut ratio terminandi unionem, seu ratione sui, æquè fuissent Incarnati Pater & Spiritus Sanctus, ac est Filius: quod est hæreticum, & ostenditur sequi. Tùm quia, ratio Terminandi unionem esset æquè communis Patri, & Spiritui Sancto, ac Filio: quando autem ratio terminandi aliquem actum ad extra, & ad intra, est communis; æquè actus convenit toti Trinitati: inde repugnat quod una Persona velit, intelligat, aut operetur ad extra, quin omnes simul & æquè intelligant, velint, & operentur: quia ratio intelligendi, volendi, & operandi ad extra est communis. Tùm etiam quia, quod Personæ convenit ratione absoluti, æquè convenit tribus: convenit enim titulo, qui est æquè in singulis.

17 Confirmatur: Nequit terminare Vnionem Persona ratione proprietatis, quin ipsa unita maneat: ergo nequit terminare unionem ratione Perfectionis absolutæ, & communis, quin omnes maneant unitæ. Probo consequentiam. Ideo illud est verum, quia ratio uniendi est propria Personæ in casu antecedentis: sed in casu consequentis ratio uniendi est æquè in unâ, ac in Personis cæteris: quod enim sit in unâ, non tollit, illi rationi, cómunitatem, quam habet ex se: ergo pariter omnes Personæ, cui illa ratio sit communis, manebunt unitæ. Vnde Toletanum, *ubi suprà*, reddens suæ rationem Fidei, addi- *Verba Toletan. VI.*
dit meritò: *Si Naturam hominis Deique, alteram in alteram infudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset.*

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

§. III.

§. III.

DIVINITAS IMMEDIATE VNITA, Immediatione terminationis.

18 PRima pars, in qua potissimùm est difficultas: nempe quod immediatione terminationis æquè terminet Vnionẽ Humanitatis Natura Divina, ac Personalitas, ut constituit utraque Persona Filii, censetur
Recentior Perdoctus in manusc. Lateranen. sub Martin 1. à Doctissimo Magistro, de Fide. Quidquid tamen sit de censura: Probatur primò ex Lateranensi *sub Martin. 1. Consult. 5. can 6.* & 8. ubi sic: *Siquis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem Naturarum* (nempe Divinæ, & Humanæ) *substantialem unitionem indivise, & inconfusè in eo* (nempe Christo) *cognitam, condemnatus sit.* At si Natura Divina solum dicitur unita Humanæ, non quia terminat Vnionem, sed quia identificatur cum Personalitate, quæ terminat; qua ratione dicitur propriè, & juxta veritatem unita? Id quod urgentius dabo in tertia probatione.

19 Probatur secundò, ex Paulo ad Coloss.
Coloss. 2. secundo, dicente *omnem Plenitudinem Divinitatis habitare corporaliter in Christo*: quid est habitare corporaliter plenitudinem Divinitatis in Christo, nisi Naturam Divinam in Christo unitam esse Naturæ corpoeæ? & quid est habitare omnem plenitudinem, nisi unitam esse Naturæ Humanæ Personam Filii, quanta est? id autem dictum ab Apostolo, ut commendaret Majestatem, & Dignitatem Hominis Dei, nempe Christi, quis intelligat de Inhabitatione Divinitatis quasi materiali, & mediata, ratione identitatis, & non ratione Vnionis, quasi diceret: in quo per unionem corporaliter, id est verè, & realiter inhabitat aliquid, quod identificatur cum plenitudine Divinitatis? hic sensus inferior est Theologiâ Pauli.

PP. & CC apud Petavium. 20 Confirmatur primò: quia Humanitas dicitur à SS. Patribus, & CC. *Deitate uncta; delibuta Divinitate*: qui termini sonant modum existendi Divinitatis intrinsecum in Humanitate: at nequit intrinsecè existere ratione Vnionis in Humanitate, eamque ratione unionis ungere, nisi terminet Vnionem immediatè: non enim ratione unionis existeret nisi quasi extrinsecè, si sola ratione identitatis cum immediato termino unionis existeret in Humanitate Christi. Confirmatur secundò: Nam Divinitas propter Vnionem ponitur; ubi ponitur Humanitas ex Tridentino *sess. 13. cap. 3.* ergo quia terminat immediatè Vnionem: alioquin, non propter unionem, sed propter identitatem cum termino unionis poneretur. *Tridentinũ*

21 Probatur tertiò, & principaliter: Cui propriè convenit Humanitatem assumere, & Incarnari, necessariò convenit immediatè terminare Vnionem Humanitatis, immediatione terminationis; sed Naturæ Divinæ convenit propriè Humanitatem assumere, & Incarnatam esse: ergo necessariò convenit immediatè terminare Vnionem Humanitatis, immediatione terminationis. Consequentia est bona: & probandæ præmissæ: in quibus tota vis posita. Minor quoad primam partem, constat ex Basilio *in Psalm. 21. Natura assumpta Divinitati assumenti eam, unita est.* *Basilius.* Ex Nazianzeno *orat. 41.* Vbi *nunc Christi Corpus fuerit, nisi cum ea Natura, à qua assumptum est* Ex Augustin. *In Enchirid. cap. 34* ubi *Nazianz.* *Augustin.* ait *Corpus fuisse à Divinitate susceptum.* Ex Hieronymo *de symbol. Fidei ad Donatum: Passus est Christus, non secundum illam substantiam, quæ assumpsit, sed quæ assumpta est.* Ex *Hieronym.* Alcuino *lib. 3 de Fide Trinit. cap. 2. Tota Divinitas est in Humanitate sua, ut sicut à Divinitate plenitudo Humanitatis suscepta est, ita in Humanitate ejus, plenitudo sit Divinitatis.* Ex *Alcuinus.* Theodoro Antiocheno *tom. 5. Bibliothecæ novæ Colonien. pag. 3.* ubi ait, *juxta definitionem Ecclesiæ Naturas duas in Vnum convenisse; assumente Divinitate; assumpta verò Humanitate.* Demum ex S. Thom. *hic quæst. 3. art. 2.* *Theodor. Antioch.* *S. Thomas.* Et hæc de prima parte minoris.

22 Quoad secundam partem constat eadem Minor: Primò ex loc. Pauli *cit. ad Coloss.* ubi tota *Plenitudo Divinitatis inhabitare dicitur Corporaliter in Christo*: id est, interprete Damasceno *lib 3. de Fid. cap. 6.* in ipsius carne. Secundò ex Patribus: Bernardo *Serm. 1. in Pascha: venerat ad Nos Divinitas incarnata, calceata Majestas.* Petro Damiano *Serm. 11. Virginis uterum novo, & singulari partu Divinitas Humanata sigillat.* Item Augustino, Gregorio, Leone & aliis, quorum adductus testimoniis Eugenius III. *in Rhemensi* damnavit oppositam assertionem Gilberti Porretani, *teste Gaufrido*, eorum verba referenti loco mox dando. *Damascen. Bernard. P. Damian Augustin. Gregorius. Leo. Eug. III. in Rhemens Gaufrid.*

23 Tertiò: licèt Damascenus id renuere videatur *lib. 3. de Fid. cap. 11.* ibidem tamen *& cap. 6. & 7.* profitetur ex mente Cyrilli, & Athanasii Naturam Verbi esse Incarnatã, non detrahente vim, proprietatem, aut immediationem Vnionis, addito Verbi, sed *Cyrill. Athanas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

explicante Sententiam juxta secundam partem nostræ assertionis, ut habet Clictovæus *in Commentariis ad locum eundem.* Id quod eis fermè temporibus firmavit Francofurtense *in Sacro syllabo* totius Concilii nomine edito per hæc verba: *Denique non de sola excellentia Majestatis ejus loquebatur Angelus* (Luc.1.) *sed potiùs de Incarnata Divinitate.*

Clictoveus Francofurd

24 Quartò: quia hæc contradictoria: *Divina Natura non est Incarnata*, damnata est cum aliis tribus capitulis Gilberti Episcopi Pictaviensis, per hanc Nostram: *Ipsa Divinitas, seu substantia Divina, seu Divina Natura Incarnata est, sed in Filio*: damnata, inquam, est *ab Eugenio III.* opera Sancti Bernardi in Rhemensi Concilio, ut refert uberrimè Gaufridus *epist. ad Episc. Alvanensem* apud Baronium *tom.12. Annal. ann.1148.*

Gaufridus. Legatur Baronius.

25 Nec obest, quòd Otho Frisingensis (cui potissimùm fidem adhibet, & subscribit, nec Gaufrido lecto, nec vilo Baronio Vazquez *in 1. p. disp.120. cap.2.*) affirmet *lib.1. de reb gestis Friderici Imperat. cap.59.* Eugenium unicè damnavisse primum Gilberti articulum; de distinctione Naturæ à Personis; reliquos, & inter ipsos quartum, (quæ citata est propositio) non curasse. Nó inquam obest. Primò: quia Gaufrido, utpote testi Religioso, & oculato, potior habenda est fides: Frisingensis verò scripsit *post annos amplius centum* à Rhemensi. Secundò: quia Frisingensis præsefert propensionem in Gilbertum: acerbitatem in Bernardum, à quo ille convictus; & exinde Bernardum carpit, eumque vocat *Zelotypum, & nimis credulũ.* Vnde Gaufrido, & non Othoni, subscribunt Baronius *ubi supra*: Severinus Binnius *in notis ad Rhemense*, Illustrissimus Pacensis Manrique *tom.2. Ann. Cistercien. eodem ann. cap.3.* Nec Rhemense dehinvit quidquam in hoc quod anè, Lateranense non definierit *sub Martin. 1. per* hæc Verba *can. 5. Siquis non confitetur propriè & verè unam Naturam Dei Verbi Incarnatam, sit Condemnatus.*

Baronius. Binnius. M. Manrique.

26 Vnum video dici ab Adversariis posse, manuducente Hurtado; in his Sanctionibus sumi pro Persõna Divinitatem. Verũ id, præter quam quòd Conciliorum definitiones detorquet ad improprios sensus, intercipitur à Rhemensi, satis clarè. Deinde id à Conciliis dicitur, quando agitur de stabiliendis duabus Naturis in Christo intrinsecè, & propriè unitis in unam Personam: qua ergo veritate dici à Theologo potest, Concilia Divinitatem pro Persona sumpsisse, cum non semel, nec obiter, sed ex instituto, toties, & in re, quæ egebat maximè puritate, & claritate Verborum, iis usi fuerint SS. PP? quare de veritate Minoris dubitari non potest.

Hurtado. præcluditur.

27 Major primi Syllogismi, nempe: cui propriè conveniat assumere, & Incarnari, convenire necessariò, terminare unionem immediatè, immediatione terminationis, ostenditur primò: quia assumere est ad se sumere ratione unionis aliquid, ex S. Thoma: Incarnari est esse ratione unionis in carne intrinsecè; atqui formalitas, quæ non terminat Vnionem immediatè, non sumit ad se quicquam ratione unionis; nec ratione unionis est intrinseca carni: nam si per impossibile deficeret, & maneret formalitas immediata, non deficeret Vnio: quippe nihil deficeret quod unio intrinsecè afficeret: ergo, &c.

S. Thomas.

28 Ostenditur secundò: si Vnio non terminatur immediatè immediatione terminationis ad Naturam, sed solum mediatè, & identicè, nempe quia terminatur ad aliquid quod est Natura, quin tamen Naturam attingat, faciendo quendam quasi usum Virtualis distinctionis; non attingit naturam magis, quam attingit productio Filii, seu generatio: ergo sicut realis identitas Naturæ cum terminante productionem, ex illo modo attingendi, non sufficit, ut verè, & propriè Natura dicatur genita: ita nec identitas Naturæ cum terminante unionem, ex illo modo uniendi, sufficiet, ut verè, & propriè dicatur Natura Vnita, assumens, & Incarnata: ergo sicut absolutè falsum est dicere, quod Natura sit genita, licèt sit formalitas genita, falsum erit quod definiere Patres, quod Natura sit Vnita, assumens, & Incarnata, licèt sit formalitas Vnita, assumens, & Incarnata.

29 Vnde ostenditur tertiò: aliquo modo dici potest: Natura unitur, assumit, & Incarnata est per Vnionem, modo quo dici non potest: Natura producitur, & est genita: hoc enim damnatur à Patribus: illud asseritur: ergo plus Naturæ convenit esse terminum Vnionis, quam productionis: sed esse terminum identicè: id est, esse identificatam cum termino producto, & unito, æquè convenit Naturæ respectu Vnionis, ac productionis: ergo respectu Vnionis plus habet quam esse Terminum identicè: ergo esse terminum immediatum, immediatione terminationis. Ostenditur quartò, &

30 Confirmantur, ac illustrãtur hæc omnia:

nia. Nec solent, nec debent usurpari propositiones circa res Fidei, in quibus prædicatum, propriè subjecto non convenit, licèt subjectum identificetur cum altera formalitate, cui propriè convenit prædicatum: atqui Patres, & Concilia dicunt de Divina Natura, terminis expressissimis, & valde propriis, quod unita sit Humanæ, & exinde quod Incarnata sit in Filio: ergo uniri & Incarnari non ei convenit, sed ùm identicè, seu mediatè, quatenus identificatur cum formalitate, cui propriè & immediatè convenit uniri, & Incarnari.

31 Consequentia sequitur & minor patet ex supra dictis: repeto definitionem Rhemensis, ut eludam evasiones Recentium: hæc sunt Verba: *Ipsa Divinitas seu substantia Divina, seu Divina Natura est Incarnata, sed in Filio*: quorum sensus esse non potest ille vulgaris: nempe: *Divinitas non est unita, sed identificatur cum Relatione, quæ unitur, & Incarnatur*: nam quod Divinitas identificetur cũ Relatione Filii, quæ generatur, & distinguitur à Patre, non sufficit ad asserendum: Ipsa Divinitas generatur à Patre, seu distinguitur à Patre, sed in Filio: est ergo Rhemensis sensus omninò, ac noster.

Verba Cõc. Rhemens.

32 Ostenditur major: Quòd essentia Dei identificetur cum omnibus Dei Consiliis, non sufficit ut Beati, qui vident essentiam Dei, videre dicantur omnia Dei Consilia in essentia: quòd Aethnici demonstrent Dei unitatem, quæ realiter est ipsa Trinitas, non sufficit ut dicantur demonstrare Trinitatem: Quòd Intellectus sit realiter idem cũ Voluntate, non sufficit apud multos ex Adversariis, ut Deus generãdo per intellectum, dicatur generare per voluntatem: Quòd demum essentia Divina sit realiter Filiatio genita, non sufficit ut dicatur genita: ergo verissima est major: quam assumpsi.

33 Probatur quartò, tertia illa pars assertionis, etiam principaliter, & à priori. Divina Natura capax est uniri, & terminare unionem: & aliquomodo reipsa unitur, & terminat: id saltem negare non possunt Adversarii Authoritati tantæ Conciliorum, & PP. ergo immediatè unitur, & immediatè terminat, immediatione terminationis. Probo hanc consequentiam. Illa formalitas immediatè terminat unionem, quæ reipsa terminat, & inter ipsam, & Vnionem nihil simpliciter mediat, præter rationem formalem uniendi: atqui Natura Divina reipsa terminat Vnionem; & inter ipsam, & Vnionem nihil simpliciter mediat præter ipsam hypostaticam Vnionem, quæ est formalis uniendi ratio: ergo terminat immediatè unionẽ. Major est ipsa definitio Terminationis immediatæ ad unionem: vel dicatur, quid in re sit, immediatè uniri; Minor etiam patet: nam Filiatio cum sit idem cum Natura, & ipsa Natura simpliciter, non facit quod inter Naturam & Vnionem quicquam simpliciter mediet.

34 Dices: mediare inter Naturam, & Vnionem, virtuali distinctione, Filiationem, quæ quoad effectum impediendi immediationem unionis, perinde est, ac si realiter distingueretur à Natura, mediaretque simpliciter: ut patet quoad effectum, & denominationem genitæ, & productæ in ipsa Natura. *Optimè quidem.* Contra sic: ergo sicut quoad denominationem genitæ, & productæ, ita Filiatio mediat, ut omninò impediat in Natura denominationem hujusmodi: similiter ita mediabit quoad denominationem Vnitæ, ut omninò impediat: quod erroneum est.

35 Contra secundò: Distinctio virtualis inter Naturam, & Filiationem non obstat, quominus Natura verè, & propriè dicatur Vnita: ut supra confecimus ex Scripturis, CC. & PP. ergo nec potest obesse, quominus dicatur Vnita immediatè immediatione terminationis. Ratio est, quia ubi fit usus distinctionis virtualis quoad aliquam denominationem, hæc uni convenit formalitati; & disconvenit alteri, perinde ac si realiter distinguerentur. Contra tertiò: Ita per vos mediat Filiatio inter Naturam, & Vnionem, quoad effectum impediendi immediationẽ unionis, ac si realiter Filiatio distingueretur à Natura: ergo Vnio ita se habet ad Filiationem, & ita se desinit habere ad Naturam, ac si realiter interse distingueretur. Atqui si realiter interse distinguerẽtur, ex unione Filiationis, non maneret propriè unita Natura, per solam terminationem Filiationis, ut patet: ergo neque nunc: quod opponitur maximè Sanctionibus Conciliorum, & PP.

36 Confirmãtur hæc omnia, & illustratur præcedens ratio: Modus hic discurrendi, ut nempe Vnio immediatè terminetur ad Absolutum, & Relativum immediatione terminationis; non verò *immediatione rationis, & quasi finis intrinseci*, non repugnat, sed congruit: imò videtur omninò necessariùs: ergo tenendus est. Antecedens quoad primam partem ostenditur: quia repugnantia

veni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

venire posset ex eo quod Natura non esset immediatè unibilis, vel quod non esset unibilis, Personis non unitis. Vtrumque est falsum. Primum: quia immediata unibilitas est vis perfectiva, quæ negari Naturæ non potest. Secundum: quia quod Naturæ convenit ratione Perfectionis notionalis, non debet id ipsum convenire omnibus, quibus Natura convenit: Ratio est: quia Naturæ non convenit, ut est communis, sed ut contractè est in Filio v. g. Quando autem Naturæ, alioquin communi tribus Personis, convenit aliqua denominatio, ex titulo non communi; sed Proprietativo,& Notionali: non ideo ea denominatio debet esse communis, eò præcisè quòd inveniatur in re alioquin communi.

Do *exempla* duo: *Primum*: Divinitas Sanctificat Animam Christi: non verò Personæ Patris, aut Spiritus Sancti:& cur? quia Sanctificat *prout in Filio. Secundum*: sit calor *a* in subjectis *b* & *c*: si ratione subjecti *b*, seu approximationis ad ipsum, calor calefaciat manum:non ideo dicetur calefacere manum subjectum *c*, licèt calor sit utrique communis: cur? quia calefacere, solum calori convenit prout in subjecto *b*.

37 Ostenditur quoad secundam partem idem antecedens: Nam hic discurrendi modus melius explicat definitiones CC. PP. & Scripturæ: salvat optimè, qua ratione actiones Christi sint infinitæ æstimationis:qua ratione Christus sit etiam formaliter Deus: nempe vi hypostaticæ Vnionis: qua ratione Deitas ungat, deificet, & Sanctificet Humanitatem; non moraliter solum, sed etiam physicè,& intrinsecè: quod quidem ipse difficile video, si negetur immediatio terminationis ad Naturam: si enim immediatè non terminat, perinde se habet ad Humanitatē, ac si foret extrinseca.

Infrà lib.5. disp. 1. à nu.24.

38 Ostenditur denique tertia pars antecedentis. Tùm quia,nisi ubi cogit Fides,non est faciendus usus virtualis distinctionis: at hic non cogit. Tùm etiam quia,quod Naturæ convenit, ratione Naturæ;convenit omni quod est Natura, *salva oppositione Personarum ad intra*, quin quoad hoc fieri possit aut debeat usus virtualis distinctionis: ergo quod Personæ convenit ratione Personæ, convenit omni quod est ipsa Persona, *salva oppositione Personarum ad intrà*, quin quod hoc fieri possit aut debeat usus virtualis distinctionis. Et ratio videtur esse, quia sicut Natura est omnium, quorum est Natura:ita Persona est Naturæ, cujus est Persona: atque adeo,sicut eo ipso quod Naturæ conveniat prædicatum, ratione Naturæ, convenit omnibus quorum est Natura,quia convenit ex prædicato omnium: ita quod convenit Personæ ratione personæ, convenit ex prædicato quod est Naturæ, atque adeò debet convenire Naturæ. Tùm demum quia,nequit perficere substantialiter Personalitas Humanitatem,quin eo ipso substantialiter perficiat ipsa Natura:ergo neque potest oniri Humanitati Personalitas immediatè: quin ratione ipsius maneat unita immediatè Natura: & ratio paritatis videtur esse,quia si prędicatū, aut denominatio non involvat in divinis distinctionem realem in tertio,summa identitas exigit, ut æquè competat entitati toti, cujus est ratio cur ipsi conveniat talis denominatio.

§. IV.

ILLATIONES CONTRA VARIOS DICENDI, & discurrendi modos.

39 INfero ex dictis primò contra Modernos: perperam ab ipsis dici Naturam non terminare magis Vnionem Incarnativā, quam generationem æternam: (qui sunt termini, perquos explicare se solent ex Quiròs *tract.7. de Deo, qui est de Trinitate disp. 33. sect.10. num.47.*) atque adeò solum identicè,mediatè,& quasi materialiter unitam esse: quibus terminis etiam,post Hurtadum,utuntur communissime. Ratio illationis est: quia sic non conveniret magis propriè Naturæ unitam esse,quam esse productam,quod absolutè censeo dignum Theologicâ censurâ. Nec valet dicere denominationem productæ, repugnare Naturæ, non verò denominationem unitæ: quia licèt uniri non repugnet Naturæ, repugnat tamen uniri per unionem quæ non sit Naturæ Vnio.

Koninch. Amicus. Martinon. Lugus. Quiròs, & alii recètes cōmuniter. Hurtadus.

40 Deinde non video,cur punctum *a* cōtinuum puncto *b* dicatur unitum mediatè puncto *c*,per unionem qua immediatè uniuntur punctum *b* & punctum *c*: (quo exemplo se muniunt ex ipso Quiròs): & per unionē Filii, non dici debeant uniti mediatè Pater, & Spiritus Sanctus cum sint inter se magis unum, quam illud punctorum ternarium. Ratio est quia per vos ad rationem uniti mediatè,sufficit unitas cū extremo immediato unionis, & aliunde capacitas ad denominationē uniti:quæ singula conveniunt Patri, &

P. Quiròs.

& Spiritui Sancto. Apud me id non sufficit: imò nec sufficit quod immediatè uniatur aliquid realiter identificatum cum Patre & Spiritu Sancto; si ratio uniendi id ipsum sit distincta realiter à Patre & Spiritu Sancto.

Ochamus, & Gabriel apud Amicum disp. 14 sect. 3.

41 Infero secundò contra Nominales: perperam ab ipsis dici, Totum quod est in Filio, unitum esse Humanitati æquè primò, per se: id est,tam ratione Absoluti,quam ratione Relativi. Ratio illationis est primò: quia deficiunt in fundamento: putant enim Personalitates divinas, ut cōtradistinctas ab essentia, non dicere perfectionem sustentativam Naturæ, seu per se existentiam, sed solam rationem Incommunicabilitatis: quæ cum utraque ratio sit necessaria ad constitutionem Personæ, inferunt unionem factam esse ad utramque secundum se. Secundò: quia hos ferit maximè Toletanum cujus sensus necessariò est Filium suscepisse Naturam humanam: in eo, quod est proprium; non in eo quod est cōmune:id est:non ratione prędicati communis: sed proprii. Tertiò: quia licèt Verbum ratione proprietatis assumpsisset Humanitatem: & æquè ratione Naturæ communis: non esset ratio cur Pater, & Spiritus Sanctus non terminassent unionem assumptivam: Quod enim convenit Deo ratione prædicati, quod est æquè in Tribus, non est ratio cur Tribus non conveniat.

Durand. in 3. dist. 1. quæst.2.

42 Infero tertiò contra Durandum:perperam ab ipso dici, Vnionem factam esse primariò ad Absolutū;secundariò ad Relativum; sed Personam Filii terminasse Vnionem Hypostaticam ratione subsistentiæ communis. Nota, distingui á Durando duas uniones: alteram Humanitatis ad subsistentiam communem tribus Personis: alteram, ad proprietatem Relativam:additque illam esse primariam: hanc secundariam:illam,rationem istius.Ratio illationis est primo summa falsitas fundamenti, quo nititur: nititur enim eo quod in Deo una solum sit subsistentia, eaque communis, & absoluta: Relationes verò non sint subsistentiæ:quod est falso falsius. Secundò: quia videtur id opponi maximè Toletano: imò videtur ipsius contradictorium. Tertio: quia vix potest à Durando reddi ratio cur omnes Personæ Incarnatæ non sint,cum ratio primaria terminandi Incarnationē sit æque communis Personis singulis. Quartò:qui si subsistentia absoluta est primaria ratio assumendi Naturā: ergo Naturam assumere,primariò convenit Filio, quia, & ut est Deus; atqui quod primario convenit Filio, quia, & ut est Deus, æquè convenit Patri,ac Spiritui Sancto:quia & ut sunt Deus: æquè enim sunt Deus, ac Filius: ergo. Quo convictus Durandus respondet Patrem dici posse Incarnatum, & hominem, in quantum Deus est: non verò sine addito:quia deest specialis unio ad ejus Relationem, merito cujus Filius absolutè dicitur Incarnatus, & homo. Quo nihil absurdus dici potuit.

43 Primò: nam quod dici de Patre potest in quantū Deus est dici potest simpliciter de Patre, cum de ipso dicatur simpliciter Deus. Secundò: quia licèt specialis ea Vnio ad Relationem, sit specialis ratio cur Persona Filii dicatur Incarnata, & homo;altera tamen Vnio primario facta ad subsistentiam communem sufficiet, ut cui conveniat esse Deum, conveniat Incarnari, & esse hominem,licèt non ex speciali modo, qui non sit communis omni Personæ, quæ Deus sit: ergo licèt Filius sit ex speciali modo Incarnatus & homo; tamen Pater, & Spiritus Sāctus habent quicquid simpliciter sufficit, & requiritur ut dicantur Incarnati, & facti homo. Vnde Durandi Sententiam notant Capreolus, ut periculosam; Medina, ut hæreticam; Cabrera, ut temerariam; Suarez, ut improbabilem; Amicus, ut temerariam, & errori proximam.

Cabrera. Medina. Capreolus. Suarez. Amicus.

44 Infero quartò contra Sotum,& Victoriam apud Medinam *3. part quæst. 3. art. 2.* perperam ab ipsis dici, primariam rationem terminandi in Filio Vnionem Incarnativam, fuisse subsistentiam communem, & absolutam, prout modificatam tamen Relativo: quod est dicere: rationem assumendi fuisse communem; non vero Incarnatum nisi Filium. Ratio illationis est primò:quia nituntur absurdo fundamento Durandi,quod nempe ratio subsistentiæ non sit in Deo Relativa, sed absoluta.

Sotus. Victoria. apud Medinam.

45 Secundò:quia utitur hic dicendi modus terminis apertè contradicentibus: Si enim ratio in qua Persona Filii terminat Vnionem non est magis Filii, quam Trinitatis, cum sit æquè toti communis; cur potius incarnari debeat Filius, quam tota Trinitas? Tertiò explicetur quid sit ly modificatam Relativo? Vel enim Vnionem fieri ad absolutum prout modificatum Relativo: est fieri ad Absolutum unicè: & hoc non. Vel est fieri primariò ad Absolutum, & secundariò ad Relativum: & hoc est Durandi. Vel hoc est fieri æquè primò ad modificationem, &

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Absolutum: & hoc est Nominalium. Vel est fieri primariò ad Relativum, & ratione istius, ad Absolutum: & hoc diceretur verè: sed pessimè dicitur per hos terminos: qui mihi non aliud sonant, quàm Humanitatem immediatè uniri subsistentiæ communi tantùm ratione, qua mediante maneat unita Personæ Filii: & sic redit illa molesta quæstio: cur si ratio immediata, & primaria, ut incarnetur Filius, est communis toti Trinitati: Filius unicè, nec tota Trinitas, incarnatur?

Thomistæ. Capreolus. Alvarez. Ioannes Thomasius, Gonetus. M. Prudëtius.

46 Infero quinto contra Thomistas recentes secutos Capreolum, & novissimè à Prudentio *tom. 1. tract. 3. disp. ultim. dub. 1. sect. 12.* perperam ab ipsis dici Vnionem factam primariò ad Relativum; secundariò tamen ad Absolutum: quæ voces licèt alioqui sint omnium, restringunt sensum in via Thomistica planè singularem, & falsum. Sentiunt enim primò communiter, duplicem dari Vnionem Humanitatis ad Personam Verbi, seu duplicem dependentiam; alteram, qua dependet Humanitas in existendo: alteram, qua dependet in subsistendo: penes hoc discrepat Prudentius, qui duplicem hunc dependentię modum unica Vnione salvare curat: sed, ob hoc, perstat in eadem navi. Sentiunt secundò Humanitatem existere per existentiam increatam, & non per propriam. Sentiunt tertiò Relationes non habere existentias speciales relativas, sed unicè existere per existentiam absolutam. Vndesentiunt quartò, Vnionem factam in Absoluto, & in Relativo: in isto, ut in quo subsistat Humanitas: in Absoluto, ut in quo existat: factam tamè secundariò in Absoluto, & primario in Relativo: ob dependentiam, & posterioritatem unius unionis ab alterâ. Itaque mihi videtur solum differre Thomistas à Durando penes duo: penes voces: & penes subsistentias relativas, quas dicunt se admittere, de quo mox.

47 Illationis ratio jam satis patet. Primò, ob falsa principia, quibus Thomisticimus iste nititur, nempe distinctionis inter essentiam, & existentiam Humanitatis: distinctionis inter Relationes, & existentiam. Absolutæ subsistentiæ, distinctæ à Relativis. Hæc tria principia falsa sunt. Secundò: quicquid sit de vocibus, inconsequenter loquuntur, & in re Durandizant: nam prius est rem existere, quam subsistere: sicut prius est rem esse, quàm Vniri, & compleri, ut habet expresse S. Thomas *quæst 4. art. 2. 0.* & meritò: tùm quia non entis non sunt proprietates: nec unitur alteri quod non præcedit, ut recipiat, vice causæ subjectivæ, unionem, quam alter terminus recipere nequit: ergo si Humanitas existit & subsistit in Verbo: & existit per quid absolutum, & per quid relativum subsistit; prius & primariò fit unio ad Absolutum, quod est Durandi, quam ad Relativum.

S. Thomas.

48 Tertiò: sumamus binarium illud Vnionum: & rogo: unio terminata ad Absolutum, nonne unicè respicit Absolutũ? ergo respicit absolutum in eo quod est commune, & ratione sui: quod est contra Toletanũ: & exinde cur nõ existunt intrinsecè vi unionis Pater & Spiritus Sanctus in Humanitate, & Incarnantur? urgeo: Humanitas existit ratione prædicati, æquè communis toti Trinitati: ergo existit existentia totius Trinitatis: ergo existit intrinsecè in tota Trinitate vi unionis, & tota Trinitas manet unita. Rogo insuper: unio terminata ad Relativum existit per existentiam propriam, vel per Increatam. Si primum: cur idem de Humanitate non dicitis? Si secundum: si ergo quin immediate attingat existentiam absolutam, per illam existit, cùr idem de Humanitate non dicitis? Rogo præterea, quomodo existit unio per existentiam, quam in se non terminat intrinsecè?

M. Prudentius.

49 Quartò: sit una sola Vnio (si Prudentio placet) & rogo hunc & Thomistas omnes: si ad constitutionem suppositi æquè primò requiritur existentia, & suppositatio; cur ratio existendi, non est æquè ratio cur Humanitas uniatur ad Verbum, ac suppositatio? Si ergo semel ratio cur unitur Humanitas Verbo est ex parte communis, & ex parte Notionalis: cur ex illa non Incarnãtur Tres Personæ: sicut ex istâ, Filius?

Agatho in VI. Synod.

50 Quintò: Tota solutio aut infert, aut continet Doctrinam contradicentem Agathoni Papæ *in sexta Synodo act. 4.* Nam Thomistæ solum agnoscunt in Christo unitatem existentiæ, nec duplicant cum Naturis, earum existentias. Pontifex autem omnia quę ad Naturas spectant, duplicat, excepta Personalitate, seu subsistentia: Verba sunt hæc: *Vnamquamque ejus Naturam, proprietatem naturalem habere fatemur; & habere Divinam omnia, quæ Divina sunt; & Humanam omnia, quæ humana sunt, absque ullo peccato.* Et infrà: *nec tanquam separatas in duabus Personis vel subsistentiis.* Vnde sic arguo, ex Agathone Natura Humana in Christo habet

habet omnia propria, præter peccatum, & subsistentiam: ergo & existentiam propriam: nam hæc, nec peccatum est, nec subsistentia.

Ill. Godoy cõtra suos.

51 Sextò: arguo cum Godoy loc. mox citand. Relationes Divinæ, per vos, non dicunt quicquam perfectionis ab absoluta condistinctæ: ergo non dicunt nisi meram perfectatem Incommunicabilitatis, non verò perfectionem, seu perfectatem independentiæ ab alio, ut à sustentante; imò neque continentiam Personalitatis creatæ. Consequentia patet, tùm quia perfectas independentiæ ab alio, est perfectio. Tùm etiam quia Personalitas creata est etiam ex genere suo perfectio: perfectio autem contineri non potest in conceptu nullam exse & in se dicente perfectionem. Modo sic: ergo, ut supponatur perfectio Personalitatis creatæ, & ut subsistat Humanitas, non sufficit Relativum ut Relativum: ergo necessaria est unio ad perfectionem absolutam: ergo, si primario fit unio ad id per quod suppletur Humanitati Personalitas, & illa subsistit; primariò fit ad Absolutam subsistentiam; nec nisi ab illa potest habere Humanitas, quòd subsistat. Quid aliud Durandus asseruit? ob id dixi, apud me juxta hanc nuperrimam explicationem Godoyi, adhuc hærere cum Durando Thomistas; nec ab his, nisi, nomine tenus, admitti subsistentias Relativas.

Ill. Godoy.

52 Infero sextò contra Godoy *tom. 1. de Incarnatione tract. 3. disp. 15. sect. 3. à num. 61.* perperam ab ipso dici in hac re duo. Primum: suppleri non posse in Humanitate Personalitatem creatam, per solam Relationem Divinam, sed necessariò requiri ut rationem propter quam, & in quâ Verbum facit subsistentem Naturam humanam, & unionem terminat, subsistentiam absolutam, & communem. Secundum: non ideo quòd æquè sit ratio immediata terminandi unionem Absolutum, & Relativum, dici posse & debere Verbum Vniri Humanitati in aliquo Absoluto, sed in aliquo Relativo: dat rationem: Nam *quod* unitur ut *quod* Humanitati, non est *Hic Deus*: sed *Filius*: licèt ratio, *meritocujus* unitur, non sit sola relatio, sed absoluta Perfectio.

53 Ratio illationis est primò: quia non est alia Durandi mens, ut Durandum legenti, & expendenti constabit. Secundò: quia supponit eadem falsa principia. Tertiò: quia exinde plus perfectionis diceret ex se & in se Personalitas creata, quam Divina, quod ego non dixerim. Quartò: quia sic discurrendo, hæc propositio est vera: *Dei Filius Naturam suscepit in eo quod est proprium, & in eo quod est commune*: hæc autem est contradictoria Definitioni Toletani. Quintò: tam est ratio assumendi Naturam in Filio perfectio communis toti Trinitati, ac est specialis proprietas Filii: cur ergo, quia specialis proprietas Filii est ratio assumendi, manet Incarnatus Filius: & quia perfectio communis est ratio assumendi, non manet Incarnata tota Trinitas?

54 Dicis, quia illa perfectio communis non est ratio assumendi, ut communis est. Contra: quid enim hoc est: nam esse in Filio, non tollit, quod maneat communis; si ergo ipsa, ratione sui, est ratio assumendi Naturam, cur non est ut communis? & urgeo: est ratio assumendi Naturam per te, ut est perfectio; sed per te ut est perfectio, præscindit à Relativo, atque adeo est communis: ergo est ratio assumendi Naturam ut est communis. Vrgeo aliter: Perfectio subsistens, perseitate independentiæ ab alio, est per te hic Deus præcisim à Relationibus: sed Vnio terminatur, & subsistit in Deo, per perfectionẽ subsistentem perseitate independentiæ ab alio: ergo terminatur, & subsistit in Deo per hunc Deum, præcisim à Relationibus. Sed Hic Deus, æque convenit Patri, ac Spiritui Sancto: ergo Vnio, seu Humanitas terminatur, & subsistit per id quod æquè convenit Patri, ac Spiritui Sancto: ergo Pater & Spiritus sunt ratio in qua subsistat Humanitas. Vide nunc quantum à Durando differas, quem te non ausurum defendere, dixisti *nu. 25. med.*

55 Sextò demum: quòd Filius sit unitus ut *quod*, non tollit quòd perfectio absoluta non sit ratio immediate unita, ut *quo* per te: cur ergo manet solus Filius unitus ut *quod* & non tota Trinitas; cum æquè toti competat ratio illa, quæ unitur ut *quo*? Vrgeo: id, cujus est ratio *quo* alicujus denominationis, manet *ut quod* respectu talis denominationis; si aliunde sit capax: patet inductione: sed ratio *quo* uniti, & Incarnati, est æquè Patris, ac Filii; alioqui capaciam uniri, & Incarnari: ergo manent uniti & Incarnati *ut quod*.

Arriaga, & Virtualistæ.

56 Infero demum contra Arriagam, & Virtualistas Recentes: perperam ab ipsis colligi virtualem distinctionem Naturæ à Personalitatibus ex Vnione Hypostatica. Ratio illationis est: Nam Vnio non est, qualem

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem ipſi putant, nempe, quæ ſolum uniat immediatè Perſonalitatem, & non Naturam: utramque enim unit immediatè, ut vidimus. Quod Naturam, ex modo ſuo ſpeciali, quia Natura eſt Filii, & ratione iſtius unit, & non alias Perſonalitates: (ex quo capite melius arguerent;) non tam venit ex beneficio diſtinctionis virtualis, quam beneficio Realis diſtinctionis Filii à Perſonis reliquis Patre, & Spiritu Sancto: quæ unionem limitat ad id quod eſt Filius: quem unicè reſpicit Vnio ut finem intrinſecum ſui. Vnde fit quod unita etiam immediatè Natura in Filio, licèt realiter ſit eadem in Patre, & Spiritu Sancto; hæ Perſonæ nec mediatè quidem unitæ maneant: mediat enim Filiatio diſtincta realiter, ut ſpecificativa Vnionis: quæ Filiatio cum propria ſit, & unionem ex proprietate limitet, & ſpecificet, nullam facit communitatem quoad denominationem Vniti cum Reliquis Perſonis.

Suprà d. nu. 18.

§. V.

OBIECTIONES CONTRA DOCTRINAM præcedentem.

Concil. Toletan.

57 OBjicies tamen contra totam Doctrinam primò: quia & Nos Toletano cõtradicimus: Toletanum enim dicens: *Filius ſuſcepit in eo quod eſt Proprium, non in eo quod eſt commune*: unum affirmat: negat aliud: ergo, nos utrumque affirmando, contradicimus.

Toletani verbis abundè eſt Gilbertus.

58 Reſpondeo, eo loco Toletani (ut habet Aldretus *de Vol. Dei diſp. 9 ſect. 1. num. 7. fine*) uſum etiam & abuſum in Rhemenſi Gilbertum contra Bernardum: qui nihilominus perſtitit in ſententia, quam retulimus. Senſus ergo Toletani eſt, Vnionem non eſſe factam *in communi Natura*, ſed *in ſingularitate Perſonæ*, id eſt, ita ut *ex Vnione una Natura fieret*, ſicut manſit *Vna Perſona*, aut tota Trinitas Incarnaretur, ut Incarnata mãſit Perſona Filii. Et addit rationem profundiſſimam: *Suſcepit enim in eo quod eſt proprium, non in eo quod eſt commune*, nempe *non ratione perfectionis communis, nec ſequendo communitatem Naturæ*, nec *ex fine conſtituendi Naturam unam* ex communi, & Humana unitis; *ſed ratione proprietatis*, ſequendo *contractionem Relativi, & ex ſolo fine conſtituendi Perſonam unam* in & ex duabus Naturis ſubſiſtentem.

Ejus mens.

59 Hanc eſſe Concilii mentem probant mihi, ipſa rationis ſic expenſæ ſoliditas, & illa clariſsima Teſtimonia *tot CC. & PP.* quibus voluiſſe contradicere Toletanum, blaſphemum eſt: unde non negat Toletanum immediationem terminationis ad abſolutũ, ſed Abſolutum eſſe rationem aſſumendi Naturam: quod & negamus nos: neque enim *primariò* unitur Deitas, ſed *ſecundariò*, ut Suarez bene loquitur: nempe quia *attento fine intrinſeco unionis* non unitur Deitas, *quia* eſt eſſentia communis, ſed *quia* eſt eſſentia Verbi; nec propter ſe, ſed *propter Verbum*; nec ratione ſui, & ſecundum ſe, ſed ratione Verbi, & *prout in Verbo*: neque enim ibi intenditur unio Naturarum perſe, ſed *Perſonæ conſtituitio*: cujus proprietas, niſi terminaret unionem: nunquam terminaſſet Vnionem Deitas. Vnde libenter aſſerimus cum Toletano, Filium ſuſcepiſſe Naturam *propter, ſecundum, ſeu in id quod eſt proprium*; non vero *propter, ſecundum, ſeu in id quod eſt commune*: nam ex hoc modo ſuſcipiendi, ſequeretur Incarnatio Perſonarum: qui ex illo non ſequitur.

Suarez. Quid ſit Naturam uniri prout in Filio? & ratione Verbi?

60 Objicies ſecundò: Penes id, Verbum terminat unionem, per quod Naturam ſubſtantialiter complet, & ſupplet deffectum propriæ ſubſiſtentiæ: per idque complet Naturam, & ſupplet propriæ deffectum ſubſiſtentiæ, per quod Naturam propriam Perſonat, & complet: Atqui Naturam Divinam, id eſt, Propriam, per ſolam relationem perſonat, & complet: ergo penes hanc unicè terminat unionem. Confirmatur: quia ad finem Vnionis non requiritur unio cum Abſoluto: finis enim eſt conſtitutio Perſonæ ex Humanitate, & ex Verbo; ut autem ex Humanitate, quà eſt Natura, conſtituatur Perſona, ſolius Perſonalitatis requiritur, & ſufficit Vnio.

61 Reſpondeo, diſtinguo majorem: primario, per ſe, & tanquam rationem terminandi terminat Verbum Vnionem per id per quod Naturam complet, & ſupplet deffectum propriæ ſubſiſtentiæ, concedo: per id omnino terminat Vnionem: nego. Nec obeſt quod in confirmationem adducitur: licèt enim unio ſolùm intendat conſtitutionem Perſonæ, & hæc formaliter ſola unione ad Relativum contenta ſit: id tamen ſolum probat Relativum eſſe finem intrinſecum, & totam rationem cur facta ſit unio ad Perſonam Verbi; quod affirmamus: Relativum vero ut præciſum ab Abſoluto eſſe totum, quod immediate Vnionem terminat, & Ab-

Abſolutum ratione Relativi, & prout in Relativo non terminare, non probat: imò deberetur quia oppoſitum docuit CC. & PP. quia fieri nequit, ut, ſeparata oppoſitione ad extra, quicquam conveniat Relativo, quod Abſoluto non conſtet, ut dictum à *numero 33. præſertim num. 38.*

Objicies tertiò: Humanitas conſtituitur Filii Patri v.g. Natura, quam Paternitas, ſed ſi terminaret immediatione terminationis Vnionem penes Patrem manaret Pater Incarnatus, & unitus: ergo etiam ſi terminet penes Naturam.

Reſpondeo, & nego conſequentiam: quia fieri poteſt unio ad Abſolutum ratione alicujus Perſonæ, quæ limitet ipſam Vnionem ad Perſonam, & ad conſtitutiva Perſonæ, prout talia ſunt.

63 Objicies quartò, ſi unio terminaretur ad abſolutum, quo id cumque ſit modo, terminaretur ad aliquid commune, ſeu ad aliquid Patris, & Spiritus Sancti: ergo Pater & Spiritus Sanctus in opere Incarnationis plus communicaſſent cum Filio, quam ſola voluntate, & actione contra Magnum Dionyſium *lib. de Divin. Nominibus cap. 2.* cujus hæc verba ſunt: *hæc nulla ratione communia ſunt Patris ac Spiritus, niſi forte quis dicere: Conſilii bonigni, atque humani communitate, omnique Divini beneficii, ac muneris ſatietate.* Quæ Verba tranſcribit & approbat Damaſcen. *lib 1. cap. 3. de Fid. & lib. 3. cap. 6.* imo VI. Synodus *act. 8.* ſic inquiens: *Namque Pater, & Spiritus Sanctus nulla ratione communicant, niſi quis dixerit ſecundum benigniſſimam, & miſericordem voluntatem.*

64 Reſpondeo, Vnionem terminari quidem ad aliquid Patris, non tamen ut aliquid, ſeu quia aliquid Patris eſt, ſed quia eſt aliquid Filii, ſeu ratione Filii: unde quoad Denominationem uniti, & Incarnati, non communicant cum Filio Patre, & Spiritus Sanctus, ulla quidem ratione quâ tribui debeat ipſis Incarnatio, niſi communitate operationis, voluntatis, & beneficii, quia decreta, & facta Incarnatio Filii eſt in beneficium Hominum. Et hic eſt ſenſus VI. Synod. Dionyſii, & Damaſceni. Addo quod Dionyſius loquitur de his quæ geſſit, & paſſus eſt Chriſtus, & penes hæc ait ſolà cum Filio cõmunicaſſe Patrẽ & Spiritum Sanctum communitatẽ beneficii, operationis, & voluntatis. Vnde fruſtra in præſentem quæſtionem toties ab aliquibus locus iſte repetitur. Sed hinc retitur alia

Damaſc. VI. Synod. Dionyſ. Damaſc. Mens VI. Synod.

§. VI.

AN EX VNIONIS, EXISTANTE SPECIALITER IN Humanitate Perſonæ non Incarnatæ

65 QVæſtio: An Pater & Spiritus Sanctus ſpecialem habeant modum exiſtendi in Chriſti Humanitate ratione Vnionis, licèt ipſi unitum non ſint? Movit primus dubium Doctor Eximius: & illuſtrarunt exinde Theologi poſt ipſum, præſertim Raguſa, Amicus, & Bernal. Hugo Cardinalis in ſæculo, Alvarez, & Thomiſtæ nonnulli negant. Reſpondeo cum communi Theologia, ipſimos Patrem & Spiritum (licèt uniti non ſint Humanitati, *quod eſt de Fide*) in eo tamen exiſtere ſpeciali modo, & ratione Incarnationis, non quidem ſua, ſed Verbi. Audi Auguſtin. *Serm. 10. de 18. Advent. Pater & Spiritus Sanctus Carnem Chriſti deſerere non potuit, quando ei Divinitatis unitatem aſſerunt.* Et aſſignatum ab Auguſtino in dictum, quo exiſtant in Chriſti Humanitate Pater, & Spiritus Sanctus, non quidem Immenſitas, per quamcumque ſtrictiras cum Natura, ſed ea unio ſeſe, id eſt, Vnitas Naturæ, quæ una Perſona diſiret eſſe ab alia, ſpeciali modo Divinæ immenſitatis ad intra, & exercito nunc ad extra, per Vnionem factam in Filio.

Affirmant cũ Suarez. Raguſ. diſp. 52. Amic. diſp. 14. ſect 2. Bernal diſp. 23. Negant Hug. Card. Alvarez, & Thomiſtæ aliqui. Mens Auguſtini.

66 Reſpondeo ſecundò: cum modum ſpecialem exiſtendi, non ſit cumque eſſe modum exiſtendi per concomitantiam, ſed modũ exiſtẽdi per circuminſeſsionem, ut Theologi loquuntur *in Tract. de Trinitate*. Id enim Auguſtinus intendit, nec minus impiè ejus locutionem, quare valeat iſta conditionalis Doctoris Eximii, poſita nempe unione hypoſtatica ad Filium, fore, ut licèt per impoſsibile Deus nec eſſet Immenſus, nec cauſa rerum, tota ſimul Trinitas debeat exiſtere in Humanitate in qua per unionem exiſteret ſecunda Perſona.

Vbi & Author. Auguſt. & Suarez.

67 Ne tamen inferas, hinc fieri, quòd ſaltem circuminſeſsivè, vel concomitanter incarnati cum Filio ſint Pater, & Spiritus Sanctus. Nam iſta denominatio requiris, & ſupponit denominationem uniti. Nec deinde inferas, malè à Tridentino dictum, ſolam Divinitatem poni propter Vnionem in Euchariſtia, cum ratione Vnionis eſſe debeant Pater & Spiritus Sanctus: & exinde manducandos iſtos in Euchariſtia cum ipſo Chriſto, qui manducatus, & ſumitur. Nam Tri-

Tidentin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentinum non dixit solam Divinitatem poni, sed poni Divinitatem: quod autem eam expresserit, ratio potuit esse, primò: quia Divinitas specialius ponitur propter Vnionem, quam Pater, & Spiritus: illa enim terminat, & non isti. Secundò, quia Divinitas est aliquid Christi: Christus enim est Persona in & ex duabus Naturis composita: Pater verò, & Spiritus Sanctus non cõstituunt Christum: unde nec manducantur, cum solus Christus manducetur, & sumatur: sic enim ait ipse Ioannis 6. *qui manducat me, vivet propter me.*

Ioann. 6.

68 Nec demum dicas: existere in Humanitate, convenire Filio ratione proprietatis Relativæ: quod autem ita convenit uni Personæ, non convenire reliquis. Nam licèt existere hypostaticè, & sustentativè in humanitate, conveniat secundæ Personæ, ratione proprietatis Relativæ: idque non sit commune Personis reliquis; at existente semel hypostaticè, & sustentativè in Humanitate Filio, specialiter cum ipso in eadem Humanitate Personas reliquas inexistere, ob unitatem illam admirabilem in Natura, merito cujus una Persona dicitur esse in alia per circuminsessionem, non convenit soli Verbo, sed singulis: & est toti Trinitati commune, ut est unitas in Natura: & hoc modo speciali existit citra denominationem Vnitæ totâ Trinitas in Christo, ratione Vnionis.

P. Amicus.

69 Nota, quod advertit Amicus optimè: Rationem quasi remotam, ob quam speciali modo Pater, & Spiritus Sanctus existunt in Humanitate Christi; non esse diversam ab ea, quâ in rebus cæteris sunt: Rationem verò proximam esse planè diversam. Est diversa Ratio proxima: quia hæc est Vnio, specialissimè terminata ad unam Personam, nempe Filium; trahens exinde proximè cum Filio cæteras Personas ad Humanitatem, cui Filium unit: In rebus cæteris ratio proxima est operatio æquè respiciens Personas singulas: est ergo singularissimus modus hic existendi respectivè ad illum communem, quo in rebus dicitur esse Trinitas. Non est diversa Ratio quasi remota: quia hæc est, præter immensitatem, Vnitas in Natura: & hic titulus existendi in rebus communis est.

70 Dici speciosè potest, juxta hunc discursum, specialitatem modi versari proximè circa Filium: quia hic modus est Vnio; & Vnio unit unicè Filium Humanitati: sic tamen uniendo Filium, quin Patrem, & Spiritum uniat, est ratio nulli alteri Creaturæ communis; atque adeò specialissima, ut exercatur respectivè ad Humanitatem, cui Filius unitur, illa vis Divinæ Immensitatis ad intra, seu Divina Circuminsessio Personarum. Et hoc est specialiter existere in Humanitate Christi, Patrem, & Spiritum Sanctum, ratione Vnionis Hypostaticę, licèt ipsi uniti non sint.

SECTIO II.

TERMINVS ASSVMPTVS, & ASSVMPTIONIS Ordo.

§. I.

DOCTRINÆ CATHOLICÆ REpræsentatio.

71 *Deus Verbum non accepit Personam Hominis, sed Naturam* (Verba sunt Toletani XI. & Vvormatiensis *in confessionibus Fidei*) & hanc integram, & perfectam in esse Humanitatis, seu Naturæ Humanæ. Nam assumptione Humanitatis in Deum, Verbum mansit *perfectus Deus, perfectus homo, ex Anima Rationali, & Humana Carne subsistens*, ut habetur in Athanasii *Symbolo*. Ex quibus, est primò de Fide, Personalitatem, seu subsistentiam Humanam non esse assumptam à Verbo contra Nestorium. Secundò, de Fide, assumptum à Verbo Corpus Verum, & non phantasticum cõtra Manichæos, & Marcionistas; terrestre, seu ejusdem speciei cum nostro, contra Valentinum; immediatè, contra Gabrielem, & Almainum: assumptam etiam immediatè Animam Rationalem, contra Arium, & Apollinarem: Assumpta demum Corpus, & Animam interse Vnita, contra Relatos in oppositum à Magistro. Tertiò, est consequẽter certum, assumptum à Verbo immediatè quicquid est de substantiali integritate, & constitutione Veri Corporis.

Toletan. XI. Vvormatiens. Athanas. Errores aliqui Magist. Sent.

72 Ratio horum omnium est: quia nequit dari vera Humanitas, sine corpore vero, neque sine Anima; iisque unitis interse: sicut neque totum sine partibus adinvicem nexis: deinde neque potest dari Corpus sine iis, quæ sunt de ipsius substantiali constitutione, & Integritate: demum Humanitas sine iis, quæ ad sui perfectionem, & integritatem pertinent in esse Naturæ, manca est, deformis, & imperfecta. Sed Verbum assumpsit Veram, integram, & perfectam Humanitatem immediatè: ergo assumpsit etiam immediatè Verum Corpus, & Animam intersè unita, & quicquid est de substantiali constitutione, & integritate connaturali Humanitatis, aut Partium, prout constituunt veram Humanitatem. Vnde sola, & tota Humanitas cum exclusione tamen subsistentiæ propriæ; cum inclusione verò partium omnium pertinentium ad subsistentialem ejus perfectionem, & connaturale complementum ipsius, est, & debet dici Terminus assumptus à Verbo.

73 Sed quia Partes Humanæ Naturæ sunt in quadruplici genere: Essentiales; ut Corpus, & Anima: Integrales; ut quatuor humores, Sanguis, flegma, flava, & atra bilis: Ornantes; ut Dentes, ungues, capilli: Excrementitiæ; ut Lacrymæ, saliva superabundans, & sudor: Positionem intelligè de triplici genere partium, quas primò retuli: sepone postremas. Ratio: Nam istæ non sunt de integritate Naturæ: illæ verò sunt vel de constitutione, vel de Integritate, vel de connaturali ornatu ipsius Naturæ, quæ vel ut sit simpliciter, vel ut connaturaliter sit, eas in se requirit: quod patet: nam eæ omnes cum Humanitate resurgent: secus, illæ. Dixi superabundans: nam quæ requiritur ad irrigandum os, ne præ siccitate lingua suum munus obire nequeat, eam putat esse de integritate Naturæ Martinonus: & merito; nã neque deerit Corpori glorioso. Hæc vera, & comunis Doctrina tota de Termino Assumpto. Ea tamen ut elucescat magis, est

Martinon.

§. II.

QVOVSQVE SANGVIS ASSVMPTVS?

74 Difficultas prima: De Sanguine: an is fuerit immediatè assumptus à Verbo? Negat absolutè Durandus. Distinguit Cajetanus; & de Sanguine Vitali, id est perfecto, affirmat: de Sanguine Nutrimentali, id est, imperfecto, seu non satis cocto, atque adeo nec converso in substantiam hominis, nec animato, negat. Distinguit aliter Mayronis: & de Sanguine, dum fuit intra Corpus, affirmat: negat, ex quo extra fuit, atque adeò in Triduo. Distinguit aliter Sylvester *in Rosa*: & de Salubri affirmat: vocat Salubrem, ob valorem infinitum ex Vnione: De non Salubri, sed effuso Salubriter ex dignitate effundentis, negat. Distinguit aliter Colius: & de Sanguine, dum fuit in Corpore, affirmat cum Maironio: dum fuit extra, affirmat etiam de reassumendo, & reassumpto in Resurrectione; de non reassumendo, nec reassumpto, negat. Communis Sententia cum Suarez de toto affirmat sine distinctione. Videte pererudítam hac de re disputationem in Card. de Lugo, quæ est *tota* 14.

Durandus. Cajetanus. Mayronis. Colius.

Sententia communis, proqua Suarez, & Card. de Lugo.

75 Respondeo primò: Certum est, nec citra censuram negari jam potest, aliquem Sanguinem immediatè assumptum à Verbo. Fundamentum est communis Authoritas Theologorum nixa primò *CC. & PP.* eodem modo loquentibus de assumptione Carnis, ac Sanguinis. Secundò: *Extravag.* Clementis VI. *Vnigenitus*, ubi Pontifex docet *guttam modicam Sanguinis Christi sufficeram ad Redemptionem Humani generis, ob Vnionem ad Verbum.* Qui loquendi modus ineptè limitaretur ad mediatam Vnionem: tùm quia satis apertus est. Tùm etiam quia eam mediatam Vnionem etiam habebant & Lacrymæ, & sudor. Tertiò: Mysterio Eucharistiæ: ubi tam sub speciebus vini, quam sub speciebus panis ponitur Verbum per concomitantiam: & tamen *vi verborum* sub speciebus vini ponitur unicè Sanguis; sicut sub speciebus panis, corpus: ergo sicut ex positione Corporis immediata concomitantia ponitur Verbum: ita ex Sanguinis positione: alioquin, si consecraretur in Triduo, non poneretur sub speciebus vini Verbum, quia extra Corpus nulla esset ipsius connexio cum Sanguine. Ratio autem est: quia Sanguis, sive animetur, sive non (quod modò non curo, licèt alioquí verum sit animari) ita pertinet ad Humanitatis constitutionem, & substantialem integritatem, ut neque sine Sanguine possit operari, nec conservari. Vnde Trident. *sess. 13. cap. 3.* æquè vocat partẽ Christi Sanguinem, ac Corpus, & Animam. Non ergo est purum alimentum hominis Sanguis, sed multarum operationum origo. Verbum autem assumpsit Humanitatem aptam operari, perfectam & integram.

Extravag. Clem. VI.

Trident.

76 Respondeo secundò: probabilius est totum Sanguinem immediatè assumptum à Verbo. Ratio est primò: quia Patres, & Concilia nulla limitatione loquuntur. Imò illa Clementis VI. vox; si semel modica gutta Sanguinis non esset unita, non esset vera: nam æquivalet universali: est enim locutio Doctrinalis: quæ Universali æquivalet, si proferatur indefinitè, ut docent Theologi communiter. Secundò: quia regula decidendi

quæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ nã pars unita, & quæ inunita fuerit Verbo, non ex animatione sumi debet, sed ex habitudine ad totum, quod assumitur. Totus autem Sanguis, eo ipso quod incorporatur viventi, fit pars ipsius, & vim habet & quidem vivendi, & integrandi Naturam. Tertiò: quin teste Aristotele 1. *de Generat. cap.* 20. & *lib.* 2. *cap.* 4. & Cajet. *secunda secundæ quæst.* 154. *art.* 12. §. *ad evidentiam*, Quod cæteri Filii accipiunt à Matribus vi generationis, non est Vitalis Sanguis, sed alimentalis, & excrementitius, quem semen imperfectum vocat S. Thomas 3. *p. quæst.* 31. *art.* 5. ergo tam alimentalis Sanguis, quam vitalis, est pars Naturæ Viventis: alioquin vi generationis nulla pars Naturæ generantis poneretur, & maneret in genito, contra definitionem: *Origo viventis à vivente in similitudinem Naturæ in principio conjuncto*, nempe identitate Naturæ generantis, in Genitum, vel omnino vel partim transfusæ. Quę jam potest esse ratio Cajetanicæ Distinctionis in Sanguinem Nutrimentalem, & Vitalem: si uterque est pars Naturæ?

77 Vrgetur hæc ratio. Vel Christus non est Filius Virginis, vel est ejusdem Naturæ cum Virgine in principio conjuncto ratione alicujus saltem partis Naturę Virgineę transfusæ formaliter vi generationis, a Matre in Filium; sed vi generationis solus est transfusus in Christum è Virgine juxta Cajetanum Sanguis, qui nondum erat actu, sed potentia Pars Virginis; atque adeò no vitalis, sed Nutrimentalis sic ei in sibi videtur colligere 3. *Part. quæst.* 54 *art.* 2. Cajetanus ex S. Thom 3. *part. quæst.* 81. *art.* 5. *ad* 1. ergo Sanguis Nutrimentalis est absolutè pars Naturæ Viventis: ergo si Christus, ut fatemur omnes, assumpsit immediatè partes omnes substantiales Humanitatis, ęsu quæ ad veritatem integræ Humanitatis pertinent, assumere debuit Sanguinem immediate tam Nutrimentalem, quam Vitalem, atque adeo totum.

78 Respondeo tertiò: Theologicè certum est, nullam Christi Sanguinem per separationem à corpore, fuisse sejunctum à Verbo: unde, Sanguis in Passione effusus, mansit in triduo unitus Verbo. Probant id aliqui ex quadam Bulla Clement. VI. contra quendam Concionatorem Barcinonensem edita, quòd oppositum in Concione dixerit: sed de hac damnatione non constat, ut videre est apud Card. de Lugo studiosè examinantem hæc omnia *sect.* 8. Imò habetur Bulla Pii II. qua *sub Excommunicatione* cavet, nequis asseruttam parte damnare præsumat cum præjudicio Authoritatis Apostolicę, cui judicium reservat. Sed neque statutum hoc est usu receptum, teste Spondano. Certum est à S. Officio doceri veritam propositionem oppositam, occasione Concionatoris illius Barcinonensis.

79 Ratio Resolutionis est: primò à pari: nam sicut se habet Corpus ad Humanitatem, se habet & Sanguis: nam & hic numeratur à Tridentino inter Partes Christi: at ex separatione Corporis, non est sejunctum à Verbo Corpus: quia pertinebat ad Humanitatem: cujus partes, ne morte quidem intercedente dimittunt unquam: ergo nec Sanguis est sejunctus à Verbo, ex separatione à Corpore Christi. Secundò à priori: Nam Vnio Hypostatica, ut ex dictis *disp. præced. sect.* 1. §. 2. constat, *ejus* datum Humanitati, nec ejus partes unquam dimittuntur à Verbo, quod jus, factum in gratiam Humanitatis, manet intrinsecè in partibus, quatenus & quousque censentur, ad ipsam pertinere. Vide de hoc ingenioso discursu Lugum *sect.* 3. 4. & 5.

80 Annecto his tria. Primum: si aliquæ guttæ sanguinis manserint ad excitandam passionis memoriam in spinis, clavis, Cruce, Syndone, eas dimissas à Verbo. Valentia sensit: sed immeritò: nam illæ guttæ jam desierunt pertinere ad Humanitatem: cui datus est jus inamissibilitatis. Secundum probabilissimum esse, eas mansisse, ut præputium mansit. Ducor ex historiis, quas refert Amicus *disp.* 15. *sect.* 7. ex revelatione facta Sanctæ Birgittæ à B. Virgine, ex permissione Ecclesiæ, & quasi comprobatione, ut videre est apud Baron. *ad ann.* 804. ex communi sensu Fidelium, ex experientia sensuum: quibus non satisfacit dicere Sanguinis colorem esse, non Sanguinem: ut ajunt aliqui. Sanguis enim rubefacit sui adhæsione, ut albedo sui adhæsione dealbat. Tertium: Nihil obstat dici posse & debere, totum Sanguinem, in passione, effusum resurrexisse, & reassumptum à Christo. Ratio est, quia ad hujusmodi locutionem sufficit, quod totus fere Sanguis resurrexit: inde enim, licèt non physicè, moraliter tamen totus debet intelligi: idque congruit: ut Sanguini ob effusionem non desit resurrectionis gloria: cum effusio facta sit in obsequium Patris, & Redemptionem Vniversi. Sic dicitur eas partes Martyrum, quæ pro Christo fuerint potissimum tormentis exercitæ, privilegiatum fulgorem habituras in Cælis. Augustin. 22. *de Civit. cap.* 20.

81 Opponit contra dicta Durandus. Primò: quia inde fieret assumptas à Verbo duas Naturas integras, Humanam & Sanguineam: nam & utralibet suâ formâ speciali constat. Secundò fieret, dici posse, Deus est Sanguis, effusus, sparsus, & divisus: quæ intoleranda sunt. Tertiò: Sanguis ex Aristotel. 2. *de partib. anim. cap.* 10. non est pars Animalis. Quartò: Sanguis non informatur anima: Verbum autem non assumpsit immediatè, nisi animam, & quod informatur ab ipsa.

82 Respondeo. Ad primum distinguo assumptum: duas Naturas integras disparatas nego: subordinatas interse, concedo: Nam licèt Sanguis sua speciali forma constet, subservit ut pars Humanæ Naturæ: nec hæc est simpliciter integra sine Sanguine, ut neque sine Corpore, licèt alioqui Corpus substantiali sua constet forma Corporeitatis in osse, nervis, carne, &c. Ad secundum: Nego sequelam: nam Idiomatum communicatio non fit inter Verbum, & partes, quæ communi modo loquendi non solent usurpari pro toto; sed inter Totum & Totum: Verbum & Hominem. Totum, *inquam*, sivè physicè, sive moraliter: nempe quoad partes, quæ pro toto solent accipi. Vnde prædicata partium, quæ simpliciter de toto dici solent, & simpliciter homini tribui solent ex communi modo loquendi, dici possunt de Verbo simpliciter: Secus alia: Ratio, quia Vnio facit quod Verbum sit homo, atque adeò facit quod de Verbo possint dici, quæ de homine.

83 Vt autem discernas quæ prædicata partium, alioqui de homine dici possint: quę vero non: sume duas has regulas. Primam: Prædicata, quæ in partibus explicant officium partis, ut pars est, de Toto ne dicas: quia pars de toto non dicitur: alia potes. Secundam: Prædicata partium, quæ sunt principales in toto: & illæ sunt, vel ratione sui, ut Anima in homine: vel quia sensibus externe magis repræsentant totum, ut corpus, hominem. De his loqui solent homines, perinde ac si esset totum. Exinde dicunt de homine, sepeliri, jacere in sepulcrò, ratione Corporis: & esse in Cælo, ratione Animæ: & hæc de Verbo dicere potes, & debes, per communicationem idiomatum. Non dicunt de homine, effundi, spargi, quia fundatur Sanguis; nec jacere in lecto, quia manus jaceat: & nec hæc de Verbo communicatio idiomatum permittit dicere. Ista ex de Lugo &

Martinono: *disp.* 6. *præsentis lib.* clarius de his loquar.

84 Ad tertium: nego antecedens. Philosophus enim *lib.* 3. *de historia Animalium cap.* 2. inter partes similares hominis, numerat Sanguinem. Ad quartum, omissa majori, Negetur minor, ex præcedentibus. Vnde collige ex paritate rationis, licèt non æquali certitudine, assumptos immediatè à Verbo tres alios humores; spiritus etiam Vitales, & animales: Nam & hi omnes sunt de Integritate, & veritate Naturæ Humanæ. Vide Suarez *disp.* 15. *sect.* 7.

§. III.

QVOVSQVE ALIA: DENTES, &c?

85 Difficultas secunda: de Dentibus, unguibus, & Capillis: an immediatè assumpti à Verbo? Negavit de Capillis & unguibus Vazquez, contentus affirmare de dentibus *disp.* 36. *num.* 34. Respondeo affirmativè de singulis cum communi post Suarez *disp. cit sect.* 8. Præter Authoritatem Ambrosii, & Athanasii inductam à Suarez, bene defensam contra Vazquez à Card. de Lugo *disp.* 14. *sect.* 8. à *num.* 110. est ratio: Dentes, Capilli, & ungues (sive informentur anima, sive non) sunt de ornatu substantiali Corporis: sine ipsis enim est imperfectũ, & mutilum: ergo & de ornatu, & integritate Naturæ Imò sunt partes Corporis, & Naturæ.

86 Primò: quia resurgenti aderunt ad substantialem ornatum. Secundò: quia vel ponuntur in Eucharistia, vel non? Quis asserat poni Christum exunguem, edẽtulum, & calvum? vel ergo ex vi verborum: vel ex concomitantia? Si primum: ergo quia sunt pars Corporis: hoc enim ponitur vi verborum. Si secundum: ergo sunt pars Christi: ea enim ex Tridentino per Concomitantiam ponuntur, quæ se habent ut partes. Dicit Vazquez, poni posito Corpore ex dependentia naturali, quam ab illo habent ut effectus à Causa. Contra: quia replicato Corpore, non debent comitari omnes effectus, quæ ab ipso dependent: alioquin & chilus, & saliva, & alii plures effectus pendentes à Corpore, poni deberent ex positione Corporis. Maneat ergo esse partes de integritate substantiali Naturæ: qua proinde immediatè quod suas partes assumpta à Verbo, & istæ manserunt assumptæ.

Dif-

Universidad de Deusto
Biblioteca

87 Difficultas tertia de Accidentibus: an assumpta immediatè? Nam assumpta mediatè, quatenus subjectum eorum assumitur, certum est: & hoc sufficit ut dicatur Christus habere ea accidentia, & ab ipsis denominetur calidus, frigidus, pariens: & per communicationem idiomatum Deus in Christo. Respondeo negativè: quia nulla est authoritas, nulla ratio quæ suadeat. Imò quæ positivè dissuadeat: Nam subsistentia Verbi suppleret pro creata: hæc autem non immediatè terminatur ad accidentia: ergo neque Verbi subsistentia.

88 Dices: Concilia eodemmodo & contextu dicunt Verbum assumpsisse operationes Naturæ, ac Naturam: cur ergo de operationibus intelligimus quoad assumptionē mediatam: quoad immediatam de Natura: nam sic intelligi possent de Sanguine, secus ac suprà tenuimus. Respondeo intelligenda Concilia accomodè: nempe juxta capacitatē rerum, quæ assumi dicuntur. Vnde res capaces subsistentiæ, dicendæ sunt assumptæ immediatè, quia subsiterunt in Verbo: secus res incapaces subsistētiæ. Illiusmodi sunt substantiæ. Accidentia, hujusmodi.

§. IV.

ALIQVARVM LOCVTIONVM qualitas.

89 Difficultas quarta de qualitate istarum locutionum: *in Christo sunt tres Naturæ*: nempe Divinitas, Corpus, Anima. *Deus assumpsit hominem*. Primò respondeo de secunda. 1. si vox *homo* concrete, & pro Persona sumatur, hæreticam esse. Constat ex dictis, & ex Concilio Ephesino *part.* 3. cum Sancto Cyrillo in defensione Anathematismi VIII. & rursus in defensione Anathematismi XI. Non *Hominem assumptum esse dicimus à Deo Verbum: sed Verbum Dei Patris factum esse hominem*. Secundò si vox *homo* abstractè, & pro Natura sumatur, veram esse, sed impropriam, ex quo vox ista ex usu Ecclesiæ, & Theologorum, amisit indifferentiam supponendi, & significandi, quam olim habuit. Sumebatur olim promiscuè: modò concretè, modò abstractè: modò pro persona, modò pro Natura. Et ob id invenitur in aliquibus Conciliis, maximè *Toletanis* 1. 6. & 11. *Francofurtensi, Romano, sub Felice*: ab aliquibus Pontificibus, præsertim Leone, & Adriano *ad Episcopos Hispaniæ*: à nonnullis Patribus, Augustino præcipuè accepta vox *homo* pro Natura; & usurpata locutio: *Deus assumpsit hominem*: Sed Conciliorum, & PP. sanissimus sensus ex eorum contextu patet.

Ephesin. Cyrill. *Conc. Tolet Francofurd Roman. PP. Leo. Adrian.* *Augustin.*

90 Tertiò, ideo explicandos nunc illos Patres, ut feci; nec posse jam absolutè usurpari citra censuram, locutionem hujusmodi. Ratio: quia vox *homo* limitata jam est ex usu Ecclesiæ, & Theologorum ad Personam: inducta voce *Humanitas* (quæ olim non in hoc usu, coactis exinde nonnunquam ex penuria vocum aliter loqui Patribus,) pro significanda Natura. Audi Ioannem Maxentium *ex tomo 5. Biblioth. PP. Dialog. 1. contra Nestorianos*: Ego *à Deo susceptum hominem nullatenus dicere audeo; ne duas videar in Christo prædicare Personas*. Vnde Ludovico Vives, magis Grammatico, quam Theologo, imò cui semper invisa fuit Theologia bona, (ut jure admonuit Pater Vazquez *disp. 55. cap. 1.*) studenti *lib. 9. de Civitate Dei cap. 17.* ex præcitatis PP. locutionis istius proprietatem adstruere, & reprehendenti Scolasticos, eorumque Doctorem, & Doctorem Angelicum Sanctum Thomam, Suprema Hispaniarum Inquisitio, jussit expungi quicquid in hanc rem congesserat ibi.

Ioann. Maxētius. *Ludovici Vives temeritas.*

91 Deinde respondeo de Prima, Primò magnam olim de ipsa fuisse litem inter Beatum Iulianum Toletanum Episcopum, & Patres Toletani Cōcilii XI. & XV. ex una parte; & Benedictum Secundum, ex alia. Displicebat isti: quia displicuerat Damasceno, & Paulino Aquilejensi *in Sacro Syllabo* Francofurtensis. Illi probabant, quia inveniebant in Augustino, & Isidoro. Vide Vazquez *disp. 37. num. 10. & 11.* qui videtur excusare velle Toletanos, quasi non dixerint constare Christum tribus Naturis, sed duabus Naturis, & tribus substantiis. Sed perinde est. Aliter, (importunius tamen) excusare vult ipsos P. Mariana *lib. 6. Hist. Hisp. cap. 18.*

S. Iulianus. Conc. Tolet XI. & XV. Bened. II. Damasc. Paulin. Aquilens. Vazquez. *Mariana.*

92 Secundò, eam locutionem, esse absolutè veram: non tamen usurpandam: Tùm quia est inusitata: nihilque frequentius apud CC. & PP. quam Christum dicere subsistentem in duabus Naturis. Tùm etiam quia una Natura videtur significare Naturam completā: & potest dari erroris occasio. Addit prudenter Eminentissimus de Lugo *disp. 13. num. 13.* magis vitandam, cum de Christo, quam cum de homine est sermo. Dat rationem: quia, cum una ex Naturis quæ in Chri-

Card. de Lugo.

Christo sunt, sit Natura completa nempe Divina; dicendo, esse in ipso tres Naturas, videmur alias æquiparare cum completa, & dicere esse tres Naturas completas: at in homine, cum utramque constet incompletam esse, non est tanta æquivocationis occasio.

§. V.

QVO ORDINE PARTES ASSVMPTÆ?

Suprà disp. 2. à num. 111. & à num. 165. 93 Difficultas quinta de modo, & ordine, quo assumpta est à Verbo Humanitas, & Partes ipsius. Quæ huc maximè faciunt, tetigi, quantum satis est, suprà *disp. 2. sect. 4. num. 111. & 112. & sect. 5.* §. 4. in solutione objectionis ultimæ *a num. 165.* Pro his, quæ restant, nota primò, sermonem esse non posse de ordine durationis, & temporis: nam ex definitione Ecclesiæ constat contra Origenem, & alios, Humanitatem, & partes ipsius simul assumptas, sine ulla temporis præcessione. Vide Suarez *disp. 16.* & Vazquez *disp. 37.* Nota secundò, quæstionem exinde necessariò limitari ad ordinem, quæ cum simultate Temporis componi possit, & debeat: & hic est triplex: ordo dignitatis: ordo intentionis: ordo executionis.

Suarez. Vazquez.

94 Respondeo jam primò: ordine dignitatis præcedit Humanitas, Animam: Anima, Corpus: Ratio: quia perfectior est Humanitas Anima; & hæc, Corpore: atque adeò dignior est assumi Humanitas, quam partes singulæ: & Anima, quam Corpus. Respondeo secundò: ordine intentionis, etiam præcedit Humanitas, partes singulatim acceptas. & Anima, Corpus. Nam ex intentione assumendi Humanitatem, assumptæ sunt partes; & ratione Animæ, Corpus. Corpus enim ex habitudine ad Animam est aptum assumi, quia per animam constituitur in specie capaci merendi, & operandi, & fruendi Deo. Hoc, ex multorum Conciliorum, & Patrum locutionibus, quas vide, si sit otium apud Vazquez *citatum cap. 5.* vocant Theologi post Sanctum Thomam, assumi partes mediante toto; Corpus, mediante Anima; Animam, media mente: non quasi assumptio terminata sit immediatè ad Humanitatem; & non ad partes ipsius: ad Animam, & non ad Corpus; ad mentem, & non ad Animam. Hæc enim est mediatio interjectionis. Sensus est: assumptas partes media Humanitate, id-est, propter Humanitatem, seu quia ex ipsis fit Humanitas, seu ut fiat Humanitas, qua Deus sit homo: Animam, media mente: id est, quia intellectualis, & exinde constitutiva suppositi Rationalis, seu Personæ: Corpus, media Anima; id est, propter Animam, seu quia capax Animæ. Et hæc est solum mediatio congruitatis, seu rationis formalis, seu quasi finis intrinseci, quo deficiente nec forent assumptæ, partes; nec Corpus, nec Anima.

Vazquez. S. Thomas.

95 Respondeo tertiò: ordine executionis (quicquid sit in aliorum principiis) juxta nostra, quæ formalem assumptionem cum Vnione partium interse identificant *ex disp. 2. sect. 4. & 5.* omnino simul tempore, & Naturæ, sunt unitæ interse partes, & assumptæ à Verbo. Poteris tamen indulgere communibus principiis, distinguendo varias formalitates in illa Vnione Hypostatica humana, & per illas, mente negotiari, vel ludere pro libito tuo, & gustu disputantium.

Suprà disp. 2. sect. 4. & 5.

§. VI.

AN STATVS ASSVMPTIONIS SIT PHYSICÈ violentus Humanitati?

96 Difficultas sexta: De statu quasi physico, in quo per assumptionem mansit Humanitas? An violentus sit? An quasi extinctus sit, vel maneat appetitus innatus ad propriam subsistentiam? Vazquez *disp. 34.* affirmat appetitum: violentiam negat: hanc, & illum affirmat Bernal *disp 2 sect. 2.* Negat utrumque Doctor Eximius: & est communis dubii resolutio: cui subscribo.

Vazquez. Bernal. Nos cum Suarez.

97 Ratio est, quia compensatio propriæ subsistentiæ per subsistentiam Verbi, licèt sit ob excellentiam sui supra appetitum innatum, & exigentiam Naturæ, non tamen est contra: neque enim aufert bonum, sed mutat in melius: quippe Naturæ dat omne bonum, propter quod suam subsistentiam exigit, & dat modo superiori quàm exigit: atque adeò reliquit in statu, in quo respectivè ad finem, quem in exigenda subsistentia, habet, ultra non indigeat bono naturali, nec exigat in consortio factæ compensationis: hæc enim conjungi non potest cum bono Naturali quod supplet ex ipsa conditione Naturæ, cui compensatio fit: ergo manere non potest appetitus in Natura ad propriam subsistentiam: nec status compensationis hujusmodi esse potest ipsi violentus. Hæc con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consequentia mihi est evidens, ex Antecedentis Doctrina: quam explico.

98 Ordo rerum, licèt suorum jurium retinentissimus, (pendet enim ipsarum conservatio ex conservatione jurium, nam & indistinguuntur ab ipsis rebus) non debet ita fingi, ut appareat imprudenter institutus, & contra rationem, imò in damnum ipsarum rerum: esset enim potius inordinatio, quàm ordo rerum. Exinde appetitus, & exigentiæ, quas Natura rebus indidit, sunt considerandæ cum triplici conditione essentialiter inseparabili. Prima: ut ordinentur ad aliquam rationem boni, tanquam in finè propter quem sunt, & exigunt aliquos terminos. Secunda: ut si ea ratio boni concedatur, censeantur quiescere, compleri, & satiari. Tertia: ut sint quasi conditionatæ, nempe, ut exigant sibi dari terminos proportionatos in quibus est ratio boni, quod exigunt; nisi fiat ab Authore Naturæ compensatio per excellentiores terminos, in quibus non utcumque sit Ratio boni, quod in suis exigunt, sed excellentiori modo quàm exigunt: id enim non est in rerum damnum, sed in bonum majus. Hinc, si fiat ista compensatio, licèt miraculosa sit, & supra rerum exigentias, non potest esse rebus violenta; nec in ipsis manet appetitus, sed quasi extinguitur.

99 Progredior in rem nostram, Bonum, propter quod inclinat in propriam subsistentiam Natura, est sui completio substantialis, & constitutio Personæ: Hoc bonum, quoties Natura invenerit, manet in fine suæ exigentiæ, nec ultra progreditur appetendo. Nihil enim est quod ultrà appetat. Atqui hoc bonum datur Naturæ per subsistentiam Verbi infinitè melius quam haberet in propria: ergo manet sine ulterioris perfectionis exigentia. Ea enim erat, habendi bonum completionis substantialis, nisi haberet à termino, quem præ sui vilitate ipsa non audet petere, nec appetere.

100 Dices: ergo æquè exigit propriam subsistentiam, ac subsistentiam Verbi: utramque enim exigit conditionatè Natura. Nego consequentiam, & quod assumitur. Natura quidem intrinsecè capax est utriusque, sed divisim, & diversimodè. Capax est Propriè; at in ipsam simpliciter inclinat ut in rem sui juris, & sibi debitam: deserendam tamen sine violentia, & quasi cum gratiarum actione, si vice illius concedatur Divina. Istam, ne casu quidem quod privetur propria, utpote sibi omninò indebitam exigit, aut appetit: non quia sibi non sit bona, sed quia adeo est excellens, & bona, ut nec audeat, nec possit illam exigere jure naturali. Sic, cui deberetur nummus, quamvis ille suo jure non posset exigere adamantem pro nummo, si tamen daretur pro nummo adamas, maneret satiatissimus, & jus omninò, & superabundanter expletum.

DIS-

DISPVTATIO V.

VNIONIS HYPOSTATICÆ TERMINI, DE possibili.

1 QVORVM alterum voco Assumptivum, seu potentem assumere: alterum, Assumptibilem, seu potentem assumi. De utroque multæ difficultates, & pulcræ. Auspicor à secundò.

SECTIO I.

TERMINVS ASSVMPTIBILIS.

§. I.

DE NATVRA NON RATIONALI.

Sententia communis cum Godoy & Martinon.

2 PRima difficultas: an assumi potuerit à Deo Natura non Rationalis: puta, Leonis, Arboris, Lapidis? Affirmat Sententia communis, quam vide apud Godoy *tom. 2. de Incarnatione tract. 4. disp. 18. à §. 4.* & quam limitat Martinonus *disp 7. sect. 1.* ad Naturas, quæ per se non indecent. Nituntur Authores primò, authoritate Augustini, Nyseni, & Tertulliani. Sed hanc esse nullam, (nequicquam contradicente Godoy) ostendit Petrus Hurtadus *disp. 43. sect. 1. & subsect. 1.*

Non favet ipsi Authoritas PP. Hurtad.

Non apparere contradictionem, quid probet?

3 Nituntur secundò: quia nulla apparet contradictio. Sed nihil, hoc arguendi genere, levius. Neque enim attrectanda est velut ipsis digitis contradictio, ut negetur possibilitas rei, si aliunde non desit ratio suasiva contradictionis, quæ nos latet. Quid quòd non apparere contradictionem, non arguit defectum ipsius, sed notitiæ in eo, cui non apparet. At extendenda est, inquiunt, quantum possit, Sphæra Omnipotentiæ. Quasi nos extendere, vel decurtare possimus ad mensuram cogitationis nostræ potentiam Dei. Certè Deus potest, quidquid non repugnat: hæc est Sphæra Omnipotentiæ: an autem hoc repugnet, an secus, non est omnipotentiæ obsequium, sed conditio rerum: penes quas, si mihi contradictio appareat, tibi non apparuisse, quid mea? Sed & multas apparere faciam infrà.

4 Nituntur tertiò: Natura non rationalis, utpote substantia, capax est subsistentiæ: ergo denominari potest ab subsistentia divina subsistens. Nego consequentiam. Primò ex defectu proportionis ad unionem. Secundò: quia Divina subsistentia est essentialiter Personalitas, atque adeò exigens rationalitatem Naturæ, cui uniatur. Tertiò ex defectu omnis finis honesti. Quartò ex summa inutilitate miraculi summi. Statim de his apertiùs.

5 Nituntur quartò: quia Corpus assumptum mansit in triduo: Sanguis; cadaver: & hoc, est Natura completa irrationalis ex accessu formæ cadavericæ: quam adfuisse Corpori Christi mortuo, censet de Fide Cabrera Hieronymianus: reliquæ verò, licèt incompleræ, sunt Naturæ non Rationales. Sed licèt Corpus, & Sanguis, non sint quid Rationale formaliter, sunt tamen quid aptum rationalizari: atque adeò quid assumptibile à Verbo, non ratione sui, sed mediante Anima Rationali, ut loquitur VI. Synodus, & ex ipsa S. Thomas: sicut licèt Corpus, & Sanguis, non sit quid ratione sui dignum præmio, vel supplicio, eorumque capax: afficiuntur utroque, ex ordine ad animam: qui licèt formaliter defecerit in triduo; radicaliter non defecit, seu in jure, quo Corpus istud, & iste Sanguis pertinebat ad eandem Animam, ob unionem citò redituram. Cadaver, vel illam fictitiam formam non dicit, vel in Christo non dixit: & excessit Cabrera nimium; Marsilio non lecto *in 3. quæst 3. art. 1. & quæst. 13. art. 1.* qui, quod à Cabrera dici-

Cabrera.

Responsio.

VI. Synod.

S. Thomas.

Cabrera excessit.

Marsilius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur esse de Fide, à nullo dictum Theologo profitetur. Videatur Hurtadus *sub-* *Petrus Hurtadus.* *sect.2.*

6 Accedit, quod ex unione Corporis, aut Sanguinis ad Verbum, non sequitur illa denominatio per communicationem idiomatum: *Deus est Corpus, aut Sanguis*: sequi verò deberent illæ: *Deus est brutum*: *ignis*: *lapis*. Quæ sunt denominationes suppositi carentis omni Natura Rationali, atque adeo repugnantes Divino, cui repugnat esse sine Natura Rationali.

Mens nost. Vvading. Hurtad. cũ innum. 7 Respondeo, cum Vvadingo *disp.4. dub. 4.* Esparza *quæst.22. ad 2.* Hurtado *disp. 43.* citante Thomam, Bonaventuram, Henricum, Marsilium, Gabrielem, Alensem, Tostatum, Picum Mirandulanum: Doctis Recentioribus apud Martinon *disp.7. sect.1.* & aliis nostræ Provinciæ bene doctis, quos novissimè protegit P. Munièsa *disp. 3. de Incarnatione* *Thomas Munièsa.* *sect.3.* & assero: sola Natura Rationalis est à Verbo assumptibilis: atque adeò Nulla Natura non Rationalis. Fundamentum est mihi quadruplex.

VI. Synod. 8 Primum. Assertio VI. Synodi Generalis *act.8. in confessione Fidei* missa ad Leonem II. & ab ipso approbata per Epistolam Decretalem: nempe quod Caro assumpta est à Verbo, mediante Anima Rationali, id est, quia præditum anima Rationali, & ratione *ex Origen. Nazianz. Augustin. Ruffin. Damasc.* istius: quod item asserunt Origenes, Nazianzenus, Augustinus, Ruffinus, Damascenus, Locis à Suarez citatis *disp. 27. sect. 4.* Quam assertionem, ut omninò certam, tradere CC. & PP. non possent, nisi vel ex revelatione, vel ex evidentia rei haberent, Nullam à Deo posse assumi Naturam, præter Rationalem: si enim Natura, non Rationalis, esset ratione *Quo sensu dictũ à Patribus, Assumptam Carnem, mediante Anima?* sui assumptibilis, cur mediante Anima diceretur Corpus assumptum? cur quasi Deum excusarent de assumpto ad se Corpore, recurrentes ad rationalitatem compartis? sensus ergo fuit, rem, quæ vel ex toto, vel ex parte non sit Rationalis, assumi à Deo non posse in tam arctam conjunctionem, ut ex ipsa, & Deo fiat suppositum unum, de quo verè possit enuntiari quod sit Deus: quippe cum Natura, cum qua constituit Deus suppositum, ratio videtur exigere, ut habere Deus possit communicationem Consiliorum, & amicitiæ: quæ omnia, rationalitatis titulum exigunt in Natura.

SS. PP. Scopus. 9 Adde (quod in hanc rem est mihi magni ponderis) dici hæc à Patribus pro refellendo Apollinari, negante Animam Rationalem assumptam à Verbo cum Corpore, sed Corpori, loco Animæ, fuisse Verbum; ut habet P. Vazquez *disp. 38. cap. 2.* quasi *Vazquez.* dicerent ad hominem: tam certum esse, assumptam Animam Rationalem, ut nisi ex habitudine, quam dicit ad Animam, Corpus, quod jam fatebatur assumptum, non sit assumptibile à Verbo: atque adeo assumpta simul & Corpus & Animam; sed, animâ mediante, Corpus, aliter ineptum assumi. Sic explicat S. Thomas *quæst. 6. art.3. & 4.* & *S.Thomas.* sic apparet vis summa discursus Sanctorum Patrum ad convincendum Apollinarem.

10 Nec dicas, PP. & CC. arguere ex fine Incarnationis, & assumptionis: huic enim fini, assumendi nempe Naturam humanam, inqua Deus Verbum redimeret homines, patiendo, merendo, & moriendo, necessaria erat unio corporis ad animam: Corpus enim sine Anima ad hæc erat inutile: non verò arguere præscisim ab hoc fine à Deo intento, & inspecta natura rei. Ne dicas id, inquam; nam hac evasio, quam prætexunt aliqui cum Martinon, æquè concedit, Animam *Martinon.* debere dici assumptam medio Corpore: nã ad finem intentum assumendæ Humanitatis, & in ea patiendi, moriendi, &c. Anima sine Corpore, erat inutilis; sed PP. & CC. non dicunt nisi Corpus assumptum, mediâ Animâ: & Animam mediâ mẽte. ergo loquuntur præcisim à fine, & solum ex natura rerum.

11 Secundum: quia ad assumptibilitatẽ, requiritur unibilitas: ad istam certa proportio: sed inter Naturam Irrationalem, & Deũ nulla est proportio, ex qua vinci possit entitativa distantia: ergo neque datur unibilitas. Major est evidens. Minor autem probatur primò: nam ista proportio in Natura rationali, juxta insinuata jam *disp. 1.* *Suprà disp.* *sect.4. à num.71.* ex mente S. Thomæ *quæst.* *1. à nu.71.* *4. art.1. 0.* relucet in elevabilitate ad Ordinem Divinum, & ad operationes Divini ordinis, & dignas Divino supposito: quæ certè Naturæ Non rationali deest. Nec ultra est nostrũ, istius improportionẽ ostendere positivè, sed præcisè defendere, non dari proportionem in ipsa: probent Adversarii, quorum interest, & quorum est, teste Vvadingo. Secundò probatur eadem minor ex horrore, & indecentia, quam in hujusmodi unione Mens nostra concipit, etiam suppositâ luce Fidei: videt enim id esse projicere margaritas ante porcos: hic autem horror Naturæ Rationali insitus, est argumentum improportionis in Natura non rationali respectu assumptionis, & unionis ad Verbum. Tertiò probatur eadem minor: quia subsistentia Verbi est ex essentia sua Personalitas, cui proinde necessarium est connotare in Natura, quam elevat ad subsistendum in se, Rationalitatem; & cui proinde repugnãt denominationes suppositi ex se carentis omni Natura Rationali, quales sunt denominationes *Bruti*: *Arboris*: *Lapidis*: suppositum enim Divinum necessariò dicit Rationalem Naturam.

12 Tertium: suppositum, cui repugnat proprietas Divini suppositi, nequit esse Divinum: cui enim repugnat proprietas: repugnat essentia. Deinde suppositum, cui repugnat proprietas superior omni proprietate, quam fundare ex se potest forma purè creata in ornamentum sui, nequit non esse substantialiter inferius aliquo supposito purè creato: Ratio est mihi evidens: quia proprietates mensurantur ad dignitatem primæ substantiæ, seu essentiæ, quam sequuntur: unde meliori supposito, seu substantiæ debetur melior & nobilior proprietas: adeoque si formæ puræ creatæ potest assignari proprietas nobilior, alterâ quæ debetur alicui supposito: hoc suppositum necessariò esse debet inferius illo, quod ex illa forma purè creata fit.

13 Ex duplici isto principio arguo dupliciter. Primò. Supposito, ex Divina subsistentia, & Natura non Rationali, repugnat proprietas Divini suppositi: nam hæc vel est Gratia vel est visio, vel est infinita vis merendi: ergo repugnat esse Divinum suppositum: ergo repugnat esse tale suppositum: nam, si fit, Divinum est. Secundò: Nulla potest assignari proprietas supposito ex Natura irrationali constituto, quæ sit æquè perfecta ac vis cognoscitiva, & dilectiva Dei: ergo nullum potest esse suppositum ex Natura non Rationali constitutum, quod non sit inferius supposito constituto ex forma purè creata, cui debeatur ut proprietas, vis cognoscitiva, & dilectiva Dei. Ergo nullum potest esse suppositum ex Natura Irrationali constitutum, quod sit Deus.

Ratio ad plura communis ex conditione miraculi. 14 Quartum: Miraculum non potest esse res perse inutilis; res nonnisi imprudenter exequibilis, & quasi vilipendium & jactura voluntaria beneficii maximi omnium, quæ Deus facere potest: quod est mihi ex terminis evidentissimum: quippe miraculum est actio specialis Dei: ergo nequit esse imprudens, & sine fine honesto, & rationabili: est enim, vel ad ostẽsionem bonitatis Divinæ, vel Divinæ vindictæ: ergo est res perse utilis: est actio Dei non potentis contemnere, & vilipendere, quod summè æstimat: ergo nequit esse vilipendium & jactura summi beneficii.

15 Nunc sic: Atqui Hypostatica Vnio Dei cum Natura belluina, seu non rationali esset res perse inutilis; res nonnisi imprudenter exequibilis, & essentiale quasi vilipendium & jactura voluntaria Divinitatis communicatæ: quo, nullum est beneficium altius: ergo nequit esse miraculum: atque adeo nec possibilis; quia sine summo miraculo contingere nequit. Minor alioqui mihi evidens, probatur quoad primam partem: nam quæ utilitas esse potest? qui ex ea unione fructus? cum actiones Naturæ assumptæ sint necessariò steriles, & incapaces boni. Probatur quoad secundam: quia quod ex fine prudẽter æstimabili fieri nequit, non est nisi imprudenter exequibile: at assignetur finis prudenter æstimabilis in hac assumptione. Iam quoad tertiam partem ostenditur: nam actio ex se communicativa Divinitatis subjecto non solum incapaci boni moralis, atque adeò denominationum, quæ decent subjectum, quod ad ordinem Divinum assumitur, sed etiam incapaci cognoscendi benefactorem, & gratificandi pro modulo; necessariò est actio ex se instituta in vilipendium, & jacturam beneficii & Doni maximi: non minus ac esset jactura, & vilipendium Coronæ Regiæ, ex se; actio ex se instituta ad evehendum asinum ad Sceptrum, & Coronam Regiam.

16 Dices: posse id à Deo fieri in ostensionem sui Dominii, & potentiæ: ut solent Reges quasi vilipendere beneficia sua, malè, vel infructuosè collocando. Contra primò: quia non potest Deus ad ostensionem sui dominii, & potentiæ, quod ex decentissimo motivo non potest: & ex quo possit apparere non Deus: quis enim credat posse Deum totum spatium sublunare replere araneis, muscis, & formicis: creare omnes homines mentecaptos, aut oculis: aut Corpore mendosos, & apedes; idque ad ostensionem suæ potentiæ? hoc esset ineptire potius, quam operari ut Deum: quasi Deus egeret his monstris, ut se probet omnipotentem. Minus autem ineptiarum in his apparet, quam in projicienda *gemma Divinitatis ante porcos.*

17 Contra secundò: licèt Reges id absolutè facerent, homines animi lubrici, nec attendentes ad rei decorum: Quæ potest esse pari-

Universidad de Deusto
Biblioteca

paritas ab his, qui plerumque regnant ineptiendo, ad Deum qui disponit sapienter omnia in numero, pondere, & mensura? Contra tertio: quia si Reges, & magni Principes quasi vilipendunt aliquando, beneficia sua, vilipendunt quod ex se cognoscunt aut cognoscere debent contemptui obnoxium: nam quid præstare potest homo homini, quod esse ex se immune debeat à contemptu? At Deus, non potest vilipendere, quod necessariò est æquè bonum ac ipse Deus: videt enim sui pretium summum: atqui summitas beneficii hypostatici sumitur ab ipso Deo, qui datur pro beneficio: ergo non potest tale beneficium vilipendere, aut ejus jacturam facere voluntariam in ostensionem suæ potentiæ & Dominii: ergo repugnat quod respectu Naturæ non rationalis exerceat hoc genus beneficentiæ: ergo, &c.

§. II.

DE NATVRA ANGELICA.

Sententia communis. 18 SEcunda Difficultas: an Natura Angelica assumi potuerit? Sententia communis affirmat ex illo Pauli potissimum
Hebræor. 2. ad Hebræos Secundò: *Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Quæ commendatio Divinæ erga homines præ Angelis beneficentiæ, in assumptâ potius Humanâ, quam Angelicâ Naturâ, vana esset, si ista non potuisset assumi. Sed & phrasi Apostoli, & abs re videtur ista Theologica subtilitas; & locum, non de apprehensione per Vnionem, sed per curam homines potius redimendi; quam Angelos; explicant expeditiùs, & magis Theologicè Ribera, Cornelius, Menochius: & hunc sensum approbant Iustinianus, & Mariana quibus assentior ipse: veneratus tamen interpretationem communem, quia multorum Patrum. Secunda Sententia, quæ est Alberti, Henrici, Mirandulani, Cartusiani, & Hugonis Cardinalis ad eundem locum Epistolæ ad Hebræos, & quam meritò liberat à censura Petrus Hurtadus *disp. 42.* negat: & nititur: quia suppositum nequit assumi: sed Natura Angelica essentialiter est suppositum: neque enim distinguitur à subsistentia. Sed fundamentum est planè dubium, & incertæ consequentiæ. Exinde ob id ipsum tertia Sententia, quæ est Martinoni, Hurtadi, Lynzei, Munièssæ latè rem versantis tomo de Incarnatione *disp. 3. sect. 2.* & RR. mediat inter utramque & negat assumi posse in unitarem Personæ, ex fundamento secundæ: affirmat verò ex primæ fundamento, saltem assumi posse in dualitate Personæ.

Ribera. Cornelius. Menoch. Iustinian. Mariana. *Secunda Albertus. Henricus. Mirand. Carthus. Hug. Card.* *Tertia Martinon. Hurtad. Linze, & Munièssa*

19 Sed hæc distinctio mihi maximè displicet. Primò ex dicendis ad tertiam difficultatem. Secundò ex dictis *disp. 1. sect. 2.* Tertiò: quia si Patrum authoritas, quidquam eo loco Pauli convincit, convincere debet assumptibilitatem in unitate Personæ: sic enim Bernardus inter alios expressè loquitur. Quartò: quia suppositum, apud omnes, est incommunicabile, & quidem plusquam Natura præscisim à suppositalitate: ergo est etiam divinitus incommunicabile. Quintò: quia suppositum est ens completum; & similiter quævis Persona Trinitatis: repugnat autem substantialis unio ex duobus entibus completis. Sextò ad homines, contra Modernos sic respondentes: quia ideò per vos repugnat subsistentia absoluta in Deo, quia esset communicabilis. Septimò: quia Ratio subsistentiæ dicit essentialiter incommunicationem actualem sui, & entis, cui advenit: ergo repugnat ipsi ulterior cõmunicatio. Octavò: cur negandum esset, Patrem per Filium subsistere, & utrumque per Spiritum Sanctum, si semel suppositum est ultra suppositabile: Pe rsonis enim Divinis, utpotè summè perfectis neganda non est ulla perfectio, nisi ex genere suo repugnet conceptui Personæ, vel formaliter potiùs sit imperfectio, quam perfectio. Sic quia nec ex conceptu Personę repugnat, nec imperfectionem ullam dicit in se, Pater concretè, & substantialiter dicitur loquens per ipsum Verbum, tanquam per terminum formaliter immanentem, & Vitalem. Quare vel Natura Angelica distinguitur, & separari potest à sua Personalitate, atque adeò assumi in unitate Naturæ, vel Hypostaticè nequit assumi.

Infrà à nu. 25. *Et suprà disp. 1. sect. 2.* *Bernardus.*

20 Resolutio ergo difficultatis, ut vides, tota pendet ex principio metaphysico de distinctione, vel indistinctione subsistentiæ à Natura Angelica, de cujus ulteriori ad assumptionem proportione sufficienti non videtur esse lis posse. Eam indistinctionē mihi primò suadet Authoritas S. Thomæ *1. p. q. 3. art. 3. 0. quæst. 29. art. 2. ad 3.* in *2. dist. 3. quæst. 1. art. q. 9. de Pot. art. 1. 0. 4. contra Gent. cap. 55.* ubi docet in eis, quæ non constant materia, & forma, non distingui suppositum à Natura. Quæ loca tam aperta sunt, ut dent manus Cajetanus, & Ferrarienſis: aliì verò Thomistæ violenter exponant, opponendo quod facilius conciliari potest. Nam si alicubi S. Thomas *ut quæst. 4. art. 1. ad 3* dicit, posse Naturam Angelicam assumi, quin sequatur ulla corruptio, si nempe assumeret, priusquam in se subsistiterit: dicit id contra nonnullos, qui ex hoc capite negaverant assumptibilitatem Angeli; non ideo ipse probat: imò rejicit ex alio capite: & absolutè in eodem articulo *ad finem Corporis, & ad 4. fin.* quare minimùm Thomistæ, fatetì coguntur mentem Angelici Doctoris esse maximè dubiam, & obscuram.

Noſtr. mens *S. Thomas.* *Cajetan.* *Ferrarienſ.*

Ill. Godoy. Vide Godoy *disp. 18. de Incarnat. §. 2. & 3.* quærentem in tenebris lubricarum expositionem solem, quem in meridiana luce non videt. Secundò suadet authoritas Magni Dionysii *cap. 1. & 4. de Cæleſti Hierarch.* ex editione *Lanſellii*, vocantis Angelos omninò simplices, & in supremo gradu simplicitatis.

Dionyſ. Et Lanſell. *Albertus.* *Lynze.* *Martinon. & Munieſſ* At Angelus, nomen est suppositi, & non Naturæ. Vnde placet hæc simplicitas Alberto, Lynzeo, Martinonio, & Munièssæ, vide hunc *loc. cit.*

21 Tertiò suadet ea ratio, quam *disp. 2.* pressi in *probatione quarta* philosophica Cõclusionis *à nu. 115.* Et videtur ea indistinctio cõformior nostro modo discurrendi. Distinctionem verò conatur ingeniosè adstruere P. Aldrete *disp. 39. sect. 5.* multis, quæ tamen habent solutionem in P. Lynzeo *lib. 2. Phyſ. tract. 10. cap. 3. à num. 34.*

Suprà disp. 2. à n. 115. *Aldrete.* *Lynze.*

22 Eam apparentius mihi suadent quin quæ rationes: quas judicio lectoris diligenter expensuri insinuo potiùs, quam expono. Prima: quia excessus perfectionis, qualis respectu hominum datur in Angelo, nequit esse ratio, qua præcludatur aditus ad ulteriorem, & summam, cujus, ex beneficio sunt illi capaces. Perfectionis augmento non obstat perfectio, sed imperfectio. Secunda: quia nobilitas essendi non debet esse ratio quæ reddat rem minus idoneam ad majora beneficia, imò ad summum sui Conditoris: esset enim res minus felix, aut non posset esse summè felix, quia nobilior, & felicior est. Tertia: quia summam gratiam non est cur nobiliori Naturæ ex suo ipso genio judicemus impossibilem: esset enim nocere rebus, nobilitatem earundem: & substantiã ex majori assimilatione cum Deo, non posse evehi ad summam cum ipso conjunctionem: quę rebus inferioribus dari potest in gratiam. Vnde Angelus minoris esset Gratiæ capax, quàm homo, quia respectivè melior est.

23 Quarta: quia perfectiones, quæ in

Deo sunt omninò simplices, & participantur à creatura; participantur cum limitatione propria creaturæ, & cum physica compositione, quoties hæc conceptui prædicatorum, quæ participantur non repugnat; imò cedit in majorem subjectionem creaturæ ad Deũ, & in emolumentum majus ipsius creaturæ: sic enim compositio, cæteris paribus, majorem in creatura perfectionem dicit quam simplicitas: nam hæc in eo casu obstaret emolumento creaturæ quam perficit. Tota hæc Doctrina patet ex inductione: nam convenientius est creaturæ, habere compositionem in intelligendo, in durando, in ubicando, in aliis, quàm non habere, ut expendenti constabit: imò & in existendo habet, quam potest, nempe ex existentia & actione. Atqui conceptui Naturæ, & subsistentiæ, non repugnat compositio; & hæc aliunde cedit in majorem subjectionem creaturæ erga Deũ, & in majus emolumentum ipsius Creaturæ: nam sic poterit intrinsecè assumi ad esse Divinum, & infinitè perfici, venireque in summum cum Divinitate consortium: quibus obstaret Personæ simplicitas: ergo.

24 Quinta: quia congruum est, ut jus in se, & in operationes rei distinguatur à Virtute operativa: ut ex hac separabilitate, & distinctione, cognoscat res dependentiam à Deo suam, & subjectior Deo sit. Quo discursu satisfieri posset (satis ingeniosè) rationi in oppositum *ex disp. 2. num. cit.*

Facilius resolvi res tota posset, si vera esset Doctriua, quã docuere Avicembronus, Bonaventura, Richardus, Alensis, Aureolus, Capuleus Episcopus Conversanus pro ipsa citans Innocentium V. & Augustinum; & alii, quos agglomerat P. Thomas Munièssa *loc. cit. num. 18.* tantumnon assentiens, nempe Angelos constare materia & forma spiritualibus, & esse compositos: tunc discurreremus ad normam *disp. 2. sect. 4. & 5.* Certè de possibili, hæc Doctrina est valde plausibilis inter Modernos. Sed eam (alioqui dubiam) neque satis hucusque probo de possibili nec ausim approbare de facto. Lectori, ex his ita multis, erit optio resolutionis.

Avicemb. *Bonavent.* *Richard.* *Alenſis.* *Aureol.* *Capuleus.* *Innoc. V.* *Auguſtin.* *P. Munieſſ.*

§. III.

DE NATVRA PROPRIAM RETINENTE subsistentiam.

25 TErtia Difficultas: an Natura propriam retinens subsistentiam assumi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amicus. mi posit: Annectit Amicus duo alia dubia, quorum resolutio pendet à principali: an nempe Natura creata subsistere possit multis subsistentiis, inadæquatis: an etiam adæquatis: alioquin propriis, & naturalibus. Et principali difficultati respondent affirmativè Moderni secuti Bachonum, Petrum Hurtado, Martinum Perez, Arriagam, Alphonsum, Lynzeum, & (præter alios Philosophiæ Scriptores) P. Augustinum Bernal, novissimè protectum à Lumbier, & Munieſſa. Ni-

Affirmant Bachonius. P. Hurtad. Martin. Perez. Arriaga. Alphonſ. Linze. Bernal. Lumbier. Munieſſa.

hil igitur illi: quod nulla hucusque data sit evidentia contradictionis. Bernal *audet* etiam in rationes positivas, quæ tamen firmæ non sunt; & quas benè solvunt Aldretus, & Godoy, ille *disp. 41. sect. 1. & 3.* iste *disp. 29. §. illum.* Sententia communis, (quam inter alios vide apud Aldretum, Godoy jam citatos, & Amicum *disp. 15. sect. 1.*) negat: & hæc est vera: licet probatu valde difficilis, ob licentiam opinandi jam obviam de possibi icate rerum: nisi fiat manu quasi tractabilis contradictio.

Nagat Sententia communis quæ noſtra eſt.

26 Moveor ipse primò: si Natura propriam retinens subsistentiam, possit assumi ad Divinam hypostasim, nequit inferri legitimè ex assumptione Naturæ ad Divinam Hypostasim, deffectus propriæ subsistentiæ: nec unitas Personæ in Christo, quia assumpta est in ipso Natura humana ad subsistendum in Verbo: Nam illatio, in qua, cum veritate antecedentis, stare potest falsitas consequentis, bona non est: sed CC. & PP. ex assumptione Naturæ ad Divinam Hypostasim legitimè, id est, terminis omninò præcisivis, & absolutis, inferunt adversus hæreticos deffectum subsistentiæ propriæ, & Personæ unitatem in Christo: audi inter alia, quibus abundant Ephesinum, Calcedonense, & alii Patres, Sextam Synodum *in Epist. Sophronii: Vnio secundum subsistentiam, substantialem divisionem non agnoscit: & prorsus illam expellit divisionem*: nempe suppositorum. Audi Quintam Synodum *collat. 8. cap. 4. & 5. Si quis non confitetur Dei Verbum Carni secundum subsistentiam unitum esse; & propter hoc unam esse subsistentiam, seu unam Personam, anathema sit.* Quid clarius?

Epheſin. Calcedon. VI. Synod. V. Synod.

27 Dicunt aliqui, rationes, quibus moventur Concilia ad definiendum, non esse de Fide. Contra: quia licèt de Fide non sint; sunt rationes approbatæ sensu Cõciliorum, & PP. adversus hostes veritatis, non ut veritas Fidei, sed ut vera principia, quibus veritas Fidei confirmetur.

28 Dicunt alii: ad bonitatem illationis sufficere, quod ex natura rei Natura cum propria subsistentia non possit ad Divinam assumi. Contra primò: quia bonitas illationis absolutæ, requirit eam veritatem, ut absolutè falsificari non possit. Secundò: quia si semel potest Natura propriam retinens subsistentiam assumi: fiatque miraculum assumptionis, non video cur ex natura rei ex tali miraculo sequatur aliud privationis: non quidem ex superfluitate: nam subsistentiæ Divinæ munus distinctissimum est: non ex incapacitate Naturæ: nam ipsa inclinat in propriam perfectionem: unde videtur majus miraculum, quod assumatur ad Divinam, & assumptione privetur propriâ subsistentiâ: quam si utraque simul perficeret Humanitatem.

29 Dicunt alii demum: Nó colligi deffectum propriæ subsistentiæ ex oppositione istius cum Divina, sed ex Scripturis, quibus insinuatur Personæ unitas in Christo. Contra primò: nam aliud est ex Scripturis arguere, aliud ex ratione. Secundò: quia id manifestè repugnat V. & VI. Synodo. Tertiò: Patres ex Scripturis colligebant Vnionem hypostaticam: ex ipsa inferebant Vnitatem Personæ, & deffectum propriæ subsistentiæ.

30 Oppones: in septima Synodo, quæ est *Nicana II. actio 5.* definitur Angelos pingi posse: daturque ratio, *quod corporei sunt*; quæ ratio tam longè à veritate abest, ut mereatur modo censuram. Respondeo, eam rationem non esse redditam à Concilio, nec approbatam ab ipso, sed omissam, imò rejectam, & reprobatam *act. antecedente, quæ fuit* 4. ubi statuitur à Concilio, Angelos esse incorporeos, vel supponitur. Nec illâ *act.* 5. (ut sentiunt plures) definita lis est, sed *act.* 7. ubi nihil de hac ratione. Ratio illa fuit cujusdam Ioannis Episcopi Thessalonicensis, qui in ea sententia fuit, cujus liber lectus est in Concilio: quæ nec commendata est, nec approbata ab ipso Concilio. Imò Tarasius Concilii præles quasi recapitulans judicium Thessalonicensis omisit rationem Corporeitatis, sed solas assumpsit alias, quas Ioannes dixerat, nempe Angelos pingi posse, quia & circumscripti sunt (scilicet non immensi, sed determinato loco definiti) & quia, ut homines, apparuerunt. Cui Concilium respondit, *etiam Domine*: non tam definiens, quam approbans fidelitatem Narrationis in Tarasio: ut vult Martinonius *disp. 16. de Ang. sect. 2. num. 16.*

VII. Synod

Ioann. Theſal.

Tarasius.

Martinon.

Mo-

31 Moveor secundò ex triplici repugnantiâ. Faciant Adversarii apparere sibi, quam malint. Prima est, uno ferè verbo: quia enti subsistentialiter ultimò completo, nequit advenire perfectio, cujus formalis effectus sit subsistentialiter complere rem ultimò: nam hic essentialiter supponit incomplementum substantiale. Secunda est: quia subsistentia est perfectio substantialis, quâ Natura sistit in se: id est, accipit, & habet jus quasi privativum in se, & sua, ita ut soli ipsi debeant, & possint actiones attribui. Quorum ratio à priori videtur esse, quia per subsistentiam habet Natura finita jus ad rectitudinem actualem totalem, seu ut sit Rectum totius, quod explicamus per illa pronomina, *ego, tu, ille*: ergo per subsistentiam propriam manifestò excluditur jus alterius in actiones Naturæ, & dignitas, quæ tollat illam rectitudinem actualem totius ipsi Naturæ, debeatque manere totum Rectum Naturæ. & constituti totius: ergo manifestò excluditur dignitas Personalitatis Divinæ: nam ipsi necessariò competit esse Rectum respectu Naturæ quam assumat. Hæc, opinor, respexit Damascenus *lib. quomodo ad imaginem Dei facti simus*, dum dicit, non assumptam à Verbo, Personam, ne voluntas assumptæ Naturæ à Divina discederet: quasi diceret (alio certè sensu ac conatur interpretari pro se P. Bernal *disp. 24. sect. 2.*) ideo non assumi, nec posse Personam: quia jure personalitatis retinere Natura deberet jus in actiones, & rectitudinem physicam totius, ac si nulli alteri possent attribui: quo necessariò fieret Naturam manere peccabilem, atque adeò sine dignitate, quam motus inordinati dedeceant: qualis est Divina: quod omninò repugnat ex terminis cum Hypostatica Vnione.

Damaſcen.

Bernal.

32 Tertia est: quasi ulterior explicatio primæ. Subsistentia datur Naturis finitis (secus ac Divinæ & infinitæ) in perfectionem ultimò completivam in linea substantialis existentiæ: hanc ergo si semel habeant, necessariò manent incommunicabiles ulteriori substantiæ, etiam metaphysicè: ergo quod Natura propriam retinens subsistentiam, assumatur hypostaticè à Verbo, repugnat. Antecedens & secunda consequentia patent. Ostendo primam: quia perfectio, cujus formalis effectus est complere Naturam ultimò in linea substantialis existentiæ, necessariò quasi implet omnem vacuitatem substantialem rei, & omnem aptitudinem admittendi perfectionem in linea substantiali: est enim de ratione complementi implere aliquam vacuitatem rei, satiare aliquam exigentiam, & satisfacere aptitudini, quam res habet, ut perficiatur: ergo perfectio, cujus est talis formalis effectus, reddit Naturam, cui communicat, non solum inexigentem ulteriòris entis subsistantialis, sed etiam incommunicabilem essentialiter, & metaphysicè.

33 Probo istam consequentiam. Vbi nulla restat vacuitas, exigentia, vel aptitudo in linea substantiali, nequit res ultra perfici substantialiter: quia perfici substantialiter fieri debet per unionem substantialem, ex concepto suo supponentem aliquod incomplementum, vel aptitudinem in ea linea, cujus est perfectio, quam unit: Atqui res, quæ non potest ultra perfici substantialiter, non est alteri substantialiter communicabilis: Vnio enim ex concepto suo tendit ad perficiendum saltem alterum ex extremis: ergo.

34 Confirmatur hæc ratio: quia Natura quæ requirit aliquod complemẽtum ad esse, manet eo ipso minus indigens; atque adeò incommunicabilis magis, quàm præcisim ab ipso; sed Natura præcisim à complemento subsistentiæ erat ex se jam ex natura rei incommunicabilis omni enti substantiali, quod ad sui connaturalem perfectionem non spectat: ergo per habitionem complementi, & quidem ultimi, manet magis, id est, etiam metaphysicè incommunicabilis. Relege dicta *disp. 1. sect. 2. à num. 44.*

Suprà diſp. 1. à nu. 44.

35 Confirmatur ulteriùs. Nam ex discussis supra pro secunda difficultate, siqua ratio suadet in omnibus substantiis, etiam immaterialibus, distinctionem suppositi à Natura, facitque quòd in entibus immaterialibus potius dicat perfectionem, quam imperfectionem Naturæ talis compositio, ea est potissimum, ut Natura sit capax assumi ratione alicujus incomplementi substantialis; atqui subsistentia propria complet illam incompletionem, & vacuitatem, ratione cujus non est inepta obedire Deo Natura, cõmunicarique Hypostaticè Deo ipsi: ergo reddit Naturam omninò incommunicabilem alteri: Reddit enim ipsam, quasi esset omninò sine ratione, ob quam posset hypostaticè assumi.

36 Ex his petitur resolutio ad annexa dubia *num.* 25. Dicetur primò: Naturam finitam non posse subsistere per duas subsistentias, quæ adæquatæ fiunt sigillatim. Ratio: quia in Natura finita nequit esse titulus ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

utramque; cum titulus habendi subsistentiã, sit titulus excludendi alteram è duabus. Neque inde inferas repugnare duplicem actionem totalem ejusdem termini; duplicem formam in eadem materia; duplicem præsentiam circumscriptivam ejusdé corporis: quia effectus formalis istarum formarum non est exclusio similis formæ in eodem ipso tẽrmino, circa quem exercentur: adde quod istæ formæ, licet alioqui sint penes aliquid similes, dare plerumque solent speciales effectus. De præsentiã circumscriptiva, alia est etiam ratio: quia res accidentaliter completa, potest ulterius per alia accidentia perfici: nam licèt determinatum habeat esse substantiale, non tamen habet, saltem in ordine ad Divinam potentiam, accidentia determinata.

37 Dicetur secundò: Naturam finitam posse subsistere per duas subsistentias inadæquatas; si alioquin non repugnent. Ratio: nam illæ formarent unam subsistentiam adæquatam, quam Natura naturaliter exigeret. Sed quæstio videtur aliter proponi posse: an scilicet Natura subsistere possit per duas alioqui totales, qui tamen in personando se attemperent, & quasi inadæquatè se habeant minorando concursum hypostaticum: & hoc, in cujus assertionem inclinat Amicus, mihi apparet impossibile: quia sic dici posset, primò Personalitatem humanam, & Divinã attemperare se posse: quo diceret aliquis esse unam Personam in Christo ex duplici subsistentia: Secundò dici posset ex triplici personalitate non colligi in Trinitate tres Personas. Ratio contradictionis est: quia forma communicata subjecto, perficit, quantum potest; causat enim per intimam communicationem sui, atque adeò totalem: quod est magna disparitas ad genus causæ efficientis: id quod contra Amicum bene observari pòst video apud Godoy *disp.16. num.67.*

Amicus.

Godoy. Suarez, Amicus.

38 Colliges contra multos secutos Suarez, & Amicum, æquè repugnare duas subsistẽtias totales in una Natura sive sit in uno, sive sit in duobus locis. Ratio: quia illa repugnantia non est localis, sed subjectiva: neque enim repugnantia est ratione loci, sed subjecti, quod utrobique est idem, & unum. Sic Lugo *disp.12. sect.6. nu.79.* Aldrete *disp.41. sect.4. num.1.*

Lugo. Aldrete.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

§. IV.

DE NATVRA INCOMPLETA, ET DE Accidente.

39 QVarta difficultas: de qua multa Godoy *disp. supra cit.* An Naturæ Incompletæ seorsim posint assumi? Respondeo, Naturas Incompletas, seu partes Naturæ, quæ Naturam componere possunt assumptibilem, assumi seorsim posse, ex fine tamen assumendi Naturam integram: Patet resolutio, tùm ex his, quæ acciderunt in triduo: tùm ex dictis *ad primam difficultatem*: & vide P. Muniessa *disp. 3. sect. 4.* Quæris tamen, an ea Vnio foret Hypostatica?

Godoy.

Vide nu. 2. P. Muniess.

40 Respondeo pro quæstione de voce duo. Primùm: si nomine Vnionis Hypostaticæ intelligas unionem terminatam ad Hypostasim: erit ea Vnio Hypostatica. Secundò: si intelligas Vnionem suppositalem, nempe quâ constituatur suppositum, vel Persona, non erit Hypostatica: Nam istæ denominationes sunt integræ Naturæ. Ad de neque ab Hypostasi Verbi denominari Corpus subsistens, nec Animam subsistentem: quia cùm separatim non sint Natura, sunt incapaces denominationum hujusmodi, sicut & denominationum suppositi, vel Personæ. Dicit enim hoc denominationum genus esse completum, ut liquet ex formali conceptu subsistentiæ: ita eruditissimus Vazquez cum fructu legendus *disp. 32. cap. 2.* attestans oppositam Sententiam, tribuentem Naturis partiales subsistentias, quibus subsistant, fuisse ad suum usque sæculum inauditam: & meritò. Non tamen hoc tollit, ex opportuna notatione Patris Bernal *disp. 3 num. 42.* quominus Anima Christi denominetur Deificata, & infinitè sanctificata à Verbo, aut quominus ejus actus sint infiniti valoris.

Vazquez.

Bernal.

41 Quinta, & ultima difficultas: An accidens immediatè posit assumi? Affirmant cum aliquibus antiquis Bernal, Amicus, Prudentius, & ex parte Godoy, extrito principio, quod non apparuerit hucusque contradictio. Negat cum Sancto Thoma, Suarez, & Vazquez, Sententia communis cui subscribo: & do contradictionem non unam. Prima sit ad homines ex principiis Prudentii, & Godoy, identificantis Vnionem cum ipsa Persona Divina, quæ assumit: ergo Vnio, quâ assumatur accidens, erit substantialis, utpote identificata cum substantia. Sed

Affirmant Bernal. Amicus. Prudent. Negant S. Thomas. Suarez. Vazquez. quibus subscribo.

Vnio

Vnio cum accidente nequit esse substantialis: alioqui accidens substantialiter, & accidentaliter uniretur.

42 Secunda sit universaliot: quia ea Vnio, per quam assumeretur accidens, esset etiam accidens, & quidem, non alterius substantiæ, quam Divinæ: quo fieret perfici Deum, & mutari. Nam accidens est entis ens, id est, ex se ordinatum ornare substantiam, cujus est accidens: quò respexit Augustinus *lib. 5. de Trinitate* dicens: *in Deo autem nihil secundum accidens dicimus: quia nihil in eo mutabile est: et cap. 4. accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione eius rei, cui accidit, amitti potest*

Augustini dictum.

43 Tertia sit: quia Vnio exigit aliquod incompletum, & tendit ad aliquod complementum. Sed repugnat accidens compleri per quid Divinum: ergo & repugnat uniri. Minor patet: nam accidens solum potest esse incompletum per defectum subjecti in quo sit: ergo solùm potest compleri per perfectionem, quæ suppliere posit & facere vices subjecti: sed Divina perfectio non potest has vices facere, quia sunt vices entis imperfecti, quà imperfectum est: ergo. Vide *supra disp.1. à num.22.*

Suprà disp. 1. à nu.22.

SECTIO II.

TERMINVS ASSVMPTIVVS

§. I.

AN QVÆVIS DIVINA RELATIO? VEL omnes simul

44 PRima difficultas: an quævis Divina Relatio posit assumere? sic propono, ut Spirationem activam amplectar, de qua negat specialiter P. Aldrete *disp.42. sect. 5 nu.7.* Affirmat Amicus *disp.14. sect.4.* tria docens. Primùm, posse immediatè assumere. Secundùm, licèt subsistentia non sit, reddere Naturam, quam assumit, subsistentem formaliter. Tertiùm, eo ipso Naturam assumptam, assumi debere à Patre, & Filio.

Aldrete Amicus.

Respondeo primò: Relationes Personales Patris, & Spiritus Sancti assumere posse æquè, ac de Relatione Filii credimus: est propositio communis, & Theologicè certa: quia in Personis Divinis, est par virtus; par vis terminandi: par ratio subsistentiæ. Dices: si Pater assumeret Naturam Humanam, homo resultans esset Pater: deinde esset Filius Patris, quia productus à Patre in similitudinem suæ Naturæ: ergo esset Filius sui ipsius, quod implicat. Nego secundam partem assumpti.

45 Respondeo secundò: Relatio Spiratoris, seu Spirationis activæ nequit assumere, quin eo ipso maneat Natura, quam assumit, assumpta simul à Patre, & à Filio. Ratio mihi est: tam est communis Patri, & Filio Relatio spirationis Activæ, ac toti Trinitati communis est Deitas; sed Deitas nequit assumere secundum se, Naturam, quin eo ipso Tota Trinitas intelligatur assumere, quia toti Trinitati communis, ut expendam *à num. 65.* ergo.

Vide à nu. 65. & à num.52.

46 Respondeo tertiò: Si duæ Personæ simul assumere nequeant eandem Naturam (de quo mox) neque Relatio Spirationis activæ poterit assumere secundum se, seu esse Ratio assumendi. Patet ex dictis proximè. Conditioné expendam *infrà*. Respondeo quartò: Si Spiratio activa posset immediatè secundũ se terminare Naturam, quin terminaretur à Patre, & à Filio, imò nec à Natura Divina, redderet formaliter subsistentem, atque adeò incommunicabilem alteri supposito tam creato, quam increato. Secunda pars liquet ex doctrinis *sect. præced.* Primam ostendo: Naturam creatam subsistere est compleri subsistantialiter ultimò: sed per Relationem spirationis activæ, utpote complementum substantiale, longè perfectius finitâ subsistentiâ compleretur ultimò Natura: ergo subsisteret. Nec obest, quod in se subsistentia non sit, si semel facere potest vices subsistentiæ, quod est ultimò complere Naturam.

Suprà à nu. 31.

47 Secunda Difficultas: An Personæ tres simul posint assumere, quin eo ipso Natura immediatè etiam unita maneat, & assumens: aut, an una Persona, quin in ipsa, & contractè ad ipsam, maneat etiam immediatè unita Natura, immediatione terminationis. Vtrumque affirmant aliqui, vel supponunt potiùs, titulo virtualis, ut ajunt, distinctionis. Vtrumque nego ipse. Ratio est. Tam est propria Naturæ triplex Personalitas, aut quævis ex illis, quam est propria triũ Personarum, Natura: sed quia Natura est trium Personarum; quod Naturæ convenit ratione Naturæ, salva oppositione Personarum ad intra, necessariò Personis convenit, ut omnes tenent, & mox premam *ad quartam difficultatẽ*: ergo si triplex Personalitas, aut quævis earum est propria Naturæ, quod

Infrà à nu. 60.

Universidad de Deusto
Biblioteca

triplici Personalitati, vel uni convenit, necessariò convenit Naturę, salvâ semper oppositione Personarum ad intra, quin penes hoc dari possit exercitium Virtualis distinctionis, vt, penes illud, dari nequit. Neque enim id extendi pro libito debet, nisi ubi cogit Fides, aut Mysterii ratio. Vide quæ latiùs diximus *disp 4. sect.1. à num.34. & 56.*

Suprà disp. 4 à nu 34. & 56.

48 Tertia difficultas: an tres Personæ simul possint eandem Humanitatem assumere? aut una Persona tres Humanitates, vel plures? In secunda parte quæstionis vix est disidium: affirmant omnes ferè cum Sancto Thoma *quæst.3. art.7.* & meritò, rebus solùm physicè inspectis. Nam quævis Humanitas est assumptibilis: & quævis Divina Personalitas, ex infinita vi terminandi, æquivalet infinitis subsistentiis creatis; & ultra.

S.Thomas.

49 Dices ex Schoto: Tota vis generantis Divini adæquatur & exhauritur per Vnicum Verbum: & per Vnicum Spiratum tota vis Spirantis Divini: ergo tota vis hypostaticè terminativa ad extra Personalitatis Divinæ, adæquatur, & exhauritur per unam Humanitatem. Ex hoc arguendi modo melius inferretur, vim hypostaticè terminativâ Divinæ Personalitatis adæquari, & exhauriri per Naturam Divinam, cum hæc infinita sit. Sed neutrum sequitur: non istud: nam & oppositum docet Fides, & ratio. Fides in hoc Mysterio: ratio: quia licèt vis hypostaticè terminativa Divinæ Personalitatis adæquetur, & exhauriatur, quoad vim terminandi connaturalem, & quasi ex debito, per Naturam Divinam: habet ex istâ terminatione perfectionem contentivam omnis Personalitatis creatæ; atque adeo potest, non ex debito, sed ex beneficio; nec quasi connaturaliter, sed extra naturaliter terminare Naturâ humanam: idque est perfectio simpliciter simplex in Personalitate Divina: ex quo patet ad antecedentis exempla, disparitas: nam Verbi, & Spirati est perfectio, Vnitas, ex Doctrina generali, quam explicabimus alibi, ne in linea Verbi, & Spirati desit ulla perfectio. Non illud, quod intendit arguens, ex clariori disparitate: quia Infinitum finito exhauriri non potest. Dixi, *rebus physicè solùm inspectis*: nam inspectis moraliter, & theologicè, tandem cum Schoto sentiam, & negativam partem amplectar *lib.4. disp.3. sect. 3. §.5.* quo me remitto. Hæc nunc de secunda parte quæstionis.

Schotus. cui tandem assentiar loc. mox citando.

Tract. de Trinit.

Infrà lib.4 disp 4.sect 3. §.5.

50 In Primâ, acrius est disidium. Affirmat Sententia communior cum S. Thoma, Suarez, & Vazquez. Negât Schotus, Richardus, Albertus, Paludanus citati à Lugo *disp. 12. de Incarnatione sect. 6. num. 81. & de Eucharistia disp.8. sect. 6.* & ab Aldrete *disp. 43. sect. 1.* qui duo simpliciter annuunt, & negant secuti S. Anselmum clarissimè negantem *lib.2. cur Deus homo cap 9. & lib. de Incarnatione cap 4.* Quare *authoritati S.Thomæ* opponunt hi Doctores (& meritò) *Authoritatem Anselmi.*

Cõmunior Sententia

S.Thomas. Suarez. Vazquez. Negant Schotus. Richard. Albertus. Paludan. Lugo. Aldrete cũ Anselmo.

51 P. Amicus *disp 14. sect 6.* (quæ potest esse tertia Sententia, quam satis jam insinuaverat Lorca hîc) acutè distinguit, & aliquid utrique opinioni dat: affirmat: si Personalitates attemperent suum concursum Hypostaticum, & se habeant (ut ait Lorca) per modum unius termini: & hoc solo sensu ait Lorca defendi posse Sententiam S. Thomæ, nempe si per unam simplicem unionem Natura assumatur à tribus quasi attemperantibus se in ipsa sustentanda per modum unius. Negat: si Personalitates, suam unaquæque vim terminandi exerceant, & adæquatè terminent: & in hoc sensu veram censet opinionem Anselmi: & hoc discursu componit utramque, satis plausibiliter, si verus esset. Sed ille mihi placere non potest: nã illa attemperatio est impossibilis. Primò: nam quovis modo terminarent tres Personalitates Divinæ unam Humanitatem, constituerent cum ipsa tres Personas: ergo non se haberent, nec possent habere per modum unius hypostatici termini, sed triplicis. Secundò: quia simplex identitas, quâ tres Personæ terminant eandem Naturam Divinam, non sufficit, ut dicantur attemperare hypostaticum quasi influxũ, & habere se per modum unius: ergo neque simplex unio. Tertiò: similiter dici posset de creata, & Increata subsistentia: quo eluderetur CC. & PP. ratio contra Hæreticos, ut insinuavi *num.26. & seq. fine* quos revide. Quare

Suprà à nu. 26.

Nostra mens; & benigna interpretatio S.Thomæ.

Media P. Amic. M. Lorc.

52 Respõdeo, simpliciter negando quòd duæ, vel tres Personæ Divinæ possint simul eandem Naturam assumere: & S. Anselmum oppono S. Thomæ: cui ultra posset utcumque satisfieri ad ea quæ habet *quæst.3. art 6.* dicendo voluisse per ea S. Thomam, Non repugnare quod tres Personæ simul assumerent, ex repugnantia ex parte Personalitatum, quasi ipsæ simul non possent eandem personare Naturam: an verò repugnaret id ex conditione Naturæ assumptæ, (quod nos dicimus) in medio reliquisse. Quidquid de his sit:

Ra-

53 Ratio negandi est mihi primò: quia Non minus perficit, & ultimò substantialiter complet Naturam una Divina Personalitas, adjuncta Naturæ, quam assumit, quam propria Personalitas: nec evadit Natura per terminationem unius Divinæ Personalitatis completa minus quoad ultimum esse substantiale, quam per terminationem propriæ Personalitatis: id est mihi evidens: quia Personalitas Divina eatenus influit in Naturam Hypostaticè, seu eatenus terminat, quatenus præstat Naturę quicquid præstaret Propria, quoad munus illam perficiendi, & complendi substantialiter ultimò, multò excellentius, quam propria subsistentia Naturæ præstaret. Atqui ex hoc titulo entis ultimò completi non est Natura capax subsistendi per propriam & alienam subsistentiam ex *sect. præced. à num. 26.* ergo neque per duplicem Divinam.

Suprà à nu. 26.

54 Secundò: quia Natura substantialiter ultimò complebilis per unam subsistentiam, non est ex se capax duarum, quarum utraliter ultimò compleat: est mihi etiam evidens: nam Natura si non est substantialiter perfectibilis per duas subsistentias, illis uniri non potest ex sæpe dictis: quod autem est completum ultimò substantialiter, non est ultra substantialiter perfectibile: ex duobus enim completis nequit fieri unum essentiale per se: quare duo termini ultimi in eadem Natura, in qua requiritur unicè terminus ultimus titulo completionis, repugnant: quia se excludunt mutuò quoad unionem in eadem Natura. Quod ita propono, ut eludas distinctiones Ill. Godoy docentis *disp 16. §.3. num* 48. requiri, ut fiat unum perse, quòd unum extremum saltem sit incompletum vel præcisivè, vel negativè: id est, per negationem termini complentis in re; vel per distinctionem entis à sui completione, quod proinde ratione sui non est completum, id est, per suam ipsam essentiam: idque est esse incompletum præcisivè: quam distinctionem, hucusque ne cognitam quidem à nemine: retorquendam contra Thomistas in millibus quoad plures formas in una materia, intercepi sic arguens: quippe, si Natura non manet capax, parum prodest præcisiva incompletio: ergo.

Godoy.

55 Itaque quod acutè notat Eminentissimus de Lugo *sect. illa 6. num.73.* subsistentia finita est ratio non solum exigendi, quod Natura maneat in se, quin ulterius communicetur peregrinæ substantiæ, vel substantiæ, quâ non egeat ad complementum sui: hæc enim exigentia jam præsupponitur in ipsa Natura, sed est ratio, ne actu communicetur ultra, quia est ipsa perse terminus ultimus, quo completur in esse: ratio autem seu necessitas ne actu communicetur ultra est exclusio ulterioris communicationis. Explicat se exẽplo Naturæ quantæ, & accidentis: Natura quanta ratione sui exigit extensionem: ratione quantitatis est actu extensa: accidens ratione sui exigit esse in alio: ratione inhærentiæ est actu in alio: ergo similiter.

Card. de Lugo.

56 Tertiò: quo præoccupetur Aldrete laborans in oppositum *sect. 2. num. 9.* Vel Personalitas Fiiii v. g. dat Naturæ tantam incommunicabilitatem ad ulteriores substantias, quantam dat ipsi Naturæ subsistentia Propria; vel solum dat tantam quantâ ipsa dat Naturæ Divinæ? Si primum: ergo dat summam. Si secundum: ergo ratione Personæ, quam constituit cum Natura assumptâ, non manet hæc magis incommunicabilis Patri, & Spiritui Sancto, quam Divina Natura: ergo ratione Personæ tam abest ab Incommunicabilitate, ut potius maneat cum jure ad communicationem, vel saltem ut nulla sit ratione Personæ & completionis, cõnaturalis repugnãtia, ne cõmunicetur ultra Patri & Spiritui Sancto: quæ autem, præter Scripturas, manet ratio ne dicantur Incarnati Pater, & Spiritus Sanctus?

Aldrete

57 Nec obest primò: quod Personalitates Divinæ non sint mutuo exclusivæ sui interminando Divinam Naturã. Neque obest secundò: quod Materia v. g. plenè, & adæquatè completa, seu informata per unam formam, adhuc maneat simul informabilis per aliam.

58 Non obest primum: Primò, quia Natura Divina per tres Personalitates manet in se: at Natura finita per suam manet in se ultimò; vel per alienam fistit, & manet in alio: sistere & ultra progredi substantialiter, implicat. Secundò: quia Natura Divina non exigit triplicem personalitatem titulo incõplementi substantialis, sed titulo completæ fœcunditatis immanentis, & ad intra: at secus finita Natura, quæ solo titulo incomplementi indiget subsistentiâ: quæ proinde cum sit, relinquit Naturam incapacem ulterius perfici substantialiter: & excludit ulterius complementum; cum eo ipso sit necessitas indispensabilis, ne Natura maneat apta, ut ex ipsa & alio ente completo fiat unum essen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

essentiale perse.

59 Non obstat secundum: primò, quia fortè juxta hæc, & nostra principia de subsistentia, repugnat quod materia semel unita plenè cum formâ sufficiente ad suppositum, possit ulteriori forma informari (non dixi compleri, nam hoc manifestè repugnat:) quod si materia possit Divinitus informari duplici forma, vel fieri debet per unâ unionem: vel absolutè repugnat. Vide id acutè notatum à Card. de Lugo *disp. 12. sect. 3. num. 41.* quod miror animadverti à nemine. Secundò: quia est clara disparitas: quia licèt materia sit in eo casu plenè completa, nec ultra substantialiter perfectibilis à forma adveniente, de peraccidens (quia de perse per fectibilis ab ea est:) tamen forma in eo casu est simpliciter incompleta substantialiter, & simpliciter perfectibilis, quod sufficit ad unũ perse: nam unio non exigit essentialiter incomplementum utriusque extremi: at in nostro casu utrumque extremum supponitur omninò, & ultimò completum: nec solutio tangitur his, quæ conatur in ipsam Godoy *tract. 3. disp. 16. §. 3. num. 53.*

Card. de Lugo.

Ill. Godoy.

§. II.

An Natvra Divina.

Status Quæstionis apud multos quæritur?

60 Qvarta difficultas: an Natura Divina possit assumere, ut distincta virtualiter à Personalitatibus? Communiter censent Authores pẽdere resolutionem difficultatis ab alia: an nempe detur in Deo subsistentia absoluta? alii pendere dicunt ab eo quod subsistentia absoluta quam supponunt, objectivè, seu virtualiter distinguatur à Deitate. Ego non video connexionem, hanc, nec illam: quarum utralibet me à cura resolvendi absolveret, nam absolutam subsistentiam nullam agnosco in Deo. Non illam: ob dicenda in prima propositione nostræ resolutionis. Non istam: Nam si semel subsistentia absoluta potest esse ratio complendi Naturam creatam, & illam reddendi subsistentem, quid obest, aut prodest sui virtualis distinctio, vel indistinctio à Deitate? Non minus prodest, ac obest, quàm prodesset, vel obesset distinctio, vel indistinctio Personalitatis Divinæ à Natura Divina, casu impossibili quod Deus esset una Persona: in quo quia expressè S. Thomas *in 3. dist. 5. quæst. 2. art. 3. 0.* admittit Deum assumere posse in unitate Personæ, Recentiores qui nunc ita philosophantur, negare non audent: & in quo vincere facile possunt scrupulos mentis suæ. Quare, (omissis variis dicendi & distinguendi modis, in quos descendunt è fundamentis minus solidis Doctores antiqui, & Recentiores, & quos vide apud Godoy accuratè referentem *quæst. 3 tract. 3. disp. 15. §. 4. à num. 73.*) Censeo resolvi difficultatem debere longè aliter, ac communiter solet. Id quod præsto per quatuor propositiones, quibus meum sensum aperio, & sit

S. Thomas.

Authores apud God.

61 Propositio prima: Natura Divina præscisim à Personis, si posset per subsistentiã absolutam, creatam Naturam assumere, quin eo ipso fieret ad Personas unio; posset etiam perse (negata subsistentiâ absolutâ) Naturam assumere, & eam redderet subsistentem, & Personam. Id quod videbitur valde difficile: & mihi apparet valde facile.

Conclusio hypothetica.

Probo primam partem: quia Natura Divina est perfectio substantialis summè perfecta, atque adeò superans infinitè omnes perfectiones substantiales creatas, & illas cõtinens eminentissimè, atque adeò æquivalens omni complemento creato substantiali: ergo si semel, non obstante sui essentiali communitate, potest incommunicabiliter, (quod subsumimus ex his, ex quibus conditionem propositionis accipimus,) uniri Naturæ creatæ, potest in ipsa supplere defectũ complementi proprii substantialis, ipsamque complere substantialiter: Perfectio enim sui communicativa, & continens, ac æquivalens alteri, cur non præstet munus istius?

Probo secundam: quia Naturã finitam subsistere, & personari nihil est aliud (seclusis vocibus) quam compleri substantialiter ultimò: implicatque non compleri sic ultimò, per id per quod suppletur in ipsa complementum ultimum.

62 Oppones primò: Totum illud non esset hypostaticum. Respondeo distinguendo: formaliter, id est, constitutum ex formali Hypostasi, concedo: æquivalenter, id est, constitutum ex prædicato, quod licèt non sit Hypostasis, facit illius vicem, nego.

63 Opponis secundò: illa Vnitas Naturarum esset unitas Naturæ; repugnat autem ex Divina & Humana Natura fieri unam. Respondeo, illud unum non esset una Natura, sed duplex: altera completa, & completus altera: atque adeo esset Vnum unitate subsistentis, & suppositi, ut explicui.

64 Oppones tertiò: Divina Natura non est

est Personalitas, nec subsistentia: ergo nec esset ibi. Respondeo, concedo antecedens, & distinguo consequens, non esset ibi, æquivalenter & respectivè, seu in munere Personalitatis, nego formaliter, absolutè, & in esse, concedo consequentiam. Opponesquartò: illa Persona, nec esset Divina; quia darentur quatuor: Nec humana; quia non erat humana Personalitas. Respondeo, ne detur erroris occasio, vocari posse Personam Divinohumanam: non vero simpliciter Personam humanam, quia ultimatam prædicato Divino: nec simpliciter Personam Divinam, quia completam prædicato, quæ secundum se non est Personalitas Divina. Ex his alia solves.

Conclusio absoluta.

65 Propositio secunda: Natura Divina, (sive detur subsistentia absoluta, sive non) vel ipsa, (si detur) absoluta subsistentia, nequit assumere secundum se & ratione sui, quin eo ipso maneant immediatè, & formaliter unitæ tres Personæ, & assumentes simul. Quare præcedens propositio est de conditione impossibili; nec Natura, vel absoluta subsistentia (si detur) potest seipsâ supplere in Natura finitâ vices subsistentiæ. Duę illationes patent: Prima, ex adhibenda probatione Propositionis. Secunda: quia ut suppleretur subsistentiæ munus in Natura, manere deberet hæc ultimò completa, & reddita consequenter incommunicabilis ulteriori termino sufficienti complere, & substantialiter quasi ultimare Naturam, ex sæpe dictis: Oppositum asserit Propositio Nostra.

66 Cujus ratio Fundamentalis est: quia quod convenit Deo, ratione prædicati absoluti, seu secundum absoluta, convenit eoipso indispensabiliter tribus Personis, salva oppositione Personarum ad intra: sed assumente Natura Divina, seu Absoluta subsistentia, Deus assumeret, & uniretur, ratione prædicati absoluti: ergo eoipso simul assumerent, & unirentur tres Personæ. Syllogismus constat: minor est æquè certa, ac est certum Naturam esse communem tori Trinitati. Majoris veritas asserta est à Toletano

Tolet. VI.

VI. negante, *ut supra*, Filium suscepisse in eo quod est commune: *Si enim* (addit) *Naturam Hominis, Deique, alterã in alteram infudisset, tota Trinitas Corpus assumpsisset.* Asseritur ab omnibus Theologis, ideò negantibus contra Durandum terminasse Filium Vnionem Incarnativam primariò secundùm absolutum: & ostenditur: quia non alia ratione (non his obstante virtuali distinctione Personæ à Natura) velle, sapere, producere ad extra, & Incarnare de facto, convenit æquè tribus Personis: & Spirare, Patri & Filio; nisi quia ea Deo cõveniunt ratione prædicati Divini absoluti: & hæc ratione prædicati Patri, & Filio communis. Et ratio est, quia ratio terminandi est tota Trinitas. Confirmatur: quia si Natura Divina posset assumere, quin Personæ simul assumerent, ea compleret ultimò naturam assumptam ex prima propositione: ergo illa terminatio redderet Naturam assumptam incommunicabilem toti Trinitati: quod videtur contra Toletanum, & rationem: nam quâ ratione mediũ omninò commune, potest esse ratio, ne denominatio transeat ad ea, quibus est commune?

Concluſ. etiam absoluta.

Supra à nu. 50.

67 Propositio tertia: Natura Divina, vel subsistentia absolura secundum se, & ratione sui nequit assumere Naturam finitam. Ratio mihi ex dictis est: quia Natura finita nequit assumi à tribus Personalitatibus simul, ex resolutione tertiæ difficultatis: sed nequit assumi à Divina Natura, vel absoluta subsistentia secundũ se, & ratione sui, quin eo ipso necesse sit à tribus Personalitatibus assumi, ex præcedenti propositione: (in qua cum Modernus doctus nobiscum conveniat, nescio quâ consequentiâ doceat, Naturam Divinam nihilominus posse ratione sui assumere in unitatem Personæ, applicando solam vnam Personalitatem assumptæ Naturæ, de quo placito desidero rationem, quam nec dat ipse, nec dare, opinor, potest:) ergo nequit etiam assumi à Divina Natura, vel subsistentia absoluta, secundum se, & ratione sui. Id enim ex quo sequitur impossibile, necessariò impossibile est.

Sed aliter sentire jã, video.

Toletan.

68 Oppones primò: Verba Toletani relata, quæ videntur supponere oppositum. Miror hæc objici à viris Doctis. Respondeo, Toletanum optimè inferre sequelam de incarnatione trium Personarum, ex assumente Natura secundum se: at de qualitate sequelæ, non censet. Qui sic objiciunt, putant illatam sequelam, ut veram, & possibilem: ipse cum Anselmo puto, ut falsam, & impossibilem: quo salvare melius veritatem Toletani, cum Anselmo laudato, cogito.

Anſelm.

69 Opponis secundò: Natura Divina, præcipue si dicat subsistentiam absolutam, continet omnem perfectionem complementi substantialis creati: cur ergo non poterit supplere vices subsistentiæ finitæ ratione sui? Si autem id potest, quidni possit assumere ratio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione sui? Respondeo, penes hoc, dari vel non dari subsistentiam absolutam, absque esse, ex *num. 61. & 65.* unde retorquetur objectio. Deinde concesso antecedente, nego consequentiam: quia, licèt contineat, impeditur, ne supplere possit: quia supplere non potest, quin ipsa suppleatur incommunicabiliter ulteriori substantiali complemento: & ipsa Natura, vel subsistentia communis, est necessaria communicatio Naturæ quam assumeret ad ulterius complementum: quod supponebatur exclusum ex facta semel suppletione finitæ subsistentiæ, & compietione, & ultimatione substantiali Naturæ finitæ.

Conclus. etiam absoluta.

70 Propositio quarta: Natura Divina, vel si mavis, subsistentia absoluta, potest assumere, immediatè quidem immediatione terminationis, non verò secundum se, & ut ratio terminandi, & assumendi, sed ratione Personæ alicujus, & prout contracta ad aliquam ex Personis: Vnde nequit assumere, nisi in unitate Personæ. Omnia patent ex dictis tam hic, quam *disp. 4. sect. 1.* est enim hæc Propositio legitima illatio præcedentium: quare non eget ulteriori confirmatione.

Suprà disp. 4. sect. 1.

71 Oppones tamen Sanctum Thomam *quæst. 3. art 3.* dicentem, posse etiam intelligi Divinam Personam, assumentem, circumscriptis mente Personalitatibus. Dicunt aliqui Sanctum Thomam loqui in sensu conditionato, & ex hypothesi impossibili, nempe, quod Deus esset una sola Persona, ut Judæi existimabant. Sed id non probo: quia ipsa tituli expositione convincitur. Dicunt alii Sanctum Thomam loqui de assumptione activa, nempe de actione, qua fiat assumptio. Sed neque id probo: nam clarius est, quam, ut integrum articulum impleret, judicio tanti Doctoris. Dicunt alii locutum Sanctum Thomam de Natura prout dicente subsistentiam absolutam. Sed neque id probo: nam ad primum, reddens rationem sui dicti, ait Sanctus Doctor: nam exclusis per intellectum proprietatibus Personalibus, remanebit in consideratione nostra, Natura Divina ut subsistens, & ut Persona: quod ratione subsistentiæ absolutæ verificari nequit.

S. Thomas.

72 Dico igitur tria. Primò fieri posse præcisionem Personæ Divinæ, non expressa multiplicitate Patris, Filii, & Spiritus Sancti: & sic, circumscriptis mente nostra Personalitatibus, quoad esse differentiale manet in cognitione nostra Divina Natura, cum formalitate, quasi generica Personæ, ratione cujus intelligere possumus ipsam assumentem. Secundò, duplex est præcisio: alia negativa, alia purè præcisiva: per illam excluditur aliquid: per istam non excluditur quic quã, tamen, licet attingatur à cognitione, non apparet: Divina ergo Natura, quamvis abstractè concipiatur à nobis, semper remanet cum ratione Personali, ratione cujus potest assumere, licèt ratio ista, cur sit & dicatur assumens, non appareat. Tertiò, licèt ratio cur assumat Natura, sit, & esse debeat Persona, ut Sanctus Thomas habet *ipsa quæst. 3. & eodem art. 3.* ac supposuerat *in secundo*: tamen Natura, licèt ratione Personæ, assumit immediatione terminationis: & hoc genus assumendi intelligere possumus, circumscripta per intellectum ratione Personali assumendi. Quilibet ex his modis satisfacit S. Thomæ: & ab ipso secundus, opinor, intenditur.

Ejus mens.

§. III.

QVOTVPLEX ESSET HOMO, ASSVMPta multiplici Natura, vel Assumente multiplici subsistentia?

73 QVinta difficultas: an casu, quòd una Persona triplicem Humanitatem: & permisso, quòd tres eandem assumerent: darentur, & dici deberent plures, aut unus solum homo? Quæstio est purè de Nomine. Multa dixere latissimè multi quos vide per otium apud Aldrete *disp. 44.* Amicum *disp. 14. sect. 7.* Prudentium *tract. 3. disp. 2. dub 4. sect. 2.* Godoy *tract. 3. disp. 16. §. 8. & 11.* & Munièssa *disp. 3. sect 6 a nam. 54.* & omnium copiosissimum N. Thyrsum *tom. 3. disp. 24. & 25.*

Aldrete. Prudent. Godoy. Thyrsus. Muniessa.

74 Brevissimè dicam ipse quid sentio. Suppono in primis, dubitari non posse in utroque casu posse dici fore tres Homines, & unicum secundum quid, significata vel multiplicitate Naturarum Humanarum vel Personalitatum; vel unitate Humanitatis, & Personalitatis, prout casus tulerit. Suppono deinde, dubitari nec etiam posse, posse dici casu quo tres Personæ eandem Humanitatẽ assumant fore unum Hominem, & tres Personas, significato, quòd una sit solum forma, à qua venit denominatio Hominis; & triplex Personalitas, à qua venit Personæ denominatio: casu verò quo plures Humanitates assumeret una Persona, fore unam Personã,

& plures Homines, significando esse plures formas à quibus venit hominis denominatio; & unica Personalitas à qua venit denominatio Personæ in tot Naturis. Verùm hic non est quæstio de eo quod possit, sed de eo quod dici debeat, attentâ simpliciter re juxta debitum significatum vocum quibus hic utimur. Quare

75 Respondeo, in primo casu dici debet, forè unum Hominem, sicut dicitur unam esse Personam, licèt is dicendi modus non sonet simplicitatem Naturarum, ut Personæ simplicitatem sonat: in secundo, forè plures homines, sicut dicitur esse plures Personas; licèt is etiam dicendi modus non sonet pluralitatem Naturarum, ut Personarum sonat pluralitatem.

76 Ratio mihi est, quæ simul præoccupet instantias quæ fieri contra illam possint. Licet Nomina concreta substantiva purè, & ex æquo penes omne significatum, atque adeo dicentia omne significatum in Recto naturali, nihilque habentia naturalis obliqui, debeant multiplicare concreta ad multiplicationem expressioris significati: ut Deus, & Persona Divina: quia expressius significatum quasi prævalet in re eo modo significatâ: tamen Nomina concreta substantiva, non purè, nec ex æquo penes omne significatum, ideo dicentia unum in Recto naturali, & aliud in obliquo naturali, solum possunt, & debent multiplicari ad multiplicationem Recti naturalis: sed Nomen *homo* (quicquid sit in purè humanis, de quo mox) in Divino humanis non est purè substantivũ penes omne significatum, sed dicit Personam Divinam in Recto naturali, & Naturã aut Naturas assumptas in obliquo Naturali: ergo non debet multiplicari ad expressius significatum formæ, sed ad multiplicationem Personæ Divinæ: quod est ejus Rectum Naturale: ergo sive sint plures Humanitates, sive Vna; si Personæ sunt plures, erunt plures homines; si sit solum unica, unicus.

77 Consequentiæ patent, & minor patet: tùm quia concretum, homo, in Divino-humanis est extraessentiale: tùm quia valet hæc prædicatio, Deus est homo, ex identitate Recti: Quod est Persona Divina. Tùm explicando Rectum & Obliquum Naturale: sunt enim in Physicis independenter ab intellectu Recta, & Obliqua: illa, quæ per se stant, & sunt quasi radix & basis cæterorum, quæ sunt in re: hæc, quæ ex suo modo essendi adjacent, & sustentantur ab illis. Sic subjectum est Rectum physicum respectu accidentis; Accidens, physicum obliquum: Res est Rectum respectu modi: modus, obliquum. Rectum autem, & Obliquum Nominum non est arbitrarium; sed habent Rectum ex commensuratione cum re quam significant: & hoc est Naturale, nempe quod Nomen ex debito significare debet in Recto; quicquid de loquentis arbitrio sit: illud autẽ est Rectũ nominis ex debito, quod physice est Rectum in re: Atqui Natura assumpta quasi adjacet assumenti, & sustentatur ab illo perse stante: ergo hoc est Rectum in Nomine: & illa, Obliquum.

78 Major autem Syllogismi prioris ostenditur: quia ea nomina imitantur naturam nominis adjectivi, & concretorum accidentalium: sed hæc multiplicantur unicè ad multiplicationem subjecti, quod dicunt in Recto: ergo & illa ad multiplicationem Recti Naturalis. Confirmatur resolutio primò: quia homo est Persona humana: sed si una solum sit Personalitas Divina assumens Humanitatem, una est solum Persona Humana, licèt sint infinitæ Humanitates: ergo unus homo: si autem sint plures Personæ assumentes eandem, sunt plures Personæ Humanæ: ergo plures homines. Confirmatur secundò: quia si nostra resolutio nõ esset vera, sicut in eo casu, quo una Persona plures Naturas assumeret, essent plures homines masculinè, substantivè, & simpliciter: ita nunc masculinè, & substantivè, quia est Christo duplex Natura vivens, & volens, essent duo viventes, duo volentes, quod est contra Athanasium *in Evang. de Sanctissima Virgine, medio*, & Nicænum Symbolum: idque ita proposui, ut interciperem communes evasiones. Videte discursus latiùs expensos apud Lug. *disp. 13. sect. 3.* & Aldrete *disp. 44. sect. 1.* & fundamentalè ratione Doctrinæ totius apud Arriagam *hic* & *tom. 1. in 1. p. disp 54 sect. 1. subsect. 3.* & Petrum Hurtado *de Metaph. & hic disp. 39.*

Athanas. Nican. Concil. Lugo. Aldrete. Arriaga. Petrus Huriad.

79 Oppones primò: ergo similiter sunt *tres Dii*: quia sunt tres Personæ. Nego consequẽtiam: jam præmonui, in his prævalere significatum expressius, quia utrumque dicitur in Recto naturaliter.

Oppones secundò: ergo si per impossibile, una Humanitas uniretur multis finitis subsistentiis, essent plures homines: & si una subsistentia finita compleret plures, esset unus homo. Nego consequentiam: quia in utroque casu subsistentiæ essent obli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quum naturale, & Humanitas Rectum: Nam in purè Humanis homo dicit in recto Naturam: in obliquo subsistentiam: unde in primò casu, essent unicus homo: plures, in altero.

Disp. 6.

80 Oppones tertiò: quænam est ratio cur varietur significatio, & suppositio nominum in Divin-Humanis? Respondeo maximam de *qua disp. seq.* accipe nunc brevi. Prima est, quia variatur modus quo Natura constituit hominem, & quo convenit esse homini illi de quo dicitur. Secunda est: quia in Diuin-humanis concretum, homo, est extraessentiale: essentiale, in purè humanis.

Ibi sect. 3.

81 Oppones quartò: ergo non sunt univocè homo, Christus, & Petrus. Nego consequentiam, de qua *disp. seq. sect. 3.* quia quoad univocationem non variant nomina significationem, quia semper significant eandem speciem formam Naturæ Humanæ, à qua sumitur univocatio in ratione Hominis.

82 Oppones quintò: finge quod Persona Divina assumat simul Naturam Angelicam, & Humanam; ibi est Angelus, & homo: ergo si assumat plures Humanitates, erunt plures homines. Respondeo, in casu antecedentis esse unum ens essentiale Perse, & unam Personam, quæ sit Angelus, & Homo, non verò plures, sed unâ, seu suppositû unû: & exinde, prædicaretur per communicationem idiomatû, Angelus de Deo, & de homine: homo de Deo, & Angelo: unde argui potest pro sententia nostra: nam si detur pluralitas hominum, datur distinctio hominum: si datur distinctio, negari unus potest de alio: ergo etiam Angelus de homine: sed hoc, non: ergo neque illud: ergo neque sunt in eo casu plures homines. Nego modò consequentiã.

§. IV.

AN ETIAM DEVS SVB RATIONE VITÆ, aut alterius Perfectionis?

P. Amic.

83 SExta difficultas: an, ut Deus uniri creaturæ potest sub ratione subsistentiæ, possit etiam uniri sub ratione Vitæ, vel alterius perfectionis? Tangit id dubii P. Amicus *disp.* 14. *à num.* 151. Duo hîc certa. Primum; uniri Deum posse creaturæ sub ratione Sanctitatis: id enim, necessarium est eo ipso quod possit uniri creaturæ Rationali, ut insinuavi *disp. 1. sect. 3* ad objectionem tertiam: & *infrà*, cum de Gratia Christi. Secundum; non posse Deum uniri creaturæ sub ratione vitæ vegetantis, & sentientis, seu, ut has suppleat. Quia causa formalis nequit conferre formalem effectum, quem non continet, imò sibi repugnantem. Adde, non esse in Deo has rationes Vitæ, quia sunt imperfectio manifesta: non ergo potest sibi unire creaturam sub ratione, quæ in ipso Deo non est. His suppositis

Suprà disp. 1. a nu. 61.
Infrà lib. 5. Disp. 1. tot.

84 Respondeo primò: Implicat, Deum uniri creaturę sub ratione Intelligẽtis actualis, seu vitæ actualis intellectualis. Ratio: quia sic uniri Creaturæ, est conferre Deum creaturæ denominationem intelligentis, & viventis per intellectionem, & vitam Divinã: id autem implicat primò: quia vita actualis in cõceptu, & exercitio vitæ est essentialiter immanens viventi per ipsam: immanentia autem est necessitas ne terminus sit ab alio, quàm ab ipso cui inest: hæc autem repugnat intellectioni Divinæ respectu creaturæ: unde per vitam unius, alter nequit vivere: est enim vita, exercitium ita intimum, & proprium viventis, ut ab alio, tanquam adæquata virtute, non possit esse. Secundò: quia omnis vita actualis est essentialiter actus Vitæ, per quam, qui vivit, dicitur Vivens in actu primo: hoc autem repugnat Intellectioni Divinæ. Tertiò: sicut nulla causa potest agere, nisi effectum, ad quem præsupponitur in ipsa Virtus, nullus ità Vivens vivere potest in actu secundo, nisi per vitam, quam in actu primo contineat, si sit vivens in actu primo. Quartò: quia omnis vita actualis est operatio, & quasi motus illius, qui per ipsam vivere dicitur. Rursus *infrà* de his; collige tamen, hinc, idem esse dicendum de ratione volitionis, nolitionis, &c.

Infrà lib. 5 disp. 3. à n. 2. & 15.

85 Respondeo secundò: Implicat Deum uniri posse creaturę sub ratione vitæ potentialis, seu radicalis. Ratio: quia sic uniri est suppleri à Deo vitam radicalem in creatura, seu esse creaturæ actum primum in ordine ad vitam in actu secundo, alligarique creaturæ per modũ principii immanenter operantis: hæc autem Deo repugnant. Primò: quia id fieri nequit sine imperfectione informationis. Secundò: quia esse principium immanens est ita elicere operationes, ut necessariò maneant in ipso qui producit denominatus exinde per ipsas vivens in actu secundo. Quæ sine receptione, & mutatione fieri nequeunt.

86 Respondeo tertiò: Implicat Deum uniri creaturæ sub ratione immensitatis, & æternitatis Divinæ: id est, communicari creaturæ formalem effectum horum Attributorum. Rationes dedimus *disp. 1. sect. 3. fin.* do aliam hîc: quia formalis quasi effectus immensitatis est, posse esse absque sui mutatione, in omni loco reali possibili, & esse actu summe diffusum cũ omnimoda sui simplicitate. Aeternitatis est; habere perpetuũ esse ab omni processus mutatione immune: His quasi formalibus effectibus repugnat creaturæ conditio, ex se mutabilis, deffectibilis, & finitæ, ut patet.

Suprà disp. 1. a nu. 61. & lib. 5. disp 1. nu. 14.

87 Vt quartò respondeam de Attributo Omnipotentiæ, noto, duplicem excogitari posse modum, quo dicatur Deus uniri creaturæ sub ratione Omnipotentiæ. Primum, ita, ut sicut Anima unitur corpori, & facit unã Naturam intellectivam, sic Deus faceret cum creatura unam quasi Naturã, & redderet compositum Omnipotens. Secundum, ita ut uniret physicè Deus creaturæ suam Omnipotentiam, cum decreto concurrendi cum creatura, cui suam daret Omnipotentiam, ad omnes effectus, quos ipsa vellet.

Respondeo quarto: Implicat, Deum etiam uniri creaturæ sub ratione Omnipotentiæ, communicando formalem effectum ipsius: quia formalis effectus Omnipotentiæ est posse cuncta producere, independenter ab alio. Sed creaturæ repugnat cuncta posse producere, cum se ipsam nequeat: nec independenter, cum Virtus non sit sua, & ex se, sed alterius: ergo. Respondeo quinto: Implicat etiam uniri Deum creaturæ sub ratione Omnipotentiæ, ita ut quasi ex unione resultet ex Deo & creatura una Natura, cui debeatur in virtutem operatricem Omnipotentia: quia Vnitas Naturæ ex duobus extremis sonat informationem, & in altero rationem formæ, & rationẽ subjecti in altero: dicunt enim inter se, ea, ex quibus Vna Natura fit, incompletionem mutuam, & mutuã dependentiam. Quæ omnia dicunt manifestam repugnantiam Divinæ Perfectioni. Vide quæ diximus suprà *disp. 1. sect. 5.* Nec dicas subsistentias Divinas esse modos Naturæ, ut Vazquez opponit. Tùm quia modus dicit incompletionem, & deffectibilitatem: Tùm etiam quia, licèt summè sint affixæ Naturæ, sunt perfectiones eminentissimè cõtinentes omne genus perfectionis, quæ relucet in subsistentiis creatis.

A nu. 78. Vazquez.

88 Respondeo ultimò: Implicat etiam uniri creaturæ sub ratione Omnipotentiæ, nisi eo modo, quo diximus posse uniri Naturam Divinam, etiam si dicatur unionem fieri ut creatura fiat potens intrinsecè ad effectus sibi possibiles. Ratio est mihi eadem, ac supra fuit loquendo de Natura. Deinde vel illa unio esset accidentalis, vel substantialis? Non illa: quia accidens repugnat physicè & immediatè assumi à Deo, ex dictis. Non illa: quia substantialis unio ordinatur ad unum perse: quod autem resultaret unum perse ex illa unione? Adde, quod creatura nequit in supposito proprio constituta, ulterius substantialiter perfici: neque ullum ens potest substantialiter perfici nisi in ea ratione, sub qua supponitur substantialiter perfectibile & incompletum. Demum, Virtus ad aliquid solum denominare potest potentem cum, cujus ex solo imperio operari potest ex se, si ex se sit virtus, qua ex solo imperio potest operari: nam si ex solo imperio producere potest, necessariò est virtus illius, qui potest imperare: si autem solùm ex se est virtus, illius, qui potest imperare, solùm ipse per illam denominari poterit Potens, & Activus: Atqui Divina Omnipotentia talis est ex se, ut ex solo imperio Divini volentis determinari possit ad opus: ergo solùm ipse Divinus volens potest denominari potens ab ipsa Omnipotentia. Sed de his, expensius *lib. 5. disp. 7. sect. 1. præsertim §. 3. & 4.*

Infrà lib. 5 disp. 1. à num. 14. & disp. 7. à nu. 12.

§. V.

AN ETIAM CREATA SVBSISTENTIA possit Assumere?

89 SEptima Difficultas: an subsistentia, seu Persona Creata possit alienam terminare Naturam? Supponit ut vides, quæstio: primò: subsistentiam seu Personalitatem rerum, saltem connaturaliter limitari ad unam Naturam, eamque dici propriam respectu talis subsistentiæ, seu Personalitatis: quia saltem connaturaliter illam sequitur, & supponit: alias verò rejicit quasi extra Sphæram suam; & ideo dicuntur alienæ: ex quo necessariò fit subsistentiam non esse indifferentem ad hanc, & illam Naturam, vel saltem esse quæstionem: an subsistentia finita affixa uni Naturæ, possit ulterius simul, aliam implere, & reddere subsistentem. Colligo hinc, contra Modernos aliquos, subsistentiam, quæ sit à Naturis distincta, esse modum necessariò: quia ea limitatio est propria Modi. Ducor & in id, hac alia ratione, quã expẽde: Nam ens substantiale incomple-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum, quod non sit modus, necessariò excedit Naturam modi: ergo est substantialis forma: ergo necessariò habet perfectionem formæ substantialis, nempe radicare proximè operationes compositi: si enim hanc perfectionem non attingit, & præcisè manet quoad energiam, & munera in perfectione quæ cadit in modum, frustrà Res fingitur.

90 Supponit quæstio secundò, subsistentiam finitam, non posse assumere propriè: nam assumere dicit unionem, & productionem ipsius: quod nec divinitus concedit *Godoy*, addens id esse omnium Theologorum qui rem ideò non ventilant, sed supponunt: sed videtur non vidisse Koninch, qui ventilat *disp.7. dub.6.* Supponit tertiò, subsistentiam finitam, non esse negationem: nam sic esset certa pars negans, contra Fabrum, & nonnullos Scotistas apud Franciscum del Castillo *disp.6.de Incarnatione quæst.6.nu.*11. Tùm quia negationes, si distinguantur à positivo, vel nihil sunt, vel abusivè sunt ens, atque adeo nec positivè perfectivæ, nec positivè perfectibiles: ergo nec unibiles alteri. Sed de his Carentiis, & entibus diminutis, dixi jã *disp.3. supra nu* 176. In quæstione igitur sic proposita, affirmant Scotistæ aliqui post Fab. ũ. Nominales cũ Okã. & ex nostris, Petrus Hurtado, Martinus Perez, Albertinus, Bernal & alii Moderni Philosophi cũ Oviedo, post Pessantiũ & Becanum referentẽ *cap.* 4. *q.* 5. aliquos, qui putaverint id contigisse jam in Malachia, Aggæo, Baptista, Melchisedecho, quos hallucinati sunt Angelos Incarnatos: & futurum, in Antichristo, quem timent esse Dœmonem Incarnandum. De exemplis vide Suarez *de Vita Christi disp.* 54. *sect.* 1. Ratio illis est, à contradictione hucusque non exhibita.

Godoy.

Koninch.

DelCastill.

Suprà disp. a nu 176.

Affirmativa Sententia pluriũ.

91 Communior Sententia (pro qua vide Amicum *disp.* 14. *sect.* 7 Martinonum *disp.6. sect.* 1. & omnino Godoy, & Reverendissimum Thyrsum, & P. Muniessa, qui plena manu dant omnia pro, & in ipsam: ille tota *disp.*17. Thyrsus *disp.*23. Muniessa *disp.*3. *sect.* 7.) cum Sancto Thoma, P. Suarez, & Vazquez negat: & meritò. Labor est in assignanda contradictione. Do duas ex aliis; & ex me, duas. Eliges ipse, quam malis. Ipse singulas approbo. Prima sit ex *Suarez*: quia subsistentia finita est modus. Modus autem essentialissimè limitatur ad rem, cujus est modus, nec alteri, cui perse non affigitur, præstare potest formalem, & specialem effectum suum: est enim merus usus alterius, nec aliter præstat effectum, nisi per usum ipsius: ut autem repugnat fieri modum alterius entis, cujus non est usus (quia eo ipso transiret in essentiam non modi, seu rei) ita repugnat denominare rem aliam, quàm eam, cujus est essentialis usus. Id autem esse de ratione modi, patet inductione: nam per sessionem meã, repugnat, quod sedeas ipse: per meam actionem, quod ipse agas: per unionem mei Corporis, & animæ, quod tua uniantur. Esto, subsistentia non sit modus, sed res.

Negativa est S.Thom Suarez & Vazquez, & vera pro qua videndi Amicus. Martinon. Godoy. Thyrsus. Muniessa.

92 Ratio secunda sit ex *S. Thomæ*: Nam suppositare Naturam alienam est proprium Infinitæ Personæ. Qua ratio ornari sic potest: primò: Vt fiat ex duobus Vnum perse, requiritur in utroque certa proportio ad communicationem perfectionum: si autem illa desit, repugnat ista communicatio ad unum perse. Quòd autem ista proportio, ut ex Natura aliena, & Personalitate fiat unum perse hypostaticè, sola sit Divinæ Personæ, suadetur: quia Bonum Infinitum, quale suppositum Divinum est, est infinitè communicabilius, quam bonum unumquodque creatum: ergo debet posse communicari in quovis genere, modis, quibus adinvicem communicare se nequeant bona creata: ergo in quovis genere debet esse modus communicandi se Creaturis, qui sit proprius infiniti Boni: sic invenimus in modo se communicandi per gratiam, modum consortii physici, qui solius est Dei respectu Creaturarum: in modo se communicandi per Visionem, modus formalis Beatitudinis solius Dei proprium: cur ergo non sit proprius Infiniti Boni, modus aliquis in genere se communicandi physicè per Vnionem? Si autem aliquis esse debet, nullus alius certè, quam Hypostaticus, cum iste sit summus ad extra: non ergo potest is modus convenire Bono Creato, quia eo ipso Divinum esset.

S.Thomas.

93 Secundò potest ornari sic: illa sola personalitas potest suppositare Naturam alienam, quæ sit Personalitas Naturæ continentis eminenter naturam alienam, (secundum omne quod dicit de perfectione: sed hoc est proprium solius Divinæ Personalitatis: ut patet: ergo & illud. Major ostenditur: quia omnis personalitas ita adæquatur Naturæ propriæ, ut illam nequeat excedere; est enim illius passio, & terminus ultimus: sed si esset apta suppositare Naturam non præcontentam in propria, propriam excederet: ergo. Vide Godoy de hoc discursu *nu.*51. qui tamen non tam est solidus, quam pulcher.

Godoy.

Ter-

94 Tertia ratio sit: quia subsistentia est terminus non ultra terminabilis: id est, non ultra communicabilis alteri enti substantiali, quocum faciat unum ens perse cum sui perfectione; licèt possit esse alteri communicabilis, ut pura ratio perficiendi, ut fatemur in Verbo: sed Nulla subsistentia præter Divinam potest alteri adjungi, cum quo faciat unum ens perse, quin eo ipso simul perficiat & perficiatur ultimò substantialiter: ergo nulla est subsistentia præter Divinam quæ si possit suppositare alienam Naturam, sit terminus ultrà non terminabilis: ergo nulla est præter Divinam, quæ si supposităt alienam Naturam, maneat subsistentia: quod implicat manifestè: & hæc est, opinor, ratio cur S. Thomas dixerit esse id Personæ Divinæ proprissimum. Major autem Syllogismi constat

Suprà disp. 1. sect. 2.

ex disp.1. sect 2. Minor ostenditur: tùm quia talis subsistentia mutaretur intrinsecè: non per disconvenientiam & accessum imperfectionis: nihil enim ipsi tollitur, sed additur: ergo per accessum perfectionis, ad quam apta supponitur. Tùm quia complexum ex illa subsistentia, & duabus Naturis perfectius esset, quà ex subsistentia, & sola Natura. Vide quæ *cit. disp.* diximus *sect.*1.

95 Quarta ratio sit: si Personalitas, vel subsistentia finita potest alienam terminare Naturam: rogo: vel esse sine hac terminatione alienæ Naturæ est perfectio finitæ subsistentiæ, vel non? Si secundum: qua ergo ratione exigit subsistentia si ita esse sine hac terminatione: non enim esse potest terminus appetitus Innati, quod non est physicè bonum, seu perfectio illius rei, quæ appetit: quippe omnes exigentiæ sunt in exigentis bonum. Si ergo primum: ergo illa perfectio est ipsamet subsistentia, vel ex ipsa & Natura propria non fit suppositum. Probo istam consequentiam. Nam respectu suæ naturæ nihil aliud habet.

96 Quintam rationẽ possem sumere ex Vazquez *disp.*25. *cap* 3. quã tamen uti nolo ob sequelas multis fortè displiciturus, licèt alioqui veras. Eam ipse formatem sic: Vel subsistentia finita suppositaret naturam alienam per seipsam, posita Vnione, vel adderetur illi virtus, ut suppositaret. Non secundum: quia causa formalis caũlat per sui exhibitionem. Adde quod non tam ipsa diceretur suppositare, quàm illa superaddita Virtus, quæ eo ipso esset subsistentia. Si ergo primum: ergo illa subsistentia esset ex se apta suppositare Naturã alienã. si detur unio sui ad illam: ergo non solum divinitus, sed naturaliter fieri id posset. Probo istam consequentiam. Nam respectu suæ naturæ nihil aliud habet.

P. Vazq.

97 Dices primò discrimen esse: quia Vnionem cum propria Natura exigit, non tamen exigit unionem cum aliena. Contra primò: ideo colligis exigentiam, quia apta est ex se: si ergo est apta ex se, cur non exiget etiam unionem cum aliena Natura, seu potius cum alia quæ etiam erit tam propria, ac ea quam propriam vocas? Contrà secundò: quod non exigatur aliquid ab alio, non est ratio probativa supernaturalitatis, aut miraculi: aer enim non exigit illustrari luce: & tamen naturaliter illustratur.

Dices secundò, hic dari naturale agens: ibi deesse. Contra primò: Deus hic non videtur excedere Sphæram naturalis agentis: nã quam vincit impossibilitatem Naturæ? Contrà secundò cur non detur agens naturale, cum hic contendo nihil immiscerì supernũ?

Dices tertiò, hic fieri contra exigentiam ipsius subsistentiæ. Contra primò: ergo fit violentia: at violentia nulla fit: nam non spoliatur subsistentia ullâ perfectione; sed ditescit illa, ad quam est apta ex se. Contra secundò: illa ex se est apta per te: qua ergo ratione exigere potest, ne sit, id, ad quod ipsa est apta?

98 Dices demum, Vnionem esse supernam. Contra primò: quia id dicitur ex arbitrio: unde hæc supernaturalitas? Secundò: quia nullus effectus potest esse supernaturalis, qui non sit supra vires causæ naturalis; sed effectus formalis nequit esse supra vires causæ formalis naturalis; nam effectus formalis est ipsa forma in subjecto: nihil autem est supra seipsum: ergo causa formalis nequit dici operari supernaturaliter, aut elevari in genere causæ formalis. Tertiò: quia uterque terminus est naturalis: unde ergo unio, cujus

Universidad de Deusto
Biblioteca

jus esse est unice in & ex ordine ad terminos, erit supernaturalis? Nec ultra dici potest, esse supernaturale quoad modum: nam, ut acutè Vazquez, omne supernaturale quoad modum potest, in aliquo eventu, esse naturaliter, & ab Agente naturali. *Vazquez.*

DISPVTATIO VI.

VNIONIS HYPOSTATICÆ VIS AD COMmunicationem Idiomatum.

S. Thomas. Suarez. Vazquez. Koninch. Bernal. Petavius. Bellarmin.

1 DE qua fusè Doctor Angelicus *quæst.* 16. & ibi Theologi. Omnium Luculentissimè, post Suarez, & Vazquez, Koninchus *disp.* 7. *de Trinitate, &* 18. *de Incarnatione*, & Bernalius *disp.* 45. *&* 46. Hæreses videndæ apud Petavium, & Bellarminum: illum *lib.* 4. *cap.* 15. *&* 16. hunc *tom.* 1. *lib.* 3. *de Christo à cap.* 9. Nos cingemus hæc omnia ad certas Regulas, datâ semel in antecessum, communicationis hujusmodi explicatione, & ratione, quâ nititur.

SECTIO I.

QVID EA COMMVNICATIO SIT; EIVSque ratio.

§. I.

EXPLICATIO COMMVNICATIONIS.

Valentia.

2 *Idioma* græcè, Latinis est *Proprium*. Exinde Communicatio Idiomatum in præsenti, non est, (ut Sectarii volunt apud Valentiam) communicatio realis Attributorum Dei facta Humanitati; (quo ex delicio prodierunt hæ eses, quas suprà remisi:) Sed est Attributorum Divinorum, & Humanorum, inter Deum, & hominem, mutua communicatio relativè ad prædicationem: seu prædicari de Deo, quod est Hominis; deque homine, quod est Dei: V.g. *Deus est passus: homo est Omnipotens.* Eaque sic explicata, est de Fide in Mysterio Incarnationis.

3 Fundamentum est subsantialis, & Hypostatica Vnio, vi cujus Divinum Verbum in se, & immutabiliter Deus, verè Naturam humanam assumpsit in unitate suppositi: unde fit Christus, Verus Deus, & Verus Homo; & illarum propositionum veritas: *Deus est Homo, Homo est Deus.* Quæ veritas est Cynosura Catholicæ veritatis in præsenti, contra Nestorium, aperta Nobis à Patribus, & CC. definientibus exinde, Verbum verè factum esse hominem; & Mariam verè esse *Theotocon*, seu Matrem Dei, utpote hominis, qui non metaphoricè, sed verè est Deus. Nam si verè semel dicimus de Deo esse Hominem, verè possumus, & debemus attribuere Deo, quod est hominis: sique semel verè dicimus de Homine esse Deum, verè possumus, & debemus attribuere Homini, quod est Dei. Quare oportet salvare purissimè veritatem prædictarum propositionum, quæ totius est cardo controversiæ: ut ex illis, quæ dicuntur, & sunt Idiomata Primaria, & essentialia, descensus fiat ad alia, quæ secundaria sunt, & extraessentialia.

§. II.

ALIORVM, PRO EIVS EXPLICATIONE, discursus.

Sic communiter Theologi cum S. Thoma.

4 TRes modos invenio. Primus est dicentium, Nomina substantiva, Deus, & Homo, sumi quasi adjectivè in illis prædicationibus: nempe: Habens Deitatem: habens Humanitatem; & sensus sit: Suppositum habens, aut terminans Deitatem, est suppositum habens, aut terminans Humanitatem: Quod est verissimum ex unitate suppositi importati semper in recto; licèt Naturæ sint diversæ: sicut ex unitate subjecti, licèt formæ sint diversæ, verum est dicere: album est dulce: quia Rectum concretorum, & vocum significantium concretè Naturas, aut formas est idem: neque enim Naturæ, vel formæ prædicantur adinvicem in abstracto, sed in concreto: qua ratione inter subjectum, & prædicatum est identitas Recti, quæ sufficit ad veritatem propositionis affirmativæ. Sic explicant Sanctum Thomam communiter Theologi.

P. Koninch

5 Secundus est P. Ægidii de Koninch verificantis eas propositiones, ex parte rei significatæ, & ex parte nominum. Ex illa, quia ex Divinitate, Humanitate, & Personalitate verbi resultat unum ens substantiale, & perse. Ex ista, quia Nomen *Deus* significat idem omninò, quod nomen *Homo*: nam Deus significat constitutum ex Personalitate, & Deitate formaliter, & determinatè; implicitè verò, & quasi conditionatè constitutum ex eisdem, & ex Humanitate. Homo formaliter, & determinatè significat constitutum ex Humanitate, & subsistentia; implicitè verò, & quasi conditionatè constitutum ex his simul, & Divina Natura; si nempe ex his fiat unum substantiale perse. Dat rationem: quia nomen utrumlibet significat ens substantiale, sive constet duabus Naturis, sive non constet: dato tamen quod ex eis constet ex variatione rei, incipit sine significationis variatione significare illud ens Perse ex & in Duabus Naturis subsistens. Explicat se per hæc nomina, Albus, Doctus: quæ licèt formaliter, & determinatè significent solam albedinem, & Doctrinam; indeterminatè, & quidem in recto, subjectum significant; & consecutivè Parietem, si albus sit: & Petrum, si Doctus.

P. Thomas Munieſſa.

6 Tertius est Ingenioſi Magistri, putantis veritatem unicè sumendam ex identitate suppositi, quod simul sit suppositum Deus, Homo, ita ut sensus sit: *Suppositum quod est Deus est suppositum, quod est homo*: quod est verissimum, præscisim à modo quo reperiatur in rebus suppositum, quod est Deus, & quod est homo: nam quomodolibet reperiantur, verum est dicere, quod tale suppositum est Deus, & est Homo.

7 Tres hi modi, sine ulteriori explicatione, mihi videntur valde difficiles. Primus, qui communior est, Primò: quia nomina concreta logicè substantiva, seorsim ab hac quæstione, semper circa Divina significant in Recto Naturam, & subsistentiam: non verò hanc in Recto, & illam in obliquo; Tùm quia, utraque æquè per se stat; tùm etiam quia, ut in Deo sunt tres habètes Deitatem, essent tres Dii. In puris Humanis vel Naturam etiam, & subsistentiam in Recto significant, (ut plures volunt;) vel Naturam in Recto, & subsistentiam, utpote modum illi adjacentem, in obliquo, (ut cum Hurtado, & Arriaga *supra* citatis sentio:) desideratur ergo ratio, cur hìc fiat variatio significandi, & supponendi. Secundò: quia *habere* logicè, ut contradistinctum ab *esse*, sonat adjacentiam, & distinctionem: certè non significat identitatem: at hoc modo dici non potest Deitas de Persona Verbi, quæ per identitatem est Deus; sed ad summum de Humanitate: unde logicè, & propriè loquendo, Rectum habentis Deitatem, erit Humanitas: & erit falsa prædicatio. Tertiò: Nam id est dici Hominem de Deo purè adjectivè: unde nihil aliud erit dicere, Deus est homo, quàm Deus est Humanatus: quod communiter negatur, & meritò: nam hæc locutio stare posset cum errore Nestorii, denominationem accidentalis unionis agnoscentis: nec videtur excedere rigorem istius: lignum est auratum: unde non valet: lignum est aurum. *Hurtad. Arriaga. Vide suprà disp. 5. à num. 76.*

8 Secundus, qui profundior est: primò: Nam Nomina formaliter, & determinatè aliquid exprimentia, solum significant indeterminatè, id quod indeterminatè necessarium est ad significatum expressum. Explico me exemplo, quo se Koninch: album significat indeterminatè subjectum, & consecutivè Parietem, quia ex se indeterminatè necessarium est ad albedinem: unde ex formali sua significatione habet significare hoc, vel illud: Atqui nec Humanitas est indeterminatè necessaria ut sit Deus: nec subsistentia Divina terminans, ut sit homo: non ergo valet paritas, neque subsistit ratio. Secundò: quia si discursus Patris Koninch esset verus, hæ propositiones: *Deus est homo, homo est Deus*, essent identicæ, & æquè per se, ac istæ: *Christus est Homo: Christus est Deus*: quod negat meritò cum omnibus ipse Koninch. *P. Koninch*

9 Tertius. Primò: quia non explicat quid importet in Recto, vel in obliquo ly *Homo*, ly *Deus*: unde fugit per hanc speciem veritatis, ipsius explicationem, quam optamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamus. Secundò: Nam suppositum *Deus* per te est Deitas, & subsistentia: suppositum *homo* est subsistētia, & Humanitas: ergo dicere, Deus est homo, erit dicere: subsistentia Divina, & Deitas, est Divina subsistentia, & Humanitas: qua ergo ratione sunt veræ propositiones: Tertiò: Constitutum ex Deitate, & Personalitate non est constitutum ex hac & Humanitate: sed suppositum, quod est Deus, est illud constitutum: & suppositum, quod est Homo, est hoc constitutum: ergo

§. III.

NOSTRA MENS.

10 NOto primò: Inter Nomina concreta Naturæ Divinæ Logicè substantiva, & nomina concreta Naturæ Humanæ secundùm se substantiva Logicè; id est discrimen in hoc Mysterio: quòd illa æquè sunt essentialia, & æquè dicuntur essentialiter de supposito Verbi pòst, ac, ante Incarnationem: hæc verò reddūtur extraessentialia, nec æquè dicuntur essentialiter de isto supposito, ac de Proprio: nam de Proprio dicuntur essentialiter; extraessentialiter de supposito verbi. Ratio est: quia Verbum manet essentialiter Deus; est extraessentialiter homo.

11 Noto secundò: Ideo nomen, Deus, in hoc Mysterio æquè significat Naturam, & Personalitatem in Recto, ac si non esset Incarnatio: quia cum Natura Divina conveniat Verbo, & æquè dicatur essentialiter de Verbo, ac ante: non est cur ipsi varietur nomen significandi, & supponendi: unde semper manet Logicè substantivum; nec est opus ut exprimatur unquam per *habens Deitatem*, quod mihi maximè displicet. At Nomen *Homo*, cùm extraessentiale fiat, variare debet modum supponendi, quem habet in supposito proprio: nam in hoc, (utcumque significet) significat ut nomen essentiale: in hoc verò Mysterio necesse est, ut ex novitate suppositi, variet suppositionem, & significet ad modum nominis extraessentialis.

12 Noto tertiò: Nomina extraessentialia, licèt grammaticaliter, sint substantiva, ut Artifex; Logicè tamen adjectiva esse: unde nomen *homo*, cum in hoc Mysterio, reddatur extraessentiale, manet Logicè ad modū Adjectivi. Noto quartò: Nomen *Homo*, licèt in hoc Mysterio, sit simpliciter extraessentiale, & ad modum adjectivi; simpliciter & reipsa non esse Logicè adjectivum, sed extraessentialiter substantivum. Ratio est: quia neque prædicat accidens, ut Albus; nec substantiam, ad modum accidentis, ut auratum; sed substantiam per modum substantiæ, ex qua resultat Homo: unde suppleri non potest ejus significatio per verba purè adjectiva. Noto quintò: Vt Verbum *est* aliquando sumitur substantivè; & significat identitatem, aut esse: v.g. *Petrus est homo*: & aliquando adjectivè; & solam significat habitudinem inhærentiæ, aut habere: v.g. Petrus est albus: ita mirabiliter, & ineffabiliter in hoc Mysterio, quod *fecit novum Dominus super terram*, ad ejus exigentiam, & ob ejus sublimitatem de novo significat certam habitudinem strictissimam substantialis Vnionis, vi cujus Rectum constituitur homo. Vnde *Homo* significat hic suppositum ita terminans Humanitatem, ut ex ipsa constituatur homo.

13 Patet ex his veritas, & discrimen harum propositionum: *Deus est homo*, & *homo est Deus*. Veritas: nam sensus primæ est: *Suppositum quod est Deus ita terminat Humanitatem, ut ex ipsa constituatur homo.* Quod est certissimum. Sensus alterius: *Suppositum ita terminans Humanitatem, ut ex ipsa constituatur Homo, est Deus*: quod est æquè certissimum. Discrimen: Nam in prima ly *est* præter identitatem Recti cum Recto, significat specialem habitudinem, quam explicui, strictiorem purâ adjectione, & identitate minorem: sufficientem tamen, ut mediâ ipsâ suppositum constituatur Homo. In secunda ly *est* purè significat identitatem prædicati cum Recto subjecti sustantivè extraessentialiter concreti. Quid ex his fiat, *sect.* 3. videbimus: ubi Durandum, locutionum istarum proprietati periculosè repugnantem, audiemus. *Infrà sect.* 3. *Durandus.*

SECTIO II.

REGVLÆ GENERALES AD VSVM Communicationis Idiomatum.

14 PRima est: In Prædicationibus, in quibus, quæ Dei sunt, attribuuntur Homini in hoc Mysterio, & quæ sunt hominis, Deo: habenda est unicè ratio Hypostaticæ Vnionis; ita nempe, ut modus ipse prædicandi nec eam excludat; nec ab ea præscindat, nec vim ejus aut alienet, aut imminuat. Ratio: quia tota Idiomatum Communicatio nititur in unione. Inferes inde: omnes locutiones, primò, quæ repugnent Vnioni: secundò, quæ importent attributa exclusiva Divini suppositi, tertiò, quæ aut involvant, aut connotent creatam Hypostasim, & distinctionem Personarum in Christo: quartò, quæ alienant energiam physicæ Vnionis: quintò, quæ ab ea præscindunt, prædicando de toto, quòd solum est partis, ut pars est; falsas esse, nec tolerari posse ex hujusmodi Regula. Vides quinque genera propositionum: do jam exempla.

15 Primi generis, illæ: *Deus non est homo*: *Homo non est Deus*: & similiter omnes illæ negativæ, quæ Deo negant, quòd est hominis in concreto: & homini, quæ Dei in concreto sunt, negant: excludunt enim unionem, nisi fiat reduplicatio, quæ limitet negationem, & verificet. Secundi, illæ: *Christus est purus homo*: hic *homo est pura Creatura*. Tertii, illæ: *Homo factus est Deus*: *Christus est alius, & alius*: *Hic homo est Filius Adoptivus*: Prima, quia connotat hominem præexistentem in hypostasi propria, factum esse Deum: quòd est falsissimum: & hæc est ratio cur ipsam neget Sanctus Thomas; & admittat illam: *Deus factus est homo*. *S. Thomas.*

16 Quòd si Augustinus, Nazianzenus, Cyrillus, & Damascenus admisere; intelligendi solum in sensu significante unionem Humanitatis ad Deum, explicando sic: *factū est, ut homo sit Deus*. An ipsa vera esset, assumptâ Naturâ, prius præexistenti in hypostasi propria, quæ per assumptionem consumeretur (nam si assumeretur præexistens, & per impossibile manens in propria hypostasi non est dubium, ut bene Bernal *disp.* 46. *sect.* 4. §. 3. *nu.* 112.) negant alii cum Vazquez, & Bernal; alii affirmant communiùs, quibus assentior: quia tunc esset sensus, hominem factum Deum, quasi conversivè, ut lignum dicitur fieri ignis: Panis, Christus. Secunda: quia nomina masculina significant alietatem suppositorum. Tertia: quia Adoptio dicit extraneitatem egentem supposito puri hominis: unde nec reduplicativè erit vera ea prædicatio de Christo, ut homine: quia homo in Christo dicit suppositum intraneum Deo. *Augustin. Nazianz. Cyrillus. Damasc. Excusātur. Bernal. Vazquez.*

17 Quarti generis; illæ: *Christus est homo Deifer, homo Dominicus*: & omnes illæ, quæ tribuunt Deo, quæ sunt hominis, aut homini, quæ sunt Dei, purè adjectivè: quia hic modus alienat, & imminuit vim physicæ Vnionis, & Nestorium sapit. Nota, aliqua esse adjectiva, quæ non subeunt hanc aleam: *Aranda de Incarnatione.*

nempe *Divinus*, & *Humanatus*, (non ab homine, nec utcumque ab Humanitate, sed) à passivo *Humanor*. Ratio exceptionis est, usus in illo: & in isto, locutio Damasceni. Quinti demum illæ: Christus, aut Verbum mutatur ex mutatione Humanitatis: quia mutatio convenit Humanitati, ut pars est, & præscisim à toto, seu cum aliqua prioritate ad unionem. Dices: etiam jacuisse in Sepulcro, & Sepeliri convenit solùm Corpori. Respondeo ideò solùm id dici de Christo, & de quovis homine tropicè, & per synecdochen, ut dicitur etiam: Sanctus Petrus est in Cœlo. Vide quæ præmisimus *disp* 4. *sect.* 2. *nu.* 38. *Damascen.* *Suprà disp.* 4 *sect.* 2. *nu.* 38.

18 Secunda est: Nomina concreta Divinæ Naturæ, & Naturæ Humanæ, verè, & propriè de se mutuò, & de Christo Domino prædicantur substantivè: simulque omnes proprietates Naturæ Divinæ, concretè prædicantur de concreto Naturæ humanæ: & econversò: Nisi obstet vel ratio cōtroversiæ cum hæreticis habitæ: vel specialis significatio Nominum in exercitio prædicationis. Ratio ex *sect.* 1. est, quia Natura quælibet concretè sumpta prædicari, verè, & propriè potest substantivè de supposito, cujus est Natura: De quo autem prædicatur Natura concretè, prædicari potest omne quòd prædicatur de concreto Naturæ: unde simpliciter veræ sunt: *Christus est homo*: *Christus est Deus*: *Christus est Deus homo*: *Homo est Deus*; *Deus est homo*: *Deus est passus, Crucifixus, &c.* *Homo est Omnipotens, immortalis, &c.* Ratio primæ limitationis est, quam assignat unicè Sanctus Thomas *quæst.* 16. *art.* 8. nam neque nomina habere debemus communia cum hæreticis, quod rectè Cajetanus intelligit de nominibus, quibus significarunt hæretici hæreses suas, & ornaverunt tenebras mentis suæ. Ratio secundæ limitationis: nam aliqua sunt, quæ ex speciali significatione in exercitio prædicandi, videntur attribui suppositis secundum se; cùm ipsis secundum se repugnent, & unicè conveniant illis in aliena Natura. Dabo utriusque exceptionis exēpla. *S. Thomas.* *Cajetanus.*

19 Primi generis sunt: *Christus, Deus, aut Verbum est creatura*: *est minor Patre, aut subjectus. Christus, aut homo est ubique seu immensus.* Istæ prædicationes, (licèt in rigore sint veræ,) cavētur ob hæresim Vbiquitarum, volentium Humanitati Christi sic communicatam Immensitatem, ut vi unionis existat ubique. Illæ, ob hæresim Arianorum;

Universidad de Deusto
Biblioteca

licèt etiam in rigore, (sumpto *Creaturæ* nomine non limitatè pro re ex nihilo producta, sed pro ente, prout contradistinguitur ab ente Increato, & sonat ens factum à Deo) posset etiam dici, Christus, aut Verbum est creatura: quo sensu cum S. Leone *Serm. 3. in Pent.* dixit S. P. N. Ignatius Societatis Author, & Magister Parisiensis *in aureo Exercitiorum Libro, Exercit. 1.* Creator dignatus est fieri Creatura: quem imitati sunt Suarez Vazquez & alii magnæ notæ Theologi, quibus resistit novissime M. Prudentius *disp. ultim.* Secundi generis sunt prædicationes, quibus enuntiantur nomina, quæ incæptionem, aut desitionem important: V. g. *Deus incæpit esse, desivit esse, creatur, &c.* Quia hæc nomina ex communi usu cadunt in principale Rectum, nisi modificentur. An tamen istæ, sint absolutè veræ, scilicèt: *Christus, hic homo, Emmanuel, Iesus incepit esse*, negant aliqui. Bernal affirmat. Utrique subscribo distinguendo: nam si, tò *Christus*, hic homo, Emanuel, Iesus, pro composito sumas, veræ sunt: si, pro supposito; non sunt veræ.

S. Leo. *S. P. N. Ignatius.* *Suarez.* *Vazquez.* *Prudent.* *Bernal.*

20 Tertia est: eas prædicationes, quas vel ratio controversiæ, vel specialis significatio, (de qua nuper) absolutè non permittit; adhibita limitatio, vel reduplicatio (sine qua cautè proferas) veras facit, & sine periculo reddit. V. g. *Deus, aut Verbum, secundum humanitatem, seu ut homo, est creatura: homo secundum Divinitatem, seu ut Deus est ubique: Verbum secundum humanitatem incepit esse; incepit esse homo, &c.* qua sub cautela prolatæ sunt à Patribus ex contextu sermonis. Imò Christus, (acutè notante Valentia) non dixit Ioannis 14. se absolutè minorem Patre, sed factâ super Naturam humanam reduplicatione per illa verba, quæ præmiserat: *quia vado ad Patrem*, nempe secundum Naturam humanam, secundum quam ibat ad Patrem.

P. Valent. Ioann. 14.

21 Notentur hic duo de nota reduplicativâ. Vis, & Vsus. Vis est, ut distinguat illam partem subjecti, quam reduplicat ab omni alia, quam non reduplicat: & tunc facit prædicatum convenire subjecto solum ratione partis reduplicatæ: unde adhibita supra terminum *Deus* falsificat propositiones, per quas Christo absolutè verèque attribueres, quæ sunt hominis: & adhibita supra terminum *homo* falsificat propositiones, per quas absolutè Christo attribueres, quæ sunt Dei. Deinde omnes illas propositiones negativas, de quibus *num.* 15. & quas absolutè falsò proferres, accomodè adhibita modò supra Divinam, modo supra humanam Naturam, verificat: v. g. falsò dicetes: Verbum non est homo: non est passibile: verè dices: Verbum, ut Deus, non est homo, non est passibile. Vsus est, ut aliquando solùm reduplicet supra formam, quam exprimit, quasi in abstracto: aliquando supra suppositum præcisè constitutum ex forma, quam exprimit; aliquando ex additione alterius particulæ non distinguat aut limitet, sed augeat.

Vis, & usus Notæ Reduplicantis.

22 Explico. Ly *ut homo* quando de Christo dicitur, sumi præcisè potest pro humanitate, ut contradistincta à Divinitate, & subsistentia: & tunc explicaretur bene per notam distinctivam, secundùm, & in quantum: V. g. Christus ut homo est minor Patre: nempe secundùm humanitatem: Christus ut homo seipsum adorat ut Deum: nempe Christi Humanitas adorat Verbi Divinitatem. Sumi etiam potest pro supposito constituto ex subsistentia Verbi, & Humanitate, præcisâ per notam reduplicantem Divinitate: quia homo est nomen suppositi, & sub hoc significato cadere potest in notam reduplicantem in Christo. Ideo verum non est: *Christus ut homo est Deus, est Omnipotens, est actus purus*: quia præcisâ per reduplicationem Divinâ Naturâ, præscindis etiam proprietates, quæ illam constituunt, aut sequuntur, & quæ ratione illius conveniunt homini. At est verum (ut asserit Sanctus Thomas *art. 12.*) *Christus ut homo est Persona, est Filius Naturalis Dei, est Verbum notionale Patris*: quia per particulam non excludis suppositum Verbi; atque adeo nec proprietates ipsius. Sumi tandem potest sic temperata: *etiam ut*; v. g. *Christus etiam ut homo est Deus*; & tunc non distinguit hominem à Deo, sed addit quòd etiam ut, & licèt subsistat in Humanitate, est Deus: unde ea propositio erit vera. Hæc nunquam: *Christus ut homo est Deus*: quia hic particula distinguit hominem à Deo, neque subjectum finit pro Divina Natura supponi.

S. Thomas.

23 Quarta est: Nec Abstracta Divinæ Naturæ de Abstractis Humanæ; nec è converso: Nec Divinæ Naturæ concreta de Abstractis Humanæ; nec istius concreta de Abstractis illius; nec viceversa, nempe Humanæ Naturæ abstracta de Divinis concretis prædicari possunt: tamen Abstracta Divinæ Naturæ prædicari verè possunt de concretis Humanæ, & Christo Domino. Ratio Regulæ: quia prædicatio Abstracti, aut de Abstracto solum potest verificari per identitatem, quam importat, & significat Verbum *est*. Idiomatum autem communicatio in sola Vtriusque Naturæ Divinæ, & Humanæ unione ad Personam Verbi fundatur: unde veræ non sunt: *Deitas est Humanitas: Humanitas est æternitas: Humanitas est Deus: Divinitas est Homo: Deus est Humanitas, vel Anima, vel Sanguis, vel Corpus*: (sumpto Corpore pro physica parte compositi: nam sumpto prædicamentaliter pro substantia Completa corporea, verè dicitur *Deus est Corpus*, sicut dicitur Vivens, Sentiens, Animal, Homo *ex secunda regula Generali.*) Quod si in Officio Sanctæ Crucis dicitur: *Vita mortem pertulit*: &, *in Ligno quando mortua Vita fuit*, sensus est: ille, qui est Vita, mortem pertulit: & ille, qui est Vita, mortuus est; permisso Poëta sic ludere, gratiâ carminis. Ratio limitationis est: quia ex *sect. 1.* concretum Naturæ Humanæ in hoc Mysterio dicit in Recto suppositum Verbi; & ex *disp. 1. sect. 5. §. 2.* Christus accipi sic potest, ut in Recto dicat unicè quod est Dei: patet autem Abstracta Divinæ Naturæ dici identicè posse de supposito Verbi: unde veræ sunt contra Koninchum illæ propositiones: Hic homo est Deitas: Christus est infinita sapientia: summa bonitas, &c.

Offi. Sanct. Crucis. *Suprà disp. 1. sect. 5. §. 2.*

SECTIO III.

DVBIA INCIDENTIA.

24 PRimùm: an æquè propriè dicatur de Deo, ac de Petro, quod sint Homo? Negat Durandus *in 3. dist. 4. q. 3. num. 9.* fassus de utroque propriè dici, sed non æquè: addens tamen *num. 12.* non dici omninò propriè, & servato rigore sermonis, quòd sit homo: & Beata Virgo sit Mater Dei. Primò: quia de Petro dicitur essentialiter, & necessariò: de Deo, extraessentialiter, & contingenter. Sed id non obstat; ut neque prædicati contingentia, proprietati locutionis citra metaphoram: unde Petrus albus: tam propriè dicitur albus esse, quàm homo.

Durandi dictum.

25 Secundò: quia magis identificantur homo, & Petrus: quam Deus & homo: major autem identitas prædicati cum subjecto est major veritas, & proprietas. Nec id obstat: quia veritas, & proprietas consistit in indivisibili. Si autem, ut quis sit, & dicatur homo, non requiritur, quòd ex necessitate habeat Naturam humanam, sed modo sufficienti: quòd Petrus illam habeat sic, Deus aliter, nec veritati potest obesse, nec proprietati. Quid quòd inter Rectum *Deus*, & Rectum *homo* tanta datur Identitas, quanta inter Rectum *Petrus*, & Rectum *homo*. Quid ultrà quòd ad veritatem, & proprietatem locutionis extraessentialis non tam attenditur Identitas, quàm Modus habendi prædicatum.

26 Tertiò: quia Petrus per eandem Naturam est Petrus, & homo: Deus non est per eandem Deus, & homo. Nec id obstat: quia id probat eas locutiones non esse omninò similes: non tamen probat non esse æquè omninò proprias. Quartò: quia suppositum Petri formaliter constituitur per Naturam humanam: non ita suppositum Dei. Nec id obstat: quia licèt suppositum Verbi implicitè non constituatur formaliter per Naturam humanam; per eam tamen constituitur post Incarnationem in esse suppositi humani: nam sicut habet esse hominis à Natura humana formaliter: ita habet ab ipla formaliter esse suppositi humani.

27 Quintò: de Deo dicitur homo purè adjectivè, & denominativè: dixit enim Damascenus: *non hominem Deificatum dicimus. Sed Deum humanatum*: de Petro autem dicitur substantivè: ergo magis propriè. Confirmatur. Quæ de aliquo substantivè dicuntur; dici propriè nequeunt adjectivè: neque enim propriè dicimus: Petrus est humanus, nempe, quia dicitur propriè homo: ergo quæ dicuntur de aliquo adjectivè, dici propriè de ipso nequeunt substantivè. Nec id obstat. Non argumentum, cujus nego antecedens: nam homo de Deo dicitur, licèt extraessentialiter, substantivè tamen. Damascenus bene & verè notavit non posse dici Hominem Deificatum de Christo, quia hæc locutio sonat præexistentiam hypostasis in homine, & accessum accidétarium Divinitatis, quòd Nestorianum est: posse tamen dici Deum humanatum, non quidem nominaliter ab homine, sed verbaliter ab Humanor: id est, factum hominem. Non confirmatio: quia falsum assumit: dicimus enim de Verbo, quòd sit Deus, & Divinum. Si tamen adjectio alienet vim unionis, vel identitatis, vitanda *ex nu. 14.* Cautum te faciet usus Nominum, quibus uteris.

Non juvatur Damascæno.

28 Sextò: quando duæ formæ existunt in eodem supposito, vel subjecto, nequeunt inter se mutuò prædicari nisi purè denominativè: sic dicimus: Album est musicum Ratio:

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio: quia se habent ut partes totius: pars autem non prædicatur propriè de toto, nisi denominativè. Nec id obstat: quia in casu nostro, (pro quo non facit exemplum arguentis) Naturæ sunt substantialis, & substantialiter eidem communicatæ supposito. Ad rationem negetur Naturam Divinam, & Humanam se propriè habere ut partes respectu Personæ Verbi, sed ut Naturas totales integras, eodem supposito terminatas. Vnde concrete possunt adinvicem prædicari propriè, & substantivè.

29 Septimò: interroganti, quid sit Deus? non apte responderetur: homo: secus interroganti, quid sit Petrus. Nec id obstat: quia ille interrogat de Natura Dei, præcisim ab Incarnatione: si enim fieret hæc distinctio, aptè responderetur: post Incarnationem est homo. Adde quòd licèt de Deo cum prædicetur *in quid*, non ideo minus propriè, quàm de Petro prædicabitur: æquè enim propriè de Petro dicitur Risibile, ac Rationale; licèt illud *in quid*; & illud prædicetur *in quale*.

Neque Cyrill. in V. Synod.

Octavò ex verbis Cyrilli in V. Synod. *collat.* 5. ubi de Christo dicit: neq; enim erat homo simpliciter, sed in specie humana, qui est ex Patre Deus. Nec id obstat: quia in ore Cyrilli homo simpliciter sonat purum hominem, ut ex contextu patet. Quare

Periculosè usurpatur.

30 Respondeo ad præsentem dubitationem & assero hominem de Deo æquè propriè, ac de homine prædicari. Id quòd est omnium ex Scripturis, & Concilio Lateranensi *sub Martino* 1. *Consult.* 5. *can.* 3. & VI. Synodo Generali *act.* 11. quibus periculosè resistit Durandus. Ratio sumitur ex unitate Personæ, & suppositi rationem cujus idem est Deus, & Homo: licèt essentialiter Deus; extrà essentialiter Homo. Nam contingentia non obstat proprietati: quippe, licèt contingenter, propriissimè tamen, Petrus est, & dicitur Albus.

Lateran. sub Mart. V. Synod. Commun. Theologia.

31 Secundum: an *Homo* de Deo, & Nobis, seu de Christo, & Nobis dicatur univocè. Negarunt Nominales. Distinxit Schotus asserendo prædicatum *homo* esse univocum Nobis, & Deo; non tamen univocè prædicari: quòd explicuit aptè Delugo *num.* 25. dicendo, univocè prædicari univocatione prædicati, non verò univocatione prædicationis. Distinxit etiam Vazquez, asserendo de Christo, & nobis dici univocè, hominem; non verò de Nobis & Deo; sed neque æquivocè, neque analogè: sed modo substantiali novissimo, juxta Mysterii novitatem: ita ferè, etiam Delugo cit. Subdistinxit aliter Bernal, asserendo si univocè sit idem, ac propriè: univocè dici hominem de Deo, ac nobis: si ly univocè ultra significet, Vazqui subscribit.

Nominales Schotus.

Delugo.

Vazquez.

Bernal.

32 Arguì pro negantibus, & subdistinguentibus posset. Primò: quia Homo in Christo dicit suppositum Divinum: in nobis, Humanum: ergo non est eadem ratio importata per nomen. Sed id non obstat, quia rationis identitas significatæ per nomen univocum, non debet sumi penes ea quæ de implicito nomen importat, sed unicè penes ea, quæ de explicito, & expresè determinat: ideò licèt etiam fortè differant plusquam numero subsistentia Petrina, & Paulina, ut & uniones, homo de ipsis univocè dicitur: similiter licèt Nomen Deus importet implicitè multiplicitatem numericam suppositorum; quia tamen ratio, quam expresè determinat, est eadè numero, unus numero Deus est. At ratio quam Homo de Christo, & nobis exprimit, & determinat, eadem est, nempe Humanitas, qua Deus constituitur homo, & qua nos sumus homines. Secundò: De Deo non prædicatur essentialiter; De nobis sic: ergo non univocè. Nec id obstat. Imprimis enim de Christo essentialiter prædicatur, *ut mox*. Deinde, utut descendat ad individua ratio, si propriè descendit, & eadem sub nomine eodem; descendit univocè. Nec dedit ullibi oppositum Aristoteles, ut advertit curiosè Koninch *nu.* 44. Quare

Aristot. Koninch.

33 Respondeo ad secundam hanc dubitationem, & assero cum Suarez, & ipso Koninch, de Christo, ac de nobis, deque nobis ac Deo, dici *univocè* hominem. Primò ex ratione nuper ad primum insinuata, quam à priori sumpsi. Secundò: quia dici æquè propriè, univocationis est. Tertiò: quia nihil cùm obstet, sic melius intelligimus, quòd negare non possumus, nempe Christum esse consubstantialem nobis, & ejusdem speciei nobiscum.

Suarez. Koninch. & subscribimus.

34 Instabis adversus resolutionem primò ad hominem, ex Doctrinis *disp.* 2. præjactis, de Identitate Vnionis Hypostatico-humanæ in Christo, sic: Vbi Naturæ, à quibus sumitur species, sunt specie diversæ, nequeunt esse univoca, & ejusdem speciei suppositum, & Individua: sed in Christo, & in Nobis, Naturæ, à quibus sumitur species Hominis, sunt specie Diversæ: ergo Christus nequit univocè convenire nobiscum in ratione, & specie Hominis: ergo *Homo* de Christo, & de Nobis nequit univocè prædicari. Major, & consequentiæ, veræ sunt. Probatur minor. Non minus constituitur Humana Natura ex Vnione communicante Animam Corpori, quàm ex Corpore, & ex Anima: sed Vnio, ea adinvicè communicans, est diversæ speciei in Christo, & in Nobis: nam in Nobis est purè Naturalis; supernaturalis in Christo: in Christo est Hypostatica: secus, in Nobis: ergo in Christo, & in Nobis sunt speciei diversæ, Naturæ à quibus sumitur species Hominis. Major proximi Syllogismi patet: quia si seponas Vnionem, non datur Humanitas. Minor est Doctrina nostra. Vrgetur autem Consequentiæ vis: ad diversitatem specificam concreti, sufficit specifica diversitas essentialis constitutivi: sicut sufficeret ad speciem diversam Hominis, diversitas specifica materiæ, vel formæ: si ergo æquè requiritur, & constituit Vnio, ac Materia, & Forma, cur ex Vnionis specifica varietate non erit, Homo specie diversus?

Suprà disp. 2. à nu. 98.

P. Thomas Munieſſa, & Nos suprà disp. 2. num. 141. Thyrsus.

35 Tangit difficultatem Iustantiæ Pater Thomas Munieſſa *disp.* 1. *de Incarnatione à num.* 121. & Ipse tetigi *disp.* 2. *num.* 141. & 147. Vbi adverti omnibus esse communem: (quod & acutè notat Reverendissimus Noster Thyrsus *disp.* 24. *num* 90.) Nam *Homo* non minùs importat constitutivè subsistentiam, quàm Naturam: est enim vox concreta suppositi: ergo ex specifica diversitate subsistentiæ; Christus, & Nos essemus specie diversi in ratione Hominis: nam specifica subsistentiæ diversitas, certa est. Sicut igitur hìc, respondetur, diversitatem subsistentiæ non obstare identitati, & Vnivocationi specificæ: quia speciei identitas, & Vnivocatio sumitur à Principali, à quo venit denominatio Hominis, nempe à Natura Humana, quæ, præcisim à subsistendi modo, in Christo & in Nobis est ejusdem speciei.

Ibi nu. 147

36 Respondeo similiter ex *ibi* dictis. Concessa majori, nego minorem. Ad ejus probationem, distinguo quod assumitur: Nó minùs constituitur ex Vnione, tanquam ex Natura, vel parte Naturæ, nego: tanquam ex modo Naturæ, concedo. Diversitas autem specifica quoad denominationem, venire non potest nisi unde nascitur denominatio. Cum autem Denominatio Hominis principaliter veniat à Natura Humana, scilicet à Corpore, & Anima, alioquin Vnitis: unione, non faciente Naturæ vicem, sed gerente se tanquam modum Naturæ; quoties servetur specifica identitas Corporis, & Animæ, manet specifica Identitas in esse Hominis. Quæ doctrina adeò vera est, ut alioquin nullus esset homo qui non esset specie diversus ab alio: nam in quovis est Vnio ita diversa ab unione quæ in altero est, ut plusquàm individualiter differat, atque adeo specie, in linea Vnionis. Nunquàm tamen potest hæc diversitas inducere specificam compositi varietatem, quia in munere communicandi adinvicem Partes Principales, (quæ sunt Natura) nihil variant. Sic si forma Sanctificans esset eadem specie, quantumvis inhærentiæ, specie differrent, si non differrent in modo communicandi, esset denominatio *Sancti* quoad speciem eadem: quia attenditur ad formæ speciem, unde venit denominatio. Sic Lac, & Nix, non obstante specifica diversitate subjectorum, sunt idem specificè in ratione *Albi*, ob eandem rationem. Cur ergo in Christo, & in Nobis, Humanitas quoad *Esse Naturæ*, unde venit Denominatio Hominis, sit quoad speciem eadem, Diversitas qualitcumque in Vnione, neque variante speciem Partium, neque eas adinvicem aliter communicante, nequit impedire Identitatem & Vnivocationem in specie.

37 Instabis secundò: Casu quo tres Diviæ Personæ assumerent eandem Humanitatem, essent tres Homines, ut falsi sumus *suprà disp.* 5. *à num.* 75. Ergo Christus, & Nos sumus Homines speciei diversæ. Probo consequentiam. In casu antecedentis, Pluralitas subsistentiæ sub unica Humanitate multiplicaret Hominem: ergo Diversitas specifica subsistentiæ diversificaret specie Hominem, sub eadem Humanitate. Sed in Christo, & in Nobis est diversitas specifica subsistentiæ: ergo & diversa species Hominis. Respondeo. Concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem, concesso etiam antecedente negetur consequentia. Quia multiplicatio specifica subsistentiæ non exinde multiplicat specie Formam, à qua venit Hominis Denominatio: unde non potest specie multiplicare Hominem: homo enim multiplicatur specie, ex multiplicata specie, unde dicitur. Vide Thyrsum *disp.* 24. *à nu.* 86.

Suprà disp. 5. à num. 75.

Rev. Noster Thyrsus.

38 Tertium: an hæc propositio *Christus, Emmanuel, Iesus est homo*, sit materiæ essentialis, necessariæ, & per se? Negant Schotistæ cum Duce suo. Quia licèt ex parte subjecti ponatur nomen significans Deum hominem, tamen subjectum esse deberet Vnum per se. Sed id non obstat primò: quia Christus jam est unum per se; licèt non ex Naturis necessariò,

Schotistæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sarió, sed contingenter unitis. Secundò: quia quòd complexum sit vel non sit unum per se, patum officit, si de complexo negari prædicatum nequit in ulla suppositione, ut patet in ista propositione: *Petrus albus est albus.* Quare respondeo, & assero esse materiæ essentialis, necessariæ, & per se: & quidem in primo modo Aristotelico dicendi per se. Primò ad similitudinem propositionũ de subjecto complexo, de quibus idem generaliter probari solet in Logica contra Schotistas. Secundò: quia ratio hominis est de constitutione definitiva Christi Domini.

39 Quartum: an hæ propositiones: *homo est Deus: Deus est homo*, sint de materia remota, vel necessaria; per se, vel contingenti? Prudentius cum Ferrariensi, Argentinensi, Richardo, & Cajetano dicit utramque esse per se, & in materia necessaria. Moventur: Quia licèt Deus non supponat determinatè secundum se pro Persona Filii, ut subest duabus Naturis; at, ut in hac propositione facit subjecti vices, incipit ita significare, & supponi ex determinatione prædicati; atque adeo prædicatum convenit Deo, non quidẽ absolutè, sed prout in ea propositione supponitur; & consequenter per se: Nam Personæ Filii, ut subest duabus Naturis, non per accidens, sed per se convenit esse hominem. Idem erit in alia propositione. Sed id non probat: nam falsum assumit: alioquin nulla esset propositio in materia contingenti: nam ex determinatione prædicati subjectum in omni reduplicativè supponeret pro forma, quam exprimit prædicatum; atque adeo dicere Petrus est albus, esset dicere: Petrus albus est albus, quod per se dicitur. Quare

M. Prudẽtius cum Thomistis.

40 Respondeo & assero primò eas propositiones non esse simpliciter de materia apud Logicos remota. Quia licèt, spectato jure Naturæ, impossibile sit quod Deus sit homo: non tamen spectato Divinæ Omnipotentiæ jure. Respondeo & assero secundò hanc: *Deus est homo*, esse simpliciter in materia contingenti, nec per se. Primò: nam nullo modo dicendi per se, Deo advenit Homo: non enim constitutivè, seu definitivè: neque extraessentialiter necessariò. Secundò: quia propositiones per se, facta etiam reduplicatione, sunt veræ: idque (inquit Durandus) significat Aristotelicum per se. *Durandus*

41 Bene tamen advertit ex Capreolo Pater Amicus, non ideo debere dici propositionem accidentalem, ne insinuetur adjectio pura prædicati ad subjectum: sed propositio de materia contingenti, substantivè tamen substantiali. Dices: Vel prædicatur *in quid*, vel *in quale*? Si secundum: ergo pure accidentaliter: si primum: ergo per se. Dico prædicari reductivè in quid, nempe non ratione prædicati, sed ratione modi, quo prædicatur, nempe contingenter per se. Respondeo & assero tertiò hanc: homo est Deus, esse in materia necessaria, & per se: quia ex dictis *sect.* 1. prædicatum est de essentia, & constitutione subjecti, secundum quod dicit in Recto, non minus quam in ista: *Petrus albus est homo.* *P. Amicus. Capreolus.*

42 Quintum: Ad quam vocem ex Logicis Prædicationes istæ pertineant? Respondeo & assero hanc: *Christus, Emmanuel, Jesus est homo*, pertinere ad secundam: quia homo prædicatur essentialiter, ut species. Hanc: *Deus est homo*, pertinere, seu reduci ad quintam: quia esse hominem convenit Deo extra essentiam: cum cautela tamen nuper adhibita cum Amico. Hanc: *Homo est Deus*: debere reduci etiam ad secundã: quia prædicatum convenit Recto subjecti intra essentiam, & ut tota essentia. Fonseca putavit ad novum Prędicabile pertinere, quòd vocavit Assumptivum. Omninò non displicet. Sed est quæstio momenti nullius.

43 Vltimum: an in hac prædicatione: *Deus est homo.* Deus indefinitè supponat pro indeterminato supposito Dei: an determinatè pro supposito Filii. Respondeo & assero cum Suarez determinatè supponere pro Filii Persona: tùm ex natura prædicati limitantis: tùm ex intentione loquentis satis ostensa ex vi prædicationis: tum & præcipuè ex usu Ecclesiæ, & Theologiæ habente vim legis institutivæ. Sed hæc etiam est quæstio levissima. *Doct. Exim Suarez.*

LIBER SECVNDVS. DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

VT Rei necessitas, convenientiam; hæc, Naturam & possibilitatem supponit; sic disputationem de Possibilitate & Natura Incarnationis, ista de ejusdem Convenientia, & Necessitate jure subsequitur. Et Res alicui (nã est conceptus respectivus) potest dici conveniens, vel negativè, vel positivè: Negativè: si nullum damnum, aut Inconveniens inferat: & sic omne possibile est conveniens Deo, qui præ summa fælicitate est extra ictum damni, & mali cujusvis. Positivè: si vel Lucrum ferat, vel Laudabilitatem. Lucrum, si ille, cui advenit, melioretur: & sic certum est nihil creatum convenientiâ istâ Lucrativâ posse dici cõveniens Deo, qui nullius indiget. Laudabilitatem: primò, si conferat dignitatem Laudis: secundò, si dignitatem Laudis præhabitam manifestet, ut honorari possit: tertiò, si deceat statum, & inclinationem alicujus. Exinde quæritur: an Deo, an homini, an toti universo, tam præcisim à lapsu primi hominis, quàm eo supposito, tam quoad substantiam, quàm quoad modum quo facta, est fuerit conveniens Incarnatio? & quousque necessaria?

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO I.

SVPPOSITIO CONVENIENTIÆ; ABSOLVTÆ Necessitatis exclusio: status controversiæ.

1 DEMVS Terminos. Duo sunt: Convenientia,& Necessitas. Conveniențiam jam in fronte Libri descripsimus. Necessitas solet dici Triplex. *Metaphysica*: cujus oppositum esse nequit. *Physica*: cujus oppositum esse nequit pro viribus rei sic necessitatæ: licèt pro Superioribus possit. *Moralis*: cujus oppositum prudenter cadere non potest in ipem. Ipse præter Metaphysicam,& Moralem, illam in rebus: hanc in mente, nullam agnosco. Nam Physica, si realis necessitas sit, est metaphysica. Ratio: nam Necessitas est connexio potentiæ cum effectu: nulla autem potentia prout connexa cum effectu, potest ab illo separari. Quod si seponas aliquâ circumstantiam, sine quâ potentia exercere se nequit, desinet esse simul connexio,& Necessitas. Quicquid sit, istæ necessitates vel esse possunt absolutæ: id est, independentes ab ulla suppositione, & conditione: vel conditionatæ, id est, dependentes ex aliqua conditione vel suppositione. Explicui terminos: Disputationem aggredior à consideratione Convenientiæ, quæ nos ducat in scopum Necessitatis: rem planè difficilem.

Tract. de Aux. Deo cum Patre Quirò.

SECTIO I.

CONVENIENTIA INCARNATIONIS exponitur.

§. I.

QVO GENERE CONVENIENS DEO?

2 PRima Conclusio: Deo conveniens Incarnatio fuit, non quidem conveniẽtia Lucri, nec conferente dignitatem Laudis: sed convenientia tùm puræ decentiæ, tùm mediis aptissimi ad ostensionem Attributorum: id est, convenientia Laudabilitatis, non magnificativæ, sed gratificativæ, & honorabilis, seu non, quâ magnus fiat, sed qua magnos faciat,& appareat maximus. Pars prima Conclusionis positæ simul & explicatę patet. Quia summo Bono repugnat accessus Lucri forinsecus, aut intrinsecæ dignitatis, quâ fiat in se magnus, additio.

3 Secunda patet etiam primò: quia si decentiam spectes, decet summam Bonitatem, sui diffusio: nam *Bonum*, ex Dionysio, *est diffusivum sui*: diffundi verò est communicari: cum autem Incarnatio sit genus Divinæ communicationis ad extra summũ, summum Bonum decebit maximè.

Dionysius.

Secundò: si spectes aptitudinem ad ostensionem sui, nullum, Incarnationis medio, convenientius. Ostendit *beneficientiam summam*; cum sinè ullo lucro (quod nobis benefacientibus est impossibile, tùm lucremur saltem exercitium. benefaciendi, & in ipso perfectionem, & meritum actus:) det creaturæ seipsum, & in hoc beneficio summum, & omnia. *Sapientiam*: cum opus edat omninò mirabile. *Justitiam*, cum exhibeat pretium omninò condignum pro debito Humani Generis contracto per peccatum. Sic per alia Attributa possemus excurrere quod accuratè præstitit Pater Lessius *De Perfectionibus Divinis lib.* 12. *cap.* 4.

P. Lessius.

Tertiò: si spectes honorabilitatem, & laudem extrinsecam; facit sibi per hoc Mysterium Deus laudatores, quorum Divinis laudibus, nulla possit esse major, aut gratior, Christum, ejus Matrem, & ob ipsos, eximiæ sanctitatis, & meritorum, Heroes alios. Exinde censeo dictum à Sancto Thoma, Mysterium Incarnationis, non conveniens, utcumque, sed convenientissimum Deo.

S. Thomas.

Oppo-

4 Opponis contra præcedentem conclusionem primò: Actus, quo Deus impedit Incarnationem, est æquè Deo conveniens,ac actus quo decernit: ergo tam esse,quam non esse Incarnationem, est æquè conveniens Deo: ergo Incarnatio non est quid Deo convenientissimum. Secundò: Vel Deus per Incarnationem se habet melius, quã sine illa, vel non? Si primùm: ergo non est positivè conveniens Incarnatio. Si primùm? ergo sine illa nequit esse. Confirmatur: Deus ab æterno fuit modo summè convenientissimo, & quidem fuit sine Incarnatione: ergo per Incarnationem nulla potuit additio fieri convenientiæ respectu Dei. Tertiò: quia Deus est Bonum Infinitum, est communicativum sui: ergo quia est bonum infinitum, & perfectissimum, solum est sui communicativum, modo perfectissimo, qualis Incarnatio non est: ergo modus communicandi se per Incarnationem non respondet, nec convenit summo bono. Aut certè, si, quia est Infinitum Bonum, est sui communicativum per Incarnationem: ergo sicut necessariò est infinitum,& summum Bonum, est sui per Incarnationem necessariò communicativum. Quartò: Deo non convenit, sed inconvenit positivè Personam creatam assumere: ergo & Naturam: ergo & Incarnatio.

5 Quintò: conjunctio summè distantium est per se inconveniens, nec decet Artificem: quis enim laudet eum, qui in pictura *Humano capiti, cervicem jungat equinam*: at quæ magis distantium conjunctio, quam quæ fit per Incarnationem, ex ente vilissimo cum summo? Sextò: Disconvenit Deo, status, quo fiat ejus majestas contemptibilis: at per Incarnationem fit: tùm quia redigit quasi in nihilum Infinitudinem suam: tùm quia arctatur intra corpusculum vagientis infantiæ, quæ perse non est decens curia tanti Domini: *quis enim ferat*, ut ajebat Volusianus *ad August. Epist.* 2. *transferri curam Universorum ad vile Latibulum Majestatis summæ*? Tùm demum quia unusquisque est contemptibilis, aut æstimabilis, prout apparet: ergo qui formam servi,& peccatoris induit, fit sua sponte contemptibilis.

Horat. in Arte Poetic.

Volusian. ad August.

6 Respondeo ad primum: Verum est consequens de convenientia Lucrativa, & convenientia Laudabilitatis magnificativæ: falsum verò de convenientia decẽtię,& Laudabilitatis gratificativæ, & honorificæ: prout explicui. Ad secundum: licèt Deus respectu sui, suæque felicitatis non se melius habeat per Incarnationem, ac sine illa; tamen per illam effectivè se melius habuit respectu nostri, quàm sine illa: unde nego consequentiam, quæ ex secunda dilemmatis parte deducitur. Confirmationis adjunctæ consequens est omninò verum de convenientia magnificativa, & lucrativa.

7 Ad tertium: Deo, quia est infinitum Bonum, competit sui communicatio, ad intra, & ad extra: ad intra, necessariò; contingenter ad extra: necessariò, ad intra, quia modus communicandi est perfectio sine imperfectione, atque adeo in ente omnium perfectissimo, necessaria per mirabilem identitatem. Contingenter ad extra, quia est modus præter felicitatem Dei, & ordinatus unicè ad felicitatem alterius. & hic modus communicandi se, licèt sit simpliciter imperfectus, quia est aliquid extra Deum, & quo Deus se sibi assimilat creaturam, est tamen modus se communicandi perfectissimus arguitivè: arguit enim Summum Bonum, sui communicativum ad extra, sine Lucro, vel dispendio suæ felicitatis. Nec quia necessariò est infinitum Bonum, necessitatur ad sui communicationem ad *extra*: est enim eo ipso sibi summè sufficiens, nullius indigens,& infinitè independens: qui rituli, pari passu, quo arguunt potestatem benefaciendi,& felicitandi alios per sui diffusivam communicationem ad extra; omnigenam necessitatẽ expellunt, & supponunt summam, in communicando se, libertatem.

8 Ad quartum: quid inde mirum, si Personæ creatæ assumptio est impossibilis? Et quidem præter alia, impossibilis est, quia inconveniens Deo: Personalitas enim creata est actuale jus, quo Natura manet privativè Domina suorum affectuum cum naturali potestate boni,& mali, ac subinde peccabilis proximè: Personæ enim purè finitæ, id est, habentis propriam subsistentiã, est peccare: repugnat autem, & Inconvenit Deo exaltare jus peccandi, cum aliunde tam bonus sit, ut nullo modo possit favere peccato.

*Suprà lib.*1 *disp.* 5. *à num.*25.

9 Ad quintum: In pictura,& iis, in quibus pulcritudo laudatur, attenditur partium symmetria,& proportio se mutuo perficientium, ut fiat pulcrum: cui opponitur proinde partium, improportio & distantia, quæ *monstrum* potius, quam *pulcrum* facit: at in ente perse, solùm attenditur ordo perfectivi, & Perfectibilis, cui entitativa distantia po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

potiùs favet aliquando, quàm obest. Quò enim res est imperfectior, magis est apta perfici, præsertim ab ente perfectissimo.

10 Ad sextum: Nego minorem: illa enim *exinanitio*, quę commendatur ab Apostolo, non est amissio Majestatis, nec diminutio perfectionis, sed summa vis Dignationis, ita familiariter associantis Supremũ Infimis, ut retineat decenter Majestatem Supremi, per sublimes & divinos mores: & erga infimos testetur amorem, per beneficium omnium maximum: quo non vilescit Majestas Suprema, sed triumphat. Nec illa inhabitatio intra tugurium Humanæ Naturæ est coarctatio Majestatis, aut ratio deponendi curas Universorum: favet hic specialiter, sed deest nusquam, Majestate, Providentia, cura. *Illi solum arctantur angustiis loci, quoad entitatem & operationem, qui non sunt Virtute magni, seu mole,* ut respondet *ad Volusianum* Augustinus. *Epist. 3.* Nec Demum ex induta forma Servi, & inducta apparentia peccatoris subest cauta, seu periculum justi cõtemptus, sed major æstimationis occasio, factâ præsertim latentis Majestatis, & Beneficii irradiatione per rimas operum, morumque divinorum: sic testatus est Christus Dominus Joan. 5. *Opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciã, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Augustin. ad Volusian.

Ioann. 5.

§. II.

An toti Trinitati?

11 SEcunda Conclusio: Explicato genere Convenientiæ non inconvenit, sed positivè convenit Incarnatio Verbi, Verbo ipsi, simulque Patri, & Spiritui Sancto. Ratio est eadem, ac præcedentis Conclusionis. Et hanc posui, ut duplex difficultas hic solveretur, quæ Doctrinam satis pulcram & utilem cogat exponere. *Prima* difficultas objicitur sic, ex parte Verbi, cui videtur positivè inconveniens Incarnatio: Nam Verbo per Incarnationem advenit Imperfectio, non utcumque, sed imperficiens. Complexum enim quod per Incarnationem fit ex creatura & ex Verbo, est simpliciter contemptibile, & imperfectum: quippe dicit finitudinem, & imperfectionem creaturæ ut constitutivam sui: ergo Verbum per Incarnationem ponitur intrinsecè in statu simpliciter contemptibili, & imperfecto: ergo manet intrinsecè contemptibile, & imperfectum. Confirmatur primò: tota perfectio Verbi, licèt summa, non obstat in complexo denominationi cõtemptibilis, & imperfecti: ergo neque tota perfectio Verbi obstat in se ipso eidem denominationi.

12 Ratio paritatis est: quia nõ minus est de essentia complexi tota Perfectio Verbi, ac de Verbi constitutivo: si ergo illa non reddit complexum incapax denominationum hujusmodi: cur Verbum ipsum, accedente ad ipsum intrinsecè tota imperfectione vitiante complexum? Confirmatur secundò: solum Verbum est melius complexo facto per Incarnationem ex ipso & assumptâ Naturâ: ergo Verbum solum, se ipsum excedit, factâ comparatione ad seipsum prout in tali complexo: ergo prout in tali complexo desinit esse summè perfectum: quod sinè diminutione cogitari non potest.

13 Huic difficultati respondeo primò, ex permissa imperfectione complexi non sequi Verbi imperfectionem, ex unione cum creatura: nam finitudo creaturæ solùm imperficit, ubi constituit: constituit in complexo, & non in Verbo: & hic potiùs quàm ibi obstat summa perfectio Verbi denominationi imperfecti: quia hic, & non ibi obstat essentiali constitutioni: unde Verbum erit per Incarnationem in statu, nõ ratione Verbi, sed creaturæ, contemptibili, & imperfecto; excedetque seipsum prout in complexo, id est, complexi partem: quæ non sunt absurda, nec inconvenientia. Hęc juxta dicta *lib. 1. disp. 1. sect. 1.*

Suprà lib. 1 disp. 1. sect. 1.

14 Verùm quia mihi maximè displicet posse dici: *Christus est simpliciter contemptibilis, & imperfectus.* Respondeo secundò: negando fundamentum argumenti, & asserendo complexum, quod per Incarnationem fit ex Verbo & Humanâ Naturâ, dici non posse contemptibile, & imperfectum: quia licèt ipsum constituat ex parte finitudo creaturæ, tamen tota imperfectio creaturæ, quia est infinitè minor, quam Perfectio Divini Verbi, impeditur, ut exerceat vim imperficiendi suam, à summa Perfectione Verbi quam essentialiter dicit.

15 Ratio est primò: quia denominatio summè perfecti, & entis simpliciter Divini, est necessatio exclusiva contradictoriæ, nempe imperfecti, & contemptibilis: cùm autem complexum dicat essentialiter ut sui constitutivum, (& quidem in Recto, quòd in denominationibus maximè attenditur) perfectionem summam Divini Verbi, manet eo ipso incapax denominari vile, contemptibile,

le, & imperfectum; atque adeo impedita, quominus imperficiat, & denominet, Vilitas & imperfectio creaturæ. Quoties enim toti simpliciter convenit denominatio exclusiva alterius, quę venire posset alioquin ex aliqua parte compositivâ, opposita denominatio simpliciter cadere nequit in totum.

16 Ratio est secundò: quia summa Dignitas, & perfectio Verbi quasi physicè extinguit omne genus naturalis Vilitatis, quæ inest Naturæ finitæ secundum se: nam eam intrinseca sui communicatione deificat: patet autem Perfectionem, quæ sopire potest omne genus vilitatis, & indignitatis naturalis, necessariò impedire, ne eorum ex ea vilitate vilescat, & maneat contemptibile. Et inde posset sumi disparitas ad complexum omninò peraccidens, quod fit per creationem rerum, ex ipsis & Deo.

17 Altera difficultas objicitur sic ex parte Patris, & Spiritus Sancti, quibus videtur positivè inconveniens Incarnatio Verbi. Nam inde fit, Verbo majorem amorem deberi à nobis quàm Patri, & Spiritui Sancto: quæ sequela de inæquali debito amoris cùm arguat amabilitatis, & consequenter Perfectionis, & Bonitatis inæqualitatem inter Personas, est perabsurda & temeraria: & ostenditur. Nam plus benefacienti, plus debetur amoris; sed datâ Incarnatione Verbi, plus Verbum benefacit nobis, quam Pater & Spiritus Sanctus: ergo Verbo plus debemus amoris. Major & consequentia patent: minor probatur: ille plus benefacit, qui plura beneficia confert; sed Verbum plura nobis beneficia contulit, quam Pater & Spiritus Sanctus: nam naturam assumere, pati, mori, & morte nos à morte redimere, beneficia sunt, & Verbi solius.

18 Confirmatur primò: quia esse hominem, mori, &c. prout sunt Verbi solius, sunt magnum erga nos beneficium: aliquo autem modo sunt Verbi, quo non sunt Patris, nec Spiritus Sancti: ergo aliquod beneficium erga nos est Verbi solius, facta Incarnatione: ergo plus debemus Verbo, quam aliis Personis. Secundò: Actiones, quas Christus dedit in pretium Redemptionis, aliquomodo fuerunt Verbi, quo non fuerunt totius Trinitatis: erant enim sub dominio Trinitatis, titulo generali effectionis, sub speciali tamen dominio Christi, ex speciali titulo; sed ut sunt specialiter sub dominio Christi, sunt speciale beneficium erga nos: ergo specialem obligationem inducunt in nobis: ergo plus obligati sumus, & debemus Verbo, quàm Patri & Spiritui Sancto. Confirmatur tertiò: quia Verbum specialiter obligavit Deũ, ut remitteret offensam: quod nec Patri, nec Spiritui Sancto convenit: ista autem obligatio, nos specialiter obligat ad Redemptorem nostrum: ergo ipsi plus debemus.

19 Huic difficultati, quam dolet excitatam à nemine Pater Granad. *Controv. 1. tract 5. disp. 4. sect. 4. ad finem,* & ex ipso tangit Godoy *disp. 16. §. 1.* respondeo, nullum ab una Persona præstari beneficium posse quin præstetur à Tribus, licèt Beneficium specialiter fiat in Una. Ratio: quia Voluntas, & Potentia, ex quibus fluit beneficium est toti Trinitati communis. Unde, quamvis per Incarnationem facta sit in Verbo substantia Beneficii, & obligatio erga Deum nostra, ipsique Verbo proinde conveniant peculares erga nos denominationes, & tituli, qui pendent ex modo, quo fit Beneficium, non tamen plus Verbo debemus, quam Patri, & Spiritui Sancto, nec assignari Beneficium poterit, quod Verbo debeamus, & non aliis Personis: licèt ex modo quo beneficium factum est in Verbo potiùs, quàm in Patre, & Spiritu Sancto, idem ipsum Beneficium, quod toti Trinitati debemus, Verbo debeamus ex pluribus titulis, non augentibus dignitatem amoris, nec substantiam debiti. Quare nego sequelam, ad probationem nego minorem utriusque Syllogismi sequentis: Nam licèt carnem assumere, pati, moti, sint specialiter Verbi denominativè, & terminativè, quatenus opus factum in Verbo: effectivè, & affectivè est omnium Personarum.

Granadus.

Godoy.

20 Ad primam confirmationem. Licèt ea prout sunt Verbi solius sint magnum erga nos beneficium, non sunt tamen beneficium ita speciale Verbi, ut non sit etiam idè ipsissimum Beneficium, quod titulo communis efficientiæ, & voluntatis beneficentissimæ, debemus toti Trinitati. Ad secundam: tota illa specialitas, cum non obstet, quominùs tota substantia beneficii sit à tota Trinitate, ratione physicæ & moralis influentiæ, non auget substantiam beneficii, & obligationis erga Deum nostræ, sed purè multiplicat titulos, quibus Verbo simus specialiter debitores ejusdem ipsissimi beneficii.

Sic responderi debet ad tertiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. III.

CONVENIENTIÆ CIRCVNSTANTIÆ, & extensio.

21 TErtia Conclusio: suppositio peccati, modus factæ Incarnationis in pretium nostræ salutis, circunstantia temporis & Matris non reddunt convenientem minus, sed magis, Incarnationem. Quatuor partes habet assertio. Ostendo primam: Nã suppositio peccati auget in primis rationem beneficii: deinde exaggerat Divinum amorem: tertiò, præbet gravissimam causam Exinanitioni, cui in hoc Mysterio propter nos se submisit suprema Majestas. Ostendo secundam: Nam executio Incarnationis in pretium Humanæ salutis, est specialiter manifestativa Divinæ Misericordiæ, & Iustitiæ; & inducti a specialissimè nostri timoris, & spei. Est specialiter manifestativa Divinæ misericordiæ, quia Deum, alioquin offensum, ostendit voluisse summis impensis subvenisse nobis, erectis exinde in spem maximam salutis nostræ. Est specialiter manifestativa Divinæ justitiæ; quia Deum, alioquin summè misericordem, ostendit exigere pretium simpliciter infinitum pro compensatione unius peccati, cujus eramus rei, coacti exinde timere maximè rigorem Divinæ justitiæ. Quare verè in hoc Mysterio *Iustitia,* *Psalm.* 84. *& Pax osculatæ sunt*: cum ex una parte Incarnatio sit opus misericordiæ erga nos Dei maximum; ex altera, plena satisfactio Divinæ justitiæ.

22 Ostendo tertiam partem: Nam Incarnatio esse debuit *in medio annorum*, ut *Habac.* 3. dixit Habacuc, non autem in principio mundi, nec in fine. Non, in principio mundi: ut ipsa dilatio admoneret ex una parte nos infirmitatis nostræ, & ex altera acueret famem tanti beneficii. Non, in fine: ne ipsa dilatio foret desperationis occasio, aut impediret Divinos mores, quos in Lege Gratiæ fecit in multis apparere imitatio Redemptoris. Ostendo jam ultimam: Nam ex circunstantia Matris, qui simul Virginis, crescit admiratio summæ Bonitatis Divinæ: quã Matris Dei, crescit hominibus, Angelis, Orbi Pulcritudo maxima Gratiæ, Gloriæ, Potestatis.

23 Opponis primo: prodigum videtur, & cõtra rationem dari pro vili, rem pretiosissimam. Secundo, videtur injustum, pro Nocente, Innocentem pati. Tertiò, videtur summè inconveniens, concedi peccatori id quo nihil melius concedi posset Innocentinã sic tollitur spes dilectioni justitiæ; & timor iniquitati: quid autem Incarnatione melius? Quartò ratione peccati debetur in pœnam peccatori privatio omnium supernaturalium donorum, & à fortiori, Maximi, quod est Incarnatio: peccatori autem iusligi pœnam quam meretur, conveniens est: imò convenientius, quàm remitti: nam *Iustus Dominus,* *Psalm.* 10. *& iustitiam dilexit*: qui autem justitiam diligit, odit oppositum, ut inconveniens. Quintò: omnis caro est infecta peccato: nam omninò *corruperat viam suam*: conjungi autem *Genes.* 6. summam Sanctitatem cum Natura infecta peccato, monstrosum est: & huc faciunt illa Pauli 2. *ad Corinth.* 6. 14. Sextò: retentã *2. Corinth.* Innocentiã, Naturam humanam excludi à *6. 14.* Deo penitus ab omni communicatione sui, esset inconveniens: ergo amissã, admitti ad summam communicationem, erit inconvenientius: Neque enim malo prodesse debet malitia sua; nec Deus est minus exactus in præmiis, quam in pœnis.

24 Respondeo: ad primum: id verum esse: quando dauri pro vili rem summam; tota res absolutè perit: quod in hoc Mysterio non accidit: nam ne in morte quidem, periit Divinitas: Nec humanita est passa detrimentum perpetuum; sed aliquale pro certo tempore; compensatura mox detrimentum, & glorioſior evasura. Ad secundum: illud etiam esse verum, cum Innocens invitus patitur, secùs cùm sponte: & pœnas quidem, quas aut sibi licitè potest inferre; aut quas nec ipse sibi, nec Iudex infert; sed injustè illatas ab aliis, sponte suscipit: ut fecit Christos.

25 Ad tertium: dari peccatori id quo melius dari nequeat Innocenti, si detur, non ut peccato faveas, sed ut tollas per æqualem satisfactionem pro qua donum illud necessarium est, non est inconveniens: præsertim si donum, licèt alioqui maximum, Peccatori sit extrinsecum secundum se, & quoad effectus intrinsecos, sit influentiæ in unumquemque defcensuræ juxta mensurã propriæ dispositionis, impedibilis proinde per peccata personalia: sic autem Christus, fons omnis Gratiæ, influit in Nos: unde nec æqui spes tollitur, nec timor iniqui. Fateor, quoad originale, inexpectata nostra dispositione plerumque id tolli, sed valde congruum est, ut peccatum, aliena libertate contractum, alieno merito deleatur. Nec propter vitando con-

contrahentis exerceri potest aut spes, aut timor.

26 Ad quartum: Non est contra rationem Divinæ justitiæ, cedere Deum juri suo, & remittere offensam: nam est *Dominus Dominantium, misericors, miserator, & Iustus*: præsertim adhibitã per misericordiam satisfactione Divinæ justitiæ; uti factum in hoc Mysterio, quod verè dicitur *osculum utriusque* *Psalm.* 84. obuiantis adinvicem sibi, *ex Psalm.* 84. Ad quintum: Caro assumpta, nunquam est infecta peccato: nec debuit, tùm ex unionis Hypostaticæ jure: tùm ex Privilegio Virginitatis in Matre. Ad sextum: Peccati condonatio est impeditio mali causati solum ab homine, & promotio boni, ut Natura ex beneficio conditoris redeat ad bonum. Præmii denegatio est impeditio finis, ad quem per bona opera, magis Dei quam hominis, ordinatus est homo a Deo: patet autem in *P. Martin.* hoc, inconvenientiæ ratio: & in illo, summa *Esparza.* ratio convenientiæ: Vide Esparzam *quæst.* 2. *ad* 4.

27 Quarta Conclusio: Omni creaturæ fuit simpliciter conveniens Incarnatio: quia omnis creatura quasi continetur in homine, qui jure dicitur *microcosmos*, idest, *mundus parvus*: ergo omnis creatura in humana Natura exaltata est ad esse Divinum, quæ summa convenientia est. Dicis primò: Naturæ assumptæ sustulit Incarnatio nativam perfectionem. Respondeo, sublatam esse Nativam perfectionem, sed redditam esse cum *Supra lib 1* infinito fœnore. Vide quæ discussimus *lib.* *disp. 4. à* *praced. disp. 4. sect. 2.* Dicis secundò: ex In- *num. 96.* carnatione secuta est in creaturis Rationalibus magna confusio: adorantibus aliis Christum, ut Deum: aliis contemnentibus, ut affectatorem Divinitatis. Respondeo, id malum non ortum ex Incarnatione, sed ex adhæsione uniuscujusque ad turpia bona, nolentis uti, & frui summis bonis, quæ secum attulit Incarnatio.

28 Dicis tertiò: Angeli deciderunt primò à statu gratiæ per Incarnationem, fuit enim ipsis rebellionis occasio. Secundò, à præeminentia sibi connaturali supra homines, utpote Naturæ inæqualis, & inferioris: coacti enim sunt se submitere homini. Respondeo, malis Angelis nõ fuisse mali causam & Rebellionis, Incarnationem, sed superbiam ingratæ mentis in creatorem suum. Aliis Angelis non esse sublatam præeminentiam supra omnem hominem, nisi constituendo hominem præstantiorem ipsis Angelis, scilicet hominem, Deum: ex quo plus boni fluxit in Angelos, quàm sit naturalis præeminentia in homines.

29 Dicis quartò: creaturis irrationalibus nihil commodi venit ex Incarnatione & Incommodi plurimum. Nihil commodi: quia incapaces sunt supernaturalium perfectionũ. Incommodi plurimum: quia, ut homo Deus se per miracula ostenderet, opus erat creaturas irrationales cassas reddere suis propriis eratibus. Respondeo, creaturas Irrationales esse propter Rationales; atque adeo his per Incarnationem exaltatis, & illas meliorari extrinsecè: Mediis enim conveniens est ordinari ad meliorem finem. Nec miracula sunt contra, sed supra rerum appetitum innatum. Videatur acutus Esparza *quæst.* 3. *Martinus Esparza.*

30 Quinta Conclusio: Incarnationem fieri in reparationem Humanæ potius, quam Angelicæ Naturæ, convenientius. Ratio est: quia lapsus hominum miserabilior fuit, & misericordiã dignior, quàm Angelorum. Primò: quia generalior: fuit omnium enim hominum in uno: non autem fuit omnium Angelorum: miserabilius autem est Totum perire, quàm partem: & totam Rempublicã, quàm partem ipsius. Secundò: quia minus spontaneus, liber, & malitiosus, quàm Angelorum: fuit enim ex aliena fraude, & à Natura infirmiori, lapsus Humani Generis. Tertiò: duobus exceptis lapsi sunt alii homines voluntate non propria, sed aliena: Angeli verò lapsi sunt sponte sua, &c. Dices: majus bonum, & obsequia præstantiora secuta forent ex reparatione Naturæ Angelicæ, quam Humanæ? Quis hoc sciat? certè D. Thomas *D. Thomas* Angelos facit ita inflexibiles in proposito semel arrepto, ut mutari nec velint, nec possint. Granados, & Esparza sãltem inflexibiles moraliter putant: alii censent expectatos *Granado.* ad pœnitentiam, & resipuisse nullum: quid *Esparza.* autem boni sperari debuit à tam obstinata Natura? Certè insuper obsequia præstita per Matrem Virginem compensant, & excedunt omnia, quæ à reparatis Angelis simul præstari potuissent.

(*†*)



SEC-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

EXCLVDITVR ABSOLVTA Necessitas.

§. I.

SENSVS AVTHORVM.

31 ABsoluta Necessitas, vel Physica potest concipi, vel Moralis. Dedi jam terminos *num.* 1. Do nunc Authorum sensus. Primus est Raimundi Lullii censentis apud Vazquez *hic disp.1.cap.2.* Deum absolute plusquam moraliter, atque adeò physicè necessitatum esse ad executionem Incarnationis. Alter est P. Iacobi Granado *hic*, & *1. part. tom. 2. tract. 2. disp. 3.* (cui plenè subscripsit Melchior Fuster *disp. 3. de Voluntate*) putantis Deum necessitari moraliter, ad executionem Incarnationis, eo tamen genere necessitatis intra moralem, ut si Incarnationem omitteret, non esset Deus: ita planè concedit *sect. 6. num. 30.*

Lullius. apud Vazq

Granado.

Fuster.

32 Tertius est P. Didaci Ruiz de Montoya *de Voluntate disp. 9. & 10.* putantis etiã Deum ad executionem Incarnationis necessitari moraliter, sed mitiori genere necessitatis moralis: nam si Incarnationem omitteret, renuit meritò, sequi, Deum non esse Deũ, sed unum è tribus, nempe: vel Incarnationem non esse suo contradictorio meliorem: vel non esse in Deo infallibilem electionem optimi: vel evenire, quod est moraliter impossibile. Ipse recurrit in tertium *sect. 5. disp 10.* falsus, si semper Deus eligeret omittendo melius, per mediatas consequentias convictum iri, Deum non esse Deum: quod ibi liberat ab absurdo, & totam sententiam mirificè illustrat præoccupando doctissimè omnia, & singula, quæ contra ipsum in dies de novo cudere se putat quisque Recentiũ, præferentium supinè legi, vel non legi, quem impugnant.

Ruiz de Montoya.

33 Quartus est P. Ribadeneyræ *disp. 14. de Voluntate cap. 6. à num. 56.* putantis, ex generaliori Doctrina, quam jacit de necessitate morali absoluta Dei ad ea rerum genera, quorum perfectio compensari nequit per alia genera rerum, necessitari moraliter Deum ad Genus Hypostaticæ Vnionis, sive per Incarnationem fiat, sive per Angelizationem, ut sic dixerim. Inclinat huc novissimè Herrera *de Voluntate quæst. 11. sect. 1. nu.* 16. & amplificat Noster Reverendissimus Thyrsus *tom. 3. disp. 11.*

Ribadeneyra.

Herrera.

Thyrsus.

34 Quintus, & aliorum omnium Doctorum negat in Deo genus quodvis absolutæ necessitatis ad decernendam ullius creaturæ productionem. Videatur pro communi hac sententia P. Thomas Muniessa *de Incarnatione disp. 7. sect. 1. & seq.*

P. Thomas Muniessa.

§. II.

PRINCIPIA PRO EORVM INTELLIgentia, & decisione.

35 PRæmittenda tamen sunt tria pro solida decisione Veritatis. Primũ: Basis, quâ nitatur tota Doctrina horum Moralistarum. Secundum: Quidditas necessitatis, quam admittunt. Tertium: gradus necessitatis admissæ.

Quid sumam nomine Optimi?

Basis Doctrinæ est Moralis necessitas, quam in Deo supponunt ad electionem optimi, ubicumque sit optimum assignabile: Nequit autem optimum assignari, nisi quãdo extrema electionis claudiuntur quibusdam quasi certis terminis: puta, extrema cõtradictionis concepta per genera quasi suprema: nempe *creare mundum, & non creare: exequi Incarnationem, & non exequi*: nam in rebus, quæ carent certis terminis, & in quibus vel specie, vel numero abitur in infinitum per excessum unius ad aliam, non est assignabilis optima. Granadus ergo vocat *optimum*, quod suo præponderat contradictorio: Ruiz, quasi Granadum explicans, vocat *Optimum*, non tam in se quam in ordine, vel ad Deum, extrinsecè glorificandum, vel ostentandum; nempe id, in quo præ sui contradictorio magis elucent Deus, & Attributa Dei. Vel ad finem intentum; nempe id quod convenientius & optimum est ad ejus assecutionem. Ved ad Totum, quod sit; nempe id quod in toto pro symmetria partium est præ aliis convenientius. Vel ad regulam operantis: nempe id quod est magis conforme Artificis ideæ, & Artis Regulæ. Cum ergo Incarnatio sit penes hæc omnia incompensabilis, summa, & optima, inferunt Necessitari moraliter Deum ad ipsam, atque adeo ad omissionem contradictorii.

Granadus.

Ruiz.

Quid ista necessitas?

36 Quidditas istius necessitatis (si physicè loquamur) ponitur à Granado in amore necessario, quo se Deus amat, & exinde summè, quantum citra diminutionem, & oblæsionem physicæ potestatis, & libertatis in oppositum, potest; ipsum inclinat in volitionem optimi: quæ inclinatio, cùm summa sit, nec possit à potestate physica oppositi disjungi, sed ipsam exigat; evadere nequit necessitas physica, sed moralis. Ponitur ab Herrera in ipsis Attributis, quæ non solùm, inquit, habent exercere suas denominationes in Deo, sed inclinare in sui ostensionem ad extra. Ponitur à Montoya, in complexo ex Dictamine simplicis intelligentiæ, & complacentiæ simplicis exinde necessariò exortæ juxta æstimationem dictaminis, & bonitatem rerum objectivam: de qua dispar est complacentia pro disparitate dictaminis, & rerum. In hoc etiam complexo opinor Granadum hæsurum: nascitur enim & illa dictaminis, & ista complacentiæ necessariæ disparitas, ex summa Bonitate Dei, & amore summo Bonitatis summæ, cui conformatur necessitate metaphysicâ Deus in internoscendo excessum bonitatis, & ipsum per simplicem amorem metaphysicè necessarium approbando.

Herrera.

Montoya.

Malè impugnati ab Arriaga, & RR.

37 Ex quo complexo necessario, & inevitabili, necessariò sequitur nexus quidam Divinæ æstimationis, & inclinationis in majus bonum, ac proinde necessitas moralis, non quidem orta ex difficultate, aut molestia, aut debilitate, aut absorpta advertentia in oppositum (quæ absurda post Arriagam Recentes agglomerant) sed ex majori æstimatione, & Divina dulcedine erga majus bonum. Explicatio ista mihi videtur aptior in hac re: nam omne genus innatæ inclinationis (qualem adstruit Herrera) facilè cuiquam obviis. Si metaphysicè loquamur, illa necessitas est nexus ita infallibilis cum eventu, ut omninò extinguat spem prudentem oppositi.

Quanta ista necessitas?

38 Gradus admissæ necessitatis significat antecedentiam, vel consequentiam illius respectu Divinorum decretorum de rebus optimis: & quantitatem connexionis cum eventu. Et circa primum patet ex *numero præcedenti*, necessitatem hanc à suis Patronis adstrui antecedenter ad omne signum, & exercitium liberorum, eamque inevitabiliter præcedere in Deo ad electionem rerum: tum quia ponitur in prædicatis omninò necessariis. Tùm etiam quia si poneretur in liberis; de his esset nova quæstio, an necessitate morali exercerentur. Tùm demum quia necessitas consequens in Deo provenit à Decretis, eaque plerumque Metaphysica est pro decernendi efficacia.

39 Circa secundum ostendit Montoya non semel, connexionem istius necessitatis vinci physicè posse, eamque non crescere usque ad metaphysicam infallibilitatem eventus. Oppositum tenet immeritò Fuster, & multis videtur tenuisse Granadus: quòd admiserit, si Deus electionem optimi omitteret, forè ut non esset Deus. Verùm, apud me, sensus Granadi fuit: si nunquam Deus eligeret optimum, bene concludi, ex defectu, qui possit exinde argui moralis necessitatis ad Optimum, eodem evidentiæ moralis passu, Deum non esse Deum; aut Deũ non esse Deum, si omitteret optimum sine ulla morali necessitate in ipsum, aut non eligeret ex prævia morali necessitate: quod est dicere, tam necessarium esse moraliter, optimum à Deo eligi, quàm est physicè, Deum esse Deũ; quare ut Deus sit physicè Deus, est necessarium metaphysicè, quod velit infallibiliter optimum: quod si non vellet infallibilitate morali, physicè tamen vincibili, Deus physicè non esset Deus.

Montoya.

Fuster dubitè Granad. interpretatur.

40 Ex his vides, quam foret facile, multorum contra Granadum machinamenta Recentium dissuadere. Nec id est mutare Granadi sententiam (ut obtendit Arriaga) sed explicare sensũ cadête in ipsam, & unicè in mentem tanti Theologi, ut Commagister ejus Montoya jàm præstitit *loc. cit.* sed ista, quæ communiter præsupponuntur, vera non sunt, si vera sunt quæ *disputando de Auxiliis* latè diximus *de Necessitate Morali*: quam diximus in rebus nullam esse, sed in nobis: neque esse rerum, sed mentis necessitatæ ad asserendum res, quas exinde dicunt necessitari moraliter, conjungendas esse cum tali & tali eventu sub his, aut illis circumstantiis.

Quid apud me Moralis Necessitas? tom. 1. p.

§. III.

EXCLVSIO NECESSITATIS ABSOLVTÆ tam moralis, quàm physicæ ad producendum ad extra.

41 PRima Conclusio: Repugnat Deo absoluta necessitas infra moralem ad electionem aut productionem ullius creaturæ, antecedenter ad omne liberum exercitium Divinæ Voluntatis. Est *de Fide*: & aliòquin evidens lumine Naturæ. *De Fide*: quia est de Fide libertas Divina in decernendis creaturis, & summa ab his independentia Dei, qui nullius indiget. Evidens: Nam & utra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

utraque hæc perfectio (cui necessariò contradicit absoluta necessitas infra moralem) evidenti ratione colligitur in ente omnium perfectissimo. Tùm etiam quia creaturæ nó augent, nec possunt Dei felicitatem, sibi sufficientissimi ex bonitate & felicitate summa: quî autem summè fælix, si necessitaretur ad gaudium coexistentiæ cum re contemptibili, ut felix esset ? Tùm insuper quia hæc necessitas nec oriri possit ex objecto: quia est bonitas finita,& contemptibilis;nec ex ipsa Dei Natura, cum ipsa sibi plenè sufficiat: nullumque ipsi per additionem creaturæ bonum accrescat, vel quo quid melius fiat solo Deo; vel quo Deus melior sit; vel quo deficiente deficiat quicquam ad plenitudinem, & infinitudinem Dei,necessarium. Tùm demum quia omnis creatura est contingens, & Deus necessarius; repugnat autem in terminis physica inseparabilitas entis necessarii à contingenti.

42 Dices: Deus citra oblæsionem summæ felicitatis metaphysicè connectitur cum aliquo ente extra se: nempe cum rebus, earumque carentiis. Respondeo id potius esse Deum necessariò esse liberum, quam indigentem alioqui extra se. Secundò:quia Deũ necessitari ad disjunctũ illud, potius est necessitas ne sit quicquam sine libito suo, quâ necessitas ad positionem ullius. Tertiò nego assumptum: nihil enim extra Deum est ens, quod positivum non sit: Carentiæ verò rerum vel sunt ipsa Decreta Divina, quibus impedit res ipsas Deus, vel figmenta mentis nostræ.

43 Secunda Conclusio:Repugnat Deo, Moralis absoluta necessitas ad aliquid extra se decernendum, aut producendum. Probatur primò ex illis locis *Scripturæ, & Patrum*: ubi commendatur summa libertas, & independentia Dei in productione creaturarum: nam quæ libertas est hæc, cujus unum extremum est imprudenter excogitabile poni? Probatur secundò: quia ex dictis *disputando de Auxiliis*,Necessitas moralis est extrinseca rebus, & mentis potius, quam illarum, & consistit in necessitate mentis ad asserendum hunc aut illum eventum ex tam forti motivo, ut nullus prudens de Veritate prudenter dubitare possit, aut debeat.Quæ autem Mens præcedit ad divina Decreta, quæ hæc potius, quàm illa colligat in Deo pro signo electionis? Nulla certè præter Divinam: at Divina nec probabiliter colligit, nec prævie necessitat Divinam Voluntatem.

Habes tom in 1. part. Tract. 3. de Deo Aux.

44 Probatur tertiò:sequendo principia communia: in quibus Necessitas moralis fingitur rebus intrinseca, & realiter antecedens in caussa, quam necessitat. Sic argumentor: Necessitas moralis in caussa est vis talis inclinationis in unam partem,præ alia, physicæ libertatis, ut ea sit motivum irrefragabile, quo cognito nemo prudenter possit dubitare de eventu; atqui talis inclinationis vis ad ullum decretum,aut creaturam repugnat in Deo: tùm quia fundamenta hucusque ab his Moralistis assignata,tam abest, ut rapiant communem assensum prudentum, ut potiùs vix sit prudens, qui non dissentiat. Tùm quia libertas quo magis est perfecta est magis indifferens: quo magis advertentior, est minus obnoxia raptui affectivo circa limitationem bonitatis: quo minus indiga, & magis independens est ligata minus: ergo Divina libertas, quia summè perfecta, est summè indefferens; quia summè advertens, est summè distans à raptu affectivo; quia summè felix & independens,est summè libera ab omni genere ligaminis, vinculi, aut necessitatis ad unum præ alio. Sed his perfectionibus absolutè repugnat admixtio talis necessitatis, quæ me necessitent ad desperationem prudentem de uno extremo præ alio:præponderant enim hæ perfectiones cuivis alteri Inclinationi quam fingis.

45 Vrgeo discursum sic: Inclinatio, cui resistit in oppositum altera par, quasi refracta sese attemperat alteri,nec necessitat; est evidens exemplo vulgari bilancis: ergo cognita simul cum altera necessariò linquit intellectum in assensus æqui librio. Sed cuivis Inclinationi Divinæ in unum associantur istę, quas in oppositum enumeravimus perfectiones inclinantes ad solitudinem summæ felicitatis: ergo.

46 Probatur quartò:Vel Illa Inclinatio, in qua fingitur esse Moralis necessitas, est Inclinatio innata, vel elicita quâ Deus propendet in hoc potius quam in illud ? Non innata: tùm quia innata Inclinatio est per modum physici ponderis quærentis centrũ suum. Tùm quia innata inclinatio nullibi invenitur nisi in bonum utile, & perfectivum habentis: tùm quia Innata Inclinatio dicit ordinationem physicam ad terminum suum: tùm demum quia hæc innata Inclinatio quasi physica, & emortua dicit habitudinem connexionis intrinsecæ cum termino: quod autem genus connexionis physicæ cum rebus habeat, qui nullius indiget ad sui perfectio-

nem, & Lucrum ob summam independentiam ab omni non Deo ? Non elicita: nam hæc deberet esse complacentia major, vel minor in Deo necessaria pro majori vel minori bonitate rerum juxta dictamen prævium Divinæ simplicis Intelligentiæ.

47 Arguo nunc sic primò, permissis in Deo his complacentiis necessariis rerum. Complacentia finiti Boni, conjuncta cum perfecta advertentia in utramque partem, nonquam evadit ad usque gradum necessitatis moralis: patet, quia in nobis eatenus necessariæ complacentiæ necessitare dicuntur, quatenus absorbent advertentiam in alteram partem, aut physicè minuunt, impendente vires Animâ in objectum quod sibi complacet: & ratio videtur esse, quia si plena maneat advertentia, complacentia illa quasi approbativa majoris bonitatis, non obstat ne talis bonitas appareat jure contemptibilis: Atqui Divina complacentia necessariò conjungitur cum summa advertentia in utramque partem:ergo. Arguo secundò: Necessaria displicentia Dei circa peccatum,major est in linea affectûs,quàm omnis complacentia circa physicam bonitatem rerum: nam illius malitia major est, quàm omnis harum bonitas; sed illa displicentia non est in Deo necessitas moralis impediendi peccata:ergo neque illa complacentia potest esse moralis necessitas producendi. Arguo tertiò: complacentiæ necessariæ non se magis excedunt in linea affectûs,quam se excedunt res interse in bonitate: at iste excessus est finitissimus & reipsà plerumque inæstimabilis, atque adeò impotens necessitare moraliter ad amplexum sui potentiam ejus comprehensivam: ergo neque ille excessus inter complacentias potest crescere adusque moralem necessitatem complacentis.

48 Probatur quintò conclusio, contendendo pro priori ad signum liberorum non modò non præcedere in Deo genus ullum absolutæ necessitatis ad quicquam, sed ne fundamentum quidem, unde hæc præ alia pars libertatis probabiliter, aut probabiliùs colligi possit. Arguo sic: Inclinatio voluntatis ad Media, tota provenit ex habitudine ipsorum ad finem: unde Voluntas intendens efficaciter finem, manet quidem eo ipso necessitata simpliciter ad electionem medii, quod unicè nosci simpliciter necessarium; ad alia verò,quæ simpliciter necessaria non sunt, sed convenientiora, non necessitatur,sed inclinat pro mensura majoris, vel minoris convenientiæ,quæ ipsi relucet in mediis: demùm,ad illa quæ perinde erunt in ordine ad finem,ac si non essent, nullum dicit pondus inclinationis, aut curæ.

49 Nunc ita: Divina Bonitas, & Felicitas est unicus finis Divini amoris necessarii, in quo tanquam in centro summæ Perfectionis quiescit ultimò necessarius amor Dei: & ita sibi sufficit, & independet ab omnibus, & singulis creaturis, ut omnes, & singulæ respectu sui quasi nihil sint, & forent, quasi non essent: ergo ex illa summa bonitate, & amore tam abest Deus ab ullo genere Inclinationis ad extra, ut potius maneat necessitas ad excludendum omne genus necessariæ Inclinationis ad ullam creaturam: sed pro priori ad signum liberorum, nihil præcedit in Deo præter summum illud Bonum, & amorem ejus necessarium: ergo.

50 Confirmatur. Qui ad id quod sibi purissimè sufficit,& quod unicè necessariò simpliciter amat, videt alia quasi nihil reputari,& esse,minusque coducere, quam ad movendam fortissimam turrim injectus pulvis arenæ, quis eum credat ex tali affectu ita manere necessitatum, ut sit imprudens desperatio talium rerum eventus ? Atqui omnes, & singulæ creaturæ respectu Divinæ Bonitatis, & felicitatis sunt ex Sap. 11. *quasi momentum Statera, & quasi gutta roris antelucani*: imo ex Isaiæ 40. 17. *quasi non sint*: ergo. Et ratio omnium videtur esse: quia vis hæc fundans has quasi Ecstases,quibus Voluntas egreditur ex se, tota resolvitur in famem boni vel existimati, vel realis, quod in se non invenit. Sola enim plenitudo boni, licèt sit apta se communicare sine deffectu sui, suique sit diffusiva, non tamen quasi cogitur ad effusionem,nisi cum se non capit:ut patet undarum exemplo se præ copia trudentium extra angustias loci:at Deus aliter est diffusivus sui, ideò sine diminutione, cum summa independentia, & libertate: neque enim summa perfectio in Deo sibi invicem facit angustias: nec ipsum necessitat ad contemptibilia:quia summus est.

Sapient.11

Isaiæ 40.

51 Probatur sextò ex illo efficaci, & subtili discursu Augustini *quæst.22. ex quæst. 83.* qui sic habet: *Ubi nulla indigentia, nulla necessitas; ubi nullus deffectus, nulla indigentia; nullus autem deffectus in Deo: ergo nulla necessitas.* Explico primò sic: eodem rigore, semel attentâ summitate Divinæ Perfectionis,excludi debet à Deo necessitas ad quicquam extra se producendum: quo debet exclu-

Augustin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

excludi defectus; atqui debet excludi genus omne Defectus tam physici, quàm moralis: ergo genus omne necessitatis tam physicæ, quàm moralis. Explico secundò sic: Indigentia est quædam nascens ex propriâ essentiâ impossibilitas existendi sine alio existente: sed inevitabilis absoluta necessitas moralis unius ad aliud decernendum, & producendum, est quædam nascens ex habentis essentiâ impossibilitas existendi sine alio existente: nam illa necessitas est vis ex propria essentia nascens ponendi volitionem efficacem, quæ est metaphysica inseparabilitas Volentis ab existentia rei volitæ: ergo inevitabilis absoluta necessitas moralis est indigentia: Voca nunc physicam, vel moralem: nunquam enim ab indigentiæ cõceptu per hos terminos elues maculam imperfectionis repugnantis Deo.

52 Probatur ultimò conclusio, argumento, nisi fallor, ineluctabili. Necessitas hæc absoluta moralis, (quam in Deo fingiris, sive ad optimum, sive ad melius, sive ad suprema genera aliter incompensabilia, sive ad disjunctum, sive ad rerum collectionem;) vel respicit totam æternitatem immediatè; vel respicit determinatum instans, vel denuo respicit omnia vagè: sed nihil ex his responderi potest probabiliter: ergo nec asseri in Deo moralis hæc absoluta necessitas. Consequentia liquet, & major est evidens: nam cum productio rei, ad quam est necessitas, debeat exerceri vel tota æternitate vel tempore; necessitas ad ipsam necessariò respicere debet æternitatem, aut tempus; & hoc vel determinatè, vel vagè: nec enim sunt alia Durationis extrema, nec alius modus respiciendi extrema Durationis.

53 Minor ergo, quæ sola requirit probationem, ostenditur: Nam imprimis dici nequit quòd ea necessitas respiciat totam æternitatem: est enim de fide, mundum, Incarnationem, & omnia, condita in tempore. Deinde nec dici potest, quòd respiciat determinatum instans: alioquin dixisse nequivisset Deus Creationẽ rerũ, & executionem Incarnationis ultra illud instans, in quo dedit utramque & inutiles fuissent preces, & gemitus Veterum Patrum pro acceleratione Incarnationis, tanquam pro re imprudenter sperabili ante instans, quo eam executus est Deus. Ergo restat unicè dicere, eam necessitatem respicere omnia tempora vagè; determinatè nullum. Atqui eo ipso desinit esse necessitas: quod ostendo: Nam eoipso quòd nullũ sit assignabile tempus, in quo verè dicatur: nunc Deus necessitatur moraliter ad executionem istius, vel illius rei, cum æternitas careat termino, fit planè, quod Deus non necessitetur: est enim impossibile ipsum necessitari, & nullum assignari posse instans, quo saltem peraccidens illa Dei necessitas determinetur.

54 Confirmatur. Eo ipso quod sit inassignabile tempus determinatum, in quo Deus necessitetur determinatè, necesse est quòd maneat omninò liber, & sine ulla necessitate pro quocumque tempore, quod realiter detur; sed est impossibile tempus determinatum, in quo sit verum dicere: jam Deus est necessitatus hoc aut illud exequi: ergo necessarium est Deum per omne tempus possibile esse sine necessitate morali ad quicquam extra se: ergo.

§. IV.

EXCLVSIO NECESSITATIS ABSOLVTÆ moralis ad productionem Optimi ad extra.

55 TErtia Conclusio: Repugnat specialiter Deo moralis absolutã necessitas ad optimum eligibile, id est, ad electionem rei optimæ, vel melioris objecti. Probatur primò conclusio: si Deus necessariò semper eligit quod est optimum, aut melius, & quidem ex necessitate absoluta morali extinguente spem prudentem oppositi, cur tã sollicitè res, & Beneficia à Deo petimus? Nam vel quod petimus & oramus est optimum, aut melius? vel non est optimum, aut melius, oppositum? Si primum: fruſtrà solliciti sumus, & vanæ sunt preces nostræ: cum omissio rei quam petimus sit moraliter impossibilis, & prudenter desperabilis. Si secundum: quid juvant nostræ preces: si res ita est extra libitum Dei, ut maneat prudenter inexpectabilis? Dices: ex circunstantia orationis reddi rem plerumque meliorem. Cõtra: vel ea circunstantia orationis, & hanc adjungi executioni rei est melius oppositio, & in tua linea optimum, vel non? Si secundum: illa circunstantia orationis est moraliter impossibilis. Si primum. Deus adjunget istam circunstantiam ex necessitate quam habet ad optimum. Ex quâ ratione, ab absurdo, satis patet hujus sententiæ improbabilitas.

56 Probatur secundò ratione à priori, meo

meo videri, decretoriâ, & evidenti. Necessitas ad melius, vel ad optimũ dicit necessariò possibilitatẽ melioris, & optimi inter extrema eligibilia respectivè ad eligentem: sed respectivè ad Deum nõ est possibile melius, aut optimum inter extrema creata eligibilia: ergo neque est possibilis necessitas moralis in Deo ad melius, vel ad optimum. Iste discursus jam supponit (quod plures in hac re non satis distinguunt) Deum necessitatum iri ad optimum, si optimum sit excogitabile respectu Dei: & meritò: nam Deus necessariò vult quæ sunt ipsi bona, atque adeò optima sibi: idque exigit necessarius amor, quo se, suaque diligit: neque enim amor, quantumvis summus, rei, inclinat nisi in bonum, & optimum comparatione rei; cujus est amor: quid enim præstat amor quantumvis magnus erga aliquem, ut extendas affectum eo ipso ad objecta, quæ respectivè ad bonum quod amas, nec bona, nec optima sunt? Hinc fateor Deum, & quidem metaphysicè necessitari ad omne quod est sibi optimũ; & omne sibi optimum esse Deo metaphysicè necessarium, exceptis actibus liberis, & in his æqualem, & summam optimitatem, *ut dicam conclusione quarta.* Quare major, & consequentia discursus veræ sunt.

57 Confirmo utramque: Nam ratio melioris, & optimi in extremis eligibilibus, non debet attendi per excessum, & comparationem rei positivè cum suo contradictorio: nam omissis, quæ bellè premit Ribadeneyra *disp. 14. de Voluntate cap. 5. nu. 41. & seqq.* Positivi cum suo contradictorio, id est, rei cum sui negatione, fieri nequit comparatio in ratione melioris, & optimi: cum negatio nec sit bona, nec mala in se, sed nihil: ergo ratio hæc debet attendi respectivè ad eligẽtem. Ostẽdo jam Minorem. Nam Deo nihil creatum est melius, quam ejus contradictorium: independet enim essentialiter ab utrolibet, & crescere, seu meliorari nequit à neutro. Ratio est, quia qui ita sibi sufficit, ut omnia extra ipsum sint ipsi quasi non sint, nequit ei unius existentia melior esse quam nõ existentia: quo facit illud Iobi *cap. 22. quid prodest Deo, si justus fueris, &c.*

P. Doctor Ribaden.

Iob. 22.

58 Probatur tertiò conclusio: Repugnat Optimum eligibile, nempe, ens, quo nihil sit melius intra creati entis Sphæram: ergo necessitari Deum ad optimũ, est necessitari ad chymeram: quo satis patet oppositæ sententiæ falsitas: & probo antecedens: quia nullum est ens quod fieri nequeat cum aliqua circunstantia, ex qua resultet quid melius solo ipso quod eligit: & id sine fine: ergo repugnat optimum.

59 Dices primò, te jam excludere series rerum in quibus abitur in infinitum Cõtra primò: quia in rebus, ubi abitur in infinitum, licèt sit objectum melius alio, Deus non tenetur ad melius: ergo rationes, quibus probatur ista vestra necessitas, probant nihil. Sed de hoc statim. Hinc aliter: atqui nullæ sunt res in quibus abiri non possit in infinitum per has, & illas combinationes ex quibus meliores evadant: ergo nullibi, seu ad nullam entium seriem dari potest in Deo moralis absoluta necessitas. Cõtra secundò: per te, ubi non abitur in infinitum, necessitatur Deus ad optimum, v. g. inter rem & ejus contradictorium: sed sunt infinitæ combinationes contradictoriorum: ergo datur in Deo necessitas ad infinitas res præeligendas suis contradictoriis: sed id perte implicat, quia abitur in infinitum: ergo. Contra tertiò: per te Deus nõ tenetur ad hunc, & illum mundum meliorem aliis, quia abiret in infinitum; tenetur tamen ad mundum, præ sui carentia, ex inclinatione ad sui glorificationem extrinsecam; sed inter glorificationes extrinsecas Dei proceditur sine finẽ: ergo tenetur ad nullam.

60 Dices secundò: ideo non necessitari Deum nisi ad Genus optimi, nempe ad creationem in genere: & his similia Contra: nam desideramus rationem cur fiſtat Dei necessitas in genere? cur non descendat ad aliquã speciem talis generis: nempe ad creationem Angelorum? cur non ad creationem Angelorum talis generis subalterni: & sic sine fine?

61 Probatur quartò Conclusio: ex nullo capite venire potest hujusmodi necessitas moralis ad optimum in Deo: Veniret enim, vel quòd Deus egeret optimis extra se ad felicitatem sui; vel quòd omittendo electionem Optimi, operaretur non æquè bene moraliter, seu in genere moris, cum melius operetur in genere moris, qui melius eligit: vel quòd Bonitate sua sui diffusiva inclinet in bonum producendum: unde quo magis, & magis crescat in rebus eligibilibus, & producendis ratio boni, magis & magis propendet Deus: cum autem excessus sit moraliter magnus, & maximus inter ipsa bona creata, crescit illa propensio adusque moralem necessitatem: hæc tria capita video insinuata ab his Necessitatis Divinæ Patronis hucusque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Granado. Montoya. Ribaden.

que: duo, à Granado, & Montoya; tertium, à Ribadeneyra.

62 Sed nullo ex his capite fundari potest moralis necessitas. Non in primo: quia Deus nullius indiget: esset que ea non moralis, sed metaphysica necessitas. Non in secundo: Tùm quia optimitas electionis Divinæ non sumitur ab objectis: quis enim addat splendorem Soli? Tùm etiam quia per vos potest omitti à Deo, sine ullo necessitatis moralis obstaculo objectum secundum se melius, saltem in his ubi abitur in infinitum: vel ergo tunc operatur minùs bene in genere moris, vel non? Si secundum: ergo excessus inter objecta eligibilia non fundat excessum bonitatis moralis in Divinis electionibus. Si primum: ergo Deus nunquam operatur, tam bene in genere moris, quàm potest. Non demum in tertio: quia vel illa Inclinatio est innata, vel elicita? & redit huc ratio satis expensa *a num.* 44. contra Inclinationes hujusmodi: quas rursus

Suprà à nu. 44.

63 Insequor primò: quia tales inclinationes finguntur potiùs, quàm probantur. Secundo: Nam si illa Inclinatio est innata, & quasi emortua: nusquam hæc invenitur nisi ex defectu boni. Deinde Inclinatio hæc per modum physici ponderis est omninò improportionata, & inutilis ad movendam voluntatem liberam, unicè mobilem ex cognitione, vel ex affectu, ut dicebatur disputando de Auxiliis. Demum quia tam vehementes Inclinationes innatæ dedecent summam felicitatem: quis enim tam vehementer inclinatum in aliquid, licèt sibi sit omninò inutile, non credat eoipso anxium, & irrequietum, & quidem eo imprudentius, quo minus ea re indiget ad felicissimum statum sui? Si autem ea Inclinatio est elicita, quæ bonitas ita necessitat, cum omnis bonitas extra Deum sit contemptibilis, & vilitatis? aut quomodo ita necessitat ad amplexum objecti, quod apparet in summa caritate Divinæ intelligentiæ, indignum amplexu, & merito contemptibile?

64 Tertiò; Nam Omnis excessus, quo se res excedunt, est infra summum, & finitæ bonitatis, imperfectionibus multis immixtæ: ergo repugnat quod talis excessus necessitet Divinam voluntatem ad amplexum sui. Nunc sic: quia omnis bonitas extra Deum est merito contemptibilis, & finita, repugnat quod in Divina Voluntate summè ordinatissima faciat quasi raptum affectus, & Decreti, seu vehementis inclinationis elicitæ: ergo quia omnis bonitas extra Deum est merito contemptibilis, & finita, & inutilis Deo, repugnat quòd in Divina Natura summè ordinatissima faciat quasi raptum appetitus innati, seu inclinationis innatæ ita vehementis, imò ullius: Ratio est, quia sicut se habet appetitus elicitus ad bonum cognitum; ita se habet appetitus innatus ad bonum physicum.

65 Quartò: Per te, quia magis ac magis propendet Deus in rem, quo magis, & magis est bona, necessitatur Deus moraliter ad aliquid: ergo necessitatur absolutè moraliter ad singula. Probo consequentiam, quia nullum est objectū in singulari per te, quod sub se non habeat infinita minoris bonitatis: ergo si pro gradu excessus inter objecta, crescit divina propensio, moraliter crescit per infinitum excessum ad quodlibet: cur hunc excessum propensionis nō vocabis necessitatem moralem: cum moraliter sit summus? Id autem meritò negas, & absolutè repugnat: ergo.

§. V.

SPECIALIS EXCLVSIO TALIS NECESsitatis ad Productionem supernaturalium.

66 Quarta Conclusio: Repugnat specialiùs Deo absoluta moralis necessitas ad productionem entium supernaturalium. Probatur primò Conclusio: quia quis putet necessariam esse moraliter, seu in prudentum æstimatione, existentiam entis, quam moraliter non assequeris ut possibilē, imò naturaliter censes incredibilem, insuspicabilem, & improbabilem? Talis autem communiter habetur existentia cujuscumque miraculi, & supernaturalis Doni. Secūdo: quia bona supernaturalia, quia meliora sunt, essent magis moraliter necessaria, atque adeo magis à Deo innegabilia, quia magis gratuita, & supra exigentiam & jura nostra. Id autem est contradictiones serere: ex quibus risum metas.

67 Tertiò: Necessitas ista moralis, quo Dona supernaturalia majora sunt & meliora, facit illa gratuita minùs: imò tollit ipsis rationem gratuiti doni: quis enim credat fieri sibi gratiam per collationem rei, quæ ex ipsa Natura Donantis ita necessariò consequitur, ut ejus denegatio sit moraliter impossibilis, & improbabilis? strictiùs certè ex illa necessitate obveniret res accipienti, quam

quàm obvenit homini quicquam ex promissione alterius hominis, aut pacto prævio. Et quidem illa necessitas Dei, cum qua connectitur accipiens, esset jus creaturæ ad ipsa Dona, quæ alioqui putantur indebita.

68 Quartò: quia si Deus necessitaretur moraliter ad producendum, & ponendum ordinem supernaturalium entium, hæc, non solum non essent ex Natura sua inexpectabilia, & admirabilia, sed esset potiùs admirabile, & summè improbabile, quod non darentur: sicut planè esset admirabile, quòd taxilli centies jacti redderent idem punctum: id autem præter quàm quòd ex terminis falsum apparet, facit Philosophiam naturalem, & humanū discursum magna ex parte fallacem: per hunc enim & illam certi physicè reddimur de miraculorum, & supernarum operationum inexistentia: & consequenter ea esse ex natura sua admirabilia, & summè improbabilia.

§. VI.

QVOVSQVE CVM PRÆCEDENTIBVS stet in Deo necessitas ad electionem optimam?

69 Quinta Conclusio: Nihilominus, licèt Deo repugnet physica, seu moralis absoluta necessitas ad eligendum optimum, seu ad optimum pro materiali, est Deo absoluta metaphysica necessitas ad eligendum optimè, seu ad optimum electionis, seu pro formali. Est, si paucos Modernos demas, omnium: eamque tenent expressiùs Pater Antonius Perez *disp. 6. de Voluntate cap. 5.* & P. Quirós *in 1. p disp. 18. sect. 4. & disp. 74. sect. 2.* Probatur primò Conclusio: Tam est Deus necessariò bonus in genere Boni moralis, quàm est necessariò bonus in genere boni physici: sed Deus necessariò est summè bonus in genere boni physici: ergo & necessariò est summè bonus in genere boni moralis: ergo sicut Deus nequit non esse summè bonus in genere physico: ita nequit non esse summè bonus in genere moris: ergo quæcumque electio Dei est optima: alioqui posset esse magis, & minus bonus in genere moris: ergo Deus necessitatur ad eligendum optimè, seu ad optimam electionē. Probatur secundò Conclusio: Omnis Divina electio est optima, optimitate physica, & morali: ergo cum Deus aliunde non possit omittere purè (quod suppono) necessitatur ad optimam electionem. Consequentia est evidens: & antecedens probatur: quia omnis Divina electio habet ex se manere cōstitutam in esse Dei, atque adeò distare summè ab omni defectu tam physico, quàm morali: limes autem perfectionis, & bonitatis cum sit defectus, & imperfectio, fit, omnem Divinam electionem manere in linea optimitatis tam physicæ, quàm moralis.

Anton. Perez. Quirós, & late Nos in 1. p.

70 Probatur tertiò Conclusio: Omnis Divina electio est æstimabilis ut Divina: ergo est summè æstimabilis in omni genere quo sit bona: ergo omnis est æqualis, & optima. Probatur quartò Conclusio: Divina electio quævis nequit crescere, vel decrescere in se per specificationem melioris vel minus boni objecti externi: ergo nequit crescere, vel decrescere in ratione bonæ: nam bonitas est esse suum. Probo antecedens: tùm quia actus condignificati per dignitatem infinitè æstimabilem in ratione valoris, nequeunt crescere, vel decrescere in ea ratione, per specificationē melioris objecti vel minus boni: licèt ob ipsorum distinctionem à tali dignitate subsint secundum se excessui respectivo per specificationem objectorum se excedentium, ut patet in actibus Christi Domini: & ratio est: quia illa summitas dignitatis extrinsecę impedit limitationē provenientem ab objectis: ergo si actus non utcumque dicunt eam summam dignitatem, sed etiam sibi identificant, redduntur eo ipso incapaces essentialiter crescere vel decrescere per objecta: quia summam nequit crescere, vel decrescere, undecumque petatur summitas.

71 Tùm etiam quia, objecta externa respectu actuum Divinorum non se habent ut ratio influendi, neque ut ratio bonificandi: ergo nullam derivare possunt in ipsos perfectionem: eatenus enim objecta bonificant actus, quatenus in ipsos influunt vel mediatè, vel immediatè: unde dici solet *in tractatu de Scientia Dei*, Divinæ Scientiæ actus non crescere, neque decrescere ex nobilitate vel vilitate rerum: nempe, hæc objecta se habent purè terminativè, nec derivare possunt quicquam, ubi nihil influunt. Tùm demum, quia Divinæ electiones sunt mensura bonitatis objectivæ; non objecta, Divinæ bonitatis: esset enim id prævertere fines, & media rerum. Vnde totius Doctrinæ sumitur specialis

Latè nos ibi. tom. in 1. p.

Latissimè tom. in 1. 2. tract. de Bon. & Mal.

72 Ratio à priori: quia mensura perfectionis moralis est, non quidem major, aut mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minor finita bonitas, sed Prima Regula Boni totius: & hæc est Infinita Bonitas. Nam Regula prima Boni quatuor debet habere. *Primum*: quòd sit aliquid Bonum: nam alioqui non possent alia reddi per conformitatem ad ipsam, honesta; & alia inhonesta per difformitatem: oportet autem ut sicut *Rectum est Regula sui, & obliqui*, sic Primum Honestum sit Honesti Regula, & inhonesti. *Secundum*: quòd sit aliquid necessarium: alioqui foret eligibile, atque adeo dependenter ab alia Regula. *Tertium*: quòd sit aliquid Rationale: debet enim ipsi placere, vel displicere posse obsequium, & honor ille se conformandi, vel detractio talis honoris, & obsequii. *Quartum*: quòd sit quid præscindens ab omni libero actu, etiam suo: est enim regula omnis liberi. Patet autem hæc omnia soli Bonitati Divinæ convenire, quæ proinde est Prima Regula Moralis honesti. Inde quòd ipsi se magis conformat affectus, melior est: omnia enim alia bona illi sunt essentialiter subdita, & ordinata: ideòque nos melius operamur regulariter, eligendo melius objectum, quia magis conformamur Divinæ Voluntati, quæ regulariter beneplacitum statuit de melioribus: si verò statuisset aliter, & præcepisset objecta minùs in se bona, eo ipso meliora jam essent, & à nobis præeligibilia.

73 Cum ergo Omnis Divina electio sit summus accessus ad primam Regulam, & illi summè conformis, quia ipsius actus, & exercitium summè intimum, patet quamlibet forè optimam in genere moris, perque earum quamlibet operari honestissimè Deū, quodcumque bonum externum eligat: nam eoipso, bonum, quod eligit, manet ex hypothesi talis exercitii magis conforme Divino beneplacito, & Primæ Regulæ; atque adeò constitutum in esse melioris in genere moris, quicquid sit de ejus præcellentia in genere entitativo.

74 Dicis: ergo Deus, antequam operetur honestè, non cognoscit objectum esse honestum, cum ipse faciat. Respondeo, Deū jam cognoscere objectum esse honestum, honestate conditionali: neque aliud requirit, qui potestatem habet honestandi absolutè objecta per volitionem suam, ut Deus. *Dicis* iterum ex Aldrete, commendante nimis instantiam: licèt subditus teneatur sequi beneplacitum Superioris, ut operetur honestè; at Superior, ut honestè operetur, tenetur eligere quod antecedenter ad beneplacitum suum est melius. Respondeo id esse verum primò, quando Superioris operantis perfectio pendet, & sumitur à majori, vel minori bonitate objecti, quod eligit. Secundò, quādo respectu ipsius, antecedenter ad beneplacitum omne suum, objecta sunt meliora moraliter, & digniora, quæ eligantur. Tertiò, quando non est Prima Regula, cujus proinde actus non possunt esse mensura, & applicatio Regulæ primæ ad objecta. Nihil horum Deo convenit: respectu cujus proinde excessus aliqualis physicæ bonitatis inter objecta, est quasi non esset: ex ejus enim beneplacito, ut ex applicatione Primæ Honestatis, & Regulæ ad objecta, stat in hoc potiùs, quàm in illo major honestas, & perfectio moralis.

§. VII.

ILLATIONES CONTRA SPECIALES Sensus Authorum.

75 INfertur ex his primò contra Granadum, & Fuster, specialissimè repugnare Deo eam necessitatem moralem ad melius, seu ad optimum, quæ si non sortiretur effectū ex omissione melioris & optimi, Deus non esset Deus. Ratio est: quia hæc est metaphysica necessitas: quod ostendo facillimè: Deus omittens electionem melioris, & optimi est non Deus, per vos: quia Deus non esset Deus: sed Deus est omnimoda & metaphysica necessitas ne sit non Deus: quia Deus necessariò est Deus: ergo Deus est omnimoda & metaphysica necessitas ne sit omittens electionem melioris, & optimi. *Rursus*. Necessitas indispensabilis, inevitabilis, & orta ex prædicato rei indispensabili, & inevitabili, cujus exercitii omissio sit vel formaliter, vel connexivè destructio entis simpliciter necessarii, est antecedens metaphysica necessitas ad exercitium; sed vestra Necessitas moralis est necessitas inevitabilis, indispensabilis, & orta ex prædicato pariter indispensabili, & inevitabili cujus exercitii omissio esset vel formaliter, vel connexivè destructio entis simpliciter necessarii: ergo est antecedens metaphysica necessitas ad exercitium. Qui hæc duo calleat, non desiderabit quæ in hanc rem aggerat Pater Ribadeneyra *disp. 14. de Voluntate cap. 2.* & Pater Borrull *disp. 6. de Voluntate sect. 1. & 2.* & Recentes passim *hic, & ibi*. *Contra Granad. & Fuster.* *Ribaden.* *Borrull.* *& RR.*

76 Nec prodest Granado redargutio, quam

quam sumit ex necessitate privilegii ad evitanda venialia omnia: nam, si stemus communi sententiæ Recentium, ea necessitas est moralis solùm, nec homo esset non homo, si evitaret omnia venialia, sed poneret quod est moraliter impossibile. Si stemus nostræ, quam dedimus *disputando de Auxiliis*: verè quidem homo non esset homo, si sine speciali gratia & privilegio vitaret omnia; at eam necessitatem privilegii falsi ibi sumus metaphysicā. *Latè ibi*. Nec prodest Fusterio redargutio ex Divinis efficacibus Prædefinitionib⁹: Nā licèt frustrarētur, si homo cum ipsis componeret omissionem actus prædefiniti: at neque id homo potest; nec necesse est possit ut liber sit: potest quidem omittere, sed non componendo cum prædefinitionibus omissionem, sed evitando Prædefinitiones per omissionem: quod non faciet, licèt possit. Itaque cum Prædefinitionibus componit potestatem omittendi; omissionem componere, quod est illam frustrare, non potest. Videatur Ribadeneyra *cit. cap. 3.* *Tom. in 1. p. tract. de Aux. Deo.*

77 Infertur secundò contra Montoyam, Necessitatem moralē absolutam ad melius, seu ad optimum in Deo nullam esse: imò specialissimè repugnare, ut defenditur à Montoya. Primò: quia necessitas, quam plerumque probat ex Patribus, quos addensat, vel solùm est ad optimam electionem: & hæc necessitas est metaphysica ex *quinta Conclusione*, vel solum est ex suppositione finis jam præintenti, ita ut optimum non consideretur in se, sed respectivè ad Naturas rerum præsuppositas in intentione: & hæc non est absoluta necessitas. Secundo: quia aliud est, rem esse magis necessariam, attentā Naturā finis præintenti; aliud est, rem esse optimam seu magis bonam: fieri enim potest quòd res secundum se melior, sit minus necessaria: Ratio est: quia necessitas attenditur ex jure præsuppositō in fine; bonitas attenditur ex majori imitatione Bonitatis summæ: non ergo ex eo quòd Deus obligetur ad rem magis necessariam finibus præintentis, obligatur ad melius, seu ad optimum. Montoya verò hoc dicit; & probat illud. *Contra Montoya.*

78 Quare *Authoritates*, quas addensant Granadus, & Montoya pro necessitate Dei ad optimum, intelligi & explicari possunt & debent primò *de Optimo electionis*; quia Deus quodcumque eligat, eligit honestissimè. Secundò *de Optimo Negativè*, id est, excludente omne genus malitiæ: isque est, contra Manichæos, Plurium sensus PP. in hujusmodi locutionibus: quia nulla res est essentialiter mala, præter peccatum. Tertiò *de Optimo, respectivè* vel ad finem, seu in ratione conducentis ad finem, quasi Deus nihil frustra fecerit; & ex quo finem efficaciter intentum non sit assecutus: vel ad artem, seu ideam suæ mentis, seu in ratione artefacti: quasi Deus nihil fecerit dissonum Artificis ideæ: quicquid sit de naturalitate materiæ: quæ non tam attendi debet in artefacto, quàm forma, & finis operantis: Vel ad exigentias rerum; quasi Deus non fregerit jura Naturæ, sed ornaverit. Nec *textus* occurret, cui per aliquam ex his interpretationibus nō plenè satisfiat: imò qui non loquatur in aliquo, ex prædictis, sensu. Vtere his accomodè; uteris optimè. Fortè Patres ex inductione, & experientia *communiter contingentium*, sumunt meritò *regulam*, ut arguant per moralem Demonstrationem, ut fieri in moralibus plerumque solet: Vide Amicum hic *disp. 4. num. 59.* *Non juvatur Authoritate PP.* *Amicus.*

79 Quòd si aliquando Patres inferunt Deum non esse Deum, si aliqua non fecisset, intelligendi, vel de necessitate metaphysica præstandi unum, alio semel posito: vel de necessitate metaphysica, quam sibi Deus liberè imposuit per Decretum efficax, quod ipsi supponunt. Nunquam de absoluta necessitate aliquid extra se faciendi, ut satis patet ex multis aliis textibus PP. videndis apud ipsum Amicum *à num. 26.* Nec te Augustinus terreat, quod dixerit, *fore Deum invidum, si nihil condere decrevisset.* Augustinus enim eo loci, nempe *lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 16.* dicit meritò; Deum fore invidum, si nihil facere, omitteret ex molestia benefaciendi, quasi requiesceret Deus, in nō operando, à molestia communicandi se creaturis per operationem: id enim repugnat Deo omnipotenti, & summè bono, nec excusari potest ab invidiæ nævo. Multa hīc præstinxi; sed per quæ occurras multis, & propemodum infinitis. *Augustini mens.*

80 Infertur tertiò contra Ribadeneyrā, magis esse inintelligibilem necessitatem moralem absolutam, quam adstruit in Deo, ad genera suprema incopensabilia per aliud genus rerum. Ratio sumitur primò *ex supra* discussis pro secunda conclusione, præsertim *ex num. 44 & sequentibus.* Secundò: genera illa suprema, quò superiora sunt, & altiora, magis apparent imperfectiora: illis enim perfectio advenit quo magis fiunt imparticipabilia à differentiis imperfectis, & quò *Contra Ribaden.* *Suprà à num. 44.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quò magis accedunt ad perfectiores differentias: ea ergo quò magis abstrahis, reddis magis æstimabilior a: unde ergo ad ea tanta necessitas in summo Bono? Tertiò: quia vel illa necessitas, cum sit necessitas producendi, descendit ad determinatum individuum, vel sistit in genere? Hoc est Chimera: productio enim est singularium: si ergo illud dixeris: ergo implet suam moralem necessitatem per quodvis individuum generis supremi: atque adeò necessitatem ad hoc genus, *ens creatum* per productionem culicis: & cõsequenter, si Deus excludat omnia alia individua hujus generis, moraliter necessitabitur ex toto quasi pondere summæ suæ bonitatis ad productionem culicis. Quis id credat? Quartò: tam Genera secundum se, quàm contracta ad species, & individua sunt contemptibilissima: imò solum, ut contracta, possibilia sunt, & bona: sed per te non necessitatur Deus ad ipsa ut contracta: ergo minus ad ipsa ut abstracta.

Dionysii mens.

81 Dicis, te cogi ad assertionem à Dionysio *de Divinis nominibus capite* 4. dicente, *Deum ex sui amore* non passum, sed *impulsum condere, quæ condidit*. Respondeo, Dionysium solùm velle, Deum voluisse communicare se ipsum, movente in id Bonitate sua, & inclinante amore, quo decrevit se rebus ostendere: Nec aliam vim ejus verba ferunt.

Et Nicæta apud Clem.

82 Dicis iterum, id clarè à Nicetæ Petri Discipulo dictum apud Clementem Romanum *lib.* 8. *Recogn. pag.* 3. in ea verba: *Neque condendi virtus in immensum cessare potuit; neque bonitas otiari; additque, Deum bonitate provocari ad productionem, & conservationem rerum.* Respondeo, Nicetam loqui ex optima congruentia, & more nostro, quo solemus dicere liberalis hominem genii cessare non posse à benefaciendo, neque extra se egere motivis ut bene faciat.

83 Dicis denuò: Creata bonitas terminans visionis scientiam inclinat aliquando Deũ adusque moralem necessitatem, ut patet in exigentiis rerum: ergo & terminans simplicis intelligentiæ scientiam. Nego antecedens: omnis enim, quæ in Deo sit necessitas, metaphysica est, vel est nulla. Deinde nego consequentiam: quia exigentiæ sunt jus datum creaturæ, quo manet obligatus Deus; at creatæ bonitates, dum non existunt, nullum jus allegare possunt ad existentiam sui. Omne enim jus, quo se obligari vult Deus, à Deo datur: potius enim est passiva ipsius promissio, quam jus creaturarum in ipsum.

Contra Herreram, & Thyrs.

84 Infertur quartò contra Herreram, & Thyrsum, neque dari posse in Deo moralem absolutam necessitatem, quasi disjunctivam, ad hunc vel illum mundum. Ratio: quia tam independet Deus à disjuncto, quã à parte determinata disjuncti. Tùm quia fundamentum est momenti nullius: est enim hujusmodi: Deus magis inclinat in id cujus oppositum magis opponitur ostensioni sui, in quam habet naturalem inclinationem; sed nihil producere maximè opponitur ostẽsioni sui; cui enim se ostendat, si nihil sit? ergo maximè inclinat in id per quod excluditur nihil producere: sed nihil producere excluditur per producere aliquid: ergo maximè inclinat in producere aliquid: hoc, vel illud.

Illatio Principalis, & intenta.

85 Imprimis hi Theologi concipiunt Deum fameſcentem ostensionis propriæ, quasi bonum possessum, ignoratum aliis, non sit materia gaudii ad summam felicitatem sufficientis: ut putant homines, qui tales putant esse, quales putantur ab aliis: Non hæc indoles summi Boni, cujus de ratione est notitia, & experientia summæ suæ independentiæ, & inutilitatis alienæ existimationis, ut felix sit. Quare nego suppositum: nõ enim inclinat Deus magis in ostensionem sui per communicationem sui ad extra, quam in nõ ostensionem. Potest tamen dici, inclinare negativè: quatenus nec in oppositum inclinat: vel quoad nos: quia colligimus ex his quæ videmus aliquale fundamentum, ut Bonitas potius inclinet in ostensionem sui, quam in oppositum. Sed hæc apprehensio corrigenda plerumque est, dum ascendit ad Deum. Deinde distinguo antecedens: magis inclinat, ex libito: concedo: antecedenter ad libitum, & innatè, nego: innata enim inclinatio semper est in sui bonum.

Infrà disp. 2. & suprà n. 78.

86 Infertur quintò id, cujus gratia hucusque disputavimus, nempe repugnare specialissimè in Deo necessitatem moralem absolutam ad Incarnationem tam in genere, quàm in specie, vel individuo. Ratio ex dictis est primò: quia quò major est Gratia, debetur minus: atque adeò est minus necessaria: sed Vnio hypostatica est Gratia summa: ergo debetur minus, & est minus necessaria. Sed eo est major Gratia, quia melior: ergo est necessaria minus, quia melior est: ergo Deus non est necessitatus ad Incarnationem; sed deobligatus magis, quia est melior. Secundò: quia Incarnatio necessariò habet annexa plura miracula, atque adeo plures rerum naturalium perturbationes: quæ ex conceptu suo sunt moraliter insuspicabiles, & impossibiles: ergo nequit esse moraliter necessaria. Patet consequentia: quòd enim est connexum cum impossibili; id est: id cujus existentia est formaliter, vel connexivè existentia impossibilis, est impossibile: ergo id cujus existentia est vel formaliter, vel connexivè existentia moraliter impossibilis, est moraliter impossibile. Sed quòd est moraliter impossibile, nequit esse moraliter necessarium: ergo, &c.

§. VIII.

OBIECTIONES CONTRA DOCTRINAM præcedentem.

Concil. Francof. & PP.

87 Objicies contra Doctrinam præcedentium conclusionum primò: Concilium Francofurtense *in epist. ad Episcopos Hispaniæ* sic loquens: *Credamus, Deum omnia velle, quæ meliora sunt.* Et huc faciunt infinita ferè testimonia Patrum apud Montoya, quorum alii planè asserunt, *Deum meliora semper eligere*: alii, *Deum non fore Deum, si aliqua non eligeret*: alii, *Deum non posse semper cessare, quia Bonus est*: ergo supponitur à Patribus Moralis necessitas Dei ad Optimum.

Explicatur

Respondeo primò, per hæc probari neutiquam necessitatem operandi sic; sed resolutionem eligendi semper meliora libertimè habitam: sic viri justi sine necessitate eligendi melius, melius eligunt. Respondeo secundò: Francofurtense manifestè loqui ex suppositione præintentæ Redemptionis humanæ, atque adeò non de necessitate absoluta, sed de necessitate ex suppositione, quæ plerumque est metaphysica in Deo: ut præmiandi merita nostra ex suppositione suarum promissionum: providendi ex suppositione, quòd mundum condat: *infrà* de hujusmodi necessitate: quæ certè nisi sortiretur effectum; Deus, non esset Deus, quia nec esset Fidelis, nec Providus. Et hic sensus est communiter aliorum PP. Respondeo tertiò generalius ex multis quæ *num.* 78. prænotavi in generalem solutionem eorum, quæ ab authoritate possunt objici contra Nos.

88 Objicies secundò: Amans efficaciter aliquem propter ejus bonitatem, quò perfectiùs amat, perfectiùs amat amati bona, & quicquid conducit ad perfectiorem statum ipsius; sed Deus se propterse amat perfectissimè: ergo amat perfectissimè sibi bonum, & quicquid conducit ad perfectiorem statum sui. Sed objecta meliora conducunt ad Dei majorem gloriam, & perfectiorem statum Dei: ergo. Confirmatur primo: quò quis se ardentiùs amat, sibi vult majus bonum: sed Deus se amat perfectissimè: ergo sibi vult majora Bona. Confirmatur secundo: magis Deus complacet in melioribus, quam in minus bonis; & in optimis quantum potest. Nunc sic: amans aliquem perfectissimè vult eoipso objecta ipsi placentiora: sed Deus summè, & perfectissimè se amat: ergo, vult eoipso objecta sibi placentiora: ergo & optima. Confirmatur tertiò: Amatus, quò magis est bonus, & magis amatur, & amatur magis necessariò, eo amans vult ipsi majora bona.

89 Confirmatur quartò: præoccupando solutiones communes: quo magis creaturæ Deum diligunt, eo impellantur magis ad amanda, & procuranda Deo majora bona, licèt hæc non sint ad Dei felicitatem necessaria: sed Deus se summè amat: ergo summè impellitur, (salva sui libertate) ad amanda & procuranda majora bona, licèt sine ipsis summè sit felix: ergo necessitate morali. Confirmatur quintò: amare Deo bona extrinseca, est Deum amare: ergo magis amat, qui majora bona extrinseca amat Deo. Sed Deus amat se summè: ergo. Confirmatur sextò: quò magis quis est bonus, eo magis inclinat ad communicanda sua bona meliori modo quo possit: ergo infinitè Bonus, infinitè inclinat in sui communicationem optimam: hæc autem Incarnatio est. *Hoc fundamentum* principale Granadi vel metaphysicam Dei necessitatem ad optimi productionem probat: vel probat nihil.

Suprà à n. 24.

90 Respondeo ad argumentum, transmisso primo Syllogismo, negando minorem, ejusque suppositum. Illam: nam bonis creatis non eget Deus ad sui felicitatem. Suppositum: quia nihil creatum potest habere rationem melioris, vel optimi, Deo; cùm Deo omnia creata, & nihil, perinde sint. Vide quæ *suprà num.* 24. Prima Confirmatio supponit etiam falsò, quicquam extra Deum posse dici Bonum Deo: verumque assumit de bonis, quæ faciunt ad felicitatem amati: de his verò, quæ respectivè ad amatum sunt omninò quasi nõ essent, falsum assumit: quid enim curet amor, quod amato non prodest?

Universidad de Deusto
Biblioteca

91 Ad secundam, explico assumptum magnis æquivocationibus subjectum : complacet quidem Deus in melioribus magis, quàm in minus bonis, non tamen complacentiâ, quæ major sit in genere afferentis voluptatem, alterâ, quæ ex oppositio esset in Deo, quasi illa afferat Deo majorem voluptatem, quam altera: & quasi augeat summam hilaritatem Dei : id enim manifestè repugnat summo Bono; sed complacentiâ quæ major sit in genere approbantis affectivè, & appretiativè melius bonum: id est, complacentiâ sequente cognitionem summè rectam Dei de eo quod, inspectis objectis secundùm se, hoc sit melius quàm illud: hic tamen excessus quasi approbatus à Deo per excessum complacentiæ purè approbativæ, & benevolæ, stat bene quin inferat in Deo excessum ullum jucundioris Vitæ, vel voluptatis. Summa enim jucunditas, & voluptas crescere nequit, neque decrescere.

Iam distinguo majorem : vult objecta amato placentiora; si, amato placentiora sint genere complacentiæ augentis voluptatem & felicitatem ipsius; vel amantis obsequiũ: concedo : si amato placentiora sint unicè in alio genere, nec augente voluptatem, & felicitatem amati, nec amantis obsequium: nego: Talia sunt omnia bona externa respectu Dei amantis. Ad tertiam, patet ex argumenti, & primæ confirmationis solutione.

92 Ad quartam, primò distinguo majorem: si majora bona sint conformiora Divino beneplacito; concedo : id enim exigit amantis obsequium: si aliter: nego majorem. Ratio: nam moralis perfectio Creaturarum sumitur ex conformitate cum prima Regula : quæ conformitas solum potest esse per obedientiam, & subjectionem ad illam in creaturis : at in Deo ea conformitas est per identitatem; atque adeò in omni electione Dei est summa. Secundò concessis præmissis, nego consequentiam. Disparitas est quia creaturæ ratione obsequii debent hanc laudem suo conditori; Deus autem tam abest à titulo extendèdi se ex amore sui necessario in hæc bona, ut potius amor summè quiescens in summo bono reddat ipsum independentem ab omni, & nullius egentem, quia summus est.

93 Ad quintam concesso antecedente, distinguo consequens: magis amat, qui majora bona extrinseca amat Deo, si amor, quo Deum amat, sit capax augmenti, eoque sit major amor, quo magis obsequiosus, concedo: si amor, quo Deum amat, sit summus, & incapax augmenti, & obsequii: nego: hujusmodi autem est amor, quo se Deus amat; illiusmodi, quo Deum amant Creaturæ.

94 Ad sextam, distinguo antecedens: eo magis inclinat, genere Inclinationis importante majorem aptitudinem, & congruentiam ad sui majorem communicationem, concedo: genere inclinationis minuentis indifferentiam, & quasi naturaliter impellentis, subdistinguo: si communicatio sit amanti bona, vel melior, aut titulo obsequii debita, concedo: si nec ipsi sit bona, nec titulo obsequii debita, nego: Vel aliter: eo magis inclinat inclinatione purè approbativâ, & benevolâ, id est, æstimante magis majorem sui communicationem, ut medium sui magis ostensivum, concedo: inclinatione lucrativâ, seu naturalis propensionis, subdistinguo, ut *suprà*: at omnis communicatio Dei *ad extra*, Deo est quasi non esset in genere augentis voluptatem, felicitatem, & bona.

95 Objicies tertiò *instando* contra præcedentes solutiones : Voluntas magis inclinat ad volendum efficaciter objectum, quod magis placet amore simplici necessario : sed Deo magis placet amore simplici necessario majus bonum, quàm minus : ergo magis Deus inclinat necessariò in majoris boni decretum efficax, quàm in decretum efficax boni minoris. Sed Deus resistere nequit suæ inclinationi, utpote rationabilissimæ : nec potenti violentiam pati: ergo.

96 Confirmatur primò : Divina voluntas necessariò conformatur Dictamini Divinæ Sapientiæ; sed Divina Sapientia, necessariò approbat ut melius, quod est in se melius : ergo vel Divina voluntas non conformatur, in eligendo, Divino intellectui, vel eligit, quod est in se melius. Confirmatur aliter & secundò: dictamen Divinæ Sapiétiæ dictat, melius esse eligere optimum quàm omittere: ergo vel divina voluntas it contra dictamen Divinæ Sapientiæ, vel eligit optimum. Confirmatur tertiò: quia Divinus intellectus nõ approbat malum : Divina Voluntas malum nequit eligere : ergo quia Divinus intellectus magis approbat objectum melius, Divina Voluntas nequit eligere objectum minus bonum. Confirmatur quartò: ex electione majoris boni saltem resultat Deo major extrinseca gloria, & laudabilitas: unde quo quis magis Deum amat, quia majorem illi gloriam extrinsecam, & laudabilitatem optat, amat illi majora bona. Deus autem se summè amat : ergo. Confirmatur quintò: Deus necessariò est optimus artifex: ergo facit optima artefacta. Quis non videat probari per hæc in Deo necessitatem omninò metaphysicam, quam omnes Catholici negare debemus?

97 Respondeo ad argumentum: & permissâ nunc in Deo necessitate simplicis amoris in bona creata, concedo Deum in objectum melius inclinare magis inclinatione purè approbativâ, & benevolâ: non verò lucrativâ, & impulsivâ: solùm enim aut determinat, aut impellit inclinatio, quæ lucrativa sit. Nec ideò Deus per electionem boni minoris resistit, aut violentiâ incutit ulli suæ inclinationi. Resistentia enim, & violentia dicuntur respectivè ad Inclinationem impulsivam, impediendo conatum alterius tendentis in aliquid sibi utile. Nec etiam ideò Deus eligit, quod placet minus, nam eligendo facit quòd sibi placeat magis.

98 Ad primam confirmationem, concessâ majori, distinguo minorem: magis approbat ut melius Deo, quod est in se melius, nego minorem, & suppositum: magis approbat ut in se melius, subdistinguo: & reprobat Deo, quod non approbat ut in se melius, nego: nec reprobat Deo, sed Deo æquè approbat quod est & approbat ut in se melius, & minus bonum in se, concedo : unde necesse est quod Deus, quodvis eligat, conformetur æquè cum Dictamine Sapientiæ Divinæ, dictantis æquè Deum honestè eligere utrumlibet : quia utrumlibet eligit honestissimè. Quare respectu Dei, quode loquimur, absolutè nego antecedens confirmationis secundæ.

99 Ad tertiam, nego consequentiam: quia approbare objectum melius, ut in se melius, stat bene cùm eo quod æquè approbetur electio minus boni, ac meliotis objecti respectivè ad eligentem, qui sit prima regula boni, & cujus proinde quævis electio est summè necessariò bona. Mali autem nec rationem, nec volitionem ullam approbat intellectus Divinus: nam mali electio, turpis est: quid ergo mirum quòd Divina voluntas illud nequeat eligere? Imò tam est ex se Recta Divina voluntas, ut si per impossibile Divinus intellectus non reprobaret, sed approbaret electionem mali, fortè rejiceret Divina Voluntas. Sic locutus est, & sensit de Deo Doctus Magister, qui in modo loquendi, etiam inter has hypotheses impossibiles, hucusque non displicet.

100 Ad quartam : Laudabilitas duplex est : alia est Magnificativa, seu magnificiens: id est, quâ quis est in se magnus, & in se bonus: alia est gratificativa, seu gratificans : id est, quâ quis ostenditur ex majori beneficio magis dignus gratiarum actione: hæc crescit, ut & extrinseca gloria, ex electione majoris boni, quia crescit ratio beneficii, & materia gratitudinis, atque adeò debitum gratiarum actionis, obsequii, & honoris erga benefactorem. Illa ex majoris boni electione non crescit: quia omnis electio Dei est æquè honesta : nam summè. Foret ergo Deus, etiam eligens, & exequens minus bonum, aut nihil exequens, æquè in se Laudabilis : licèt non æquè Laudandus *ad extra* : non quidem ex defectu bonitatis in Deo, sed ex defectu bonitatis, & notitiæ in creaturis : bonitatis, accepto minori beneficio : summa enim Nos ex beneficio, boni. Notitiæ : negato medio, quo se magis nobis ostenderet : At has laudes extrinsecas, hanc gloriam, hanc gratitudinem amant Deo creaturæ, ex debito rei acceptæ, obsequii & subjectionis, & quia vult Deus quòd sibi velint, testaturæ amorem, & se melioraturæ: nam & hic amor est magnum creaturæ bonum : at Deus, qui nullius indiget, cur amet, etiam si amet se summè! imò: quia se summè amat, independet ab amore ullius rei extra se, cum extra se nihil sit, aut esse possit quod non sit meritò contemptibile.

101 Ad ultimam, nego consequentiam. Optimus enim artifex facere debet optimè artefacta; non debet optima. Et Nota discrimen inter Divinum artificem, & creatos: hi, dum operantur extrinsecè, perficiuntur intrinsecè; Non sic Deus. Vnde sumi paritas nequit ab his ad Deum.

102 Objicies quartò semper *instando*: Deus, eligens minus bonum, operaretur minus honestè : quod videtur absurdum, & ostenditur sequi: nam actuum, & electionum honestas pendet ex majori bonitate, vel minori objectorum : eo enim censetur electio minus honesta, & bona, quo objectum ipsius est bonum & honestum minùs. Sunt qui sequelam admittant, ausi se protegere inæquali perfectione necessariorum. Ipse & paritatem nego, & sequelam exhorreo. Verumque: quia etiam permissâ inæqualitate physicæ perfectionis inter prædicata necessaria formaliter, vel virtualiter sumpta, juxta lineam unumquodque suam; (quam inæqualitatem improbo maximè;) negari absolutè

Latè tom. in prim. p. tract. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lutè non potest, quod Deus sit physicè summè bonus: at semel admissâ inæqualitate moralis honestatis inter Divinas electiones, ut absolutè dicitur eligens minus, & nó eligens majus objectum, absolutè negari posset, & deberet in Deo summa honestas in eligêdo, atque adeò quod esset etiam realiter minus honestè se gerens, quàm posset.

Suprà à nu. 69.

103 Quare nego sequelam ex *assertis in Conclusione quinta*. Vnde constat summa disparitas inter electiones Divinas, & Creatas: Illæ per summum accessum ad omne bonũ, & ad regulam Primam honestatis ita physicè, & moraliter manent in summo genere honestatis, ut nec crescere, neq; decrescere possint ex objectorum inæqualitate: istæ, cùm finitæ sint, & capaces augmenti in utroque genere, physicè, & moraliter crescunt ex majori honestate objectivâ: physicè ex merâ tendentia in objectum in se melius, cæteris paribus: quia objectum influit vel mediatè, vel immediatè. Moraliter, ex honestate derivatâ in objectum à Prima Regula: à qua, quia supponimus præeligi in materiam nostrarum electionum, objecta in se meliora, dicimus electiones esse magis honestas moraliter, quia objectum est in se melius. Vide *quæ suprà*. Sed ecce

Nempe à nu. 41. ad usque 65.

§. IX.

DIFFICVLTAS EMERGENS DE LAVdabilitate morali Actuum Divinorum.

Difficultas valde gravis.

104 PRoponitur sic: Deus eligit honestissimè, quod ipse cumque elegerit, ut falsi sumus: ergo Deus est metaphysicè necessitatus ad actus paris honestatis: ergo in Incarnationis electione præelectione contradictorii non est Deus Laudabilis in genere moris. Probo consequentiam. Primò ex communi sententia id asserente de Creaturis in *tract. de Merito*. Secundo: Nam qui necessitatur ad actus paris honestatis, tantum impedit boni, quantum ponit: deinde metaphysicè, & sine ullo respectu ad moralem æstimationem manet necessitatus ad non carendum tanta honestate, quantam potest habere: quam ergo meretur Laudem in genere moris? habet enim honestatẽ in æstimatione morali, non aliter ac haberet operando ex necessitate naturæ; totaque honestas æstimatur, nata potius ex vi necessitatis, quã ex fonte Libertatis, unde vera tota laus fluit in genere moris. Hinc apud te, necessitatus dare tibi nummum aureũ, sive det hunc, sive illum, si uterque sit moraliter idem ex pari valore, nullam meretur laudem, nec ullum obsequium gratitudinis.

105 Torsit hæc difficultas ingenia Plurium acutissimè pro Solutione collaborantium, supposito quod libertas ad actus paris honestatis sit insufficiens ad exercendam cũ Laudabilitate morali virtutem, aut cum vituperio deserendam, in creaturis saltem: id est, ad merendum, & demerendum. Nam hęc si sufficeret, (ut plures apud Herreram *de Voluntate quæst. 8. sect. 1. num. 8.* tenent, *alibi* revidendi, & sequendi) nulla est in præsenti ratio difficultatis. Experiamur tamen quousque in communi sententia solvi possit.

Nulla apud me ex lib. 5. disp. 4. à nu. 13.

106 Solvunt aliqui negando Deo Laudabilitatẽ in genere moris ob ipsam rationem argumenti. Sed hoc, non tam est nodum solvere, quam rescindere more Alexandri. Solvunt alii cum Herize, & Arriaga, negando Deo vel Laudabilitatem in genere moris, vel æqualem honestatem in actibus liberis. Sed & hoc est succumbere potiùs, quam resistere difficultati. Displicet utraque solutio: primò: Nam eo ipso vel negari Deo debet summa honestas moralis, vel negandæ sunt ipsi virtutes morales, de quibus ipse gloriatur in Scripturis: ubi laudatur ut Fidelis, justus, & misericors: quis autem credat summam honestatem impedire Deo rationes moralium perfectionum, atque virtutum, quibus est Laudabilis, & Glorioſus, & Superexaltatus in sæcula?

Solvitur ab Arriag. & Herize non bene.

107 Secundò: quia Laudabilitas moralis, ex terminis ipsis, apparet perfectio simpliciter simplex Agentis Liberi: non ergo requirit ex conceptu suo posse per imperfectionẽ omitti: nam eo ipso esse Laudabilem moraliter, esset, posse manere sine Laude morali; quod manifestam limitationem imperfectionis arguit. Ratio autem antecedentis est: quia Laus moralis est indistincta ab honestate libera. Neque aliud in Scholis auditum unquam esset, si disparitas excogitari posset ad ea quæ de Deo sentire debemus; & de creaturis penes meritum, & demeritum docet communior Theologia. Non ergo neganda Deo moralis Laudabilitas, sed aperienda via, quâ vinci possit objecta difficultas.

108 Solvunt alii cum Esparza distinguendo triplex genus Laudabilitatis moralis: subjectivæ, seu magnificativæ: honorativæ: & gratificativæ. *Subjectiva*, seu *magnificativa* est, quæ sumitur ex honestate actuum liberorum. *Honorativa* est, quæ sumitur ex honestate habitæ ex se. *Gratificativa* est quæ sumitur in ordine ad alios ex collato beneficio. Ex his primò dicunt Deo, non convenire Laudabilitatem subjectivam in genere moris: quia hæc necessariò requirit indifferentiam ad actus inæquales honestatis: non tamẽ negant perinde Deo virtutes morales: quibus addunt sufficere (sublatis imperfectionibus creatarum) tendentiam liberam in objectum virtutis, ut talis, apparens sub ratione formali specificativâ virtutis. Secundò dicunt Deo convenire, Laudabilitatem honorativam: quia illa honestas Divinarum electionum est Deo essentialis, & eadem cum bonitate Divinæ Essentiæ, cui summè debetur cultus, & honor: qui suprà laudem sunt. Tertiò dicunt Deo etiam convenire Laudabilitatem in genere moris gratificativam: quia licèt actus Divini sint summè honesti, & æquales subjectivè, sunt tamen valde inæquales in benefaciendo: nam cum minima conferre possit, confert maxima beneficia: ex quibus manent homines obligati ad majores gratiarum actiones, & ad Laudandum, quantum possint, Authorem tantæ beneficentiæ.

Ab Esparza nec bene.

109 Hic discursus specie tenus pulcher est, reipsa tamen cedit difficultati. Primò: nam quæstio solùm est de subjectiva Laudabilitate: quam hi negant Deo: quantum autem exinde Deo decus negent, constare potest ex subjectiva vituperabilitate per contrapositionem pulcri cum turpi. Secundò: quia honor non est laus: nec honorabilitas, Laudabilitas: unde dixit Philosophus, felicitatem esse honorabilem, non Laudabilem: multò minus in genere moris: nam honorabilitas præscindit à titulo libertatis, qui omnis moralitatis est fons. Tertiò: Nam ista, quam Laudabilitatem gratificativã vocant, tam abest ex se à Laudabilitate in genere moris, ut possit esse cum vituperio, aut sine ulla Laudabilitate in genere moris: quod patet ex humanis: ubi tibi favere quis posset conferendo beneficium majus, cum posset minus; idque peccando: vel certè cùm determinatione ad actus paris honestatis, atque adeo, juxta communem sententiam, sine merito, & laude morali.

Ab Herrera, nec satis.

110 Solvunt alii cum Herrera, distinguendo duplex etiam genus Laudabilitatis moralis: alia est Laudabilitas propter electionem honestiorem, seu honestioris objecti: & hanc vocant laudabilitatem moralem, moralitate electivâ. Alia est Laudabilitas propter constitutionem objecti in esse melioris, & honestioris: & hanc vocant Laudabilitatem moralem, moralitate constitutivâ. Primam negant Deo: dant secundam: quia hæc est excellentia Divini beneplaciti, ut quod ipsi conformius sit, sit honestius, & elegibilius. Hic discursus à suis Authoribus excogitatus est ad tuendam æqualitatem perfectionis moralis inter Divinas electiones: & optimè: ad casum præsentis dubii extenditur ab Herrera, non bene.

111 Primò: quia absolutè cedit difficultati. Secundò: quia seclusâ specie vocum, quæ plerumque in his fallit, laudabilitas hæc moralis, eatenus ita dicitur, & tribuitur Deo, quatenus suo beneplacito constituit materiam laudis moralis respectu nostri; sed non minus beneplacito suo constituit materiam vituperii respectu nostri: ergo etiam erit vituperabilis in genere moris: quod quis asserat? Nec horreas terminos in tua Doctrina, nam æquè Deus est incapax Laudabilitatis in genere moris electivæ, ac est vituperabilitatis electivæ. Tertiò sic arguo: per te, qui metaphysicè necessitatur ad eligendum honestè, est incapax laudis moralis electivæ: quia tota illa honestas electionis non tam libertati debet tribui, quam necessitati: ergo qui metaphysicè necessitatur ad constituendum objectum ex suo beneplacito melius, & honestius, est incapax laudis moralis constitutivæ: quia constitutio talis objecti in esse honestioris, non tam libertati tribuitur, quam necessitati. Et ratio est, quia tota hæc quæ vocatur à te laus moralis, non distinguitur ab honore debito summo Bono, ob excellentiam sui. Honor autem non est laus moralis.

A Ripaldæ nec bene.

112 Solvunt alii cum Ripalda satis inclinante, dicendo Deum, dum eligit, licèt eligat per actus æquè, quia summè, honestos, esse presè Laudabilem in genere moris per adjunctionem operis externi melioris, & ratione istius ut superadditi Divinæ electioni: & ratio sumitur ex eo quòd opus externum augeat in nobis eligentibus, rationem meriti: quidni etiam rationem laudis moralis?

113 Contra primò: quia id est solvere nodum per alium nodum: communiter enim expellitur Doctrina Ripaldæ de incremento formali meriti ratione operis externi. Secũdo: datâ eâ Doctrina, ideò ex opere externo, & interna electione crescere moraliter in

no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis: quia perfectius est & melius complexum, quàm sola interna electio: secùs in Deo theologizamus, ex multis suprà datis. Tertiò: ergo similiter necessitas ad actus paris honestatis internæ cum inæqualitate operum externorum, sufficiet in creaturis ad rationem meriti, vel demeriti: quod difficulter admittent hi Theologi, quibuscum est lis præsens. Quartò: quia ea Doctrina solum prodesse potest, ubi operans supponitur capax laudis moralis internæ: sicut prodesse solum potest, ubi operans supponitur liber: & ratio est, quia tota moralitas externi operis radicatur in operis interni moralitate. Deus autem per vos est incapax: ergo. Quintò: hinc enim fieret Deum nihil producentem ad extra, non esse Laudabilem in genere moris.

Ab Anton. Perez Ingeniosè, nec satis.

114 Solvunt alii cum Antonio Perez, dicendo necessitatem ad actus æquales non obstare Laudabilitati in genere moris in Deo: quia non obstat, quominus quod eligitur, sit semper infinitè melius extremo, quod omittitur. Quod enim omittitur est quid finitum, v.g. alter mundus: quod eligitur est quid infinitum, v.g. Deus ut coexistens exclusioni alterius mundi. eligendo enim Deus exclusionem alterius mundi, præfert seipsum ut connexum cum tali exclusione, extremo, quod omittit. Sub hac pulcra specie nihil est solidi. Primò: Nam per te Deus eligens, eligit seipsum ut connexum cum extremo *a* v.g. sed dum omittit, omittit quod eligeret: ergo omittit seipsum ut connexum cum tali extremo: ergo quod omittitur, & quod eligitur, est æquè bonum. Secundò: sic discurrendo possemus dicere, necessitatum ad actus æquales semper eligere, quod est melius, atque adeò mereri, aut demereri: ratio est quia & se præfert ut conjunctum cum actu, alteri actui: imò actum ut coexistentem cum Deo, alteri actui quem omittit. Tertiò: nam per te necessitatus ad actus æquales paris honestatis creatæ, ideò non est Laudabilis in genere moris, quia tota honestas moraliter est necessaria metaphysicè: atqui tota illa bonitas Dei ut coexistentis mundo, seu ejus negationi est moraliter Deo metaphysicè necessaria: sivè enim hanc eligat, sive illũ, eliget totam bonitatem: nec aliud potest: ergo non est Laudabilis in genere moris.

Ab Aldrete Ripalda Delugo, non verè.

115 Solvunt alii communiùs, cum Ripalda, de Lugo, & Aldrete, dicendo honestatem summam actuum Divinorum non obstare summæ laudabilitati in genere moris: quia non obstat illa summa æqualitas honestatis quasi intensiva, inæqualitati extensivæ per ordinem ad objectum melius. Ajunt igitur, actus Divinos liberos esse summè honestos intensivè: extensivè verò per ordinem ad objecta inæqualia esse inæquales, & meliores, aut minùs bonos: quia ex positione objecti melioris sunt plures tituli laudabilitatis. Semel autem, si inveniatur excessus inter actus quamvis alioqui levis, adjunctus summæ honestati, reddit electionem sùmè laudabilem in genere moris. Nunquam in hoc discursu quiescere potui.

Vide lib. 1. disp. 1. à nu. 10. & lib. 2. disp. 1. à nu. 11.

116 Primò: quia complexum ex Deo, & creatura ne extensivè quidem est melius solo Deo: ergo neque actus Divinus ex perfectiori objecto est extensivè perfectior actu Divino secundum se. Secundò: quia potest dari casus, in quo Deus ex electione non sit laudabilis in genere moris: nempe quo decernat nihil producere: hic enim actus extensivè, seu ex parte objecti est minimum quod præstari à Deo potest. Tertiò: quia similiter dici posset creaturam necessitatam ad actus paris honestatis internæ, circa objecta tamen formalia inæqualia, mereri laudem, per amplexum melioris objecti, & vituperium per vilioris, seu minus boni amplexum.

117 Quartò: vel ille extensivus excessus reddit actum Divinum æstimabiliorem in genere motis, vel non? Si secundum: ergo est in genere moris, quasi non esset. Si primum: ergo reddit meliorem, & honestiorem: unde quilibet actus non est summè honestus, & æstimabilis. Vrgetur: tùm quia habere plures titulos laudis moralis non facit majorem laudabilitatem in genere moris nisi faciat actum honestiorem: patet in eo qui velit Martyrium actu magis honesto, quàm qui actu indivisibili, minus honesto, exerceat plures virtutes morales. Tùm quia eatenus titulus, qui comitatur actum, auget laudem in genere moris, quatenus auget bonitatem. Tùm quia totus iste excessus non est nisi peraccidens ad honestatem actus: ergo non est excessus augens laudabilitatem in genere moris.

118 Quintò ad homines: ideò omnes actus Divini sunt æquales in honestate: quia quilibet identificat sibi omnes alios; sed quilibet sibi etiam identificat extensivum excessum aliorũ: ergo sunt etiã omnes æquales extensivè. Sextò: vel iste excessus se habet ex parte actus, vel se habet solum respectu objecti. Si secundum: non facit ad laudem. Si primum: iterum rogo: vel iste excessus ex parte actus est quid æstimabilius actu non habente talem excessum, vel non? Si secundum: quid facit ad laudem? Si primum: ergo reddit actum magis honestum. Alia mitto.

Ab Eminentiss. Sfortia Subiliter: nec satis.

119 Solvunt alii cum Eminentissimo Sfortia nostro, dicendo, quòd licèt necessitas ad actus æquales obstet in creaturis Laudabilitati morali; non sic in Deo: Ratio est: quia Necessitas in creatura venit ab extrinseco, & ab alio; in Deo venit à se, & nõ ab alio: unde honestas operationis in creatura non est imputabilis creaturæ, sed Datori necessitatis, nempe Deo: at in Deo, cum necessitas non sit ab alio, & alioqui honestas operationis sit libera, & imputabilis, necessariò manet imputabilis soli Deo secundùm se totam: quæ cum sit summa, reddit Deum infinitè Laudabilem in genere moris. Hic discursus magis accedit ad veritatem: eam tamen, nisi explicetur, & illustretur magis, non hucusque tangit.

120 Arguo sic: quia honestas creaturæ necessitatæ ad actus æquales, tribui debet necessitati, quam habet, non censetur moraliter libera creaturæ: ergo quia honestas Dei eligentis tribui debet necessitati, quam habet, non debet censeri moraliter libera. Libertati enim tam obstat necessitas à se, quàm ab alio, ut patet ex terminis. Sed quia honestas creaturæ non debet censeri moraliter libera, non manet ex electione creatura laudabilis in genere moris: ergo quia honestas non debet censeri moraliter libera Deo, non manet Deus ex electione laudabili in genere moris, sed ad summum honorabilis, titulo illius excellentissimæ necessitatis, & ratio est quia laudabilitas moralis respicit honestatem non tam positam titulo necessitatis, (undecumque hæc sit) quàm titulo libertatis.

A P. D. Ribaden. acutissimè: nec dum satis.

121 Solvunt alii cum Ribadeneyra assignando à priori rationem æstimabilitatis moralis; & exinde disparitatem inter Deum & creaturas. Igitur æstimabilitas actûs, quæ requiritur ad laudabilitatem moralem stat in eo quòd actus eoipso sit æstimabilior, quia exerceretur liberè, quàm esset si cæteris alioqui paribus exerceretur necessariò: nam eoipso fons, & origo æstimabilitatis in actu est libertas: cum autem actus Divini circa objectum honestum, quia exerciti liberè, concipiantur, & sint æstimabiliores, quàm si cæteris alioqui paribus concipiantur exerciti necessariò: nam hoc ipso quod concipiãtur exerciti necessariò, sunt quid fictum, & thimericum: & verè, & reales concepti cum libertate; patet, æstimabiliores esse quia cum libertate exercentur, quam si cæteris paribus exercerentur necessariò. At in creaturis necessitatis ad actus æquales quid simile est? Nam illi ipsi actus quos habet cum ea necessitate, non redduntur æstimabiliores ex libertate, quàm essent si omnimodâ cum necessitate exercerentur ab ipsa creatura.

122 Neque hic discursus, licèt ingeniosus, & subtilis, omninò satisfacit. Primò: quia hoc, omissâ verborum specie, solum est dicere Deum esse laudabilem in genere moris, quia electiones sunt essentialiter liberæ: quæstio tamen est: an libertas, quâ Divinæ electiones sunt essentialiter liberę, & sine qua sunt ens fictum, & chymericum, sufficiat ad laudem in genere moris. Secundò: ideò creatura necessitata ad actus æqualis honestatis, est incapax laudis, quia tota honestas saltem in æquivalenti, est metaphysicè necessaria creaturæ, non obstante libertate, quacum exerceat; sed non obstante libertate essentiali, quacũ exercet Deus suos liberos actus, tota eorum honestas est ipsi metaphysicè necessaria saltem in æquivalenti: nam sive omittat sive eligat, operatur honestissimè: ergo.

123 Tertiò: per te, æstimabilitas habita titulo libertatis est bonitas transcendẽtalis, & quâ una res distinguitur, aut differt à nihilo, vel chymerâ: quid facit hæc æstimabilitas ad laudem in genere moris? Quartò: quia vel hæc major æstimabilitas sumitur comparatione facta cum Decreto chimerico, vel cum Decreto seu actu Divinæ voluntatis cõcepto præcisim à libertate? Si primum: jam dixi id esse omninò impertinens ad genus laudis moralis: deinde decretum chymericum non est æstimabile, cum sit nihil: ergo est ridicula comparatio. Si secundum: nulla major honestas concipi potest in uno, quàm in alio: cum ex prædicato Divini concipiatur in utrolibet summa.

Conatus solvendi nostr.

124 Solvo igitur ipse, prænotando tria. *Primum* est. Affectus circa objecta finita per modum connexionis, & decreti, ex conceptu formali suo ita sunt essentialissimè liberi in Deo, ut non utcumque ex defectu libertatis redderentur impossibiles in se, sed etiam minuerent summam Rectitudinem Divinæ voluntatis, essentque imperfecti: unde Non solũ habent esse in Deo, quia liberi sunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, sed etiam esse honestos & rectos. Ratio est: quia cum Deus non habeat superiorem, cujus nutum spectet in mensuram suorum affectuum, summa rectitudo suæ voluntatis exigit, ne rapi se sinat ex bonitate non æquâ sibi, atque adeò finitâ: esset enim id, dare finitæ bonitati, quod privativè debitum est summæ: si autem affectus circa bona finita per modum connexionis, & decreti essent in Deo necessarii, Voluntas Dei æquè raperetur in finitum Bonum, ac in infinitum, sine discrimine.

125 *Secundum* est, quod nascitur ex præcedenti: tendentia affectûs circa bona finita Divini, ejusque honestas necessario est incompensabilis per actum necessarium tendentiæ similis: nam cum hic necessariò sit indecens summam rectitudinem Dei, fieret compensatio boni per non bonum: inter quę datur summa disparitas: atque adeò tendentia, & honestas affectûs liberi Divini, nunquam potest reputari moraliter pro actu necessario tendentiæ similis.

126 *Tertium* est: in creatura necessitata ad actus æquales, tota honestas utriuslibet actus, per quem se exerceat, est compensabilis per actum necessarium tendentiæ similis: ita ut æquè foret honestâ, si actum quem exercet esset necessarius, ac est quando sub ea solum libertate est liber: tota enim honestas est alterius, & non eligentis, quia eligit: est enim illius qui necessitatem dedit, cui satisfieri nequit nisi per totam honestatem: unde sicut dedit disjunctivè, dare posset determinatè; & in ordine ad æstimationem perinde est: tota enim honestas jure reputatur actûs simpliciter non liberi: non ergo ea creatura habet actum quia vult: & minus habet honestatem, quia libera est.

127 Ratio ergo, nisi fallor, aperta, cur Deus, licèt necessitatus sit ad actus æquales, sit summè laudabilis in genere moris, & non creatura, est: quia creaturæ electio non habet unde moraliter debeat reputari ut electio in genere honesti, & tendentis in objectum honestum: neque enim est honestas aut tendentia quia libertas est, atque adeo tota honestas est compensabilis per actum necessarium à quo moraliter indiscernibilis est actus quem elicit: sic autem operans, quasi operaretur necessariò, non est laudabilis in genere moris. At Dei electio ita simpliciter est in genere tendentiæ, & honesti electîd, ut omninò sit incompensabilis per actum similis tendentiæ necessarium, nec pro ipso reputabilis sit moraliter: unde ex titulo electionis habet quod posit, & sit in Deo, & sit conformis summæ Rectitudini Dei, atque adeò honestissimus. Qui autem sic operatur, ut ex libertate habeat actus honestissimos, quis non illum censeat summè laudabilem in genere moris?

128 Dicis: Deus sic eligendo, semper eligit quod minimum potest. Nego suppositum: ubi enim non est minimum eligibile, semper eligitur maximum; & quidem electione, vi cujus honestas illa maxima reputari moraliter nequit, quasi necessariò habita. *Dicis* iterum: Deus sic eligendo tantum impedit boni, quantum potit. Distinguo: tantum impedit boni ex fine impediendi bonum, nego. Ex fine exercendi libertatem, vi cujus bonum quod ponit est æstimabile, & bonum, concedo.

(*†*)



DIS-

DISPVTATIO II.

NECESSITAS INCARNATIONIS EX SVPpositione distincta à satisfactione peccati.

1 DE Suppositione contingenti creatâ Loquimur. De Divina enim, qualis esse posset Promissio, seu æterna Decreti determinatio, non potest esse quæstio. Præsens igitur est: an sit aliqua Suppositio creata, quam si semel Deus ponat, maneat exinde necessitatus vel physicè vel moraliter ad superaddendam Incarnationem: vel quia res sunt ita connexæ, ut Decretum debeat esse commune si habendum sit à Deo: vel quia ita sunt connexæ, ut Decretum unius sit etiam ex parte Dei connexum cum Decreto alterius.

SECTIO I.

CONTROVERSIÆ SENSVS, ET SENSVS Authorum.

2 SVppositio creata (de quâ loquimur,) pro nunc potest excogitari duplicis generis. *Naturalis* altera: altera, *Supernaturalis*. Hæc, est elevatio Naturæ Rationalis ad ordinem supernum: & quæris: an ex hujusmodi elevatione semel decretâ, necessitetur vel physicè vel moraliter Deus, ad superaddendam Incarnationem? Affirmare videntur Antonius Perez *disp. 6. de Voluntate cap. 5. fin.* Esparza *quæst. 6. de Incarnatione* citans pro his & similibus *quæst. 28. de Deo art. 8. fin.* P. Elizalde *quæst. 40. de Vera Relig. nu. 744.* Communis sententia negat pro qua P. Aldrete *disp. 2.*

Antonius Perez. Esparza. Elizalde. Aldrete.

3 *Naturalis* est triplex: nempe, suppositio mundi conditi, quoad naturalia; suppositio peccati commissi: & suppositio peccati tollendi. Et quæris: an ex suppositione orbis conditi (quod contra Lullium negant omnes;) an ex suppositione peccati commissi (quod Anselmus, & Richardus Victorinus, renuente communi Theologia, tenent;) an demum ex suppositione peccati tollendi (quod etiam communis sententia negat adversus aliquos veteres Patres satis insinuantes,) sit Deus necessitatus ad decernendam Incarnationem? Et hîc, & in sequentibus, Incarnationem voco Vnionem Hypostaticam alicujus Personæ Divinæ cum aliquâ Naturâ Rationali, sive Angelicâ, sive humanâ, sumptâ specie pro genere: neque hic, neque in sequentibus, dum necessaria asseritur vel negatur Incarnatio, est alius sensus: si enim strictè sumeretur Incarnatio pro specie, & possibilis censeretur Angelizatio, seu Hypostatica Vnio cũ Naturâ Angelicâ, vel Patris, alteriusve Personæ cũ Humanâ, frustra esset quæstio de Incarnatione Verbi: cũ omnibus titulis, quorum ratione potest adstrui, vel negari deberet Incarnationis factæ necessitas, abũde satisfieret per Vnionem Hypostaticam Patris, aut Spiritus Sancti cum Natura Humanâ, vel eorundem, aut Verbi cum Angelicâ si possibilis sit. Id pro vitandâ æquivocatione præmittendum hîc fuit.

Sensus Lullii. Anselm. Richard. Sententia communis.

4 Postulant ista, meo videri, generalioris examen controversiæ: an Deus ex suppositione aliquâ rerum liberè, & extra ullã necessitatem positâ sit necessitatus ad alias, puta, ad id quod ipsis rebus est optimum, sive melius, attentâ proportione, ordine, & exigentiâ? & quanta sit ista necessitas? Negant omnem, Alarcon, Aldretus, Borrull, & Moderni communiter. Moralem admittunt post, Montoyam, Antonius Perez, Esparza, Ribadeneyra, & Herrera. Probavit ille: hi explicant: & ante omnes illustrat Esparza *quæst. 28. de Deo.*

Negativa communis, Affirmant Montoya. Perez. Esparza. Ribaden. & Herrer.

Aranda de Incarnatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

AN EX SVPPOSITIONE CREATA CONtingenti, possit necesitari Deus ad aliud? quantùm? & quomodò?

§. I.

STATVITVR IN DEO NECESSITAS EX aliqua Suppositione creata contingenti.

5 SIt Prima Conclusio: ex suppositione contingenti productionis rerum, manet in Deo necesitas aliqua ad id quod ipsis est melius, attentâ rerum Naturâ, proportione, & exigentia: quod est dicere, necesitari conditionatè Deum ad optimum connaturale rebus, sine ulla necesitate, decretis. Ita citati nuper cum Angelico Doctore *lib. 2 contra Gent. cap. 29. & 30.* Prima ratio sumitur ex communi persuasione Fidelium: & arguo sic: si Deus ex suppositione contingenti creata rerum non maneret necesitatus ad id quod ipsis connaturaliter congruit, & maneret ad id ipsum superaddendum, vel non superaddendum indifferens æquè ac nulla facta suppositione; communis Fidelium persuasio de superaddendis à Deo rebus aliis ex aliarum suppositione, esset vana prorsus, & temeraria, stando rationi naturali, & præscisim à manifestatione liberæ Divinæ Voluntatis: sed id dicere, temerarium est: ergo quòd Deus eo modo maneat necesitatus, est verum. Minor patet: quis enim nisi temerè dicat, Fideles vana, & temeraria persuasione niti, sperando ex fusis precibus aliquid implorandum à Deo: arguendo ex demeritis, pœnas; præmia, ex benefactis; colligendo ex miraculorum positione, Divini testimonii existentiam: ratiocinando ex disparitate vitæ, potiùs esse salvandum Religiosum, quàm Tutcam: inferendo ex Dignitate Matris in Virgine, mille privilegia, & his similia: his enim persuasionibus plerumque nititur nostræ salutis tenor.

Angelic. Magister.

6 Probo majorem, in qua difficultas est: Id quo etiam posito, manet aliud æquè contingens, ac eo non posito, tam abest à sufficienti motivo ad certitudinem moralem eventûs, ut ne excuset quidem temeritatem assensus determinati. Id enim perinde se habet, ac si non esset in ordine ad illationem alterius. Atqui si facta quacumque suppositione rerum, Deus maneret æquè indifferens, & sine ulla necesitate ad superaddendum id quod ipsis est connaturaliter optimum; quæcumque suppositio rerum esset id quo etiam posito, manet aliud æquè contingens, ac eo non posito: ergo si Deus sit ita indifferens, quæcumque suppositio creata rerum tam abest à sufficienti motivo ad certitudinem moralem eventûs, ut ne excuset quidem temeritatem assensûs determinati.

7 Consequêtia est bona. Major evidens: & minor etiam, hoc solo Syllogismo: si fieri rei sit operatio causæ liberę, & potentis rem facere, vel non facere, id quo etiam posito causa manet æquè indifferens ad rem faciêdam, vel non faciendam, ac eo non posito; necessariò est id quo posito res manet æquè contingens, ac eo non posito: & ratio est quia si finis pendeat essentialiter ab hoc medio, quousque medium sit contingens, & vertibile; eousque existentia finis erit vertibilis, & contingens; nemo prudens assentiri poterit existentiæ finis, si posit, & debeat dubitare de existentia medii. Sed omne fieri rei connaturalis est operatio causæ Divinæ liberæ, & omnis antecedens suppositio rerum est id quo etiam posito manet Deus æquè indifferens ac eo non posito: ergo omnis antecedens suppositio rerum est id quo etiam posito manet Res, quæ ipsis connaturaliter congruit, æquè contingens, ac eo non posito. Rogo nunc: quod motivi genus maneat illi communi persuasioni fidelium, ut eam à temeritate excuses, exclusa semel omni necesitate operandi à Deo, facta quacumque suppositione?

8 Secunda ratio sumitur ex communi modo arguendi, quem tenuere SS. PP. tam in rebus naturalibus, quàm in supernaturalibus, præsertim contra Manichæos. Arguo sic: ex eo quòd res aliqua oporteat, & sequatur proportionem connaturalis debiti, & ordinis respectivè ad universum, & res alias vel præexistentes, vel prædecretas, est apud SS. PP. solemniter bona illa consequentia: *ergo res facta vel facienda est à Deo*: Nec aliter tuentur Divinam Providentiam, nec probant aliter: inferendo econverso, quæ à Deo nec facienda, nec facta, non oportuisse: toti denum, quùm de re agitur, in recursu ad opportunitatem, vel importunitatem ipsius; juxta hanc vel illam, facto ascensu ad Divinæ Sapientiæ, & rectissimi regiminis thronum, fit decisio. Atqui negata Deo omni vera necesitate operandi juxta præexistentem suppositionem, nulla est illa consequentia Sanctorum Patrum: ergo Deo negari non potest asserta necesitas.

9 Major negari solùm potest à Theologo infimi subselii, qui nec Patres sciat, nec Montoyam viderit, nec excesserit crepundia Summularum. Audiantur è multis duo: Augustinus, & Thomas: ille *lib. 1. contra Adversarium legis, & Prophetarum cap. 14. Aut verò usque adeò desipiendum est, ut videat homo melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet? aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minimè potuisse? avertat hoc Deus à cordibus piorum.* Hic *in 4. dist. 46. quæst. 1. art. 2 quæstiunc. 1. ad 2. Quod Deus talem creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem justitiæ, sed quod aliqua natura producta, ei attribuatur, quod illi Naturæ competit, hoc ad ejus justitiam pertinet, & contrarium, ejus justitiæ repugnat.* Minor ostenditur: nam ea consequentia, ut bona sit, niti debet fundamento convincente illationem: at negatâ Deo, quam asseruimus, necesitate, nullum est: merita enim cujusvis factæ suppositionis, non inducunt res alias, aut concursum Divinum ad ipsas, nisi ut cognita: si autem Deus ut cognoscens, manet plenè, & æquè indifferens: quæ illatio convincens nasci potest?

Augustin. Thomas.

10 Tertia ratio sumitur ex communi Philosophia: quæ tota nititur indigentiis, seu exigentiis rerum, quas si tollas, tollis & Philosophiam. Contendo igitur eas, nisi nostra sententia sit vera, non esse, aut nomine solum tenus, & prorsus inutiliter ad illationes, & inductiones. Arguo sic: Vel suppositio exigentiæ est simul ex parte Dei necesitas, ut quoad reliquum ipsi attendat, & superaddat bonum connaturale, vel non? Sed manet omnimoda & æqualis indifferentia ad superaddendum, vel ad negandum, bonum connaturale? Si primum: ecce sententiam nostram. Si secundum: ergo nullius exigentię suppositio potest certam reddere illationem boni connaturalis: quo ruit tota Philosophia his exigentiis nixa, ex eisque discurrens: communisque persuasio de combustione secuturâ, si applicetur ignis ad passum, ridenda potius quam veneranda est. Probo consequêtiam. Bonum connaturale sine Dei cooperatione, & influxu est impossibile: nec ab ulla exigentia potest induci, nisi mediâ cooperatione & influxu Dei; atqui hæc cooperatio, & hic influxus, si Deus ex suppositione exigentiæ non sit necesitatus, certò non potest argui ex suppositione exigentiæ: quod demonstro: nam res pendens quoad sui existentiam à causa libera, æquè indifferenti ad ipsam, quàm ad non ipsam, nequit certò colligi rei existentia ex suppositione non minuente illam indifferentiam causæ: Nam ipsa suppositio perinde est ac si non esset, ad firmandum assensum de rei existentia, si determinatio causæ, à qua ponenda res est, desit; atqui exigentiæ suppositio non minuit summam Divinæ causæ indifferentiam, à cujus determinatione rei existentia pendet essentialiter: ergo.

11 Explicatur hæc ratio, primò: Rerum exigentiæ non inducunt bona connaturalia sine Deo cooperante; nec Dei cooperationem, aut decretum cooperationis inducunt vi fatali, sed moraliter, media scilicet exigentiæ præsuppositæ cognitione. Nunc sic: vel Deus manet ex tali cognitione necesitatus ad cooperandum cum exigentia, vel non? Si primum: hæc est sententia nostra. Si secundum: ego non video quid aliud hæ exigentiæ sint, nisi mera nomina, quibus perstrepunt Scholæ Philosophorum: nam imprimis quid magis facit aqua ad inductionem frigiditatis, quam lapis? Deinde: Non habet majorem vim inducendi, & inferendi bonum connaturale, exigentia præsuppositа, quam Deus cum exigentiæ cognitione: neque enim aliter illa inducit, & infert, nisi per hanc: atqui Deus cum illa cognitione est summè indifferens ad positionem, aut non positionem boni connaturalis: atque adeò non est sufficiens ratio ad unum præ alio colligendum: ergo.

12 Explicatur secundò: esse causam, quæ possit subvenire indigenti, & esse qui indigeat; præcisis aliis, non est ratio juris, & debiti; nec sufficiens, ut prudenter debeat colligi subventio potius quam non subventio: si autem negetur in Deo operandi necesitas ex suppositione exigentiæ; quid per illas est aliud in rebus, seclusis vocibus, quàm esse rē indigentem bono, & causam potentem subvenire? Rogo ergo nunc, eos qui nobiscum sentire nolunt: quo fundamento nitantur tot Philosophiæ placita? illa communis evidentia, quòd ignis se accedentes combaret? quod Cælum non ruet? & alia sexcenta?

13 Recursus ad experientiam, est inutilis. Primò: quia sumendo omnes experientias, arguam & rogabo: an ad ipsas fuerit hucusque necesitas? Secundò; experientiæ, respectu agentis, in quo repugnat ex experientia contractus habitus operandi uniformiter,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt quasi non essent. Nec recursus ad Dei decretum est ad rem: primò: nam erit quæstio de decreto. Secundò: nam sic via occluditur rationi naturali, & Philosophiæ. Tertiò: nam præscisim ab experientia, de qua jam: unde tale decretum colligas? Nec magis ad rem est recursus ad species immissas à Deo de his potius, quæ de oppositis eventibus. Primò: Nam hoc potius est divinare, quam philosophari. Secundò: Nam sic, cum speramus rem, & deludimur, operante supra Naturam Deo, falleremur à Deo. Tertio: nam & de his speciebus erit quæstio par.

14 Quartà ratio sumitur à priori. Et arguo sic: Deus *non est potentia temeraria, sed Sapientiæ virtute Omnipotens*: est ergo necessitatus, si res producat, eis superaddere connaturalia bona. Antecedens est Augustini *Augustin. lib. 9. de Genesi ad literam cap. 7.* Probo consequentiam: quid enim est posse potentiâ temeriâ, & non virtute Sapientiæ certè apud Augustinum, & apud me, nihil est aliud quâ posse sine necessitate se conformandi dictamini præscribenti naturam & formam operis; id est, posse operari sequendo in operis positione potiùs libitum, quam dictamen Sapientiæ, seu res producere potiùs ut libet, quam ut sunt in dictamine Sapientiæ præscribentis; atqui si Deus res producat sine necessitate eis superaddendi bona connaturalia, posse quod habet, est posse sine necessitate se conformandi Dictamini præscribenti; est posse operari, sequendo in operis positione potius libitum quam Dictamen; est posse res producere potius ut libet, quam ut sunt in Dictamine: Nam illa privatio boni connaturalis solum potest esse ex libito; nequit esse ex Dictamine: in quo res sunt ordinatissimæ, connexæ cum suis bonis; non autem ordine inverso, & cum deformitate secundùm esse suum, quæ necessario nascitur ex privatione boni connaturalis: quæ proinde privatio, & physica fœditas, ut est rerum deformitas, fieri nequit nisi per deerrationem à Naturâ rerum, seu à rebus prout in Dictamine sunt, & consequenter ab ipso dictamine: ergo, &c.

15 Confirmantur hæc omnia primò: Deus *omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* ex 1. Ephes. 11. quo notatur *Ephes. 1.* necessitas operandi omnia distributivè, & collectivè secundùm consilium voluntatis: quid autem est operari juxta consilium voluntatis, nisi ita in opere sequi consilium, & Dictamen, ut voluntas operandi potius sit dictamen operandi, quam voluntas: quasi voluntas operandi præter consilium, & dictamen, eorumque præscriptionem, non sit Dei voluntas operantis? Secundò: velle ostendere potentiam ex imperfectione operum, & quærere potentiæ laudem ex incommodo, & malo Naturæ, est velle, & posse temerarium, quod horremus etiam in creaturis: quanto verò magis in Deo? Non ergo potest esse vera, sed ficta laus Divinæ potentiæ, posse res condere sine necessitate superaddendi connaturalia bona. Rursus *in sequente Conclusione*, de his.

§. II.

Quanta sit hæc necessitas: et in quo consistat?

16 Sit secunda Conclusio: Necessitas, de quâ decrevimus, non utcumque moralis est, sed consistit in duplici Dei Necessitate metaphysica: alterâ, non frustrandi rerum exigentias, nisi factâ compensatione connaturalis boni per æquale vel majus: alterâ, non faciendi istas miraculosas compensationes nisi rarenter. Ex quibus duabus absolutis & metaphysicis necessitatibus constituitur necessitas Dei superaddendi rebus prædecretis, & productis sua bona connaturalia; quæ proinde dici potest necessitas præsuppositivè, seu fundamentaliter metaphysica; formaliter verò, & quoad nos, Moralis, seu quasi physica, vel, ut rectius loquor, *Physicomoralis*. Conclusio & ulteriorem explicationem desiderat, & probationem. Illam dabimus inferendo: hanc, ostendendo vel suadendo quatuor, quæ necessaria sunt pro veritate, quam asserimus. *Primum*, eam necessitatem non esse simpliciter moralem. *Secundum*: dici debere, quoad nos, moralem, quamvis indistincta sit à duplici metaphysica. *Tertium*: eam sufficere veritati præcedentis conclusionis. *Quartum*: reipsa esse in Deo necessitates illas duas Metaphysicas, ex quibus hanc compinginus: & hoc, est reipsa suasionis difficilioris.

17 Suadeo primum primò: quia necessitas simpliciter moralis non est in rebus, ex insinuatis sæpè, & dictis ex professo *disputando de Auxiliis*. Secundò: quia necessitas *Dabimus in tom. ad 1. p.* moralis, quæ simpliciter defendi solet in rebus, sumi solet vel ex Inclinatione, cui difficilè resistitur; vel ex adhæsione minuente advertentiam; vel ex impulsu ita trahente voluntatem, ut potius feratur, quam eligat: vel ex inconstantia Naturæ incapacis servandi tenorem in operando, vel eum interrumpendi: quæ imperfectiones sunt, & omninò procul à Deo: ergo & necessitas quæ simpliciter sit moralis, & indistincta ab omni necessitate metaphysica.

18 Suadeo secundum primò: quia necessitas illa formaliter, & directè, scilicet in ordine ad terminum directum, qui est implere exigentias suas connaturalibus bonis, non est purè physica, quæ nempe necessitet metaphysicè Deum, ne unquam privet exigentias bono connaturali: nihilominus est reale fundamentum, quo nos omninò prudèter possumus & debemus esse securi de evêtu bonorum connaturalium ex suppositione præstitutæ exigentiæ: ergo illa necessitas, licèt formaliter & directè, nec sit purè physica, nec purè moralis, dici debet quoad nos moralis, seu *Physicomoralis*. Secundò: quia solet dici Moralis necessitas in genere, vi cujus eventus ita debet æstimari, ut non nisi imprudenter negetur, aut desperetur: proinde causa moraliter est connexa cum hoc evêtu, connexione consistenti in prudentum æstimatione & judicio, non nisi imprudenter alterabili; sed ea necessitas est talis vi cujus eventus non nisi imprudenter negari posit à nobis: ergo quoad nos, &c.

19 Suadeo tertium: quia ad veritatem præcedentis asserti requiruntur duo, & sufficiunt: alterum est, motivum prudentis securitatis, quâ communiter ex aliis aliqs eventus speramus; alios non timemus: alios sine ulla formidinis in oppositum suspicione colligimus, alios excludimus: idque solùm inspectis naturis rerum, nullè consultâ ratione, quam Naturalem dicimus. Alterum est medium, quo Deus utatur exigentiis rerum ita plenè, ut eas bono connaturali privare possit: ita tamen sapienter & rectè, ut iis abutatur nunquam, earumque malo quasi trophæum erigat potentiæ suæ: sed Utrumque hoc præstat asserta necessitas: nam, quâ parte est necessitas compensandi, occurrit nocumento privationis; quâ parte est necessitas non privandi sine compensatione, & rarò privandi, etiam interveniente compensatione; occurrit timori, qui ex extraordinarii dominii usu posset oriri: mala enim, quæ non nisi rarò solent accidere, non solent in timorem prudentem cadere: quantò minus, quæ necessarium est, ut non nisi rarò eveniant, & non est necessarium, ut vel sic eveniant: *ex communiter* enim *contingentibus fieri debet regula*, ut habemus in Iure: maximè si metaphysicâ necessitate sunt ita communiter contingentia, ut hæc, quibusde loquimur, ex Doctrina nostra.

20 Quartum, (in quo major difficultas) suadeo primò: quoad utramq; illâ necessitatem indivisim, ex inductione. Licèt opera mirabilia, quæ sunt supra Naturam, sint planè innumera ex intuitu Redemptoris & à fonte Divinæ beneficientiæ, opera miraculosa, quæ contra Naturæ exigentias sunt, fuere rarissima, si cum oppositis eventibus conferantur, imò si inspiciantur solùm in se; eaque hucusque facta, semper adhibitâ æqualis, vel majoris boni compensatione: ergo nequeunt aliter contingere: ergo datur in Deo duplex illa necessitas. Secunda consequentia patet. Probo primam: quia miraculum, quale nullum factum est, nec faciendum à Deo intuitu Christi, & meritorum ejus, debet impossibile censeri; præsertim si ex genere suo, si fieret, esset mirabilius omnibus, quæ facta, vel facienda sunt à Deo intuitu Christi & meritorum ejus: & ratio est: quia cum Dei hominis existentia sit miraculorum apex, & inter omnia maximum: non videtur rationi congruere, quòd Deus potuerit aliquid ex genere suo mirabilius, facere, quàm quæ præstitit, aut præstare decrevit intuitu Filii, ad ejusque gloriam. Sed frequentia miraculorum privando exigentias suis connaturalibus bonis, nullâ factâ compensatione, est majus, & magis mirabilius opus, quam quæ præstita, & præstanda sunt intuitu Christi & meritorum: quis enim non censeat magis mirabilem ex genere suo iterationem, & frequentiam operum mirabilium, quam raritatem: & negationem boni connaturaliter exacti, nullâ factâ compensatione, quam factâ? ergo tale opus est absolutè impossibile: ergo.

21 Iam antecedens constat: Nam neque Humanitati Christi impedita est propria subsistentia nisi subrogando Divinam: neque Accidentibus Eucharisticis aufertur substantia panis & vini nisi substituendo meliorem substantiam, eaque elevando ad nobiliores effectus: neque igni Babylonico prohibita est combustio, nisi assumendo in signum Innocentiæ, perpetuò mansurum in Posteris, ipsumque honorando speciali sui præsentia, & fugi Posteritatis memoriâ. Neque prohibitus Soli cursus ad vocem Iosue, nisi faciendo ipsum quasi arbitrum magnæ Victoriæ, &

quasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi pignus magnæ in Deum Fiduciæ, quā etiam in arctis maximè fovere intra se debent veri Cultores Dei: usque adeò, ut omissa alia velim, verum est quod Angelicus Doctor *quæst. 9. de Verit. art. 2. Corp. fine* pronuntiat: *In rebus, quæ pertinent ad statum Naturæ, non fit aliqua immutatio Divina Virtute, nisi propter aliquid melius.* S. Thomas.

22 Suadeo secundò divisim, & imprimis quoad illam necessitatem non faciendi miracula hujusmodi nisi rarò. Tùm quia frequens horū operum executio esset frequens rerum inversio: frequens rerum inversio potiùs est inordinatio, & perturbatio rerum, quàm gubernatio: quæ sola, potest esse actio rectissimæ Providentiæ, qualis est Divina. Tùm quia Naturæ Principi, ex ipsis terminis, repugnat talis quasi contemptus naturalium Legum, ut, datâ ipse frequenter opera, pessumdet ipsas, & impediat rebus fines intrinsecos, quos alioqui vult exercitè appeti, & intendi: hic enim modus habendi se circa res sibi subditas, & operandi, non est sapientis Principis, sed præcipitis. Tùm etiam quia frustra esset naturale lumen in nobis, frequenti exigentiarum frustratione, & ordinis, quo unicè nititur, & regitur inversione delusum, & redditum planè inutile. Tùm demum quia sunt opera, quæ, quia rarò sunt, censentur Dei opera, sapienter & mirabiliter operantis: ergo si necesse est, sint, & censeantur Dei opera, necesse est pariter, rarò sint. Talia autem sunt miracula, quibus deloquimur.

23 Suadeo tertiò: præcipuè necessitatem illam compensationis, & raritatis in ipsa compensatione. Arguo sic: ut Deus habet quandam superjustitiam circa Naturas Rationales, vi cujus innocentes punire nequit, earumque merita contemnere, ea cumulando privatione bonitatis habet circa res inanimes quandam speciem justitiæ, vi cujus res suo modo innocentes punire nequeat, earumque merita, quæ sunt naturalia jura, contemnere, ea cumulando privatione boni: sumo analogiam ex Sancto Thoma *ubi supra*: atqui ex illa superjustitia necessitatur metaphysicè Deus, ne puniat Rationales Naturas innocentes; ne contemnat earum merita; & pro præmio det privationem boni: ergo ex ista quasi naturali justitia necessitatur metaphysicè Deus, ne res inanimes suo modo innocentes puniat, contemnendo sui esse merita, & loco boni superaddendo privationem boni. Utrobique enim miscetur inordinatio. Atqui nisi Deus sit metaphysicè necessitatus ad unum è duobus, nempe, vel ad non privandas exigentias suo bono connaturali, vel ad id compensandum per æquale vel majus; idque rarò: puniret Deus res suo modo innocentes, & contemneret merita rerum, eisque pro præmio boni, nihil adderet nisi boni privationem: ergo id manifestò repugnat. Confirmatur. Non est indoles justi, rectique Principis facere miseros in sui ostentationē; ergo nec Dei facere Res in ordine suo connaturali miseras & imperfectas in sui ostentationem: esset enim erigere malum alterius in triumphum sui: ergo nec facere privationem boni, nulla compensatione boni vel æqualis, vel majoris inductā.

24 Arguo aliter in rem eandem. Deus omnia facit per amorem rei, quam facit; nec videtur aliter posse res facere nisi per amorem: hinc dicitur Sapientiæ 11. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*: nec *enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti*: ergo vel Deus non ponit res per amoris affectum: vel amor ipse Divinus, quo res ipsa ponitur, est necessitas ne rei desit bonum connaturale vel formaliter, vel in æquivalenti compensatione. Probo consequentiam. Primò: quia affectus rem constituendi cum deformitate ipsius rei inclinationi dissona, & privatione boni aliàs debiti, potius videtur affectus odii, quàm amoris: nec datur intelligi, quod aliud sit, illud genus odii quod exclusit à Deo Sapiens in rerum creatione. Secundò: quia amor Divinus, ex illa vi ecstatica amoris, transformativa amantis in rem amatam, se rei amatæ conformat quantum potest: quid autem est, seclusis vocibus, & aperto rei nucleo, illa vis transformativa, & conformativa, nisi vis & energia amoris, qua rei amatæ vult eoipso omnes perfectiones, & omnia bona quæ de suo connaturali statu, & appetitu sunt? nempe, ut quæ res innatè appetit, amor ipsi elicitè appetat, & quantum potest, donet: at hæc in amore Divino summè recto, & potente, stare non possunt sine necessitate, ne rei desit bonum appetitus innati, nulla facta compensatione per æquale, vel majus. Sapient. 11

25 Arguo in eandem rem denuò, supponendo duo. Primum: ut rerum hic ordo, est quædam attestatio non minus Divinæ Sapientiæ, quam Divinæ Omnipotentiæ; ita cujusvis Divinæ operationis executionem & ordinem, esse quandam ostensionem, & attestationem non minùs Sapientiæ, quam potē-

tiæ

tiæ Divinæ. Ratio præmissi est, quia æquè in omnibus, ac in singulis operatur Deus ut Potens, & ut Sapiens: nec minus ex singulis, quàm ex omnibus colligunt æquè SS. PP. Divinam Sapientiam, & Potentiam. Secundum ut ex Universi, & rerum ordine suadent ubique SS. PP. Potentiam Dei cum Sapientia summa conjunctam, ita ex oppositio oppositum rectè argui, & suaderi. Ratio est, tùm à pari: quia sicut ex miraculis suadetur mysterii credibilitas, ita ex miraculis in oppositum suadetur incredibilitas. Tùm à priori: quia Sapientia quæ ex rerum ordine colligitur, est Sapientia practica consistens in administratione rerum, ipsis consona, & debita: ex rerum autem inversione, & impeditione finium, quos unaquæque res habet ex indole sua, nequit illa Sapientia colligi, sed insipientia practica, quæ consistit in rerum administratione ipsis dissona, indebita, & contraria: unde dixit angelicè Doctor Angelicus 1. *contra Gent. cap.* 81. *nu.* 4. Stultum esset velle Solem existere super terram, & non esse diei claritatem. Tùm demum quia non minus videtur insipientiæ genus, ponere res aliter ac poni debent, & sunt in idea perfecta; quam sit genus ignorantiæ, & mendacii, manifestare per revelationem objecta aliter ac in se sunt. S. Thomas.

26 Argumentor exinde sic: facta Deus aliqua revelatione, tenetur metaphysicè eam non facere incredibilem, edendo miracula, sed potiùs credibilem: ergo facta Deus attestatione suæ Sapientiæ, quæ per cujusvis creaturæ productionem fit, metaphysicè tenetur eam Sapientiam non facere incredibilem edendo miracula, sed potiùs credibilem: ergo metaphysicè tenetur, aliqua producta creatura, non invertere ordinem exigentiæ, negando per miracula bona connaturalia, nulla facta compensatione per bonū æquale, vel majus. Antecedens aliunde patet, & prima consequentia ex eo quòd Deus æquè teneatur ad tuendam suam Sapientiā quam veritatem suam. Secunda patet etiam ex præmissis: nam non forent motivum minùs idoneum ad negandam Divinam Sapiētiam illa rerum inversio, & deordinatio, quàm ad negandam veritatem Divinam, miracula obsistentia revelationis assensui.

§. III.

OCCURRITUR PER ILLATIONES OBIECTIONIBUS, quæ possent Opponi.

27 UT hæc explicentur magis, & eatur obviam iis quæ possent objici, & referre non vacat: Infero primò, cui faciendā sit compensatio, & in quo genere boni? Censeo penès id primò, istud genus compensationum eatenus sic vocari, quatenus ex parte Dei nunquam in rebus deficit vel æquale, vel majus bonum illo, quod auferūt ex rebus per miraculum. Censeo secundò: compensationem fieri debere vel immediatè vel mediatè rei exigenti: fiet immediatè, si fiat ipsi: fiet mediatè, si fiat alteri propter quod existit, & ad quod ordinatur res exigens: ubi adverte, quod supra jam notasse me memini, partes esse propter totum, & substantias rationales ita præeminere in hoc Magno toto Universi, ut ad ipsas, & propter ipsas sint aliæ irrationales; & propter substantias, accidentia: unde compensatio fieri debet ita, ut si res, cui bonum auferūtur, ratione potiretur, censeret sibi per talem compensationem satis omninò factum: ad quod sufficit si fiat ipsi, vel alteri propter quod est. Semper tamen bonum compensationis extenditur in aliquale commodum immediatum rei exigentis. Censeo tertiò: compensationem fieri debere, vel in eodem genere boni, vel in alio æque, vel magis utili rei, cui sit, sive mediatè, sive immediatè. *Opposuit optimè in Doctiss. Dictatis de Prov. P. Joannes Gelòs. Sapientissimus Antecessor, & Commagister meus.*

28 Infero secundò: quam rāræ debeant esse compensationes istæ? Res ista prudentis æstimationis esse debet juxta scopum præcedentium assertionum. Censet Esparza, eas, si sint, ita esse debere ut possint dici simpliciter raræ, facta comparatione cum eventibus connaturalibus, ex suppositione causarum, in quo illæ cumque sint genere. *P. Esparza*

29 Infero tertiò: si bonum connaturale sit incompensabile per bonum saltem æquale, privationem esse simpliciter impossibilem. Patet ex præjactis Doctrinis; & exinde magna, & illustria motio dato, possent inferri in gloriam Christi, & Magnæ Matris. Unum accipe, & expende, quod video piè placuisse Doctis viris. Nempe ex suppositione Maternitatis, (cui ex connaturali decentia, & exigentia nemo negare audeat debitum immaculatæ Conceptionis, & Fœcunditatis cum Virginitate conjunctæ) necessarium esse meta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

meter physicè, quòd sine peccato originali concepta Virgo fuerit, & fuerit Virgo Mater. Ratio est: quia hæc bona sunt incompensabilia per aliud genus boni, quod cum peccato, aut Virginitatis læsione compati valeat.

30 Infero quartò: quo pacto sit intelligenda, & explicanda summa illa Dei libertas in Creaturarum molitione? Video enim peccari hic non parum à non paucis, qui iisdeque habent rectitudinem, sapientiam, & prudentiam in operando Dei, dummodo potentem faciant, & temerè liberum. Itaque plena libertas non est libertas imprudens, sed prudentissima: non est libertas nostris imperfectionibus obnoxia, sed summè perfecta.

31 Dicendum inde, summam Dei libertatem, & Dominii plenitudinem stare quidem in summa indifferentia condendi, vel non condendi creaturas; eas conservandi vel non conservandi: non autem in operando inordinatè, & dissonè circa ipsas. Deus enim licèt posit non operari, at non poterit, si operari velit, operari incircumspectè, & dissonè. Unde ex suppositione quod operetur, necesse est operetur, ut Deum decet, supererogando rebus quod appetunt ipsæ, & quod ipsis præscribit sapientia Divina, & exercitè, ac elicitè appetit amor ipse, quo fiunt. Nec hoc est alieno jure prenii, sed proprii juris necessitate facere, quod res inserviant in laudem conditoris sui. Nec etiam est operari propter obligationem contractam, sed propter necessitatem benefaciendi, & erogandi sapienter, in ipsa Divini juris, & Sapientis Omnipotentiæ infinita perfectione fundatam: Quare hæc necessitas non est onerosa Deo, sed honorifica.

32 Infero quintò: quousque possit Deus operari supra, & contra omnem Naturam? sunt enim qui putent, tam posse Deum contra, quàm supra Naturam operari, nec aliter concipiunt supremum Dominium Dei super naturaliter operantis: & inde præcedentes Doctrinas impugnant. Sed discrimen est ingens adeo, ut miror inobservati à Theologo, qui exinde contra nos disputat. Operari supra Naturam est ornare Naturam, augendo per beneficiù indebitum, bona Naturæ: operari contra Naturam, est deturpare Naturam, auferendo per modum operandi contrarium, bona Naturæ: illud decet maximè Deum, ut summè liberalem: hoc, nisi facta boni ablati compensatione, non decet.

33 Quare censeo, Deum posse operari supra Naturam, ut libet: quia id decet: sed contra Naturam, ut decet, non autem decet operari contra Naturam, sistendo in malo Naturæ, nec ulla boni ablati compensatione deinceps inducta: sicut non decet, ut te liberum, & potentem ostentes, ire contra rationem, nec respicere decorum in rebus. Neque id minuit Supremum Dei dominiù; quod necessariò est ordinatissimum; nec facit quod Deus non possit operari contra omnem naturam, si rectè intelligatur operari contra omnem Naturam: si enim id sit, (ut reipsa sonat rectè intelligentibus) operari contra exigentiam Naturæ, superaddendo bonum, quod determinatè non cadat in ullam Naturæ exigentiam, poterit id Deus: si tamen id sit (ut intendit arguens) operari sic, ut bona connaturalia tollat exigentiis Deus, nec compenset ullibi, id non poterit Deus: quia sic operari non tam esset operari contra omnem Naturam, quàm contra se ipsum, & dictamen Divinæ Sapientiæ, qui fons est & mensura Naturæ totius.

34 Infero sextò: quo pacto sit intelligendum, dari in rebus quasdam quasi leges Naturæ, quæ dicuntur exigentiæ & appetitus innati circa bona connaturalia: & his legibus adstringi Deum in operando. Misceri solent in his multa, quæ jactant ubique Philosophi, non Theologicè, id est, nec sapienter, nec decorè.

35 Censeo dicendum primò, dari in rebus quasdam quasi Naturæ leges, quibus ligantur res adinvicem, & Providentia Divina cum rebus. Id enim postulat rerum, & universi decor, ac ordo. Censeo secundò: has leges posse, debereque sumi dupliciter. Passivè, seu ex parte rerum; activè, seu ex parte Dei. Passivè, seu ex parte rerum, consistunt in ipsarum rerum conditione, & entitate, suntque quædam quasi lex à Deo lata, & intimata rebus per creationem, & ab ipsis accepta per illud ipsum esse quo gaudent. Activè, seu ex parte Dei consistunt in Dictamine necessario Mentis Divinæ judicantis, aut nihil creandum, aut creandum *in numero, pondere, & mensura*, scilicet cum proportione, & ordine congruenti. Huic æternæ legi se conformat in operando Deus per decretum, quod est quasi proxima lex Naturæ, & cui res necessariò parent, necessitate parendi indistincta ab ipsarum entitate.

36 Censeo tertiò, leges istas quasi passivas,

vas, vocari rectè exigentias, & appetitus innatos, sumptâ metaphorâ à jure, & appetitu elicito; vel relatè ad jus illud Divinum, & ad appetitum elicitum, & rationalem Dei à quo dirigantur, & perducuntur ad fines intrinsecos, ad quos ordinantur ex se: re tamen ipsâ, & omissâ metaphorâ, solum esse proportiones unius entitatis ad aliam; vel in genere partis ad partem; vel Naturæ ad proprietatem; vel causæ ad effectum, &c. Censeo quarto: Per has Naturæ leges ligari quidem res inter se formaliter; non verò Deum: Deus enim antecedenter ad ipsas leges, habet aliam suæ mentis indispensabilem, quæ res obligat, ut ita sint; Deum tamen, licèt non obliget, necessitat. Quare Deus non adstringitur ita Natura legibus, ut quasi dicat jus Natura adversus Deum, sed necessitatur ex jure summi Conditoris, & perfectissimè Providentis, dare leges, & jura Naturæ juxta supremum illud jus Divini Dictaminis, cui antecedenter ad jura rerum, se conformat in operando, & decernendo.

37 Infero septimò: Ut rei cuilibet suus est intrinsecus ordo ex hujusmodi proportionibus, & exigentiis constans; ita in hoc magno Toto, & Corpore Universi, cujus res singulæ sunt membra totidem, suum etiam ordinem, & connexionem ex mutuâ rerum inter se vicissitudine, & proportionibus ac exigentiis tùm physicis tùm moralibus resultantem, resque interse his proportionum, & habitudinum juribus, & quasi vinculis connecti, & colligari ad pulcherrimum ordinem & formationem hujus magni Corporis, quod Universum dicimus, Inquo suo quasi naturali jure præeminent Naturæ Intellectuales, natæ nulli alteri servire, quàm Deo; subjacent aliæ & ordinantur ad nobiliores. Unde, ut non est merè arbitrarius rei intrinsecus ordo, quo in suo connaturali statu constituitur; ita nec merè arbitrarius censeri debet ordo hic universi; & ut spectat ad rectitudinem Divinæ Providentiæ, non interturbare rerum intrinsecos ordines per miracula, ita spectat & maximè non interturbare hunc ordinem magnum, & harmoniam Universi, cui subserviunt privativi illi & speciales ordines. Quare non videtur posse facere Deus mundum solis muscis, aut solis asinis; imò nec solis Naturis intellectualibus; nam ex utrolibet deffectu maneret opus reipsâ mutilum, & egens proportionis connaturalis, & complementi.

38 Infero octavò: quousque verum sit Deum posse res in nihilum vertere, & destruere universum? Videtur enim Deus id posse omninò liberè; & infirmiari exinde præcipui cardines sententiæ nostræ. Nam is eventus alioqui possibilis, & secundùm se omninò contingens, non timetur, nullâ in timoris aut levamen, aut depulsionem, inductâ penès Deum necessitate non annihilandi universum.

39 Censeo tamen primò: res ita posse disponi, & formari Universum, ut ex suppositione sit deinceps inannihilabile: nempe si detur suppositio entis essentialiter indeffectibilis vel genere, vel specie, vel numero: qualia sunt entia Visionis Beatificæ, & Unionis Hypostaticæ, & ex connexione connaturali, elevationis ad supernum ordinem. Atqui formatio Universi præsentis, talis est: unde Censeo secundò: Universum pronit à Deo conditum omninò liberè, mansisse ex suppositione inannihilabile. Ratio est nuper insinuata.

40 Censeo tertiò: præcisis his, de quibus nuper, Deum omninò libere posse vertere in nihilum omnia, ex supremo Dominio, & sine ullâ violentiâ: quia ubi non restat jus quod lædas, & potestas tollendi omnia jura, sicut fieri injustitia nequit, ita nec violentia. Deus autem annihilando res omnes, omnia jura supprimeret. longè alius est nostrarum Conclusionum scopus.

41 Censeo demum quartò: nihilominus, adhuc homines securi possunt esse de non annihilatione Mundi. Primò: Quia licèt Deus posset facere compensationem reducendo res ad statum, quo ante creationem erant: ubi non præponderant jura potiùs existentiæ, quam non existentiæ, tamen is eventus est ex eorum classe, qui suapte natura ratissimè eveniunt: ex quibus perinde, licèt alioqui possibilibus, quia censentur non eventuri, nullus timor prudenter oboritur. Secundò: quia Naturæ Rationales ordinantur connaturaliter in immortalitatem, & ipsis debetur exinde cognitio finis æternùm duraturi: quæ proinde cognitio, cum esse nequeat falsa, indita videlicet nobis à Legislatore veraci, suspendi ante rerum annihilationem debuisset per miraculum & compensari: hoc autem miraculum subtractionis, & compensationis cum desit, de est jure timor de Universi in nihilum ruina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO III.

QVVSQVE EX SVPPOSITIONE CONtingentis creata necessitet Deus ad decernendâ Incarnationem?

42 PRima Conclusio: Deus nullomodò necessitatur ad Incarnationem ex suppositione Orbis conditi. Ob eam considero præcisè quoad Naturalem ejus constitutionem. Ratio est: primò: quia Incarnatio supernaturalium entium apex, non est ex ordine Vniversi, nec de ejus naturali constitutione, nec dignitate, sed omninò supra, ut est omninò supra Naturam: ergo ex Vniversi suppositione nulla potest sequi cum Incarnatione connexio: Quod enim est supra dignitatem, & condi tionem naturalem rei, ex ejusdem existentiæ suppositione non sequitur. Secundò: quia ipsa Vniversi constitutio fundat physicam evidentiam de inexistentia Incarnationis: ut fundat physicam evidentiam tenoris in suo ordine naturali: qua verò ratione sequi potest ex aliqua suppositione, quod ex ipsa fit evidens non sequi?

43 Dicis: qui Sapienter operatur, ex medii suppositione vult finem; sed omnia creata sunt media respectu Christi: ergò Deus vel ex eorum suppositione vult Christum, vel non operatur Sapienter. Confirmatur, tùm ex eo quod ex suppositione eorum, quæ sunt infra hominem, necessitatur Deus ponere hominem, ne sint illa sine suo fine. Tùm ex eo quod impossibile sit Deum velle quòd Christus existat, quin velit creaturas existere; debetur enim ipsi naturaliter subordinatio, & usus Creaturarum: major autem est dependentia mediorum à fine, quam econverso.

44 Respondeo: sunt media intrinsecè & determinatè ordinata ad finem: & hæc poni sapienter nequeunt sine intentione finis: talia sunt, quæ infra hominem, naturalis ordinis respectivè ad ipsum. Sunt alia, quæ nullam dicunt proportionem dignitatis, & ordinis cum fine, suntque media usûs putè servilis ex suppositione, quòd finis existat: & hæc sapienter decerni possunt, sine decreto finis, non contrà tamen: & hujusmodi sunt respectu Christi, quæ in Vniverso naturali. Ex quibus patet ad argumentum, & confirmationem ejusdem.

45 Secunda Conclusio: Nec item ex suppositione lapsûs humani, seu peccati commissi necessitatur ullatenus Deus ad Decretum Incarnationis. Probatur primò: ex suppositione augentæ indignitatem, & vilitatem in ordine ad beneficium, nequit in Donatario crescere spes ejusdem, neque in Donante debitum, aut necessitas. Est enim suppositio, quæ rem facit sperabilem minùs, & magis indebitam: sed suppositio lapsûs auget rerum naturalium collectioni, seu Universo, indignitatem & vilitatem in ordine ad beneficium Incarnationis: ergò. Probatur secundò: quia Incarnatio etiam ex ipsa suppositione peccati vocatur & commendatur à PP. & Scripturis, opus summæ liberalitatis, & Misericordiæ.

46 Respondet Anselmus: ex necessitate contracta per suppositionem simpliciter liberam, non derogari beneficio rationem gratuiti, sed augeriut patet in eo qui se hodie obligat, dare tibi cras equum: facit enim beneficium duplex: Deo autem libera fuit suppositio condendi hominem in hypothesi peccati secuturi. Sed contra: quia major liberalitas colligitur ex Scripturis: unde dictum accepimus ab Athanasio, Augustino, & aliis, stultos esse qui putant, non aliter Divinam Sapientiam potuisse liberare hominem, quam assumendo: & lapsum Genus humanum potuisse relinquere in massa perditionis, juxta illud Sapientiæ 12. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Sic inde arguitur: Neque Deo est impossibile aliter hominem reparare, quam per Incarnationem: neque Deo est necessarium, lapsum hominem reparare. Non primum: quia posset cedere juri satisfactionis æqualis, & aliter condonare. Non secundum: quòd oppositû sit implicans: puniri enim culpas, possibile est, & decet. Non quòd lex ulla vetet: Deo enim quis legem imponat? Non quòd dedeceat: nam Dominus, & judex in sontes utitur jure suo, dum punit. Non quòd Deo damnosum sit: Deo enim, uti ex nobis luctû nequit accrescere: ita neque damnum contingere: nulla est ergo ex suppositione peccati necessitas decernendæ Incarnationis in Deo.

Anselmus.

Stat cõtra Athanas. Augustin. & alii.

Sap. 12.

47 Dicis: Deus nihil facit omninò frustrà nec inutiliter: fuisset autem genus humanum omninò frustrà, & inutiliter, non securâ per Incarnationem reparatione. Deinde homo directus est à Deo ad Beatitudinem: quæ intentio frustraretur ob lapsum, non intercedente Incarnatione. Tertiò: quia honor Deo ablatus, restitui debet: est enim Dei damnum: at Deo per lapsum honor aufertur; nec restitui potest nisi per Incarnationem: ergo. Quartò: quia lapsum hominem nolle reparare judicant aliqui immisericordis animi, cùm sine ullo dispendio potest adhiberi remedium, ut potest Deus: Athanasius *lib. de Incarnatione parùm ab initio* vocat indecorum, quia videtur esse, cedere Dæmoni prævalenti: Anselmus *in duobus Libris cur Deus homo* judicat impossibile sine Incarnatione. Legatur *lib. 1. cap. 16.* ubi statuit Decretum, & præfinitum à Deo certum numerum electorum, idque non arbitrariò, sed quia sic decebat Divini Dictaminis ideam. Deinde asserit, intra hunc numerum conditos Angelos, qui ceciderunt, adeoque necessarium esse restitui illum numerum vel ex hominibus, vel ex Angelis. Tertiò statuit *cap. 17.* illum numerum neque restitui posse ex Angelis, qui ceciderunt, neque ex aliis denuò creatis, sed ex hominibus. Demum statuit *lib. ipso 1. à cap. 19.* præsertim in ultimo, hunc numerum restitui non posse, homines liberando, & substituendo, nisi per Incarnationem Divinæ Personæ: ex quibus principiis sic statutis, manifestò colligitur Incarnationis necessitas ex suppositione lapsûs humani.

Athanas.

Anselm.

48 Vt, ab his, solutionem incipiam (quia non desunt, qui sententiam oppositam nostræ, aut errorem in Fide, aut temeratam, aut saltem improbabilem vocent,) omnes studeut interpretari benigniùs Athanasium, & Anselmum. Athanasium, quasi locutus fuerit exaggeratoriè, more humano, & respectivè ad nos, quibus aliquando res aliqua videtur indecens; licèt indecens Deo non sit. Ita Suarez & Vazquez. Anselmum: quasi locutus fuerit ex suppositione Divini Decreti de Incarnando Filio, seu peccati tollendi per medium Incarnationis: sic Suarez: vel ex suppositione voluntatis aliquos ad beatitudinem perducendi: sic Petrus Hurtadus: vel ex suppositione designationis de certo numero electorum, antecedenter habitâ ad prævisionem lapsûs hominum & Angelorûm: sic Meratius: Hæ autem suppositiones independentes ex se sunt & inconnexæ cum lapsûs suppositione.

Mens Athanasii & Ansel.

Ex Vazq. & Suarez.

Ex Hurtad & ex Meratio.

49 Verùm quicquid sit de Athanasii mente (cui per adhibitam interpretationem fieri jam satis puto;) de Anselmi mente vix dubitare licèt, si perpendantur ea quæ ex ipso nuper expendi. Quare Vazquez eum interpretari non audet: adhibitæ enim interpretationes vel præoccupantur ex his, quæ nuper; vel minus ingenuæ sunt & subtiles, quàm ut Anselmi subtilitatem deceant.

Sed forsan alia.

50 Alia mihi subest, & est: Anselmi sensum esse, ex suppositione peccati Beatitudinem impedienti homini ad ipsam ordinato, necessariam esse Incarnationem: quia illa suppositio conjuncta est cum suppositione elevationis ad supernum ordinem, & Beatitudinem veram: id, quod minùs est difficile, & fortè verum in aliquo sensu, *de quo mox.* Iam respondeo ad primum: inutilitatem ex hominis vitio esse, non autem ex operantis Dei fine, vel intentione: Deus enim *fecit hominem rectum.* Deinde ea inutilitas vitari posset alio medio condonationis. Ad secundum: Intentio Dei in creatione hominum ad Beatitudinem, conditionata fuit: at conditio ex hominum culpa non subsitit. Ad tertium: per peccata nullum Deo damnum incutitur, nec honor aufertur distinctus ab obsequio debito: neque enim augent Deum honores nostri: neque his eget Deus. Ad quartum: illud in Deo non est animi immisericordis, sed justi: est tamè omissio operis misericordiæ per justitiæ opus. De Athanasio, & Anselmo jam dictum.

Iudicium Authoris.

Mox à nu. 53.

51 Tertia Conclusio. Nec item est Incarnatio ex parte Dei necessaria ex suppositione peccati tollendi, si peccatum tolli possit per medium naturale, & per condonationem extrinsecam: si non possit, erit necessaria non tam ratione peccati tollendi, quàm ratione elevationis, quæ supponitur ad peccatum tollendum. Alterum absolutè dicit assertio, & alia duo conditionatè. Absolutè: Deo supereste media, quibus præcisim ab interventione Christi Domini, aut meritorû ejus, peccatum tollat: adeòque ad hunc præcisè effectum non esse necessariam Incarnationem, seu Hypostaticam Vnionem. Conditionatè: si peccatum tolli nequeat nisi per infusionem gratiæ, necessariam esse Incarnationem, ut fontem connaturalem ipsius. Si tolli possit aliter, nullatenus necessariâ esse. Quæ conditionatè dixi, pendent, & clarescent ex *conclusione sequente.*

52 Probo nunc alterum. Primò: ex communi CC. PP. & Fidelium sensu, apud Vazquez *disp. 1. cap. 3.* licèt non desint alii Patres insinuantes oppositum apud eundem *Vazquez cap. 2.* qui *cap. 4.* eos bene de necessitate Vnionis Hypostaticæ pro reparatione lapsûs per exhibitionê satisfactionis æqualis

P. Vazq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

facienda interpretatur. Secundò: quia non est cur Deus remittere nequeat offensam, quasi cedendo jure, quod habet, exigendi pro ipsa satisfactionem æqualem? Si autem hoc jure possit cedere, non est necessitas interventionis Personæ Divinæ unitæ Naturæ intellectuali finitæ ad reparationem lapsæ Naturæ.

53 Quarta Conclusio: Ex suppositione elevationis gratuitò factæ Naturæ, necessaria est Incarnatio, seu Hypostatica Vnio. Ratio sumitur *ex sect. præcedenti*, & sic proponitur. Ordo supernaturalium entium ex natura rei connectitur cum existentia Hypostaticæ Vnionis: sed penes ea, quæ ex natura rei connectuntur, ex unius suppositione necessitatur Deus ad aliud, vel ad compensationem æqualis: ergo ex suppositione ordinis supernaturalis (seu elevationis ad ipsum, quod perinde est) manet Deus necessitatus ad existentiam Incarnationis, seu Hypostaticæ Vnionis, vel ad compensationem æqualis. Sed assignari nequit extra Hypostaticæ Vnionis genus, bonum æquale *ex dictis lib. præced disp* 3. ergo ex suppositione ordinis supernaturalis, & elevationis ad ipsam, &c. Patent ex hucusque discussis omnia præter Majorem, in qua difficultas est, & quam probo.

Suprà sect. præced. a nu. 20.

Lib. 1. *disp.* 3. *a nu* 80.

54 Primò: quia ordo supernaturalium entium se habet ad Hypostaticam Vnionem, ut proprietas ad Naturam *ex disp. cit sect.* 1. Secundò: quia ordo entium supernaturalium sunt connaturales effectus Hypostaticæ Vnionis, & ratio est: nam Christus, aut suppositum dignitatis æqualis est ex se principium omnium Donorum Gratiæ, quæ possint à Deo creaturis dispensari: est enim fons *de cujus plenitudine omnes accepimus*: & quem donando Deus, *omnia nobis donavit*, teste Paulo ad Romanos 8. 32. quasi nihil sit melius, quod per ullum aliud principium possit nobis donare Deus; & hoc sit connaturale principium eorum, quæ venire nobis possunt à Deo, in ordine superno, excellentissima: sit ergo supernaturalium entium ordinem esse per se, & ex natura rei effectus tanti principii. Vt enim tale principium, ex sui præstantia, habet inducere talia dona, ita & hæc dona, (quibus majora certè non sunt ne dicatur per alia entium genera potuisse Deum Christo honorificentius, & excellentius præmium assignare; nec voluisse: imò per Apostolum decepisse nos, dum dixit, *donata jam omnia nobis in Christo*, cum ipsis, & nobis

Ioann. 1.

Rom. 8. 32.

meliora negasset) ex sui nobilitate petunt induci à tali principio.

55 Tertiò: quia ordo supernaturalium entium, primò instruit ad mores planè Divinos. Secundò, non minus ex se nos facit hæredes Dei, quam cohæredes Christi juxta dictum Apostoli *ad Romanos* 8. 17. Tertiò: est ordo ex se habilitans ad familiaritatem cum Christo, ad ejus existentiam cognoscendam, & scrutandâ Doctrinam, & proportionatus ex se ad actus cum existentia Christi connexos. Quartò: eam inter Fideles, quibus insunt, & Christum, similitudinem proportionis inducunt, ut comparari possint adiuvicem tanquam Caput, & Membra: Vitis, & Palmites; fons, & rivus; Sol, & Stellæ, radix & germen; & alia innumera, quibus Scripturæ abundant, & quæ ingeniosè non minus ac piè expendit hinc & inde collecta P. Antonius Perez *tract. de Perfectionibus Christi p* 1. *disp.* 3. *cap* 1. Hæc autem, ut necessariò dicunt majorem connexionem & ordinem, proportionemque supernaturaliũ entium cum Hypostatica unione, quàm intervenire possit inter naturalia entia & ordinem supernorum, ita impleri non posse videntur nisi per connaturalitatis ordinem, & mutuam connexionem, attentis utriusque ordinis naturis, inter supernum, & Hypostaticũ.

Infrà lib. 5. *disp.* 1. *à nu.* 53.

Rom. 8.

P. Anton. Perez.

56 At cur, inquies, tandiũ dilata est Incarnatio, nec secuta mox est existentiam entium supernorum? Respõdeo, causam esse, quia ea solùm inducuntur ab Incarnatione causalitate morali, seu meritoria, quæ plerumque non requirit præcedentiam, & præexistentiam causantis in eo genere, ut ex dicendis planum fiet: deinde quia donorum supernaturalium ordo fertur in Incarnationem, ut in finem, & objectum, mediis actibus, quos in se connaturaliter claudit, scilicet Fidei, Spei, &c. Patet autem & supernaturalem ordinem connaturaliter causari posse, & ex natura rei connecti cum existentia Incarnationis, quin necessarium exinde sit, ea semper coexistere, sed aliquando.

57 Dicis iterum: major esse distantia videtur inter ordinem supernaturalem, & Hypostaticum, quam inter naturalem, & supernaturalem: ergo sicut ex naturalis suppositione nulla est necessitas ad supernaturalem, ratione distantiæ: nulla similiter erit ex suppositione ordinis superni ad Hypostaticum, ratione distantiæ.

Respondeo, distantiam entitativam (quicquid de eâ sit inter supernaturalem ordinẽ

&

*Suprà lib.*1 *disp.* 3. *à nu.* 9. & *lib* 5 *disp.* 1. *a nu* 50. & 53. & *à nu.* 127.

& Hypostaticum) non obstare proportioni, & affinitati, effectus ad causam, proprietatis ad Naturam; qui tituli attenduntur ad connaturalitatis connexionem: & sunt inter supernaturalem ordinem & Hypostaticum: desunt verò inter Naturalem ordinem, & Supernum.

58 Dicis tertiò: ergo Incarnatio non est gratia distincta moraliter à gratia elevationis; ut non est distinctum à dono creationis donum quod ad illud ex natura rei consequitur. Nego consequentiam. Primò: quia tunc bona quæ consequuntur ex alio censentur moraliter in primo donari, quando illud ea ipsa continet, & inducit, atque adeò jure suo & perse est primum in illo ordine: Talia sunt quæ cõsequuntur ad donum creationis respectivè ad ipsum, seu donum creationis ad illa: nec tamen talia sunt entia supernaturalia respectu Hypostatici ordinis, cui subordinãtur essentialiter: illa ergo connexio cum Hypostatico ordine, licèt augeat dignitatem in ordine elevationis; non minuit ratione summæ Gratiæ, in Hypostatico. Secundò: quia ex dictis *lib.* 1. *disp* 3. *sect* 2. *à n.* 106. subjecto, cui dantur entia supernaturalia, nõ tollunt indignitatem ad ulteriora, multò minùs ad summum. Vide quæ expensius *ibi*.

Lib. 1. *disp.* 3. *à n.* 196.

DISPVTATIO III.

NECESSITAS INCARNATIONIS EX SVPpositione satisfactionis exhibendæ pro Peccato.

1 SVMVS in apice controversiæ: in qua unum video: & ex ipso alterum, miror maximè. Video, vix esse aliam, clarioris decisionis, si Patres Ecclesiæ legas, ut videre, hic, est *à nu.* 154. *infrà*. Vix autem aliam video contentiosiùs à Theologis agitatam, quod miror. Oritur contentionis studium ex investigatione Rationis: quam cum quisque velit excogitare, in Magna controversia; cæteras ad se usque propositas concutit; & subeunte eandem fortunam ex novis Impugnatoribus, novâ; Assertio SS. Patrum, Ratione solidâ, destituta videtur: unde animos sibi facit, opinandi facultas, (Veterum Patrum authoritate, vel dissimulatâ, vel neglectâ,) deferendi sententiam, pro qua nequit allegari Convincens Ratio: quasi non esset verum illud Prosperi *de Vocat. Gent. lib.* 2. *cap.* 2. *sic loquentis, Magna est fortitudo consensionis, cui ad sequendam veritatem Authoritas sufficit, etiam latente Ratione*. Sed, ut in hanc eamus, aperiamus priùs controversiæ sensum, statum, & opiniones.

Infrà à nu. 154.

S. Prosper.

SECTIO I.

SENSVS, ET STATVS CONTROVERSIÆ: & Authorum Iudicia.

2 SEnsus est: an citra Interventionem Incarnationis seu Personæ Divinæ, possit Deo præstari satisfactio simpliciter æqualis offensæ, seu quæ in satisfactionis ratione sit tanta, quanta offensa in ratione offensæ, adeoque possit implere cum rigore leges omnes satisfactionis, ut nulla alia requireretur, etiamsi deberet ex strictâ justitiâ satisfieri? Vnde præscindit hæc quæstio à rigore justitiæ quæ an in Deo locum habeat, videndum *alibi*. Ob hæc P. Koninch *disp.* 3. *nu.* 1. meritò reprehendit eos, qui (nec pauci sunt) præsentem Controversiam cum illa quæstione confundunt: an Deus capax sit strictæ justitiæ, & necessaria fuerit Incarnatio, ut Deo pro peccato satisfieret ex rigore justitiæ? Sunt enim quæstiones adinvicẽ inconnexæ.

Infrà lib 4 *disp.* 4. *Latissimè. Koninch.*

Stra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Status controversiæ reducitur in hæc duo: Primum: an Christus, seu interventio Personæ Divinæ unitæ Naturæ creatæ Rationali, potuerit, aut possit, condignam,& integram exhibere Deo satisfactionē pro peccato? An vero tanta sit peccati indignitas,& malitia, ut ne satisfactione quidem meritorum ultra purè finita, possit æquari? Alterum: an pura creatura, quantumvis sancta, & perfecta, sit insufficiens plenè satisfacere pro peccato? Si enim sufficit pura creatura; aut eâ insufficiente, non sufficit Interventio Hypostaticæ Vnionis,non potest esse ad hunc effectum necessaria Incarnatio. Dicendum ergo de utroque, quod hic præstabimus; sed expensius hic de secundo: Latè *libro* 4. de Primo,cum *de Valore Meritorum Christi*. Ad hæc

Infrà lib 4 disp. 2. & 3.

4 Prima Sententia docet,Puram creaturam posse Deo condignè satisfacere pro peccato Mortali: unde non esse simpliciter ad hunc effectum necessariam Incarnationem. Tribui solet Alexandro, Paludano, Richardo, Cajetano, Schoto, Radæ, & aliis apud Amicum *disp. 5. sect. 7.* & apud Vazquez *disp. 2. cap. 1.* & apud Suarez *disp 4. sect. 9.* qui à nonnullis immeritò acculatur inconsequentiæ, quasi fautor istius Sententiæ; quòd *sect. 7.* puræ creaturæ per vires gratiæ concesserit vim exhibendi aliqualem satisfactionem pro peccato. Imò & Authorum,quibus hæc prima Sententia solet tribui, mens apud me est valde anceps. Nam alii videtur loqui de satisfactione,quæ non æquet rigorē justitiæ: alii de satisfactione imperfectâ; alii de satisfactione per modum meriti. Cujus ea sit cumque

Alexand. Paludan. Richard. Cajetan. Schotus. Rada. Apud Vazquez. Amicum. & Suarez.

5 Secunda Sentētia docet,Puram Creaturam, tam abesse à sufficientiâ satisfaciendi pro peccatō Mortali, ut ne pro Veniali quidem tam proprio, quam alieno possit perfectè satisfacere: necessariamque exinde penes id Incarnationem etiam esse. Sic cum aliquibus à se citatis Pater Vvadingus *disp. 1. à num. 75.* quem unus aut alter Modernus secutus est.

Vvading. Et Moderni

6 Tertia Sententia docet, Creaturam Infinitâ Gratiâ (si possibilis sit) ornatam, posse condignè satisfacere pro lethali. Ita Kovinch *disp. 3. dub 6.* Id quod docto Recentiori placuit extendere ad Sanctissimam Virginem,si dignitas Maternitatis sit,& cum Martinez de Ripalda; ratio Sanctificans,& cum Ioanne de Cardenas, infinita moraliter.

Koninch. P. Ioseph Andrès. ex Ripald. & Carden.

7 Quarta Sententia docere videtur Puram Creaturam, si semel ei fiat aliqualis remissio alicujus debeti objectivi & pœnalis ex peccato contracti, posse quoad cæterum pro peccato etiam mortali integrè satisfacere: ita colligo ex P. Vazquez *disp. 2. & 3.* id insinuante passim; & ita apertè Thyrsus *tom. 3. disp. 12. latè sect. 1. & seq.*

P. Vazq. & Thyrsus

8 Quinta Sententia,præcedentibus contradicit, & asserit, Puram Creaturam, quacumque gratiæ plenitudine ornetur, non posse satisfacere perfectè pro mortali: congruè posse: pro veniali verò,perfectè,& condignè. Et hæc est Doctoris Eximii, & communis.

P. Suarez pro communi.

SECTIO II.

FACILIORA PRÆMITTVNTVR, PRÆfiitutis nonnullis ad Controversiam.

§. I.

PRÆMISSA AD CONTROVERSIAM Principalem.

9 SVppono primò: Omne Peccatū essentialiter, & metaphysicè constitui per rationem offensæ Divinæ. Vnde repugnat actus, qui simpliciter sit peccatum, & qui non dicat rationem offensæ: sive gravis;quæ peccatum mortale est: sive levis, quæ, Veniale. Quare in peccato,duplex ratio debet considerari: altera, oppositionis, & contrarietatis ad Rationem, seu ad Naturam Rationalem, quâ talem: & hæc solet vocari malitia: altera, oppositionis, & contrarietatis ad Deum,ut legem omnium nostrarum actionum, & ut primam Regulam Boni totius:& hæc solet vocari offensæ ratio: Non quia Peccatum sit stricta injustitia, & injuria contra Deum, (quod nunc examinare non lubet) sed quia est contra præceptum Dei, contemptus parvipensivus, vel dissolutivus amicitiæ Divinæ, vel ejus amoris, & complacentiæ. Præmissi verò ratio est: tùm communis Ecclesiæ, & Fidelium sensus,& locutio: non aliter de peccaris quàm per nomina offensæ Divinæ loquentium. Tùm etiam quia Omnis indigna tractatio Personæ dignissimæ est ejus offensiva. Tùm demum quia omnis præcepti violatio est offensio Legislatoris seriò præcipientis & displicentis in transgressione.

Infra lib. 4 disp. 4 sect. 6.

10 Suppono secundò, quod sit ex præcedenti,& fusè traditur à Cardinale de Lugo

Card. Lug. Amicus. Antonius Perez. Cardenal Sforcia. & Nos latissimè ad 1. 2. De Bonit. & Malit.

go *disp 5 sect. 5.* Amico *disput. 5. sectione 5.* Antonio Perez *tractatu 5. disp. 5. cap 6.* Palavicino de Actibus *cap. 14.* contra nonnullos novissimè protectos ab Aldrete *disp 7.* Nullum esse Peccatum quod sine actuali Dei cognitione fiat. Ratio est primò: quia peccari nequit sine advertentia prohibitionis, & legis: quæ quidem requantur ad immutabilem, & æternam regulam boni. Secundò: quia nequit offendi formaliter,qui non cognoscitur. Quod enim non est voluntarium, non imputatur: Nec voluntarium esse potest, quod ignoratur. Tertiò: quia alioquī posset quis invincibiliter ignorans,actionem graviter rationi contrariam, Deo displicere. Deum super omnia diligere, & peccare mortaliter: Nam qui amat,solùm rejicit quod apparet amato displicens.

Mens Nostra Decreto Alex. VIII. firmata.

11 Quare vanam, & impossibilem judico illā Peccati distinctionem usurpati solitam à non paucis in Philosophicum,& Theologicum: quasi illud sit transgressio præcepti, attentâ solum ratione naturali cui opponitur,& exclusa advertentia Dei: hoc, sit eadem ipsa transgressio facta cum Displicentiæ Divinæ notitia. Oportebit tamen hos terminos scire, vel pro formali diversitate cōceptuum,vel pro decisione quæstionis,quam hic excitant aliqui: an nempe pro illo peccato Malitiæ purè philosophicę possit pura Creatura ex integro satisfacere? At hypothesis mihi est impossibilis, nullum agnoscēti peccatum, quod Theologicè tale non sit, ex principiis accuratè jactis, disputando *in primam secundæ de Bonitate,& Malitia*: quæ quàm sint certa, patet, ex Decreto Sanctissimi Domini Nostri ALEXANDRI Octavi die 24. Augusti anni dilapsi 1690. quo tanquam *scandalosam, piarum aurium offensivam, & erroneam* damnat, & prohibet hanc thesem: *Peccatum Philosophicum, seu Morale est Actus Humanus disconveniens Naturæ Rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum,quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu nō cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Alexand. VIII. Prohibitio opinionis de Peccato Philosophico. Propos. damnata.

12 Suppono tertiò rationem, seu notionem formalem satisfactionis. Est satisfactio in genere: *Voluntaria compensatio alicui facta, reddendo æquivalens pro Debito.* Scotus addidit, *ex aliàs indebitis.* Dicitur *voluntaria* ut à satisfactione differat quâ Damnati patiuntur damna: quæ debentur; & Petrus reluctans solvere centum Antonio, compellitur à Judice dare illa centum: nec proinde, ex defectu Voluntarietatis, satisfacit iste; nec illi. Dicitur: *Compensatio facta reddendo æquivalens*: id est, facta per redditionem rei quoad æstimationem, & valorem æquantis debitū: neque enim sufficit, ut satisfiat, redditio rei utcumque extinguenti debitum: fieri enim potest ut extinctio debiti oriatur ex incompossibilitate plusquā rei cum debito,excedente illam tamen in æstimatione, & valore morali.

Scbotus.

13 Sume exemplum in sententia defendente Actum amoris super omnia, quo Deū supernè diligimus esse formam Sanctitatē: & pura haberi non libere, sed necessario à Peccatore. Ecce debitum peccati extinctum sine ulla morali æstimatione accipientis hoc bonum; atque adeo sine ulla specie satisfactionis. Non enim est facta redditio æquivalentis,sed Oppositi.

14 Particula abs Schoto addita turbas excitat: quæ videtur alioquin evidens: quī enim satisfacias creditori per ea, quæ aliunde jam debes? est enim ipsi,per ipsius bona, satisfacere. Idque mihi est cum duplici exceptione verissimum. Prima est: nisi materia novi debiti sit res ut debita ex alio titulo: tunc enim per unam solutionem utrique debito satisfacies. Secunda est: nisi bona aliàs debita creditori, non sint etiā tua, ob utriusque in ea communē dominium: tunc enim absolutè satisfaceres ex propriis. Hinc pro re presenti satisfactio erit, Voluntaria compensatio Deo facta reddendo æqui alens pro offensa. Et dividi solet in Condignam: quæ requirit æqualitatem: & in congruam, quæ modalem unicè proportionem cum offensa, seu remissione dicit.

15 Suppono quartò: satisfactionis discrimen à Restitutione, & à Merito. Differt à Restitutione: quia hæc per se respicit adæquationem jurium, & exinde res: unde cum jus Titii in centum,adæquetur per centum, si pro centū ablatis furto, totidem reponas, restituisti: nempe statuisti rem, ut ante. Satisfactio verò per se respicit compensationem offensæ, & exinde Personam offensam, cui satisfactio fit;& satisfacientem,à qua oritur satisfactio: unde ad valorem satisfactionis debet attendi maximè dignitas satisfacientis, & illius, cui satisfactio fit.

16 Differt à Merito primò: quia Meritum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum non supponit offensam, seu injuriam; supponit satisfactio: Est enim hæc pœna, quæ non debetur, nisi culpæ. Secundò: quia Meritum per se respicit mercedem, & commodum operantis: satisfactio verò honorem, & recompensationem illius, cui fit, & offertur. Tertiò: quia meritum intendit, alium facere debitorem: satisfactio supponit debitum, quod intendit extinguere. Quartò: quia condignitas meriti pensatur ex æqualitate cum bono, quod acquiritur vice præmii: Satisfactionis verò condignitas pensari debet ex æqualitate cum offensa, & cum Persona, cui effertur, ad abolitionem offensæ.

17 Suppono quintò. Pro illo peccato, quod vocabant aliqui, Malitiæ purè Philosophicæ, facto nempe sine ulla advertentia in Deum, posse puram Creaturam per vires etiam naturales integrè, & ex æquo satisfacere. Ratio est, quia in eo casu nulla fieri debet satisfactio Deo, sed aliis infra Deum: non est ergo unde sit puræ creaturæ, per se loquendo, impossibilis compensatio. Antecedens patet: quia hic soli creaturæ potest inferri injuria, vel damnum, non Deo: Nam neque damni capax est Deus, nec offenditur, si non cognoscitur. Confirmatur: qui in materia secundùm se gravi delinquit cum invincibili errore malitiæ solùm levis, non debet aliam satisfactionem, quàm pro culpa levi: ergo qui invincibiliter delinquit contra rationem, cum invincibili vel ignorantia Dei prohibentis, vel Dei dispicentis, nullam Deo debet satisfactionem: ergo. Tùm etiam quia tota incompensabilitas peccati per opera puræ creaturæ venit à ratione offensæ Divinæ, ut excurrenti per Sententias Theologorum in hoc puncto, fiet evidens: sed illa deviatio à ratione nullam dicit rationem offensæ Divinæ: non ergo est incompensabilis magis, quam injuria illata contra unam creaturam ab alia. Hæc ex hypothesi, quam omnino damnatam volo ex *nu.* 11. His suppositis, sit in re præsenti

Vide suprà num. 11.

munis opinio contra Rubionem, & alios apud Amicum *disp. 5. sect. 2. & 6.* Probatur de omni genere peccati in universum primò: quia omnis satisfactio pro peccato, quod illudcumque sit, ut positivè tollit obicem salutis, & vitæ æternæ, positivè conducit ad salutem, & Vitam æternam: sed nihil positivè conducens ad Salutem, & Vitam æternam præstari potest per vires purè naturales, ex his quæ *disputando de Auxiliis late* diximus: ergo. Probatur id ipsum in universum secundò: quia si opera Naturalia essent ex se æqualis satisfactio pro peccato, ne in hac lege quidem peteretur à Deo alia satisfactio; sicut quia cum Sacramento sufficit Attritio, non exigitur altioris dispositionis genus à Deo: sed aliud Deus exigit præter omnia, quæ à viribus merè naturalibus ortum ducunt: ergo.

Amicus.

Latè tom. in 1. part.

19 Probatur terriò præcipuè de peccato mortali: quia De Dei, & aliarum rerum essentiis, & prædicatis ita censeri debet, ut maneat justus Dei conceptus: is nempe, quo, jure Deus appareat esse illud ens, quo nullum melius, & perfectius excogitari possit, juxta celebrem definitionem Anselmi: atqui si Dei Majestas talis foret, ut ejus contemptor vires ex se sufficientes haberet ad compensationem offensæ, sine intervention Divinæ Veniæ, & Indulgentiæ, non esset nec appareret ens, quo nihil melius, aut perfectius excogitari posset: Nam Majestas offensi semper auget difficultatem compensationis; atque adeò quò difficilior est compensatio, eò major, & altior Majestas æstimatur: ergo.

Anselmus.

20 Probatur quartò: Bonũ omne naturale adeò est tenue, & exile, ut à plerisq; PP. non vocetur simpliciter bonum: Offensa verò tale est malum, ut semper sit simpliciter malum. Arguo nunc sic: Vt offensæ satisfacias, debes dare tantum honoris supra id ad quod aliunde tenebaris, quantum fuit inhonorationis in offensa: id autem fieri per opera naturalia patet ex terminis impossibile.

21 Dices primò pro Mortali. Potuit statuere Deus, ut conterente se homine per naturales Vires, remitteretur ipsi mortalis offensa: quid deesset illi contritioni naturali, ad condignam satisfactionem pro Mortali? Confirmatur: quia saltem in statu puræ Naturæ, cum peccatum sit in ordine purè naturali subjectivè, & objectivè: id est, à subjecto, cui nulla fit per ipsum supernaturalis doni privatio, & contra Deum præcisè ut

§. II.

IMPOSSIBILITAS SATISFACTIONIS per Vires Naturales pro quovis peccato.

18 PRima Conclusio: Pro nullo peccato, quod Theologicè tale sit, etiam veniali, præstari Deo satisfactio potest à pura Creatura per vires purè naturales. Est com-

Authorem Naturæ, non videtur posse negari æqualis satisfactio in ordine purè naturali: quæ nempe consisteret in dilectione Dei super omnia, aut naturali contritione. Et ratio est, quia sicut peccatũ hominis elevati tollitur per id quod est optimũ in ordine elevationis, quod est Gratia: ita peccatũ puræ Naturæ tolli debet per id quod est in ordine puræ Naturæ optimum, quod est amor naturalis Dei super Omnia: cujus cõparationis ulterior ratio videtur esse, quia sicut Optimũ in ordine elevationis nequit à Deo dari nisi per affectum incomposibilem cum peccato illius Ordinis: ita nec videtur posse dari in ordine naturali, quod est optimum, nisi per affectum incomposibilem cum peccato talis ordinis.

22 Respondeo ad argumentum: posse quidem Deum ita statuere: non tamen ex meritis, aut intrinseca congruentia, & proportione naturalis contritionis, sed ex mero suo libitu quo vult assignare ut puram cõditionem suæ condonationis illum actũ præ alio: sicut & alias res nullius ex se proportionis intrinsecę ad aliquos effectus assumpsit in conditionem eorumdem: unde extrinseca illa Dei pactio res nõ immutat, nec ponit condignitatem, ubi non præsupponitur. Confirmatio nonnullos, & Veteres, & Modernos bene doctos induxit, ut asserent in statu puræ Naturæ paratam in Deo satisfactionem æqualem pro peccato per Naturalem Dei dilectionem super omnia. Quod mihi vehementer displicet hac ratione potissimùm: Nam si semel offensæ Divinæ malum potest compensari per actum finitæ bonitatis; & adæquari per illum Remissionis bonum: Bonum etiá remissionis per supernaturalis doni infusionẽ factæ poterit adæquari per actum finitæ boniratis, superaddendo tantum, quantum specialis æstimationis est in dono gratuito, per quod remissio fiat. Id autem censetur ab his ipsis impossibile.

23 Quare nego in statu puræ Naturæ posibilem pro mortali peccato satisfactionem condignam. Nec ratio in oppositum objecta valet: nam ideo quod est in ordine elevationis optimum, nempe Gratia Habitualis, peccatum tollit, quia cum ipso est incompatibilis ex pulcritudine tantæ formæ; at actus ille naturalis amoris, minoris est bonitatis quàm sit malitiæ, Dei offensa: nec alioquin physicè est in compossibilis cum offensâ præcedenti.

24 Dices 2. pro veniali: nam pro ipso ea videtur esse sufficiens satisfactio, quæ apta est restituere objectivam cõplacentiam quam de oppositio actu, quo vitari potuisset, habuisset Deus, & veniale vitari potuit per actũ virtutis contrarium, Naturę viribus elicitum: ergo. Major probatur, quia id tantum debet resarcire satisfactio, quod per offensam abstulit: ergo si offensa solum abstulit objectivâ complacentiam actus boni, non quidẽ supernaturalis, sed naturalis, per hujus exhibitionem fiet integra satisfactio. Confirmatur: quia videtur omninò durum, negare posibilem pro statu puræ Naturæ satisfactionem saltem pro Veniali: maximè cùm actus, qui daretur pro remissione, non deberet esse conducens ad vitam æternam, ut nunc: nam supponitur inelevatio Creaturæ ad hujusmodi finem: & alioqui sunt in eo ordine actus Virtutum nobilissimi.

25 Resp. ad argum. 1. per peccatum veniale, licet impediatur immediatè sola complacentia boni naturalis; mediatè, & illativè impediri complacentiam supernaturalis boni: impeditur enim complacentia de infundendis supernaturalibus auxiliis, per quæ Natura Rationalis augere posset familiaritatem cum Deo: Vtrumque autem resarcire deberet satisfactio: quod naturalis actus exiguæ bonitati est impossibile.

26 Resp. 2. negando majorem. Ad probationem dictum est *suprà* satisfactionem, ut à pura restitutione distinctam, non utcumque debere ponere, quod ablatum est, sed compensare quod est illatum: id quod 1. (rebus, ut nunc) fieri nequit, nisi per actum qui possit movere nos ad supernaturalem finem ad quem dirigimur, & quem nobis impedire potest offensa Dei. 2. fieri nequit unquam, nisi per actum æquè bonum, ac est offensa mala, supra id quod necessarium est ad restitutionem ablati boni: neque enim satisfacis pro offensa omittendi aliquem actum, per positionem actus subsequentem; sed ultra id per compensationem specialis iniuriæ de eo, quod in instanti antecedente non posueris hunc eundem actum: nam in hoc constitit offensæ ratio. Ob rationem confirmationis satis probabilem, dici posset, non repugnare in statu naturæ puræ satisfactionem pro veniali: id quod post Suarez promovet Amicus *hic disput. cit. sect. 6. a n.* 249. sed adhuc inclino & hæreo parti negativæ ob exiitatem omnis boni naturalis: & locutiones *Milevitani*, &

Vide à nu. 15.

Suarez.

Amicus.

Milevit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aranſic. Author in 1. 2.

Aranſicani, omne genus Remiſsionis vocantes opus Divinæ Gratiæ. Sed de his, *in* 1. 2.

§. III.

POSSIBILITAS SATISFACTIONIS pro Veniali per vires Gratiæ.

27 SEcunda Concluſio: Nihilominus pro Veniali dari Deo poteſt à purâ Creatura alioquin juſta, Condigna ſatisfactio ex viribus gratiæ: at de facto non datur. Supponit aſſertio, ab homine injuſto, & inimico præſtari non poſſe Deo quicquam per quod de condigno, ne pro veniali quidem, ſatisfaciat. & meritò: nam inimici opera ſumi non debent in reconciliationem, cui ipſe ſtatus operantis opponitur. Iam 2. pars videtur eſſe contra Suarez, & Amicum, ſed communis: Nec tamen mihi videtur, (ſecùs ac Ripalda, & Delugo cenſent) efficaciter probari eo quòd aſſeratur à PP. peccata remitti Nobis à Deo: quæ vox remiſſionis, ſatisfactionis, aut juſtę ſolutionis vim extenuat. Nam id à PP. dici jure potuit ratione antecedentis auxilii ad ipſum exercitium ſatisfactionis neceſſarii: illa enim antecedentis gratiæ infuſio videtur aliqualis remiſsio, cùm ſe ipſa contineat actum, qui à Creatura in ſatisfactionem offertur. Probatur igitur efficacius ea 2. pars: nam de facto omnes, & ſinguli actus ſalutares hominis juſti adæquantur per condignum præmium vlterioris gratiæ, & gloriæ: ergo non manet in ipſis ulla vis condignitatis ad aliud genus præmii, ſeu quaſi præmii.

Suarez. Amicus.

28 Confirmatur. Nequit offenſo ſatisfieri per obſequium alioqui jam mercede conductum, & cujus totam condignitatem exhaurit offenſus per remunerationem alterius generis: ſic enim pro offenſa nihil daret offenſor; cùm abſorpta ſit per remunerationem tota obſequii condignitas: ſic centum ex furto debens Titio, & dans centum ex novo contractu venditionis, non ſatisfeciſti pro furto: at omnia noſtra obſequia ſunt mercede conducta apud Deum ea remunerante, ſupra condignum, præmio Gratiæ & gloriæ: ergo. Confirmatur iterum: nam alioquin nunquam remitteretur veniale per Sacramentum. Vide Ripalda *tom.* 2. *diſp.* 97. *ſect.* 3.

Ripalda.

29 Prima pars, cui, poſt ſuprà datos, refragari etiam video Cardinalem de Lugo *de Pœnitent. diſp.* 9. *ſect.* 2. *n.* 20. Probatur 1. quia levis offenſa, ut non diſſolvit amicitiam, ita nec ſolvit amicitiæ jura: eſt autem de ratione amicitiæ, ut, ea permanente, ſit Amicus, facilè placabilis per obſequia alterius amici, quoad offenſiones obvias, & vix evitabiles: ergo eſt de ratione Gratiæ, per quam in homine permanet amicitia cum Deo, ut per aliquos actus ſuos poſsit Deo condignè ſatisfacere pro hujuſmodi offenſis. Et ratio horum eſt: nam magis Deus complacet in Amico, quam diſplicet in offenſa levi: unde neceſſario debet eſſe aliqua operatio Amici magis Deo placens, quàm venialis offenſa diſpliceat: quod exinde convincitur, quòd per aliquos actus ita nobiles ſimpliciter creatura convertitur ad Deum, à quo per venialem offenſam non avertitur. Tùm quòd majus præmium cadit in condignitatem operationum ſalutarium juſti, quam ſit tota pœna, quam meretur offenſa levis: ergo poteſt pro illa Deo condignè ſatisfieri à juſto.

Card. Lug.

Probatur 2. quia ſi levis offenſa eſſet per finitam ſatisfactionem incompenſabilis, haberet quamdam infinitatem offenſæ; non minus ac ſi eſſet per finitam ſatiſpaſsionem incompenſabilis: ergo æquè repugnat utrum que comceptui venialis offenſæ.

30 Probatur 3. nam ſi ex ſuo conceptu eſſet incompenſabilis per ſatisfactionem amici, levis offenſa, poſſet Deus ob levem offenſam Amicum arcere æternùm à poſſeſſione boni ad quod aliunde jus habet ex amicitia. Hoc autem eſt mihi duriſsimum. Dicit in ſimili P. Suarez poſſe id quidem Deum, ut eſt Dominus, non autem ut eſt judex. Vt Dominus: quia poteſt uti jure ſuo, & non remittere: non ut judex, quia contentus eſſe debet pœna finita, & temporali pro culpa levi. Contra: quia nec, quia Deus ſit Dominus, deſinit eſſe juſtus; neque, quia juſtus, & Dominus, deſinit eſſe amicus: qua ergo ratione, quia Dominus, poſſet offenſam illam venialem æterna privatione boni punire? aut qua ratione non exigit amicitia, ut condoner? ſi autem amicitiæ ratio exigit, ne Deus deſinat condonare, cur non exigat amicitiæ ratio, ut acceptet aliquam ſatisfactionem amici? Quod ſi mihi conceſſerit P. Suarez (ut re ipſa concedit hîc *diſp. illa* 4. *ſect.* 11. *fin.* eſſe de exigentia Gratiæ, & amicitiæ, ut Deus acceptet aliquam ſatisfactionẽ pro offenſa levi,) Vel acceptare tenetur, vel aliunde condonare: neque enim aliter fieri poſſet æqualis compenſatio reſpectivè ad exigentiam amicitiæ: hæc autem eſt omninò neceſſaria juxta noſtra principia.

Diſtinctio P. Suarez.

Nõ placet.

31 Probatur 4. quia peccatum veniale non eſt ſimpliciter in linea offenſæ, nec ſumit ordine ex perſonâ increatâ, ſed ex bono finito ſimpliciter: cur ergo non poſsit ſimpliciter ſatisfieri per actus, & obſequia ordinis ſimpliciter excellentis, & Divini, nempe, ſupernaturalis. Ratio conſequentis eſt: nam tota difficultas ſatisfaciendi, vel oritur ex dignitate offenſi, vel ex inęqualitate obſequii ad offenſam: ſi autem offenſus non eſt ſimpliciter offẽſus, nec ejus dignitas quaſi moraliter lœditur, nec exinde ſimpliciter ſpecificat offenſã: aliunde malitia eſt ſimpliciter levis, & vincibilis per obſequia; non eſt cur repugnet condigna pro offenſis hujuſmodi ſatisfactio? Prob. antecedens: ab illo ſumit ordinem peccatum, quod voluntariè contemnit, & deſerit; ſed veniale nec contemnit, nec deſerit Deum, ſed aliquid extrinſecum Dei, nempe fervorem, qui verſatur circa Deum: ergo non ſumit ordinem à Deo, ſed à modo ſe habendi circa Deum, qui modus finitus eſt. Quare non incongruè dixit Amicus (quem vide:) veniale nõ eſſe ſimpliciter, & immediatè contra Dei voluntatem, ſed contra prohibitionem: & exinde veniale diſcriminat à mortali. Dat rationem: quia venialiter peccantis Voluntas manet conjuncta cum Deo, ipſiuſque voluntate; ſolumque deviat in modo operandi quem prohibet ipſã Dei voluntas, quam tamen nec deſerit, nec contemnit.

Amici dictum de Veniali.

32 Objicies tamen: nõ eſt, in ordine ſupernaturali, actus tã bonus, quàm eſt mala, venialis offenſa: ergo nequit per ullum ex illis pro iſtâ ex integro ſatisfieri. Prob. antecedens: Nõ eſt in ordine ſupernaturali actus cujus negatio ſit tam mala: quã offenſa venialis: Nam offenſa levis eſt ſimpliciter ineligibilis, & magis ineligibilis quàm negatio cujuſvis actus ſuperni ſecundũ ſe inſpectj: ergo non eſt in ordine ſupernaturali actus tam bon⁹, quã eſt mala venialis offenſa. Probo conſequentiam: nam id quod eſt malum majus quàm negatio alterius rei, majus eſt malum, quàm ſit bona res, cujus negatio vincitur in malitia: nam negatio creſcit in ratione malitiæ ex bonitate rei cujus eſt negatio.

33 Hæc objectio, quæ ſumitur ex Anſelmo *lib.* 1. *cur Deus Homo c.* 21. probat nimis: nãq; neq; unio hypoſtatica, neq; actus theandrici Chriſti Dñi eſſent quid æquè bonũ, ac eſt mala venialis offenſa: cùm eorum negationẽ præſtet eligi, quàm peccatum. Nego igitur antecedens. Ad probationẽ diſtinguo antecedens: attentâ malitia ex bono, & utilitate quâ ſubiectum privat, nego antecedens: attentâ malitia ex oppoſitione contra rationem, concedo antecedens: & ex hac oppoſitione eſt ſimpliciter ineligibile peccatum veniale: non autem eſt majus malum in ſe, quã ſit bona quælibet operatio ſupernaturalis: eo ipſo, quod peccatum ſit ineligibilius: tota enim hæc ineligibilitas venit ex ratione mali moralis, & rei inamabilis licitè. Quare non eſt magis, & prius eligibilis negatio cujuſvis actûs ſupernaturalis, quàm venialis offenſa, quia hæc eſt magis mala, quam illi ſint boni, ſed quia illa eſt contra rationem, & licitè non poteſt amari. Vt autem aliquid ſit altero eligibilius, duo requirit. Primum, ne ſit contra rationem: nam hic conceptus ut deſtruit eligibilitatem, deſtruit etiam fundamentum comparationis. Secundum, ne ſit majoris bonitatis, vel damni minoris, reſpectivè ſaltem ad eligentem. Inde nego conſequentiam ſecundi entymematis: cujus probatio ſuppreſſa jam eſt.

Anſelmus.

34 Objicies inſuper: ſi Satisfactio pro Veniali debeat eſſe ſupernaturaiis, eo ipſo debet eſſe ex præſuppoſita Gratia creditoris, & offenſi: nullus enim haberi poteſt actus ſalutaris ſine ſpeciali auxilio Divinæ Gratiæ: ſed eo ipſo quod fiat ex ſuppoſita Gratia creditoris, & offenſi nequit eſſe condigna ſatisfactio: quod oſtendo: nam ubi datur palliata remiſsio, & virtualis, nequit intercedere vera ſatisfactio; ſed ubi datur ab offenſore Gratia quâ ipſi ſatisfiat, datur virtualis, & palliata remiſsio: nam eo ipſo datur ab offenſore totum illud, quo ipſi diceris ſatisfacere: ſicut ergo ſi debens centum Titio ex furto, acciperes ex ejus gratuita donatione centum per quæ reſtitueres, reipſa cenſeretur facta tibi remiſsio debiti, & impoſsibilis ſatisfactio: ſic debens pro veniali actum ſupernum, quo pro ipſo ſatisfacias Deo; ſi à Deo accipis Gratiam & in ipſa eundem ipſum actum, reipſa cenſebitur facta tibi remiſsio offenſæ, & impoſsibilis ſatisfactio. Ratio eſt: quia nihil addis de tuo pro compenſatione offenſæ.

35 Reſpondeo diſtinguendo antecedens: eoipſo debet eſſe ex præſuppoſita creditoris & offenſi Gratia, excedente jura, & dignitatem offendentis, aut ipſi impedienti dominium in actum ſolutionis præſtandę, aut neceſſariâ pro adæquatione actualis ſolutionis ad debitum, nego: nec excedente jura,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec dignitatem offendentis, nec ipsi impediente dominium, neque necessariâ, ut solutio adæquetur ad debitum, concedo: & nego e converso minores subsequentes; ac explico distinctionem, itque ipsâ Doctrinam pro his, & similibus utilissimam.

36 Triplex genus Gratiæ obstare potest satisfactioni, si fiat offendenti, seu satisfacturo, ab ipso Creditore & offenso. Prima est, illa quæ necessaria est, ut solutio adæquet actu debitũ: eo enim ipso id quod offertur, non est æquale Debito, atque adeo non est satis, & misceri debet ex Creditoris parte remissio. Secunda est, illa, quæ impedit aut facit quod in offerente non sit dominium in rem per quã satisfactio deberet fieri: eo enim ipso id quod offertur, non est ex propriis, atque adeo nequit fieri satis Creditori: nemo enim satisfacit Creditori per bona, quæ unicè sunt ipsius. Tertia est illa, quæ licèt nec sit necessaria ad adæquationem solutionis ad debitum, nec impediat simpliciter dominium actuum subsequentium, necessaria tamen est ad istos, nec ullo modo debetur offendenti, sed potius indebetur: eo enim ipso, per collationem ita gratuitam censetur remitti virtualiter debitum.

37 Nunc ex his, ad rem nostram. Certè ad satisfactionem pro veniali requiritur antecedens auxilium & Gratia Creditoris, qui Deus est: at hoc genus Gratiæ, licèt requiratur ut fiat solutio, non tamen, ut solutio condigna sit, & adæquetur ad debitum: actus enim supponitur majoris bonitatis quàm sit mala offensa; nec tollit, imò constituit dominium offendentis: nam ipsum ponit in manu Consilii sui: nec ita datur à Deo, ut sit supra jura & dignitatem, ac gradum, in quo est offendens: supponitur enim, in casu satisfactionis, justus. Gratia autem & amicitia, est aliquale jus, & dignitas ad auxilia sui ordinis. Quare, licèt attentis meritis donatarii illæ Gratiæ simpliciter dentur à Deo gratis, & sint dona gratuita; tamen attento gradu, in quo Donatarius est, non dãtur à Deo omninò liberaliter, nec sine jure aliquo præsuppositio. Non ergo potest hoc genus Gratiæ præsuppositæ impedire rationem satisfactionis pro veniali offensa in creaturâ præsertim Sanctâ.

38 Objicies tertiò: Vel satisfactio quæ à pura Creatura præstari à Deo potest pro veniali est per modum compensationis seipsâ extinguentis debitum, independenter ab ulteriori favore Dei: vel indiget novo Dei favore illam liberè acceptare volentis in satisfactionem? Non primum. Primò: quia nullum est obsequium Creaturæ, quod Deus exigere non possit ex suo Dominio proprietatis in omnia nostra ex aliis titulis independenter ab offensa: si autem Deus exigat ex aliis titulis, non erit satisfactio ex deffectu Divinæ acceptationis. Secundò: quia alioquin per positionem talis obsequii etiam fieret Deo satisfactio pro veniali, in hac lege contra secundam partem asserti superioris. Tertiò: quia hinc fieret non fuisse Christum necessarium ad satisfaciendum pro venialibus; & ad hominem liberandum ab ipsis; secus ac affirmant Sancti Patres.

39 Non secundum. Primò: quia interventio novi favoris ad acceptandam satisfactionem, destruit ipsam satisfactionem: de ratione enim satisfactionis est, ut eâ posita cesset offensa, & quod non possit ab offenso non acceptari, præsertim oblata ab offendente. Quorum omnium est ratio: quia licèt fieri debitorem, pendeat ex voluntate illius, qui debitor fit: maximè loquendo de Deo, *qui nulli debet, nisi volens*, ex Augustini phrasi; tamen non esse Creditorem, non tam pendet ex voluntate illius qui desinit esse creditor, quam ex voluntate debitoris: si enim hic satisfacit; qui erat creditor, desinit esse creditor: nam ille satisfaciendo desinit esse debitor. Secundò: quia si requiritur gratia acceptationis, videtur requiri Gratia, ut solutio adæquetur ad debitum: hoc autem genus gratiæ repugnat satisfactioni ex *numeris præced.* Tertiò: quia alioquin Deus posset nullã acceptare satisfactionem pro veniali, ob idque privare Creaturam, alioqui gratã, remissione Venialis in æternum.

Augustin.

Nuper ex num. 36.

40 Quod autem respondet Suarez, statui justitiæ deberi remissionem venialium, eamque proinde negari à Deo non posse, ut à judice, sed ut à Domino, & quidem juris alti, & extraordinarii, nõ satisfacit. Tùm quia si Deus potest non acceptare satisfactionem, manebit offensa, & ipse manebit offensus: atque adeò ut judex & ut offensus poterit nolle remittere. Tùm quia, sive id fiat à Deo ut à judice, sive ut à Domino, videtur asperrimum. Ob hæc multi cum P. Vazquez discesserunt à Doctrina P. Suarez requirentis favorem illum acceptationis, ut fiat integra Deo satisfactio etiam pro veniali; vereor tamen ne accipiant aliter longè, ac tantus Doctor accepit.

P. Suarez.

Fortè aliter acceptus à Vazquez, aliisque ac debet.

41 Respondeo, Satisfactionem puræ Creaturæ pro veniali non esse per modum compensationis se ipsâ formaliter debitum extinguentis sine novo favore Divinæ acceptationis: tùm ob rationes in prima parte objectionis; tùm ob observatum *supra* discrimen inter Restitutionem, & satisfactionem. Restitutio, cùm principaliter respiciat rerum & jurium æqualitatem, fieri potest etiam invito Creditore. Satisfactio verò, cum respiciat Personas, & unius offensam, & inhonorationem, supponit plerumque jus in offenso ad acceptandum, vel non acceptandum obsequium, maximè si offensus sit summæ Majestatis, vel obsequia tota quanta sunt, possint ipsi ex aliis titulis esse obligata: quæ duæ conditiones hic concurrunt.

Suprà à nu. 25.

42 Tamen hic favor acceptationis non minuit rigorem satisfactionis: neque enim se habet per modum condignificantis obsequium, aut reddentis æquale ad offensam, sed per modum merè applicantis offenso opus, & obsequium aliàs condignum, & æquale ad offensam: mera autem applicatio pretii aliàs justi non minuit rigorem plenæ satisfactionis, & solutionis: ut patet in contractibus pecuniariis, etiam rigorosæ justitiæ: ex quibus patet ad impugnationes secundæ partis. Patet ad primam: quia ea Dei ira, vel solum est vera in casu meræ restitutionis, vel casu quo Debitoris bona, & obsequia non sint aliàs obligata Creditori, & offenso independenter ab offensa. Patet ad alteram: quia ille favor non est condignificativus obsequii, sed purè applicativus obsequii aliàs plenè condigni. Patet ad tertiam: quia ex ratione amicitiæ tenetur Deus, vel condonare, vel satisfactionem admittere ex *num.* 30.

Suprà à nu. 30.

43 Restabat ultima impugnatio primæ partis. Cui dicendum Christi Redemptionem non fuisse nec esse simpliciter necessariam ad condignam satisfactionem pro Venialibus: esse tamen ex suppositione peccati Originalis; vel Personalis mortalis; vel pacti plenè remunerandi omnia justorum obsequia præmiis gratiæ ulterioris & gloriæ. Primum & secundum: quia nequit fieri talis satisfactio ab homine, nisi fiat illi prius originalis, aut peccati Personalis remissio per Christum, & ponatur in Gratia. Tertium, ex ratione nostra pro secunda parte Conclusionis, & in hoc sensu SS. PP. Videndi de Doctrina solutionis Martinon & Amicus, pro Suarez solidè discurrentes. Ille *disp. 2. sect. 10 à num. 192.* contra Vazquez. Iste *disp. 5. sect. 6. à num. 244.*

Martinon. & Amic. pro Suarez cont. Vazq

44 Objicies quartò: Peccatum veniale contrahit debitum carendi auxilio sufficienti ad exhibendã pro ipso satisfactionem: ergo nequit per ullum obsequium ipsi satisfieri. Probatur consequentia: quia nequit acquiri à Deo auxilium sine gratuita remissione debiti per peccatum veniale contracti; ubi autem intervenit remissio debiti, non potest offerri integra satisfactio. Negat P. Vazquez antecedens: nam, ut videbimus *infrà* ex hac ratione dicit non posse à puro homine integram pro mortali satisfactionem offerri.

Vazquez. Infrà à nu. 236.

45 Ratio negandi est illi duplex. Prima quia Amicus non est indignus beneficiis amici. Secunda: quia justus habet dignitatẽ ad gloriam: ergo & dignitatem ne sibi impediatur gloria: ergo ut tollatur impedimẽtum ad gloriam, quod veniale est: non ergo est indignus ad media, per quę tollatur impedimentũ: & hæc sunt auxilia: alioqui posset Deus æternùm privare justos gloriâ ob veniale peccatum. Neutra ratio placet aliis. Non secunda. Primò ex dictis *nu. 29.* Secundò: quia illud debitum potuit esse temporale; ut est pœna quæ Peccatum veniale sequitur: utque potest remitti pœna, seu tolerari per satispassionem, manente culpa; ita & illud Temporale Debitum. Non prima. Primò: quia sicut amicitiæ non repugnat debitum pœnæ temporalis, relictum ex peccato mortali, cur repugnet debitum temporale carendi auxilio? Secundò: quia licèt amicitiæ ratio sit dignitas ut tollatur veniale, at nõ videtur esse dignitas (si cum peccato veniali conjungatur) ut tollatur hoc, per mediũ, ex quo amico alioquin se ingratè gerenti, & peccanti leviter, accrescat novum jus ad Beatitudinem, & major amicitia: accresceret autem factâ remissione venialis per actum satisfacientem ortum ex auxilio superno, ut patet: ergo peccatum veniale reddit amicum hoc medio indignum.

Suprà nu. 29.

46 Ex his probatur antecedens argumenti. Primò: quia illius Doni debitum, peccando peccator incurrit, quod per negationem actus oppositi tenebatur conservare; at justus per negationem venialis, tenebatur conservare fervorem charitatis: ergo per veniale incurrit debitum carendi talis fervoris auxilio. Secundò: quia nihil frequentius PP. quàm hortari nos, ne per culpas alioqui leves demereamur Dei beneficẽtiam. Tertiò: quia est valde congruum, ut qui tepidè cum Amico procedit, sentiat pœnam quoad

Ami-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amici ejusdem auxilia, quibus egeat, ut cautior fiat: & discat æstimare bona, quæ habet: ita sentiunt contra Vazquez Pater Amicus *disp. & sect. nuper citatis num.* 198. & Docti Complutenses.

47 Respondeo primò: permisso antecedente, nego consequentiam. Nam aliud est debitū objectivum, seu materia debiti; aliud est Debitum subjectivum, seu formale: illud, est pœna consequens; hoc, est culpa: illud, hoc manente, remitti potest; atque adeò, licet intercedat aliqualis remissio pœnæ, manet locus perfectæ satisfactioni pro Culpa. Clariora hæc ex dicendis *infrà* contra Vazquez, quę directè ferit objectio. Quidquod, estò veniale esset ratio contrahendi debitū carendi aliquo auxilio, cur determinato, quod requiratur, & sufficiat ad satisfactionem?

Amicus, & RR. Cōplutenſ.

Vazquez, infrà nu. 236.

48 Respondeo secundò, permittendo rursus, ut valde probabile, antecedens de venialis merito congruo contrahendi hoc debitū; ob rationes in antecedētis probatione deductas: illud nego simpliciter de condigno: quia nulla est pro tanta vi demeritoria venialis, ratio, videturque apertè pugnare cum ratione amicitiæ, quæ erga amicum præstantior est: tùm etiam quia si veniale esset condignitas, ut amicus non gauderet bonis alioqui debitis gradui in quo est, & necessariis ad operandum juxta gradum suum, & ad hunc conservandum, qua ratione manet in linea levis, & venialis offensæ? Neque etiam in discursu Vazquezii illa vis congruæ demerendi auxilium, quam in veniali permisi, obstat veræ satisfactioni: quia nec obstat, ne toti offensæ, totique ejus dignitati satisfiat.

P. Vazq.

49 Ratio: quia satisfactionis æqualitas non sumitur ex ordine ad congruentiā, sed ad dignitatem offensæ: unde si obsequium æquet totam dignitatem, quàm habet offensa, licèt non æquet totam congruentiam ad omne genus pœnæ quam habet, erit æqualis & perfecta satisfactio: ut patet in obsequio meritorio. Habes actum, per quem mereris de congruo plures gradus gratiæ de condigno, unum: per unum hoc, exclusis & negatis illis, fiet tibi plena remuneratio.

50 Dices: Perfectæ Gratiæ repugnat dari ex intuitu alicujus meriti, etiam de congruo: ob idque negant PP. auxilia gratiæ cadere in merita antecedentia, etiam congrua: eo enim ipso essent jam ex operibus: & non gratia: ergo perfectæ satisfactioni repugnat jungi cum remissione alicujus debiti etiam congrui. Ratio paritatis est: quia sicut Gratia excludit meritum, cujus intuitu detur: ita satisfactio excludit remissionem debiti, & petit, ne ullum debitum remittatur. Nego consequentiam.

51 Disparitatis & major ratio est: quia Gratia sumitur in ordine ad dantem, ita ut ex se moveatur, absque ullo titulo gratitudinis: satisfactio sumitur in ordine ad dignitatem offensæ, seu ad æqualitatem cum proprio debito: uti remuneratio. Cum autem dari rem ex intuitu meriti congrui, sit dari non merè ex se, sed ex intuitu operum, quæ sunt in Donatario: donari autem id, quod offensa de congruo merebatur non donari, non sit aliquid propriè remitti; hinc est illud obstare Gratiæ perfectæ: & hoc, perfectæ satisfactioni non obstare.

52 Objicies quintò: Nullum est inter ordinis supernaturalis obsequia pro Venialis offensæ satisfactione assignabile: ergo non est possibilis satisfactio. Antecedens probatur ex Authorum varietate. Nam in primis Aliqui cum Amico censent non sufficere actum, qui non sit actus contritionis, & dilectionis super omnia. Alii moderni, nec sufficere quemvis actum contritionis, nisi eum, qui formaliter de his peccatis conceptus sit: si autem hæc sint vera, facile quis contendet per nullum obsequium posse satisfieri pro veniali, ut *mox* premam.

Amicus.

Mox à nu. 54.

53 Nituntur illi, quia condigna satisfactio est obsequiosa actio intuitu offensi exhibita, in compensationem honoris læsi: Omnis autem obsequii genus à dilectione, & contritione distinctum non est genus actionis intuitu offensi exhibitæ, sed intuitu potiùs elicientis, nempe vel propter malum, quod incurrit peccando, vel propter bonum quo privatus est, vel propter bonum quod intendit acquirere. Nec obest, quod ista obsequia sint tam bona, quàm fuerit mala, offensa, atque adeo tantum boni ponat offensor per obsequium, quantum offensa sustulit: Nam ad satisfactionem plus requiritur, nempe, auferre etiam quod intulit offensa, compensando inhonorationem, vel displicentiam offensi: quæ compensatio requirit obsequium intuitu offensi factum potiùs, quàm intuitu commodi resultantis offendenti.

54 Nituntur alii: quia satisfactio est redditio æquivalentis: quæ vox *redditio* sonare videtur ex parte reddentis, animum aversum offensæ, & retractativum ipsius: alioqui sumeretur redditio purè materialiter: sed sola contritio de Veniali concepta est formalis illius retractatio; aut amor dilectionis eximię, retractatio virtualis: ergo. Ex his arguo sic ipse pro antecedente objectionis: ergo non sufficit redditio æqualis obsequii ad satisfactionem pro offensa. Deinde, nullum est obsequium, quod Deo possit à Creatura præstari, quod non sit magis utile, & commodum offensori, quàm offenso: qua ergo ratione potest esse satisfactio, quæ videtur fore actio potiùs in offensi, quàm in offensoris bonum exhibita?

P. Ripald.

55 Respondeo negando antecedens, & asserendo cum Ripalda, & aliis quos ipse citat *disp. 97. sect. 3. num. 36.* Quodvis supernaturalis obsequii genus, sive Contritionis, sive Attritionis, sive Actūs ad alias virtutes pertinentis, *per se loquendo* sufficere ad satisfactionem pro veniali. Addidi *per se loquendo*: nam assertio debet cum accommoda distributione sumi: obsequium enim fervoris tenuis, vulgaris honestatis, & vix æstimabilis prætepiditate operantis, pro veniali, intra ordinem malitiæ levis, alioquin magno, & excedenti communem peccandi fragilitatē, non erit satisfactio.

56 Prima ratio resolutionis est: quia quodvis genus superni obsequii, per se loquendo, est æquè bonum, & magis meritivum, quàm sit mala, & demeritiva, venialis offensa. Tùm etiam quia amicitiæ ratio videtur exigere, ut facilè placetur offensus, etiam per obsequia, quæ potiùs in alterius amici commodum vergant, maximè si amicus, qui offenditur, nullius eget commodi, ut certè est Deus, qui per gratiam fit unus spiritus nobiscum, & sibi complacet in amicis longè plus & teneriùs, quàm in humanis solet. Tùm etiam quia offensa venialis non est simpliciter offensa Dei, atque adeo nec ejus satisfactio perfecta requirit ordinationem obsequii, quæ simpliciter talis sit erga offensum, sed ad summum erit sufficiens ordinatio obsequii aliàs æqualis offensæ, quæ consistat in animo amici volentis Deo obsequi, & satisfacere: idque sufficiet etiam ut verè dicatur esse redditio æquivalentis: per quæ ivimus obviam diversis discurrendi modis tactis *in objectione*.

57 Instabis tamen: Nullum est justi obsequium, æquale pœnæ Purgatorii debitæ pro offensa levi: nam in commutationem aliud, & aliud prudenter admittimus: ergo neque malitiæ: nam pœna cum malitia, propter quam datur, habere debet proportionem. Distinguenda est in obsequio Bonitas, & Pœnalitas, quæ sunt res diversis mæ; nec pari se gradu comitantur. Contingit enim, quòd opus virtutis inferioris sit magis pœnale, quàm excellentioris virtutis opus v. g. actus Pœnitentiæ, quàm actus charitatis Ad satisfaciendum pro pœna, attenditur pœnalitas operis: ad satisfaciendum pro culpa, Bonitas: non ergo ex eo quòd obsequium non sit æquale ad satisfaciendum pro pœna, nec erit æquale ad satisfaciendum pro culpa: quia potest esse bonitatis æqualis malitiæ culpæ, & pœnalitatis exiguæ: ob quam esse nequit condigna satisfactio pro pœna. Quare transmisso antecedente, nego consequentiam.

58 Tertia Conclusio: Etiam purus homo ex viribus Gratiæ potest exhibere Deo congruam satisfactionem pro culpa, seu offensa mortali: atque adeo ad exhibendam pro mortali satisfactionem congruam non est Incarnatio necessaria. Est, si aptè termini explicentur, omnium. Nam congrua satisfactio pro Mortali nihil sonat aliud, quam obsequium, quo de congruo mereamur justificari, atque adeo lethalis culpæ remissionem: idque fiet *infrà* contra Ripaldam evidens, cùm asseramus, mereri de condigno peccati remissionem, esse satisfacere pro lethali de condigno: Atqui ex viribus gratiæ potest in puro homine repetiri obsequium, quo de congruo mereatur justificari, & peccati remissionem: ergo, & congrua satisfactio pro lethali. Minor *in tract. de Justificatione* est Doctrina communis.

Infrà à nu. 182. & à nu. 308.

59 Dices primò: ergo similiter per actus purè naturales poterit exhiberi satisfactio congrua: nam cum remissio peccati mortalis, nihil dicat ex conceptu suo supernaturale, cur non cadet in meritum congruum purè naturale? Nego consequentiam: & ratio est, quia obsequia purè naturalia sunt levissimæ boniratis: & quidem peccati remissio (licèt ex conceptu suo supernaturalis non esset,) tamen quoad rationem indebiti omninò est supra Naturæ leges, & obsequia. Vide quæ *suprà num. 19. & 22.* Dices secundò: satisfactionis congruæ ratio dicit obsequium ex se inæquale offensæ: satisfactionis ratio dicit obsequium æquale: est enim satisfactio, redditio æquivalentis: Loquimur ergo per terminos implicantiæ notoriæ: unde fit vel nullā esse satisfactionē, vel esse condignam. Reipsa

Latè in 1. 2. Tract. de supern.

Suprà à nu. 18. ad usque 23.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non bene loquimur, nisi cum merito satisfactio confundatur: Id autem genus satisfaciendi cùm fiat per obsequia meritoria; exinde per distinctionem condignæ,& congruæ,non ineptè loquimur post Modernos. Sed hanc de voce litem, excipit alia de re valde gravis quoad condignam pro lethali offensa satisfactionem: ad quam oportet in antecessum ferre de ipsius offensæ quantitate judicium.

SECTIO III.

EXCLVDITVR INFINITVDO LETHALIS Offensæ.

§. I.

QVI PROPVGNENT: ET QVI NEGENT?

S. Thomas non propugnat.

60 EA nempe, quâ lethalis offensa simpliciter infinita defenditur in genere moris: nam aliqualem infinitudinem vel ex infinitate Majestatis offensæ, vel ex necessitate actuum infiniti valoris ad satisfactionem, vel ex vi demerendi bona, vel ex reatu pœnæ, quis neget si rationem consuluerit, aut legerit Sanctum Thomam, cujus non alia mens, ubicumque de peccati infinitudine disserit: præstat enim ubique per particulas limitantes, ut videre est *hic quæst. 1. art. 2. ad 2. & 1. 2. quæst. 87. art. 4.* & expressius *in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. ad 1.* expressissimè verò *in Disputatis quæst. 2. de malo art. 9. ad 5.* ubi sic: *A bono infinito aliquis avertitur actu finito: & ideo peccatum essentialiter finitum est, licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.* Qui loquendi modus limitativus solam infinitatem *secundum quid*, seu objectivam insinuat, asserta etiam *alibi* a Sancto Thoma in Visione Beatifica, & in Dignitate Deiparæ.

1. p. quæst. 25. art. 6. ad 4.

Thomistica Schola cũ Godoy, & Lumbier. ex Nostra Koninch. Lessius. Pet. Hurt. Amicus. Bernal. Martinon. Ex parte Aldret. & M. Prud.

61 Jam infinitatem illam simpliciter dictam adstruit in offensa recens Schola Thomistica, pro quâ latissimè Godoy *disp. 1. de Incarnatione per totam*; & M. Lumbier *dist. 3. quæst. 9.* secutis ex Nostra Koninchо, Lessio, Petro Hurtado, Amico, Bernalio, Martinonio, & Recentibus bene Doctis: Quibus hærent ex parte Prudentius, & Aldrete, diversis tamen viis. Hic enim agnoscit in culpa alioquin finita simpliciter in genere offensæ, infinitatem simpliciter in genere demeriti: ille, solùm agnoscit offensæ infinitudinem in Christicidio advertenter commisso, discurrens ex grato sibi calamo P. Amici: qui multa in hanc rem ingeniosè scrit *hic & in 3. tom.* asserendo peccatum esse quidem ordinis infiniti, finitum tamen in ordine infinito. *P. Amic.*

62 Neque inter se conveniunt hi Patroni Infinitatis: nam alii negant in ratione malitiæ, falsi in ratione offensæ: alii in utraque ratione agnoscunt infinitatem, inter quos est *Hurtadus*: alii sumunt ex Dei majestate, quasi ex subjecto morali offensæ, inter quos est *Godoy*: alii ex ipsa, quasi ex forma gravificante: inter quos est *Lumbier*: alii ex summa Distantia inter offensi Majestatem, & vilitatem offensoris, inter quos est *Bernal*: qui singulariter contra omnes addit non *moraliter*, modò, sed etiam *physicè* esse offensam simpliciter infinitam. *Sed non cõveniunt.*

63 Excludit eam infinitudinem Schola Schotistica cum Subtili suo Duce; Nostra communiter cum Eximio Nostro. Vide censum Authorum apud Salas *tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 15. sect. 6.* & apud M. Thyrsum, & P. Muniessa; illum *tom. 3. disp. 2.* istum *disp. 8. de Incarnatione à sect. 6.* per integras quatuor; noviſsimè disputantes acriter contra hujusmodi infinitudinem, & ornantes Authoritate S. Thomæ, & multiplici Ratione sententiam Schoti, & Suarez: quibus plenè subscribo. *Schotus. Suarez. Salas. M. Thyrs. Muniessa.*

§. II.

ALIQVÆ PROBATIONES ASSERTI.

64 ARgumentor sic primò: Peccati offensa solũ potest esse simpliciter infinita moraliter, respectivè ad prudentem æstimationem; sed moraliter, respectivè ad prudentem æstimationem non est simpliciter infinita: ergo Peccati offensa non est infinita simpliciter. Consequentia sequitur: & major inter adversarios solùm negatur à P. Bernal: contra quem arguo sic: Nihil est in offensa, quod physicè constituat offensam,& physicè sit simpliciter infinitum: nam quodnam id est? Non Deus: nam Deus neque physicè unitur actui, qui offensa dicitur: neque physicè informat, aut subjectatur. Omnia autem præter Deum sunt quid valde finitũ.

65 Respondet: esse vilitatem Creaturæ consistentem in creaturæ distantia à creatore, quæ distantia cum sit infinita simpliciter, facit illam vilitatem simpliciter infinitam. Contra primò: quia licèt distantia creaturæ

à Deo sit simpliciter infinita propter excessum simpliciter infinitum ex parte Dei, nunquam æquabilem per additionem creatæ perfectionis; tamen non est simpliciter infinita ex parte creaturæ propter recessum: nam recessus, quo creatura recedit à Deo, non dicit omne genus recedendi à Deo: qui multiplicari potest in infinitum ad perfectionum Creatarum multiplicationem, atque adeò non est simpliciter infinitus in ratione recessûs: ergo nec illa vilitas Creaturæ.

66 Contra secundò: quia Bonitas simpliciter infinita est tanta bonitas, ut dicat in se omne genus boni: ergo vilitas simpliciter infinita est tanta vilitas, ut dicat in se omne genus imperfectionis. Hæc autem repugnat creaturæ, cùm saltem excludere nequeat perfectionem essentiæ, & existentiæ, si ponatur. Contra tertio: Distingui à summè perfecto, est esse limitatæ perfectionis,& simpliciter imperfectum: esse limitatæ perfectionis, & simpliciter imperfectum, non est esse positivè infinitè imperfectum: ergo nec distingui à summè perfecto est esse positivè infinitè imperfectum: ergo nec positivè infinitè vile. Sed Creaturam distare à Deo, est distingui à summè perfecto: ergo. Contra quartò: nam quid facit hæc vilitas ad mores? quâ ratione constituit physicè actum? quâ ratione non etiam constituat obsequia, eaque reddat physicè infinitè vilia, & infinitè contemptibilia? Et hæc pro majori contra Bernal. *P. Bernal.*

67 Probo Minorem, in qua stat difficultas. Quoties solum moraliter, respectivè ad prudentem æstimationem convenit rei denominatio, realiter & absolutè non cõvenit, sed ex prudenti fundamento æstimatur ac si reipsa cõveniret; sunt enim istæ moralitates rebus extrinsecæ,& desumptæ à nostris conceptibus sic vel aliter de rebus judicantibus ex prudenti fundamento: ergo peccatum esse simpliciter infinitum moraliter, est reipsa nõ esse simpliciter infinitum, sed ex prudenti fundamento æstimari perinde, ac si esset simpliciter infinitum. Sed nullum est hoc fundamentum: nam quodnam id est? cum nihil sit in ipso peccato quod reipsa non sit finitissimum,& quod jure nõ possit æstimari, ut finitum? Dicis, Deum esse, qui peccatum constituit. Contra: Deus solùm moraliter potest peccatum constituere: de quo *mox*: Rogo modò: quid est Deum moraliter constituere Peccatum in ratione offensæ, præter æstimationem tuam? at quod habet fundamentum æstimatio tua, ut dicas Deum offensam constituere, cùm neque damnum patiatur in offensa, neque se habeat reipsa aliter, ac objectum respectu actus sui? Dicis habere se ut formam, moraliter. Insto, quid est moraliter, præter tuam æstimationem, quæ quid valde distinctum est ab omni quod offensor præstat contra Deum? Atque ut hæc plene intelligantur,& hi discurrendi modi pateat, quàm non sint digni Theologicis cutis in præsenti. *Mox à nu. 80.*

68 Confirmo, & illustro probationem primò: Nullum potest assignari fundamentum, quod necessitet ut prudenter æstimetur peccatum, quasi simpliciter infinitum; & ex quo non possit æquè prudenter negari esse simpliciter infinitum ac asseritur: cùm æquè saltem probabiliter negemus nos peccatum esse simpliciter infinitum, ac adversarii affirment: ergo dicere peccatum esse simpliciter infinitum moraliter, id est juxta prudentem, æstimationem aliquorum, est insufficiens pro re præsenti: nam pœna, incompensabilitas, & alia, quæ fabricantur in hac infinitate, sumi debent ex his quæ peccatum dicit in semõ verò ex æstimatione prudenti hominum discurrentium: quis enim dicat, Deum, ut puniat me peccantem, attendere, potiùs ad peccatum, ut à te concipitur, quã ut à me fit?

69 Confirmo, & illustro secundò: Deus incapax actuum probabilium, & harum æstimationum, quales sunt nostræ, vel independenter à nostris conceptibus, & denominationibus exinde derivatis in peccatum, videt peccatum esse simpliciter infinitum vel non? Secundum Adversarii non dicent: quia se jugulant. Si ergo primam: qua ratione cognoscit Deus esse moraliter infinitum simpliciter? quid in Deo correspondet ad ly *moraliter*? nam censere Deum, peccatum ac si esset simpliciter infinitum, quo fiet actu Divina mente digno?

70 Confirmo, & illustro tertiò: plerumque fundamentum, ut prudenter æstimetur unam rem esse aliam, seu ipsi convenire aliquam denominationem in æstimatione prudenti, est vel effectus, vel res omninò extrinseca, neque pertinens ad ipsius rei, de qua discurritur, constitutionem, ut certè hic Adversarii faciunt: nam vel ex pœna, vel necessitate infinitæ compensationis, vel ex infinitate Personæ offensæ æstimant peccatum simpliciter infinitum: si hoc sit, peccatum esse simpliciter infinitum; cur datur hæc ratio

Universidad de Deusto
Biblioteca

infinitatis pro ratione pœnæ, pro necessitate compensationis infinitæ? Deinde quis neget id genus infinitatis? Tertiò desideramus, cur licèt sit contra Personam infinitam, cur licèt puniatur æterna pœna, cur licèt sit malum sola Deihominis satisfactione compensabile, sit infinitum malum?

71 Argumentor secundò: ex notione infiniti simpliciter. Simpliciter infinitum, ut contradistinctum ab infinito secundum quid, omninò caret terminis intrinsecis, & extrinsecis. Est dicere: Tale est in eo genere, in quo dicitur simpliciter infinitum, ut dicat in se omnem rationem essendi in tali genere, nihilque possit in tali genere assignari majus: nam eo ipso quòd esset assignabile majus in tale genere, esset in tali genere possibilis excessus, excessus autem necessariò supponit in excesso limitationem, & finem intra illud idem genus, in quo exceditur à majore: ut per se sit evidens. Ideo Dei bonitas est simpliciter infinita, quia dicit in se omnem perfectionem essendi, nihilque potest assignari perfectius. Ideò Actus Christi quilibet est infinitus simpliciter in ratione valoris, & meritoti, quia dicit in se omnem perfectionem valoris, nihilque potest assignari in ratione valoris majus. Ex hac ergo notissima simpliciter infiniti notione, quam frustrà carpit Arriaga contra Lugum: *Arriaga. Lugo.* Infertio sic: ergo si peccatum in genere mali, seu in ratione offensæ est simpliciter infinitū, debet in se dicere summitatem offensæ, & omnem malitiam, ita ut nullus assignari possit excessus, nullaque cogitari offensa gravior aliâ. Id autem dicere est contradicere *Ioann. 19.* Christo Domino *Ioannis 19.* dicenti: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*: est cum *S. Thom.* Stoicis, quos impugnat sæpissimè Sanctus Thomas, contradicere communi æstimationi Fidelium: est per privatas propriì cerebri æstimationes inducere moralitates contradi- *Vide à nu. 80.* centes Rationi, quam premam *arg.* 4. Quis autem hic ferat prudentem horum DD. æstimationem opponi æstimationi fidelium, & Christi: & velle quòd æstimetur ab omnibus ut prudentiorum æstimatio?

72 Dices primò: Infinito non repugnare extensivum augmentum, atque adeò peccata esse posse extensivè inæqualia, licèt sint infinita simpliciter. Contra primò: nam ubi loquimur de infinito simpliciter, ubi propriè non sit augmentum per extensionem partiū, quid potest esse extensiva inæqualitas præter voces? Contra secundò: Bonum simpliciter infinitum tale est, ut dicat in se omnem rationem boni, sitque proinde incapax augmenti extensivi, quo simpliciter dicatur, aut dici possit dari aliquid ipso majus, & melius: ergo malum simpliciter infinitū tale esse debet, ut dicat in se omnem rationem mali, sitque proinde incapax augmenti extensivi quo simpliciter dici possit dari aliquid ipso determinatè sumpto majus, & pejus. At nullum est peccatum, quo simpliciter non possit dari aliud majus & pejus; & cujus excessus non possit & debeat immutare prudentem æstimationem: alioquin ad quid tanta cura Confessariorum cum Pœnitentibus? Contra tertiò: vel esse peccata extensivè inæqualia, sinit ut unum sit alio simpliciter gravius, vel non? Si primum: ergo non solum extensivè, sed intensivè est inæqualitas, quod intendimus: eo enim ipso peccatum minus est finitum simpliciter. Si secundum: qui stat Veritas in Verbis Christi: in æstimatione Fidelium: in communi horrore, quo Dei odium fugit Natura ut gravius scelus, quam furtum grave?

73 Dices secundò: Peccata mortalia jam habere inæqualitatem in ratione malitiæ: licèt in ratione offensæ non habeant. Sed hanc communem solutionem, ne videatur opponi cum Stoicis Christo Domino, & diversis ludere vocibus, colorat aliter Godoy *Ill. Godoy.* asserendo gravitatem offensæ sumptam ex objecto, pati inæqualitatem: non verò sumptam a Persona offensa.

74 Arguo contra sic primò: Vel quovis genere peccati mortalis peccent homines, incurrunt æqualem indignationem Dei, vel non? Si secundum: ergo quamajorem indignationem incurrit, offendit magis, & magis avertitur à Deo: qui enim fieri potest ut non magis offendat, & majorem indignationem incurrat: ergo datur excessus in ratione offensæ, & quoad gravitatem sumptam à ratione Personæ offensæ. Si primum: quid aliud Stoici voluerunt? quid magis dissonum existimationi Fidelium, & sensui Patrum, dicentium dari peccata, quæ summam ita indignationem Dei in peccatores pariunt, ut ferè sint irreparabilia? Quid magis paradoxum, quàm æqualè indignationem incurrere qui ex malitia Deum odit post summa beneficia, & qui ex fragilitate labitur cum advertentia minimùm requisita?

75 Contra secundò: quia vel præcisa ratione offensæ, seu gravitate sumpta ex Persona Divina datur peccatum, eo modo quo locutus est Christus *loc. cit.* & Theologicè sonat, vel non? Si primum: ergo Deus offenditur præcisim à ratione offensæ, & meretur æternam pœnam ratione malitiæ, quin tamen hæc infinita sit. Si secundum: ergo si unum peccatum est majus alio, est majus unum alio in ratione peccati: ergo in ratione offensæ. Contra tertiò: Malitia peccati est prælatio Creaturæ ad Creatorem, & istius postpositio: est enim inordinatus amor Creaturæ. Sed tota ratio offensæ est illa prælatio, & ista postpositio: fieri enim id nequit sine inhonoratione gravi, & gravi contemptu finis ultimi, nempe Dei: ergo eadem est ratio malitiæ, ac ratio offensæ; vel ergo utraque est infinita, vel neutra.

76 Contra quartò: Peccati gravitas sive ex objecto sumatur, sive aliunde non est Theologicè peccati gravitas, nisi respectivè ad Deum: vel ergo Deus offenditur æquè per singula peccata, vel non? Si primum: omnia peccata in ratione peccati sunt paria; veraque erit Stoicorum opinio contra Christi veritatem. Si secundum: ergo datur inæqualitas, quam intendimus. Contra quintò: Per id formaliter avertimur à Deo, per quod formaliter sumus contrarii Deo, & quod nos formaliter à Deo separat: sed ratione malitiæ sumus contrarii Deo, eaque formaliter nos à Deo separat: ergo ratione malitiæ avertimur à Deo. Sed id per quod avertimur à Deo, & simus contrarii Deo, est ratio offensæ: ergo ratio malitiæ, & ratio offensæ in peccato sunt idem: ergo nulla est distinctio solutionis. Hæc & major primi Syllogismi patent. Probatur minor: quia repugnat esse in nobis malitiam gravem, & in sensu composito manere nos Deo conjunctos: *quæ enim conventio lucis cum tenebris; & Christi cum Belial*? Neque enim recessus à Deo fit nisi per inordinatam prælationem objecti contrarii Divinæ Voluntati. Contra sextò: si semel distingui possunt ratio offensæ, & ratio malitiæ, certè moraliter distinguentur: rogo ergo si ratio offensæ est simpliciter infinita; utique ipsa pœnam omnem absorbebit: quænam ergo: respondebit peccato ratione malitiæ? & hæc, eritne finita, vel infinita? Certè voluptati inordinatæ in Apo- *Apocal. cap. 8.* calipsi Deus destinat pœnas. Contra demum septimò, &

77 Argumentor tertiò: Circumstantia Personæ, quæ offenditur, solùm aggravat offensam, ut cognita. Inde nec, si Regi, putans ipsum de media plebe hominem, impingeres alapam, offenderes Regem: nec Deum; si cum ipsius invincibili ignorantia, inordinatâ alioquin actione procederes: nec demum, si cum tenui solùm & semiplenâ advertentiâ Divinæ legis, in materia gravi peccares, Deū graviter offenderes, sed leviter: crescit ergo vel decrescit offensa in ratione offensæ, ad mensuram cognitionis, affectus, & Voluntarii, quæ se tenent ex parte offendentis: ergo quò perfectiùs, vel imperfectiùs cognita sit ab offendente Dignitas, quam offendit, eo fit ipsi vel major, vel minor offensa. Sed hæc cognitio crescere potest, atque decrescere, semperque manet imperfecta, & finita simpliciter in offendente: ergo crescere potest offensa, atque decrescere, semperque manet finita simpliciter in ratione offensæ.

78 Dices ex *Godoy*: ergo sicut cognitio *Ill. Godoy.* non est in ordine superiori cognitionis; ita nec offensa, quâ Deum offendimus. Contra primò: quia si valeat discurrendi modus, quo utuntur Adversarii calculando, nō erit ratio, cur illa cognitio Dei, non sit in ordine superiori cognitionis, imò, & infinita simpliciter. Secundò: quia est in ordine superiori, supra omnes offensas, habet offensa Dei ex intrinsecis prædicatis: ex quibus habet esse offensam Majestatis summæ. Sed de his *infrà*, dū satisfiat primo argumento contrariorum.

79 Dices iterum ex *Lumberio*: licèt ex *M. Lumb.* cognitione, quasi ex applicatione, sumatur offensa; tamen eoipso quòd cognitio sit sufficiens ad gravem offensam, manet applicata moraliter tota Dei Majestas, quæ, cum sit summa, gravificat infinitè offensam: non minùs ac Dignitas Christi dignificat opera, semel posità unione sufficienti, licèt alioqui finita hæc sit. Contra, &

80 Argumentor quartò: Omnis forma, quæ solùm derivat specificationem, ut cognita; mere extrinsecè se habet, nec constituit actum quem specificat, nec reddit ipsum tantum, quanta est ipsa: Atqui Dignitas Personæ, quæ offenditur, solùm specificat offensam, ut cognita: ergo merè se habet extrinsecè, nec constituit offensam, nec reddit ipsam tantam, quanta est Personæ Dignitas. Minor patet: & Major est evidens à priori, & à pari. A priori: Nam forma, solùm causans ut cognita, non causat per esse suum, sed per esse intentionale indistinctum à cognitione causante. A pari: Tùm quia malitia objectiva, quæ causat malitiam formalem, ut cognita, merè se habet extrinsecè, nec in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trinsecè moraliter constituit actum tendentem in ipsam in esse mali: ergo nec Dignitas Personæ, quæ causat offensam, ut cognita. Tùm etiam: quia si Dignitas aliqua solùm ut cognita significaret aliquem affectum; merè se extrinsecè haberet, nec intrinsecè moraliter constitueret: ut patet in actu Deo offerente summum pretium actuum Theandricorum Christi Domini. Ex quo patet ingens discrimen inter dignitatem condignificativam actuum Christi Domini, & casum nostrum: illa enim dignitas non condignificat, merè ut cognita, sed physicè & reipsâ: & præstaret effectum, etsi non cognosceretur, ut patet, in homine justo: qui tamen non scit se esse justum, & elicit actus reipsâ condignos.

81 Confirmo hæc omnia nunc: Vel in peccato mortali non est forma simpliciter infinita, gravificativa scilicet offensæ in infinitum; vel in peccato veniali, est talis forma: nam vel utrobique Deus constituit ratione offensæ, vel nullibi. Dicis, peccatum veniale non esse capax tantæ gravitatis. Contra: ideò non est capax, quia veniale est: contendo tamen non esse veniale, nec esse posse, in hoc modo discurrendi. Contra secundò: cur non est capax, cum affectus ex sola semiplenâ advertentiâ desinat esse mortalis? Contra tertiò: si semel cognitio est unio moralis Dei cum actu: semel eâ positâ, sive tenui, sive magnâ, Deus constituit: ubi autem constituit Deus, infinitat: quod evincitur exemplo Dignitatis Christi, æquè tenues, ac magnas operationes condignificantis.

82 Dices secundò: Dei majestatem esse formam gravificativam, seu subjectum morale in peccato mortali, non sic in veniali. Contra primò: nam & de hoc desidero discrimen. Contra secundò: Propter id punitur homo, & contrariatur Deo, per quod est in se formaliter, & intrinsecè malus: perque id est formaliter Deo displicens & objectum Divinæ indignationis: Per id autem quo est in se formaliter & intrinsecè malus, Deo displicens, & objectum Divinæ indignationis, est formaliter offensivus Dei, & Deus offensus: implicat enim hominem esse objectum Divinæ indignationis; & non supponi in ipso rationem offensæ, & peccati mortalis. Nunc sic: atqui homo solùm est intrinsecè, & formaliter malus per id quod à Deo distinguitur: ergo per id manet offensa constituta in ratione offensæ. Contra tertiò: quid est esse Deum formâ, aut subjectû peccati? nam, cum esse subjectum, & formam, sit manifesta imperfectio, non potest esse prudens æstimatio, quæ Deum vel ut formam æstimet, vel ut subjectum. Dicis te solùm loqui moraliter. Contra: quid est moraliter? arguo sic: sola moralitas, imputabilis homini, potest esse constitutiva peccati, & offensæ: nam ea sola potest esse mensura indignationis, & pœnæ: atqui istæ moralitates sunt extrinsecæ, ab hoc & ab illo reflectente, & discurrente: ergo.

83 Confirmo rursus hæc omnia: moralis ista constitutio offensæ per Deum, tanquam per formam aut subjectum, sit sine fundamento, & omninò insufficienter ad inducendam infinitatem simpliciter in offensam. Probo assumptum quoad primam partem: nam potiori fundamento diceretur, objecta formalia esse veluti formam moralem affectus tendentis in illa: ratio potior est: tùm ipsa vocis æthimologia data à Philosophis, & Theologis communi consensu, qui satis est superque ad prudentem æstimationem. Tùm quia ut forma determinat compositum ad certam speciem, ita affectus per objectum formale determinantur: Nunc sic: ergo vel affectus constitui debent per objectum formale, tanquam per formam moralem, vel offensa non debet per Deum, tanquam per moralem formam constitui: si autè utrobique admittatur moralis constitutio, affectus tendens tanquam in objectum formale in summum bonum, erit simpliciter infinitè bonus, non minus nec aliter ac offensa dicitur infinita simpliciter.

84 Probo jam assumptum quoad secùndam partem: & ostendo, Deum esse subjectum morale offensæ non reddere offensam simpliciter infinitam; nam Deum esse sic subjectum morale, solùm est esse qui offenditur: cur inde sit offensa simpliciter infinita? Deinde subjectum concreti esse infinitum licèt faciat concretum physicè; & in ratione entis quid infinitum, non facit formam, & denominationem formalem simpliciter infinitam. Explico me: sit substantia simpliciter infinita, cùm uno tantum albedinis gradu: eritne infinitè alba, licèt quod dicitur albû sit alioqui simpliciter infinitum? Non planè. Ergo licèt Deus sit infinitus, & sit subjectum offensæ, cum hæc sit actus pro formali finitus, & facilis crescere, atque decrescere, Deus non erit infinitè offensus; si autem non est Deus infinitè offensus; neque offensa erit simpliciter infinita.

Osten-

85 Ostendo rursus, Deum esse formam offensæ, non illam reddere simpliciter infinitam: nam forma, quæ reipsâ constituit per substitutum, licèt moraliter censeatur constituere, non reddit denominationem similem illi, quam daret si ipsa reipsâ constitueret: limitatur enim tunc denominatio etiam moraliter á limitatione substituti: Patet id in Confessario, qui facit vices Christi, & in aliis; sed Deus hic solum constituit reipsâ tanquam in substituto, scilicet media sui cognitione: ergo. Confirmâtur denique hæc omnia: Nihil est ex parte offendentis, quod reipsa sit infinitum: ergo ex parte sua non offendit infinitè: ergo nec Deus offenditur infinitè: neque enim offenditur, nisi quantum offensor offendit.

§. III.

SVBTILIORES PROBANDI FORMÆ.

Ex Patre Anton. Perez.

86 ARgumentor quintò: Nequit esse Peccatum simpliciter infinitum, in genere mali, quin sit simpliciter infinitum in genere displicentis Deo: nam ratio mali contra Deum, seu ratio offensæ, est ratio Displicentis Deo: ut mihi ex terminis videtur notum. Sed Peccatum non est simpliciter infinitum in ratione displicentis Deo: ergo nec in ratione mali, seu offensæ. Major, ut dixi, nota mihi est: eamque contra vulgares æquivocationes, Ostendo primò: sicut delicti quantitas attenditur, per vos, ad proportionem pœnæ, ita quantitas offensæ ad proportionem indignationis ex parte offensi, & ad proportionem satisfactionis, & pœnæ: sed proportio indignationis, satisfactionis, & pœnæ, sumi debet in offensis ex ratione displicentis; sicut & proportio pœnæ in delictis ex quantitate displicentis: nam utrobique vel pœna infligitur, vel incurritur indignatio ob objectum displicens: nam infligitur illa: vel hæc incurritur ob objectum, quo Creatura Rationalis redditur in se mala, & inimica Deo, vel legi: ergo quantitas delicti, & offensæ, necessariò est eadem, ac quantitas displicentis. Secundò à pari: obsequium simpliciter infinitum, qualia sunt Christi Domini, necessariò continet aliquid infinitè placens, quo fit etiam simpliciter infinitum in ratione placentis Deo: ergo ab oppositò, Peccatum simpliciter infinitum, necessariò dicit aliquid infinitè displicens Deo, quo fit etiam simpliciter infinitum in ratione displicentis Deo.

87 Iam probatur Minor: quia ut sit peccatum simpliciter infinitum in ratione displicentis Deo debet dicere aliquid necessariò infinitè displicens Deo, sicut actus Christi simpliciter infinitus, dicit aliquid necessariò infinitè Deo placens: id autem repugnat: tùm quia sicut illud, quod in Actibus Christi est infinitè Deo placens, æquè placet in singulis actibus Christi; ita illud, quod in peccato esset infinitè Deo displicens, æquè displiceret in singulis; atque adeò omnia & singula peccata æquè Deo displicerent: quod est hæreticum: cum Veniale nó æquè displiceat, ac Mortale; nec Mortale gravissimum, æquè ac minus grave. Tùm etiam quia infinita complacentia, quam habet Deus de bono infinite placente, obstat ne Deus possit permittere ejus nó existentiã: ergo infinita displicentia, quam haberet Deus de malo infinitè displicente, obstaret, ne Deus permittere posset ejus existentiam. Deus autem peccata permittit.

Ex Card. Sforzia.

88 Confirmâtur hæc omnia. Malum vel non est possibile, vel essentialiter est contingens: nihil enim potest necessarium esse ens, nisi summè perfectum, & summè bonû, nempe Deus: Nam malum necessariò habet causam, & hanc liberam: sine libertate quippe peccari non potest: nec aliud simpliciter est malum, nisi quod Deus amate nó potest, id est, peccatum. Sed malum simpliciter infinitum non potest esse contingens: ergo est impossibile. Probatur minor: Bonum simpliciter infinitum, quà simpliciter infinitum, nequit esse contingens, sed necessarium: ergo malum simpliciter infinitum non potest esse contingens, sed impossibile. Probo consequentiam. Malum nequit esse contingens, nisi permitti possit à summo bono; sed malûm simpliciter infinitum permitti non potest à summo Bono: ergo.

89 Probatur minor: Tantam vim & energiam habet Bonum ad excitandum amorem sui, quàm ad odium sui, malum: ergo sicut Bonum simpliciter infinitum fundat necessariò amorem ita magnum & infinitum, ut connectatur cum existentia talis boni: ita malum simpliciter infinitum fundaret odium ita magnum, & infinitum, ut connecteretur cũ inexistentia talis mali: sed odium connexum cum inexistentia mali non finit locum existentiæ mali, seu permissioni, quod perinde est: ergo.

90 Probo consequentiam: ex qua subsumpsi: nam sicut amor ex conceptu suo est am-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amplexus boni; ita odium, est fuga mali: sicut ergo repugnat amor ex dignitate infinita adamorem, qui non sit infinitus amplexus boni, atque adeò cum eo conjunctus, quantum excogitari potest, consequenterque cònexus identicè cum ipso bono, ita repugnat odium ex dignitate infinita ad odium, quod non sit infinita fuga mali, atque adeò ab eo disjunctum, quantum excogitari potest, consequenterque connexum cum inexistentia talis mali.

91 Dices, Peccatum, esse malum finitum, & offensam simpliciter infinitam. Imprimis non video, qua ratione, Offensa summi boni non sit mala in ratione offensæ: & malum offensæ alioquin simpliciter infinitæ in ordine ad indignationem, compensationem, & pœnam, esse malum moraliter finitum, stando principiis Adversariorum. Deinde jam dixi, rationem offensæ unicè stare in prælatione inordinata Creaturæ ad Deum & postpositione Dei ad creaturam: quæ differentiæ sunt actibus intrinsecæ, & ratio tota malitiæ: si ergo hæc ratio non est simpliciter infinita, neque erit offensa.

92 Contra tertiò: vel Deus odit offensam sui, quia offensa est, & propter ipsam Peccatores odit, & punit? vel non? Si secundum: ergo pœna non debet mensurari cum offensa, nec item indignatio, nec satisfactio, sed cum malitia: quò ergo argumenta Adversariorum contra Nos? Deinde, ergo nec odit peccatum, quia peccatum est, & propter ipsum Peccatores: nam peccatum, si semel præscindas rationem offensæ Divinæ, non manet Theologicè peccatum, sed malum purè philosophicum, quale videre est *nu.* 10. *& 11.* Si ergo primum: duo fiunt: primum: offensam in ratione offensæ esse malam: nam ratio displicendi, quæ simul displicet, mala necessariò est; atque adeò esse malum simpliciter infinitum, si ipsa sit in ratione offensæ infinita simpliciter. Alterum: ergo si Deus constituat formaliter offensam, in ratione offensæ, Deus Deo displicet: implicat enim displicere Deo constitutum, sub ea ratione, qua formaliter ex hoc & illo constituitur, quin eo ipso displiceat & hoc & illud prout in eo concreto, & constituto: sicut implicat mihi displicere rationem albi, quia ratio albi est, quin eoipso mihi displiceant Albedo prout in subjecto, & subjectum sub albedine: quæ ideò his terminis dico, ne videar non attendere ad multas paritates, quibus alioqui se Adversarii protegunt. Ex his vides, quàm sit absonum, Deum facere formale constitutivum offensæ.

Suprà nu. 10. & 11.

93 Argumentor sextò discens ex Adversariis disputare contra ipsos ex pœna, seu effectu peccati. Si gravitas peccati lethalis esset infinita simpliciter, Peccatum esset dignum æterna pœna, eo ipso præcisè quod semel commissum fuisset, independenter à sui perseverantia: ita nempe, ut licèt peccatori peccatum remitteret Deus quoad culpam, maneret tamen dignus æterno supplicio; sed peccatum lethale non est hujuscemodi dignum æterna pœna: ergo nec ejus gravitas est simpliciter infinita. Cosequentia est evidens ex vi formæ. Major autem ostenditur: nam infinitum malum in genere moris est ex se dignum infinito supplicio, ex præcisa commissione tanti mali; cum pœna respondeat commissioni delicti, independenter ab ejus perseverantia. Probatur minor: quia hoc præcisè, quod Deus remittat culpam, homo non manet obnoxius pœnæ æternæ: ergo peccatum lethale tale non est, ut semel commissum, independenter à perseverantia in illo, sit pœna æterna dignum.

94 Confirmatur primò: Pœna, quâ punitur peccatum mortale, non est maxima inter omnes posibiles: ergo ex hoc effectu nõ potest colligi infinita malitia. Antecedens est evidens, & probatur consequentia: nam infinita malitia est dignitas ad pœnam inter posibiles maximam. Confirmatur exinde secundò: si peccatum esset simpliciter infinitum, esset dignitas ad omne genus pœnæ posibile; non minus ac obsequium simpliciter infinitum est dignitas ad omne genus præmii posibile: quo fiet primò: summa inter peccata singula æqualitas, contra dictum Christi Domini: nullum enim potest esse caput, unde prudenter inæqualitas colligatur. Secundò, tantum demereri peccatum in pœnam, quantum merentur aut mereri possunt actus Christi Theandrici in præmium: atque adeò tam illud esse malum, quam isti sunt boni. Vnde fit tertiò, satisfactionem Christi non posse esse superabundantem; sed unius actus valorem uno peccato absorberi, quod erit singulos Christi actus non mereri ex se omne præmium posibile, contra suppositionem.

95 Vrgetur id: si peccatum est simpliciter infinitum, & unum potest esse pœna alterius: ergo unum sufficienter punitur per aliud: ergo unum necessariò absorbet totam dignitatè unius obsequii simpliciter infiniti, Quar-

Quartò fiet: pati Damnatos pœnam infinitè minorem eâ quam merentur: Quæ & alia licèt absurda non putet Godoy, mihi apparent absurdissima, quia solum concessa videntur ex necessitate Doctrinæ, reclamantibus in oppositum Scripturâ, S. Thomâ, & Theologiâ communi.

Ill. Godoy.

S. Thom. Ex Scrip. & com. Theolog.

§. IV.

VLTIMA PROBATIO EX INSVFFICIENtia: cum opportunis illationibus.

Vide discursum ad hæc specioſum, infrà lib. 4. disp. 3. à nu. 246

95 ARgumentor septimò: ex imbecillitate rationum in oppositum, quâ per solutiones ostendam: & nunc in hunc modum: Infinitas peccati mortalis datur ab Adversariis ut ratio pro necessitate infinitæ compensationis; & ut ratio, æternæ pœnæ, quâ punit illud Deus: rogati enim de necessitate tantæ compensationis, aut de reatu tantæ pœnæ, sola est, pro ratione, peccati Infinitas: ergo non nisi per vitiosum circulum probari potest infinitas ex necessitate tantæ compensationis, aut ex reatu tantæ pœnæ: Ratio est: quia si infinitas moralis ex effectu quasi infinito physico, & ex compensatione physicè simpliciter infinita colligitur, prudenter discurrendo; dicere peccatum esse simpliciter infinitum moraliter, est dicere reipsâ posse, & debere æstimari quasi infinitum in ordine ad pœnam, & in ordine ad compensationem: quod tandem est dicere, esse reipsâ incompensabile nisi per satisfactionem infinitam, & esse dignum æterno supplicio: ergo dum de hoc ratio quæritur, & pro ratione datur illa moralis infinitudo, datur pro ratione ipsissima quæstio.

97 Quærenda est igitur independenter à necessitate satisfactionis infinitæ, & æternæ pœnæ reatu, peccati infinitas. Quænam hæc erit? Nam dicere esse simpliciter infinitum, quia excedit offensas numero, vel specie infinitas, est dicere hominem esse simpliciter infinitum: quia excedit infinita & specie, & numero entia. Dicere, quia est contra Deum simpliciter infinitum, est dicere etiam Veniale esse simpliciter infinitum, & similiter obsequium Charitatis, & Visionem Dei: quia illud est contra; & ista sunt circà simpliciter infinitum. Dicere quia moraliter constituitur ex infinitate Dei, est dicere infinitatem Dei, qui offenditur, esse rationem cur incompensabilis sit offensa, & cur illam sequatur æterna pœna: & consequenter compensationem & pœnam non esse mensurandam cum delicto, sed cum dignitate offensi: ad hoc autem quid facit infinitudo peccati?

98 Vrgeo id ipsum duobus modis. Primò: Vel infinitudo offensi refundit intrinsecam infinitatem in actum per quem peccator offendit, ut objectum formale Charitatis refundit intrinsecam bonitatem; & malitia objecti formalis refundit intrinsecam malitiam, vel non? Si primum: ergo actus ille præcisivus à Deo, licèt in ordine ad Deũ, est simpliciter infinitus, atque adeò impossibilis, causæ fiatæ: nam hæc solùm potest elicere actum in determinatâ quantitate perfectionis, vel imperfectionis. Si ergo secundum: ergo non est alia infinitas, quæ sit ratio pro necessitate infinitæ compensationis, & æternitate pœnæ, quàm infinitas Dei, qui offenditur: ergo sive constituat, sive non constituat offensam, cùm ipsa sit eadem, æquè erit ratio. Nam denominatio ista constituendi, nec ponit quid intrinsecum in actu, nec in Deo, sed sola est existimatio prudens hujus vel illius sic discurrentis: ergo sive offensa sit simpliciter infinita, sive non: eadem manet ratio, solique adduntur termini, pro vitandâ ulteriori inquisitione veritatis.

99 Secundò: Constitui, vel non constitui moraliter offensam ex Deo, nec immutat in re actum peccaminosum, nec minuit dignitatem offensi: si ergo Dignitas offensi prout constituit moraliter offensam, est ratio sufficiens, cur pœna esse debeat æterna, & compensatio infinita, quidni sit sufficiens ratio, licèt non constituat? cùm reipsa ly *moraliter* sit extrinseca denominatio, quâ etiam deficiente manet eadem inordinatio in offendente, & eadem dignitas in eo, cui talis inordinatio contrariatur: ergo dici offensam simpliciter infinitam, modo quo dicitur, non sufficit ad rem nostram. Nam rogo: cur, quia Dignitas offensi est simpliciter infinita, est ratio æternæ pœnæ, satisfactionisque infinitæ pro delicto, quod secundùm ea, quæ à peccatore offendẽte ponuntur, finitum est? Quod si per vos, hæc tanta Dignitas sic considerata, pro ratione non sufficit, contra Suarez, & S. Thomam: cur sufficiat sub hac extrinsecâ denominatione, quæ rem neque ex parte offensi, neque ex parte offendentis immutat?

S. Thom. P. Suarez.

100 Quinque ex his infero in præcedentium lucem. Primum cum Hurtado contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

P. Hurtad. contra Thomistas. contra Thomistas : Peccatum non esse simpliciter infinitum in ratione offensæ, vel esse etiam in ratione malitiæ. Ratio ex dictis : quia ratio offensæ, & ratio malitiæ est ratio postpositionis summi Boni. Secundum

Thomistæ cont. Bern. cum Thomistis contra Bernal, offensam vel non esse simpliciter infinitam, vel solùm esse moraliter, & non physicè. Ratio: quia quicquid est in peccato physicè, aut physicum, est finitum.

Suarez. Vazquez. Salas. contra P. Aldrete. 101 Tertium contra Aldretum cum Suarez, Vazquez, Salas, & aliis : Peccatum sicut non est in ratione mali, nec in ratione offensæ simpliciter infinitum, ita nec in ratione demeriti. Ratio: tùm quia vel esse simpliciter infinitum in ratione demeriti est esse vim infinitè demeritivam, vel pœnam, quam meretur, esse simpliciter infinitam? Non primùm: quia vis demerendi malitia est: non ergo potest hæc esse dispar illi. Non secundum:

Sect. seq. §. 4. primò quia probatum est, & inculcàdum *infra*, pœnam peccati non esse infinitam simpliciter. Secundò : quia rogo cur pœna debeat esse infinita simpliciter, si malitia, & offensa finita est? Tùm etiam quia si semel pœna sit æqualis, non est ratio cur æqualia non debeant censeri peccata. Nec recurras ad finitudinem cognitionis, & voluntarii: Si enim hæc non potest esse ratio limitativa pœnæ, cur delicti, & offensæ? Tùm insuper quia Deus punit, quia offensus, & ad proportionem offensæ: & peccator incurrit pœnam, & demeretur, quia offendit: quâ ergo ratione offensa sit in ratione offensæ finita, & in genere demerendi sit infinita? Tùm demum: quia hic discurrendi modus nec Scripturæ, nec communi existimationi, nec rationi videtur esse conformis.

Contra P. Amic. 102 Quartum contra Amicum: Peccatum non esse infiniti ordinis, & finitum in ordine infinito. Primò : quia sunt termini implicantes : sicut esse generis infiniti, & finitum intra ipsum genus: quis enim asserat lineam esse infinitam in genere quantitatis & intra ipsum genus finitam? Secundò : & sit ratio à priori : infinitum in genere dicit omnem perfectionem generis, seu quæ in illo genere dari potest : ergo & infinitum in ordine debet dicere omnem modum essendi illius ordinis: cum autem nulla sit offensa quæ dicat omnes modos offensæ, inde est manere quemlibet in ordine finito. Tertiò: & sit alia ratio à priori. Ordo qui finit locum excessui intra ipsum ordinem necessariò est finitus. Quartò à pari: nam ens non est infinitum, quia super se nullum habeat : quia nempe est prædicatum descendens ad species cum incremento, & decremento perfectionis: ergo similiter: per quæ præoccupatus est Pater Amicus.

Cot. Amic. & M. Pru. 103 Quintum contra ipsum Amicum, & Prudentium : Neque ipsum Christicidium esse infinitum. Ratio est, quia licèt sit gravissima offensa est capax crementi, & decrementi in ratione offensæ ex voluntario, & cognitione committentis. Dices, esse saltem infinitum in ratione damni illati. Respondeo neque sic esse infinitum, effectivè saltem, sed summùm affectivè: nam illud damnum reipsa finitum est, cum neque tollat animæ neque Corpori bonum infinitum. Christicidium enim consistit unicè in dissolutione Corporis & Animæ: non verò in dissolutione earum partium à Verbo : dissolutio autem Animæ, & Corporis, finitum damnum est. Adde damnificationem istam materialiter ad summum posse esse infinitam; non formaliter ob rationem illationis.

SECTIO IV.

OBIECTIONES IN OPPOSITVM.

§. I.

OBIECTIO PRIMA EX DIGNITATE Offensi.

104 OBjicies primò: Offensa crescit, pro dignitate Personæ: quę offenditur: id est: eò est major, quò major est offensi Dignitas; sed Dignitas Dei, qui per peccatũ mortale offenditur, est simpliciter infinita: ergo offensa est simpliciter infinita. Confirmatur primò, factâ comparatione offensæ hominis, cum offensa Dei: tot enim gradibus hæc illam superat, quot hic, illum. Deus autem infinitè superat hominem. Confirmatur secundò: Nam sicut intra Hominem & Deũ mediant infinitæ creaturæ offendibiles, sese gradatim excedentes; ita inter hominis offensam, & Dei, mediant infinitæ offensæ, se eadem gradatione excedentes : quas omnes simpliciter excedit offensa Dei: ergo habet hæc infinitos gradus gravitatis, adeoque manet infinita simpliciter. Confirmatur tertiò: in infinitis peccatis venialibus dantur infiniti gradus mali : sed hæc tota collectio superatur à peccato mortali: ergo hoc est simpliciter infinitum.

Con-

105 Confirmatur quartò : instruendo calculationem sic: offensa facta contra Personam dignitatis ut unum, est determinatæ quantitatis, & gravitatis in esse offensæ: rursus facta contra Personam dignam, ut duo, est majoris gravitatis per excessum determinatum, & certum: & sic in infinitum: ergo si fiat contra Personam infinitè dignam, est majoris gravitatis, quàm facta contra reliquas Personas in illa infinita terie excogitabiles. Atqui hoc ipso est simpliciter infinita : ergo. Probatur minor subsumpta : Nam offensa facta contra Personam dignam ut tria, tantum excedit offensam secundæ Personæ, quãtum facta secundæ Personæ excedit factam primæ Personæ: ergo facta contra Deum excedit offensas illatas omnibus, & singulis Personis, quę in infinitum excogitentur crescere, ea proportione Dignitatis : ergo erit simpliciter infinita: nã offensa excedens infinitas se in infinitũ excedentes excessu equali, nequit non esse infinita simpliciter; sicut linea determinata, quæ longitudine excederet infinitas, excessu æquali se excedentes, non posset non esse longitudinis infinitæ.

106 Calculationes istæ fallunt plerumque & probant nimis. Probant hîc nimis: nam primò, vel nihil vel certè probant gravitatem intrinsecam, & essentialem actus offensivi, & peccaminosi ad mensuram objecti ex quo arguitur : hæc autem negatur ab Adversariis. Secundò probant actum offensæ tam esse malum, quàm Deus est bonus: quod & Adversarii negant. Tertiò similiter calculando probant Actus amoris Dei, & Visionis Dei esse simpliciter infinitè perfectos : nam actûs perfectio ex perfectione objecti desumitur, & crescit; & fieri potest calculatorius excessus ad actus objectorum inferiorum in infinitum. Nec disparitas expectari potest, nisi damnata hîc, & ibi calculatione. Quartò probant Veniales offensas, esse simpliciter infinitas in genere mali, & offensæ: nam comparari similiter potest cum infinitis infra se factis contra Personas, quarum adusque Deum potest institui series infinita.

107 Nec valet dicere Veniale peccatum neque esse offensam simpliciter, neque esse capax infinitatis, quia alioquin est ex se leve. Nam præterquam quòd negari non potest esse genus offensæ & inobedientiæ contra Deum, & contendemus esse non posse leve, si semel valeat hic discursus ; deseritur calculatio, & aperitur via, ut contemnatur.

Aranda de Incarnatione.

Quintò probant hominem, quia excedit infinita infra se entia ; & Angelum, quia inter ipsum, & formicam excogitari potest infinitum entium excessorum, esse simpliciter infinitos in perfectione.

108 Probant ergo nimis, & fallunt istæ calculationes. Ratio fallendi est primò : quia plerumq; calculando fit transitus ex uno entium genere, vel ordine, ad aliud genus altius : cujus proinde excessus respectu infinitorum in ordine inferiori, non probat infinitatem, sed superioritatem ordinis: cujus proinde infimum superat supremum ordinis infimi. Secundò, dum calculatio instituitur, solùm intendi solet ad rationem, unde venit excessus; non verò ad statum, & ordinem, illius, qui excessum accipit : res autem non tam crescit ad mensuram dantis excessum, quàm ad sui accipientis capacitatem, & conditionem. Iam facilè

109 Respondeo ad argumentum: & distinguo majorem: offensa crescit ad dignitatem offensi, excessu intra idem genus simpliciter superabili, concedo : excessu intra idem genus offensæ insuperabili, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam : quia quotiescumque augmentum ita fit ut includat rationem limitativam augmenti, seu quæ relinquat locum, ut in ea ratione, qua fit augmentum, possit assignari major, & major excessus, necessario manet augmentum in eo genere simpliciter finitũ. Et hæc est ratio cur, licèt possint dari inter aliquam creaturam, & Angelum, infinitæ aliæ, quarum perfectio excedatur ab Angelo, Angelus non maneat simpliciter infinitus, licèt maneat in ordine respectivè superiori: quia augmentum sit intra genus creaturæ, quod est incapax augmenti simpliciter insuperabilis, & infiniti.

110 Cùm ergo offensa pro Dignitate offensi crescat excessu multis capitibus superabili intra idem genus offensæ: quia crescit pro dignitate offensi cognita, & voluntario offendentis: quæ rationes excedi possunt: fit apertè, offensam, licèt sit contra Dignitatem infinitam, manere necessariò finitam in ordine, & genere, in quo offensa est.

Hinc dici solet, offensam non crescere *Arithmeticè*, *sed geometricè* pro dignitate offensi: nempe non crescere juxta mensuram offensi, ut tanta sit, quantus offensus est ; sed similitudinariè, methaphoricè, æquivocè, & juxta aliquam proportionem, ut nempe sicut Persona est aliis dignior, ita offensa sit ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

genere suo gravior aliis, quæ contra personas inferiores fierent. Quæ proportionalis consideratio non probat tantum superare offensam hanc, alias, quantum alias personas, Persona offensa: nam excessus est dispar pro disparitate ordinum, statuum, & conditionum: nec ulla res est supra quam potest, attentis ordine, statu, & conditione.

110 Ad primam confirmationem negetur assumptum è dictis proximè. Fieret enim inde offensam tam esse malam, quàm Deus est bonus. Ad secundam negetur consequentia: nam hic excessus solùm probat superioritatem ordinis in offensa Dei respectivè ad offensas hominum, & creaturarum: sicut excessus Angeli respectivè ad infinita bruta solùm probat ordinis superioritatem, non verò infinitatem: Nec offensæ se excedunt ex gradatione excessûs: qua se personæ, ut monui. Ad tertiam negetur similiter consequentia: solùm enim exinde fit peccatum grave esse ordinis valdè diversi à venialibus: quarum proinde, licèt numero infinitorum, malitia, superari potest à mortali excessu, non infinito simpliciter, sed finito: quia superat per excessum intra idem genus mali ca pacè augmenti, & decrementi. Excessus autem simpliciter infinitus non finit intra ipsum genus, in quo est, locum excessui. Continet enim ex ratione simpliciter infiniti omnem modum mali, & excessûs.

111 Ad quartam permisso entimemate, nego subsumptam, & consequentiam probationis. Committitur enim in ipsa vitium suprà notatum, quod enervat calculatorium argumentum, transeundo ex uno genere de quo loquitur antecedens, ad aliud genus in consequenti positum. Vt enim calculatio probet infinitatem debet in eodem genere inducere proportiones, & duplicationes in infinitum: cùm enim intra idem genus sit rerum eadem, communisque, & homogenea mensura, fieri nequit excessus per duplicationes in infinitum, sine aliqua infinitudine. At si fiat transitus ad aliud genus, cùm mensura pro diversitate generum sit heterogenea, & æquivoca, ex excessu probari non potest infinitudo, sed altitudo ordinis. Exinde linea, quæ excederet lineas numero infinitas, se excessu æquali excedentes, necessariò est infinita: at offensa Dei, cùm sit ordinis valdè diversi ab offensis creaturarum, licèt excedat illas numero infinitas, & se excedentes, non est infinita simpliciter, sed ordinis superioris. Vnde calculatio, unum è duobus ad summum probat, vel infinitatem, vel superioritatem ordinis, in quo fit excessus.

Instantia quamaximè fidit Ill. Godoy.

112 Instabis: Offensa Dei est in ordine superiori respectivè ad aliud omne genus offensæ: ergo habet constitutivè formam, seu quasi formam, quę sit ipsi ratio excessûs, & superioritatis in ordine. Sed hæc nequit esse finita: nam vel esset cognitio: & hæc non est ordinis superioris: nam exceditur ab aliis: vel esset ratio voluntarii: & neque hæc est ordinis superioris: est ergo forma infinita: nempe Dei Dignitas. Nunc sic: ideò forma hæc constituit offensam, in ordine superiori; quia est superioris ordinis; sed etiam est ordinis infiniti: ergo constituit ipsam simpliciter infinitam.

Card. de Lugo.

113 Confirmatur primò: ubi constituit Deus, infinitat: fit enim constitutum ex infinito. Secundò: non impedit limitatio, & inferioritas cognitionis, ne Dei Dignitas constituat offensam ordinis superioris: ergo nec impedit, quominùs constituat simpliciter infinitam: cur enim impediat transfusionem infinitatis, si non obstat transfusioni superioritatis? Tertiò: non obstat limitatio cognitionis, ne Deus per quodvis peccatum mortale offendatur, quantum est offendibilis: ergo non obstat ne sit quævis offensa simpliciter infinita. Antecedens probatur: quia, licèt cognitio sufficiens ad peccandum finita sit, tamè est cognitio Divinę Majestatis, ut talis, nec talis cognitio potest dici ignoratio Dei, ut talis est: nam ignoratio Dei similiter obstaret ne offenderetur, neve transfunderetur in actum superioritas ordinis: nó ergo obstat, ne Deus offendatur ut Deus, atque adeò ne offendatur infinita Majestas, quod est offendi totum Deum, & quantum est offendibilis. Probo jam primam consequentiam: quia actus attingens objectum infinitum, quantum est attingibilis, haurit infinitatem ab illo, ut patet in actu Dei comprehensivo ex Theologia communi.

114 Respondeo ad principale caput instantię, (in quo solvendo, laborat satis Card. de Lugo *disp. 5. sect. 3. à num. 36.*) concesso entymemate, nego minorem subsumptam: forma enim, seu quasi forma, per quam offensa Dei constituitur in ordine superiori ad omnes offensas, non est Dei Dignitas formaliter, & constitutivè; habet enim hæc se respectu offensæ purè extrinsecè, & specificativè; sed ea ipsa forma, per quam actus formaliter constituitur inhonoratio Dei: quæ consistit in postpositione Dei ad creaturam: hæc

hæc enim ratio, ut seipsa formaliter resplcit Deum, mediâ cognitione, & seipsâ est vel formalis vel virtualis contemptus Dei, infiniti Boni, est ratio ponendi actum in genere superiori postponendi Bonum, & inhonorandi, quem debet minùs. Vnde licèt Dignitas Dei sit ratio, ex qua illativè, extrinsecè, & specificativè offensa est in ordine superiori, nó est tamen intrinseca ratio: hæc enim, ut dixi, solùm est ipsa ratio postpositionis, undecumque sumatur. Hinc bene alii colligunt, eandem mensuram offensam, etiam si per impossibile deficeret Deus, non deficiente tamen illa ratione voluntariæ postpositionis. Hæc apud me certa, firmatur exemplo communissimo: unde habet Actus charitatis quòd sit in ordine superiori obsequii respectivè ad aliarum virtutum actus. Dicetur, habere extrinsecè, & specificativè ab objecto; constitutivè tamen à ratione intrinseca, quâ in tale tendit objectum. Id ipsum hic repono.

115 Ad primam Confirmationem, nego suppositum. Deinde distinguo: ubi constituit, secundùm esse formale suum, seu ut in se est, concedo: ubi constituit per substitutum intentionale, & ut cognitus, nego. *Mox* ad hæc *iterum.* Ad secundam nego consequentiam: quia limitatio cognitionis dat locum excessui in ratione offensæ: at non obstat, imò facit quòd actus sit inhonoratio, & indigna tractatio Boni infiniti: quo ex capite manet offensa in ordine superiori. Excessus enim iste non excedit conditionem actus finiti; excedit tamen ille excessus simpliciter infinitus. Neque dari potest transfusio infinitatis, ubi Divinitatis non fit transfusio. Ad tertiam: Nego imprimis antecedens. Licèt enim Deus offendatur, ut totus est, seu totalitate objecti, non verò quantum potest, seu totalitate offensæ: quia nulla est offensa, supra quam non sit major: nullaque dicit in se omnẽ modum & rationem offensæ. Deinde nego consequentiam. Non enim eo ipso attingitur objectum infinitum, quantùm est attingibile, sicut nec attingeretur quantùm est attingibile, licèt per unum actum abstractivum attingeretur, quantùm est abstractivè attingibile. Nec inde resultaret infinitas: ipsa enim species, & conditio tactûs, seu attingentiæ repugnat infinitati. Ratio autem in actu Comprehensivo alia est: quia eo ipso adæquaret Divinum intellectum: quod sine infinitate cognitionis cogitari non potest.

Vide mox à nu. 118.

Vrgebis adhuc, &

§. II.

ALIA OBIECTIO EX INFINITATE formæ.

116 OBjicies secundò: Forma, à qua offensa sumit denominationem offensæ, est simpliciter infinita: ergo & offensa. Consequentia patet: nam & ideo satisfactio Christi est infinita simpliciter: & denominatio dicit constitutivè formã: constitutũ autẽ ex infinito est infinitũ. Antecedens probatur: Nam hæc forma vel est Dei Dignitas, vel creaturæ vilitas: vel utraque simul: Vtraliber autem est infinita simpliciter. De primâ non est dubium. De secundâ patet: nam ea vilitas, tanta est, quanta est distantia creaturæ à Deo: hæc autem infinita cum sit, nequit non esse simpliciter infinita ea vilitas; & quidem indistincta ab esse creaturæ, quod creaturæ est ratio inferioritatis, & distantiæ infinitæ comparativè ad Deum. In hoc discursu solùm desiderari videtur Majoris assumptæ probatio: & est hæcnã si non esset Dei dignitas, non esset offensa: nec actus denominaretur offensa Dei. Deinde Dignitas creaturę dignificat arithmeticè obsequium: ergo & vilitas gravificat offensam: cur enim illa potiùs, quàm ista refundatur in operantis actus? Confirmatur. Non minus certum est gravitatem offensæ sumi saltem ex dignitate offensi, quam obsequii valorem ex operantis Dignitate: sed si hæc est simpliciter infinita, par est valor obsequii: ergo si illa est infinita simpliciter, par erit offensæ gravitas.

117 Vitio triplici laborat objectio. Primò: nam æquè probat de Veniali quod vel à Dignitate Dei, vel à Vilitate operantis non minùs sumit superioritatem, ac speciem, quàm mortale. Nec obstat levitas: tùm quia, sic discurrendo, negabimus. Tùm etiam quia nullius actionis tenuitas obstare potest ne condignificetur in Christo à summâ Dignitate Personæ operantis. Secundò: quia permisso quòd ea vilitas sit infinita simpliciter, & vilificet opera, fiet creaturam tam esse Deo inferiorem, quàm Deus est ipsâ superior: unde tanta erit Creaturæ vilitas, quanta Christi Dignitas: tanta peccati gravitas, quantus Theandricorum actuum valor, & quanta Dei Majestas. Hæc tamen negatis; & meritò. Tertiò: quia de Creaturæ vilitate indiscriminatim loquitur, duplex cum sit, & valde diversa. Moralis, & positiva: & hæc indistinguitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

à peccato: quo solùm positivè moraliter redditur creatura Vilis. Vilitas hæc finita est, nam de eâ est quæstio. Physica, & negativa: & hæc est illa distantia, seu inferioritas Creaturæ ad Deum, quam supra negavimus esse simpliciter infinitam. Illa enim est omni Creaturæ communis, nec moraliter vilificat: positivèque & ex parte creaturæ finita est, sicut est finitum esse creaturæ; licèt aliquomodo dici posset infinita, nempe ex parte Dei, & negativè, quatenus creaturam reddit carentem infinitâ Dignitate Dei. Vide quæ supra à *num.* 65. Iam

Vide à nu. 65.

118 Respondeo primò, negando antecedens, ut sæpè jam præstiti: & partem probationis utramque. Neutra probatur. Non prima: quia Dei Majestas non aliter specificat offensam, quàm media cognitione, & extrinseca habitudine actûs ad ipsum Deum: quâ per impossibile deficiente non esset offensa, ut nec amor, nec visio ipsius. At si Deo per impossibile deficiente, maneret in nobis cognitio, & actus postpositivus, maneret etiam offensa Dei. Denominatio igitur offensæ non venit actui ex Deo formaliter, sed objectivè: non constitutivè, sed terminativè. Non secunda: quia Dignitas operantis, utpote positiva perfectio, potest habere principii vicem in actus subsequentes; fierique non potest, ut ea dignitas supponatur, & ut operatio non reputetur esse Personæ tam æstimabilis, quanta est ejus Dignitas. At Indignitas ista merè physica, cùm sit negatio, est enim exclusio summæ Dignitatis à creaturâ, non potest habere vices positivi principii, nec positivè vilificare operationes, sed limitare quasi efficienter, faciendo quòd opera sapiant fontem unde fluunt, quòdque non sint infinitè æstimabilia, & bona quoad intrinsecum esse propter principii limitationem. Adde Vilitatem hujusmodi non esse simpliciter infinitam.

Lumbier. Godoy.

119 Ad Confirmationem, quâ nimis exultant Lumberius, & Godoy, nego consequentiam. Disparitas est clara satis: quia gravitas offensæ sumitur à Dignitate Personæ, merè intentionaliter, objectivè, & extrinsecè: Valor operis, sumitur à Dignitate Personæ, physicè, formaliter, & in se. Hoc est, Dignitatem Dei solùm gravificare offensam, ut cognitam, & medio substituto cognitionis: Dignitate verò operantis, valorare obsequia, non ut cognitam, & in substituto, sed formaliter per seipsam. Nec dicas: tam limitata est Vnio, quâ mediâ transfunditur valor in obsequia Christi Domini, quàm cognitio quâ transfunditur gravitas in offensam. Est grande discrimen: nam Vnio affert dignitatem ipsam formaliter, & in se.

120 Responderi secundò potest transmisso antecedentis assumpto, distinguendo ipsum antecedens: est simpliciter infinita formaliter, & in se, transeat: moraliter, & in gravificando, nego antecedens & consequêtiam. Nam licèt forma sit secundùm se infinita simpliciter, si tamen in modo se habendi, & gravificandi non sit infinita simpliciter, nó ideo offensa erit simpliciter infinita: ideo licèt ab his ipsis formis, de quibus objectio, sumat suam specificationem veniale peccatum, tamé quia moraliter, & in gravificando limitantur ad incapacitatem actûs, & conditionem ipsius, non gravificant infinitè simpliciter. Cum autem infinitati formarum, ex quibus permitto sumi formaliter offensæ gravitatem, obstet limitatio voluntarii, & advertentiæ, quæ moraliter sinit locum, ut una offensa sit aliâ simpliciter major, modó crescendi, & decrescendi contradicenti infinitudini, inde est offensam non gravificari moraliter infinitè simpliciter à formis alioquin simpliciter infinitis. Dixi *transeat*: nam licèt certum omninò sit Dignitatem Dei esse simpliciter infinitam, non est certum, sed maximè dubium, Vilitatem, de quâ Arguêtes, esse infinitam simpliciter in genere vilitatis. Id quod nuper attigi, & supra à *nu.* 65.

Num. 117. & supra à num. 65.

§. III.

SVBTILIORES OBIECTIONES.

121 Objicies tertiò: Illa Actio humana est in genere moris, seu in æstimatione morali simpliciter infinita, quæ se exercet per distantiam in genere moris simpliciter infinitam; sed Actio humana, quâ Deus quoad effectum offenditur, se exercet per distantiam simpliciter infinitam in genere moris: ergo est in genere moris infinita simpliciter. Consequêtia est legitima: solumq; probandæ Præmissæ. Major probatur, tùm à pari: nam actio physica, quæ se exercet producendo per distantiam physicè infinitâ, est infinita in genere physico: sic motus condensationis, quo infinita quantitas reduceretur ad spatium finitum, esset infinita condensatio, & actio quæ produceret terminos in infinitum, esset infinita productio. A priori: nam distantia infinita, quæ per illam actionem

nem vinceretur, & æquaretur, vinci, & æquari non potest per actionem finitam.

S. Thomas

122 Ostenditur minor: quia actio humana, quâ moraliter ponitur, & deprimitur infra rem vulgarem & vilem, Persona infinitæ Dignitatis, & infinitè distans se exercet in genere moris per distantiam simpliciter infinitam: sic autem se habet actio humana, quâ Deus offenditur: ergo. Minor est evidens: nam Deus postponitur creaturæ, & hæc ponitur per illam actionem supra Deũ: non minùs, omninò tamen aliter, ac Persona Christi se creaturis humilians deprimebat supremam dignitatem infra vilem creaturã. Diversitas stat in eo quod ista subjectio, seu depressio fiebat à Christo per summissionó: illa fit à creatura per elationem. Probo jam majorem: quid infinitum est in æstimatione morali in esse depressionis & subjectionis quòd infinita majestas sit moraliter infinitè distans à decenti suo ordine, & infra vilem conditionem: unde illa, quade loquebamur, Christi summissio non potest non esse in æstimatione morali, omnium maxima, & infinita simpliciter: ergo actio humana, quâ moraliter deprimatur infra vilem conditionem infinita Majestas, & fiat infinitè distans à se, nequit non exerceri per distantiam infinitam simpliciter in genere moris. Sic *objicit* ingeniosus Hispalensis *Iesuita.*

In Dictatis perdoctis de Incarnat.

Ioannes à S. Thoma.

123 Reduci huc potest specialis ratio M. Ioannis à Sancto Thoma sic arguentis: Peccatum in ratione injuriæ lædit jus Dei summum: & in ipso jus & dignitatem omnium creaturarum: quæ jura sunt infinita: Non autem fieri id potest sine infinitâ injuria; quia attingit infinitas res injuriando. Assumptum autem patet: quia sicut injuria Principis est injuria multitudinis, cujus est caput ex Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 4. Ita injuria Dei est injuria omnium, cujus est ipse Princeps. Retundit hunc ictum optimè Godoy *à num.* 18. Primò: nam hic discursus non est Thomistæ, nòn aliunde debentis infinitatem arguere, quàm ex Deo. Secundò: quia si jus Dei, infinitum cum sit, & majus omni cumulo jurium Creatorum, non sufficit infinitate offensam, quî sufficiat, licèt cum finitis alioqui juribus adjungatur? Tertiò: quænam est ratio, cur jus solius Dei, quin recurratur ad jura Creaturarum, non infinitet læsionem ipsius? si enim sit limitatio conatûs, voluntarii, & cognitionis, in lædente, eadem esse potest in lædente ea omnia jura. Quartò: quia exinde offensa Dei non esset infinita, quia Deum offendit, sed quia creaturas. Nego proinde læsionem infinitorum numero jurium, esse simpliciter infinitam: quæ erat Thomasii minor. Deinde nego majorem: neque enim hæc injuria est per modum damni illati, quod plerumque è Principe resilit in Vassallos. Et hęc est mens Sancti Thomæ satis aperta *citato loco.* Iam

Godoy.

Mens S. Thomæ.

124 Respondeo ad argumentum, speciosum quidem, sed inte lectu non facile, permissa majori, quam ægrè percipio, negando minorem, & majorem probationis: nam illud ponere rem infinitè dignam infra vilem, nudatis terminis, nihil est aliud, quam postponere Deum creaturæ: quæ postpositio licèt reipsa sit gravissima, & ordinis inter offensas respectivè superioris, & altioris, tamen habet multa unde limitetur in æstimatione morali: neque illa moralis actio ponit Deum infra Deum conatu moraliter insuperabili, sed tanto quantus est actus creaturæ, qui & finita cognitione regitur, & pollet finito voluntario.

125 Neque dignitas illa summa reipsa vilificatur, & deprimitur, sed terminat affectum par vipensivum ipsius, & ipsius postpositivum: unde non specificat moralem actionem nisi in ratione objecti, atque adeò ad proportionem cognitionis. Non ergo illa moralis actio, licèt tendat in infinitum, exercere se est dicenda per distantiam simpliciter infinitam. Neque in genere moris censeri debet simpliciter infinitum illud genus postpositionis, cùm neque in genere moris negari possit sub illo ipso genere major, & major postpositionis gravitas.

126 Iam exemplum subjectionis theandricæ nihil favet: tùm quia juxta Suarez valor illius subjectionis non sumitur ex dignitate per modum objecti terminante summissionem, sed ab ipsa se tenente ex parte principii, & hæc est communior expositio. Tùm etiam, licèt sumatur valor simpliciter infinitus ab illa dignitate per modum objecti, dat discrimen Amicus *disp. 6. sect. 3. num.* 113. & 118. quòd nempe summisio illa non purè respicit dignitatem, ut objectum, sed etiam ut effectum moraliter operabilem; secùs offensam: hæc tantum est affectiva depressio: illa est practica, & efficax rei alioquin sibi conjunctæ. *Infra libro 4. latè de his disp. 3. sect. præsertim 5.*

P. Suarez.

Amicus.

Infrà lib. 4 disp. 3. sect. 5. §. 1.

127 Objicies quartò: Malitia peccati mortalis infinitè differat à malitia Venialis: ergo est infinita simpliciter. Antecedens

osten-

ostenditur primò: sumatur collectio infinitorum Venialium. Iam sic in ista collectione datur malitia extensivè infinita: quæ proinde superat infinitè extensivè determinati venialis malitiam: v. g. peccati venialis *A*. Sed tota illa collectio superatur à peccato mortali per malitiam intensivè majorem tota illa extensione: ergo peccatum veniale *A* distat, & superatur à peccato mortali infinitè non solum extensivè, sed etiam intensivè. Fieri enim nequit quod Veniale distet infinitè extensivè ab altero, quod aliud tertium superet intensivè, quin eo ipso distet infinitè intensivè à tertio illo.

128 Secundò: tantum distat Veniale à Mortali, quantùm à Deo creatura; sed creatura distat à Deo infinitè: ergo. Major probatur. Distantia creaturæ à Deo infinita, in eo stat, ut per nullum augmentum, licèt infinitum creatæ perfectionis, venire possit creatura ad gradum ex quo non æquè distet à Deo, ac nulla facta additione perfectionis: eo enim est excessus Dei imparticipabilis, & inæquabilis; sed per nullum augmentum malitiæ venialis, etsi infinitum, venire Venialis malitia potest ad gradum ex quo non æquè distet à mortali: ergo.

129 Tertiò: quia si solùm finitè distat mortale à Veniali: ergo similiter pœna mortalis peccati finitè distare debet à pœna Venialis: ob excessum enim finitum malitiæ, nequit addi infinitus excessus pœnæ: ergo si pœna Venialis est in intensione, & duratione finita, nequit in eisdem esse infinita pœna mortalis. Atqui est: ergo ob excessum infinitum mortalis à Veniali in ratione malitiæ. Vrgetur. Pone infinita venialia: ea merentur pœnam infinitam in duratione: unum enim meretur unû instans pœnæ: aliud, aliud instans, & sic in infinitum: sed mortalis est major tota illa collectione: ergo meretur pœnam infinita majorem: quî potest id comporti sine malitia infinita? Confirmatur: illud est Bonum simpliciter infinitum quod superat omne bonum finitum in infinitum excogitabile: ergo illud est malum simpliciter infinitum quod superat etiam tantundem boni finiti: æqualis enim excessus fundat eandem distandi infinitudinem. Sic in Adversariis suis Pater Michaël Elizalde disputabat. Sed

P. Mich. Elizalde.

130 Hoc argumentum, licèt alioqui subtile non favet Thomistis: probat enim infinitudinem in ratione malitiæ, quam ipsi negant. Respondeo negando antecedens. Ad primam ejus probationem, admissa suppositione, & concessis exinde præmissis, nego consequentiam: ille enim excessus in mortali solùm dicit superiorem ordinem malitiæ seu malitiam perse gravem, quæ ex suo conceptu, præcisim ab infinitudine excessûs superat omnem malitiam ex se levem: qualis est tota illius totius collectionis: sic homo superat perfectionem infinitorum lapidum v. g. Ad secundam, nego majorem. Ad probationem dico excessum Dei respectu Creaturæ esse simpliciter infinitum propter duo Alterum est, quia dicit in se omnem modum essendi perfectè sine imperfectione. Alterum quia ita dicit, ut in ea ratione non sinat locum excessui: quæ duo desunt in mortali.

231 Ad tertiam dicetur infra ratio cur pœna mortalis præcisim ab infinitate delicti debeat esse æterna: dicatur modò pœnam mortalis præcisim ab æternitate non distare infinitè à pœna Venialis: addi tamen infinitatem durationis, non ob infinitum excessum malitiæ (nam illa infinitas non sufficeret, cùm unicè sit secundum quid) sed ob alias rationes infra dandas. Ad instantiam adjunctam, dicatur per venialia etiam infinita, nunquam incurri perse pœnam æternam: nam non sunt operationes sufficientes ponere Creaturam in termino. Adde esse ex se dignas indulgentia, & venia, ut ex ethimologia sumi potest. Ad confirmationem argumenti, nego consequentiam: nam exinde tam malum deberet esse peccatum, quàm bonus est Deus. Deus autem est infinitum Bonum ob excessum supra declaratum ad secundam probationem.

§. IV.

OBIECTIONES EX INCOMPENSABILITATE, & ex vi demeritiva.

132 OBjicies quintò. Peccatum, ut offensa Dei, est causa moralis effectuû, qui sunt infiniti simpliciter: ergo est simpliciter infinitum: nam causa nequit esse minor effectu suo. Antecedens ostenditur primò: quia peccatum, quantum est ex se, est destructivum Dei. Secundò: quia privat hominem infinito Bono: cujus proinde privatio est infinitè mala. Tertiò: quia præfert creaturam Deo: quæ ex distantia infinita eorum, est infinita prælatio. Quartò: quia meretur infinitum odium Dei. Quintò: quia meretur infinitum pœnam mala sine fine: nec enim ulla possunt assignari, ultra quæ non possit extendi pœna peccati. Sextò: quia meretur peccantis annihilationem. Septimò: quia demeretur omnia bona. Octavò: quia meretur privationem hypostatici Doni: justè enim eo privaretur Humanitas Christi, si peccaret. Nonò: quia peccati evitatio præponi debet omni cumulo boni, etiam infiniti. Decimò: quia meretur pœnam æternam: imò & ipsam pœnæ æternitatem. Nec videtur restare ratio tantæ pœnæ, tantæque punitionis, negatâ semel offensæ infinitate.

133 Hæc alii latè exaggerant: sed his decem viis vel itur in infinitudinem malitiæ, vel non pervenitur ad offensæ infinitudinem. Quid si causa moralis excedi posset à suo effectu, ratione causalitatis, quæ potest esse multò efficacior, & nobiliot illâ? Ratio posset esse: quia causalitas cõmensuratur Agenti Immediato, operanti quidem ad exigentiam alterius, sed conformiter ad alias circunstantias suæ activitatis, ex qua crescit effectus. Est enim inter causas morales, & physicas grande discrimen. Ex hoc discursu, tota objectio, quâ supra *à nu. 96.* satis præoccupavi, faceret in portu naufragium. Nihilominus nego antecedens.

Vide à nu. 96.

134 Ad primam probationem negetur assumptum: neque enim omnis offensa Dei est adhuc affectivè destructiva Dei; sicut nec hominis, omnis ejus offensa, licèt gravis. Dicis: per offensam tollitur à Deo ratio Vltimi finis. Dic non tolli absolutè, & in re, sed in exercitio respectu peccantis: hoc autem exercitium, finitum est: est enim actus creaturæ debitè operâtis ad ultimum finem; qui tamen manet. Dicis iterum: potest quis velle destruere Deum, si posset: vel ex prava existimatione quòd possit, adhibere in id media. Dic, hoc peccatum fore Dei destructivum, non effectivè, sed affectivè: finitæ tamen malitiæ, & offensæ, non minus ac esset finitæ bonitatis obsequium, quo quis vellet existentiam dare Deo, si posset; vel ex falsa existimatione, quod posset, adhiberet in id media. Ratio limitationis venit ab imperfectione conatûs, voluntarii, & cognitionis: ad quorum proportionem derivant objecta gravitatem, vel honestatem in actus voluntatis. Ex quo contra Amicum, & Prudentium intuli, nec Christicidium esse malitiæ simpliciter infinitæ.

Amicus. Prudent. nu. 103.

135 Ad alteram distinguo antecedens: privat hominem bono infinito, absolutè, & in se: nego: neque enim meretur, ne sit Deus: imò exigit. Vt possidendo ab homine per finitam conjunctionem vel gratiæ, vel visionis, concedo: at ista privatio, cùm Boni non sit infiniti absolutè, & in se, sed respectivè, vt finitè possidendi, non est cur sit infinita simpliciter. Ad terriam: dicatur ex illa ratione postponendi Deum, summum, & infinitum Bonum, Bono infinitè distanti, manere offensam Dei in ordine superiori: finitam tamen: quia illa infinitas Boni postpositi, non aggravat arithmeticè malitiam aut offensam, sed geometricè, & in ratione objecti. Nec quòd distantia sit infinita, inducit infinitudinem: sicut nec inducit in obsequium Dei supra creaturas omnes prælativû. Ratio utriusque: quia attingitur, & exercetur conatu finito, & intra idem genus facile superabili.

136 Ad quartam distinguatur assumptum: meretur odium infinitum infinitate entitatis, & quasi materiali; concedo: infinitate formali, seu incommodi, nego. Itaque duplex infinitas distingui debet: altera, entitativa, ex perfectione elicientis odium, qui Deus est, necessitatus habere actus æquales sibi, nempe infinitos: & ex hac infinitate odii nequit infinitas malitiæ colligi: nam & in peccato veniali colligeretur: & infinitas boni in actu cujusvis honestatis. Altera, incommodi: & ex hac æstimari debet aut obsequii bonitas, aut delicti gravitas. Incommodum autem potest excogitari duplex: respectu offensi, & respectu offensoris. Respectu offensi est dolor, & tristitia: & hoc genus incomodi causatum in summo Bono per odium mali comissi contra ipsum, necessariò faceret malû simpliciter infinitum: at odium Dei ab hoc genere incommodi distat infinitè: nihil enim Deo intrinsecum, potest esse molestum Deo. Respectu offensoris, est pœna: & hæc ex illo odio non est simpliciter infinita, ut videbimus. Nec si esset, probaret mihi infinitudinem offensæ, sed offensi. Vnde odium Dei respectivè ad demerita nostra, sicut & amor ad merita, non æstimantur, ut in se sunt, & ex entitativa perfectione; sed ab effectu, & à modo inclinandi Deum ad pœnam, vel ad præmium. Quare dici solent actus Divini penes id moraliter, & æstimativè finiti.

137 Ad quintam: supposita distinctione mali duplicis: negativi, & positivi: quorum illud est negatio Boni, de qua ad septimam: istud, inflictio mali. Censeo primò: peccatum mereri malum sine fine; id est, æternitatem mali: de quo reddetur à me ratio ad ultimam confirmationem: quæ ratio necessariò

Infrà nu. 140.

Ànu. 148.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rio offendet, peccatum, licèt alioqui finitum, nulla finita satisfactione fieri compensabile. Censeo secundo, non mereri mala sine fine, sed præcisim ab æternitate videri à Deo taxam finiti mali, quod puniat, ad æqualitatẽ, offensam. Ratio mihi est tùm quia videtur arduum dicere, Deum exequi non posse, quod *Deuteronomii* 25. præcepit *juxta mensuram delicti, erit & plagarum modus.* Tùm etiam: quia Damnati pœnæ essent infinitè minores illis, quas debent. Tùm insuper: quia sic non est unde colligatur in Deo inæqualitas indignationis, & odii, si semel pœna sit infinita simpliciter. Tùm deinde: quia id est dicere dari in peccato dignitatem ad pœnam omnino chymericam, id est, possibili majorem: cùm Deus nunquam posset ira punire, ut non superesset in peccato dignitas ad ulteriorem pœnam. Tùm demum: quia punire citrà condignum, esset Deo necessitas, non benignitas.

Deuteron. 25.

138 Quare sicut dicendo, Deum præmiari *ultra condignum*, non est Theologicus sensus, nempe Deum multò, & infinitè plus dare justis in præmium meritorum *ultra condignum*, quàm sit quod ipsis dat juxta condignum: ità nec Theologicus sensus videtur esse dicere, Deum multo, & infinitè plus citra *condignum* punire, quàm sit illud, quo reipsa punit. Censeo hinc tertiò, peccatum non mereri pœnam sensûs infinitè intensam: id quod ex dictis sit. Et de quo inter alios videndus est Salas *tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 15 sect. 7.* Ex his omnibus nego antecedens.

P. Joannes de Salas.

139 Ad sextam negetur assumptum imprimis: quia peccatum est actio connexa cum æternitate sui principii ratione supplicii: nequit autem mereri ne fit, quod exigit esse ratione termini, quem meretur. Esset enim mereri contradictoria. Deinde annihilatio malum finitum est, cùm solùm sit negatio seu destructio existentiæ, quæ est bonum usque quaque finitum.

140 Ad septimam: potest imprimis assumptum permitti, & negari sequela infinitatis. Ratio: quia Delicti gravitas non tam videtur metienda cum bonis, quæ demeretur, quàm cum magnitudine mali, quod meretur: illis enim caret, quia se facit indignum ut amicè tractetur: hoc punitur, quia deliquit. Vnde licèt Bona quibus se peccator indignum reddat, sint infinita simpliciter, nõ videtur exinde colligi malitia simpliciter infinita, sed malitia sufficiens, ut reddat inimicum Deo potenti alioquin per infinita benefacere.

Deinde negetur assumptum: nam neque demeretur existentiã peccantis, neque Dei: quæ sunt magna Bona respectu ipsius qui peccat; neque demeretur carentiam illius pœnæ, quam non meretur: dictum autem est supra per peccatum non incurri reatum omnis pœnæ. Negatio vero alicujus mali est bonum appetibile. Tertiò: demus peccatorem per peccatum demereri omnia bona: tamen ea omnia Bona possideri non possunt à creatura, nisi finitè, & modo limitato: ergo respectivè ad creaturam, & ut sunt bona illius, manent in linea finiti Boni: ergo privatio est finita simpliciter in esse mali.

141 Quartò demus etiam, ea bona, quæ demeretur peccatum, esse simpliciter infinita, non perinde probatur privationem inductam esse simpliciter infinitè majam in ratione damni, & pœnæ: ratio est: quia privatio boni in ratione Mali, damni, & pœnæ non tam pensari debet ex magnitudine Boni, quo privat, quàm ex subjecti indigentia, & jure ad bonum, quo privatur. Hinc, licèt melior sit actus charitatis, quàm vita; malum tamen majus infers Petro, dum ipsum occidis, quã dũ impedis actum charitatis: licèt sit melior Hypostatica Vnio, quàm Gratia: majus tamen malum inferres homini non justo, impediens illi gratiam, quàm justo, Vnionem impediens. Licèt majus sit esse Marchionem, & Ducem, quàm esse nobilem; pejus esset nobili privari nobilitate ob delictum, quàm non affici beneficio regio Ducatûs, aut Marchionatûs: nam sic mulctatur in possessis bonis: aliter unicè careret beneficio, quo jam ante culpam carebat. Cùm ergo ad ea bona, quibus Peccator per offensam indignus fit, nec jus habeat nec extremam indigentiam; inde fit privationem eorum non reputari simpliciter infinitam, licèt talia sint bona, quę demeretur.

142 Ad octavam patet ex dictis proximè. Quibus addo argumentum per impossibilia loqui: Nam peccatum destructivum Hypostaticæ Vnionis est impossibile: cum unio sit essentialis impeccabilitas. Dices primò: quid tamen in hypothesi impossibili? Has non curo. Dic tamen in ea hypothesi vel ipsam dignitatem Personæ exigere peccati abolitionem; vel Vnionem excludendam ex incompossibilitate cum peccato: quod etiam in veniali cernes sine malitia infinita: non tamen puniendum peccatum privatione, si hæc sit malum simpliciter infinitum.

Latè lib. 5. disp. 2. à num. 10.

143 Dices secundò: quid si Deus statueret

ret date Humanitati Vnionem nisi peccaret? & peccando se indignam faceret? Idem dicere poteras de veniali. Dic tamen amissam iri tunc unionem ex defectu conditionis requisitæ, tanquam cessationem Divinæ beneficentiæ titulo amici non debitæ, non verò tanquam debitam titulo amicitiæ. Volo dicere: cum qui graviter offendit, ex natura rei fieri indignum amicitiã, & his quæ ratione amicitiæ sunt & possunt esse debita; & his etiam, quæ citra jus amicitiæ, ex amici beneficentia venire possent: est tamen discrimen: quòd offensa, cùm tollat illa bona, ut aliàs debita, censetur tam mala, ac sunt in se bona, amicitia, & omnia, quæ cadere possunt intra jus ejus: bona secundi generis cùm non tollat ut aliàs debita, sed ut cessationem beneficentiæ, ad quam cessationem requiritur minor indignitas; non debet esse offensa tam mala, quàm sunt ea, bona.

144 Dicis tertiò: Quid si peccatum mereretur, ut unio existens in aliã Humanitate destrueretur? Dic, id non posse cadere in peccati demeritum, demereri potest in se, vel quod pro se fiat: non tamen ne sit in alio, licèt exinde mihi resultet utilitas. Patet tùm in humanis: ubi licèt ipse Regem offendam, non ideo demereor, quod meus Amicus, qui valet apud Regem plurimùm, privetur gratiã Regis, mihi alioqui utili. In Divinis: quia peccator non demeretur justis auxilia, per quæ pro ipsis peccatoribus Deum orent.

145 Dicis quartò: quid si humanitas, postquam meruisset infinitè, & dimitteretur à Verbo, peccaret? Certè hîc peccatum aboleret illa merita, quæ sunt infinita simpliciter: perseveassent enim hæc, etiam si Dignitas non duraret. Dic casum esse impossibilem. Primò ob indeffectibilitatem Vnionis. Secundò: quia ea merita necessitarent Deum, ne sineret eam humanitatem labi. Cardinalis de Lugo addit, peccatum illud condonandum ex exigentiã talium meritorum. Id mihi est valde difficile: intendit enim arguens, abolenda ea esse, ipso facto peccati. Fortè dici possit ea merita esse de condonatione peccati, si fortè postea committeretur.

Card. de Lugo.

146 Nona confirmatio retorquetur in Veniali manifestè: nec probat ullam infinitudinem, sed malitiam, & amabilitatis licitæ negationem, quòd adversus Rationem sit. Dicis: adminus obligatio evitandi peccatum est infinita: cùm pro nullã re etiam infinitã committi possit. Dic etiam id instari in Veniali. Nega deinde cum Lugo sequelam: solum enim id dicit ineligibilitatem peccati.

Idem Lug.

147 Ad ultimam, quæ celebrior est, & quæ retorquetur apertiùs, tùm in malitia peccati, cui tamen per Adversarios finitæ, respondet æterna pœna: Tum in bonitate actuum, quibus de condigno mereamur æternam gloriam, alioquin finitã, & limitatã: concedo peccatum justè puniri æterna pœna, seu pœna sensûs finitã per tempus infinitum: nego tamen eam pœnam esse simpliciter infinitam: cùm dari possit incomparabiliter major. Nec dicas pœnam infinitè durantẽ æquivalere infinitæ intẽsioni pœnæ: Imò inquam, superat: quia omne malum simpliciter temporale, contemni potest. At cur, *inquies*, fieri potest ut offensæ finitæ citra injustitiam, respondeat æternitas pœnæ? Imprimis miror hæc quæri ab his, qui quotidie vident, pro criminibus levioribus puniri reum, privatione, & spoliatione bonorum, & Vitæ, quantum est ex parte judicis in perpetuum. Deinde non vident æternitatem pœnarum nunquam esse simul, pœnamque, licèt sit syncathegorematicè infinita, quã parte existit, finitam esse & capacem crementi, & decrementi. Denum

148 Triplex est mihi ratio, cur licèt offensa sit finita, justè puniatur æternã pœnã. Prima est: quia licèt Malitia peccati non sit infinita simpliciter, est malitia Delicti gravissimi ex ordine suo, cui nempe necessariò correspondere debet, Pœna simpliciter magna, ita tamen relicta taxæ Divini Arbitrii, ut manere debeat simpliciter magna. Nihil autem esse potest in ratione pœnæ simpliciter magnum, si temporale sit: unde æternitas necessariò debet ingredi in taxam pœnæ.

149 Secunda est: quia pœna, & præmiũ operationum moralium, Agentis, quoad partem saltem principaliorem, immortalis, habentisque proinde terminum Boni, & Mali; necnon merentis, aut demerentis apud æternum Judicem Boni, & Mali, nequeunt non esse conformia & Merenti, & Ei apud quem meretur, atque adeo æterna: quippe nisi terminus Boni non esset naturaliter firmus, & æternus, frustra esset finitus rebus, & Causis Rationalibus appetitus ille fœlicitatis, & quietis perpetuæ. Rursus nisi terminus mali, seu pœna esset æterna, Deus non esset summè timendus, siquidem omne temporale contemni potest, utpote non oppositum cum ullo fine quem unicè necessariò desideramus. Vnde æternitas pœnæ tam abest, ut reddat Deum injustum punitorem, ut potius

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessaria sit vel in præmio, vel in pœna æternitas ex conditione merentis, aut demerentis, atque adeò independenter ab Infinitate Delicti.

150 Tertia est: quia tationabiliter, & ex jure, Qui stat commodis, stare debet incommodis: cum ergo Deus proponat in bravium & præmium obsequii finiti æternum gloriæ pondus; quidni finitam alioqui offensam prohibere possit sub æterno pondere pœnæ: & qui contemnit æternam retributionem, quidni subeat punitionem æternam? Addi posset & quarta ratio, communis ea quidem ex Sancto Thoma, & Suarez, efficax tamen & aperta, si explicetur bene. Nempe ideò culpæ respondet æternitas pœnæ, quia licèt alioqui finita sit, est ex naturâ suâ æterna, ponens peccantem in statu irreparabilitatis æternæ & æternæ inimicitiæ: culpæ autem, quæ ex natura sua petit in æternum durare quoad maculam, & reatum inimicitiæ, & quæ peccantem efficaciter amovet ab ultimò fine, & quidem, spectatis naturis rerum in æternum, quid mirum si æternitas mali respondeat? est enim dicere puniendam, quousque perseveret.

S. Thomas. *P. Suarez.*

151 Objicies quintò: Peccati offensa est incompensabilis per finitam satisfactionem: ergo est infinita simpliciter. Antecedens ostendetur *in seq.* Consequentia probatur. Primò: Malum enim quod non habet justam mensuram sui nisi in infinito Bono, non est malum finitum: sicut quantitas non aliter justè mensurabilis nisi per distantiam bipalmarem, necessariò est ultra palmarem; quo reducitur pulcrum ratiocinium, quod affert P. Thomas Muniessa *disp. 8. num. 73.* & solvit *nu. 93.* Secundò: quia si offensa manet in ordine finito, manet in gradu determinato, & certo mali, & displicentis: quem nosci bene Deus: ergo cum finitum bonum sit ex se determinatæ bonitatis, & fundet etiam complacentiam determinatam & certam; & aliunde sit capax augmenti: eousq; potest augeri, ut videat Deus tantam complacentiam è tali bono sumi, quanta ex peccato sumitur displicentia; atque adeò æquari malitiam peccati per finitâ bonitatem: cur ergo offensa sit per finitam satisfactionem incompensabilis?

A nu. 153. *Muniessa.*

152 Hoc arguendi genus vel probat infinitudinem in ratione malitiæ, vel nihil probat. Deinde præoccupatum est satis *supra*: nam infinitas ex qua colligunt incompensabilitatem, non tam est offensæ, quam offensi: & hanc non negamus. Insuper infinita satisfactio excedit & superabundat ad malitiæ quantitatem: ex quo patet ad primam probationem consequentiæ, quam nego. Ad secundam dicatur, exinde etiam probari efficaciter displicentiam peccati mortalis æquari tandem posse per displicentias venialium addendo quantum sit opus. Id autem si negatur ex diversitate ordinum, cur mirantur Adversarii negari à nobis etiam compensabilitatem offensæ, & displicentiæ per bona finita, & eorum complacentias? dabitur tamen efficax ratio, cur licèt offensa finita sit, satisfactio debeat esse infinita simpliciter.

Suprà à nu. 68.

SECTIO V.

TENENDA, IN PRINCIPALI PUNCTO Controversiæ, Veritas:

153 EA est, Peccatum mortale per quantumvis obsequiorum finitorum cumulum esse incompensabile: atque adeò nullam sufficere puram Creaturam, sed esse necessariam Vnionis Hypostaticæ interventionem ad exhibenda pro Mortali condignam satisfactionem, si exhibenda ea sit. Communis est assertio: & apud Bernal Theologicè certa ex Adriano Papa, & Concilio Francofurtensi. Apud me vero ex *eisdem*, & ex Ephesino *p. 1. 2. & 3.* Sic enim habetur *part. 2. in homil. Proculi Epise. posse salvare, viriũ puri hominis non erat*: & circa finem *homo purus salvare non poterat: & part. 3. in hom. 1.* Theodori Ancirani habetur sic: *Omnis Creatura infirma erat ad salutem nostram.*

Adrian. *Francofur.* *Bernal.* *PP. Ephes. Concil.*

§. I.

AVTHORITAS, ET RATIO A POSTERIORI, Veritatis assertæ.

154 RAtionem à priori dabimus *infrà*. Fundamentum hîc, Authoritas SS. PP. adeò aperta, ut temerè resistas. Hylarius *in Matthæi 16.* sic: *Sicut Dei Filium, ita & Filium hominis neminerimus: quia alter sine altero nihil spei tribuit ad salutem*: Nempe, quia licèt haberet infinitam dignitatem, ut Deus; mereri non poterat nisi esset homo: & licèt mereri & obsequi posset, ut homo: satisfacere non poterat nisi esset Deus. In eundem sensum, Basilius *in Psalm. 48. Non homo, nec Deus, sed homo Deus: quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.*

A nu. 276. *Hylarius.* *Basilius.*

Au-

Augustin. Augustin. *tract. 81. in Ioan. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset. Et in Enchirid. cap. 108. Neque per ipsum liberaremur mediatorem, nisi esset Deus.*

Cyrillus. Cyrillus *Epist. 1. cap. 17. Quo pacto autem unus pro omnibus mortuus, justum pro omnibus pretium exsolvere potuit, si passionem illam puri cujusdam hominis esse dicamus?*

Fulgentius Fulgentius *cap. 4. de Incarnatione. Nullatenus Humana Natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens, aut idonea esset, nisi unione Verbi Dei.*

Leo Magn. Leo Primus *Serm. 1. de Nativit. Si non esset Deus, non afferret remedium*; Expressius *Serm. 12. de Passion. Quia primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata corruerat, nec ulla Sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere, venit è Cœlo medicus singularis.* Ista mens PP. *è Scripturis, Conciliis, & ratione* discurrentium, ut interim omittam Sanctum Thomam, cujus mens, clarior est, quàm ut hic repræsentem.

S. Thomas.

155 Duo reponi possunt. Alterum SS. PP. loqui, de hominibus infectis originali: atque adeò juxta præsentem Providentiam, & Potentiam ordinariam. Alterum, eos loqui de satisfactione condignâ rigorosâ ex justitia: non verò de satisfactione utcumque condignâ, deficiente tamen ex rigore justitiæ ob defectum alicujus conditionis, ad eum modum, quo de condigno meremur gratiam & gloriam, licèt non ex justitia: quia ipsa opera sunt Deo alioquin debita. Neutrum dici, aut subsistere potest, si PP. & rei standum sit.

156 Non primum: primò quia Ephesinum *loc. cit.* excludit etiam Angelos, & in universum puram creaturam: ubi originalis peccati reatus timeri non potuit. Secundò: quia alii etiam PP. supponunt in creatura, de qua negant, Sanctitatis statum. Tertiò & manifestè, quia ratio à SS. PP. & CC. adhibita est ratio puri hominis: quæ sive fiat peccati suppositio, sive non fiat, eadem manet. Et mirandum profectò, SS. PP. non animadversuros possibilem hypothesim alterius Creaturæ, quæ non esset infecta peccato, dum terminis ita generalibus promovent necessitatem Incarnationis. Quod si Basilius innuit loqui aliquando se de creaturis peccato infectis, (quod Vvadingum fefellit;) iterum, iterumque se explicat de omni genere creaturæ, etiam Sanctæ, ut videre in ipso esta: additque opus satisfaciendi pro peccato non esse nudi hominis, sed Dei hominis. Quod verò additur *de potentia ordinaria*, frivolum est: cùm Patres absolutè pronuntient necessariam esse, ad effectum satisfactionis, Incarnationem: quod opus necessarium est potentiæ maximè extraordinariæ, & supra leges omnes ordinariæ Providentiæ.

Ephesin. & PP. Mẽt clara. *Basilius. Vvading.*

157 Non secundum: primò quia impertinens est ad id justitiæ rigor, ut *num. 4. disputationis* initio monui. Secundò: quia fortè nec satisfactio Christi fuit ex rigore justitiæ: vel saltem nostra merita ex rigore justitiæ præmiantur. Vtrumque enim probabile: neutrum certum: certum verò, quod satisfactio Christi condigna sit. Non autem Miscendi PP. quæstioni, à quâ & ipsi præscindimus: & ob quam nihil dixerint nisi huc impertinens, & in se maximè dubium. Tertiò: quia si semel præciso rigore justitiæ, (à quo PP. dum linguâ abstinent, mente præscindunt) datur operibus puri hominis condignitas ad satisfactionem, eo modo quo datur ad gloriam: non video, cur tantopere PP. negent idoneitatem & sufficientiam in pura creatura ad satisfaciendum: cum ipsa nullã aliam condignitatem de Christo asserant. Nec video cur illam negent, non negando eandem respectivè ad gloriam? Nec demum video, cur negari in meritis creaturæ puræ possit valor condigni pretii pro remissione offensæ, si negari pro gloria nequit. Est ergo mens PP. & CC. assertio nostra, nempe insufficientia puræ creaturæ, quantumvis Sanctæ, ad exhibendam pro peccato mortali aliam proprio quàm alieno condignam satisfactionem, etiam præciso rigore justitiæ.

Infrà latè lib. 4. disp. 4.

158 Confirmatur assertæ veritas per rationem efficacem à posteriori: si posset aliqua puræ creaturæ satisfactio, quacumque obsequiorum multiplicatione suppositâ, resarcire condignè mortalis unius offensam, possent offensæ Veniales non æquare solùm, sed etiam superare offensæ mortalis malitiam: id autem est impossibile, & ostenditur sequi: nam cùm ex una parte talis satisfactio, seu obsequiorũ multiplicatio in satisfactionem adhibita, sit finita: ex aliâ verò parte, quævis offensa venialis certam postulet satisfactionem, tot multiplicari poterunt Veniales offensæ, ut satisfactio, vel illa obsequiorum multitudo, condigna pro unius mortalis offensâ, non sit condigna, & adæquata pro numero venialium. Vnde manifestè fit eas offensas veniales, quoad gravitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

offensæ excedere offensam unius mortalis. Ratio est: nam major offensæ gravitas rectè colligitur ex majori, digniorique satisfactione ad ipsius compensationem requisitâ. Non ergo potest à pura creatura exhiberi condigna pro offensâ mortali satisfactio.

§. II.

SOLVUNTUR ALIQUA ARGUMENTA.

P. Vazq. 159 OBjicies primò ex Doctrina Patris Vazquez putantis Actum charitatis sanctificare formaliter: id quod censent multi valde probabile: & exinde sic arguis: obsequium ita delectivum offensæ, ut ex naturâ suâ tollat odium, iram, & jus vindictæ contra offensorem, est condigna satisfactio pro offensa; at purus homo ex viribus gratiæ potest elicere hujusmodi obsequium: talis enim est Dei Dilectio super omnia: ergo & potest de condigno satisfacere pro offensâ. Major patet: nam satisfacere perfectè nihil esse aliud videtur, quàm facere quod est satis, ut offensus rationabiliter deponat odiū, & recedat in gratiam offensoris. Multa tangit objectio, de qua dicam *infrà à nu.* 237. *& à num.* 310. Nunc *sunt* qui respondeant, negando quod assumitur. *Sunt* qui negent etiam vim sanctificandi actui supernaturalis dilectionis, concessâ nihilominus formali incompossibilitate cū peccato: nam hæc, *inquiunt*, non tam oritur ex perfectione Dilectionis, quàm ex connexione cum Gratia, per actus Fidei & spei; à quibus pendet actus, in ipsum transfusâ. Nolo quicquam modò decidere.

Infrà à nu. 237. & 310.

160 *Sunt* qui permissâ Doctrinâ, negent actui dilectionis vim satisfactivam, quia fit ex gratia Creditoris, palliatè donantis in auxilio congruo pretium, quo sibi satisfiat, atque adeò gratuitò donantis. Sed hi non advertunt contingere hic, quod contingeret in humanis; si debitor pretiosa instrumenta acciperet à creditore suo ad laborandum opus egregium ad satisfactionem debiti: aut qui constitueretur à suo creditore procurator ad elargiendam eleemosynam, & largiretur sibi, ut exinde satisfaceret. *Sunt* qui cum Vazquez ideo negent, quia exhibitio contritionis supponit jam remissam partem debiti penès auxilium, quo carendi debitum culpa contraxerat. Sed neque advertunt, manere nihilominus totum formale debitum, & totam rationem offensæ, pro qua fieri satis potest. Alia dicunt alii, *sect. seq.* evolvenda.

Vazquez.

Melius distingueretur major: obsequium ita delectivum, per exhibitionem rei æquivalentis offensæ, concedo: per exhibitionem rei non æquivalentis, oppositæ alioquin, offensæ, nego: nam satisfactio est redditio æquivalentis ex *sect. 2. nu.* 12. Sed de his *à nu.* 237. & iterum *sect. ultim. à* 310. *Vide infrà à nu. 237. & 310.*

161 Objicies secundò: Qui reddit, quàtum abstulit, satisfacit ad æqualitatem; sed purus homo potest Deo reddere, quantum peccando abstulit: ergo potest ad æqualitatem satisfacere. Major videtur evidens: si enim tibi abstuli centum, & reddo tantundem, satisfeci. Probatur minor: quia per peccatum unicè Deo aufertur ratio ultimi finis quoad exercitium consistens in prælatione aptetiativâ Dei præ cæteris rebus omnibus: Totum autem id redditur per Dilectionem Dei perfectam super omnia.

Schotus. 162 Vides hìc confundi ab Schoto, cujus objectio est, Restitutionem cum satisfactione, quas maturè contradistinximus *suprà nu.* 25. Cardinalis de Lugo *disp. 5. num. 56.* negat absolutè majorem: quia stare potest reddi, quantum ablatum est per offensam, nec fieri quantum est satis ut placetur offensus. Distingunt alii duplicem satisfactionem, aut reparationem injuriæ: aliam respondentem damno, seu quasi damno quoad effectum illato: & in hanc ajunt valere regulam majoris assumptæ. Aliam respondentem damno, seu quasi damno desiderato, & quoad affectum illato: & in hanc ajunt valere, si ponatur tantundem boni, quantum est aut esset damnum, quod affectivè ponitur: quod nempe cum in peccato sit infinitum (est enim non esse Dei, seu Destructio Dei) fit, manere peccatum infinitæ malitiæ, & incompensabile per finitam satisfactionem. Sed reassumitur hic, quod in prædecentibus fusè jam improbavimus. *Card. Lug.* *Suprà à nu. 134.*

163 Deinde magnitudo injuriæ pensari non debet cum damno quoad affectum illato; nec sumi per hoc damnum proportio satisfactionis ad ipsam injuriam: fieret enim hominem homini facere injuriam, simpliciter infinitam, & incompensabilem, si nempe vellet ipsi tollere Divinitatem, si Deus esset: aut Vnionem hypostaticam, si haberet, aut si ei vellet infinita mala. Ratio à priori: quia magnitudo injuriæ non debet æstimari ex malo, quod necfuit, nec esse potuit, sed ex malo, quod revera infertur patienti injuriam. Quare in his desideriis solùm attendi debet, non ad malum, quod esset in hypothesi im-

impossibili, sed ad quantitatem mali, quod est in ipso desiderio, seu in ipso malo prout desiderato; & hoc, finitum est. Secundò: quia inde fieret, neque satisfactionem Christi esse condignam: cùm æquare non possit malum illud offensæ affectivè positum: nam tota Christi satisfactio non potest dare Deo Divinitatem, quàm offensa affectivè ei aufert, juxta hanc discurrendi viam. Tertiò: cur non etiam sufficeret pro malo desiderato tantundem boni desiderati? quo fieret per actus puri hominis posse satisfieri pro offensa, cum possit purus homo Deo desiderare Divinitatem?

164 Dices: quid ad illud axioma receptissimum: *Voluntas pro facto reputatur?* Dico tenere id quando Voluntas sejuncta à facto, est aut esse potest æquè mala, æquè damnosa Reipublicæ, & æquè digna prohibitione, ac conjuncta cum facto: non secus. Ratio à priori: quia voluntas prava est principium malè agendi; & licèt de facto non efficiat externum damnum alioqui prohibitū, potest generare habitum productivum damni externi prohibiti: quid ergo mirum, quòd talis voluntas prohibeatur, æquè ac damnum externum, cùm majoris plerumque momenti, periculi, & mali sit comparare vitium inclinativum ad homicidium v.g. quàm unum hominem occidere. Tunc ergo Voluntas debet reputari pro facto, cùm in Voluntate est periculum æquivalens facto aut æquivalentia facti, atque adeò ratio cur æquè voluntas vitari, caveri, prohiberique debeat ac factum; tunc autem ex facto rectè sumitur mensura volùtatis. At hęc necessariò supponunt posibilitatem facti: facti enim chymerici non potest dari periculum, quantumvis sæpè velis: unde Voluntas facti alioquin impossibilis non potest reputari pro facto. Quare

165 Respondeo iam ad argumentum *nu.* 161. propositum, cùm distinctione: si auferendo, nihil intulit, pro quo debeat satisfieri, transeat, vel concedo: si auferendo, intulit malum, nego majorem: est dicere, injuriam purè consistentem in ablatione boni positivi, posse fortè compensari per bonum æquale: at verò consistentem ulterius in illationi mali positivi, non posse compensari nisi per bonum, & æquale bono ablato, & æquale malo illato: aliter enim non fit satis, ut placetur offensus: requiritur enim, & reddere bonum, quod offensa abstulit, & malum auferre, quod intulit. Cum autem homo peccando non utcumque bonum auferat, sed inferendo malum offensæ, non potest satisfacere nisi per obsequiū æquale bono ablato, & illatæ offensæ.

166 Adde, peccando non solum auferri bonum obsequii alioquin debiti, sed etiam duplex aliud genus boni, nempe bonum amicitiæ & eorum quæ ex ipsa sequuntur, & bonum cessationis à contemptu Dei semper indebito: his autem patet non posse satisfieri per positionem obsequii in instanti subsequenti: licèt enim hoc utcumque compenset bonitatem obsequii in instanti præcedenti omissi, at neque compensat bonum cessationis ab inhonoratione, quod inferendo offensam abstulit, nec compensare potest bona, quæ demerendo perdidit, nisi tanta sit vis meritiva in obsequio, quanta demeritiva vis fuit in offensa: quod constabit esse impossibile.

167 Dices, assumi hìc quod videtur inverisimile, nempe hominem peccando, inferre Deo malum: quâ ratione peccatum est Dei malum, cum ipsi nullum dolorem inferat? Respondeo, peccatum esse malum hominis, ut imago est Dei: & id sufficeret. Deinde, licèt sit malum solius hominis in ratione damni, est Dei malum in ratione offensæ. Tertiò, dici Dei malum, quia nisi Deus ratione summæ felicitatis esset Doloris, & tristitiæ incapax, Deo inuteret; incutit tamen quantum potest in Amicis Dei, qui Dii vocantur, & sunt alter Deus, ut est & meus *amicus* ex proloquio communi *alter ego*.

168 Objicies tertiò: Qui reddit Deo, quantum potest, nihil debet amplius: sed purus homo potest Deo reddere, quantum potest: ergo potest contingere, ut nihil amplius debeat, alioqui deberet homo Deo, & ab homine Deus peteret, quod homo non potest: nemo autem obligatur ad impossibile. Sed qui nihil debet, ultra ea, quæ fecit, extinxit debitum: & satisfecit: ergo. Confirmatur primò, quamvis pro beneficiis à Deo acceptis nequeat homo reddere gratias æquales, reddendo quas potest, satisfacit obligationi gratitudinis, quantum sufficit, ut illam expleat, & adæquet: ergo similiter in casu satisfactionis.

169 Confirmatur secundò: qui potest offenso obsequium offerre in quo magis complaceat, quàm displicuit in offensa, satisfacit, eo enim videtur offerre plus boni, quàm sit illatum offensæ malum; sed purus homo potest offerre Deo obsequium, in quo magis com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

complaceat Deus, quàm in offensa displicuit: Nam major est Dei complacentia in bonis justorum operibus, quàm displicentia in peccatis; cùm major, magisque utilis ex illâ proveniat effectus, quam ex istâ: majus est enim lucrum æternæ gloriæ, quàm nocumentum æternæ pœnæ. Confirmatur tertiò: videtur absurdum, majorem datam Homini à Deo, summo alioquin Bono, potestatem ad malum, quàm ad Bonum; sed dedit potestatem ad malum abolitivum Gratiæ, & Bonorum præcedentium: ergo dedit etiam potestatem ad bonum abolitivum inimititiæ, & peccatorum præcedentium. Id autem dari non potuit, sine collatione potestatis satisfactivæ pro peccatis.

170 Respondeo ad argumentum primò, distinguendo majorem: nihil debet amplius facere, concedo: pati, nego. Itaque non satisfit quousque exhibetur obsequium, ob cujus præstantiam ita manet offensor erga offensum: ut neque ille propter delictum teneatur ultra facere quicquam, aut pati, neque hic rationabiliter possit ultra exigere. Quod si offensor ad eam operum dignitatem pervenire non possit, quamvis faciat, quantum possit; faciet minus quàm requiritur ut satisfaciat; faciet tamen quod facere tenetur, & ad quod justè poterit obligari: neque enim obligabitur ad satisfactionem, cogendus tamen ad ea quæ pati debet: unde objectio solùm probat, non peccaturum offensorem ex eo quòd condignè non satisfaciat: quod est verissimum. Secundo: distingui potest alitet major: Qui facit quantum potest, & potest quantum est satis, nihil amplius debet; concedo: qui facit, quantum potest, & quantum potest non est satis, nihil amplius debet, subdistinguo: inspecta obligatione faciendi quod potest, ne peccet iterum, concedo: inspecta obligatione faciendi, quantum est satis, ne maneat culpæ reus, & pœnæ, nego suppositum.

171 Ad primam confirmationem: concesso antecedēte negatur consequentia. Nam obligatio gratitudinis ex beneficiis orta, solùm est obligatio faciendi: unde qui facit quantùm potest, adæquatè satisfacit. Ad secundam, omissa majori, negetur minor, & quod assumitur pro excessu complacentiæ Divinæ de obsequiis justi supra displicentiam de peccatis: constabit enim *infrà*, etiam quoad effectus, magna disparitas utrorumque. Deinde mereri nos per obsequia plus positivi Boni, quàm sit malum positivū quod incurrimus per peccata (quem excessum negare hic nolo) non provenit ex excessu meriti supra demeritum, neque ex excessu complacentiæ Divinæ de Merito, supra Divinam de demerito displicentiam: sed ex duobus aliis capitibus valde diversis.

Anu. 281.

172 Primò. Ex bonitate Naturæ Rationalis, cui multò certè plus Boni debetur, dum benè agit, quàm mali, dum malè. Ea enim quæ conveniunt alicui per se, possunt, & debent ipsi abundantius convenire, quàm quæ per accidens. Hinc de ratione præmii, utpote finis excitativi bonorum operum, & per hæc tanquam per media comparabilis, est excedere præstantiam bonorum operum: est enim de ratione finis excedere media: de ratione autem pœnæ, utpote rei, malique non intenti per se, sed secuti per accidens est esse minus malum, quam sit culpa; neque enim debet fieri pactum, & comminatio mali majoris, ut evitetur minus, sed ecòtrà. Secundò ex natura ipsius Boni, quod potest esse infinitum, cum malum necessariò debeat esse finitum. Infinitudo enim solùm potest esse de ratione boni: Fælicitas autem quæ est connaturale præmium justi stare nequit, nisi in possessione summi boni. *Suprà à nu. 86.*

173 Adde, hunc excessum Boni in præmio non induci à sola complacentia Dei de obsequio, sed ab ipsa prout conjuncta cum complacentia creaturæ Rationalis ordinatæ ad Beatitudinem: & cum complacentia in excellentia summi Boni, quod necessariò est finis creaturæ Rationalis: at totum malum, quod est in pœna, inducitur unicè à sola displicentia Dei de peccatis. Ad tertiam, probandum in primis erat dari Homini à Deo posse satisfactivam illam potestatem. Deinde omissa majori, & concessa minori, nego consequentiam. Vt enim Deus dederit majorem potestatem ab bonum, quàm ad malum, sufficit datam esse Homini à Deo potestatem Filium Dei fieri, & ipsius possessorem: idque tam facili indulgentia, ut licèt potestas peccandi sit innata homini, & potestas evitandi peccata, & merendi sit gratuita, tantam possit habere securitatem de viribus quoad hęc, quàm timere potest ex viribus quoad illud.

174 Objicies quartò: *Omne finitum, finitis ablationibus finitur*: ut evidens est: ergo omne finitum, per finitas additiones potest æquari, quantumvis magnum sit: ergo finitus excessus inter duo extrema, per finitas additiones ad excessum, tolli potest; sicut & potest per finitas ablationes excedentis: ergo ex-

excessus, quo peccati malitia superat bonitatem obsequii, cum sit finitus, toli potest per additionem bonitatis, sicut tolli posset, per diminutionem malitiæ, quæ possibilis, ad exempli gratiam, existimetur. Illa autem bonitas crescere potest per additiones sine fine.

175 Confirmatur primò: æstimabilitas actus obsequiosi crescit ex motivo, & ex difficultate operantis, non secus ac offensa ex Majestate offensi, & offendentis vilitate: sed nobilitas motivi ad obsequium potest esse par Majestati, quæ offenditur: ut patet in actu charitatis: cujus motiva ratio est Divina Bonitas: & difficultas operantis potest esse tanta quanta vilitas: nam operari heroicè, fieri non potest, quin vincatur illa vilitas, cujus certè non est nobiliter & heroicè agere: crescit ergo difficultas operandi supra vilitatem indolis, id est, heroicè, ad mensuram vilitatis, quam superas: unde dixit acutè Ennodius: *Difficile est degenerare nobiliter.* *Ennodius.*

176 Confirmatur secundò: Actus falsi non magis intellectui nocent; quàm prosint actus veri: nec hi habent minorem bonitatem, quàm illi malitiam: imò multò majorem: Nam per actus optimos hæret Intellectus immobiliter & absque ullâ formidine Vero; per actus vero falsos, etiam pessimos non potest tantum adhærere falso: ergo similiter Actus mali non magis Voluntati nocent, quàm prosint boni: & inter bonos optimi prævalent pessimis inter malos. Consequentia probatur: quia Voluntas est potentia proportionata cum intellectu; habetque eundem Authorem, & æquè benevolum; non permissurum proinde malum nisi ex intentione boni, nec mali possibilitatem, sine possibilitate boni saltem æqualis, vel majoris, ut facit in intellectu.

177 Confirmatur tertiò: sicut se habet præmium ad pœnam, sic se habet meritum ad demeritum; sed præmium prævalet pœnæ: ergo & meritum demerito prævalet: ergo &c.

178 Respondeo ad argumentum, concesso antecedente, & distinguendo consequens. Si additiones fiant in eodem genere, in quo est extremum, cui alterum per illas additiones intenditur æquari: Concedo. Si in diverso genere, nego consequentiam. Itaque omne finitum per ablationes sui finitur: quia nequit fieri ablatio ab aliquo, nisi sub ipsa ratione in qua est: at verò non omne finitum potest æquari per inferius, faciendo quascumque additiones, si ipsum inferius sit in genere diverso, & in ipso fiant additiones: nam cùm omne quod additur sit infra ordinem extremi excedentis, nunquam fieri potest æqualitas: ob hanc rationem per nullam additionem malitiæ levis ad peccatum venialē, perveniri potest ad æqualitatem cum mortali; nec per quamcumque magnitudinem, & multitudinem lapidum, ad æqualitatem cum homine. Obsequia autem Creaturæ, & offensæ respectivè ad Deum sunt in ordine diversissimo: nam ex eadem mensurà, illis, & his communi, peccatum manet in genere suo quid magnum: & obsequium, quid exiguum: illud, in supremo genere mali: non autem hoc, in supremo genere boni.

179 Ad primam confirmationem. Nota primò: omnes actus obsequiosi, quantumvis sint ex magno motivo, sunt Deo maximè debiti: imò eò magis sunt debiti, quò majus & melius est motivum operandi: in quo maximè differunt ab offensis: nam obsequium minuitur quoad æstimationem moralem obsequii, quò magis debetur; offensa crescit, quò minùs decet: Vnde licèt inter actus obsequiosos fieri possit comparatio, parvi, & magni; magni, & majoris, addità rationi debiti, quæ singulis convenit, speciali dignitate ex speciali nobilitate motivi: tamen respectivè ad offensam semper manent in ordine inferiori, & æstimatione exigui, & parvi obsequii. Nota secundò: Duplex est vilitas: Alia naturalis, & physica, quæ consistit in ipsa finitudine Naturæ, egentis extra se quærere felicitatem, per imitationem supremi exemplaris. Alia est quasi moralis orta ex pravitate educationis, consuetudinis, & exemplarium avertentium à fine veræ felicitatis. Ex ista nascitur difficultas operandi heroicè, & nobiliter; non ex illa: ex illa enim solùm nascitur impotentia faciendi actus infinitè dignos, & necesitas obsequendi. Nego igitur ex his prænotatis majorem, in qua totum erat pondus confirmationis.

180 Ad secundam: Nota duo genera operationum, quæ sunt in homine vel alio Agente Rationali. Aliæ sunt in quibus aliquid habet homo, sed vix æstimabile: in eisque potiùs à Directione & influentiâ Divinâ homo videtur agi, quàm agere. Aliæ sunt in quibus homo plus habet de suo; in eisque potest homo se subtrahere divinæ directioni, & influentiæ. In operationibus primi generis optimum prævalet pessimo: quia optimū habet plus de Divinâ manu, & directione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne, quàm pessimum de manu agentis à quo vilificari potest. In operationibus secundi generis, pessimum prævalet optimo: quia pessimum fit per omnimodam subtractionẽ Divinæ directionis, & influentiæ, & omne quod habet, habet à voluntate deerrante à fine perfectionis: optimum verò fit per influentiam Divinæ Directionis, sed limitatam maximè à liberrate ob equentis, & operantis. Operationes liberæ sunt ex secundo genere: ex primo, operationes necessariæ: atque adeò potentiæ intellectivæ: est ergo inter illam & voluntatem magna disparitas quoad mensurandam perfectionem operationum, quicquid sit de proportione quoad alia capita. Nego igitur consequentiam, antecedente concesso. Nec proinde est major infelicitas hominis, quàm futura sit felicitas, si bene agat: nam per has liberas operationes devenit in terminos boni & mali, nempe in actus necessarios bonos, aut malos: Beatificos, seu Miserificos: in quibus, cùm sint ex primo genere operationum; optimum prævalet pessimo.

181 Ad tertiam, distinguo majorem: sicut præmium se habet ad pœnam, se habet meritum ad demeritum, quoad magnitudinem bonitatis & malitiæ in utroque extremo comparationis, nego: quoad proportionem accommodam, nempe præmii cum merito, & pœnæ cum demerito, concedo, & admissa minori, nego consequentiam. Rationem solutionis dedi jam in responsione ad confirmationes argumenti tertii, *a num. 171.*

Anu. 171.

§. III.

ARGVMENTVM SPECIALE: VBI DOctrina Ripaldæ, de distinctione satisfactionis à merito cõdigno, repellitur.

P. Ioannes de Ripalda disputans operosè.

182 OBjicies quintò: Potest homo ex viribus gratiæ offerre Deo tam pro se, quàm pro alio obsequium restaurativum amicitiæ, & consecutivum remissionis peccatorum: id autem fieri non videtur posse, sine exhibitione satisfactionis: fieret enim extinctio debiti, & deletio culpæ ex vi obsequii, quo quasi emitur remissio antecedentis offensæ: valor autem obsequii sufficiens, ut offensus deponat odium erga offensorem, & æquivalens ad emendam ab offenso remissionem offensæ, necessariò videtur sufficiens ad satisfactionem pro ipsa offensa. Probatur autem assumptum argumenti, in quo stat difficultas: quia Homo ex viribus gratiæ potest de condigno mereri tam sibi quàm alteri Gratiam sanctificantem: quæ cùm sit amicitia Dei necessariò est edii Divini depositio, & remissio peccatorum. *Sed quia* dicetur mereri illam posse, secundùm se, & alteri non peccatori: in quo casu, illud obsequium meritivum gratiæ, non est consecutivum remissionis peccatorum, probandum insuper est, mereri eam posse alteri etiam ut peccatori. Quare argumentum

183 Confirmatur primò: Totum bonũ, quod est in Gratia secundùm se, potest cadere in meritum condignum hominis puri: ergo & totum bonum quod est in Gratia, ut datâ, & infusâ peccatori, atque adeò ut conjunctâ cum remissione peccati. Probatur consequentia: Tùm quia Gratia secundùm se est forma sufficiens facere de non amico amicum; sicut Gratia data peccatori facit de inimico non inimicum, sed amicum: tanti autem æstimandum videtur, id quo, de non amico fias amicus, quàm quo de inimico fias amicus: Ratio est: quia quod hic videtur intendi, & æstimari est terminus ad quem, seu amicitia, quæ utrobique est eadem. Tùm quia Gratia secundùm se, & Gratia data alteri peccatori est differentia de peraccidens orta ex majori utilitate, vel minori recipientis: major autem, aut minor utilitas accipientis, sicut rem non immutat, non facit rem magis bonam, aut magis valorosam: alioquin possent venditores augere pretium rerum, & deberent minuere, ex majori utilitate, vel minori securà emptoribus ex usu rei: ergo par est valor gratiæ, ut datæ non indigno, seu non peccatori, & ut datæ indigno, & peccatori: ergo.

184 Confirmatur secundò: tanta est bonitas in obsequio condigno justi, quanta est in ipsa Gratia per quam accipit esse condignum; quantamque habet vim excitandi Divinam complacentiam sui Gratia, tantam habet obsequium condignificatum ab ipsa: Atqui Gratia vim habet excitandi tantam complacentiam ut ex ipsa sequatur remissio peccatorum: ergo & obsequium condignificatũ per ipsam, vim habet excitandi tantam complacentiam, ut ex ipsa sequatur remissio peccatorum. Urgetur: Dignitati Gratiæ de condigno respondet remissio peccatorum: ergo si dignitas obsequii condignificati per gratiam est tanta, quanta Gratiæ, necessariò erit condigna dignitas ad peccati remissionem.

Con-

185 Confirmatur tertiò: Peccati remissio non est tantum bonum, quantum est malum offensa, cujus est remissio: ergo potest cadere in meritum puri hominis sicut cadit & Gratia. Consequentia videtur sequi: nulla enim alia ratio videtur ab Authoribus assignari, quàm contradicens antecedenti: quod ostendo: Tùm quia malitia ponit hominem in summa miseria: remissio nõ ponit in summa felicitate: Tùm etiam quia per peccatum fit homo indignus amicitiâ Dei, & infinitis bonis: per remissionem non fit dignus nisi finito bono. Tùm insuper quia: privatio Gratiæ, aut Visionis hypostaticæ non est tantum in ratione mali, quantum est in ratione boni Gratia, aut Visio: ergo neque remissio est tantum in esse boni, quantum in esse mali offensa. Tùm, demum, quia Indemnitas, & præservatio à peccato minus est bonum, quàm sit peccatum, malum; ergo & remissio: cum hæc sit bonum illis minus. Exinde

186 Confirmatur quartò: Majus est bonum, & majus beneficium, Præservatio à culpâ, & immunitas à peccato, aut impeccabilitas, quàm remissio peccati: Majus enim beneficium contulit per illa Deus Virgini Immaculatæ, quam per hanc nobis. Deinde majus est bonum gloriæ, aut perseverantiæ finalis, aut certè status impeccabilitatis, quã peccati remissio. Sed hæc & illa cadere possunt in condignum meritum puri hominis: ergo & remissio culpæ. Consequentia videtur evidens. Pretium enim quod sufficit ad id quod plus valet, necessariò sufficit ad id quod valet minùs.

187 Cõfirmatur quintò: Inter meritum, & præmium non requiritur summa æqualitas, sufficit certa proportio: alioquin neque condignè mereremur gloriam: Prævalet enim illa fœlicitas, quæ nobis datur in præmium, nostris obsequiis etiam per gratiam condignificatis: nam & Visio est Gratia habituali perfectior. At non videtur esse in obsequiis justi respectivè ad remissionem minor proportio, quàm sit ea quæ datur in ipsis respectivè ad possessionem Dei: sicut enim ista proportio oritur ex condignitate Gratiæ, quia est jus Filii ad Bona Patris; ita ex ipsius condignitate, quia est forma ex se remissiva peccati, videtur oriri posse illa proportio.

Secutus Suarez. Ragusam. Granad. Tanner. & alios.

188 Pater Ioannes Martinez de Ripalda secutus Eximium Nostrum, Ragusam, Granadum, Tannerum, aliosque, & secutus cum plausu à non paucis junioribus, ob hæc, quæ latè illustrat *disp. 96.* adhibitâ inter satisfactionem, & meritum distinctione, contendit posse purum hominem mereri de condigno remissionem peccati, seu gratiam ut remissivam peccati; sequi verò negat exinde posse de condigno satisfacere pro peccato: Quia satisfactio, *inquit*, requirit obsequium æquale offensæ. Meritum verò condignum unicè requirit obsequium æquale remissioni peccati, quæ, ut multis conabatur ostendere, minùs est Bona, quàm peccatum malum.

Aranda de Incarnatione.

189 Quatuor mihi sunt maximè difficilia in hoc discursu. *Primum*: quâ ratione salvetur authoritas Conciliorum, & Patrum *supra* expensa? Nec enim Concilia, nec Patres descendunt ad modum solvendi nos, & liberandi à peccato: & negant indefinitè in re Doctrinali id posse fieri à pura Creatura. Deinde: quia sive sit per modum meriti, sive per modum satisfactionis, non potest esse verum, necessariam esse Incarnationem, ut mũdemur à noxâ, si hæc liberatio cadere potest in condignum meritum puri hominis. Demum: quia certissimè Concilium Francofurtense *in Sacrosyll. col. 4.* loquitur de genere meriti, quo peccatori acquiratur Gratia adoptionis: Sic etiam alii Patres *suprà* dati. Vnde ex discursu Ripaldæ Recentes, omnia librantes ad metaphysicæ rationis pondus, summo põdere Patrũ, & Conciliorũ non æstimato satis, ausi jam sunt dicere purum hominem posse pro lethali satisfacere: & quidem, ipso Ripaldâ consequentius.

Non placet.

Ob reverẽtiam PP.

190 *Alterum*: quâ ratione remissio peccati non crescat in ratione beneficii ex indignitate subjecti, & quidem incremento arithmeticè ad minus æquali: cùm tota ea indignitas superari, & vinci debeat à Donante? *Tertium*: quâ ratione meritum potest esse emptio, seu pretium quo ematur ab offenso jus ad odium, & remissio offensæ, seu bonum exclusivum mali, nisi sit æquale ipsi malo, quod tollit? *Quartum*: quâ ratione meritum, quo quasi ematur ab offenso totum, & omne jus quod habet in offensorem, secerni à satisfactione possit? Quare

191 Respondeo ad argumentum, & nego assumptum, de quo *infrà*, ob sequelam satisfactionis, satis *infrà* bene comprobatam. Ad assumpti probationem dicatur, posse purum hominem mereri Gratiam habitualem, sibi, vel forsan etiam alteri, non tamen in circumstantiâ peccati præcedentis, seu ut conjunctam cum peccati remissione:

Nec rem obtinet. Infrà à nu. 304.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex hac enim circunstantiâ crescit æstimabilitas Gratiæ in ratione beneficii, quanta est indignitas, quæ resistit benefactori, & quæ superari debet, & vinci. Quis enim non videat magis esse æstimabile, quod est magis indebitum ex positivâ indignitate subjecti, cui beneficium fit? Nec Gratia habet adjunctam de per se peccati remissionem, cùm ex se sit indifferens esse sine circunstantiâ præcedentis peccati. Fateor, in ea, ipsam Gratiam ex essentiali incompossibilitate cum injustitia, & omni genere peccati lethalis, esse formalem exclusionem ipsius ut dicetur ad confirmationes.

Exarmatur.

192 Ad primam, concesso antecedente, nego consequentiam: quia Gratia ut infusa peccatori, dicit in ratione boni tam positivi, quàm negativi, bonum æquè saltem æstimabile in ratione boni, quàm sit æstimabile peccatum in ratione mali. Ad primam consequentiæ probationem dicatur: licèt Gratia, quæ facit de non amico, amicum, & quæ facit de inimico amicum sit entitativè eadem, est tamen moraliter diversissima ex disparitate termini *a quo*, augentis in uno resistentiam positivam, & dignationem Donantis: quæ circunstantia valorat necessariò beneficium: in alio, non augentis positivè valorem beneficii. Ad alteram probationem dicatur, illam differentiam esse quidem accidentalem Gratiæ; non vero Beneficio: cujus valor, & æstimatio non sumitur solùm ex bono positivo, sed etiã negativo; nec solùm ex re collatâ, sed ex circunstantiis in quibus cõfertur: inter quas & utilitas accipientis & positiva ejus indignitas augent sicut & dignationem Donantis, ita & æstimationem beneficii. Et quidem circunstantiæ non immutant physicè res: moraliter verò immutant maximè. Nec est omninò simile illud de emptore, & Venditore: nam in his contractibus sola attenditur bonitas intrinseca rei, quæ in contractum venit: alioquin enim civili commercio sequeretur multum perturbationis & incommodi. Dixi omninò: nam contingere potest ut ex utilitate majori, vel minori emptoris ex usu rei, sequatur ex non usu in Venditore majus vel minus damnum, & tunc cariùs vendi res potest ex difficultate, cui se exponit venditor, & quam vincit.

193 Ad secundam dicatur, imprimis eo arguendi genere probandum, quovis etiam tenuissimo obsequio justi posse acquiri homini peccatori gratiam remissivam offensæ; quod Adversariis displicet, dicentibus aliis, requiri ad id obsequia heroica: aliis, obsequia ex gratiâ maximæ, vel infinitæ intensionis orta. Deinde negetur argumenti suppositum: Gratia enim habitualis non causat moraliter, & mediâ suæ bonitatis excellentia, aut complacentiâ remissionem peccati: id enim requireret in gratia tantâ bonitatẽ, & pulchritudinẽ, quanta est in peccato deformitas, & malitia. Solùm causat remissionem per modum formæ incompossibilis cum peccato: seu, ut ego verius censeõ, non causat remissionem, sicut nec se ipsam, nec lux negationem tenebrarum, sed ipsa est formalis remissio peccati, si præcesserit, sive ratione sui, sive ratione formalis effectûs indispensabiliter inducti. Ex quo patet ad instantiam adjunctam. Tertiò, permisso quod Gratia eo genere moralis causalitatis expelleret peccatum, à subjecto in quo est ipsa, & cui datur, nego consequentiam confirmationis, & instantiæ. Nam ex eo solùm fit actum ut cõdignificatum à Gratia exigere ratione Gratiæ, ne in subjecto, in quo est ipsa forma cõdignificans, sit peccatum: ut verò tollatur ab alio, non exigit, nec exigere potest, resistente in oppositum totâ malitiâ & indignitate peccati.

194 Ad tertiam, permisso imprimis antecedenti, negetur consequentia. Ratio est: quia remissio est tale bonum, ut dari non possit, nisi superatâ resistentiâ fortioris in oppositum agentis, scilicèt peccati, & positivæ ob ipsum indignitatis: ac sopito offensi contra offensorem jure, & odio: patet autem, ut superari non potest malum nisi per bonum saltem æquale & extingui jus ad odium nisi per obsequium quod æquè valeat, non posse per obsequium minus offensâ, & odio acquiri donatio remissionis, licèt hæc alioqui non sit tantum bonum, quantum est malum offensa. Sic virtus alioqui secundùm se sufficiens ad introducendũ duos caloris gradus, ex circunstantiâ fortioris in oppositum obicis, & Agentis, quæ à se vinci nequeant, non sufficiet.

195 Deinde distinguo antecedens: non est tam bonum in ratione boni positivi, & negativi, nego: in ratione boni præcisè positivi, transeat: quod peraccidens est, cùm ex illo duplici genere boni crescat beneficium, & æstimari debeat. Et hac ex distinctione quatuor antecedentis probationes, nullæ sunt. Tertiò. Nego antecedens: nam exclusio mali debiti est tam bona, quàm est malum, quod excluditur: sicut privatio boni aliàs

aliàs debiti jure censetur æquè mala, ac est bonum, quo privamur. Nec obstat quòd remissio non ponat nos in summa felicitate; sufficit enim quòd à summa miseriâ nos liberet alioqui debitâ: eo enim ipso æstimatur ex quantitate mali, quo emergimus. Nec item obest quòd remissio non sit possessio Bonorũ omnium, quibus privat offensa: sufficit enim quòd sit extinctio debiti tanti mali. Nec valet paritas à privatione Gratiæ, seu Unionis, si istæ non sint possessæ, vel debitæ: nam solùm privatio boni aliàs debiti, ut constat ex supra jam dictis *à num.* 137. *&* *à nu.* 140. mensuratur ex quantitate boni quo privamur. Nec demum valet, quod de Præservatione à peccato addicur: quia præservatio non est tantum bonum, quantum est peccatum, malum: tùm ex jam jam dicendis

Vide suprà à n. 137. & à nu. 140.

196 Ad quartam, dici posset, esse quidem majus bonum, & beneficium, Donum Præservationis, quàm Bonum remissionis; obstare tamen, quominùs hoc potius, quàm illud cadat in obsequium condignè meritivum, indignitatem subjecti positivam, quousque vincatur & superetur ab obsequio: id quod fieri nequit nisi obsequium æquale sit indignitati. Hęc solutio, solidæ alioquin Doctrinæ, difficilis est nisi ex illa indignitate, quæ vinci debet, crescat, in ratione beneficii, Donum remissionis præ Dono Præservationis, quo fiet majus obsolutè beneficium collatum esse Peccatori, dum fit ei remissio, quàm Beatæ Virgini, dum præservata est.

197 Occurretur ergo melius, distinguendo quod assumitur: Donum Præservationis est majus bonum & beneficium quàm remissio, in ratione Boni utilis accipienti, & experimentis majorẽ amorem Donantis. Concedo: in ratione dignationis; nego. Itaque Donum Præservationis, & Donum remissionis se habent tanquam excedens ad excessum: illud, excedit in ratione boni utilis, & arguentis amorem: quia eripi à malo, quod pateris, non tollit experientiam mali, dicitque negationem beneficii antecedenter collati, quâ permissus es labi: melius autem est, & majoris amoris, eripi te ab experientia mali, & gaudere pluribus donis, & beneficiis. Bonum autem remissionis excedit in ratione dignationis: quia dignatio est eò major, quo est major indignitas Donatarii. Et ex hoc latere, licèt bonum Præservationis cadere possit in condignum meritum justi: non verò Donum remissionis, quia vinci non potest illa indignitas, & emi tanta dignatio, quam exercet Donator per depositionem & cessionem sui juris, & odii.

198 Ad quintam permissâ imprimis illâ Doctrina metiendi condignitatem meriti per geometricas istas proportiones (quæ Doctrina semper mihi displicuit;) nego proportionem meriti nostri respectivè ad remissionem, quanta nempe sufficit ad condignitatem merendi: neque enim quæcumque proportio sufficit. Ratio est primo: quia PP. plenè affirmant mereri nos de condigno gloriam: negant verò mereri nos de condigno, liberari à peccato: quam ergo dant proportionem obsequii ad gloriam, negant ad remissionem. Secundò: quia si semel detur proportio, dari poterit & æqualitas mathematica: nam proportio duci non potest inter extrema summè distantia: cur ergo per additionem obsequii, venire non poterit ad istam æqualitatem, & tandem ad satisfactionem? Tertiò: quia Peccatum est majus malum, quàm sit bonum, illud, quod datur nobis in præmium: si ergo proportio nostrorum operum non pertingit nisi ad illam quãtitatem boni, quod est in præmio, quâ ratione pertinget ad bonum remissionis, cujus quantitas sumitur æstimativè ex ipso malo?

199 Quartò: quia nequit dari condignitas proportionis ad remissionem, nisi detur proportio obsequii ad offensam: nam emitur depositio odii, & totum ac omne jus, quod habet offensus contra offensorem: pretium ergo quod non habet proportionem cum offensa, nec eam habet cum illo odio, & illis juribus.

Deinde nego antecedens: nam sic vix potest sequestrari meritum congruum à condigno: nec hæc æqualitas sumi debet ex rebus physicè, sed moraliter inspectis: fieri enim potest dari excessum unius ad aliud in physicâ perfectione, non verò dari in linea moralis æstimationis. Demum ex Doctrinis præcedentibus dici posset, Doctrinam valere, cùm meritum est merè acquisitivum boni, non vero cum est acquisitivum boni, & expulsivum mali: si enim tunc non vincitur malum indignitatis, quantum est ex bonitate obsequii, ut vinci debet à Donante, collaturo bonum; non potest acquirere de condigno Bonum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO VI.

ULTIMUM ARGUMENTUM : UBI DE Ratione à priori asserta Veritatis.

200 OBjicies ultimò,& difficulter:Nulla potest assignari positiva ratio cur offensa gravitatis alioquin finitæ non possit per finitum obsequium compensari adusque plenam satisfactionem: ergo neque, cur pura creatura non possit pro mortali ex integro satisfacere:ergo neque cur Incarnatio ad exhibendam pro mortali satisfactionem condignam,necessaria sit. Assumptum constabit legenti Lugum, Ripaldam, Prudentium, & Aldretum multipliciter improbantes quæ datæ hucusque sunt, & multipliciter ab aliis impugnatos circa eas, quas superaddidit quisque de suo. Certè ea mihi est indoles, ut si semel de Theologicâ veritate constiterit ex ore CC. & PP. vel etiam opinandi verosimilis via, non curem de ratione tam anxiè, ut si non appareat, sit illa authoritas deferenda: potior enim omni ratione est communis authoritas Patrum,in quâ necesse est lateat ratio, quæ nos hærentes privatis discursibus fugit. Ideò statueram omnes, quæ magis in hanc rem dari solent, rationes, defendere: nodum ex his nexibus implicando, qui difficile solveretur. Indulgebo tamen Recentium mori & genio, & improbatis aliis, curabo dare solidam rationem veritatis assertæ: nego nunc antecedens.

Card. de Lugo. Ripalda. Prudent. & Aldret.

Non est deferenda PP. Authoritas ex inopiâ Rationis.

Vide nu. 1. disp.

§. I.

ALIQUORUM RATIONES, PRO ASSERTA Veritate, non solidæ.

Ratio Durandi.

201 PRima est Durandi: Nempe: quia non est minor obligatio, seu difficultas satisfaciendi pro commissis offensis: quàm reddendi gratias pro acceptis beneficiis: at pro acceptis beneficiis non potest purus homo æquales Deo reddere gratias: ergo neque pro offensis satisfactionem æqualem.

Non satisfacit.

Non satisfacit. Primò: quia sic neque pro veniali posset satisfieri. Secundò: quia est inter utrumq; diversissima ratio: nam ipsa gratiarum actio est novum beneficium; pro quo alia requiritur, & sic in infinitum: opus verò satisfactorium non esset nova offensa, sed veteris abolitio.

Schoti aliorumq;

202 Secunda est Schoti, & aliorum: Nempe: quia omne genus obsequii præstitũ in satisfactionem à creatura, egeret extrinseco Dei favore, ut tolleret offensam: non ergo posset esse condigna satisfactio. Non satisfacit.

203 Primò: quia hîc extrinsecus favor, vel supplet condignitatẽ obsequii ad offensam vel non supplet, sed supponit? Si secundum: ergo non impedit quominus possit creatura offerre Deo obsequium æstimationis æqualis offensæ: cur ergo negatur eam posse de condigno satisfacere? Vrgeo. Licèt, ut in actu secundo mereamur condignè gloriam,egeamus extrinseco favore acceptationis Divinæ; tamen verè dicimur posse nos,& reipsâ mereri de condigno gloriam: nempe quia hic favor non est condignificativus obsequii ad præmium,sed quædam quasi applicatio pretii alioqui condigni ad hoc genus præmii: ergo similiter. Si primum: desideramus rationem, cur inter obsequia finita nequeat veniri ad tãtam elevationem obsequii, ut exæquetur tota malitia peccati,cum finita alioquin sit?

204 Secundò: quia favor extrinsecus acceptationis, etiam in contractibus pecuniariis, non obstat æqualitati pretii: imò nec distinguitur ab ipso contractu ex parte Venditoris v.g. favet enim plerumque,dum vult contrahere. Tertiò: quia juxta non paucos (de quorũ opinione dicetur *lib.* 4.) etiã satisfactio à Christo præstita eguit hoc extrinseco favore. Quartò: quia juxta hunc discurrendi modum, neque pro Veniali quidem offerri posset integra, & condigna satisfactio.

Lib. 4. disp. 2. & 3.

205 Tertia est Almaini, & etiam Schoti, & aliorum: nempe, non posse purum hominem, condignum obsequium offerre pro æternâ pœnâ; licèt alioqui possit offerre obsequium æquè bonum, ac mala fuit offensa: ad condignam autem satisfactionem offensæ, non hoc sufficit; sed requiritur illud: requiritur enim quod ex vi ejus remittatur offensori debitum ex peccato contractum. Hanc rationẽ mirificè illustrat Recens Hispalensis, ex quintâ ratione suo ordine exhibendâ. Sed neque satisfacit.

Nec ipsius Schoti, Almaini. & aliorum

Hispalens. Iesuita.

206 Primò: quia hæc ratio supponit jam posse præstari à pura creatura obsequium tam bonum, quàm mala fuit offensa: quod mihi,nec soli,maximè displicet: videtur enim id esse contra mentem Sanctorum Patrum, & communem sensum Theologorum: quicquid aliqui sentire videantur in oppositum apud Cardenas *in Gemino sidere num.* 460.

Ioann. de Cardenas.

Secun-

Secundò: quia vel reatus pœnæ distinguitur à reatu culpæ, vel non? Si secundum: ergo obsequium æquale culpæ, erit æquale pœnæ quoad satisfactionem. Si primum: imprimis dicitur quid valdè paradoxum: cùm enim pœna sit propter culpam, nulla certè potest esse dignitas ad pœnam, nisi culpa. Deinde: ergo sunt adinvicem moraliter separabiles reatus culpæ, & reatus pœnæ: remittat ergo Deus pœnam, & non culpam: tunc poterit à purâ creaturâ fieri satisfactio pro culpa: quod mihi est valde absonum. Vel satisfaciat homo pro reatu culpæ, & maneat homo reus pœnæ quod mihi est magis absonum: quis enim sit reus pœnæ pro culpâ, pro quâ jam satisfecit?

207 Tertiò: quia pœnæ æternitas non excedit mensuram culpæ: ergo si bonitas obsequii non excedit à malitia culpæ, non potest excedi à pœna: ergo si potest offerri obsequium æquale culpæ, poterit etiam & pœnæ. Quartò: quia majus est præmium, quod meremur de condigno per obsequia, quàm pœna, quam propter offensas incurrimus: & quidẽ illud præmium est essentialiter incompossibile cum istâ pœnâ; sed in homine justo datur condignitas ad illud præmium: ergo & condignitas ad remissionem pœnæ.

Nec ratio Medinæ quam RR. exornant.

208 Quarta est Medinæ, & in quam multi Veteres, & Recentes incurrunt, satis plausibiliter: nempe: omnia & singula obsequia creaturæ fiunt ex Gratiâ Creditoris, scilicet Dei offensi: non ergo possunt esse satisfactio: nequit enim Creditori satisfieri per opus ex ipsius gratiâ, & bonis præstitum. Illustrat hanc rationem maximè Magister Complutẽsis, Pater Antonius Vson *in Manuscriptis de Incarnatione*: addendo, obsequium puræ creaturæ fieri ex Dei gratiâ, esse dari à Deo: quis autem dicat non remitti gratis ab offenso offensam & debitum, cùm offensori dat gratis tantum bonum, quantum sufficit, ut sibi satisfiat? Addit secundò, quando offensus præstat gratis id, quod alius faciens, diceretur satisfacere; verè dicetur offensam remittere: Deus autem dans illam gratiam, & auxilium, ex quibus pura creatura procederet ad obsequium, gratis daret: quod quia fecit Christus, dicitur satisfecisse: neque enim Christus Deus aliter satisfecit, quàm merendo nobis auxilia,per quę justificemur. Speciosa ratio, sed insufficiens.

P. Vson.

209 Primò: quia sic, nec pro veniali posset condignè satisfieri: quod negatur communiter. Secundò: quia eatenus gratia creditoris antecedens satisfactionem obstat satisfactioni, quatenus illa gratia requiritur, ut opus exhibitum, æquetur cum offensâ, vel quatenus est talis, ut non sinat opus, intra dominium, & industriam debitoris: at Gratia illa, ex quâ sit opus satisfactivum, nec requiritur, ut hoc maneat æquale offensæ, nec ponit ipsum extra dominium, & industriam operantis. Tertiò: quia hic modus discurrendi jam fatetur equalitatem obsequii ad offensam, quæ mihi non placet. Quartò: quia aliqua gratia creditoris præsupposita, licèt sit aliqua remissio alicujus debiti, stare potest cum eo, quòd maneat tota offensæ ratio: cur ergo obstet, ut pro offensâ reipsâ manente post factam illam gratiam, satisfiat? Quintò: Donatio, quâ creditor anticipat debitori materiam, ex quâ faciat & elaboret, ut sibi satisfaciat, non obstat satisfactioni: ergo neque auxilii anticipatio: maximè, si hæc anticipatio possit recompensari per alia opera subsequentia, de quo dicemus *alibi*. Alia arguměta agglomerant alii, quæ acutè solvunt Patroni prædicti discursũs: nempe: neque nos quicquam mereri apud Deum de condigno posse: quia egemus Gratia. Deinde neque Christum potuisse satisfacere de condigno, quia tota satisfactio fundata est in maxima Gratia Creditoris.

Infrà lib. 3. disp. 3. à nu. 74. & tom. 1 in 1. p.

210 Quinta est Capreoli ex Anselmo,& in quam frequentissimè à multis abitur; diversis quoad speciem viis: eaque certè est valdè plausibilis: nempe: quia nequit offensor satisfacere, per opera, quæ alioqui jam debet independenter ab offensa: sic enim nihil pro offensa daret offenso: sicut nequit Debitor satisfacere pro re fuitivâ, reddẽdo tantumdem, ex independente contractu jam debitum. Requiritur ergo ad satisfactionem offensæ reddere tantum boni, quantum est, in offensâ, mali, ultra id, quod aliunde jam debes: Cùm autem omnia creaturę obsequia sint Deo alioquin ex infinitis titulis debita; non potest per ipsam quantumvis in infinitum replicata parari condigna satisfactio pro peccato. Pulcra etiã ratio, sed non sufficiens.

Neque Capreoli ex Anselm. à RR. illustrata.

211 Primò: quia vel intra obsequia creaturæ, potest dari aliquod quod reipsa exęquet offensam vel non? Si secundum: desideratur ratio tantæ inæqualitatis, & ea si detur, superfluit omninò, quę modò data est. Si primum: imprimis negari non poterit, dari posse pretium condignum pro offensa à pura creaturâ nisi obstaret ratio debiti ex aliis titulis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

tulis: non minùs, nec aliter, quam habens centum, habet condignum pretium Equi, nisi obstaret antecedens debitum ex contractu: id autem manifestè contradicit Conciliis, & Patribus *suprà* datis. Deinde, deberi posse aliunde rem, vel exigi posse ex alio titulo, non obstat satisfactioni, nisi reipsà debeatur, & exigatur: non autem Deus exigit: ac proinde nec debet homo singula obsequia: sunt enim quæ licitè potest omittere, & quæ habet quasi relicta sub privativo dominio. Insuper potest Deus cedere juri exigendi obsequia creaturæ ex aliis titulis: tunc autem cur per illa non posset satisfacere pro peccato?

Suprà à nu. 153.

212 Secundò: quia deberi aliunde obsequia, non officit quominùs condignè dicamur mereri gloriam, & alia præmia: sive quia Deus non exigit ex alio titulo, sive quia cedit: ergo similiter potest contingere satisfactio. Tertiò: quia exinde neque pro veniali quidem offerri posset à pura creatura condigna satisfactio. Quarto: quia nec Christus satisfacere de condigno posset, cùm ejus obsequia, juxta plures, sint aliunde maximè debita. Quintò: quia fortè, (ut insinuavit acutè Pater Vazquez,) sunt obsequia, quæ deberi aliunde non possunt, nisi ex peccato, & in compensationem illius: qualis est retractatio, contritio, & hujusmodi: quæ ratio debiti non obstat satisfactioni, sicut nec pecuniæ, ne per ipsam consummetur cóntractus, obstat ratio debiti ex ipso contractu: id enim necessarium est.

P. Vazq.

Neque Thomistæ.

213 Sexta est Thomistarum, & eorum quos pro peccati infinitate citavimus: nempe: quia peccatum est infinitum in ratione offensæ; obsequia verò creaturæ sunt in ratione obsequii finitum Bonum: pro infinito autem nequit per finitum obsequium satisfieri. Ratio nec vera, nec sufficiens. Primum ostendimus *supra*, nunc secundum. Primò: quia Bonum finitum potest habere vim depulsivam mali infiniti: ut patet in grat'a habituali quæ finitæ bonitatis cùm sit, sufficit pellere peccatum quantumvis infinitum: ergo licèt obsequia sint finitæ bonitatis possunt expellere peccatum quantumvis infinitum. Secundò: quia vel peccatum est infinitum in ratione malitiæ, vel non? Primum negatis, & reverà est incredibile, cùm ex parte offendentis nihil sit nisi finitum. Si ergo secundum? Contra est primò: ergo saltem potest satisfieri pro peccato in ratione malitiæ per obsequia finitæ bonitatis. Contra

Suprà à nu. 03.

secundò: ergo potest offensor dare tantum bonum, quantum fuit malum à se illatum: quid autem ultrà opus est ad satisfactionem?

214 Dicitis, ut offerat tantundem boni, quanta est offensa. Contra primò: quia offensa juxta ea quæ peccator ponit, nõ potest esse infinita: nihil autem ultrà requiritur ad satisfactionem. Contra secundò: infinitas offensæ desumpta à majestate offensi est indistincta ab offensi infinitate, moraliter, & extrinsecè devolutâ super offensam: sed infinitas offensi non est ratio exigendi per vos infinitam satisfactionem: sic enim contra Suarez tenetis: ergo neque illa infinitas offensæ. Rogamus enim, cùm peccatum esse infinitum, non sit esse malum simpliciter infinitum, sed malum finitum displicens infinito Bono, cur ex infinitate Boni cui displicet, requiratur infinita satisfactio? Sed de his satis *sect. 3. à num. 64.* Vide alia *lib. 4. disp. 3. sect. 5. §. 3.*

Suprà sect. 3. & infrà lib. 4. disp. 3. sect. 5. §. 3.

§. II.

EXPENDITVR, ET REIICITVR RATIO Patris Ripaldæ.

P. Ioannis de Ripalda Ratio explicatur.

215 Septima est Ripaldæ cum quintâ colludens: nempe: quia per peccatum incurritur servitus specialis peccantis ad Deum, adeò, ut licèt creatura Rationalis non esset ex aliis titulis Dei serva, maneret ob peccatum in servitute, non eà quidem ingenuâ, & nobili, sed infami, & ignobili: vi cujus omnia obsequia debentur Domino: & nullum est, aut esse potest, ultra quod Deus ex prædictæ titulo servitutis, & jure per ipsam acquisito contra creaturam Rationalem non possit aliud, & aliud exigere, quin exæquari possit unquam illa servitus, aut extingui. Vnde patet, non posse neque pro peccato proprio à peccatore, neque pro alieno à justo quantumvis eximię sanctitatis, offerri satisfactionem Deo. Nã in primis peccator, suis operibus etiam in infinitum oblatis, nequit extinguere servitutem contractam, cùm ratione illius cadant omnia, & singula in speciale Dominium Dei, isque possit exigere, titulo servitutis, nulla habita ratione satisfactionis. Deinde justus non potest offerre obsequia, quæ excedant multitudinem eorum, quæ à peccatore possunt exigi sine fine ex debito servitutis contracto per peccatum. Distinguitur per hæc à Ripalda, probaturque ex multis, quæ tetigerat olim Pater Suarez *tom. 1. in 3. part. disp. 44 sect. 1. §.* Quinta responsio: *duplex* nostri erga Deum servitus: *altera*, ingenua, nec ignobilis: & hæc reperitur in omnibus, nec excluditur per statum amicitiæ: altera, ignobilis, & infamis: & hæc reperitur in peccatoribus: quâ sunt indigni tractari filialiter, & amicabiliter, dignique tractari serviliter, ut vilia alioqui mancipia. *Ratio* quidem excogitata subtiliter, sed valde insufficiens. Omittamus tantisper duplex illud genus explicatæ servitutis, & arguo

Impugnatur multipliciter. Primò

216 Primò, & nisi fallor evidentissimè, nam licèt hæc ratio probare alioqui posit hominem ratione servitutis contractæ non posse satisfacere pro peccato suo, at hominem peccati expertem, & eximiæ sanctitatis non posse satisfacere pro alieno peccato, probare non potest. Ostenditur assumptum: illum non posse, non oritur ex inæqualitate pretii, sed ex pretii alteritate ratione servitutis, & debiti: sed homo justus, & innocens potest offerre actiones immunes à tali servitute, & debito, atque adeò quoad hunc titulum suas, & æquales: ergo potest satisfacere.

217 Explico vim rationis. Quoties ratio, cur unus alteri satisfacere nequit, & solvere, non est defectus pretii secundum se, sed conditio purè personalis, ex quâ omne pretium à debitore exhibendum, censetur inæquale, potestque proinde exigi aliud, & aliud sine fine; ille, qui immunis est à tali conditione, potest solvere, & satisfacere per pretium omninò minus eo, quod creditor à suo debitore possit exigere. atqui ratio cur peccator non possit satisfacere nó est inæqualitas pretii, sed conditio purè personalis, à quâ est immunis, alter sanctus, & innocens: ergo potest iste satisfacere per pretium omninò minus eo, quod à debitore, seu peccatore potest Deus exigere: non ergo probatur impossibilitas satisfaciendi pro alieno peccato ex discursu Ripaldæ: quia obsequia præstita à justo nequeunt superare multitudinem præstitorum à peccatore. Istæ consequentiæ bonæ sunt: & minor evidens: nam non datur alia ratio, quàm ratio servitutis, quæ est conditio purè personalis.

218 Major ostenditur: tùm à priori: quia in tali casu deest omninò ratio cur admitti non debeat pretium æquale. Tùm etiam à priori: quia omni debito satisfit per exhibitionem æqualis pretii, quod obtinere possit rationem pretii: neque enim attenditur impossibilitas debitoris ex alio capite ortа, sed æqualitas rerum secundùm se. Tùm à pari, servi in humanis: cujus servitus redimi potest ab homine libero per obsequia numero minora iis, quæ Dominus potest à servo exigere: & licèt servus debeat omnia quæ acquirit Domino; eaque ratione, quicquid offerat, non potest obtinere rationem pretii, tamen homo liber potest redimere: similiter ergo.

Secundò

219 Secundò: Vel inter obsequia puræ creaturæ, inspecta secundùm se, potest dari æquivalens offensæ gravitati, vel non? Si secundum: non aliâ egemus ratione pro impossibilitate satisfactionis purè finitæ: & hanc petimus à Ripalda. Si primum: arguo sic primò: non est minus jus servitutis in creatura, nec in Deo minor titulus ad exigenda omnia, & singula obsequia creaturæ, ratione Dominii supremi naturalis, quam sit tota servitus ex peccato in creatura, & ob ipsum titulus in Deo ad omnes actiones creaturæ. Sed hæc ratio servitutis, & ratio debiti non obstat per se satisfactioni, si semel offeratur obsequium reipsà æquivalens: sic enim habes contra Vvadingum: ergo neque ratio servitutis ex peccato contractæ.

220 Arguo secundò sic. Ideò ratio servitutis ex peccato contractæ obstat satisfactioni, quia adfert secum rationem debiti respectivè ad actiones creaturæ; sed independenter à tali servitute, alia servitus naturalis supponit respectivè ad easdem actiones rationem debiti: ergo independenter à servitute ex peccato contractà est impossibilis satisfactio, vel certè post eam non est impossibilis. Vrgetur: magis obstat satisfactioni ratio debiti independens, & antecedens ad offensam, quàm ratio debiti ex offensa contracti: ut patet in contractibus pecuniariis: quibus satisfit per pretium ex ipso contractu debitum; satisfieri verò non potest per pretium aliunde jam debitum.

221 Arguo tertiò. Ideò ratio antecedenter debiti, vel exigibilitas rei ex alio titulo non obstat satisfactioni faciendæ, per ipsam eandem rem alioqui jam debitam, vel exigibilem: quia potest Deus vel non exigere, vel cedere jure quod ex alio titulo posset opponere: (aliter dicendum videtur nec Christum quidem satisfacere pro peccato potuisse: potuisset enim ejus omnia, & singula opera exigere ex aliis titulis:) cur ergo non possit Deus cedere novo jure, cùm possit antiquo: & nolle exigere actiones ex titulo novæ servitutis, cùm nolle possit ex titu-

Ex ipso Ripalda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

titulo antiquæ curiæ sic creatura non posse pro offensa satisfacere de condigno?

Tertiò 222 Tertiò: nam illa servitus non est peccato major, atque adeò finita est: cur ergo compensari non potest per obsequia numero saltem infinita, vel intensionis ultra vulgarem? Dicis: quia ratione talis servitutis acquirit jus Deus ad omnia obsequia peccatori possibilia. Contra: id enim est dicere ratione peccati: & desideramus à Ripalda rationem, cur hæc dicat, aut quâ probet? Deinde offensus, qui est Dominus ratione offensæ solùm acquirit jus vel puniendi, vel exigendi compensationem: quod si hæc aut illa obsequia æqualia sint offensæ, non acquirit jus ultrà exigendi: non enim acquirit nisi jus, ut offensor maneat pœnæ reus, quousque compenset injuriam per obsequia: non ergo acquirit jus nisi in obsequium æquivalens offensæ: probandumq, est aliunde, non sufficere, omnia, quæ possunt à pura creatura exhiberi.

223 Dicis, jam probari ex tali servitute: quia sicut ea damnat ad pœnam æternam, commutari potest in obsequia æterna. Miror equidem hæc in Ripaldæ ingenio propter duo. Primum: nam obsequi creaturam Deo est creaturæ non malum sed magnum bonum: pœna autem est puniti malum: non ergo potest æterna pœna commutari in æternum obsequium: id enim esset præmiari potiùs quàm puniri: *Servire enim Deo, regnare est*. Alterum: quia sic commutare, esset remittere æternam pœnam: nam obsequi creaturam Deo, dum vivat, est debitum aliunde: quare exigere in pœnâ obsequia, est exigere quod creatura jam aliunde debet: exigere verò quod aliunde debetur, pro pœna debita, est remittere pœnam: non ergo Deus acquirit ex servitute peccati jus ad obsequia nisi ut sibi fiat compensatio.

Dicis tertio: jure gentium: qui in bello capitur, manet servus, ejusque actiones in arbitrio Domini: cur ergo qui propter peccatum meretur æternam mortem, nec ipsâ afficitur, non maneat ipso servus, debitorque suarum actionum? dico, pœnam æternæ mortis compensari non posse per obsequia, nisi satisfactoria sint: ut nuper explicui. Deinde retorqueo: quia offensa servi non dat Domino jus nisi vel ad punitionem, vel ad compensationem æqualem.

Quartò 224 Iam excutiamus quid rei sit sub hoc specioso nomine servitutis. Certè quæ Ripalda *ex Suarez citato* accumulat, non probant. Nam imprimis Scripturæ testimonia de servitute peccati, alium sensum habent, ut expendenti constabit. Rationes solùm probant, ratione peccati servitutem pœnalem: seu dignitatem æternæ captivitatis, æternivè carceris; & positivam indignitatem, ut tractetur à Deo amicabiliter & filialiter; atque adeò creatum carendi bonis ad quæ homo ex suâ naturâ non erat ineptus, & aptus jure elevationis, & quæ amicis, & filiis retribuuntur à Deo. Hæc est peccati servitus in homine peccatore respectivè ad Deum.

Suarez.

225 Itaque agnosco duplex illud genus servitutis: & quæ sit positivè vilis, & infamis: & hæc est indistincta à peccato: & quæ sit purè naturalis, & cum ingenuitate amicitiæ, & filiationis saltem adoptivæ conjungibilis: & hæc est dependentia creaturæ Rationalis à Domino naturali, qui Deus est. Ratione istius, fateor deberi posse singula Creaturarum obsequia, Deo, si velit exigere: ratione illius, cur deberi possit præter id quod necessarium sit ad compensationem æquivalentem offensæ, non video: nam servitus peccati aliud sonat, ut explicui, præter debitum actionum: nec offensa dat jus offenso nisi vel ad puniendum offensorem, vel ad exigendam satisfactionem. Videndum ergo aliter, an sit possibilis satisfactio.

226 Dices primò: Christus Dominus titulo Redemptoris potest exigere à Redemptis omnia & singula obsequia: ergo & Deus titulo offensi. Respondeo hic supponi necessitatem Christi Domini ad satisfactionem. & hæc est quæstio. Responderet aliquis secundò: si possibilis esset satisfactio à purâ creaturâ, fortè respectu Redemptoris non induci obligationem. Respondeo tertiò: pro beneficio simpliciter infinito quid mirum si omnia obsequia debeas: at dicetur bonum remissionis esse finitum bonum, & peccatum finitum malum. Respondeo quartò: valere hîc exemplum capti in bello: & titulum Redemptoris esse titulum pleni Dominii: at titulus offensi solùm est titulus ad justè puniendum, donec fiat satisfactio.

227 Dices secundò, ratione peccati potest Deus hominem facere servum alterius, qui exigat suas actiones & obsequia singula: ergo & servum sui. Respondeo posse Deum ratione peccati statuere ut homo serviat homini tanquam servus: non quia peccatum sit titulus Dominii, sed quia est ratio demerendi, ne Deus hunc usum desinat exercere ex dominio naturali. Respondeo secundò: si detur

inter

jurer obsequia creaturæ aliquod æquivalens gravitati offensæ, eatenus posse Deum obsequia creaturæ, arbitrio alterius addicere, vel respuere, quatenus potest Deus nolle acceptare obsequia creaturæ in satisfactionem, utpote ex alio titulo exigibilia, & reipsâ acceptare non vult, quia per peccatum est homo indignus hujusmodi beneficio. Sic autem deseritur excogitata servitus; vel sub novâ verborum specie recurritur in secundam, & quintam rationem, quas alioqui Ripalda reprobat ut non sufficientes.

§. III.

EXPENDITVR, ET DESERITVR RATIO Cardinalis de Lugo.

Ratio Card Lugo proponitur, & illustratur à P. Ant. Perez.

228 Octava est Cardinalis de Lugo, olim insinuata *à Patre Salas*, & nuper ingeniosè protecta contra Recentium parvi pendentium existimationes à Patre Antonio Perez *disp. 5. cap 9. à nu. 36.* nempe ideò est impossibilis satisfactio per obsequia purè finita pro peccato lethali, quia est summa necessitas, ne vilescat apud homines offensa Dei, & ut hi arceantur à facilitate peccandi, quæ immineret ex spe placabilitatis divinæ per obsequia nostra. Vnde, ut Dei majestas summa est, & summè convenit ipsam revereri, & non offendi, opus est ut sit difficilè placabilis, atque adeò satisfactionem metiri debeat non solùm ex quantitate delicti, sed ex quantitate periculi, quod ex facilitate satisfaciendi possit oriri.

229 Itaque satisfactio non tam debet taxari ex delicto, quàm ex ipso, & ex periculo ulterioris impudentiæ, & ulterioris offensæ, quod delictum importat, nisi sit summa difficultas placationis: cùm autem periculum istud ulterioris offensæ indistinctum sit à quovis peccato mortali, & Deus ex se necessitetur zelare honorem suum, & difficultatem contemptûs suarum legum, necessariò manet cum jure contemnendi quodvis obsequium simpliciter finitum pro satisfactione pro offensa: id exigente magnitudine, & conditione ipsius offensæ: æqualis enim est pro omni statu, vel, ut meliùs dicam, pro statu majoris possibilitatis ad obsequia, ratione elevationis, major: atque adeò non debet esse minor difficultas satisfaciendi: sed æquè difficile, ac est mirandum & difficile Deum fieri hominem: Deum hominem conculcari, pati, & crucifigi. Sic acutè præmunit cogitationem Cardinalis de Lugo Pater Antonius Perez antevertens communes aliquas objectiones. Ea tamen semper manet insufficiens.

230 Nam *imprimis* omisso, quòd pro vitando peccandi periculo, & deterrendis hominibus videtur sufficere comminatio æternæ pœnæ: sufficeret incompensabilitas per vires naturales, & non nisi ex beneficio gratis habendo ex manu offensi, quo beneficio carendi debitum offensa secum importet; aut non nisi per obsequia eximiæ excellentiæ, & nimis diuturna: nec alioqui videtur sufficere ista incompensabilitas per finitam satisfactionem, cùm certa non sit, nec ab hominibus consideretur. Omisso *deinde*, quòd ob eam rationē videtur inconveniens æconomia præsentis Providentiæ, cùm in ea tot sint, & tam facilia media impetrandæ veniæ peccatorum: quo sit ut non satis arceantur homines à peccādi periculo. Omisso *insuper*, quòd sicut ex necessitate arcendi homines à peccato colligitur incompensabilitas, ita quis posset compensabilitatem arguere ex necessitate alliciendi homines post lapsum ad reparationem illius: vel saltem colligere posset ex illa necessitate deterrendi homines omnimodam incompensabilitatem etiam per infinita obsequia. *Tandem* omisso, quòd hæc ratio videtur supponere, quod inquirit, & principium petere: non secus ac si probare vellet infinitatem offensæ, quia expediens esset ad homines arcendos à tanta culpa, aut non secus ac si probare vellet hominem esse Risibilem, quia expediens est: diceretur enim hos arguendi modos supponere potiùs quàm probare possibilitatem, vel impossibilitatem rei, de qua unicè est quæstio. His omissis, quibus tamen ægrè satis fit. Displicet ea Lugi consideratio, &

Non bene impugnari solet.

Impugnatur acriter Primò

231 Primò quidem: quia Vel potest dari obsequium puræ creaturæ æquale gravitati Delicti præcisim à periculo sumpti, vel non? Si secundum: non aliâ egemus ratione: & hanc petimus à Delugo. Sic enim inutilis est recursus ad periculum. Si primum: ergo potest dari condigna satisfactio pro offensa. Probo consequentiam: primò, quia satisfactio non debet taxari nisi ex gravitate peccati: sicut nec pœna: periculum enim est quid extrinsecum ad peccatum, & circumstantia impertinens: fieri enim hinc posset nullum esse locum satisfactioni etiam inter homines: nam ratione periculi posset repu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dari quæcumque satisfactio: sicut ergo compensato semel damno, quod offensa intulit, & exæquatâ per obsequium offensæ gravitate, irrationabiliter desinit placari, qui offensus est, quicquid sit de annexo periculo, similiter dicendum in nostro casu.

232 Probo secundò consequentiam: quia fieri potest, ut nullum sit periculum ulteriores offensæ, vel quia supponimus arcanitatem delicti, vel notitiam de repetinâ morte post ipsum. Tertiò: nam quod nam est hoc periculum, quod ita fingitur? si enim indistinguatur à peccato, ut facit Antonius Perez, est dicere quòd peccatum est essentialiter incompensabile, licèt posset offerri obsequium æquale æstimationis: quia sic opus est ne vilescat offensa Dei. Hoc autem nisi per terminorum implicantiam dici nequit. Et certè æstimatio offensæ sumi debet ex ipsius gravitate, & hæc ex dignitate Personæ offensæ: si autem huic gravitati subest periculum, ne vilescat, certè offensa Dei gravis, non est, inspecta sui deordinatione, tã gravis, ut desinat vilescere apud homines. Hinc arguo

Secundò 233 Secundò manifestè: semel admisso quòd si ex solâ gravitate Delicti sumi deberet taxa satisfactionis, sufficeret obsequium finitæ bonitatis ad æqualem satisfactionem, tota Delicti gravitas non est æstimanda pluris, quam æstimetur obsequii bonitas: ergo non vitatur periculum ne vilescat offensa apud homines, sed aliunde datur periculum, ut vilescat Deus, ejusque providentia, si tanti non dicatur offensa incompensabilis. Probo consequentiam, quoad primam partem, quia quantumvis asseratur incompensabilis per finita obsequia, eatenus ea incompensabilitas potest cavere ne vilescat offensa, quatenus arguit summam gravitatem delicti; atqui non obstante eâ incompensabilitate per te non arguitur in delicto major gravitas, quàm sit bonitas in obsequio finito: ergo non vitatur periculum quod timebas. Sumi ergo debet ratio deterrendi homines ab offensa non aliunde quàm ex ipsa offensæ gravitate, præcisis quibuscumq; extrinsecis circunstantiis. Probo jam consequentiam quoad secundam partem: nam semel admisso, quòd sit possibile obsequium æquale offensæ, subest magnum periculum ne censeatur Deus injustus, dum pro compensatione exigit plusquâ valet & æstimatur offensa: sicut & censeretur injustus si pro pœnâ infligeret plusquam offensa meretur: quicquod est magnum discrimen inter compensationem & pœnam: nam illa, non est arbitraria secundùm se: hæc, potest esse ad arbitrium judicis.

234 Tertiò: quia exinde fit neque satisfactionem Christi esse æqualem pro peccatis: neque enim vitatur illud periculum per necessitatem illius: arguo enim sic: etiam si homo posset offerre satisfactionem simpliciter infinitam, non satisfaceret, quia non vitatur periculum, quod subest, ultra peccandi: ergo ob eandem rationem neque Christus satisfacit de condigno, quantumvis offerat satisfactionem simpliciter infinitam. *Tertiò*

235 Confirmantur hæc omnia: Vel illud periculum etiam cum gravitate delicti conjunctum æstimatur finitè, vel infinitè? Si secundum, contra est primò: quia id gratis dicitur. Secundò: quia dicitur falsò: tum quia periculum non æstimatur pluris, quàm sit malum cujus est periculum: malum autem peccati finitum est, teste Delugo. Tum etiã quia pluris Deus facit quòd homines sint in usu suæ libertatis, quàm periculum quod inde subooritur offensæ divinæ: Tertiò: quia si tale periculum æstimaretur infinitè, non daretur homini à Deo libertas, ne ultra offenderet: quis enim credat ex intentione boni finiti qualis est usus virtutum, permissum iri à Deo periculum quod infinitè æstimatur in ratione mali? Si ergo primum: cur per finita alioquin obsequia compensari non possit? præsertim apud Delugo qui censet offensam, quia finitam, licèt ordinis superioris, æquari posse per multiplicationem finitorum obsequiorum contra Suarez? *Card. de Lugo.* *P. Suarez.*

§. IV.

EXPENDITVR, ET IMPVGNATVR Pater Vazquez.

236 NOna est Patris Gabrielis Vázquez, arrepta post à P. Gaspare Huttado, & à Meratio; protecta denuò à Patre Antonio Perez. Duo dicit: sumit enim ex diversis capitibus in puro homine impossibilitatem satisfaciendi pro proprio, & pro alieno peccato. Pro alieno: quia nullus homo purus potest alteri formâ abstractivâ peccati, mereri, nempe Gratiã habitualem. Pro proprio: quia per peccatum incurritur Debitum indispensabile, seu essentiale carendi auxiliis supernaturalibus, sine quibus tamen est impossibile obsequia supernaturalia poni: necesse est ergo ut exhibitio cujuscumque obse- *Ratio P. Vazquez. Gasp. Hurt. & Meratii protecta à P. Anton. Perez. Explicatur est bipartita.*

obsequii, cùm supponat auxilium, supponat etiam remissionem alicujus debiti ex peccato contracti: non ergo potest homo purus per quãcumque exhibitionem obsequii satisfacere pro peccato: nam ad hoc opus erat, ut nullam supponeret debiti remissionem, & ut pro toto peccati debito satisfaceret. Videtur tamen fateri Vazquez, factâ semel illâ remissione debiti, per gratuitam collationem auxilii in pœnam indebiti, posse per contritionem, quæ apud ipsum est formalis sanctitas, satisfieri pro restante debito, & pro peccati maculâ. Id quod apertè tenet, & defendit acriter Reverendissimus Noster Thyrsus *tom.3. disp.12.*

Defensa à R. P. N. Thyrso.

Impugnata à P. Suar.

237 Neutra ratio, contra quam videndus est Suarez *hic & tom.3. de Gratia lib.7. cap.14.* est sufficiens; nec illa, illatio vera, juxta ipsius principia. Falsa est illatio juxta principia Vazquez, quia apud ipsum contritio non antecedit, sed supponit infusionem Habitualis Gratiæ de facto: ergo non antecedit, sed supponit remissionem peccati: quâ ergo ratione potest esse satisfactio, si ideò nõ est apud ipsum; quia supponit remissionem alicujus debiti? neque ex contingentiâ vel necessitate præsuppositæ remissionis potest sumi solidum discrimen. Tùm quia pro peccato non satisfit nisi per oblationem obsequii æquivalentis offensæ: non enim sufficit operatio tollens offensam per physicam & essentialem incompossibilitatem. Tùm demum: quia etiam si contritio anteceedat Gratiam habitualem, non meretur ipsam remissionem peccati, cùm ipsa sit: & non mereatur se ipsam. Gratia autem in tali casu, cùm supponat Contritionem, quæ est sanctitas, supponit remissionem; ut acutè notavit Pater Suarez *lib.12. de Gratia cap.24. n.31.* longè ante Antonium Perez sibi de acumine animadverso plaudentem. Sed de hac illatione iterum *sect. ult. à num.* 300. Iam Vtraque illa ratio est insufficiens.

Et quoad priè utrã q; à Nobis. Quoad primam.

238 Et Prima primò: quia nititur principio maximè dubio, pro re alioquin Theologicè certâ. Secundò: quia principium illud quo gratia statuitur infæcunda Gratiæ, nisi in subjecto in quo est, negatur à Theologis communiter *in tract. de Merito.* Tertiò: eo etiam permisso, non est certum non posse aliter peccatum remitti nisi per infusionem Gratiæ: si enim possibilis sit condonatio extrinseca culpæ, aut modus alius justificationis, quæ per infusionem Gratiæ habitualis non esset, cur non posset homo justus satisfacere pro alieno peccato, licèt non posset alteri mereri Gratiam habitualem?

239 Secunda, quæ potissimùm arrisit P. Vazquez. Primò: quia reipsâ non distinguitur à secundâ jam impugnatâ. Secundò: quia hæc ratio manifestè discedit à sensu quæstionis, & à sensu Patrum in ipsâ: Quæritur enim an homo purus per opera supernaturalia possit satisfacere pro offensa: ubi interrogatio jam supponit auxilia, quæ peccando demeruimus, & factam aliqualem remissionem quoad partem debiti: concedit ergo reipsâ Vazquez, quod omnes negant; & unicè negat, quod absque est. *Quoad secundam.*

240 Tertiò: quia gratis supponitur, debitum carendi auxilio esse pœnale: cum potiùs sit debitum ortum ex indignitate subjecti: quæ indignitas, etiam collato auxilio, perseverat; jam sic arguo: per remissionem istius debiti, nulla censetur facta remissio culpæ: manet enim cum ipso auxilio eadem culpa, & eadem indignitas ad habendum auxilium: & ratio est, quia debitum carendi auxilio pro formali est ipsum peccatum, atque adeò manente peccato, etiam post exhibitum auxilium, manet totum debitum carendi auxilio. Explico me: debitum pœnæ æternæ est peccatum: licèt autem in eo ipso instanti peccati, non infligatur æterna pœna, non eo ipso remittitur debitum pœnæ: aliud enim est debitum pœnæ, aliud pœna: pœna in casu nostro est carentia auxilii: debitum est ipsa culpa: ergo etiam dato auxilio manet tota ratio debiti. Sed per te potest offerri Deo obsequium æquivalens culpæ: ergo & toti debito culpæ: ergo & satisfieri pro toto debito culpæ: ergo.

241 Quartò: reatus alicujus pœnæ, seu non remissio alicujus pœnæ, non obstat remissioni culpæ: ut patet, in homine, cui remittitur peccatum, & tamen licèt remittatur æterna pœna, non tamen omnis, nempe temporalis: & in baptizato, cui remittitur originale, nec restituitur originalis justitiæ donũ: ergo neque remissio alicujus pœnæ obstat permanentiæ culpæ, atque adeò exhibitioni satisfactionis. Quintò: quia per te, si non præcederet illa remissio debiti, posset satisfieri pro peccato simpliciter & absolutè: ergo etiam præcedente illo debito, & factâ auxilii donatione. Probo consequentiam: quia illa donatio auxilii potest compensari per opera subsequentia ita ut anticipatio nõ fiat gratis, ut ex Doctrinis *infrà* referendis planam fiet. Sextò: quia remissio debiti alicujus *Infrà lib.3 disp.3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

jus pœnalis indirectè contracti non officit satisfactioni Patet in homine, qui ob injuriam Regi factam meretur privari vitâ, & affici morte sine ullâ dilatione, quam tamen permittit judex: interim occurrit occasio servandi à morte præsentissimâ Regem cum expositione propriæ: quis dicat non satisfactum injuriæ, licèt ad hanc actionem præcesserit remissio aliqua in illa supplicii dilatione consistens? Patet etiam in fure, qui ob furtum grave meretur carcerem, ubi lucrari non potest, ut satisfaciat: permittatur parum per liber à vinculis, ut lucrifaciat, quantum sit satis ad compensationem: quis dicat hîc non posse dari satisfactionem, quia est admixta alicujus pœnæ remissio?

242 Ultimò quia homo non minus demeretur auxilium extrinsecùm Redemptoris, quàm intrinseca Gratiæ: ergo non minus obstat satisfactionis condignitati remissio istius debiti, quàm illius: atqui etiam ad satisfactionem Christi præcessit illius debiti remissio: nam Christus non meruit, nec fortè, apud hos authores potuit, fieri pro homine Redemptorem: ergo. Huic rationi opponunt multa, eaque magni acuminis pro tuenda ratione Patris Vazquez, Pater Meratius, & Pater Vsonius: quæ refellere, nec vacat, nec opus est. Ipsa enim juxta principia Patris Vazquez est difficillimæ solutionis: quicquid sit de aliorum principiis post visam difficultatem excogitatis, & positis.

Pro Vazq. Meratius, & P. Ioan. Antonius Vson. in Dottiss. Munusc.

§. V.

Proponuntur actutæ aliæ rationes, & defendantur.

Ratio alia Authoris.

243 Decima posset ex communibus alioqui principiis excogitari, & aptari satis ad speciem, notando tria, ex quibus liquidò sequitur impossibilitas satisfaciendi pro offensâ per obsequia purè finita. *Primum* est: satisfactionem esse de suo actionem factam à debitore, vel ipsius nomine, quâ potiùs tollitur ipsi obligatio, quàm imponitur respectu creditoris: cùm enim sit actio ex se, quâ debitor desinit esse debitor, & quâ creditor sit debitor veniæ, nequit esse actio obligativa de novo Debitoris. *Secundum* est: satisfactionem esse actionem potiùs illitiuram in bonum offensi, quàm in bonum offensoris, & quam potiùs dat quàm accepit offensor: se habet enim ad modum restitutionis: quæ de per se est actio, quâ potiùs lucratur, & ditescit creditor, quàm debitor. *Tertium* est: Omne genus boni, & obsequii per quod fieri posset à purâ creaturâ satis offensæ, esse magnum Dei beneficium respectu offensi: non solum quia omnia supernaturalia dona, magis sunt Dei, quàm hominum, ex Doctrinâ generali, quam tradidimus fusè *disputando de auxiliis*: sed quia est bonum à Deo collatum sive intrinsecè, si fiat ab ipso offenso, sive extrinsecè, si fiat ab alio; & quidem collatum homini, qui ratione inimicitiæ nullum poterat allegare jus ad beneficium, sed eo mansit positivè indignus: ex quo crescit maximè beneficium.

244 Ex tribus formatur ratio sic. Repugnat, quòd satisfactio præstita offenso pro illatâ injuriâ sit potius in bonum offensoris, quàm ipsius offensi, & actio, quâ potius dat offensus, quàm accipit, & quâ potiùs manet offensor obligatus, quàm deobligatus respectu offensi; sed omnis, & quælibet exhibitio obsequii quantumvis magni, habet has omnes proprietates: ergo repugnat quòd esse possit satisfactio pro offensa. Major, & cõsequentia patent ex præmissis. Minor autem est evidens: quia omne speciale beneficiũ est actio obligativa Donatarii, est actio, quâ crescit in bonis & actio potius accipiendi, quàm dandi; sed omnis exhibitio obsequii superni ex intentione eluendæ offensæ est speciale Dei beneficium: ergo

245 Displicere potest hæc ratio primò: quia sequitur neque pro veniali quidem posse præstari satisfactionem. Contra tamen: nam est magnum discrimen: licèt enim exhibitio satisfactionis pro veniali sit Dei donũ ex illâ generali ratione, quòd omne bonum de sursum est, tamen est donum quod non excedit dignitatem offerentis, sed est connaturale habenti statum amicitiæ. Secus accidit in peccato mortali. *Iam displicet.*

246 Displicere potest secundò: quia sequitur nec nos per obsequia mereri de condigno posse gratiam, & gloriam. Sed contra est: quia merito non repugnat esse bonum ipsius merentis. Deinde: quia, ideò dicitur retributionem esse Gratiam pro Gratia, si fiat cõparatio Doni cum dono: Vtrumque enim est Dei donum: esse tamen mercedem, si fiat comparatio cum dignitate obsequii condignificari per gratiam: at hæ rationes repugnant conjungi in satisfactione: esset enim conjungi remissionem gratuitam debiti, & illam excludi.

247 Displicere potest tertiò, quòd neque: satis-

satisfactio Christi esset condigna. Sed cõtra: quia omnis actus supernus Christi Domini non auget simpliciter bonum ipsius, nec ipsi fieri potest absolutè, & simpliciter ulla Gratia, cùm ratione Doni Hypostatici debeantur ipsi omnia, & singula dona possibilia, ex dictis *lib. 1. disp. 3. à num. 87.* unde nec nobis faceret beneficium gratuitum omninò simpliciter Deus, si semel Christus offerat obsequium satisfactorium: debetur enim ipsi, quòd exaudiatur etiam pro peccatoribus. Beneficium est ab ipso Redemptore. Alia discrimina possent offerri. Sed video hæc esse aliquantò difficiliia. Mihi displicet potissimum ea ratio: quia permittit obsequia Creaturæ esse posse tam bona, quàm est mala offensa Dei, cùm aliunde discurrat: & stare possit etiãsi creatura offerret obsequia simpliciter infinita: quo vix negari potest, bonum remissionis cadere demum posse in meritum condignum puræ creaturæ. *Supra lib. 1 disp 3. à num. 87.*

Ratio Vvading.

248 Vndecima sumi potest ex Vvadingo sic discurrente: Quò major est obligatio reddendi honorem alteri; eò est minor valor operis honorantis in ordine ad satisfactionem offensæ: quare actiones aliàs debitæ seorsim ab offensa parvipenduntur inter homines ad satisfactionem offensæ, ad quam unicè æstimantur, quæ aliàs non debebantur. At obligatio reddendi honoré Deo in creatura est infinita, cùm jus Dei ad ipsum honorem sit infinitum: & quò magis crescit creaturæ Dignitas per Gratiam habitualem, magis crescit obligatio reddendi honorem: quia quò magis est Filius, magis debet honorare Patrem suum: ergo actiones purè creaturæ, etiam si gratiâ infinitæ intensionis ornetur, parvi momenti sunt ad satisfactionem offensæ.

Displicet.

249 Sed huic rationi officit primò: sequela de impossibili satisfactione pro veniali. Secundò: quia videtur destruere condignitatem satisfactionis Theandricæ. Tertiò: quia videtur admittere posse dari æqualem honestatem inhonestati peccati in obsequiis purè creaturæ. Quia obligatio operis (ex quâ sumitur impossibilitatis ratio:) non minuit laudabilitatem, & bonitatẽ ipsius. Quartò: quia si Deus cedere vellet, nec exigere opera creaturæ ex aliis titulis, negare vix hic author potest, posse pro peccato à pura creatura condignè satisfieri. Video tamen rationem hanc satis adhuc probabiliter assumi posse, si statuatur hoc principium: nempe opera Christi Domini non potuisse à Deo ex aliis titulis exigi præterquam ex titulo satisfaciendi pro peccatis: id quod acutè video promoveri à Docto Recentiore. Sed est valde difficile, ne sine examine diligenti (de quo *lib. 4.*) ponendum. *Lib. 4. disp. 2. à num. 75.*

§. VI.

Ratio verosimilior.

Ratio P. Suarez. Arriag. Amic. Anton. Perez. fundatur.

250 Ea est post Doctorem Eximium jam communis, & à Personæ offensæ infinitate desumpta: videndique de ipsâ Doctor ipse Noster *hic disp. 4. sect. 7 & tom. 3. de Gratia lib. 7. cap. 14. à num. 62.* Arriaga *disp. 4 sect 4. & seqq* Amicus *disp. 5. sect. 3.* & Antonius Perez *disp. 5 cap. 9.* Nititur autem duobus principiis: ex quibus tertium colligit.

251 Primum est. Offensam crescere ex magnitudine Personæ, quæ offenditur, & ex vilitate Personæ offendentis. Secundum est, satisfactionẽ, & obsequium econtrà decrescere, & minui ex magnitudine Personæ, cui offertur, & ex vilitate Personæ offerentis. Ratio utriusque principii est evidens: quia quò Persona est elevatioris dignitatis, honor ipsius est major; atque adeò majus esse debet detrimentum, in parvipensione illius: Deinde quò persona est vilior, eò ipso importat majorem audaciam, & impudẽtiam in offensa: jam etiam quò Persona est altior, magis ipsi debetur obsequium à Persona sortis infimæ; offensa verò indebetur maximè: eo autem ipso quòd offensa sit magis indebita, & quasi magis repugnans statui offensi, & offensoris, est major: obsequiũ verò quò sit magis debitum, & magis obligatorium, attento statu obsequentis, & ejus cui obsequitur, censetur minus. Vnde injuria facta nobili censetur minor quàm facta Magnati, & facta Magnati, quàm facta Principi: econtra obsequium præsticũ erga æqualem æstimatur, præstitum à plebejo erga nobilem, minoris habetur; erga Regem verò quasi nihili: exinde Aristoteles 5. *Ethic. cap.* 1. verè dixit: *Si is qui Magistratum gerit, aliũ percutit, non est repercutiendus; at si quis Magistratum percusserit, non solùm repercutiẽdus est, sed & supplicio affuendus.* Quia nempe in casu priori offensa esset minor, & satisfactio major: ecõtra in posteriori, ob disparem statum, & dignitatem Personarum. *Ex Arist.*

252 Tertium. Offensam Dei esse ex se, & indispensabiliter in supremo genere offen-

sæ:

Universidad de Deusto
Biblioteca

læ: obsequia verò puræ creaturæ respectu Dei esse in genere simpliciter infimo obsequii. Ratio est: quia ex eisdem omninò capitibus, ex quibus crescit offensa; decrescit satisfactio, & obsequium: cùm autem offensa crescat ex Dignitate Personæ offensæ, & ex Vilitate offendentis: quarum utraque est in genere suo summa, fit offensam manere in genere offensæ, quo nullum sit altius; obsequium verò in genere inferiori, & valde distanti. Quare quantumvis crescat in genere obsequii, cùm non crescat extra genus suum, atque adeò semper intra genus inferius illo in quo est offensa, necessariò manere debet inæquale offensæ Divinæ. Iam ex his formatur hæc

Et proponitur.

253 Ratio: Nequit satisfieri pro offensa nisi per obsequium æquale offensæ in ratione satisfactionis, & obsequii; sed à purâ creatura non potest offerri Deo obsequium in ratione obsequii, & satisfactionis æquale offenso: nam quodcumque offerat, est obsequium non pertingens ordinem offensæ, & manens infra genus offensæ: ergo à pura creatura non potest satisfieri pro offensa. Confirmatur: ex eisdem capitibus ex quibus æstimari debent obsequium, & offensa, offensa ita crescit in ratione offensæ, ut maneat in genere, quo nullum sit altius in ratione offensæ: obsequium verò ita minuitur, ut non maneat in genere, quo nullum sit altius in ratione obsequii: atque adeò offensa manet in ordine quasi supremo offensæ: obsequium manet in ordine simpliciter inferiori: per res autè ordinis simpliciter inferioris nequit dari æqualitas, & satisfactio pro rebus ordinis simpliciter superioris: atq; ita cópensari nequit malitia peccati mortalis, per venialia, etiam infinita: bonitas Angeli, per cumulum infinitum arenæ: & ratio est: quia licèt hic detur excessus, datur tamen in genere, cujus supremum non attingit etiam infimum ordinis alterius. Hæc est ratio Patris Suarez, quam videamus an æquè impugnent Recentiores, ac sibi displicere præseferunt.

§. VII.

DIFFICVLTATES OBIICI SOLITÆ, ET modi solvendi.

Impugnationes communes non feriunt.

254 Impugnant primò: quia injuria furti æqualis est sive fiat nobili, sive ignobili: item satisfactio pro ipsà manet æqualis, reddendo tantundem, idque fit æquè ab ignobili, ac nobili: ergo similiter in offensa Dei. Addunt: quòd hæc ratio licèt aliquatenus valeret in his peccatis, quæ sunt formalis injuria Dei, vel formalis inhonoratio, vel cõtemptus: at non valet in omnibus: cùm non singula sint injuria, inhonoratio, & contemptus Dei. Incipio ab hoc: & imprimis negare non possumus singula peccata esse offensam, inhonorationem, & contemptum saltem virtualem Dei: cùm sint postpositio tantæ Majestatis infra vilissimas creaturas. Deinde disentietur *alibi* an sint strictè injustitia; idq; modo non nocet: & abundè probatum habet Doctor Eximius *variis in locis*. Iam respondeo concesso, vel permisso antecedente, nego consequentiam. Restitutio enim, de quâ antecedens, respicit res: satisfactio verò personas. Fit autem utriusque inepta confusio ab arguente: cujus antecedens ideò est verum: quia injuria furti sumitur ex damno, quod æquè à nobili, ac ab ignobili potest infetri, & æquè tolli, reddendo tantundem. Secus accidit in injuria personali.

Lib. 4 disp. 4 sect. 6. Suarez.

255 Impugnant secundò, & *opinione sua* evidenter: possunt res superioris ordinis, si finitæ alioquin sint, compensari per res ordinis inferioris multiplicatas, saltem in æstimatione morali: quæ hìc præsertim attendenda est: ergo licèt peccatum sit ordinis inferioris potest æquari per multiplicationem obsequiorum ordinis inferioris. Consequentia urgeri maximè solet à paritate.

256 Antecedens ostenditur primò: quia ex superiori discursu etiã Veniale deberet esse in superiori ordine respectivè ad obsequia puræ creaturæ: nihilominus æquari per hæc potest *ex sect. 2.* §. 3. Secundò: licèt moneta aurea, argentea, & cuprea sint ordinis valde diversi, & respectivè inæqualis, aurea potest quoad æstimationem moralem exæquari per multiplicationem argenteæ; & hæc per cupreæ multiplicationem. Tertiò licèt actus charitatis sint superioris ordinis respectivè ad actus inferiorum virtutum, tamen tanta potest esse multiplicatio, & intensio horum actuum, ut superentur illi, & magis mereatur homo per istos, quàm per illos.

Suprà sect. 2. à nu. 29.

257 Arguunt quartò pro antecedente, & magis ad rem. Licèt injuria contra Principem major sit ex genere suo, quàm oblata satisfactio à Rustico offensore; ideoque talis satisfactio sit omninò difficilis; tamen tale potest esse obsequiorum à tali rustico erga Principem præstitorum præstantia, ut omninò exæquaretur offensa, & plenè omninò satisfieret: puta si pro Rege defendendo à præsenti mortis periculo, vitam ipse suam exponeret. Et id genus alia. Turbavit hæc objectio maximè Discipulos Doctoris Eximii: & hic timor fecit animos Adversariis; qui legisse poterant in ipso Doctore plenam horum omnium solutionem *loco citato de Gratia*.

258 Respondent aliqui per instantiam: Primò: quia peccatum mortale, licèt finitæ malitiæ sit: quia tamen est ordinis superioris in ratione malitiæ non potest exæquari per venialia, quantumvis multiplicentur in infinitum. Secundò: quia actus supernaturalis, licèt finiti sit valoris: quia tamen est ordinis superioris respectivè ad actus naturales quantumvis eximios, exæquari non potest per quancumque istorum multiplicationem. Sunt ergo res, quæ quia superioris ordinis sunt, non possunt exæquari per res ordinis inferioris: tale autem esse peccatum discimus ex PP. & CC. supra relatis.

Card. de Lugo.

259 Sed Instat Lugo: id, non esse solvere argumentum, sed fateri dari res, quæ, quia sunt ordinis superioris, exæquari nó possunt per res inferioris ordinis; dari alias, quæ non obstante superioritate ordinis, exæquantur per res ordinis inferioris. Vnde ergo, quærit, haurimus: peccatum, & offensam ex illis esse, & non ex istis? Imò in contrarium habemus moralem evidentiam, cùm videamus offensam factam Principi compensari posse per obsequia multiplicata, non obstante infimâ forte Personæ satisfacientis.

Arriaga.

260 Respondet Arriaga, Regulam generalem esse, tunc per res ordinis inferioris posse exæquari, compensarique res ordinis superioris: quando excessus inter utrumque non est valde notabilis: ut accidit in exemplis objectionis: quando verò excessus est valde notabilis, nullatenus posse; ut accidit in exemplis instantiæ: & ex hac serie esse peccati excessum, colligi debere ex communi Doctrina Patrum, & Theologorum: hìc enim excessus ex prudenti judicio sumendus est.

Instantia contra præcedentia.

Instare verò Adversarii possunt. Primò: nam recurrere ad Patres non est dare rationem à priori, quam inquirimus; solumque est rem testimoniis velle, non ratione conficere. Secundò: quia inquiet aliquis, PP. locutos juxta Præsentem Providentiam, vel inspectis solùm viribus naturalibus Creaturæ Rationalis. Tertiò: quia si excessus peccati respectivè ad obsequia, cùm sit finitus, & aliunde non habeat, caput unde tantùm excrescat, cur non exæquari per obsequia possit? Nam quodnam est caput, ex quo excessus sit tam valde notabilis? nam licèt Persona offensa sit infinita, non tamen est attendenda quanta est in se, sed quanta est in offensa, seu quatenus est offensa: offensa verò finitissima est: unde ergo tantus excessus? Quartò: quia hæc solutio videtur principium petere, nisi rationem addat tanti excessus.

§. VIII.

PATRIS MVNIESSÆ DISCVRSVS IN illustrationem Eximii Doctoris exponitur, & deseritur.

P. Thomas Muniessa.

261 Respõdet ob hæc Magister in Theologicis meus, qui hæc penetravit altiùs, & latis ad mentem Doctoris Eximii, Pater Thomas Muniessa *de Incarnatione disp. 8. sect. 10. præsertim à num.* 123. solutionem aliunde petendam, nempe ex solâ infinitate Personæ offensæ. Statuit ergo primò, offensam, licèt finitam, esse contra Personam infinitam. Statuit secundò, offensam gravem alicujus, cæteris paribus, non compensari nisi per satisfactionem Personæ æqualis offenso; nam si cætera sint paria, eoipso quòd Persona satisfaciens sit inferior, erit inæqualis satisfactio ex inæqualitate Personæ. Statuit tertiò, quòd, cùm Persona satisfaciens est inferior offenso, potest nihilominus esse æqualis satisfactio, si inferioritas Personæ compensetur ex aliquâ circunstantiâ obsequii: si tamen illa inferioritas tanta sit, ut compensari non possit: tunc nequit ulla exhibitio obsequii esse æqualis satisfactio. Hinc cùm in exemplis objectis, inferioritas, vel ordinis, vel Personæ satisfacientis finita sit in æstimatione morali, suppleri potest ex circunstantiis eximiis obsequii: at cum in casu nostro inferioritas Personæ satisfacientis respectivè ad Personam offensam, sit infinita, nullis obsequiis alioqui finitis vinci potest, aut suppleri; atque adeò neque per ullã multiplicationem obsequiorum offerri à Pura Creatura potest æqualis satisfactio pro lethali.

M. Lumb.

262 Nec sunt momenti, quæ *Lumbier* objicit huic Magistro, jam satis præoccupanti *à nu.* 177. Objicit primò: quia satisfactio condigna non respicit Personam offensam æquandam per satisfactionem, sed ipsam offensam: ut patet in Veniali. Imprimis paritas

à Ve-

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Veniali absit est: cùm Venialis offensa sit ex se levis, nec offensa simpliciter. Deinde dicetur, satisfactionem per se non respicere Personam offensam æquandam, sed offensam; at si offensa æquari non possit ab obsequio in genere satisfactionis, nisi exhibeatur à Persona æquali, peraccidens requiri posse: sicque accidit in casu nostro, quia necessarium est, ut satisfactio à Persona infinita sit infinita simpliciter. Itaque satisfactio non debet de perse esse æqualis Personæ offensæ, esse tamen debet honor æqualis offensæ illatæ: talisque esse non potest, si sit summa distantia inter satisfacientem, & offensum.

Objicit secundò: quia semel datâ æqualitate inter offensam, & obsequia, non obstare videtur inæqualitas Personæ satisfacientis cum Persona offensa. Nam vel hic excessus refunditur in offensam finitè, vel infinitè. Si primum: cur erit incompensabilis per finita obsequia?

263 Confirmatur: quia licèt Deus visus sit infinitus in se, quia tamen ut visus, seu quoad visionem, quâ nos ipsi fruimur, est finitus, cadere potest in condignam retributionem nostram respectivè ad obsequia finita: ergo similiter licèt Deus offensus sit simpliciter infinitus in se, quia tamen quoad offensam, seu prout offensus, est finitus, poterit compensari, & æxæquari per finitam satisfactionem. Si ergo secundum: ergo offensa est incompensabilis, quia infinita est: & non quia solum est ordinis superioris. Respondebitur: excessum infinitum Personæ offensæ non refundi nisi finitè in offensam quoad gravificationem ipsius: infinitè verò quoad ejus incompensabilitatem: quia hæc refutio non est, quasi ille excessus infinitus constituat offensam, sed quia dat offenso jus repudiandi omne genus obsequii non præstitum à Persona æquali, seu à Persona, cujus obsequium non possit supplere distantiam quæ inter satisfacientem & offensum sit. Ratio est: quia Dignitas offensi postulat, ut tantum honoris sibi tribuatur, quanta fuit offensa: honor autem ab inæquali, & quidè infinitè distanti, levis est. Vnde quòd satisfactio oriri debeat ex Persona æquali, non est, quia Personæ dignitas refundatur in offensam mathematicè, sed quia aliter non potest ipsi offerri honor æqualis.

264 Objicit tertiò: quia licèt Dignitas sit infinita, non est infinita offensa ex limitatione advertentiæ: ergo ex eadem limitatione non potest manere cum infinita incompensabilitate. Quis enim videat infinitam proprietatem ex essentia alioquin finitâ? Retorquebitur: quia non obstante finitudine cujusvis mali moralis, habet infinitam ineligibilitatem in sensu Adversariorum. Deinde respondebitur, negando consequentiam: quia incompensabilitas sumitur aliunde: nempe ex infinitate Personæ secundùm se, cui dari non potest nisi à Persona æquali honor æqualis contemptui, & offensæ peccati mortalis.

265 Hæc tamen acuta meditatio, nunquam animo sedit. Primò: quia non est necessaria impugnationis solutioni. Secundò: quia eatenus requiri videtur æqualitas satisfacientis cum Persona offensa, quatenus necessaria sit ad valoris æqualitatem. Si autem offeratur valor æqualis offensæ à Persona alioquin inferiori, gratis quæritur satisfacientis æqualitas. Exinde enim omne genus satisfactionis repudiari posset etiam in humanis. Et Vrgeo: ideò in injuriis realibus fieri potest æqualis satisfactio, seu restitutio, à Personis undecumque vilibus: quia non obstante eâ inferioritate satisfacientis, potest reddi tantundem offenso: ergo si non obstanti inferioritate Personæ satisfacientis potest per obsequia compensari æstimatio offensæ; similiter in his injuriis Personalibus poterit ab inferiori fieri satisfactio. Tertiò: quia hic discursus videtur deviare à sensu CC. & PP. ideo negantium possibilitatem satisfactionis, quia à pura creatura nequit offerri pretium offensæ condignum. Quartò: quia hæc respondendi ratio apertè supponit æquari posse per finita obsequia æstimationè offensæ: unde non video, qui negare possit (ut apertè facit hic Magister) saltem bonum remissionis cadere posse in condignum meritum puræ creaturæ.

§. IX.

FIT SATIS COMMVNIBVS OBIECTIONIBVS: & aliter proponitur ratio Patris Suarez.

266 Quare respondeo aliter impugnationi: & distinguo antecedens: res superioris ordinis possunt compensari per res inferioris, in eâ ratione, quâ sunt ordinis superioris, & inferioris, nego. In alia ratione, quâ possunt alioqui comparari rationis, & ordinis ejusdem, transeat. Ad primam antecedentis probationem, negetur assumptum: quia Veniale non est offensa, nisi secundùm quid, vel saltem levis. Vnde licèt obsequia forent satisfactio secundû se levis, posset dari superabundans compensatio. Ad secundam: illæ monetæ in ratione pretii sunt rationis ejusdem: æstimantur enim ex extrinsecâ Principis voluntate, & ex eadem sibi æquipollent mutuò: ut est evidens.

267 Ad tertiam dicetur imprimis: eos actus nempè charitatis, & aliarum virtutum inferiorum in ordine ad præmium; cùm respectu ad utroslibet sint idem, & in ordine ad rectificandum subjectum, esse etiam rationis ejusdem: unde nihil mirum, si actus charitatis merens præmium ut quatuor, & rectificans ut sex, compensari possit per actus inferioris objecti ut quatuor, merètes præmiû ejusdem rationis singuli ut unum, & rectificantes ut octo quoad divinam complacentiam. Difficultas esset, si actus chatitatis esset forma sanctificans, aut solus gauderet imperio supra virtutum omnium actus: tunc hæc excellentia per nullam actuum inferiorum multiplicationem exæquari posset. Deinde dicatur: boni ad melius, quorum utrumque sit simpliciter bonum, & simpliciter æstimabile, nunquam dari distantiam ordinis simpliciter dictam, cû cadant in eandem potentiam, ut formæ perfectivæ ipsius, & excitativæ Divinæ complacentiæ in ratione recti, & honesti simpliciter. Disparitas enim objecti non sufficit ad distantiam moralem ordinis, nisi refundat excellentiam aliquam in actus ipsos.

268 Ad quartam respondet acutissimè Doctor Eximius: posse quidem in casu objectionis à Personâ inferiori satisfieri Principi pro offensa, non quidem propriè, sed per æquiparationêm: non propriè: quia per quamcumque actionem præstitam, non honorat: per æquiparationem verò: quia valde benefacit: & hoc beneficium, licèt non sit formalis honor Principis, est tale bonum ipsius, ut eoipso per quandam quasi æquiparationem deleat injuriæ debitum: at Deus incapax est beneficii: & quivis obsequendi conatus est levis honor, ex satisfacientis debito, & vilitate.

269 Respondeo aliter: in tali casu non compensari offensam per bonum ordinis inferioris, sed superioris: compensatur enim non propter exhibitionem Personæ rusticæ, sed propter conservationem Regiæ: quam liberando à morte per suæ vitæ expositionem, moraliter Regi confert, & totam Majestatem, quasi de novo. At omnis satisfactio creaturæ solùm potest æstimari, quanti Persona, quæ vult obsequi, & satisfacere. Dices: quid si quis Christum suo periculo liberaret à nece. Respondeo id intelligi, cùm ipse se liberare non potest. At potuit Christus. Deinde quòd liberaret à desitione, esset quid finitum, juxta communem opinandi modum, nempe unio inter Corpus, & Animam. Ex his patet, quàm probabiliter sustineri possit ratio Patris Suarez: quam aliter hic proponere lubet: &

Aliter proposita Ratio Patris Suarez ab Authore.

270 Argumentor sic: si offensa sit gravis, & satisfactio levis, non potest satisfactio esse sufficiens, & æqualis offensæ: sed omne peccatum mortale, est gravis offensa Dei: quæcumque satisfactio puræ creaturæ est satisfactio levis: quod ostendo: nam imprimis peccatû mortale in eo difert à veniali. Deinde satisfactio est levissima, quoties obsequiû, & honor exhibitus in satisfactionem est parvi momenti: sed quilibet honor obsequiosus exhibitus Deo à pura creatura est parvi momenti: quod probo: Ad magnitudinem enim, & excellentiam alicujus Personæ spectat ita excedere obsequia ipsi præstita, ut censeri debeant levia, & parva: sic honores exhibiti Regi magno à vili subdito reputantur ab ipso parvi, & exiles: & inurbanus censeretur qui sua obsequia coram Rege prædicaret ut magna, & pretii non exigui: videreturque Regem inhonorare, & habere cõtemptui: sed magnitudo, & dignitas Dei est infinita simpliciter, & omnis pura creatura finitissima: exigit ergo recta ratio, ut omne obsequium Deo præstitum à purâ creaturâ reputari debeat parvum, & leve; atque neutiquam comparandum cum offensa gravi.

271 Quod si horum omnium exigatur à prioti ratio: hæc inter alias assignatur ab Antonio Perez: quia nempe Dei Dignitas est simpliciter infinita: quæ proinde facit, ut Deus se reputet infinitè dignum honore posibili exhibito à purâ creaturâ: est autem de ratione reputantis se valde dignum, esse magnanimum. Magnanimi verò juxta Aristotelem, est gratos habere, honores parvos sibi exhibitos, ab his, qui majores exhibere non possunt; sed tamen non eos putare cõparatione sui magnos, & eximios. Est enim humilis animi existimare se inferiorem honore sibi exhibito: At Deum non decet humilitas: supponit enim in humili defectû abjectione dignum. Sic proposita hæc ratio, placuit ingenioso Commagistro, eâque cum

Iuvante P. Anton. Perez.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plausu usus est *in perductis dictatis de Incarnatione*. Sed

§. X.

TANDEM DESERITUR.

Deseritur ratio P. Suarez.

272 Quominus hanc rationem Doctoris Eximii plenè sequar, faciunt aliqua. Primò: nā illa nititur principio alioqui populari, re tamen ipsà ad præsens institutum dubio, nec sufficienti: nempe in diversitate, & inæqualitate ordinum, in quibus sunt offensa, & satisfactio. Nam imprimis diversitas ordinum attendi non debet, cùm reipsà supponi debeat inter satisfactionem, & offensam. Deinde: quia superioritas offensæ gratis assumitur, cùm satisfactio supponatur ex ordine superno, atque adeò divino: qui ordo superat omnem ordinem rerum, & actuum naturálium. Insuper: quia sicut offensa ponitur in supremo ordine, ita satisfactio, si decrescit ex eisdem capitibus, ex quibus crescit offensa, poni debet in ordine infimo: unde sicut offensa Dei manet in genere, quo nullum sit altius; ita obsequium manere debet in genere, quo nullum sit inferius: unde major erit obsequium præstitum homini ab homine, quàm quodcumque præstitum Deo à puro homine etiam justo. Quod si id negetur, ut negandum est, fateri debemus offensam quidem esse in superiori ordine respectivè ad alias offensas, non verò ad obsequia, quæ possunt esse ordinis alterius valde æquivoci, & æqualis: atque adeò compensativi illius.

273 Secundò: quia ex hoc dicendi modo videtur fieri distinctio inter rationem obsequii, & rationem boni. Unde hæret nimis hic discursus satisfactionibus quas pro suis injuriis volunt & spectant homines, intenti videlicet non ad rationem boni, sed ad rationem utilis, & plausibilis ex communi aliorum æstimatione plerumque erroneā: & ratio pro humanis est, quia injuria Personalis fit cum positivo detrimento, & damno: unde nihil mirum si usqueadeò attendatur in ratione satisfactionis; & obsequii ratio utilis, & plausibilis: at respectivè ad Deum, cujus offensa non est detrimentum honoris; nec summa Majestas est capax damni vel lucri à pura creatura, longè diversa est ratio. Neque enim metitur obsequium nisi ex ratione boni & digni Divinà complacentiā, & amore: sicut neque offensam nisi ex ratione mali, & digni positivà displicentià: unde si semel obsequia puræ creaturę sunt æquè bona, ac mala est offensa: hæc per illa compensari poterit etiam in ratione satisfactionis, & obsequii.

274 Tertiò: quia inter obsequia puræ creaturæ, & offensam, potest fieri comparatio quoad moralem æstimationem æqualem, non obstante diversitate ordinum inter ea extrema: nam quoad honorem, quoad complacentiam, quoad meritum institui potest ista comparatio: an per obsequium reddatur Deo tantus honor, quantus ablatus per offensam est: an tantum obsequia placeant, quantum offensa displicet: an tantum mereatur illa, præmii, quantum hæc, pœna. Et penès hæc obsequia nō solum videtur æquari posse cum offensa, sed ipsam vincere: cùm enim honor ablatus sit finitus, itidem gradus displicentiæ; & demum pœna: non est cur & præmium pœnas superet, complacentiæ gradus gradum displicentiæ; & demum quantitas honoris redditi, quantitatem honoris ablati, saltem factà multiplicatione obsequiorum.

275 Ex his verò facile sequitur exæquari posse illum offensæ ordinem, per obsequia quoad satisfactionem. Et certè non est adeò levis exhibitio operationum supernarum in ratione obsequii, cùm tam Deo placeant, & bona sint, ut de condigno mereantur æternum gloriæ pondus. Desideratur ergo ratio cur horum ordinum tantus excessus sit, ut dici debeant offensa superioris ordinis, & obsequia ordinis inferioris, etiam adinvicem: quod præstare conabimur.

SECTIO VII.

VERITATIS ASSERTÆ VERA RATIO.

§. I.

PROPONITUR, ET PROBATUR.

Solida Ratio.

276 Consistit in eo: quòd omnis actuum puræ creaturæ moralis bonitas sit minor, minusque Deo placens, & æstimabilis, quàm sit, & Deo displiceat & æstimetur malitia cujusvis peccati mortalis. Unde *duo* manifestè fiunt. *Primum*: ratio illius Suaristici axiomatis: *Quòd nempe peccatum & offensa Dei sint in ordine superiori non solùm respectivè ad alias offensas, sed etiam ad omnia, & singula obsequia puræ creaturæ. Secundum*: aper-

aperta impossibilitas, ut pro offensà tam propria, quàm alienà satisfaciat pura creatura: nam cùm Deus æstimet obsequia ex ratione boni, & sibi placentis; omniaque & singula obsequia puræ creaturæ sint minoris bonitatis & æstimabilitatis Divinæ, quàm sit malitia cujusvis offensæ, fit per nulla puræ creaturæ obsequia posse Deo reddi æquivalens pro offensa, atque adeò nec satisfieri; cùm satisfactio sit ex conceptu suo redditio æquivalentis. Pro toto discursu stare novissimè video Reverendissimum admodum P. N. Thyrsum *tom. 3. disp. 14.* citato in eundem Ariminensi. Sed debetur complutensi Mag. Doctissimo P. Ioanni Antonio Vson, ex cujus doctissimis Dictatis *de Verbo Incarnato disp. 3. memb. 4.* P. Ripalda impugnaturus exscripsit *disp 97. nu. 7.* Difficultas stat in principio quod assumimus, firmando proinde multipliciter.

Grata Thyrs. ex Vson cōtra Ripaldam, & Sfortia.

Fundatur à priori.

277 Primò & à priori: Peccator per quodvis peccatum mortale, quantum est ex se, contemnit Deum (id quod ostendit optimè Aegidius de Præsentatione post alios *lib. 2. de Beatitudine quæst. 5. art. 3. num. 8.*) Bonumque infinitum postponit bono vili, & finito; cùm verò Deum amat homo, eumque præfert omni bono finito, facit id quod & ratio clamat, & quod ex infinitis titulis est debitum: ergo gravitas illius mali est major quàm istius obsequii bonitas. Idemque dixero de quavis obsequiorum collectione comparatà cum peccato mortali. Probo consequentiam: æstimabilitas alicujus contemptûs sumitur ex magnitudine boni, quod despicitur, & ex vilitate rei cui postponitur; obsequii & cultûs æstimabilitas sumitur ex magnitudine Personæ obsequentis, & ex minori debito ad hujusmodi obsequium; Atqui bonum quod despicitur est summum, summa vilitas despicientis, & summa itidem vilitas rei cui postponitur: Personæ verò obsequentis nulla est magnitudo, simpliciter, & summum debitum: quia summum bonum est summè dignum cultu & amore, & ita dignum ut nullus sit excogitabilis amor obsequiosus & cultus, quo majorem non mereatur Deus: ergo multo æstimabilior & gravior est ille contemptus, quàm omnes & singuli actus obsequiosi puræ creaturæ sint boni.

Aegid. de Præsent.

278 Minor & consequentia patent. Major autem est evidens. Cur enim postponens Regem vili mancipio, Regem gravissimè despicit? & cur vile mancipium postponens Regi, aut illi genu flectens, Regi parum obsequitur? Certè quia ibi Dignitas, quæ postponitur est magna, & magna vilitas cui postponitur: hic mille sunt tituli, ex quibus Regi debetur hic cultus. Claudo discursum sic: Atqui omni obsequio puræ creaturæ est essentialis ratio debiti ex infinitis titulis, & ratio prælationis Boni ex debito & infinitis titulis præferendi: cuivis autem offensæ est etiam essentialis ratio deformis, & indebiti, & ratio postpositionis summi Boni ex infinitis titulis repugnantis postponi, seu poni aliter ac decet, & est: ergo & obsequio est essentialis minor æstimabilitas, quàm offensæ: æstimabilitas demum sicut est taxa bonitatis in obsequio, pariter in offensa est taxa malitiæ.

Rursus à priori.

279 Secundò & iterùm à priori: Divina complacentia Boni, & displicentia mali, est manifesta taxa boni, & mali: sunt enim actus ordinatissimi, secutique ductum, & taxā intentionalem rationis omninò, & necessario veræ; atqui omnia & singula obsequia puræ creaturæ minùs Deo placent, quàm offensa displicet: ergo sunt bona minùs, quàm ista est mala.

280 Minor ostenditur primò: omnia & singula obsequia puræ creaturæ sunt infra bonum, ex cujus offensione Deus concipit offensæ displicentiam; sunt enim infra bonū simpliciter infinitum, quod offensum est. Est ergo videndum hoc grande discrimen inter complacentiam de cultu, & displicentiam de offensā: Displicentia enim de offensâ sequitur complacentiam majestatis offensæ: ex eo enim quod quis sibi complacet in alicujus dignitate, concipit odium de ipsius vilipensione, & contemptu: unde fieri solet ut quod non amas, non cures an offendatur, an secùs. At cultûs complacentia non sequitur complacentiam Personę cui fit, sed magnitudinē Personæ à qua fit, & debitum: ergo necessarium, est quòd magis Deo offensa displiceat, quàm placeant omnia, & singula obsequia puræ creaturæ.

281 Ostenditur secundò minor: eatenus obsequium Deo complacet, & est bonum, quatenus est accessus ad Deum: & eatenus offensa displicet & est mala, quatenus est recessus ab ipso Deo: Atqui quævis offensa mortalis est major recessus à Deo, quàm sint accessus, omnia, & singula obsequia puræ creaturæ: ergo. Probatur minor: quia quævis offensa mortalis est efficax recessus voluntarius à Deo, quâ omnimode possidendo à pura creatura, est efficax destructio omnis accessûs moralis ad Deum, omnis gradûs ami-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amicitiæ, & omnis possessionis ipsius: idque ex morali positivâ dignitate ad odiū Dei.sed nullos actus putæ creaturæ, nec ulla eorum collectio est efficax accessus voluntarius ad Deum, quâ omnimodè posisidendum, nec restauratio omnis gradus amici, nec omnis possessionis ipsius, ex bonitate morali, & dignitate ad amorem: ergo.

A posteriori.

282 Tertiò & à posteriori:Major est indignitas,& vis demeritiva, quam subit per offensam creatura, quàm sit tota dignitas & vis meritiva, quam subire potest per omnia, & singula obsequia puræ finita: ergo minor est horum bonitas & placendi vis, quàm sit illius malitia,& vis displicēdi. Consequentia videtur evidens:quia indignitas & vis demerendi sumitur à quantitate malitiæ,& gradûs quo Deo, justissimo rerum æstimatori displicet: neque enim homo magis displicet, quam sit malus; nec est magis indignus à Deo bene tractari quàm malus est,nec demeretur magis, quàm offendit: econtra in actibus bonis: non enim Deus, sicut homines, attendit ad spem, & metum commodi, vel incommodi, sed ad rationem boni, & mali penès taxandam dignitatem bene operantis, aut malè.

283 Probatur autem antecedens. Per quodvis peccatum mortale subit peccator positivam,& moralem indignitatem justissimè carendi omni Dei amicitiâ, & omni Dei possessione, secundùm totam utriusque latitudinem:idque non utcumq;sed ex positivâ dignitate ad odium inimicabile exclusivū,ex merito peccatoris,quoad omne genus, divinæ beneficentiæ, cujus latitudo est tanta quanta sphæra Divinæ Potentiæ, & Voluntatis: sed per omnia, & singula obsequia puræ creaturæ non acquiritur dignitas ad omne genus amicitiæ,& possessionis Dei,juxta totam utriusque latitudinem, ex dignitate positivâ ad amorem, collativum omnis generis Divinæ beneficentiæ: ergo major est offensæ indignitas, quàm dignitas ab omnibus & singulis puræ creaturæ obsequiis oriunda. Minor patet: nam omnibus & singulis obsequiis puræ creaturæ satisfieri potest per determinatos gradus amicitię,& possessionis Dei.Major autem est evidens:quia, quantumvis in creaturâ essent omnes gradus, & Amicitiæ, & visionis & tota sphæra beneficentiæ,offensa destrueret ex dignitate morali movendi odium spoliativum subjecti omni genere beneficentiæ.

§. II.

DEFENDITVR.

Sfortia Cardin.

284 OBjicies ex Eminentissimo Sfortia: sæpè per aliquod crimen amittitur fructus operum præcedentium: quæ tamen bona, si postea fierent, compensarent æqualiter illius criminis demeritumita post capitolium defensum, supremo supplicio affectus est Mālius ex crimine affectati Regni: cùm tamen si antea Regnum affectavisset, & postea capitoliū defendisset pœnitens: illud crimen istâ defensione purgasset: ergo præferti in merito, vel demerito prioribus posteriora, non venit ex inæqualitate bonitatis & malitiæ, sed aliunde: nempe, quia posteriora opera semper in æstimatione prævalent quoad indicium futuræ Vitæ, & præsentis dispositionis ad bonum, vel ad malū.

Verùm ista acuta, & politica consideratio tenet in humano regimine, non in Divino. Disparitas est, quia Deus quantitatem meriti, vel demeriti metitur solùm ex quātitate bonitatis,& dignitatis operationū, præcisim à circunstantiis, augentibus spem, aut metum commodi vel incommodi in futurum: hæ namque sunt imperfectiones humani regiminis: in quo propter jus præcavendi malum imminens, & fovendi,seu promovendi bonum præsens, non tam attenditur ad circunstantias Boni, & mali, quoad taxam meriti, seu demeriti, Veniæ, aut pœnæ, quàm ad alias, ex quibus sumi potest spes, aut metus commodi, vel incommodi in futurum: & inter has circunstantias, illa temporis attendi debet maximè: idque patet in casu Manlii.

Ripalda.

285 Objicies secundò ex eodem, & ex Ripalda: per peccatum veniale fit homo indignus Vnione hypostaticâ, mereturque dilationem Beatitudinis,secundùm totam ejus latitudinem: tamen neque ullus cumulus bonorum actuum facit hominem Vnione hypostaticâ dignum: neque ullus cumulus actuum bonorum naturalium, neque supernaturalium (præcisim à Gratia Sanctificāte) facit dignum Beatitudine, ne pro uno quidem instanti: ergo vel ratio nostra non tenet, vel pejus est peccatum veniale quodvis, quàm sint bona omnia, & singula obsequia puræ creaturæ tam naturalia, quàm supernaturalia: ex quo demum fiet contra statuta *à num.* 27. ne pro Veniali quidem posse à pura

pura creatura satisfieri: quæ duo paradoxa sunt.

286 Respondeo primò,& distinguo antecedens: sit homo indignus, indignitate sufficiente demeritoriè expellere Vnionem, & Beatitudinem, nego: indignitate incongruētiæ,& incompossibilitatis: subdistinguo: per victoriam ex parte mali, nego: per resistentiam ex parte tanti boni,concedo: & nego consequentiam. Itaque quòd homo cùm peccato veniali sit incompossibilis, & quasi in statu inhabilitatis moralis ad Vnionem,& ipsam fruitionem beatitudinis,non provenit ex vi deformitatis, & odibilitatis quæ inest in ipso veniali, sed ex summâ altitudine boni, quod elucet in fruitione Dei tam intentionali, quàm physicâ: ad eum modum, quo reatus pœnæ temporalis, aut potentia peccandi venialiter sunt quædam inhabilitas,& indignitas, per quas impediuntur hæc bona; at sicut non ideò aut ille reatus, aut ista potentia sunt tantum malum,quantum sunt bonum, Vnio & Beatitudo; ita neque veniale, licèt hominem impediat,& reddat indignū, modo quo explicuimus, erit tantum malum, quantum illa sunt bona, aut obsequia simpliciter promotiva illorum bonorum.Longè alia ratio est in mortali: vi cujus indignitas, quæ resultat in homine,est positiva indignitas sufficiens ex vi demeriti expellere omne illud, & quodcumque aliud bonum, neque secundùm quid penès hanc aut illam circunstantiam, sed omninò simpliciter.

287 Respondeo secundò, & distinguo aliter antecedens: sit homo indignus simpliciter, & ex dignitate odii infligentis horum bonorum privationem in pœnam,aut parati inducere talem privationem propter demeritum etiam si reipsâ deberentur, nego: indignitate secundùm quid, & tanquam ex occasione cessandi à benefaciendo,transeat: est tamen inter utramque indignitatem discrimen maximum. Nam indignitas,quæ positivè expellit bona alioquin debita,quæ deberi possunt ex jure quod extinguit; aut indignitas, quæ fundat odium Personæ inducens privationem bonorum eorum, & paratum inducere privationem omnium,etiam si deberentur; talis,inquam,indignitas semper sequitur quantitatem mali, ita ut tanta sit deformitas, & malitia, quanta indignitas:atque adeò huic indignitati satisfieri nequit nisi per obsequia, quæ æquè sint digna, quia alioqui non erunt æquè bona. At indignitas, quæ solum est secundum quid, & quæ solùm impedit bona, tanquam occasio cessandi à benefaciendo, non arguit pari passu malitiā; cùm benefactor cessare possit à benefaciendo, non tam quia Beneficiarius est malus, sed quia non est tam bonus, ac vellet. Illa autem est mortalis peccati indignitas;& hęc, venialis. Sed hæc accuratius explicabo *mox.* *Mox à nu.* 300.

Ripalda.

288 Objicies tertiò ex ipso Ripalda: demereri Gratiam & Visionem, secundùm totam latitudinem, non arguit majorem malitiam,eâ quæ sufficit ad demerendum unum gradum gratiæ, & Visionis: at mereri Gratiam & visionem,secundùm totam latitudinem arguit majorem infinitè bonitatem,quę sufficit ad merendum unicum gradum Visionis & Gratiæ: ergo ex majori demerito non arguitur major malitia, sicut ex majori merito, Gratia major:ergo actus qui sufficiat ad merendum gradum Gratiæ, sufficiet pro demerito totius Gratiæ, & Visionis, secundum totam utriusque latitudinem.

289 Consequentiæ rectæ sunt: & antecedens videtur evidens:qui enim demeretur minùs, eoipso demeretur majus præmium: at qui meretur minùs, non eoipso meretur majus. Ratio videtur esse,quia majus & minùs diversimodè se habent in ordine ad negationem,quàm ad affirmationem:qui enim negat quod minùs est, seu minimum rei, negat omne quod sequitur:non verò qui affirmat minùs, concedit exinde majus.Formavi sic argumentum Ripaldæ, ut appareat aperta fallacia.Probat enim quemcumque actum cujuscumque virtutis etiam remississimum, condignificatum à Gratia etiam remississimā esse magis, vel æquè bonum, ac quod libet mortale peccatum. Hoc autem omnes, inter quos ipse, negant. *Sibi nocet.*

290 Respondeo, & distinguo primam partem assumpti: demereri positivè, indignitate privante his bonis, etiam debitis,aut etiam si deberentur, aut fundante odium exclusivum eorum bonorum, paratumque ea, etiamsi deberentur, excludere propter demeritum, non arguit, &c. nego: demereri negativè, aut indignitate non fundante tale odium, sed excludente solum habilitatem in subjecto, concedo:& nego duas consequentias.

291 Duplex enim indignitas, aut demerendi vis excogitari potest. Altera negativa: eaque solum excludit dignitatem, & habilitatem: & penès hanc tenet probatio antecedentis: qui enim non est dignus, non potest esse dignior,adeoque qui non est dignus minori,

Universidad de Deusto
Biblioteca

noti, non erit majori dignus : quia id esset esse digniorem, quin esset dignus. Altera positiva in esse moris, fundans rationabile odium paratum ex se excludere bona propter demeritum, in quacumque suppositione, nempe etiamsi debita essent : & ea indignitas sequitur quantitatem malitiæ, quæ est major quò major sit, & magis extendatur indignitas : & penès hanc qui meretur privari minori, non meretur privari majori: si enim culpa satis recompensetur, & puniatur per privationem minoris, non debet extendi pœna ad majoris privationem : quòd si culpa talis sit ut fundet odium exclusivum majoris & minoris, etiam si deberetur, & interse esset independens utrumque, tunc culpa gravior erit, quò gravior sit odium & indignitas in quâ fundatur.

292 Vtor exemplis ipsius Ripaldæ. Certè qui non est dignus Sacerdotio, non est dignus Episcopatu : sed qui est indignus Sacerdotio propter actiones nimiæ ostentationis, non est indignus Episcopatu, quia ea ostentatio potest esse conformis statui Episcopali. Item, qui est indignus Sacerdotio, non eo ipso esset indignus Episcopatu, si illa indignitas non fundaretur justum affectum, paratum utraque dignitate rationabiliter privare etiamsi non subordinarentur interse.

Idem Rip. 293 Objicies quartò ex ipso Ripalda: ergo magis erit malum, quodcumque mortale peccatum, quàm bonus sit quilibet actus Christi Domini: aut illud erit majoris indignitatis, quàm dignitatis iste: ex quo demum fiet neque posse per actus Christi satisfieri de condigno pro peccato mortali. Consequentia probatur: quia plus demeretur offensa, quàm mereri possit actus Christi Theandricus : cùm iste mereri Redemptorem non possit ; possit ille tamen demereri. Respondeo primo: nego consequentiam, & probationem, etiam permisso quod actus Christi mereri non possint Redemptorem, id est, sui principium, quem tamen Redemptorem offensa demeretur.

294 Ratio est duplex. Prima: quia plus est mereri alium Redemptorem, aut Vnionem aliam hypostaticam, quàm demereri: nam illam offensa non demeretur nisi ut sibi bonam: actus Christi mereretur, ut bonam in se. Secunda est : quia id non provenit ex defectu bonitatis, & dignitatis in actu Theãdrico, sed ex ipsâ naturâ actûs supponentis jam sui principium à quo summè dignus evadit : at offensa, licèt demereatur, non evadit indignitas summa. Respondeo secundò : negando etiam consequentiam & probationem: propter duo: primum, quia fortè actus Christi in genere meriti sui solutivi potest mereri sui principium. Alterum : quia offensa non demeretur Redemptorem fortè secundum se, sed ut bonum, & beneficum offensori. Quidquod multi id etiam negant. Vide Meratium. *Vide lib. 4. Disp. 2. à num. 14.* *P. Merat.*

295 Objicies quintò ex ipso Ripalda. Vt bonitas obsequii æquet malitiam injuriæ, nó est opus quòd demereatur tot bona, quot demerita hæc fuit: ergo quòd obsequia puræ creatura mereri non possint quantum demeretur injuria, non probat in istâ malitiæ excessum, aut impossibilitatem satisfactionis. Consequentia patet & antecedens videtur evidens : quia qui graviter violavit amicitiam alterius, meretur ut ipsi non fiant beneficia, aliàs indebita, & quæ expectare posset liberaliter ab amico: tamen, ut injuriam resarciat, non est opus ut mereatur omnia bona quæ liberaliter præstare Amicus potest. Imprimis objectio vim non habet in injuriis realibus, ubi non attenditur ad meritum, & demeritum, nisi ad damnum, & realem reparationem ipsius. In aliis injuriis videtur habere speciem : & quia turbare potest aliquos contra rationem nostram, duplicem objectioni solutionem adhibeo, quæ præcedentibus lucem afferat. *Ripalda.*

296 Prima solutio sit, notando dupliciter intelligi posse demeritum : vel respectu boni, indebiti, & quod expectari poterat ex liberalitate amici : vel respectu boni aliàs debiti, vel formaliter vel in radice : id est, vel in se, vel in alio bono jam possesso, quod est jus ad posteriora. Demereri illius generis bona, solùm est mereri cessationem à beneficiis, quæ possent ab Amico sperari, ex liberalitate ejus, non autem ex amicitiæ jure. Demereri istius generis bona, non solũ est mereri cessationẽ à beneficiis in privatione bonorum, sed hanc mereri ut inflictionem justæ pœnæ, suppliciique, ex naturâ rei, debiti culpæ, quia est carentia bonorum, ad quæ ratione amicitiæ poterat offensor habere jus.

297 Dico igitur: quoties amicitia ratione amicitiæ dat jus ad aliqua bona, cùm inimicitia sit demeritum eorum bonorum; tantam esse malitiam culpæ, quanta est indignitas, & demeritum ; satisfactionemque talem esse debere, ut sit digna iis omnibus bonis quibus propter inimicitiam offensor privatur. Ratio: quia dignitas ad carentiam boni tanquam propriam pœnam, est culpæ gravitas : nec tolli potest nisi per æqualem dignitatem ad ea bona. At non requiritur quòd dignitas satisfactoria sit etiam dignitas ad beneficia purè liberalia : quia culpa non fuit dignitas ad privationem eorum, ut pœnam, sed ut cessationem benefaciendi: ex pœna autem, & non ex occasione datâ non ultrà favendi, colligi debet culpæ gravitas: & patet ex ratione amicitiæ non haberi jus, & dignitatem ad omne bonum. Exinde patet, objectionis speciem evanescere per distinctionem antecedentis. Sed

298 Explicemus, & applicemus Doctrinam in nobis respectu Dei. In nostrâ amicitiâ, & bonis operibus, nulla est determinata amicitia Dei per gratiam habitualẽ danda, nullaque Visio Beatifica, quâ majorem non possimus dignè mereri. Nam & assignatâ quavis gratiâ, potest obtineri major, & major: & assignatâ quavis visione potest major, & major obtineri: cùm autem dignitas Personæ refundatur in actus, sit eos posse evadere in justo majoris bonitatis, & meriti majoris. Hinc fit, posse in peccato considerari duplicem respectum demeriti: & respectum ad bona, quæ liberaliter sperari poterant à Deo : & respectum ad Gratiam, & visionem, & quæ jure consequuntur ex his. Priori modo peccatum comparatur ad negationem eorum bonorum, tanquam ad cessationem benefaciendi, non tanquam ad privationem boni ad quod jure amicitiæ justus erat dignus: Talesque sunt plures auxiliantes Gratiæ. Posteriori modo comparatur ad negationem bonorum, ad quæ ratione amicitiæ jus haberi poterat, etsi peraccidens non sit. Vnde qui violat per peccatum jus Divinæ amicitiæ, eoipso manet positivè dignus privari omni cumulo boni, ad quod amicitiæ jure poterat habere dignitatem : cùmque ratione amicitiæ, nullus sit gradus ad quem non posset esse dignitas ; manet dignus privari omni gradu amicitiæ, Visionisque possibilis, non tanquam per cessationem benefaciendi, sed in pœnam ex æquo respondentem: qui enim contemnit amicitiam alicujus, privatur ex merito, & amicitiâ, & juribus amici, & bonis, ad quæ jus erat in amicitia.

299 Quare neque in creatis, neque respectu Dei satisfactio taxari potest juxta demeritum eorum, quæ alioquin ex ratione amicitiæ deberi non poterant, seu non debet mereri ea bona, ad quæ per amicitiam non acquiritur proprium jus, quorumque negationem præcisè demeruit offensa, ut cessationem à beneficiis: taxari tamen debet juxta demeritum eorũ, quæ ex ratione amicitiæ deberi poterant, seu mereri tot bona; quot in propriam pœnam privari offensor meruit. Cùmque peccatum lethale ex natura sua sit dignum carere omni gradu Gratiæ, & visionis, ita ut si etiam infinita Gratia præcesisset, & infinita essent merita quibus respõdere debuisset infinita visio, eis omninò carendi esset dignitas positiva : æqualis in oppositum dignitatis debet esse satisfactio, quæ reputari æqualis debeat. Nec obest quòd peccator in exiguo gradu gratiæ fuerit, vel in nullo: quia peccatum non est primum: quia quodvis peccatum tale est ex se, ut faciat subjectum dignum carendi bonis omnibus, ad quæ ratione amicitiæ potest perveniri. Nec enim peccatum odii est minus, eo quòd supponat alia, sed forsan accidentaliter majus.

300 Secunda solutio, & generalior sit: Peccatum mortale mereri privationem amicitiæ, & omnium bonorum, quæ ex Dei misericordia venire liberaliter poterant, non utcumque, neque ut meram cessationem à benefaciendo, sed tanquam inflictionem mali æqualis tanto bono, & tanquam ablationem bonorum, quæ Peccator ipsi Deo debet, & peccando moraliter abstulit : Injuriam verò homini factam habere se aliter: neque enim meretur privationem bonorũ, aut omnis amicitiæ, ut inflictionem mali. Sed ut meram cessationem à benefaciendo; neque meretur eam privationem, ut ablationem bonorum, quæ alioqui deberentur injuriato. Vnde nihil mirum si inter homines præstari satisfactio possit per obsequia, quæ non sint digna tot bonis, quot offensa est demerita: non respectivè ad Deum, nisi per obsequia, quæ sint tam digna, & digna tot bonis, quot offensa demeruit, & abstulit Deo. *Duo* explicanda sunt. *Primùm*, cur peccatum mortale demereatur in pœnam ea omnia bona, & ejus gravitas & malitia sumenda sit penès hæc omnia? *Secundum* : quâ ratione possit esse ablatio eorum omnium bonorum respectivè ad Deum?

301 Explico Primum. Notando, quod privatio boni aliàs debiti est, & censetur tam mala, ac bonum est ipsum cujus est privatio: Secùs privatio boni aliàs indebiti, præsertim cùm agitur de quantitate pœnarum,

Vu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde pejus est militi privari in pœnam quatuor aureis propriis, quàm negare ei centum omninò indebita: at quis non censeat injuriam seu peccatũ dignum privatione quatuor aureorum, non valere quatuor aureis? Hæc apud omnes certa sunt. Dico autem, licèt privatio boni aliàs indebiti, non censeri soleat tam mala, quàm est bonum, illud cujus est privatio, at privationem boni factam ex odio justo, & tam efficaci, ut si ea omnia bona deberentur perfectè illi qui privatur, ea tolleret propter demeritum, esse tunc, & censeri tam malum, quàm si totus ille cumulus boni fuisset debitus, licèt reipsâ non sit debitus, atque adeò quàm esset bonus totus ille cumulus boni.

302 Ratio est duplex: primò: quia bonum, & malum morale magis æstimatur plerumque ex affectu, quàm ex effectu. Secundo: quia quod est ex odio, malum est; cùm ergo odium auferat totum illud bonum, tantundem infert mali. At odium justum supponit in crimine quantitatem dignitatis ad ipsum, & ad malum consecutum. Cùm ergo Deus privet hominem peccantem gratiâ: gloriâ: & omni genere beneficientiæ ex justo odio propter demeritum: necessariò fit privationem illam non esse meram cessationem amoris, sed inflictionem pœnæ, aut mali æqualis ei cumulo boni, quo privat: atque adeò dignitatem, & malitiam criminis exinde metiendam. Id quod in humanis injuriis contingere nequit: neque homo passus injuriam potest ex odio injuriantem punire, aut ex odio cessare à benefaciendo, aut ex injuria concipere affectum quo paratus sit ea sua beneficia suspendere, etiam si eorum esset perfectus Dominus homo injurians. Non ergo potest ab humanis injuriis sumi paritas ad offensam Dei. At cur *inquies*, homo non potest odio habere inimicum suum: potest Deus? Ratio est: quia odium duo præstat: *Primum*, putare illum, quem oderis, & æstimare, ut simpliciter malum; & velle, ut ei sit malum. *Alterum*, finem cui amatum hujus æstimationis, constituere ipsum offensum, qui amore sui æstimet injuriam, & malum simpliciter: quasi ita se gerat, ut velit reputari Dignus, propter quem, homo ipsi contrarius, sit simpliciter malus. Id inter homines perversum est.

303 Explico secundò: quamvis actu Deus non exigat à nobis totam amicitiam possibilem; tamen dignus est, qui suo jure possit exigere; & ex hoc jure omnis amicitiæ sibi debitæ in actu primo potest præcipere, ne exerceantur actus inimicitiæ. Ita ergo prohibuit Deus peccatum mortale, & voluit perinde esse, ac si esset ablatio omnis gratiæ, & amicitiæ possibilis. Ratio est: quia quodvis peccatum mortale est talis actus inimicitiæ cum Deo, est talis dissensio à Dei voluntate, & talis parvipensio Divinæ amicitiæ, ut propter magnitudinem suæ malitiæ habeat efficacitatem, quamlibet destruendi latitudinem gratiæ, & juris ad gloriam, quæ præextitisset ante ipsum, & cujus conservatio fuisset Deo debita ex speciali præcepto. Patet autem, attento affectu, & attentâ mortalitate peccantis offensam perinde se habere ex sua gravitate, ac si debendo Deo totam latitudinem gratiæ, & gloriæ, Deo auferret, & turpiter dissiparet: fit ergo necessariò, quòd pro tali offensa, & gravitate non possit satisfieri nisi per actum, qui vim habeat restitutivam eorum omnium bonorum, atque adeò tantæ dignitatis ad bona, quanta est in peccato ad eadem bona indignitas.

SECTIO OCTAVA, ET VLTIMA.

ILLATIONES IN VLTERIOREM LVCEM, & coronidem Controversiæ.

304 Illatio prima sit contra Ripaldam & alios, quorum argumenta dissolvimus *à num.* 182. nempe non solùm repugnare puræ creaturæ, de condignò satisfacere pro offensa, sed etiam de condigno mereri remissionem peccati, seu gratiam alteri peccatori: seu non implicare minùs, obtinere peccati remissionem per modum condigni meriti, quàm per modum satisfactionis condignæ. Fundamentum est authoritas Patrum præsertim Leonis, Adriani, & Francofordiensis in *Sacrosyll.* quibus æquè repugnat utrumque. Ratio mihi ex antè discussis est triplex. *Ripalda, & Assecl. ex nu. 188. Vide à nu. 182. Leon. Adrian. Francford.*

305 Ratio prima: quoties vis demeritoria in aliquo subjecto respectu alicujus rei est major, quã vis meritoria, impeditur hæc ab illa, nec in præsentia illius habet hæc vim movendi; sed vis demeritoria in peccatore respectu amicitiæ Divinæ prævalet, & est major, quàm meritoria vis, quæ potest cadere in obsequia puræ creaturæ: ergo hæc impeditur ab illa, nec in præsentia illius habet hæc vim movendi. Consequentia sequitur, & minor ex præcedentibus est evidens. Probatur major: quia quoties sunt duo agentia

tia contraria, illud agit quod fortius est, & majorem habet activam vim, quàm passiva resistentiam respectu effectus producendi: etenim ex eo in subjecto frigido ut octo, non imprimit Agens calorem ut octo: quia major est vis restitutiva frigidi respectu caloris ut octo, quàm activa vis agentis calidi respectu ejusdem caloris ut octo. Et ratio est: quia in eâ pugnâ contrariorum, nequit effectus produci, nisi per victoriam resistentis: quare agens impotens, seu resistenti minus, necessariò cedit: similiter igitur in moralibus. Et hæc ratio, præscindit ab eo, quòd remissio peccati sit tantum boni, quantum mali, sit offensa.

306 Ratio secunda: Præmium etsi physicè sit idem, crescit tamen in ratione æstimationis, & beneficii ex indignitate positivâ subjecti, cui confertur; & quidem non utcumque, sed arithmeticè: ergo remissio peccari per infusionem gratiæ est bonum æqualis, vel majoris æstimationis, ac est malum peccatum, cùm hoc sit positiva indignitas adtale præmium, & beneficium. Sed nulla obsequia puræ creaturæ possunt habere tantum boni; quantum habet offensa mali: ergo. Antecedens ostenditur: quia quò major est dignatio, est majus beneficium: major est autem dignatio, quò est major indignitas: vinci enim hæc tota debet à conferente beneficium. Confirmatur: remissio peccati est ablatio mali debiti: ablatio autem mali debiti est æquè bona, ac est malum quod aufertur: sicut privatio boni aliàs debiti est æquè mala, ac est bonum illud quo privamur.

307 Ratio tertia: Condignitas meriti dicit æqualitatem cum præmio: Nequit autem esse meritum æquale bono remissionis, quin sit æquale peccato: quod impossibile est in obsequiis puræ creaturæ, & ostendo assumptum sic: primùm: eoipso quòd meritum oblatum pro remissione non sit æquale injuriæ, manet jus ad retentionem odii propter injuriam, & ad non remissionem injuriæ: eo autem ipso quòd attento pretio maneat etiam jus ad odium propter injuriam, & ad non remissionem injuriæ, non datur æquale pretium pro remissione: nam æquale pretium pro remissione debet esse æquale juri acquisito per injuriam. Secundò: æqualitas meriti cum bono remissionis præstat ut nullum sit jus ne remittatur injuria, & ut offensus aliud ultra exigat pro bono remissionis; atqui præstari non potest, ne detur jus, ne remittatur injuria, neve offensus aliud ultra exigat pro remissione, nisi æqualitas meriti dicat æqualitatem cum injuria: ergo. Minor patet: quia nemini in contracta venditionis perire debet jus, nisi detur tantundem, quanti æstimat. Tùm etiam: quia offensus, quousque sibi satisfiat, potest ultra exigere: Tùm demum: quia potest petere honorem parẽ contumeliæ. Major autem est evidens: qui enim meretur de condigno rem, dat æquale pretium pro transfusione juris rei in se.

308 Illatio secunda sit contra eundem Ripaldam, & alios: nempe impossibile esse quòd homo purus obtinere possit per modum condigni meriti remissionem peccati, quin eoipso strictè satisfaciat. Ratio est ex *nu. præced.* Deinde: quia tota satisfactio Christi fuit per modum meriti. Tertiò sic urgeo, & argumentor: Nequit aliquis de condigno mereri remissionem injuriæ, nisi merendo quòd Deus deponat odium, & cedat omni jure quod acquisierat per peccatum, quasi emendo (ut me explicem) omnia illa jura, & ipsum odium: non quia velim in me transfundere, sed quia volo ea singula quasi in nihilum redigere. (hæc ita dico ut antevertam acuti Recentioris solutiones:) sed nequit ita mereri quis remissionem injuriæ nisi per pretium æquale juribus his, & odio: ergo nequit quis mereri de condigno remissionem peccati, nisi per hujusmodi pretium. Hæc mihi sunt evidentissima: eruntque opinor, attentè consideranti. *Ripalda, & assecl.* *Recentior. Hispalens.*

309 Nunc sic: atqui jura acquisita per peccatum, & odium, tanti, plurisque valent quàm peccatum: ergo nequit mereri nisi per pretium æquale peccato, vel superius. Consequentia sequitur. Subsumpta patet: imprimis quoad odium: odium enim peccati sequitur peccati æstimationẽ: & jus ad odium, quantitatem odii: jus enim ad centum, valet centum. Deinde quoad omnia alia jura: quia ea jura sunt jura ad satisfactionem per vos supra finitam, sunt jura privandi omni bono, etiamsi deberetur, & hæc tanti valent, quanta sunt ipsa ad quæ sunt jus. Claudo discursum nunc: atqui nequit offenso offerri pretium æquale offensæ, æquale odio, æquale juribus præcitatis, sine condignâ satisfactione: ergo.

310 Illatio tertia sit contra Vazquez, & aliquos ejus Discipulos: & etiam contra M. Thyrsum: nempe: etsi Actus contritionis sit forma sanctificans, adhuc non posse purum hominem satisfacere pro offensa, suppositâ *P. Vazq. & assecl. R. P. N. Thyrsus ex nu. 7 & ex num. 236.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam remissione gratuitâ in auxilii indebiti collatione. Ratio est triplex. Prima: quia satisfactio est redditio æquivalentis, id est obsequii æquè æstimabilis, ac offensa; sed licèt actus contritionis sit forma sanctificans non est offensæ æquivalens: extinguit enim offensam per modum physicæ incompensabilitatis, & non per modum æqualis obsequii.

311 Secunda: quia contritio neque potest esse satisfactio per modum meriti circa remissionem; neque per modum restitutionis extinguentis debitum: aliud autem genus satisfactionis nullum est. Probatur assumptum quoad primam partem: quia ipsa contritio cùm sit ipsissima remissio, & non mereatur se ipsam neque de congruo, neque de condigno, non potest mereri remissionem. Probatur autem quoad secundam partem: quia satisfactio per modum restitutionis non expectat voluntatem creditoris, neque respicit personas, sed res: quare non potest habere locum in injuriis Personalibus, ubi fieri debet ab offenso depositio odii: sed in realibus, ubi per reparationem damni fit abolitio injuriæ. Tùm etiam quia satisfactio per modum restitutionis potiùs est lucrum creditoris, quàm debitoris, potiùs est actio quâ donat injurians, quàm actio quâ accipit. Secùs habet se res in contritione: quæ utpote amicitia, erat peccatori indebita, & ipsi datur ab offenso.

312 Tertia ratio: quia exhibitio contritionis est acceptio gratuitæ remissionis: datur enim à Deo peccatori, cùm alioqui foret omninò indebita: datur ergo gratis & ex affectu remittente gratis injuriam: ex quo vides satisfactiones per modum solutionis seipsâ formaliter debitum extinguentis, non habere locum respectivè ad Deum: id quod advertunt pauci; fieret enim inde neque pro veniali posse satisfieri Deo, proptio genere satisfactionis.

Cajetan. Vega. Scbotistæ ex nu.4.

313 Illatio quarta sit contra Cajetanum, Vegam, & Schotistas: nempe, neque posse purum hominem pro peccato satisfacere de condigno etiamsi constituatur caput morale Reliquorum. Ratio Vazquistarum est illa celebris; quòd nequeat homo alteri mereri gratiam habitualem. Nolo eà nunc uti. Ratio est: quia ea extrinseca constitutio non immutat obsequia: at omnia, & singula obsequia puræ creaturæ sunt quid in æstimatione minus quàm unum peccatum mortale: ergo. Dices: potuit Adam constitutus in ca-

Vide in hanc rem multa in 1. 2.

put omnium, condignè inficere omnes peccato, peccando: ergo merendo potuit condignè reficere. Nego consequentiam: quia satisfactio exigit tantundem boni, quantum in offensa fuit mali.

Suarez. Amicus, & alii.

314 Illatio quinta contra Suarez Amicum, & alios: neque posse satisfacere purum hominem pro peccato, consideratum ut membrum Christi in hoc Corpore mystico, cujus Christus est caput; & nos, membra. Ratio sit: quia dupliciter intelligi possunt opera nostra, ut membra sumus Christi. Primò, ut opera profecta ex influxu capitis per gratiam nobis à Christo, suâ passione, promeritam. Secundò, ut opera conjuncta moraliter cum satisfactione Christi, ex ipsius voluntate offerentis Patri nostras actiones in reconciliationem. Primo modo patet, actiones non immutari, nec meliores evadere, quàm essent, si eadem Gratia nobis præcisim ab interventione Christi donaretur à Deo; atque adeò semper manere infra ordinem & malitiam offensæ. Secundo modo, totus valor satisfactorius venit à Christo Domino; nosque non possumus dici Authores satisfactionis, cùm ea oblatio sit extrinseca, eatenusque Pater remittat, quatenus videt in actu Christi, & non in nostro valorem æqualem.

Tridentin.

315 Dices: Concilii Tridentinum *docet Sess.14. cap.8.* accipere nostra opera vim satisfaciendi ex meritis Christi. Respondeo, Tridentini Doctrinam, & mentem non esse, ita Christum annexuisse nostris actionibus sua merita, ut contulerit ipsis vim perfectè satisfactivam: sed meruisse primò, ut nostram contritionem v.g. Deus benignè acceptaret, eàque oblatâ propter Christi merita, nobis delicta remitteret. Secundò, ut nostra pœnitentiæ opera, suppositâ justificatione, acceptarentur pro satisfactione pœnarum, quas solvere adhuc in purgatorio debebamus. Ratio horum est. Primò: quia si alioqui nostris operibus annexus esset valor plenè satisfactivus, diceremur ipsi satisfacere, undecumque esset, venissetve valor: id quod repugnat PP. & CC. Secundò: ipsa Synodus Tridentina *Sess.6. cap.13. & Sess.14. cap.8.* docet apertè, nos unicè satisfacere pro pœnis ex peccato aliunde remisso restantibus. Tertiò: quia vel opera præcedentia peccati remissionem, vel sequentia, hunc valorem haberent annexum? Non sequentia. Id enim esset frustra: & contra Tridentinum. Neque præcendentia: docente ipso Tridentino valorem hunc annexum, operibus eorum, qui sunt Christi mem-

PP. & CC. Trident.

membra, vivâ per gratiam. Tùm etiam quia major esset valor contritionis & operum, præstitorum ab homine inimico Dei, quàm eorundem ab homine Dei amico præstitorum: quod est absurdum.

Koninch. & Rr.

316 Illatio sexta contra Koninch. & aliquos Modernos: nempe, neque puram creaturam etiam gratiâ infinitæ intensionis ornatam, & cum omni plenitudine gratiæ posse de condigno satisfacere, aut mereri de condigno gratiam alteri peccatori. Ratio utcumque sumi posset ex Vazquez negante meritum crescere ex majori gratia: ex Suarez, docente crescere, sed non æqualitate mathematica, sed proportionali. Sed hæc principia dubia sunt. Meliùs sumi posset ex Vvadingo: quò major est obligatio reddendi honorem alteri; eo est minor valor operis honorantis, in ordine ad satisfactionem offensæ: at obligatio reddendi honorem Deo in pura creatura est infinita; aut saltem est major quò major est dignitas ipsius ex Dei donis, & beneficiis: hæc enim quò magis augentur, magis obligant: ergo pura creatura etiamsi infinitâ Gratiâ sit ornata, non potest offerre valorem satisfactivum offensæ.

Vazquez. Suarez. Vvading.

317 Sed hæc ratio videtur primò: retorquêda in Christo Domino: *tamen* dici posset Dignitatem Christi Domini esse suppositò satisfacienti naturalem, nec acceptam ex beneficio. Vide quæ diximus *lib.1. disp.3 sect.2.* Secundò infirmanda, quia obligatio operis non minuit bonitatem obsequii: possetque Deus cedere, & velle acceptare in satisfactionem. *Tamen* dici posset in obsequio respectivè ad satisfactionem offensæ non tam attendi bonitatem illius, quàm honorem erga Personam offensam.

Suprà lib.1 disp.3 sect. 2.

318 Ratio illationis est primò: quia suppositâ infinitatis hujusmodi possibilitate, (*quæ* non sine gravi fundamento negatur à multis) tota ea infinitas gratiæ non eximit creaturam à linea puræ creaturæ, & Filiationis Adoptivæ: vi quarum negant PP. CC. præsertim Adrianus, & Francofordiense creaturis vim satisfaciendi pro peccato. Secundò ex ratione *suprà* discussâ: quia major est offensa mortalis in ratione contemptûs, & malitiæ, quàm sint omnia, & singula obsequia puræ creaturæ etiam infinitâ gratiâ ornatæ: quod hîc iterum ostendo propter tria.

Infrà lib.5. disp. 1. à nu.115.

Adrian. Francofor. Vide suprà à nu.277.

319 *Primum* est: quia per peccatum postponitur infinita majestas rebus infinitè vilioribus seipsâ: qui est contemptûs maximus: per illa obsequia præfertur eisdem; quod est parvum obsequium: plus enim est postponi, quàm præferri rebus infinitè inferioribus illum, qui ex infinitis titulis petit præferri omnimodè & semper, postponi nunquam. *Secundum*: quia ea etiam obsequia non sunt tam efficax actio in ratione accessûs ad Deum, quam sit actio peccaminosa in ratione recessûs à Deo. *Tertium*: quia major est indignitas, quæ peccato contrahitur, quàm quæ per illum gratiæ cumulum habetur: nam ob istam dignitatem non manet Deus quasi coactus ex amore dare quicquid aliàs benefice potest: at ob illam indignitatem condignè & ex odio potest negare ea omnia, etiam si alioqui deberentur.

320 Dices: illa creatura meretur præmium infinitum: mereatur ergo unum gradum gratiæ, & præmietur per remissionem peccati: quæ non videtur infinitum bonum. Respondeo indignitatem priùs vincendam, esse majorem, quàm sit tota illa dignitas Gratiæ; atque adeò neque unum gradum gratiæ posse per illa obsequia acquiri peccatori.

P. Josephus Andres & Alii ex num.6.

321 Illatio septima contra Modernos aliquos: nempe: neque posse pro peccato satisfieri à pura creatura, etiam si gaudeat dignitate moraliter infinita: qualem non pauci existimant in Beatissima Virgine Maternitatem Dei. Ratio faci è datur ab his, qui requirunt æqualitatem inter Personam offensam & satisfacientem: ab aliis verò, qui ex alio capite judicant impossibilem puræ creaturæ satisfactionem pro peccato; & aliunde docent Maternitatem esse formam sanctificantem, & dignitatem moraliter infinitam, assignari difficulter potest, nisi negando posse puram creaturam mereri alteri etiam non peccatori gratiam. Sed neque sic effugient, nisi negando demum, peccatum sola Gratiæ habitualis infusione remitti posse. Et neque nos possumus hîc solidè loqui, si stemus plurium piis affectibus: qui eos, qui negant Beatæ Virgini, præconceptos à se honores, æstimant ut non pios.

P. Municss.

P. Vson.

322 Ratio tamen illationis primò: quia eousque prohibet etiam authoritas CC. & PP. contra quorum sensum, & cùm præjudicio Filii non est exaggeranda Matris Dignitas. Secundò: quia tota ea dignitas Matris non videtur excedere dignitatem creaturæ infinitâ Gratiâ ornatæ. Tertiò: quia ea dignitas, cùm sit dignitas ex beneficio, magis obligat, quò major est dignitas; atque adeò si honor ad satisfactionem offensæ requisitus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non tam metiendus est ex bonitate obsequii, quàm ex ratione non debiti, certè Virgo Deipara satisfacere nequibit.

323 Quartò: indignitas peccati, quæ vincer debet, est tanta, ut ex odio Deus ob illam privare possit omnibus bonis, etiam si alioqui debereatur: at dignitas Maternitatis non est tanta, ut ex amore Deus debeat ipsi omnia bona, quasi non essent beneficia: neque enim illa dignitas extinguit, aut supplet indignitatem naturalem ad bona Dei: ut dictum est *lib.* 1. de Dignitate Filiationis naturalis: paret autem creaturam cùm peccato mortali ita esse indignam Dei beneficiis, & amore & dignam contemptu, & odio: ut nulla sit in ipsa, nec cùm peccato conjungi possit ex ipsius peccati meritis dignitas ad oppositum: Dei Matrem ratione Maternitatis non esse ita dignam beneficiis, & amore Dei, ut ex merito Maternitatis nulla sit indignitas etiam negativa ad contemptum. Est ergo magna disparitas.

Suprà lib. 1 disp. 3.

Mens Authoris de Dignitate Deiparæ.

324 Quintò, & præcipuè: nam mihi *duo* sunt plusquam probabilia: *Primum*: Dignitatem Matris Dei esse inter Dignitates puræ creaturæ supremam: *Alterum*: eam non esse formam sanctificantem, ex quibus manifestè colligitur illationis ratio: nam condignitas respectivè ad Deum, non undecumque venire debet, sed ex Sanctitate.

325 Illa duo quæ videntur paradoxa, sunt certissima mihi. Nam duplex est distinguenda Dignitas, cùm subtilissimo Magistro P. Antonio Perez: alia civilis, seu quasi Civilis, & politica: alia perfectiva: seu, alia honorabilitatis: & hæc esse potest extrinseca: alia bonitatis & hæc esse debet intrinseca. Dignitas honorabilitatis, seu reddens Personam honorabilem, consistit in vi benefactiva, seu gratificativa, seu benemeritoria: nam ex his debetur honor alicui. Dignitas bonitatis, consistit in intrinseca perfectione subjecti. Has inter se distingui tam patet, quàm patet distingui, esse Principe, & esse bonum Principem: esse Matrem, & esse bonam Matrem: quicquid sit de morali connexione, seu decentia connexionis inter hujusmodi extrema.

P. Anton. Perez.

Maternitas Dei, quo genere summa Dignitas?

326 Dico igitur Dignitatem Maternitatis Dei, secundùm se & præcisè inspectam, seu exinde dignitatem honorabilitatis in Beata Virgine esse summam inter dignitates putè finitas; non verò esse summam, neque quicquam habere Dignitatis bonitatis, ipsâ Maternitatem, secundùm se, & præcisè inspectam. Ratio posterioris est primò: quia hæc dignitas bonitatis est intrinseca, qualis non est Maternitas. Secundò: quia hæc dignitas dicit similitudinem cùm Natura Divina, qualem neque Maternitas dicit. Ratio prioris: quia actio Beatæ Virginis in re, in modo, & in omnibus fuit summè benefica: in re: quia per illam Verbũ caro factum est, in modo: quia præter Deum nulla fuit causa tanti boni, nec ullam aliam potest agnoscere Filius Deus homo, secùs ac in aliis generationibus evenit. Vnde est summè digna, ut à Deo Filio titulo Filiationis, quà devinctus est Matri, det ex bonis honorificis plusquam omni collectioni aliarum creaturarum, & quanta possit, & decet tantum Filium. Hæc latius expendere nequeo.

327 Illatio octava, & ultima: solùm posse Deo exhiberi pro peccato mortali satisfactionem plenam, & condignam à Christo Domino, aut supposito patis Dignitatis: quare, si exhibenda sit Deo talis satisfactio, necessariam esse Vnionis hypostaticæ interventionem, & reipsâ fuisse necessariam. Quæ illatio fuit scopus totius disputationis, & tandem attingimus, supponendo ex dicendis *disp.* 4. ut rem omninò indubiam, satisfieri posse ab Homine-Deo pro peccato mortali, simpliciter, & omninò condignè: imo superabundanter offenso Deo.

Intenta Veritas.

328 Ratio suppositionis est: Tùm quia major est Dignitas Christi & obsequiorum Deus erga Deum: quàm sit indignitas Peccantis & peccati: cùm hæc indignitas sit finita simpliciter: illa Dignitas sit simpliciter infinita. Tùm etiam quia obsequia Christi Domini sunt à principio, cujus est tanta apud Deum æstimatio: ut contemni non possit, ut dictum prima disp. à supposito tantæ Dignitatis, quanta est Dei majestas: ab operante digno ex se omni bono possibili: sunt demum actiones æquè æstimabiles, ac est Dignitas Personæ à qua fiunt. Quid simile in oppositum in peccato, seu peccantis vilitate dici potest? sunt ergo actiones Christi Domini dignitatis, bonitatis, æstimationis, & valoris non sufficientis solùm, sed superabundantis ad exhibendam pro læthali plenam & congruam satisfactionem. Sed rem in hanc multa *lib.* 4.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

LIBER TERTIVS
DE CAVSIS INCARNATIONIS.

STATVTÆ jam Incarnationis necessitati, jure succedit Causarum exhibitio, & meditatio. Tres sunt possimùm. *Finalis*: *Moralis*: *Physica*. De hac potest decerni facilè juxta principia libri primi. Totus labor in Finali & Morali: illa sonat *Motiva*, propter quæ decrevit Incarnationem Deus Hæc, *Merita*, quibus ad eam, ejusque circunstantias allectus est, aut allici potuit. Sunt in utriusque causæ consideratione gravissimæ difficultates: & Maxima, qua habent annexam de Ordine Divinorum Decretorum: in quo formando ea est Theologorum varietas, ut Decreta potiùs videantur arbitrii Nostri, quàm Dei; minùsque se theologum putet, qui in re tam obscura, minùs audeat. Quare ab hoc disputationem incipio, discussurus quo jure Divina Decreta, modumque decernendi Divinum ita partiri liceat.

DISPVTATIO I.

MODVS ET ORDO DECERNENDI DIVInus, præsertim in negotio Incarnationis.

1 AB hoc enim venit difficultas, & ab ipso sumitur opinandi facilitas, & varietas, quam repræsentabo primùm, ut exinde disponi incipiat animus ad assensum, Veræ Sententiæ, quam, nonnullis præmissis, annectam: & fusè defendam in sequentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO I.

IVDICIA THEOLOGORVM: ASSVMPTA Principia: Vera Sententia.

2 ITa variant in Decretorum combinatione Theologi, ut difficile sit eorum judicia redigere in ordinem. Tota varietas nascitur ex duplici principio valde diverso circa motivum, & finem Incarnationis. De quo duplex est sententia celebris: altera *Sancti Thomæ*: altera *Schoti*: illa tenet, adæquatum motivum Decreti Incarnativi fuisse remedium peccati; atque adeò, si peccatum non fuisset, fore, ut Christus non venisset. *S. Thomas. Schotus.*

Scholastra hunt in diversa. Hæc è contra, censet motivum Decreti Incarnativi primarium, & adæquatum non fuisse peccati remedium, sed excellentiam Mysterii, atque adeò etiam si nullum peccatum fuisset, fore ut Christus venisset, non quidem passibilis, impassibilis tamen.

3 Theologi jam huic, jam illi Sententiæ inclinant: utque componat cum hac, aut illa, alia Theologica dogmata, vel de *primatu Christi* penès ordinem decretorum; vel *de Redemptionis decreto* post præcisionem peccati; vel *de meritis Patrum* circa circunstantias Incarnationis præsuppositа Gratia ex Christi meritis; vel *de merito Beatæ Virginis* circa Maternitatem ex ipsius Filii gratia, & influxu præhabito, & id genus alia; quam maximè indulgent partitioni decretorum, quæ entes exinde solutionem difficultatum, quibus premuntur maximè. Ob id dividunt, & subdividunt longam signorum seriem: quorum cunctabundus fit Deus Artifex: & expectator unius; ad resolutionem alterius, ea arte, quæ cuique Theologo videtur aptior ad suæ ideæ machinam extruendam. Reducamus ad classes duas: alteram Thomæ, Schoti alteram.

Classis S. Thomæ, & 1. opinãdi modus in ipsa

4 In classe Sancti Thomæ eo tendente, ut decernatur Incarnatio dependenter à peccato, tanquam à conditione, sine qua non existeret. *Primus* opinandi modus sic decreta partitur, & ponit in primo signo cognitionem posibiliũ: in secundo decreta conditionata ex parte objecti, & absoluta ex parte actûs. In tertio decreta circa creationem Angelorum, Adami, & Vniversi, & Posterorum cum pacto nullam puram creaturam excipiente à transfusione conditionali culpæ primigeniæ. In quarto videt peccatum, idque transfusum in omnes Adæ posteros. In quinto decernit Christum passibilem, & Redemptorem, &c. Sic Thomistæ, præsertim post Bañez. *Thomistic.*

Alter partitur sic: & ponit in primo signo decretum ordinis naturalis. In secundo Decretum ordinis gratiæ. In tertio Decretum ordinis Hypostatici. Nec ultra subdividit. Ita Cajetanus. *Alter* *Cajetani.*

5 Tertius sic partitur, & ponit in primo signo Decretum condendi hominem, sanctum, & justum, & potentem, si vellet, suis meritis gloriam consequi. In secundo permissionem peccati, non eo fine, ut esset materia redemptionis, sed alio. In tertio permanentiam voluntatis Divinæ circa salutem hominum, non obstante peccato. In quarto Decretum Incarnationis, & ob interventionem illius prædestinandi hos, & illos. Ita Vaz quez. *Tertius* *P. Vazq.*

Quartus partitur sic, & ponit in primo signo Decretum Incarnationis ut finis, dependenter tamen à peccato præsuppositо in genere causæ materialis. Vnde in eodem signo ponit Deum voluisse Christum ut Finem rerum omnium, & simul in remedium peccati, antecedenter in genere causæ materialis absolutè prævisi. De aliis signis non curat. Ita Thomistæ recentes secuti Cabrerã, & novissimè Godoy. Sed illi: quia res videtur per se inintelligibilis, plures ordines subdividunt intentionis, & executionis. Vide Nazarium, & Lorcam. *Quartus* *Cabrer.* *Godoy.* *Nazarii.* *Lorcæ.*

6 Quintus modus partitur sic: ponit in primo signo necessaria Dei. In secundo, contingentia, & futuritionem virtualem liberorum. In tertio, scientiam, quâ Deus conditionatè cognoscit decreta sua ut futura, & etiam absolutè, quæ habitutus est: atque adeò peccatum, ex futuritione Decreti permissivi conjuncti cum peccato, intuitoque visione. In quarto, Decretum Christi ut Redemptoris, & omnium propter ipsum. Ita Recentes quidam Patroni Virtualitatum. *Quintus* *RR.*

Sextus modus partitur sic, & ponit in primo signo Decretum mundi, & Creationes Angelorum, & hominum. In secundo, Decretum elevationis, & Prædestinationis, & Pacti cum Adamo constituto in caput posterorum, excepta fœmina, quam in Matrẽ Dei eligeretur, si fortè eligenda foret, nam in eo signo nihil de ipsâ decrevit. In tertio decrevit permissionem peccati, idque vidit futurum. In quarto, commiseratione motus decrevit Incarnationem in remedium peccati, non utcumque, sed decernens Christum vel ab hac, vel ab illa fœmina oriundum, vel pendentem in Cruce, vel orantem in horto *Sextus*

fine ullâ dependentiâ à Matre, vel pendentem ab aliqua actione distinctâ à Materno influxu. In quinto ex Christi meritis prævisis vel in horto, vel in Cruce, vel aliter, decrevit eligere Matrem Mariam, &c. In hunc modũ ferè cõsentiunt, Lugo, Bernal, Salazar, & alii moderni, parvo interse discrimine. *Card. de Lugo. Bernal. Salazar. & aliorũ.*

7 Septimus modus novissimè partitur sic: & ponit in signo primo hanc scientiam conditionalem: si ego complacuero in creatione Vniversi, & hominum, erit peccatum: nam sic creabo Angelos, & Vniversum, & homines. Hi tentabuntur ab illis: & si tententur, peccabunt: atque adeò de primo ad ultimum ex conditione illius complacentiæ, videt peccati sequelam. In secundo complacet sibi liberè Deus antecedenter ad omne Decretum in creatione Vniversi: & videt absolutè peccatum, sine ulla suppositione Decreti permissivi. In tertio decernit Christum in caput, & Redemptorem omnium, illique decernit familiam Angelorum, & hominum, & ex illius meritis Gratiam, Matrem eximit à pacto, & à peccato, &c. Ita Pater Aldrete, Et hæc de modis pertinentibus ad primam classem. *Septimus* *Vide Infrà disp. 2. à num. 86.* *P. Aldret.*

Classis Schoti, & 1. in ipsâ modus Subtilis D.

8 In classe Schoti, eò tendente, ut ita decernatur Incarnatio, ut etiam nullo interveniente peccato existeret. Primus modus partitur sic: & ponit in primo signo Deum se summè diligentem. In secundo ponit Decretum hujus Mysterii ob ejus excellẽtiam, & in specimen suæ potentiæ, & gloriæ. In tertio propter Filium Incarnatum ponit Decretum Vniversi secudùm ordinem Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ: prædistinando hos, & illos; & habendo se negativè circa alios. In quarto videt lapsum Adami. In quinto ordinat Christum in carne passibili, ad peccati remedium, & eligit ipsi Matrem, &c. Ita Schotus.

Secundus,

9 Secundus partitur sic: & ponit in primo signo Decretum Chtisti ut connexi cum creaturis, ut finis cum mediis, & capitis cum membris, in quo signo præcedit, & primatum habet Christus in ordine decretorum, saltem negativè. In secundo permissionem peccati conditionatè prævisi ut occasionis exequendi Incarnationem, decretam exequi in primo signo modo decentissimo, & nobilissimo. In tertio videt Deus peccatum absolutè futurum. Et in quarto decernit exequi Incarnationem in carne passibili in remedium peccati: quia hic modus est perfectissimus. Ita Suarez. *Doctoris Eximii P. Suarez.*

10 Tertius modus ita partitur: & ponit in primo signo duo decreta, quorum alterum sit Incarnationis propter excellentiam Mysterii, alterum propter remedium lapsûs conditionatè prævisi; & quorum decretorum utrumlibet sufficit se solo ad positionem Incarnationis. Decreta enim sunt inter se independentia, & inconnexa: de aliis signis discurrit cum communi: ita Recentes aliqui. Pater Hurtadus, & Pater Antonius Perez aliter disponunt asserendo Decretum Dei primum fuisse de Christo tùm ob ejus excellentiam, tùm in remedium peccati: sed diversimodè: propter illam, absolutè intentam: propter hoc verò, conditionatè, si nempe peccaret Adamus: quod viderat Deus imminere. *Tertius,* *RR. cum Hurtad. Ant. Per.*

11 Quartus modus ita partitur, & ponit in primo, decretum Christi positivè prius ad reliqua subsequentia de creaturis tam in ordine Naturæ, quàm in ordine Gratiæ: ponit enim Christum ut causam, exemplar, & fontem omnium creaturarum, & donorum. In secundo, ponit prævisionem Christi agentis Deo pro primatu Gratias, & offerentis sua merita pro Creatione Vniversi, pro creatione Angelorum, & Hominum, pro elevatione utrorumque: pro electione Matiæ in Matrem sui, pro ejusdem exclusione à pacto, si Adamus constituendus esset in caput Posterorũ: item offerentis sic sua merita pro collatione Gratiarum dispensanda hominibus, ut vellet dari singulis auxilia sufficientia: efficacia verò pro sui Patris æterni electione. Demum offerentis se ad carnem passibilem, & ad mortem, si fortè esset opus pati, & mori pro peccatis hominum. *Quartus,* *cõmuniter inter RR.* *magis ingeniosos.*

In tertio, ponit ex meritis Christi solius Mariæ decretum, & electionem in Matrem: ut ex hac præcedentiâ posit eximi à debito lapsûs, & parari via, ut dicatur ex ejus etiam meritis decretum Vniversum, factos Angelos, & homines, & his dispensata auxilia Gratiæ. Addunt authores hujus ordinis Virginem in hoc tertio signo decretam determinatè quoad Animam: quoad Corpus indeterminatè, ne teneretur jam tunc decernere Ioachimum, & Annam. In quarto, ponit visionem meritorum Beatæ Virginis offerentis se, & Filium, etiam in peccati remedium, si opus esset. In quinto, ponit ex meritis Christi, & Mariæ decretum Vniversi, Angelorum, & primorum Parentum, eorumque posterorum. Notant verò Posteros decretos determinatè quoad animas;

Universidad de Deusto
Biblioteca

nas; secùs quoad corpora: quia non peccante Adamo, non fierent homines ex eadem, quâ nunc, materiâ, ob diversitatem ciborum in statu innocentiæ respectivè ad statum lapsûs. In sexto ponit lapsum Adami prævisum, & transfusionem in posteros. In septimo, decretum de intimandâ morte Christo Domino in peccati remedium. In octavo, prævisionem acceptationis Christi, &c. Decreta prædestinationis reducit ad quintum signum. Ita Moderni communiter.

12 Ad hæc intra ipsa eadem signa multiplicant utriusque classis Authores Decreta pro difficultatum opportunitate, & ut ajunt, luce: Nam imprimis censetur communiter, necessarios esse circa idem objectum, actus *inefficaces*, & *efficaces* in Deo: ut circa Gloriam, omnibus seriò volitam ex generali voluntate, non verò volitam efficaciter omnibus. Deinde necessarios esse ordines *Intentivum, & executivum* inter actus Divinos: tùm quia aliter impossibile judicant explicari libertatem nostram suppositis prædefinitionibus divinis: tùm etiam quia aliter vident fieri nó posse vel quòd ex Christi meritis dentur Progenitoribus Gratiæ; vel quòd nobis detur Gloria, ut corona, semel admissâ Prædestinatione ante prævisa merita, cum communi sententia. Insuper necessariâ esse *successionem aliquam* inter actus Divinos: alioquin enim putant inexplicabile vel negotium reprobationis post prævisa demerita, aut intentionem pœnitentiæ, Redemptionisve sine affectu peccati. Demum necessarios pro materiarum diversitate esse actus *disjunctivos*, & *vagos*, & id genus alia. Per quæ vides vix à Theologis sermonem institui de Divinâ Providentiâ, vel generali, vel speciali, sine facta suppositione multiplicis Decreti Divini.

Triplex Sententia prima à RR

13 Triplex ergo sententia formari, rem in hanc, potest. Prima: non solùm pro præsenti negotio Incarnationis, sed etiam pro Divina quoad res alias Providentiâ tam speciali, quàm generali, necessariam esse distinctionem, & multiplicitatem Decretorum, repugnareque omnia simul à Deo decerni per unicum, & indivisibilem actum. Ita communis sententia Recentiorum.

Secunda,

14 Secunda: tam pro Mysterio præsenti, quàm pro generaliori Providentia possibilem esse, non verò necessariam distinctionem, & multiplicitatem Decretorum Divinorum: omniaque posse peragi per unicum.

Granad. Ita, ni fallor, Granadus *de Conceptione disp. 3. cap. 25 num 9.* Molina *tùm in Concord. tùm in 1. part. ad quæst. 23. art. 5. disp. 1. memb. 7.* Pater Antonius Perez *disp. 6. de Voluntate cap. 6.* & alii insinuant. *Molin.* *Ant. Per.*

Tertia,

15 Tertia: non solùm non esse necessariâ in Deo pro ullo genere Providentiæ, sed neque possibilem illam partitionem, cunctationem, aut multiplicitatem Decretorum; adeoque licèt Deo sit liberum decernere, vel non decernere, non esse ipsi liberum, sed omninò necessarium, omnia quæ vult, velle, & omnia, quæ non vult, nolle per unicum, & eúdem intrinsecè & virtualiter insectilem, & indivisibilem actum voluntatis. Ita tenet de possibili saltem Pater Borrull *disp. 16. de Voluntate sect. 3.* Apertiùs Valentia, & Molina: hic *loc. citat.* ille *tùm 1. p. disp. 1. quæst. 19. p. 5. tùm hic disp. 1. quæst. 1. punct. 7. ad 4. argumentum Schoti.* Expressiùs & illustriùs Esparza, & Avendañ o: hic *de Prædestinatione disp. 16. cap. 3. §. 16.* ille *quæst. 27. de Deo & 15. de Incarnatione*, citatque pro se priori loco *art. 5. Divum Thomam, Capreolum, Okamum, & Gabrielem.* Addo ipse gravissimæ notæ Magistros tam hujus, quàm Castellanæ Provinciæ: & ante omnes Sanctum Franciscum Salesium *in aureo libro de praxi Divini Amoris.* Quibus super addo Doctissimum Patrem Thomam Munièssa *in utroque Tomo* hucusque edito *de Essentia, & Attributis, & de Incarnatione*, passim hoc principio fundantem Theologiam suam: quem cum laude sequuntur in hac Cæsaraugustana Academia, Theologiæ Primarius, *supra lib. 1. disp. 2. nu. 4.* jure Laudatus; & Augustiniani Ordinis splendor, magnique ingenii Magister Reverendus admodum Pater Fr. Didacus Gratia, mensuram sui Nominis, satis implens. *Tertia,* *Molin.* *P. Borrull.* *Valentia.* *Molin.* *Esparzæ.* *Avendañ o* *Cũ S. Tho.* *& multis.* *S. Francisc. Sales.* *P. Muniess.* *Et Doctiss.* *Magistri* *Navarreæ* *M. Gratia.*

Nec ista est illa opinio, quam tenuit *Anonymus* impugnator Scientiæ Mediæ, quem refellunt *in tractatibus de Voluntate* Meratius, & Martinon: ille enim, licèt id etiam asseruerit, plus asseruit tamen, contendendo nullum inter Divinos actus ordinem admitti posse non solùm in ipsa Voluntate, sed neque in intellectu quidè ad actus istius: quod est omninò falsum. *Anonym.* *Meratius.* *Martinon.*

16 Tria pro ferendo judicio notanda sunt: supponendum unum; & instituenda quæstio. Supponitur *ex tract. de Voluntate* Actus liberos Dei esse Deo ipsi adæquatè intrinsecos, realiterque Deo ipsi identificatos, licèt alioqui deffectibiles, quantùm necesse sit ad tuendâ sine improprietate, & imperfectione libertatem Divinam in volendo. Hæc est illius

illius tractatûs, & totius Theologiæ summa difficultas, lenienda ibi, ex ratione nunc vincenda per fidem. Iam

17 Noto primò: quicquid sit: an actus Divinæ Voluntatis oppositi quoad denominationes, quales sunt volitio, & nolitio ejusdem objecti, realiter distinguantur inter se (licèt alioquin identificentur cum ipsâ voluntate) eo modo quo dicuntur opponi: nempe vel quoad purè denominare, vel etiam quoad esse virtuale, quod important, juxta varias opinandi vias, certum esse, Actus Divinos non posse alioquin subitè realem distinctionem, multiplicitatem, aut ordinem inter se: atque Decreta, per quæ Deus suam libertatem exercet, esse unicum, & indivisibilem actum realiter, & simpliciter. Ratio: quia Divina simplicitas inter absolutâ existentia, quæ noscitur ex fide, obstat reali multiplicitati. Tùm etiam: quia non est unde tanta distinctio colligi possit. Tùm insuper: quia id est appingere Deo imperfectionem nostram in sciendo, & in volendo. Tùm demum: quia semel admisso tali ordine, & inductione reali inter actus, & actus, non est unde negari possit ratio realis principii, & causalitatis inter eosdem: quæ sunt imperfectiones manifestæ. Vnde talis distinctio à nullo hucusque Theologo, quem viderim, aut sciam, admissa est.

18 Noto secundò: certum etiam esse nihilominus, admittendam in illo actu realiter simplicissimo, quo suam Deus libertatem exercet, multiplicitatem rationis extrinsecam, quoties, exercitium Divinæ libertatis est objectivè multiplex, seu de multis objectis: possunt enim per rationem distingui plures respectus; seu quod idem est, potest illud simplicissimum Decretum diversimodè concipi jam sub hac, jam sub illa expressione: jam in ordine ad hoc, jam in ordine ad illud objectum: jam sub hoc, jam sub illo munere; distinctione purè se habente ex parte conceptuum diversorum, quos occasione, vel ex objectorum diversitate, vel ex analogia ad nostros actus, desumptâ formamus: ad eum modũ quo plures in Omnipotẽtia respectus esse dicimus, & plures in homine. Nec in hoc sensu negari potest ordo merè extrinsecus inter formalitates Decreti Divini, adinstar illius qui concipitur inter Rationale, & risibile.

19 Noto tertiò: æquè certum esse, totâ hanc multiplicitatem extrinsecam, ordinemque congenerem inter actus Divinos libe-

ros, planè esse inutilem ad fundandas, & verificãdas de eisdem actibus, aut objectis inter se, propositiones alioqui verè causales, aut contradictorias, aut importantes veram successionem; esseq; proinde lenimenti nullius ad vincendas difficultates, quæ hîc, aut alibi emergunt ex merito, aut demerito, eorumque causalitate: aut ex libertate, aut simili ex capite. Ratio est: quia hæ difficultates oriuntur ex rebus, ut in se: quarum naturam nõ immutat extrinseca hæc multiplicitas, aut extrinsecus ordo, sicut nec imperfectio concipiendi nostra: quæ tamen juvatur per hujusmodi distinctiones, & apprehensum ordinem ad sermonem de Divinis explicatiorem, dum ea per speculum, & in ænigmate solùm noscimus. Exinde jam

20 Quæstio solùm esse debet: an in exercitio Divinæ Voluntatis, & libertatis sive circa Mysterium Incarnationis, sive circa res alias, cujuscumque sint objectivi moliminis, alioquin indivisibili realiter, debeat aut possit admitti Distinctio, & ordo Actuum, seu Decretorum, minor reali absolutâ; Formali & extrinsecâ, major: nempe sufficiens fundare propositiones reipsâ causales, & alioqui contradictorias, qualisque inter Essentiam, & Relationes; inter prædicata Dei necessaria & libera admittitur à Theologis? Et apud nos cum sola Virtualis distinctio; (Nam Schoticam actualem reali minorẽ, ut ajunt, in specie realis absolutæ linquimus ex Dialectica) inter prædicata realiter identificata possit excogitari: erit quærere: an possint aut debeant in Deo concedi Decreta Virtualiter distincta, seu in Divinæ libertatis exercitio Virtualitates, quas decreta voces?

21 Sit Conclusio: Tam circa negotium Incarnationis, quàm in quavis aliâ Providentiâ cujuscumque sit objectivi moliminis, non solùm est Deo possibilis, sed necessaria, virtualis indivisibilitas intrinseca in Decernendo: neque superflua solùm, sed etiam repugnans Decretorum, aut actuum virtualis intrinseca multiplicitas in exercicio Divinæ Volũtatis, & libertatis. Atq; adeo omnia, quę Deus vult, aut non vult, peragit per Decretum, aut exercitium suæ libertatis realiter, & virtualiter, id est intrinsecè omnimodè indivisibile.

22 Assertio foret omnium, si duo præstarentur. *Primùm*: ostendere, quàm inutilis sit ad fugiendas difficultates hæc multiplicitas decretorum: manente post illam toto pondere earum. *Secundùm*: quam solidè sine

Universidad de Deusto
Biblioteca

Latè tom. in 1. p.

tali multiplicitate deffendi possint Theologica Dogmata *de libertate*, *de Præmiis*, & *pœnis*. Sed hæc duo, leviter nunc attingenda, Materiarum, ad quas concernunt, decursu, præstabimus ex professo. Nunc siquidem, ea multiplicitas, quæ per plura membra decretorum, *Intentivi*, *Executivi*, *Disjunctivi*, & *vagi*, *Imperantis*, & *imperati* discurrit, sistere debet in duplici quasi classe Decretorum: alterâ *subordinatorum inter se* cum Virtuali quadam interse dependentia, connexione, vel successione: alterâ *disparatorum* inter se, & *independentium*; probatio conclusionis aptè sistet in quadruplici capite. Primò, procedet in genere, & à priori. Secundò, procedet contra Decreta *subordinata* inter se. Tertiò, contra Decreta mutuò inter se *independentia*. Quartò contra *speciales* distinctiones Authorum: unde facilè distinctionis inutilitas apparebit.

SECTIO II.

ASSERTA VERITAS STATVITVR IN genere, & à priori.

§. I.

PROBATIO DVPLEX, EX PERFECTIONE Dei, & ex Rei possibilitate.

23 PRima Probatio: Quo quis est mente capacior, & perfectior, eò potest universalius, & indivisibilius plura comprehendere, tam intellectu, quàm voluntate; cunctatique & ire per partes tam intellectu, quam voluntate, venit ab aliqua imperfectione physicâ, vel morali: Atqui Deus est Mentis, quâ nulla potest esse capacior, aut perfectior, quia summa: & imperfectionis tam physicæ, quam moralis est summè incapax: ergo tam intellectu, quam voluntate non solùm potest, sed etiam (si velit operari) necessitatur omnia per actum indivisibilissimè universalem comprehendere: ergo non solùm potest, sed etiam necessitatur, ex suppositione quòd tendere velit ad objecta, tendere simul in omnia per actum omninò intrinsecè indivisibilem: ergo per actum etiam indivisibilem virtualiter; omnigenæ penès intrinsecum successioni, ordini, & distinctioni repugnantem: alioquin stare non potest veritas primi Syllogismi: in quo tota vis. Et cujus consequentia aperta est: Nam imprimis summa perfectio est in Deo summa necessitas, ne in decernendo misceatur aliqua imperfectio: Deinde summa capacitas intelligendi est exclusio necessitatis cunctandi dum decernit. Minor autem est evidens.

24 Major, in qua videtur stare difficultas, ostenditur primò ab inductione: Nam Angeli, quia mente nobiliores, quàm nos, plura objecta, quã nos uno ductu penetrant: & quò sunt inter se perfectiores, universalioribus, & simplicioribus utuntur speciebus, ut docet Theologia communis. Deinde homines, quò tardioris mentis sunt, & animi inconstantioris, eo sunt morosiores in resolvendo. Secundò à priori: quia tarditas, & cunctatio in resolvendo, necessariò venit vel à deffectu notitiæ, vel ab animi inconstantia: quò autem quis est mente capacior, & perfectior, & est minùs inconstans animo, & magis sciens. Assumptum patet: nam si nullus est notitiæ deffectus, nullusque animi torpor quæ potest esse ratio cunctationis in decernendo? Pone Regem, qui imperii initio, plenè noscat omnia quæ deinceps evenire possunt, quæque reipsà sub hac aut illa hypothesi, (quæ sine suo libitu contingere nequit) evenient, aut nõ evenient; Rex iste de omni casu excogitabili plenè, planèq; edoctus decernere simul omnia potest: æjusque in decernendo cunctatio aut levitati animi, aut deffectui virium, aut notitiæ vitio tribueretur: quæ omnia summè distant à summo Rerum omnium Principe.

25 Secunda Probatio: Possibile est Deũ in quavis Providentia omnia unico simul, & indivisibili Decreto decernere, & statuere: ergo est simpliciter, & metaphysicè necessarium. Consequentia facilè dabitur primò: quia sola necessitas cogit Theologos ita Deum fingere, ut patet ex eorum argumentis. Secundò: quia inspectis terminis perfectius est hoc genus decernendi, quàm oppositum: est enim magis conforme Divinæ simplicitati, & minùs simile nostro modo concipiendi, & volendi. Tertiò: quia Virtualis ista multiplicitas poni non debet nisi ubi ex fide, vel ex evidentia cogimur.

26 Assumptum antecedentis, in quo tota difficultas, ostenditur. Deus independenter ab omni exercitio libertatis, & pro signo indifferentiæ est summè instructus notitiâ comprehensivâ rerum omnium tam quoad possibilitatem, quàm quoad futuritionem earundem, sub quacumque hypothesi possibili, sive necessariâ, sive contingenti: ergo pro illo signo est proximè potens decernere om-

nia, pro quacumque providentiâ, sive est proximè potens ad omnem usum libertatis sibi possibilem. Consequentia patet: quia non potest non esse proximè possibilis usus libertatis pro signo, pro quo est plena notitia conjuncta cum potentia expeditâ, & sufficienti ad operandum: nec esse non potest plena notitia cum sufficienti potentia, quando supponitur potentia summa, & summa comprehensio possibilitatis & futuritionis objectorum: impotentia enim ad usum libertatis venire debet, vel ex deffectu potentiæ, vel ex deffectu notitiæ. Iam antecedens est evidens juxta principia Societatis: independenter enim ab omni usu Divinæ libertatis est in Deo scientia simplicis intelligentiæ, & scientia Media.

27 Nunc sic: Potentia libera proximè potens tam ex parte potentiæ, quàm ex parte notitiæ ad omnem usum sui sibi possibilẽ, immediatè se exercet per usum libertatis sibi beneviſum: idque modo, quantum potest, sibi conformiori, & indivisibili: sed Deus est Potentia libera pro signo indifferentiæ proximè potens tam ex parte potentiæ, quàm ex parte Notitiæ ad omnem usum sui sibi possibilem: ergo immediatè se exercet sine ulla cunctatione per usum suæ libertatis sibi beneviſum: idque modo sibi conformiori, & quantùm potest, indivisibili. Modus autem decernendi sine ulla distinctione actuum est sibi conformior, & possibilis: nam distinctio solùm posset provenire ex expectatione alicujus notitiæ non præhabitæ in signo indifferentiæ: ergo sicut illa plenitudo potentiæ, & notitiæ obstat dilationi decreti, ita obstat multiplicitati, & partitioni. Major Syllogismi subsumpti, tam vera est, quàm est verum potentiam, quæ non potest suspensivè se habere, dum habet omnia prærequisita, operari.

28 Confirmatur hæc ratio, & præcludo, quæ parari possent, evasiones. Dilatio, & partitio decernendi neq; venire potest ex exigẽtia aut necessitate potentiæ, vel objecti primarii, vel secundarii: nulla ergo est, & gratis fingitur. Consequentia videtur bona: nam adversarii vel ex exigentia potentiæ, vel ex exigentia objecti primarii, vel ex exigentia objecti secundarii colligunt distinctionẽ hujusmodi in Divinæ libertatis exercitio. Probatur igitur antecedens: & quidem quoad primam & secundam partem est evidens: nam potentia est omninò simplicissima, & Vniversalissima, prærentaque illo genere cognitionum, quas *num. præced.* descripsi: Deinde objectum primarium est Divina Bonitas itidem simplicissima & virtualiter indivisibilis: non ergo potest colligi ex exigentia potentiæ, vel objecti primarii ulla distinctio in actu Dei libero. Sed neque probari, & colligi posse ex objecto secundario, quæ sunt creaturæ, in quò tota difficultas est, Suadeo &

29 Argumentor sic: primò: quia objecta secundaria nullam exercent caussalitatem in affectus Divinos, nec ullam distinctionem aut imperfectionem derivant: ergo ratione objecti secundarii nequit in Divinis affectibus argui multiplicitas. Secundò: eatenus ex exigentia objecti secundarii colligi potest in exercitio Divinæ libertatis multiplicitas, & distinctio, quatenus sine ista distinctione neque potest salvari libertas nostra, neque caussalitas moralis unius rei in aliam, v. g. meriti, ad præmium; peccati, ad pœnam; atqui sine ulla distinctione in libertatis Divinę exercitio salvatur perfectissimè libertas nostra & illa caussalitas: ergo. Major est Adversariorum Achilles.

Latè de his in tract. de Deo Prædest. tom. in p. p.

30 Minor probatur quoad secundam partẽ: Caussalitas meriti ad præmium, & culpæ ad pœnã, eatenus existere per vos nequit sine distinctione Decretorum, quatenus ad Decretũ præmii, vel pœnę prærequiritur absoluta prævisio meriti, & demeriti: hęc enim est vestra ratio: sed hoc est falsum, & absque hujusmodi prævia prævisione explicari potest, & debet: quod ipse duobus modis præsto:

31 Primus est: identificando Decretum pœnæ, & præmii cum prævisione meriti, & demeriti cum tali energiâ, præsuppositâ Scientiâ Mediâ de eisdem: ut potiùs sit Decretum pœnæ quia est prævisio Demeriti, quàm econtra: &c. Iam sic: velle sic pœnam, ut Decretum pœnæ sit Decretum pœnæ propter & post peccatum, eò tendendi modo, ut potiùs sit Decretum pœnæ, quia prævisio culpæ, quàm prævisio culpæ quia Decretum pœnæ, nullam dicit distinctionem intrinsecam in actu Divino, nullamque intrinsecam præcessionem: sed eoipso salvatur tota caussalitas moralis peccati ad pœnã: ergo.

32 Secundus est dicendo: pœnam & præmium esse talia, ut poni non possint, nisi præsuppositâ jam existentiâ meriti, & demeriti, velleque Deum indivisibiliter pœnam & præmium non aliter poni, quàm propter meritum & demeritum, nec nisi istorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

existentiâ præsuppositâ: Id autem sufficit ad explicandam totam caussalitatem moralem meriti ad præmium, & peccati ad pœnam. Iam sic: licèt hic modus decernendi stare non possit, quin Deus priùs objectivè velit unum, quàm aliud, unumque propter aliud: stare potest tamen, quin priùs velit subjectivè formaliter unum, quàm velit aliud: aliud enim est unum esse causam alterius, & sic intendi: aliud est & longe diversum unius volitionem esse veluti causam volitionis in alterum. Et aliud est velle quod unum sit propter aliud, & aliud & longè diversum, velle unum, & ex ipso amore concipere amorem alterius: id autem est subjectivè velle unum propter aliud & illud solùm objectivè: illud, solam dicit caussalitatem objecti ad objectum, sine ulla distinctione in affectu: & hoc, dicit caussalitatem affectûs ad affectum, & actûs ad actum: quæ Doctrina eò mihi est plausibilior, quò magis sapit ingenium Sancti Thomæ 1. *part. quæst.* 19. *art.* 5. dicentis: *Vult Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* *S. Thomas.*

33 Minor illa eadem probatur quoad primam partem: quia eatenus per vos existere nequit libertas nostra sine distinctione Decretorum, quatenus illa salvari nequit sine Decreto reipsâ indifferenti conjungibili cum utraque parte libertatis; sed hoc neque necessarium est, neq; verum. Non est necessarium. Primò, ut constabit ex dicendis, stare potest evitabilitas decreti, licèt ex se sit efficax. Secundò: quia per vos non obstat libertati, quòd exhibitio Decreti indifferentis fiat per decretum omninò efficax: cur ergo obstabit, quòd exhibitio potestatis ex se indifferentis fiat per decretum alioquin efficax, reipsâ impedibile, & evitabile? Et ratio est: quia tota constitutio libertatis nostræ manere potest illæsa, & indifferens, quidquid sit de libertate Divina. Sed *infrà*, de his. Non est verum: primò: quia haberi non potest à Deo Decretum, quod non reflectat supra se, velitque elici modo quò elicitur, haberique in circunstantiis, in quibus habetur, gaudendo de coexistentiâ sui cum Deo, & omnibus prædicatis quæ in Deo sunt, ut *mox* urgebo: eo autem ipso connecti debet cum determinatâ Scientiâ Mediâ, evadereque connexum cùm determinato nostræ libertatis extremo. Secundò: quia nullum est Decretum, quod ex & in complexo Scientiæ Mediæ non maneat connexum cùm determinato libertatis extremo: hoc autem complexum, licèt prævisum non sit in hypothesi Scientiæ Mediæ, ut omnibus est in confesso, vitari potest; quidni autem vitari possit aliud quodcumque non præhabitum nisi ex directione Scientiæ Mediæ? Sed de hoc argumento Latè *in cit. tract de Prædestinatione.* *Infrà à nu. 112.* *Mox à nu. 55.*

§. II.

PROBATIO ALTERA, EX CONDITIONE Distinctionis Virtualis.

34 TErtia Probatio: Distinctio Virtualis, nisi degeneret in Schoticam, nullam dicit immediatam oppositionem, aut intrinsecam alietatem, & distinctionem, inter eas formalitates, quas dicimus distingui virtualiter, sed unicè mediatam, eamque simpliciter Realem in Tertio: Nam contradictionis verificatio stare nequit sine aliquâ reali, & verâ distinctione: id quod inductione factâ, per ea prædicata, quæ apud omnes virtualistas sunt & dicuntur, distincta virtualiter, patet: Atqui distinctio, quæ nullam dicat oppositionem immediatam, sed præcisè mediatam in tertio realiter distincto, nulla est inter formalitates Divini exercitii liberi, & alioquin est planè inutilis ad ea munera, ad quæ ponitur: ergo inter formalitates Divini exercitii liberi nulla potest esse distinctio Virtualis: ergo omnes formalitates exercitii liberi Divini sunt unus Actus realiter, & virtualiter indivisibilis. In hoc discursu, præmissæ sunt probandæ. Major est mihi vera ex gravissimis fundamentis, quæ late cùm multis elucidant Quirós, & Esparza, & ipse tetigi in Dialectica, *& tract. 1. de Deo Scientæ.* Minor duas habet partes: primam, de impossibilitate tertii sufficientis; alteram, de inutilitate virtualis distinctionis, qualis adstrui solet, ad ea munera, ad quæ adstruitur. Igitur *Quirós. Esparza. Ant. Per. Ipse tract. de Deo Scientæ & de Trinit.*

35 Minor probatur quoad secundam partem primò: quia munera, ad quæ solet adstrui ista distinctio virtualis, sunt successio unius formalitatis ad aliam; independentia unius ab alia; evitatio unius, aliâ nec evitata, nec evitabili: hæc autem munera, ut erit expendenti manifestum, sunt immediatæ oppositionis, requiruntque proinde distinctionem majorem eâ, quæ nullam immediatam permittat: ergo inutilis est ea distinctio purè virtualis ad munera ipsa, ad quæ tam anxiè ponitur. Secundò: ideò distinctio virtualis salvari nequit sine distinctione reali in tertio, quia contradictio salvari nequit sine distinctione reali, ex impossibilitate verificandi propositionem negativam sine tali distinctione: ergo æquè est impossibilis verificatio immediatæ oppositionis inter formalitatem, & formalitatem, quales sunt istæ: *A* succedit ad *B*: *A* independet à *B*; *A* ponitur sine *B*, sine immediatâ distinctione formalitatum.

36 Probatur eadem minor quoad primam partem. Nam quodnam est tertium, in quo realiter distinguuntur complexum Scientiæ Mediæ, Decretique purificantis hypothesim, & rei visio absoluta? Decretum intentivum Gloriæ, & Executivum ipsius; & absoluta visio subsequens ad illud, & præcedens ad hoc, juxta vos? Decretum mundi, ejusque absoluta Visio? Nam ad hæc, & similia nihil potest assignari intra Deum, cum quo non æquè opponatur, aut componi possit membrum utrumque, de quo quærimus? Insuper: quodnam erit tertium intra Deum, in quo realiter distinguuntur Decretum efficax Prædefinitivum, & Decretum Indifferens præparativum omnipotentiæ, & absoluta visio, quæ tria solemnis Theologia Recentiorũ tenet, debere virtualiter distingui.

Solutio communis.

37 Solutio communis est recurrere ad nolitionem efficacem oppositam, dicendo, tertium Reale Divinum, in quo hæc, & similia realiter distinguuntur, esse Nolitionem efficacem ejusdem objecti, aut visionem contradictorii: cum quibus Decretum indifferens componi potest; non verò Decretum efficax Prædefinitivum, & visio. Solutio supponit ita constitui Deum liberum quoad exercitia volendi, & nolendi, quæ liberè vult, aut liberè non vult, ut Velle, & Nolle sint terminationes intrinsecæ realiter, adinvicem distinctæ, ex ratione Impedientis, & Impediti, non minus, quàm ex ratione Producentis, & Producti Paternitas, & Filiatio: quantumvis, sicut Paternitas, & Filiatio identificantur cum Natura; ita, Velle, & Nolle, identificentur cum Voluntate, & omnibus aliis exercitiis, respectu quorum non exercent oppositionem impedientis, & Impediti. Hinc in Nolitione efficaci, tanquam in tertio, ajunt distingui Decretum Prædefinitivum efficax contritionis v. g. Decretum indifferens præparativum omnipotentiæ, & visionem absolutam ejusdem: unde ipsis cõpetere possunt prædicata, & Denominationes Contradictoriæ, & consequenter intrinseca Distinctio Virtualis. Admitto Doctrinam de constitutione libertatis Divinæ per hujusmodi terminationes intrinsecas, immediatè ab invicem realiter distinctas, si oppositæ sint; & contendo nullam exinde parari posse solutionem.

38 Contra primò: sic arguo: Vt distinctio duorum realis in tertio, sufficiat ad verificanda de ipsis Prædicata contradictoria; debet exigere verificationem talium prædicatorum, Tertium, & identitas realis cum ipso; atqui in casu præsenti neque nolitio efficax, neque identitas realis cum ipsa, exigit verificationem prædicatorum contradicentium, quæ de Decretis, efficaci, & indifferenti, solent prædicari: ergo eorundem realis distinctio in Nolitione, non sufficit ad verificanda prædicata contradictoria de ipsis: ergo nulla est inter ipsa Decreta Distinctio virtualis. Discursus bonus est, si de præmissis constet. Exponitur major in Mysterio Trinitatis in quo dicuntur distingui virtualiter Paternitas, & Natura: quia ipsis conveniunt Denominationes oppositæ: & istæ ipsis sine repugnantia conveniunt: quia distinguuntur realiter in tertio, nempe, Filiatione: quæ Filiatio, & identitas cum ipsa planè exigunt verificationem oppositarum denominationum in Paternitate, & in Naturâ: nam in Paternitate exigunt denominationem Producentis, & distinctæ: in Naturâ, denominationem indistinctæ, & improducentis. *Excluditur*

39 Probatur jam minor. Quamvis Decretum indifferens idẽtificetur realiter cum efficaci Nolitione, talis identitas cum Nolitione non potest esse ratio, ut de Decreto indifferenti verificentur prædicata opposita, Decreto efficaci, quæ dicuntur ipsis convenire, ratione distinctionis virtualis: ergo neque nolitio, neque identitas cum ipsâ exigunt inter Decretum indifferens, & efficax verificationem oppositarum denominationum. Antecedens probatur: Prædicata, quæ conveniunt Decreto indifferenti, & disconveniunt efficaci, sunt inter alia, prædicata inconnexi, inevitabilis, imperabilis, & posterioris; atqui cur hæc conveniant Decreto indifferenti, & disconveniant efficaci, non potest esse ratio, Nolitio, neque identitas cum ipsa: quod probo: tunc enim Nolitio, & identitas cum ipsâ est ratio verificandi aliquam denominationem, quando nec stare Nolitio potest, nec identitas cum ipsâ sine tali denominatione: atqui Nolitio, & identitas cum ipsâ stare possunt sine verificatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne talium denominationum: nam neque Nolitio est posterior, neque est imperabilis: neque ideo efficata cum Nolitione, qualis est Divina Voluntas, sunt posteriora Decreto efficaci, neque ab ipso imperabilia: ergo.

40 Contra secundò sic arguo. Tertium distinctionis virtualis debet esse ratio cur Formalitatibus realiter eisdem conveniant denominationes oppositæ: atqui Nolitio efficax nequit esse ratio, cur Decreto Indifferenti, & efficaci, alias realiter identificatis, conveniant denominationes oppositæ: ergo Nolitio efficax nequit esse tertium virtualis Distinctionis inter Decretum efficax, & indifferens. Major juxta principia, per quæ discurrimus, est certa. Minor probatur. Eatenus tertium potest esse hujusmodi sufficiens ratio, quatenus ex identitate cum una ex formalitatibus, fundat aliquam veritatem, & ex distinctione cum alia fundat diversam: ergo veritas quæ fundatur in identitate tertii cum una ex formalitatibus, competere debet omnibus identificatis cum tertio: & opposita veritas, quæ fundatur in distinctione, competere debet omnibus distinctis à tertio. Consequentia videtur certa: nam si veritas fundata in distinctione, non competit omnibus distinctis à tertio, ut tertium est, & veritas fundata in identitate, non competit omnibus identificatis cum tali tertio: tale tertium ratione distinctionis, & identitatis nequit esse convincens ratio denominationum oppositarum inter formalitates easdem.

41 Iam sic: Atqui Nolitio efficax ratione identitatis cum Decreto Indifferenti, & ratione distinctionis ab Efficaci, alioquin eisdem, nequit fundare veritates oppositas, quas de ipsis Virtualistæ volunt: ergo Nolitio efficax nequit esse medium Virtualis distinctionis inter ipsa Decreta. Minor subsumpta probatur. Nam si ratione identitatis cum Nolitione, competeret Decreto indifferenti aliqua veritas, & ratione distinctionis ab ipsa, competeret efficaci opposita veritas: illa competeret omnibus identificatis cum Nolitione; & hæc, omnibus distinctis ab ipsa: hoc est perquam falsum: nam veritas quæ de Decreto indifferenti dicitur, est, posteriorjtas, & imperabilitas respectivè ad Decretum efficax: quæ prædicata pluribus identificatis cum Nolitione repugnant: & veritas quæ de efficaci dicitur, est prioritas, imperativitas, evitabilitas, & connexio, quæ etiã prædicata non conveniunt omnibus distinctis à Nolitione: imò nec ipsi repugnant cum ipsa evitabilis sit: ergo Nolitio nequit fundare eas veritates oppositas.

§. III.

ALIÆ PROBATIONES, EX DIVINA comprehensione; & ex positiva imperfectione.

42 QVarta Probatio: Dispositio Divina, seu Decretum circa rem quamlibet Vniversi, necessariò prærequirit ut regulam sui Directricem, comprehensionem omnium rerum, quomodocumque inter se combinabilium, & comparabilium, earumque futuritionis quomodocumque combinabilis, & comparabilis inter se sub omni possibili hypothesi: ergo necessariò est dispositio indivisibilis omnium, quæ Deus vult disponere, & exclusio omnium, quæ Deus non vult disponere: ergo Deus exercet suam libertatem, necessitate habendi, si velit in objecta creata tendere, unicum, & indivisibilem actum penès singula, & omnia. Hæc consequentia patet: nam si entymema sit verum, illa notitiæ universalissimæ plenitudo, erit necessitas habendi actum & exercitium libertatis modo penitùs indivisibili.

43 Entymema probandum: & imprimis antecedens: primò: quia hæc videtur esse illa effusio, quam suæ Sapientiæ facere Deus super omnia opera sua dicitur. *Eccles. 1. 9.* Secundò: quia non videtur aliter dici posse Deum res omnes disponere *in numero, pondere, & mensura*, ut certè dicitur Sapientiæ 21. Tertiò & à ratione: quia dispositio, quæ non supponat regulam, ut dixi, non potest non esse imperfecta. Tùm quia, sic esset exposita deformitati totiùs: nam stat bene partem in se disponi optimè, & disponi deformiter, quoad locum, & reliquas partes: non ergo sufficit ad rectam dispositionem rei, notitia ipsius, ex quâ ad summum præcaveri poterit intrinseca irrectitudo, sed requiritur notitia omnium, ex qua præcaveri possit extrinseca, & relativa, seu comparativa deformitas, & irrectitudo. Tùm etiam: quia Artifex imprudenter se gereret in determinatione partis ædificii, non comprehenso priùs toto ædificio, ejusque partium consonantiâ, & cohærentiâ tùm intrinsecâ, tùm extrinsecâ. Quartò, & à priori: quia dispositio prudentissima necessariò prærexigit notitiam eorum, quæ vel prodesse possunt, vel obesse; hæc

Eccles. 1.

Sapient. 21

hæc autem notitia est, quam in antecedente descripsi. Iam

44 Probatur secũda consequentia. Primò: quia sicut est necesse, quòd præcedente signo indifferentiæ proximè electivæ, sequatur electio immediatè; ita necesse est, ut immediatè sequatur electio objecti secundum omnem rationem, secundùm quam prævisum est indifferenter eligibile: ergo si objectum prævisum est quoad omnem conceptũ intrinsecũ, & extrinsecum, absolutũ, & respectivum, & secundùm omnem comparationem possibilem: electio necessariò debet esse comprehensiva indivisibiliter, vel coeligendo, vel rejiciendo res alias cum ea, quam eligit. Secundò: quia dispositio regulata sequitur Naturam regulæ, à quâ dirigitur: ergo si hæc est omninò comprehensiva; similiter illa.

45 Confirmatur: Absurdum apparet, & repugnans quòd Deus Corpus naturale non decernat unico indivisibili decreto, sed utatur tot decretis virtualiter distinctis, quot particulæ sunt in toto naturali; sed eadem est ratio de toto universo: ergo. Probatur minor primò: quia hic ordo universi non est merè arbitrarius, ut in cumulo lapidum, sed nexus, & cohærens cum proportione partis ad partem, multò mirabilior, quam ordo corporis naturalis. Sed de his *supra.* *Lib. 2. disp. 2. à nu. 27. & 30.* Secundò: quia ratio cur dispositio corporis naturalis est omnimodè indivisibilis, alia esse non potest, nisi quia dispositio cujuslibet partis est ex regulâ comprehensivâ totius; & dispositio regulata per hujusmodi regulam nequit non esse dispositio, & determinatio cõprehensiva totius: nam dispositio regulata est de omnibus de quibus dispositio regulans: at ista ratio æquè militat in casu nostro.

Solutio RR. 46 Dices ex Recentioribus: Per hæc ad summum probari, Deum res decernere per Decretum, quantùm potest indivisibile; & Dei Decreta habere indivisibilitatem sibi possibilem, atque adeò summam: hanc tamen non esse qualem nos fingimus: quia indivisibilitas virtualis non est possibilis, atque adeò non carere Deum perfectione indivisibilitatis, quia carere indivisibilitate chymericâ, qualis est nostra, non est imperfectio, nec est carere perfectione. Eam tamẽ indivisibilitatem esse impossibilem patet ex immunitate nostræ libertatis, quæ sine illa explicari vel non potest, vel non nisi difficillimè potest: & ex extensione Divinæ libertatis, quæ major est quò magis est varius modus habendi se circa objecta. Imperfectio divisibilitatis tunc esset, cùm ea proveniret vel ex defectu potentiæ, vel ex defectu notitiæ: at quando divisibilitas provenit vel ex perfectione libertatis Diviæ, vel ex exigentiâ nostrâ, tunc perfectio est, & non imperfectio. Sic respondent acuti Magistri.

47 Argumentor contra sic primò: Implicat in ipsis terminis, quod perfectio, seu prædicatum, quod ex genere suo dicit perfectionem, sit impossibile: nam omnis perfectio habet ex conceptu suo esse possibilem, & esse in ente summè perfecto: atqui summa indivisibilitas est perfectio, seu prædicatum, quod ex genere suo dicit perfectionem: nam eoipso est major cõformitas Divinę essentię, & major recessus à limitatione creaturę: ergo. Argumentor secundò: indivisibilitas realis, & virtualis est major, quàm indivisibilitas realis: ergo dicere, Deum habere summam indivisibilitatem in Decernendo, licèt non habeat indivisibilitatem virtualem, est dicere, Deo non esse summam indivisibilitatem in Decernendo, nec esse possibilem Deo summam; quia summa non est possibilis: & quia possibilis non est, quæ sit summa, Deum habere summam. Non placent hæc: oportet enim decidere priùs de universalioribus principiis circa ens summè perfectum. *Excluditur*

48 Argumentor tertiò: major extensio libertatis Divinæ est habere Decreta singula circa res quaslibet, ita ut unum sit de hac, aliud de aliâ, positque unum habere, & aliud: cùmque unumquodque debeat dicere in lineâ suâ per vos omnem perfectionem suæ lineæ, repugnabit, quòd Deus habere possit circa formicã aliud Decretum distinctum ab eo quod nunc habet: ergo summa indivisibilitas Dei in Decernendo ob extensionẽ sui perfectissimi Dominii, erit summa divisibilitas, & indivisibilitas minor nostra possibili: ergo vanò colligimus perfectionis excessum in Angelo: Sapientiæ, & perfectionis, in Homine ex istâ potentiâ, plurima unico ductu cõprehendendi.

49 Argumentor quartò: major extensio libertatis non potest fingi in præjudiciũ perfectionis ipsius libertatis: minor enim perfectio non potest esse major extensio, sed depressio libertatis. Vnde licèt asserẽdo, cũ aliquibus Schotistis, possibilem Decretorum dilationem, revocationem, & reassumptionem temporalem; cum aliis distinctionem, & variationem: appareat quædam major extẽsio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sio, per quam plures difficultates clariùs explicantur; tamen quia in his discurrendi modis, vel involvitur imperfectio, vel perfectio minor, quàm Deum deceat: ea major extensio reprobatur ab omnibus: & ratio est: quia nostra mentis imperfectio quietari non debet in explicatione Divinorum cum ipsorum præjudicio. Tùm quia libertatis perfectissimæ extensio nequit fieri per diminutionem perfectionis in exercitio suo: ergo ex extensione Divinæ libertatis iniquè prætegitur divisibilitas in decernendo. Confirmatur. Libertas Divina ponitur in Deo titulo Divini & perfectissimi Dominii circa creaturas: hoc autem non augetur per divisibilitatem in exercitio libertatis: statque sine ipsâ perfectius.

50 Argumentor quintò: licèt maxima difficultas in explicanda nostra libertate, eaque conciliandâ cum Divinis Decretis & scientiis, emolliri, & quasi tolli posset per Doctrinas, quæ vel noticiarum, vel Decretorum temporalem dilationem, & successionem permittant; is modus explicandi admitti non debet, quicquid sit de nostrâ difficultate in dissolvendis his nodis: quia id esset facere Deum imperfectum, & non Deũ, ut appareamus nos nobis metipsis liberi: ergo licèt hæc difficultas in explicandâ libertate clariùs intelligatur per divisionem Decretorum (quod ipse tantùmmodò permitto) nõ debet hic modus admitti, nisi priùs constet, an hæc divisibilitas deceat Deum, an dedeceat: esset enim metiri Deum ex nostro commodo, & ex nostrâ imperfectione: à quâ est independentissimus.

51 Confirmatur: nostra libertas supponit Deum, ejusque perfectiones, in easque nihil transfundere potest imperfectionis suæ: independenter ergo à nostra libertate statuenda est Dei perfectio, & exinde quærendus modus explicandi libertatem nostram: quæ quidem, ut exigit Deum, ut authorem sui, & Authorem sui ut Deum: ipsum exigit perfectissimum, nec ratione talis effectûs incapacem perfectionis summæ. Nequit enim imperfectio creaturæ pugnare cum eo, quòd in Deo perfectio summa sit, cùm id ipsum exigat. Iam sit post hæc

52 Quinta probatio: Talis distinctio, & ordo intrinsecus Decretorum non est unde sumatur; deinde dicit positivam imperfectionem: ergo repugnat. Antecedens quoad primam partem patet ex multis, quæ contra Durandum, Schotum, Cajetanum, & alios aggerat P. Ribadeneyra *disp. 21. de Voluntate cap. 2.* præoccupatus jam & ipse ex nuper discussis. Probo quoad secundam: omnis intrinseca distinctio, ordo, & successio ex actu ad actum repugnat exercitio Divinæ mentis, ob positivam imperfectionem: unde negatur à Theologis Deo omnis umbra discursûs: ergo similiter omnis distinctio, ordo, & successio ex actu ad actum repugnat exercitio Divinæ voluntatis ob positivam imperfectionem.

Durand. Schotus. Cajetan.

Ribaden.

53 Probo consequentiam. Positiva imperfectio mentis ex illo quasi discursu, est, quia ille discursus dicit aliquam impenetrationem objecti; sed iste discursus, seu quasi discursus in Voluntate dicit aliquam irresolutionem, & indeterminationem: ergo æquè repugnat utrumque, vel neutrũ. Probo hanc consequentiam: quod est in intellectu, objecti aliqualis impenetratio, est in Voluntate, aliqualis indeterminatio & irresolutio: ut enim ista est moralis irresolutio; illa est irresolutio intellectualis; sed illa irresolutio intellectualis repugnat intellectui perfectissimo: ergo & ista moralis irresolutio repugnat perfectissimæ libertati. Nec recurras ad discrimen potentiæ necessariæ, & liberæ: libertas enim, ut diximus, est in Deo perfectio; perfectio autem non potest obstare perfectioni.

SECTIO III.

ILLVSTRATVR ASSERTA VERITAS, Ostensâ Decretorum inter se subordinatorum repugnantiâ.

54 SExta Probatio petitur ex impugnatione Decretorum, quæ fatentur Adversarii subordinari inter se, & alioqui distingui: quæ erat prima classis, quam *num. 22.* attigimus. Argumentor exinde sic primò: Vel ista Decreta, virtualiter distincta, & subordinata interse ita subordinantur, ut inter se sint adinvicem inseparabilia mutuò, vel ita ut inter se sint non mutuò inseparabilia. Si primum: ipsa subordinatio obstat virtuali distinctioni: unde supponi hæc nequit nisi ex implicantia terminorum. Ostendo sequelam: Decreta, quæ sunt adinvicem inseparabilia mutuò, eoipso identificantur cum iis omnibus, cum quibus alterutrum identificatur: & distinguuntur ab eisdem omnibus à quibus distinguitur alterutrum: nihil est enim, cum quo componatur, & opponatur alterutrum, cui pari passu non componatur, seu opponatur utrumque: ergo repugnat inter ipsa distinctio realis in tertio: quippe repugnat aliquid negari de alterutro, quin de utroque negetur: alioquin vel admittêda est realis distinctio inter actus Divinæ libertatis intrinsecos existentes; quod nemo hucusque dicere est ausus: vel dicendum, esse ipsa Decreta separabilia inter se, licèt non mutuò contra ipsam suppositionem: ergo repugnat inter ipsa Virtualis distinctio, ex ipso titulo subordinationis, ex quâ ponitur.

Multa in hanc rem, & pulcra apud R. P. N Thyrsum tom. 1. disp. 32. & 33. & tom. 2. disp. 7. & 15.

55 Si ergo secundum: Contra primò, repugnat enim subordinatio, quæ eoipso non sit inseparabilitatis mutuæ: pono exemplum Actûs imperantis, & imperati: hîc, inquiunt Aduersarii, imperans, est inseparabilis ab imperato; imperatus verò est ab imperante separabilis: quia potuit non imperari. Sic arguo: Quilibet Actus Divinus pendet essentialiter ex cognitione comprehensivâ omnium, quæ præcedunt respectu sui, & super ea omnia reflectit, volendo sui processionem ab illis: ergo implicat, quòd actus imperatus non pendeat essentialiter à cognitione comprehensivâ imperii, quod præcedit ad se, superque illud nõ reflectat, volendo sui processionem ab illo: ergo repugnat ab illo separari: ergo repugnat inter actus Divinos inseparabilitas, quæ mutua non sit. Cõsequentiæ liquent: & Probo antecedens. Implicat, quod sit aliquid in Deo ex formali libito Dei, quin sit perfectissima determinatio sui, ad essendum in Deo modo eo omni quo est: implicat enim quòd non sit determinatio perfectissima sui, & formale gaudium, quòd sit Deus omni modo, quo Deus est Deus; atqui implicat quòd sit hujusmodi determinatio perfectissima sui, quin eoipso reflectat in omnia à quibus præcedit, ab eisque essentialiter pendeat: Nam nec Deus est aliter ac cum his præcedentibus, nec illa determinatio potest nunc aliter esse Deus: ergo, &c.

56 Contra secundò: ista subordinatio separabilitatis non mutuæ, venire necessariò debet ex inductione actûs ad actum, non simpliciter necessariâ: aliunde enim procedere posse non video: atqui ista inductio est impossibilis inter actus Divinæ voluntatis liberæ: ergo & illa subordinatio. Minor probatur: quia illa inductio vel est directa, id est, ex affectu alium affectum efficaciter imperante: vel indirecta, id est, ex aliquo affectu, ad quem, licèt non tendentem in alium, alius est necessarius? Secundum dici nequit: Tùm quia ex ipsis terminis implicat unum affectum Divinum esse inclinationem in aliũ, quin eoipso sit amor illius. Tùm quia, iste modus quasi fatalis inductionis, non potest Deo tribui utpote solùm imperfectionis nostræ. Neque primum dici potest, primò ad homines: quia actus Divinus liber est essentialiter liber, eo modo quo semel est liber: ergo pendere neutiquam potest ab actu imperante, tollente apud nos immediatam libertatem actui subsecuto. Tùm ipse universaliùs aliter: ergo pendere non potest à directione à quâ ex se essentialiter pendere non potsit. Secundò: quia omnis affectus Divinus est amor, & gaudium, sui quantùm potest: ergo repugnat amari per alium affectum à se virtualiter distinctum. Probo consequẽtiam: Nam eoipso neuter diceret in lineâ suâ omnem perfectionem in ipsa possibilem.

Aranda de Incarnatione.

57 Vnde colligis, affectus Divinos etiam juxta Doctrinas Adversariorum, & quas alioqui veras ipsi putant in materia de libertate, esse necessariò inimperabiles; vel dicendum, eos neque esse essentialiter, & intrinsecè liberos, immediatâ libertate; neque reflexivos in se: quæ quidem de nostris affectibus etiam ipse falsa judico; de Divinis verò dici non possunt, nisi ex pressurâ difficultatum, quæ passim emergunt ex illa facilitate subdistinguendi Divina ad gustum apprehensionum nostrarum nihil nisi nostras imperfectiones sapientium, & redolentium.

Thyrsus tom. 1. disp. 32. & 33.

Late in 1. 2. Tract. de Actib.

58 Neque video (ut id hîc notem obiter, tangendum *infrà*, & exponendum latiùs *alibi*) quo jure Recentiores per hæc signa discurrentes asserant dari in Deo Actus inducentẽ, & inductum, imperantem, & imperatum, tuiti frequenter, ne videantur nostræ libertati nocere, actus vel inducentem, vel imperantem esse simpliciter naturâ posteriorem objecto executo per actum imperatum, & inductum objecto simpliciter naturâ priorem, & ipso actu imperato, & inducto, qui non potest non esse etiam simpliciter prior actu imperante, & inducente: nam prius respectivè ad secundum posterius non potest non esse prius respectivè ad tertium secundo posterius: quâ ergo ratione, quod est simpliciter posterius inducere potest, quod est prius? Et sic, nec aliter putant conciliari cum nostra libertate, Misteria libertatis Divinæ prædefinientis. Sed mittamus nunc hæc; & contra hanc classem Decretorum inter se subordinatorum

Late de his tract. de Deo Prædest. tom. 1. p. Infrà à nu. 76.

Universidad de Deusto
Biblioteca

59 Argumentor secundò: Nequit dari subordinatio inter Divinos affectus, nisi ex ratione prioris, & posterioris, & successionis alicujus, in genere virtuali: atqui repugnat ratio prioris, & posterioris, & successionis unius ad aliud in genere virtuali: ergo & repugnat ista subordinatio: ergo & decreta, sive mutuò, sive non mutuò subordinata inter se. Consequentiæ patent. Et major est evidens: nam illa subordinatio communiter peti solet ex ratione imperatis actûs ad imperatum; inducentis ad inductum: aliunde enim, scilicet vel ex analogiâ ad nostros actus, ut Durandus voluit; vel ex ordine dignitatis inter objecta, vel ex ordine physico objectorum inter se, venire non potest; ut ostendi solet à Theologis *in tractatu de Voluntate*. Vide Ribadeneyram *disp.* 21. *cap.* 2.

Durand.

Ribaden.

60 Probatur minor primò: quia ubi non est intrinsecè unum, & aliud, neque ulla immediata oppositio, nequit dari prius, & posterius, seu aliquod genus intrinsecè successionis unius in aliud, ut est evidens; atqui distinctio virtualis, nisi degeneret in Schoticâ, non est immediata oppositio inter formalitates, quæ distingui virtualiter dicuntur, neque ullam inducit alietatem intrinsecam inter ipsas: ergo. Secundò: sicut Distinctio virtualis, talis dicitur per æquivalentiam ad realem distinctionem; diciturque æquivalere, quia præstat formaliter effectum secundarium realis distinctionis, sine primario: sic virtualis prioritas, & successio, talis dici debet per æquivalentiam ad realem prioritatè, & successionem; dicendaque est æquivalere, quòd formaliter præstet effectum secundarium realis successionis, & prioritatis realis sine effectu primario: atqui id est inexplicabile, & inintelligibile: ergo repugnat in genere virtuali ratio prioris & posterioris, & successionis. Consequentia est bona. Major, quæ disparitatem omninò difficilem expectat: minor probari debet, probabiturque facilè, rogatis adversariis, ut explicent, & assignent quod intendimus.

SECTIO IV.

ILLVSTRATVR ASSERTA VERITAS, Ostensâ Decretorum inter se independentium repugnantiâ.

61 SEptima Probatio petitur ex impugnatione Decretorum, quæ fatentur Adversarii distingui inter se, & independere adinvicem: quæ erat secunda classis, quam *num.* 22. attigimus. Argumentor exinde sic primò: Decreta inter se independentia, vel sunt independentia inter se mutuò, vel non mutuo? Si secundum: erunt Decreta subordinata inter se, de quibus *sect. præced.* Si primum: ergo nullam habent rationem cur virtualiter distingui debeant. Probo consequentiâ: quia ea Decreta mutuò inter se independentia, nullam inter se dicunt oppositionem: ubi autem nulla est oppositio, nulla est ponenda distinctio: discurrere enim debemus in hoc genere diminutæ, & virtualis distinctionis ad modum, quo de Deo in genere distinctionis realis, & veræ discurrimus: sicut ergo ubi non obviat realis oppositio relationis, non asseritur in Deo distinctio realis; ita ubi nulla obviat virtualis oppositio relationis non est ponenda distinctio virtualis. Sed impugno efficaciùs &

Vide rem in hâc etiâ multa loc. cit. R. P. N. Thyrs.

62 Argumentor secundò: Repugnat quòd in Deo volente sit aliquid per se specialiter amabile, & honestum per se, & quod sit in Deo, quasi fortuitò, & à casu, præterque efficacem intentionem ipsius, & specialiter inamatum: sed coexistentia Decretorum in Deo volente est aliquod per se amabile specialiter, & honestum per se: ergo repugnat, quod sit in Deo, quasi fortuitò, & à casu, præterque efficacem intentionem ipsius, & quod specialiter no ametur. Syllogismus est mihi Theologica, & naturalis demonstratio. Atqui si in Deo essent Decreta mutuò inter se independentia, purèque se concomitantia, eorum coexistentia, quæ non potest non esse quid per se specialiter amabile, & per se honestum, esset in Deo præter intentionem efficacem ipsius, & quasi fortuitò, & à casu: neutrum enim reflecteret in alterutrum, quod erat opus, ut amaretur specialiter eorum coexistentia: alioquin, cùm illa reflexio nequeat non esse nexus utriusque, non possent esse mutuò independentia contra suppositionem: ergo.

63 Confirmatur, præcludendo evasionem: Amor & gaudium de illâ coexistentiâ (quæ, quia bona, & honesta est, nequit à Deo non amari, nec potest non esse materia gaudii) necessariò est alterutrum ex Decretis: ergo repugnat, quòd sint inter se mutuò independentia. Probatur antecedens. Primò: Nequit esse decretum distinctum ab utroque: nam eoipso hoc decretum tertium esset inseparabile ab illa coexistentiâ Decretorum & hæc ab illo; sed ea inseparabilitas stare nequit sine virtuali indistinctione, ut confecimus *sect. præced.* ergo illud decretum esset idem virtualiter cum illo complexo, atque adeò cum Decretis illius complexi: ergo illa decreta indivisibiliter dicunt mutuum amorem inter se: ergo, &c.

64 Secundò: Nâ talis amor reflexus nequit esse antecedens illâ coexistentiam, neq; cõsequens, neq; purè comitans: ergo necessariò est virtualiter idem cum altero decretorum. Antecedens probatur: non potest esse antecedens; quia eoipso læderet immediatam libertatem Decretorum subsequentiũ, juxta vos: Deinde esset cum subordinatione jam *suprà* exclusâ. Non potest esse consequens: tùm ob illam subordinationis impugnationem: tùm quia proptiori extitisset illa coexistentia jam præter intentionem efficacem Dei, & quasi fortuitò, & à casu. Neque demùm potest esse comitans: quia eoipso daretur duo termini immediatè liberi, quotũ alteruter esset alterius connexio, & determinatio: quod per vos repugnare debet cum immediata libertate exercitii liberi: de ratione enim exercitii immediatè liberi est esse sui determinationem, & existere, seu posse existere sine aliâ determinatione ipsius connexâ cum ipso. Tùm etiam, quia sic non evitatur subordinatio, quam jam exclusimus *sect. præcedenti.*

65 Argumentor tertiò: Actus liber Dei quilibet non est minùs perfectus, quàm actus necessarius Dei circa se; sed Actus necessarius Dei, non potest habere respectũ cujusquam, aut actûs, aut objecti, aliam indifferentiam, præterquàm activam, & electivam: indifferentiam enim purè passivam, seu negativam, excludit ex ratione suæ perfectionis: ergo neque actus Dei liber ratione ipsius perfectionis potest habere respectu cujusquam aut actûs, aut objecti aliam indifferentiam præterquàm activam & electivam. Atqui inter formalitates Decretorum mutuò inter se independentes non potest esse indifferentia activa, & electiva, sed purè passiva, & negativa: sunt enim inter se sine ullo respectu & ordine: ergo talis independentia nequit non excludi ab omni actu libero Dei, ratione perfectionis, quæ in unoquoque reluceat. Vis est in primo Syllogismo: nam cætera patent. Et primi Syllogismi minor est evidens: nam indifferentia purè passiva, & negativa, non est indifferentia nisi propria rerum impertinenter se habentium, & ubi aut virtus deest, aut nullus est ordo. Major etiam patet: nam actus liber fortè non aliâ perfectione perfectus est, quàm perfectione Divinitatis, & actûs necessarii sibi per identitatem communicatâ summè.

66 Nota hic opportunè, probari per hæc manifestò essentialem directionem Scientiæ Mediæ respectu cujusquam decreti, & cujusquam Decreti essentialem dependentiam à Scientia Media. Tùm quia alioquin contra dicta à *num.* 62. coexistentia Decreti cum Scientia Mediâ, non esset objectum specialis amoris Divini, sed esset præter intentionem efficacem Dei, & quasi à casu. Tùm etiam quia alioquin indifferentia, quâ habet Scientia Divina Media circa omnem & quamlibet determinationem Divinæ voluntatis, & circa absolutam existentiam, vel non existentiam cujuscumque rei contingentis, & possibilis, esset indifferentia purè passiva & negativa, non verò activa, & electiva. De his tamen *alibi*: oportet tamen in hanc rem nihil unquam omittere, quod conducat ad usum hunc specialissimum Divinæ Scientiæ Mediæ.

Latissimè in Tract. de Deo Provid. & Prad tom. in 1. *p.*

SECTIO V.

ILLVSTRATVR VLTERIVS ASSERTA Veritas exclusis variis speciebus Decretorum à Deo.

67 OCtava Probatio petitur ab impugnatione aliquarum specierum Decretorum, quas Decretistæ admittere solent. Eam libabo nunc; daturus, cùm se det suus locus & occasio, fusiùs: ubi etiam eorum Decretorum, ad ea ad quæ ponuntur munera, inutilitas ostendetur. Et illæ species potissimùm sunt, Decreti Disjunctivi, & vagi; vel efficacis conjuncti cum inefficaci de eodem objecto; vel Intentivi & Executivi circa idẽ objectum. Arguo sic: si deberet admitti multiplicitas virtualis decretorum, vel esset ob possibilitatem decreti Disjunctivi, & Vagi; vel ob simultatem Decreti efficacis, & inefficacis circa idem objectum, vel ob necessitatem vel possibilitatem ordinis intentionis, distincti ab ordine executionis circa ipsum objectum; Atqui repugnant specialiter istæ species Decretorum, eorumque simultas: ergo & virtualis multiplicitas inter Decreta Divina. Dixi *specialiter*: nam omnes istæ species ex universaliori principio repugnant: pertinent enim ad classem Decretorum subordinatorum inter se, vel ad

Ibidem latè de toto hoc puncto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

classem purè se comitantium. Minor ergo probanda per partes.

68 Repugnat imprimis Decretum Disjunctivum in Deo: ita Suarez, Hurtadus, & Alarcon ex Nostris: & probo primò: quia repugnat in intellectu Divino aliqua indeterminatio, & disjunctio incognoscendo: ergo similiter in Voluntate. Antecedens patet, quia ille modus cognoscendi dicit confusionem, & perplexitatem potentiæ intelligentis. Consequentia probatur: tùm quia Voluntas sequitur intellectum, cujus est: nec tendere potest modo degenerante à nobilitate sui principii cognoscentis, si perfectissima sit. Tùm etiam, quia sicut disjunctio intellectualis dicit imperfectionem irresolutionis intentionalis, ita disjunctio voluntaria dicit irresolutionis moralis imperfectionem.

Suarez. Alarcon. Hurtad.

69 Secundò: quia modus tendendi suspensivus, & indeterminatus circa media, vel circa finem est proprius nondum habentis perfectam cognitionem vel mediorum, vel finis, ideòque nutabundi, quod cui præferat. Probatur assumptum: nam si nullus est defectus notitiæ, præcedatque plena comprehensio rerum quomodocumque combinabilium: quâ quis utilitate, aut quo genere decentiæ, priùs disjunctivè; determinatè posteriùs de rebus æquè sibi perspectis, & notis priùs, ac posteriùs, decerneret? Id certè etiam hominem bene peritum dedeceret: censeretur enim ineptus, qui volens iter agere, & præditus omni notitia sibi possibili de duobus equis electioni suæ subjectis, priùs diceret: volo hunc, vel illum: & immediatè pòst sine novâ ullâ notitiâ: volo hunc & nolo illum. Nunc sic: ergo Deo, comprehensivè attingenti omnia quoad eorum possibilitatem & Naturam, per simplicem intelligentiam; & quoad eorum futuritionem dependenter à qualibet causâ quæ ponatur à parte rei, per Scientiam Mediam, est necessariò impossibilis indeterminatio in eligendo. Vnde non miror dictum olim à Patre Suarez *lib. 1. de Prædest. cap. 13. nu. 5.* Authores, qui contrà discurrunt, vel negare Scientiam Mediam, vel pugnare contra ipsas.

Suarez.

70 Repugnat insuper in Deo simultas Decreti, seu affectûs efficacis, & inefficacis circa idem objectum: ita inter alios Pater Iulius Cæsar Recupitus *specialissimè*, ex eo nempe post Basilium Legionensem *in Variis*, quòd judicet impossibile Deo, quodvis Decretum inefficax circa ullum objectû: quod principium nunc intactum volo: & aliter assumptum probo primò: Decretum inefficax est dispositio volentis, vi cujus ita afficitur in objectum, ut ipsâ energiâ affectûs sit paratus manere sine tali objecto: Decretum efficax est dispositio vi cujus ita afficitur, ut ex energiâ affectûs non possit esse paratus manere sine tali objecto; atqui sic esse dispositum est manifestè impertinens, & sibi contradicens, nec nisi in magnâ affectuû imperfectione possibile: nam imprimis Deus vellet, ne dissocientur objectum, & ipse Deus: quî ergo potest esse paratus ex se, ut dissocientur? Deinde velle inefficaciter est efficaciter velle ut sit affectus inconnexus, adeòque efficaciter, velle quòd ex vi affectûs non sit Deus connexus cum objecto: velle efficaciter est efficaciter velle, ut voluntas Dei connexa sit ex vi affectûs cum objecto. Hæc, cùm actuum permittitur distinctio, & imperfectio ferri possunt, non autem in Deo.

Recupitus Legionens.

71 Probo secundò: Vel affectus inefficax se habet per modum dispositionis ad affectum efficacem, vel per modum actûs inducti, & imperati, vel per modum purè comitantis: triplici autem hoc modo repugnat, nec alius modus apparet possibilis. Repugnat primus: quia id ferri nequit, nisi ubi potentia est infirma, & eget impulsu. Tùm quia etiam in nobis, ub. summa sit advertentia, negavimus *disputando auxiliis* non modò necessitatem, sed possibilitatem naturalem talis dispositionis. Et ratio est: quia ib. non posset Voluntatis cunctatio à tepiditate excusari.

72 Repugnat secundus modus ex hac ratione: nam affectus, qui esset efficax circa objectum non potest non esse volitio efficax sui, atque adeò volitio, quâ vellet voluntas ex vi affectûs manere connexa cum objecto, & ab ipso inseparabilis; sed volitio, quâ vellet voluntas ex vi affectûs manere connexa cum objecto, non potest esse volitio, quâ vellet voluntas manere ex vi affectûs separabilis ab objecto: ergo non potest esse volitio, volitionis inefficacis. Deinde quis ferat voluntatem efficaciter volentem, velle efficaciter, inefficaciter velle id ipsum, quod efficaciter velle, vult efficaciter? Hi, meo judicio, lusus sunt. Repugnat tertius modus: quia neque in creatis, ubi major affectuum distinctio permittitur ex notâ imperfectione, possibilis est, quanto minùs in Deo. Et ratio

ratio est: quia voluntas efficaciter amans, amat, quantùm potest, indivisibili modo, & genere amoris, scilicet efficacis.

Vazquez. vide interim R. P. N. Thyrs. tom. 2. disp 7. & 15.

73 Repugnat tandem, & specialiter ordo intentionis distinctus ab ordine executionis inter Decreta Divina: ita post Vazquez plurimi, quos disputando *de Deo Prædestinante* cum copiosiori probatione dabo. Eâ nunc utor. Ordo intentionis est ordo Decreti essentialiter invariabilis, infrustrabilis, & efficacis: ergo est ordo Decreti executivi. Probo consequentiam. Decretum essentialiter invariabile, infrustrabile, & efficax est æterna essentialis inseparabilitas, & connexio sui cum existentiâ exercitâ objecti; atqui æterna, & essentialis inseparabilitas, & connexio Decreti cum existentiâ exercitâ objecti est necessariò Decretum executivum objecti: ergo. Major est evidens. Minor ostenditur: nam inseparabilitas, & connexio essentialis Decreti cum existentia exercita objecti nequit non esse inseparabilitas, & connexio causarum cum actione, & existentiâ objecti: talis autem connexio, quâ ratione non sit Decreti executivi? nam quid aliud constituere potest affectum in ratione executivi, si à Deo determinandus res est?

Solutiones Ripald.

74 Dicunt aliqui, Decretum intentivum, licèt alioquin efficax, distingui ab executivo: quia illud non determinat actionem. Hoc autè, *suprà* exclusum est. Dicit Ripalda. in eo distingui: quia Decretum intentivum vult existentiam objecti ponêdam per aliud Decretum. Sed hæc est quæstio: si Decretum est efficax, & connexio cum existentia objecti, ut quid aliud Decretum inducit? Deinde, quid obstat, quòd sint duæ causæ morales executivæ ejusdem objecti? Tertiò: vel vult existentiam ponendam per aliud decretum solùm, vel per se, & per aliud? Si primum: implicat manifestè: esset enim velle, esse se purè inefficax. Si secundû: ergo utrûque erit Decretum executivum: & tunc obstat multiplicitati superfluitas. Dicit Arriaga, in eo distingui, quòd Decretum intentivû sit actus imperans aliud executivum. Sed hæc est quæstio. Si enim se ipso est efficax, ut quid imperet aliud? Deinde quid obstat quòd uterque actus & imperans, & imperatus sit actus executivus? Tertiò: Decretum illud efficax non est minor connexio cum effectu, quàm cum actu imperato; sed est Decretum executivum actûs, & Decreti imperati: ergo & effectûs.

Arriag.

Ribaden.

75 Dicit Ribadeneyra, in eo distingui, quod Decretum intentivum egeat principiis alioqui sufficientibus ad effectûs positionem; executivum verò non egeat, sed constituat: sine ipso enim non est sufficientia ad positionem effectûs. Sed hæc etiam est quæstio. Si enim Decretum est efficax, cur se ipso nô potest applicare principia, & reddere sufficientia? Deinde, quid obstat quòd duæ causæ, se solis, sufficientes, adunentur ad executionem effectûs? Tertiò: licèt Divina voluntas cum cognitione sit principium alioqui sufficiens ad positionem Decreti executivi: tamen Decretum, quod dicitur intentivum, est executivum talis Decreti: ergo nullum est discrimen.

76 Sed juvat hæc tantisper aliter introspicere. Hæc omnia Moderni dicunt, ut salvent duo. *Primum*: quâ ratione stat Decretum præfinitivum efficax affectûs liberi nostri cum libertate: dicunt, stare non posse nisi præparatio Divinæ Omnipotentiæ fiat per decretum indifferens, & inconnexum cum opere: & hoc decretum indifferens dicunt per se requisitum ad operationem, & de ordine executionis, seu executivum: illud, dicunt per accidens adveniens, & de ordine intentionis, seu intentivum, atque adeò inductivum per modum imperii, respectivè ad indifferens. *Secundum*, quâ ratione licèt Deus prædestinet ante prævisa merita, tamen executio Gloriæ sit causata à prævisis meritis: dicunt enim, præcedere in Deo intentionem gloriæ conferendæ propter merita: vi cujus decreti videt merita absolutè existentia, & decernit executionem gloriæ. Volo nunc brevî ostendere quanta hîc misceantur digna, impugnatione: quam egregiè præstitam video à Reverendo admodum Patre Nostro M. Thyrso *tom. 1. & 2. select.* Disputatione multiplici, duo hæc, ut à Modernis defendi solent, ostendente esse incompatibilia. Cum fructu leges.

R. Adm. P. N. Thyrsus.

77 Imprimis Decretum Indifferens, licèt expediat Omnipotentiam, non tamen se, nec Omnipotentiam, nec causas secundas connectit cum actione, vel effectu, nec potest: alioqui jam non esset indifferens. Decretum efficax effectûs, ita tendit in actionem Omnipotentiæ, ut se, & omnipotentiam, & omnia, quæ sunt in Deo, & ipsam causam secundam connectat inseparabiliter cum actione: ergo magis est aplicatio Omnipotentiæ quàm Decretum Indifferens: cùm sit istius applicatio ad actionem, potiorique jure est de ordine executivo objecti; vel dicen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cendum eſſet de ordine executivo objecti magis, quod ſtare poteſt plenè ſine objecti executione, quàm illud, quod, ſine illâ, ex vi ſuæ connexionis, & energiæ ſtare non poteſt. Hoc à vero videtur eſſe procul.

78 Deinde Decretum indifferens eſt volitio, quâ Deus, quantum eſt ex ſe manet inconnexus cum objecto, vultque ſe ſinere alterius determinationi, modo, quantum in ſe eſt, compoſsibili cum hoc, aut ejus contradictorio. Decretum efficax eſt volitio, quâ Deus, quantum eſt ex ſe, manet connexus cum objecto, ſeque ipsũ determinat ad coexiſtentiam cum illo potiùs quàm cum contradictorio: ergo dicere, quod Deus per Decretum efficax objecti ſibi imperat Decretum indifferens, eſt dicere ſibi Deum imperare contradictorium illius quod efficaciter vult. Hoc etiam non videtur verum. Inſuper non poteſt Deus imperare ſibi Decretum indifferens per aliud decretum neceſsitans? Quid tunc juvabit iſta partitio? Quid autem minus habet illud Decretum efficax?

79 Præterea: poteſt Deus adjungere auxiliis ſecundùm ſe indifferentibus Decretum executivum efficax; quidni etiam Decreto ſecundùm ſe indifferenti? quid autem minus habet hoc, de quo quærimus? ergo præciſim ab hujuſmodi diſtinctionibus eſt ſalvanda incolumitas noſtræ libertatis, ejuſque concordia cum Divinâ. Demum illa alia diſtinctio pro executione Gloriæ, aſſumit, in Deo poſſe dari ſimul tendentias plures ad idem objectum: quod fortè ſine utriuſque imperfectione concipi nequit. Adde ſemper abſonum apparere, decernere ſecundò quod exiſtit alias: ſicut eſt abſonum velle Deum quòd ſit poſsibilis, Antichriſtus ob novum motivum. Ratio eſt: quia utrobique ſupponitur jam quod decernitur eſſe: quod niſi in potentiam noſtris ſimilem videtur non poſſe cadere.

Latiſsimè, & ex profeſſo de his tract. de Prædeſt. tom. in 1. p.

SECTIO VI.

FIRMATVR ASSERTA VERITAS, ſolutione argumentorum in oppoſitum.

De quibus latè loc. cit.

80 EA poſſunt innumera fieri ob Doctrinæ tranſcenſum in omnes ferè tractatus Theologicos: nec ſolvi deberent aliter, quàm per expoſitionem conſonam difficultatum occurrentium in eiſdem. Cingetur tamen ſolutio, quantùm poſsim, uberiùs danda cùm ſe det occaſio in aliis materiis ex filo conſequentiæ ad hoc principium contexendis. Et argumenta peti poſſunt ex triplici capite, vel genere. Alia *ex objectorum ordine, quaſi phyſico*. Alia *ex ordine, & cauſſalitate morali vel eorundem objectorum, vel actuum interſe*. Alia *ex parte noſtræ libertatis*.

§. I.

ARGVMENTA PRIMI GENERIS.

81 OBjicies primò: Objecta adinvicem ſeparabilia mutuò, nequeunt efficaciter decerni per unicum, & indiviſibile Decretum; atqui inter objecta, quæ poſſunt ſibi coexiſtere, & reipsà coexiſtunt, ſunt plura adinvicem ſeparabilia mutuò, ut eſt evidens: ergo decerni efficaciter nequeunt per unicum, & indiviſibile Decretum: dari ergo poteſt, & datur virtualis multiplicitas Decretorum. Probatur major primò: decerni per indiviſibile Decretum, eſt decerni modo inſeparabili, difformi Naturæ rerum decretarum. Secundò: quia quodvis Decretum efficax eſt quaſi exiſtentia ſui objecti; certè eſt connexio cum exiſtentia ſui objecti: ergo ſi objecta ſint adinvicem ſeparabilia mutuò in exiſtendo, neceſſe eſt, quòd Decretum unius ſit ſeparabile à decreto alterius. Probo conſequentiam: nam alioqui exiſtentia unius, vel eſſet ſimul exiſtentia alterius, vel connexa cum alterius exiſtentiâ: quod utrũque ſeparabilitati repugnat.

81 Reſpondeo, & nego majorem. Ad probationem primam dicatur, decerni res Decreto indiviſibili, eſſe decerni modo inſeparabili, qui non inducat inſeparabilitatem intrinſecam rebus, ſed extrinſecam, & contingentem: hic autem non eſt difformis rebus, quæ neceſſariò præferunt coexiſtibilitatem inter ſe, & præexigunt in Authore ſuo ſummam perfectionem, cui ſe conformant. Ad ſecundam, diſtinguo conſequens: neceſſe eſt quòd omne Decretum unius ſit ſeparabile ab omni alterius, nego. Aliquod unius ab aliquo alterius, concedo. Itaque objectorum ſeparabilitati ſufficit quòd unum decerni poſsit, quin decernatur aliud: non officit quòd ſimul poſsit utrumque decerni: hæc enim connexio non eſt rerum in ſe, ſed Decreti, & earum in Decreto non ſimpliciter ad earum quomodolibet ſumptarum exiſtẽtiam neceſſario: atque adeò rebus non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca: nec extitura, ſi alterutrum ſine altero poni debuiſſet. Sic quotidie accidere videmus in noſtris actibus plura tangentibus, quorum utrumlibet ſi ſine altero tangeretur, alter actus diverſus exiſteret.

83 Objicies ſecundò: ſingulæ res creatæ, etiam, ut ſibi coexiſtunt, habent ſuam unaquæque peculiarem bonitatem, & amabilitatem; & ſuam unaquæque imperfectionem, & contemptibilitatem: ergo unaquæque etiam in conſortio alterius, & ut alteri coexiſtit, eſt amabilis à Deo ſeparabiliter, & per decretum minimè comparativum ejuſdem cum aliis. Id autem ſine Decretorum virtuali multiplicitate, & ſeparabilitate cogitari non poteſt. Antecedens autem eſt evidens: & probo conſequentiam: quia nequit res etiam in conſortio alterius conſervare ſuam bonitatem, & contemptibilitatem ſpecialem, quin eoipſo retineat vim retrahendi affectum Divinum etiam in conſortio Divini affectûs in aliam rem: vis autem retrahendi affectum Divinũ etiam in conſortio affectûs Divini in aliam rem eſt vis terminandi affectum ſeparabiliter, ſeu ſeparandi affectum ſui ab affectu in aliam rem: ergo, &c.

84 Illuſtratur hæc ratio: quia multiplicitas virtualis Decretorum, ut non eſt actualis diſtinctio, ſeu diſtinctio inductiva alietatis intrinſecæ, non imminuit ſummam communicationem actualem inter formalitates, quibus intervenit: neque enim eſt minor identitas aut minùs perfectiva ſuorum extremorum, realis identitas ob diſtinctionem purè virtualem: Deinde eſt magis conformis Naturæ rerum, & Divinæ libertati: Naturæ rerum, quia earum ſeparabilitas tam in ſe, quàm in terminando affectum Dei intelligitur meliùs. Divinæ libertati, quia libertas Dei major, & expeditior concipitur, ſi poſsit ſtatuere, tùm de ſingulis rebus ſeorſim, tùm de omnibus conjunctim, ſeparabiliter, vel inſeparabiliter, prout libuerit, nec neceſsitetur uno velut impetu ferri in omnia, quæ vel placeant, vel diſpliceant. Sicut liberior eſt circa pecunias ſuas, qui vel donare, vel impendere eas poteſt tùm conjunctim, tùm diviſim, quàm qui diſponere nequit, niſi de totâ ſummâ. Non ergo eſt cur tantopere terreat nos virtualis multiplicitas Decretorum circa res ſingulas.

85 Reſpondeo conceſſo antecedente, nego conſequentiam in ſenſu arguentis. Ad probationem, diſtinguo: quin eoipſo retineat vim retrahendi affectum Divinum aliquem & omnem in conſortio omnis divini affectûs in aliam rem, nego: in conſortio alicujus divini affectûs in aliam rem, concedo. Hoc autem ſolùm eſt poſſe Deum decernere unam ſine alia, ſeu eſſe Deo poſsibile exercitium libertatis quod ſit affectus unius, & non alterius ob ſeparabilitatem intrinſecam rerum inter ſe; non verò eſt nec eſſe poteſt, decernere ſimul unam rem, & aliam per Decreta adinvicem ſeparabilia: quia unumquodque, ut commenſuratur Regulæ comprehenſivę utriuſque, eſt utriuſque comprehenſiva diſpoſitio, ſi utrumque diſponendum ſit.

86 Ad confirmationem, dicatur imprimis, Diſtinctionẽ Virtualem, ſi purè virtualis ſit, eſſe impoſsibilem, & inutilem rei præſenti, ut notatum *ſuprà*. Deinde dicatur, eam neceſſariò dicere diſtinctionem actualem in tertio: & hanc non pati formalitates exercitii Divini liberi. *Suprà à nu. 34. & 59.*

87 Inſuper quicquid ſit de Virtualis diſtinctionis conſtitutione, & energia, dicatur repugnare in terminis Decretum, ſeu virtualitatem, quæ circa rem, de quâ eſt Providentia, & diſpoſitio, non ſit adæquata, & perfectiſsima diſpoſitio providens, ſeu providentia; ſed egens alia virtualitate, per quam integretur in linea perfectæ diſpoſitionis, & Providentiæ: ſicut repugnat, quòd circa idem objectum admittantur in Deo duæ notitiæ virtualiter diſtinctæ, quarum neutra ſit in ſuâ lineâ adæquata comprehenſio objecti, ſed egeat alterutrâ altera ad conceptum adæquatæ comprehenſionis. Ratio: quia utralibet eſſet imperfecta, atque adeò neutra identificabilis cum prædicato Divino. Diſpoſitio autem, quæ ſola tenderet circa rem abſolutè ſumptam eſſet inadæquata diſpoſitio, & providentia rei, donec integraretur per diſpoſitionẽ comparativam cũ aliis omnibus rebus. Supponitur igitur falsò poſsibilitas realis identitatis earum formalitatum cũ Divinitate, & inter ſe: atque adeò diſtinctio virtualis, quæ neceſſariò ſupponit realem identitatem, libere aſſumitur.

88 Demum fruſtrà aſſumitur ex multiplicitate Decretorum, major conformitas rebus, & libertati Divinæ. Rebus, quia Deus nequit ſe illis conformare, ita ut imitetur earum imperfectionem. Libertati Divinæ: quia hæc multiplicitas repugnat operanti ex cognitione comprehenſivâ omnium quoad omnia, qualis eſt ipſa. Illa autem amplitudo

non

Universidad de Deusto
Biblioteca.

non tam eſſet amplitudo Dominii, quàm imperfectio ſimilis noſtræ. Tùm quia libertas in Deo ponitur ratione Dominii circa creaturas: hoc autem per neceſsitatem indiviſibiliter diſponendi, & providendi de omnibus, & de ſingulis, non imminuitur, ſed perfectius conſtituitur, utpote remotius à ſapore noſtræ libertatis, & imperfectione in Decernendo. Quare nego ſuppoſitum, & ſecundam partem antecedentis.

89 Objicies tertiò: quia non videtur ratio, cur Deo neganda ſint Decreta præciſiva, id eſt, talia, ut unum inducat exiſtentiam Petri, quin ſeipſo vel excludat, vel poſitivè inducat exiſtentiam Pauli, & econverſo: quo fiet, ut Petrus & Paulus decernantur ſimul per Decreta adinvicem inconnexa, & mutuò ſeparabilia. Quænam in hoc repugnantia? Confirmatur: quia ſaltem in Deo, volitionis Diſjunctivæ non apparet repugnantia: imò neceſsitas: talis videtur illa, quâ jubebat offerri ſibi aut par turturum, aut duos pullos columbarum; talis, quâ tendit in actus Chriſti, quorum in alterutro placeat æquè: talis, qua tendit, præcipiendo, in auditionem Miſſæ *A* vel *B*: quarum neutram determinatè vult, aut præcipit. Hic autem modus volendi diſjunctivus neceſſariò requirit multiplicitatem Decretorum virtualem: Nam diſjunctivo ſupervenire debet aut determinati extremi electio, aut gaudium de ipſo, aut quid ſimile.

90 Reſpondeo negando antecedens: & ratio eſt ipſa Dei perfectio, quæ ſicut exigit quòd ſi Petrus alioqui incipiens, & temporalis, decernendus ſit, fiat per Decretum non incipiens in tempore, ſed præexiſtens ſine principio, & ab æterno: ita exigit, quòd, ſi Petrus, & Paulus, alioqui adinvicem ſeparabiles, decernendi ſint, fiat per Decretum indiviſibile, ex multis *ſupra* datis, & inculcatis.

91 Ad confirmationem dicatur, in Deo eſſe affectus explicationis diſjunctivæ, non verò diſjunctivæ tendentiæ, ideſt, diſjunctivos in nobis, & non in Deo. Volo dicere, eſſe in Deo affectus, quos, nos aſſueti noſtris imperfectionibus explicare vix poſſumus niſi per diſjunctionem, quin tamen iſta imperfectio tranſcendat è noſtris potentiis, earumque actibus, in Deum. Nihil enim Deus vagè vult, ut nihil cognoſcit vagè. Nec volitiones illæ, quas Arguens objicit, ſunt in ſe Diſjunctivæ, ſed vel ſunt conditionatæ volitiones extremi *A*, ſi non ponatur *B*; inter quæ datur ſelectio Creaturæ; vel Decretum abſolutum de uniuſcujuſque ſufficientiâ ad finem, & abſolutè acceptativum illius quod Deus præſcit eligendum à creaturâ, paratus æquè acceptare electionem alterius determinarè, cujus optio oblata eſt. In his tendendi modis nulla eſt indeterminatio, nulla diſjunctio. Nec illa forma diſjunctiva præcipiendi præexigit formalem diſjunctionem in præcipientis intellectu, vel voluntate: accommodat enim ſe imperfectioni eorum, quibus explicatur præceptum, & quibus fit: ab eâque imperfectione ſumitur.

§. II.

ARGVMENTA SECVNDI GENERIS.

92 Objicies quartò: Nequit explicari cauſſalitas meriti ad præmium, & demeriti ad pœnam quin Decreta virtualiter multiplicetur in Deo. Probatur aſſumptum. Iſta cauſſalitas non eſt phyſica, nec purè finalis, ſed moralis efficiens; Atqui cauſſalitas moralis efficiens, ut contradiſtincta à purè phyſica, & à purè finali nequit intelligi, quin Decreta multiplicentur: quod oſtendo: nam iſta cauſſalitas in eo conſiſtit, quòd merita v. g. præviſa jam exiſtere, inducant exiſtentiam præmii; ſed nequeunt merita præviſa jam exiſtere, inducere exiſtentiam præmii, ſine multiplicitate Decretorum: quod probo: nam nequeunt inducere exiſtentiam præmii, niſi medio decreto de exiſtentiâ præmii propter meritum præviſum exiſtere: ſed nequeunt ita inducere exiſtentiam præmii, quin ſupponantur exiſtere: nequeunt autem ſupponi exiſtere ſine Decreto aliquo præexiſtenti: ergò de primo ad ultimum nequit explicari cauſſalitas meriti ad præmiũ, quin Decretum de exiſtentiâ meriti præcedat, & fundet præviſionem abſolutam ipſius meriti, quę demum inducat Decretum aliud præmii.

93 Confirmatur in ſpeciem urgentiſsimè. Dari præmium propter meritum, non eſt præciſè merita præceſsiſſe, & poſt illa eſſe gloriam: poſſunt enim merita præcedere, & ſubſequi gloriam, quin iſta detur in præmium: ergo ultrà requiritur affectus quaſi cauſſatus à meritis abſolutè præcedentibus, ſaltem in præviſione, & qui inducat exiſtentiam gloriæ propter merita. Confirmatur ſecundò: nam communis opinio Societatis tenet repugnare Decretum poſitivè reprobativum niſi ex demeritis abſolutè præviſis: ergo quia abſoluta præviſio demeritorum debet præcedere ad tale Decretum; ſed omnis abſoluta præviſio ſupponit Decretũ: ergo. Video miſceri *hìc* ſine examine multa, quæ multo egebant.

94 Reſpondeo ad argumentum primò: negando ejus aſſumptum. Ad probationem nego minorem. Ad probationem iſtius, nego majorem, in quâ latet Arguentium æquivocatio. Cauſſalitas moralis unius rei in aliam, non ſtat in eo, quòd meritum v. gr. præviſum exiſtere, inducat exiſtentiam præmii, præviſione cauſſante Decretum inductivum præmii: ſtat in eo, quòd præmium inducatur à parte rei propter, & poſt meritum, & non niſi ex ſuppoſitione meriti reipsà præcedentis: hic autem ordo non eſt ordo inductus ab objectis in Decretum, ſed inductus in objecta à Decreto ſtatuente, non aliter ponendam eſſe rem, quæ datur in præmium, niſi propter, & ex ſuppoſitione antecedentis obſequii. Hæc eſt energia affectûs præmiativi, quam tamen nos vel ad guſtum, vel ex neceſsitate noſtræ imperfectionis in volendo, & concipiendo, non aliter explicamus, quàm extrinſecè diſtinguendo tendentias in affectu Divino, quaſi una præcedat ad aliam, & una cauſſetur à meritis noſtris, & non alia; una ſubſequatur ad præviſionem meritorum, & non alia: & ſatis aptè: quia ea energia affectûs, licèt indiviſibiliter ſit tendentia affectiva circa meritum, & præmiũ, & utrorumque viſio, talis eſt ut æquivaleat modo decernendi noſtro, quo, expectatâ notitiâ obſequii, ut concauſsà noſtri affectûs præmiativi, elicimus hunc. Longè tamen aliter eſt in Deo: cujus affectus nõ cauſantur à nobis, licèt nos, mediis ipſis, unam rẽ dicamur moraliter cauſſare per aliam, ut præmium per meritum. Vide quæ *ſuprà* in confirmatione ſecundæ probationis. *Num. 28.*

95 Ad primam confirmationem admiſſo antecedente, negetur conſequentia: ſufficit enim volitio illius energiæ, quam deſcripſi: neque enim merita noſtra cauſſant gloriam, exercendo cauſſalitatem in actus Dei incauſſabiles, ſed in gloriam. Ad alteram dico, ſenſum verum illius opinionis communis eſſe, relatè quoad nos, ſic explicantes energiam Decreti reprobativi, quaſi reipsà præviſio culpæ realiter, & in tempore induceret ipſum: habetur enim à Deo propter peccata, quæ purè permittit, & quaſi coactus punit, & videt. Re tamen ipſa Decretum reprobativum non eſt poſitivè poſterius præviſione culpæ, ſed negativè, & æquivalenter quoad nos: in ſe tamen indiviſibiliter comitans.

96 Reſpondeo ſecundò, negando iterum aſſumptum argumenti; & minorem primæ probationis. Ad alteram, concedo majorem, & nego minorem: meliùs enim tota ea directio præviſionis abſolutæ intelligi poteſt identificando Decreta ſimul interſe virtualiter, & cum præviſione abſolutâ rerum. Nam, ut verè dicantur merita v. gr. præviſa jam exiſtere, quòd inducunt exiſtentiam præmii, ſufficit quòd præviſio meritorum dirigat decretum ipſius præmii: ut eſt evidens: neque enim Adverſarii intendunt, neque intendere poſſunt aliud, niſi iis devolvatur ad puras voces.

97 At directio cognitionis in affectum ſtare poteſt ſine ullâ virtuali diſtinctione, aut præceſsione, ut reipsà explicari ſolet inter cognitionem Dei, & amorem neceſſarium ipſius: & nos *ſuprà* explicuimus diſſerendo, talem eſſe metaphyſicam conſtitutionem, & energiam illius Decreti ſimul videntis merita, & ſtatuentis præmium, ut ex ſuo modo tendendi potiùs ſit Decretum præmii: quia præviſio meriti, quàm præviſio meriti, quia Decretum præmii. Hæc enim energia, ſi reverà ſit, ut contendimus eſſe, benè explicatur à nobis per propoſitiones cauſſales à præviſione in Decretum, & modos quibus ſignificatur anteceſsio illius ad iſtud. Verum in objecto ſola correſpondet illa vis eſſendi, quam niſi per has imperfectiones loquendi, nos explicare, vel capere vix poſſumus. *Suprà à nu. 31.*

98 Ad primam confirmationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam: & concedi poſſet, ſi ſola intenderetur explicata directio, ut intendi debet. Ad ſecundam dicatur, juxta hunc modum reſpondendi, ſatis intelligi Decretũ reprobativum eſſe poſt præviſionem, ſignificando poſterioritatem directionis, non verò exiſtentiæ virtualis: Directio enim non fundat præexiſtentiam virtualem in notitiâ dirigente, ſed rationis, & purè extrinſecam. Sed latiùs de his *in tract. de Prædeſtinatione.* *Tom. in 1. p. tract. 2.*

99 Objicies quintò: Decretum de exiſtentia Chriſti præcedit ad Decretum infuſivum gratiæ, & remiſsivum noſtrorum peccatorum; ſed hæc præcedentia ſtare nequit ſine Decretorum virtuali multiplicitate: ergo. Minor eſt evidens: & oſtenditur major: quia Decretum remittendi peccata ſubſequitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad scientiam visionis, qua prævidentur existere Christus, & ejus merita: sit enim remissio propter Christi merita oblata, & existentia; atqui nequit subsequi ad scientiam Visionis de Christi, ejusque meritorum existentiâ, quin subsequatur ad Decretum de existentia Christi, ejusque meritorum: Tùm quia illa prævisio est Decreto posterior. Tùm etiam: quia nequit existentia Christi, ejusque meritorum, poni sine Decreto antecedenti: ergo.

100 Confirmatur in speciem difficulter. Sunt peccata, quæ permittit Deus in pœnam præcedentium: sed id nequit intelligi sine multiplicitate virtuali Decretorum: ergo hæc nequit negari posibilis. Major est communis, & probatur minor: Nam voluntas punitiva supponit absolutam prævisionem culpæ: punit enim, quia videt peccatum existere, seu quia homo v.g. peccavit: quod est perinde: ergo voluntas permittendi peccata in pœnam præcedentium, supponit præcedentium absolutam prævisionem: ergo & decretum permissivum eorum: nam quod supponit *B*, necessariò est posterius *A* antecedenti ad *B*. Verùm in his, & similibus non est nova difficultas, sed nova materia, ubi cadit eadem: unde nec nobis est opus solutione novâ.

101 Respondeo primò negando majorem, & antecedens probationis: Neque enim id requiritur, ut remissio fiat ex meritis Christi jam existentibus, & propter ipsa: Nam hæc caussalitas non est caussalitas, quâ merita Christi causent volitionem remissivam Dei, seu infusivam gratiæ, sed quâ causent infusionem ipsius gratiæ: ad idque sufficit quod velit Deus merita Christi esse causam Gratiæ, seu gratiam esse propter & post merita Christi, volitione tamen non causatâ per merita. Incausabile enim caussari non potest. Ut autem hæc & similia velit Deus, non requiritur præcedentia visionis (neque enim Deus ex illis est, qui instruuntur ex factis ad faciêda, & consilium capiunt ex eventu priorum ad stabilimentum subsequentium; quippe independenter ab omni determinatione suæ libertatis, scit comprehensivè naturas, & eventus rerum quantum debet;) sed sufficit præcognoscere, posse merita inducere; & gratiam post, & ob illa: quod præcisim à Visionis scientia præcognoscit per simplicem intelligentiam, & Scientiam Mediam.

102 Ad confirmationem permissa majori, de qua doctè Pater Herrera *quæst. 5. de Voluntate Dei sect. 5.* nego minorem. Ad probationē, dicatur, pœnâ debere supponere culpam, non verò voluntatem punitivam, ut de præmio, & merito diximus. Neque ut verum sit, puniri Reum quia peccavit, aut quia visus est peccare, requiritur, quòd prævisio culpæ antecedat Decretum punitivum, sed executionem pœnæ, non ponendam nisi ex suppositione culpæ præcedentis; & propter ipsam. Responderi secundò potest ad argumentum, & confirmationem, ex secundâ solutione argumenti antecedentis, permittendo, quod prævisio meriti præcedat directivè purè Decretum præmiativum; & prævisio culpæ, punitivum: negando, quod virtualiter præcedat, sed solùm extrinsecè, & quòad conceptus nostros: nam directio stare potest cum virtuali indistinctione.

T.D. Aug. Herrera.

A nu. 29. & à num. 94.

Num. 96.

103 Objicies sextò: Decretum rerum distinguitur virtualiter, & præcedit ad Visionem rerum earundem: in quo, opus est infringantur argumenta nostra, & præcedentes solutiones nitent. Probatur autem assumptum primò: quia juxta communem doctrinam Societatis Scientia Visionis est objecto suo posterior: Decretum, prius. Secundò: Decretum est causa rerum: Scientia Visionis non est causa rerum. Tertiò: Nā, quia decernitur res à Deo, est res; non autem est quia videtur à Deo, sed econtrà. Hæ autem caussales, & propositiones oppositæ verificari nequeunt sine virtuali distinctione, & præcedentiâ. Noto, mihi independenter ab his Doctrinis, jam diù certum esse scientiam Visionis rerum vel indistingui virtualiter à Decretis, vel saltem à complexo Scientiæ Mediæ, & *Scientiâ* de positione hypothesis, quæ Scientia de hypothesis positione, à me indistinguitur à Decreto ponente hypothesin.

Latè de Deo Scïēte in 1. p.

104 Iam Respondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, d'co, Sententiam communem Societatis debere intelligi de Scientiæ posteriorit ate, *per rationē, & quoad conceptus nostros*; ut vult Ribadeneyra *disp. 16. de Prædestinatione cap. 3.* Vel *de posterioritate negativā*, quasi cōtra Thomistas negandum sit, Scientiam illam visionis esse positivè priorem objecto suo in linea Scientiæ dirigentis; vel de *posterioritate determinationis*, ut *ipse* censeo. Itaque Scientia est prior modo, quo Decretum, & decretum modo, quo Scientia. Et hæc & illud sunt quid prius executivè: neutrum determinativè,

Ribaden.

Thomistæ.

Infrà: & latiùs in 1. p.

Mox à nu. 112.

vè, ut explicabo *mox*: utrumque est quid caussativum in munere affectus; neutrum in munere Scientiæ: utrumque est decretum executivum: neutrum est Scientia directiva: & hoc negatur, cùm negamus Scientiam visionis esse causam rerum; negamus enim Scientiæ, munus causandi proprium Scientiæ, seu in lineâ Scientiæ, non verò propriū Decreti, aut in lineâ Decreti. Vtrumque est in Deo dependenter ab arbitrio nostro, & ex necessitate à nobis in Deum inductâ, præsertim ut Visio est, modo *mox* explicando. Neutrum est independenter, & citra necessitatem à nobis in Deum inductam: & id est sciri res à Deo, quia res eruut; non verò res futuras, quia Deus scit. Vnde patet ad probationes reliquas: & virtualis distinctionis, & præcedentiæ nulla necessitas.

Mox à nu. 120.

105 Objicies septimò: Deus pro statu gratiæ amat amicabiliter hominem: eundem que inimicabiliter odit pro statu peccati: quis autem credat amorem amicitiæ, & odium ejusdem objecti inimicabile, esse actum virtualiter eundem? Confirmatur: Negari nequit voluntas, quâ generaliter velit Deus Omnes homines salvos fieri, tam Reprobos, quàm Prædestinatos: ista autem voluntas necessariò præcedere debet, & distingui à Decreto Reprobativo, & à Prædestinativo. Debet ab utroque, quia est voluntas circa omnes communis, & inefficax. Debet specialiter à Decreto Prædestinativo: quia per nos, præcisim ab indivisibilitate Decreti, repugnat specialiter virtualis identitas Decreti efficacis, & inefficacis circa idem. Debet à Reprobativo: alioquin duo absurda manifestò fierent. Primum: Deum omni suâ voluntate liberâ noluisse judam v.g. salvum fieri. Secundum: nullum circa salutem factum à Deo esse beneficium reprobis: nam omni voluntate suâ voluisset Deus eorum condemnationem.

106 Respondeo ad argumentum, exinde probari, eos actus distingui inter se realiter. Quod si nullam movet Adversarios admirationem, realis identitas: neque est cur etiam ipsis moveat identitas virtualis, cùm & amor & odium sint respectivè ad statum diversissimum. *Alibi* de materia argumenti latiùs. Ad confirmationem, de cujus etiā materiâ dicuntur à plurimis plurima, quibus uti opportunè possemus sine ullo superioris Doctrinæ incommodo, & de quibus in loco suo: dicatur, Deum quidem, ut Paulus verè loquitur, verè, & ex animo velle omnes homines salvos fieri. Ad id autem (neque enim Deus confusè id vult, & indeterminatè, nec modo tendendi implenti imperfectionem concipiendi nostram) sufficit, & de Prædestinatis velle efficaciter, dum prædestinat; & de Reprobis, inefficaciter velle, dum parat auxilia, & media sufficientia licèt eodem indivisibili affectu permittat ipsis finale peccatum, & propter ipsum, (quod satis dissuadet, & ex homine tantùm est,) positivè excludat à Gloriâ. Vnde non sequuntur illa, quæ putantur absurda: licèt enim omni voluntate suâ liberâ Deus velit reprobationem, vult eam propter peccata hominum, non futuram ex parte Dei, nisi peccata ponerentur: quare etiam omni suâ voluntate vult seriò, & quantum est ex se, quòd opus est ut salventur: nec ullâ voluntate vult quantum est ex se, & citra peccata ipsorum hominum, reprobationem. Alibi de his.

Vide Muniessam, de Essent. & Attrib. disp. 19.

Latè Nos in 1. p. Tract. de Prædest.

§. III.

ARGVMENTA TERTII GENERIS.

107 OBjicies octavò: Quando liberè evito peccatum, est in Deo Decretū indifferenter præparans Omnipotentiam ad utramque partem libertatis; atque adeò māsurum, etiam me peccante; utpote conjungibile cum peccato, & evitatione peccati; sed, me peccante, non manerent in Deo alia Decreta, quæ nunc habet, neque Scientia Visionis, quæ nunc est: sunt ergo nunc in Deo Decreta adinvicem separabilia, atque adeò distincta virtualiter. Minor est evidens: nam neque manerent Præfinitio evitationis, neque visio ipsius, &c. Augetur hæc difficultas, & confirmatur argumentum, insinuando fontes, unde nascuntur objectiones innumeræ, & summè difficiles.

108 Primò: si nullum est decretum virtualiter distinctum ab alio, & omne dependet essentialiter à Scientia Media, Applicatio Divinæ Omnipotentiæ nequit non esse connexa cum alterutro ex extremis determinatè: ergo non est indifferens: ergo neque offertur nobis indifferenter concursus Omnipotentiæ: ergo neque nos sumus liberi.

109 Secundò: Eoipso quod nulla sit possibilis distinctio inter Divinos affectus, & Decreta, Decretum prædefinitivum boni consensûs, utpote collativum libertatis, & applicativum omnipotentiæ, esset prædeterminativum: esset enim antecedens connexio cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

actu, simpliciter inevitabilis : quod ostendo: nam libertas operari non potest, nisi modo quo est; atqui in tali casu non est nisi modo incompossibili cum dissensu v. g. nequit ergo operari nisi modo incompossibili cum dissensu: atqui sic operans nequit evitare consensum : ergo neque evitare modum, quo est incompossibilis cum dissensu.

110 Tertiò : Decretum, quo manet omnipotentia connexa cum opere, est decretum quo Deus se determinat ad opus: & quo manet Voluntas connexa cum opere. Patet: nam voluntas non aliter est nisi per hoc decretum per nos: ergo non est aliter, quàm connexa cum opere ex determinatione Dei: quî ergo manet libera ? Quartò : Decretum applicativum Omnipotentiæ dicitur & est constitutivum libertatis nostræ: ergo nequit esse connexum cum effectu determinato : alioquin Hypothesis Scientiæ Mediæ, quæ est nostra libertas, penitùs destruitur, cum ipsâ Scientiâ Mediâ. Tùm quia signum libertatis, utpote signum indifferentiæ, nequit dicere connexionem cum hoc potiùs, quàm cum illo. Ergo tale decretum necessariò est distinctum & separabile à Scientiâ Visionis, à Scientiâ Mediâ determinatâ, à Decreto Prædefinitivo, à Prædestinativo, à collativo auxiliorum. Vide, si Decreta redundant?

111 Quintò : nam si Exercitium Divinæ libertatis, quo expeditur Omnipotentia, parantur auxilia, Voluntas ponitur, est indivisibile, & connexum cum consensu determinatè, vel determinatè cum dissensu, sive ex affectûs efficacia, sive ex essentiali dependentia à determinatâ Scientiâ Mediâ, sive aliunde. Qui consentit, ita consentit, ut non possit dissentire; & qui dissentit, ita dissentit, ut consentire non possit : ergo neuter liberè. Probatur assumptum: quia qui consentit, aut dissentit : aut consentit cum defectu actuali essentialis, & antecedentis prærequisiti ad extremum contradictorium; atque adeò simpliciter ex operantis libito inacquiribilis: nam per posterius nequit acquiri, quod ad ipsum supponitur, & est prius. Extendi hæc infinitiès possent.

Latissimè tom. in 1. p Tract de Prædest.

112 Vt hæc breviter, & solidè solvi possint, ex his, quæ latè in tractatu de Prædestinatione discussi, (quò me remitto) notanda sunt, & habenda quammaximè præ oculis aliqua, circa constitutionem creatæ libertatis in actu primo, & *Præparationem Indifferentem Omnipotentiæ* ad Actus liberos creatæ Voluntatis. Doctrinam hîc totam insinuo: quam ex professo, exponam, (Deo dante,) in Tractatu de Prædestinatione: ex quo, totam (ut anno 1678. primò dictavi) sincere transcriptam, anno 1682. transmisi ad P.M. Franciscum Vazquez, ex Nostris tunc Primarium Complutensem, ut me dirigeret, & doceret in re tam gravi. Ipse, Re, cum Autographo meo, communicatâ cum Reverendissimo Patre Nostro Generali P. Thyrso Gonzalez, Primario tunc Salmanticensi, suæ eruditè subscriptioni addidit perdoctas tanti Magistri litteras ad se datas 26. Augusti ejusdem anni, (quas apud me habeo:) in quibus expeditam eam censuit vir Doctissimus pro concordiâ Decretorum efficacium cum libertate nostrâ : dignatus illam postmodùm illustrare, longo discursu, *tom. 2. select. disp. 15. sect. 8.* Igitur, post veneratos hos Magistros, eorum, quæ ex eo loci notanda sunt in præsenti, est

Doctrina Authoris de Præparatione Divinæ Omnipotentiæ ad Actus liberos.

P. M. Fr. Ciscus Vazquez.

R. Adm. P. N. Thyrsus.

113 Primum. Applicatio Divinæ Omnipotentiæ ad opus, præsertim liberum, tripliciter considerari potest. Primò, formaliter, & per modum determinationis ad opus : & hæc consistit in actu secundo, & est ipsa actio, quâ Omnipotentia se formaliter applicat ad agendum, seu est formaliter Agens in actu secundo. Secundò, præparativè, & per modum se sinentis, & se attemperantis activè Potentiæ creaturæ liberæ: & hæc consistit in Decreto, quo creaturæ dat media indifferentia, & per se subordinata Potentiæ creaturæ, seque & creaturam non vult impedire ab operando : imò vult non operari nisi dependenter à libito creaturæ, & attemperatè cum ipso: quare tale decretum necessariò est exclusivum omnis decreti independentis à creatura in operando, necessitantis, & inducentis vel per se, vel per motionem intrinsecam prædeterminativam, Voluntatis operationem. Tertiò: etiam præparativè, & per modum se sinentis, seque passivè attemperantis Potentiæ creaturæ liberæ : & hæc applicatio consistit in passivâ exhibitione comprincipiorum ex natura suâ subordinatorum Potentiæ creaturæ ad operandum, adjunctâ exclusione omnis principii necessitantis, & prædeterminantis, & omnis impedimenti inevitabilis.

In quo consistat

Hæc Præparatio

Planè indifferens?

114 Ratio est : quia cùm Omnipotentia sit ex se necessitas operandi, si creatura operetur: quia est necessitas, ne sit aliquid in rebus improductum ab ipsâ; ipsa passiva exhibitio principiorum per se institutorum ad opus, & subordinatorum potentiæ, nequit non

non esse ex suâ naturâ, passiva attemperatio, & præparatio Omnipotentiæ, talis qualis sit Natura comprincipiorum. Nam cùm Omnipotentia non operetur frustrà, ipsa passiva exhibitio mediorum ad operandum, quæ conferuntur creaturæ ex fine operationis, & quæ ipsi creaturæ subordinata sunt, & per se instituta ad operandum, eâ ipsâ actione, quâ fiunt ab Omnipotentiâ, exercitè expediunt, præparant, & plenè attemperant instar cujusdam habitûs, ipsam Omnipotentiam, sine quâ essent frustrà in potentiâ, cui exhibentur. Vnde si ex naturâ suâ sint per se indifferentia, & in essentiali suâ conditione sinantur; nequit non esse indifferens præparatio Divinæ Omnipotentiæ ad opus. Nec illi Decreto, per quod exhibentur ista comprincipia, potest obstare, ne sit oblatio concursûs indifferentis, & indifferenter præparativum Omnipotentiæ, aliqua connexio, si ea connexio non sit nisi ex suppositione creatæ determinationis, ut per se patet : & explicabo *mox* : latiusque *in tractatu de Prædestinatione*.

Quid importet proxima libertas?

115 Secundum. Potestas proxima ad opus, atque adeò proxima potestas potentiæ liberæ, seu libertas ad dissensum, vel consensum, necessariò, & essentialiter dicit in suo constitutivo omnipotentiam applicatam, uno ex prædictis modis : non tamen primo, nec secundo modo, sed tertio. Non primo: quia actus secundus non constituit actum primum, sed supponit, ut à quo oritur. Non secundo : tùm quia satis præcisim ab ipso Decreto intelligitur constitutum objectum ipsius, quæ libertas nostra proxima est. Tùm quia Decreta non se habent nisi extrinsecè ad res, quas ponunt: ut ergo, licèt homo poni non possit, neque ipsius productio sine Decreto Dei, præcisim ab ipso, concipitur passivè, & formaliter constitutus homo, & constituta productio, sic similiter in casu nostro.

Quid signum indifferentiæ?

116 Vnde fit primò : signum proximæ libertatis nostræ sumptum constitutivè, non esse signum Decreti, sed ab eo præscindere, non præcisione exclusivâ, sed constitutivâ; adeòque esse independens quoad essentialia ab hoc numerò Decreto, à quo ponitur, & ab hac determinatâ Scientiâ Mediâ, cui coexistit. Fit secundò : Scientiam Mediam, ex parte hypothesis, non attingere Decretum ullum : hypothesis enim Scientiæ Mediæ, seu tacta per ipsam, est signum nostræ libertatis, & non Divinæ, nostræ, *inquam*, à cujus eventu pendet, ex parte, constitutio divinæ libertatis, ut, si velit per suæ libertatis exercitium, ponat hypothesim nostræ libertatis. Fit tertiò: signum Proximæ libertatis creatæ essentialiter, & constitutivè sumptum, præcisim à Decreto, ut nuper dixi, formaliter dicere præparationem indifferentem Omnipotentiæ, & hanc indifferenter præparatam, modo præparationis, & attemperationis ad jura libertatis, reipsà copossibili cum utrolibet ipsius extremo, quod pro libito velit eligere creata voluntas.

117 Nec dicas: Exhibitio Comprincipiorum, & auxiliorum secundùm se indifferentium componi potest cum adjecto principio Necessitante, & cum Prædeterminatione, & cum impedimento inevitabili. Respondeo primò, negando id esse semper verum: nam possunt esse auxilia, & comprincipia ita ex se indifferentia, ut ex se excludant vim prædeterminantem, necessitantem, & inevitabiliter impedientem. Id præstaret Conscientia connexa cum præcepto Divino de operatione : suasio infusa boni cum terrore à malo: & id genus alia. Respondeo secundò, negari à Patre Vazquez id posse contingere: quanto probabilitatis pondere, dicam in tractatu *de Actibus*. Respondeo tertio : ideò à me dictum, eam comprincipiorum exhibitionem, dicere, Naturam eorundem indifferentem, & adjunctam exclusionem omnis vis prædeterminantis, & inevitabiliter impedientis. Quid, *inquies*, est hæc exclusio? Dico, si passivè non sit ipsa conditio principiorum indifferentium, ut Vazquez vult *passivè* esse nihil eorum, quæ non sunt: unde indifferens præparatio Omnipotentiæ de Negativo dicet hanc exclusionem, & de positivo comprincipia.

Quæ connexio non obstat libertati?

118 Tertium. Nulla connexio prærequisiti ad positionem libertatis, & à quo istius executio pendeat, licèt sit connexio essentialis cum determinatâ parte libertatis, & aliquomodò antecedens, potest obesse libertati operationis, dummodò sit extrinseca nobis, & à nobis impedibilis, nec habita à Deo, nec possibilis haberi, nisi dependenter à nobis determinantibus. Ratio, quæ patet evidenter in Scientia Visionis, & Mediâ juxta principia Scholæ nostræ, est: tùm quia tale prærequisitum, licèt alioqui connexum, debet esse simpliciter posterius in genere determinativo. Tùm quia, quod est à me impedibile per usum meæ libertatis, necessitare nequit ad id, cum quo connectitur, ut patet

ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex terminis. Vnde ea impedibilitas, & attemperatio ad determinationem voluntatis, obstat, ne illa connexio dici possit connexio vel determinans, vel necessitans, sed purè consequens in ratione connexionis.

Quid sit Actus Divinos esse impedibiles

119 Quartum. Vt Scientiam Mediam esse impedibilem, & evitabilem ex se, nihil aliud est, (seclusis vocibus rem plerumque obscurantibus,) quàm esse ex naturâ suâ ita in existendo dependentem à consensu, & ita esse in existendo attemperatam naturæ consensûs, quem attingit sub conditione, ut repugnet existere, nisi sub tali conditione, si poneretur, consensus existeret ex privativâ determinatione creatæ libertatis: ita Decretum esse impedibile, & evitabile nihil aliud est, quam esse talis naturæ, ut repugnet existere in Deo, nisi ex suppositione talis consensûs nostri. Vnde Decretum essentialiter pendens à Scientia Media, nec aliter potens existere in Deo nisi præcedente hac Scientiâ Mediâ, necessariò est impedibile à nobis: quod enim essentialiter pendet ab impedibili, nec aliter potest existere, impedibile est ab eo, à quo prius est impedibile.

Quæsit cõditio, & usus Scientiæ Mediæ?

120 Quintum. Licèt libertas nostra posita non ponit nisi per Decretum Dei essentialiter connexum cum determinatâ parte contradictionis, ad quam dicimur esse liberi, sive ex essentiali dependentia à determinatâ Scientia Media, & non ex efficaciâ affectûs, sive ex efficaciâ affectûs attemperatâ Naturæ Scientiæ Mediæ, non obstat ne libertas proxima maneat ad utramque partem, nève Decretum sit simpliciter impedibile per hanc numerò libertatem. Ratio prioris partis sumitur ex secundâ notatione. Ratio posterioris est: quia ille modus decernendi nostram libertatem, habetur à Deo ex antecedente necessitate sic decernendi, si decernere velit, Deo non liberâ, sed nobis, neque necessariò in Deo præsuppositâ, sed in Deum à nobis inductâ: est enim ipsa Natura Scientiæ Mediæ: quam sequitur Deus in Decernendo, & cui se plenè attemperat, & conformat.

Suprà lib.2 disp. 2.

121 Vt enim, ex dictis *lib.2. disp.2.* Scientia simplicis intelligentiæ est in Deo necessitas disjunctiva, vel non decernendi creaturam, vel eam cum suis proprietatibus decernendi; sic similiter Scientia Media est in Deo disjunctiva necessitas vel non ponendi libertatem nostram, vel eam ponendi per Decretum attemperatum ipsi, nostræque proinde determinationi. Patet autem connexionem non aliter existentem in Deo, (si existit) quàm ex necessitate posità in Deo à nobis, necessariò esse simpliciter dependentem à nobis, & evitabilem. Quare Deus liber est ad ponendam, vel non ponendam libertatem nostram, sicut est ad producendam, vel non producendam aquam v. g. necessitatur tamen ad sic, & non aliter decernendam, si decernere velit; sicut ad sic, & non aliter producendam aquam, si producere velit.

Applicatio Doctrinæ.

122 Vbi (agitur enim hîc de totâ summâ rei) advertenda sunt maximoperè quatuor. *Primum*, quàndo dicitur: *Voluntas, & libertas est v. g. modo incompossibili cum dissensu* distingue, *attentâ constitutione libertatis*, nego. *Attento Decreto, quo ponitur*, subdistinguo: *incompossibili consequenter, & ex suppositione nostræ determinationis, atque adeò evitabili*, concedo. *Simpliciter antecedenter, & independenter à nostrâ determinatione, atque adeo inevitabili*, nego. Quid autem mirum, quòd modus ponendi libertatem sit incompossibilis cum dissensu, si ponitur ex suppositione consensûs, & in casu consensûs, qui est incompossibilis cum dissensu?

123 *Secundum*: quando dicitur: *Voluntas nequit evitare Decretum, & modum, ex quo unicè est.* Distingue: *nequit evitare per ipsam suppositionem, ex quâ est per tale Decretum, & cum tali modo*, concedo: suppositio enim consensus, non vitat connexionem cum ipso. *Per suppositionem contradictorii*, nego.

124 *Tertium*: quando instatur: *Suppositio contradictorii est nunc impossibilis*, distingue: *est impossibilis nunc, nunc significante compositionem suppositionis de dissensu cum suppositione consensûs*, concedo, *nunc significante constitutionem libertatis, evitando per ipsam suppositionem consensûs, & existendo cum suppositione dissensûs*, nego. Si enim Voluntas esset dissentiura, vel dissentiret, vel esset cum suppositione dissensûs, (quæ sunt perinde,) existeret cum & ex alio modo: præexistisset enim in Deo & alia Scientia Media, & Decretum aliud. Idque ex necessitate à me in Deum inductâ.

125 *Quartum* denique cùm dicitur: *quod est prius nequit acquiri per id quod est posterius.* Distingue: *quod est executivè prius, & determinativè posterius nequit acquiri physicæ acquisitionis genere*, concedo: *nequit acquiri genere acquisitionis purè determinativæ, & intentionalis*, nego. Sic in tempore positi dicimur acquirere posse scientias Divinas, quæ exercentur ab æterno. Hæc enim acquiribilitas indistinguitur à Naturis earû scientiarû *supra* descriptis. Ex his altè penetrandis, video solidam, & facilem solutionem eorum, quæ, terruere, fateor, aliquando me, & terrent hodieque quamplurimos.

126 Respondeo ad argumentû negando, quoad duas ultimas partes, antecedens: me enim peccante, existeret alius providentiæ modus, aliusque decernendi: vitatusque esset, qui modò est, cùm evito peccatum. Nec ad libertatem opus est posse componere cum omnibus prærequisitis ad ipsam, utramlibet contradictionis partem: sufficit utramlibet cum proximâ libertate posse componere, impediendo, ne sint, quæ cum determinatâ parte connexa sunt ex prærequisitis, à quibus constitutivè præscindit libertas proxima, & à quibus ipsa non pendet determinatè, & essentialiter.

127 Ad primam confirmationem distinguo antecedens: applicatio passiva, & quæ libertatem constituit, nego. Activa, & extrinseca signo libertatis, subdistinguo: est connexa connexione determinationis, & independenti à nostro libito, & pro ipso inevitabili, nego: connexione attemperationis ad arbitrium nostrum, & evitabili, concedo. Et distinguo consequens: Non est indifferens objectivè, nego. Formaliter, subdistinguo: non est indifferens, indifferentia contrapositâ connexioni, concedo. Contrapositâ determinationi, nego consequentiam. Et quæ subinferuntur.

128 Ad secundam, nego sequelâ: ad probationem dico duplici modo esse libertatê, quotiescumque est; & modo suæ constitutionis; & hic est indifferens: & modo extrinseco positionis: & cum ipso, potest operari quòd sit evitativum illius, non conjungendo evitationem ipsius cum ipso, sed disjungendo: necesse enim est, quòd si operaretur evitando, existeret posita libertas eadem ex alio modo. Vide quæ in hanc rem

Nuper à num.122.

nuper in fine notationum.

129 Ad tertiam distinguo antecedens: est Decretum, quo Deus se determinat, necessitatis à creatura ad sic se determinandû, seu ex suppositione liberæ creaturæ, seu dependenter à determinatione creaturæ, concedo, sine ullo respectu ad libitum creaturę, nego. Deinde distinguo secundam partem: manet voluntas connexa, connexione simpliciter consequenti in genere determinativo, & simpliciter evitabili, seu connexa ex suppositione suæ liberæ connexionis ad opus, concedo. Manet connexa, connexione simpliciter antecedente, & inevitabili. Nego antecedens quoad primam partem: Et consequentiam.

130 Ad quartam: Nego ex secundâ & primâ notatione, quod assumitur. Pete exinde rationem, & solutionem. Ad quintam: Negetur etiam assumptum. Ad cujus probationem, patet ex illatis ad finem notationem, quâ ratione non implicet acquiribilitas prioris per id, quod posterius est. Deinde distinguo antecedens: consentit aut dissentit cum actuali deffectu essentialis, & antecedentis prærequisiti de constitutivo libertatis, nego. Extra conceptum constitutivum libertatis, subdistinguo, antecedentis in genere determinativo, & inacquiribilis, nego. Antecedentis in genere purè executivo libertatis, & acquiribilis, concedo. Et nego consequentiam. Sed de totâ Doctrinâ latè *locis* ad marginem *citatis*.

Tom. in 1. p. Tract. de Præd. lib 7. de Prædefinit. Divinis.

§. IV.

INSTANTIA DIFFICILIS.

131 INstabis tamen ex Reverendissimo Patre Nostro Thyrso operosè in oppositum disputante occasione *Doctrinæ consimilis, tom. 2. disp. 12. sect. 2. à num. 4.* Voluntas habens auxiliû indivisim unicè collatum per Decretum connexum cum cõsensu, non habet potentiam antecedentem impediendi tale Decretum: ergo non ponit liberè consensum: ergo ut ponat liberè, debet habere auxilium ex Decreto conjungibili cum dissensu: ergo modus decernendi Divinus, si stare debet libertas nostra, esse nequit virtualiter indivisibilis. Istæ consequentiæ in Scholâ nostrâ sunt indubitata principia. Probatur antecedens: quia si Voluntas haberet eam potentiam, eam haberet ad faciendum, ut auxilium existeret sine omni Decreto: quod repugnans ex terminis est, & probatur sequi: quia Voluntas potens impedire Decretum a quo pendet auxilium, & impotens inducere aliud, facere potest, ut auxilium existat sine ullo Decreto: Atqui Voluntas ex jure libertatis ad dissentiendum, est potens impedire Decretum indivisum, ex quo supponimus auxilium dari, & unicè pendere, utpote incõpossibile cũ ipso dissensu: & est impotens aliud inducere compossibile cum ipso Dissensu: ergo si Voluntas

Reverẽdiss. P. N. G. M. Thyrsus

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas haberet potestatem antecedentem impediendi Decretum connexum cum consensu, ex quo indivisim, & unicè habet auxilium, eam haberet ad faciendum,ut auxilium existeret sine ullo Decreto.

132 In secundâ parte minoris proximæ stat tota difficultas.Eaque ostenditur primò: Inducere Decretum, est determinare ejus existentiam: sicut inducere Scientiam Mediam, est ejus existentiam determinare,quomodocumque explicetur inductio,& determinatio: Atqui creata Voluntas non est potens determinare existentiam Divini Decreti: ergo nec inducere. Minor probatur:tùm quia creata Voluntas nihil circa Decreta potest, nisi quatenus potest circa Scientiam Mediam: at Scientia Media non est necessitas decernendi. Tùm & à priori:quia de ratione actûs immediatè liberi est quod determinetur ab eo, cui est liber, & non ab alio: sed Decretum Dei est actus ipsi immediatè liber: ergo determinari ab ipso potest, & non ab alio.

133 Et urgetur ex inconcussis principiis Scholæ nostræ.Repugnat libertati actionis creatæ, ut determinante creaturâ, eam condeterminet Deus:ergo repugnat libertati actionis Divinæ, ut, eam Deo determinante, condeterminet creatura. Nec est effugium in modo determinandi: quasi cum libertate componi nequeat condeterminatio in genere physico: componi autem possit pura condeterminatio in genere objectivo, & intentionali,qualis esset ista creaturæ respectu Decreti Divini. Contrà enim est manifestè, in Scientiâ Visionis, & Mediâ: Utrobique enim solùm est determinatio ex parte creaturæ in genere intentionali, & objectivo: & utrobique ex eo solo titulo, manet impedita libertas Dei.

134 Minoris ejusdè secunda pars ostenditur secundò, ex his quæ habet idem Author *disp. cit. sect. 3. à num. 19.* Inducere Decretum compossibile cum consensu, est comparare tale Decretum;at Voluntas comparare sibi non potest tale Decretum: ergo nec inducere. Probatur minor.Nequit creata Voluntas determinare Divinam ad aliquod Decretum; nisi in vi alicujus suppositionis liberè amatæ à Deo,& quatenus amatæ,& volitæ à Deo: quomodo enim creata Voluntas possit determinare Divinam, nisi ex facultate datâ liberè ab ipso Deo, atque adeò ex suppositione liberè amatâ à Deo? Atqui in casu, in quo sumus, non datur suppositio, quæ, quatenus volita à Deo, possit determinare Deum ad Decretum compossibile cum dissensu: quod probo: quia solùm datur suppositio auxilii,ut volita per Decretum incompossibile cum ipso dissensu:atqui suppositio, ut volita per Decretum incompossibile cum dissensu, non potest determinare Decretum compossibile cum dissensu: quia ut volita per Decretum incompossibile cum dissensu, non est conjungibilis cum Decreto compossibili cum ipso dissensu: ergo in casu, in quo sumus, non datur suppositio,quæ, quatenus à Deo volita, possit determinare Deum ad Decretum compossibile cum dissensu.

135 Ostenditur tertiò eadem pars secunda Minoris ex his, quæ ponderat idem Author *disp. cit. sect. 4. à num. 24.* Si voluntas posset inducere Decretum compossibile cũ dissensu, deberet inducere posse per dissensum; sed per dissensum non potest: quod probo: Dissensus ex se est incompossibilis cum Decreto secum incompossibili, & essentialiter exigit Decretum compossibile secum. Id est evidens. Ergo dissensus essentialiter supponit Decretum secum compossibile,& libertatem datam ex tali Decreto;ergo nequit esse ratio acquirendi tale Decretum. Probo consequentiam: quia id quod per se subsequitur ad aliquid, nequit esse ratio ipsum acquirendi. Nec valet dicere, libertatem & actum primum non constitui per hujusmodi Decreta,eaque manere in linea causæ remotæ.Contra enim est:Nam totus actus primus præscindere nequit à conceptu verè existentis, & caussati liberè à Deo: sed in ratione simpliciter existentis, & caussati liberè à Deo,dicit Decretum liberum ex quo ponitur: ergo actus primus præscindere nequit à Decreto Dei ex quo ponitur: ergo præsupponitur ex parte actûs primi Decretum, ex quo habetur auxilium: quomodo ergo acquiras per actum secundum, quod ad ipsum præsupponitur ex parte actûs primi?

136 Hæc, quo solet acumine, Doctissimus Pater latè firmat. & licèt singula præoccupata videam *à num. 120. & à num. 122.* & ex professo solvam in tractatu de Prædestinatione, agens de præcedentiâ Scientiæ Mediæ: quia tamen video gravissimum hunc Authorem, doctrinâ, & robore hujus argumenti, (quod sæpè inculcat, & instaurat,) niti potissimùm adversùs multa, quæ vera ego censeo, ante majorem explicationem solu-

Vide suprà à nu. 120. & à n. 122 R. Adm. P. N. G. Thyrsus.

solutionis numeris citatis adhibitæ, breviter, cogor ostendere difficultatem esse solvendam ab omnibus Scholæ nostræ, neque per multiplicitatem decretorum, imperantis connexi,& imperati inconnexi,eludi posse. Duo sunt.

Difficultas non est specialis

137 Ostendo secundum, nempe Difficultatem æquè in eorum Decretorum multiplicitate premere, siqua est. Pone Voluntatem accipere à Deo, & habere Auxilium per Decretum indifferens,imperatum à Decreto connexo cum consensu. Et arguo sic: Ut Voluntas sit libera, debet habere potestatem antecedentem dissentiendi pro libito: non habet in tali casu:ergo non est libera. Probo minorem:ut Voluntas habeat,debet habere potestatem faciendi,ut auxilium sit sine ullo Decreto: quod repugnat,& probo sequi. Voluntas potens impedire Decretum, ex cujus determinatione unicè fiat auxilium; & nec habens, nec potens inducere aliam determinationem sufficientem, ut sit auxilium, facere potest, ut auxilium sit sine Decreto; atqui voluntas in casu nostro, ex jure libertatis, potens impedire Decretum imperans,nec habet nec potest inducere determinationem sufficientem ut sit auxilium: ergo si voluntas, &c.

138 In minori proxima sunt partes duæ. Altera, de impotentiâ inducendi, & determinandi Divinam voluntatem: & hæc probata manet ab objiciẽte,& solvenda, si tenet altera pars: nempe quòd in casu proposito, voluntas non habet determinationem sufficientem, ut sit Decretum auxilii,& auxilium, compossibilem cum consensu. Probatur hæc pars: primò,quia casus,in quo singimur esse, est casus Actûs imperantis, & imperati: sed casus Actûs imperantis, & imperati in Deo est casus binarii ex utraque parte connexi cum consensu, tùm ex immediatâ essentiali libertate Actuum Divinorum; tùm ex eorundem inimperabilitate; tùm ex eorundem reflexione; tùm ex dependentiâ adinvicem mutuâ: quæ sunt capita satis nota, & grata objicienti, ut patet *tom. 1. disp. 32. & tom. 2. disp. 14. & seqq.* & *suprà* ponderata jam sunt. Secundò: quia apud omnes, tota determinatio Volũtatis imperantis consistit formaliter in Imperio: ergo determinatio, ex quâ unicè pendet & Decretum auxilii, & auxilium, est unicè actus imperans. Atqui repugnat existere Decretum auxilii, & Auxilium sine liberâ determinatione Dei: ergo in casu imperii, non existit libera determi-

Suprà à nu. 54.

natio sufficiens ad existentiam Decreti, & Auxilii, compossibilis cum dissensu. Et Vrgetur. Modus aliquis libertatis esset in Decreto exequente auxilium pro casu dissensûs, omninò incompossibilis cum modo libertatis, quem habet in casu Decreti Imperantis:ergo in casu proposito Decreti Imperantis deficit modus aliquis libertatis in Decreto essentialiter requisitus ad dissensum. Applica ergo formam argumenti: & constabit difficultatem non eludi multiplicitate Decretorum.

Sed ab omnibus solvenda.

140 Ostendo jam primum: Nempe, difficultatem saltem in simili, esse solvendam ab omnibus in Schola nostra. Nam quis est in Scholâ nostrâ, qui simul neget & possibilitatem Divinarum Prædefinitionum efficacium, & possibilitatem strictæ Directionis Scientiæ Mediæ,& in hac, necessitatem præcessionis ad omne Dei libitum? Si autem defendatur ista necessitas præcedendi in Scientia Mediâ, (ut certè à Doctissimo Obsequente defenditur nobiscum) ex latè dicẽdis *in tractatu de Prædestinatione*, Mihi est constans, vincendam istam difficultatem, quia exinde resultat necessariò, tùm ex filo Doctrinæ, tùm ex circulo libertatis essentialis Actibus Dei liberis Si autem possibilitas strictæ directionis, & Prædefinitionum defendatur, premit similis difficultas in concursu Actûs Imperantis, & Imperati, ut *nuper* ponderabam. Densque in Scholâ nostrâ ab omnibus explicandum est, quomodo homo in tẽpore positus possit facere, ut ab æterno Deus habuerit vel nõ habuerit hunc modum decernendi libertatem,quâ fruitur. Si enim dissentiret, (ut potest) haberet libertatem ex alio modo decernendi, qui nunc non est: quomodo ergo qui modò consentit; potens dissentire, potest evitare suppositionem, ex quâ est in ipso libertas? quomodo potest sibi acquirere resolutionem, ex quâ eadem libertas existeret? quomodo potest acquirere, per exercitium temporale (id est, necessariò supponens æternitatem) id quod ab æterno necesse est præcessisset? Patet ergo difficultatem in Scholâ nostrâ non esse singularem,sed communem & vincendam ab omnibus.

Solvitur.

141 Respondeo igitur: Et nego antecedens. Ad probationem,nego sequelam;& ad probationem istius, ex dictis *à num. 120. & à num. 122.* concessâ majori, eo sensu, quo debet, nego minorem. Dixi, eo sensu quo debet:quia in eo dari potest magna æquivo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

catio cum magno præjudicio veritatis. Itaque, ut *loc. cit.* præmonui, negari non potest juxta principia Scholæ nostræ, in Homine posito in libertate consentiendi & dissentiendi, dari potentiam temporalem inducendi aliquid æternum in Deo, medio consensu, vel dissensu. Hæc potestas, solùm est potestas faciendi aliquid, quod sit ratio ex suâ naturâ, ut ab æterno fuerit in Deo hic modus intelligendi & volendi præ alio. Hæc est inductio, acquisitio, & determinatio, quam respectu actuum Divinorum agnoscit, & unic. admittit Schola nostra in libertate creatâ, ut sæpè dictum est in præcedentibus.

142 Duo autem notanda sunt maximè. Primum: hanc inductionem, seu acquisitionem, vel determinationem, exerceri ab æterno, & in tempore, si creata voluntas est. Exercetur ab æterno, per essentialem attemperationem Actuum Divinorum ad jura & immunitates creatæ libertatis, cui essentialiter sunt conformes. Exercetur in tempore, per temporalem actum libertatis, qui ex naturâ suæ libertatis exigit ne ab æterno præcesserit ulla connexio, in Causâ primâ, prædeterminans, utpote incompossibilis cum essentiâ exercitii liberi, quantumvis aliàs subordinati.

143 Alterum: hanc inductionem, seu determinationem, non exerceri à creatâ libertate in Deum, in genere ullo physicæ causalitatis, aut physici impulsûs, aut motionis physicæ: sed in genere intentionali, & ex puræ prærogativâ libertatis, exigentis, ut exercitium sui, sit ex propria solùm determinatione, & quidquid cum eo exercitio connectitur, sit attemperatum isti veritati & exigentiæ: & hanc vocamus Prioritatem purè determinativam. Vnde fit, non requiri ad exercendam hanc inductionem & determinationem, in libertate creatâ, & ejus exercitio ullam præexistentiam, imò nec existentiam ullam, præterquàm intentionalem: quia tota inductio exercetur ab æterno per Actus Divinorum tendentias, essentialiter attemperatas naturæ nostræ libertatis.

144 Tertium: diversimodè hanc inductionem, & determinationem explicari, & versari circa Actus intelligendi, v.g. Scientiam Mediam, ac circa actus Volendi, v. gr. Decretum, de quo est quæstio. Circa Scientiam Mediam, explicatur hæc determinatio, & inductio, prorsus determinatè: quia Scientia Media se habet in Deo citra ejus libitum; & ex determinatione creaturæ, necessariò in Deo ab æterno existens, ob necessitatem intelligendi, quid creatura faceret, si poneretur in libertate. Circa Decretum explicatur inductio, & determinatio, indeterminate & disjunctivè: nempe, quia non aliter potest creatura esse Ratio cur sit hoc Decretum præ illo, nisi posità, & inductâ in Deo necessitate disjunctivâ, vel non decernendi auxilium, vel decernendi in suppositione conjungendâ cum consensu v.g. Et hæc necessitas est Scientia Media: quæ cum constituat libertatem decernendi, & volendi Divinam, constituit Deum in libertate disjunctivè necessitatâ vel ad non dandam creaturæ libertatem, vel ad dandam per Decretum præsupponens hanc Scientiam Mediam, de consensu v. g. Hæc singula, *loc. cit.* præexplicata jam sunt.

145 Vt autem magis pateant, & applicentur solutioni difficultatis, pone Petrum in libertate consentiendi & dissentiendi, sed actu consensurum. En Petrus cum libertate ex Decreto connexo cum consensu, (præcisis modò aliis titulis) ob essentialem præsuppositionē Scientiæ Mediæ de consensu, quæ in Deo fuit ab æterno necessitas ex attemperatione ad creatum consensum inducta, ad ponendam creatam libertatem ex tali Decreto, si vellet ponere.

146 Rogas primò: libertas Petri constituitur per tale Decretum, & Scientiam Mediam? Dico non constitui: quia sicut præscindit à consensu, & à dissensu, præscindit ex se à modo quo ab æterno constituta est Divina libertas ad decernendam talem libertatem Petri: ea enim æquè existere potest per unum, ac per aliud Decretum: & essentialiter non pendet ab ipso per quod datur. Rogas secundò: Potest à libertate Petri impediri hoc Decretum? Dico, posse: quia hæc impeditio in tempore, consensus est: & ab æterno, Scientia Media de dissensu: quæ extitisset, si loco consensûs, poneret dissensum voluntas. Rogas tertiò: quomodo existeret hæc libertas Petri, si impediretur hoc numerò Decretum? Dico, si existeret, ut supponis, extituram ex alio: quia seipsâ est necessitas non existendi, vel existendi ex decreto compossibili cum dissensu, si dissensura est: id autem, quod in signo illo indifferentiæ videri non potest, præscit Deus ex ipso eventu per Scientiam Mediam; ex quâ manet disjunctivè necessitatus, vel ad non decernendam positionem libertatis, vel ad decernendam per decretū conforme operationi

tioni prævisæ. Rogas quartò: Potest acquiri hoc decretum ab ipsâ libertate? Dico, posse in hoc sensu: nempe, determinando Deum, ut vel ipsam libertatem non ponat, vel ponat per tale Decretum. Quòd si supponis existentiam libertatis, & Scientiam Mediam de dissensu, ponis necessitatem talis Decreti. Rogas quintò: quomodo ergo non præjudicatur libertati Dei in decernendo? Dico: quia Scientia Media non est necessitas decernendi: & existentia libertatis creatæ, est suppositio consequens ad Divinam. Rogas ultimò: quomodo tandem creata libertas potest determinare Divinam, illæso jure supremi Dominii? Dico, quia solùm determinat disjunctivè in præscientia, neque enim hujusmodi genus determinandi lædit summam Dei indifferentiam. Creata enim libertas prævisa cum dissensu, est in præscientiâ æterna necessitas, ut non existat, vel existat cum suppositione dissensûs: atque adeò, si ponis hypothesim libertatis, ponis necessitatem, ut sit Decretum conforme libertati, *ideſt*, compossibile cum dissensu.

147 Ex his ad primam probationem negatæ Minoris, quam habes *num.* 132. Distinguo majorem: est determinare Decreti existentiam, in lineâ causalitatis, aut influxûs physici, nego majorem: in lineâ influxûs purè intentionalis, subdistinguo: immediatè, & determinatè: nego: mediatè, & disjunctivè, concedo majorem, ut nuper explicui *nu.* 121. & 144. Et in hoc sensu, nego minorem. Cujus prima probatio, licèt verum assumat, falsò colligit: Scientia enim Media, licèt non sit necessitas decernendi, est necessitas vel non decernendi, vel decernendi libertatem, juxta operationem ab ipsâ libertate oriundam, & prævisam oriri. Secunda etiam verum assumit, & nihil colligere contra Nos potest: nam, quòd actui libero repugnat, est determinatè induci & determinari ab alio: disjunctiva necessitas non obest. Ad adjunctam instantiam, respondeo, concesso antecedente, de determinatione, & condeterminatione ad eligendum determinatè, nego consequens, quod alioquin verum est, sequi ex doctrinis nostris: Nam Neque in genere physico, neque in genere intentionali, determinari Deus potest ad decernendum sic vel aliter, præterquam inductâ in Deum necessitate disjunctivâ vel non decernendi, vel decernendi sic: quæ necessitas non præjudicat libertati, ut est evidens: & in casu nostro, est ipsa Scientia Media.

148 Ad secundam probationem negatæ Minoris, quam habes *num.* 134. Concessâ, sub eisdem distinctionis nuper adhibitæ terminis, majori, nego minorem in eodem sensu. Nam voluntas per potentiam dissentiendi potest sibi comparare Decretum compossibile cum dissensu, pro casu quo sit dissensura, si ponatur aquam *in* circa Deum exercet ab æterno, per ipsam Scientiam Mediæ & per dissensum, cum dissentit, in tempore. Ad probationem distinguo majorem: nequit determinare, determinatè, & in genere veri causæ physicæ & efficientis, concedo: indeterminatè ac disjunctivè, & in genere purè intentionali, nego majorem: Vt enim in Scholâ Scientiæ Mediæ debet esse certissimum, determinari posse ab æterno aliquid per attemperationem ad libertatem nostrâ, & ex istius determinatione, quæ non existit, sed existeret, &c. præcisim attingitur à volitione Divinâ: ita pariter certum est, eodem genere determinationis, posse (licèt modo diverso, quem explicui *num.* 144.) induci in Divinam voluntatem aliquem volendi modum, à creatâ libertate, in suppositionis, præscindentis à ratione formaliter volitæ à Deo. Et ratio est: quia iste modus inducendi, (vel si mavis, determinandi,) non requirit id inducente, & Determinante exercitam existentiam sui, sed purè intentionalem, attemperatam essentiæ libertatis pro casu, quo in tempore sit. Argumenti species aliter sentire, videtur de modo, quo dici & sentiri debet de Determinativo Scientiæ Mediæ, alioquinque actuum Divinorum.

De quo Nos latè in tract. de Deo Sciēte.

149 Quòd si roges: cur suppositio libertatis creatæ posit exercere Determinationē hujusmodi, ab æterno, in ipsâ præscientiâ; & in tempore, si ponatur, an exercitio suæ libertatis; cur, inquam, id possit, præcisim à ratione volitæ & amatæ à Deo, cùm reipsâ existere aliter nequeat, ac volita à Deo, & ex Dei libertate? Præstò est ratio: quia suppositio creatæ libertatis solùm est hujusmodi vis ex jure libertatis, & virtutis dominativè præcontinentis Actus suos: cùm autem hoc jus, & virtus dominativè præcontinens, reipsâ constitutivè præscindat à ratione volitæ, cùm reipsâ ab ipsa distinguatur: quid mirum, quòd negemus, posse sic exercere vim suam, nullâ factâ reduplicatione supra ea omnia, quæ non sunt illud *Posse*, nec illa *Vis*? Et si, etiam à parte rei, tota illa *vis*, & *totum posse*, constitutivè præscindit à ratione volitæ à Deo; quantò magis in statu intentionali, quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab æterno determinationem exercet? De quo latè, cùm *de Deo Sciente, & Prædestinante:*

150 Ad tertiam probationem negatæ minoris, quam habes *nu.*135. Concessâ majori, in sensu explicato; nego minorem. Ad probationem concesso antecedente, distinguo consequens: ergo dissensus essentialiter supponit Decretum secum compossibile, supponit, inquam, prioritate determinationis, nego consequentiam: prioritate purè physica remotæ principii, subdistinguo: necessarii, ut libertas sit, nego: ut sit libertas cum dissensu, concedo. Ab ideò etiam tale decretum est, quia libertas prævisa est fore cum dissensu, ex libito suo. Et distinguo priximum consequens: nequit esse ratio acquirendi, in genere physici influxus, concedo: in genere purè determinativo & intentionali, nego consequentiam. Ad probationem, dico. Decretum illud, licèt remotè præcedat casu quo sit, tanquam id ex quo hîc, & nunc contingeret existit essentia libertatis, (nam tota ex alio Decreto æquè existeret,) reipsâ tamen in linea puræ determinationis, subsequi ad dissensum; & dissensum esse determinativè priorem, ratione Scientiæ Mediæ de ipso: ex quâ manet Deus in actu quasi primo suæ libertatis disjunctivè necessitatus vel non decernere talem hypothesim libertatis, vel decernere cum & ex suppositione dissensûs.

151 Ad illud, quod additur ultimò de Actu primo creatæ libertatis: ut est certum, existere non posse sine exercitio libertatis Divinæ, est ita certum non constituì per ipsum: nam effectus per causam non constituitur: unde constituitivè, & quidditativè (ut fumenda libertas est) præscindit ab omni præsuppositione, quæ non est ipsa, & multò magis ab omni, sine quâ tota existere potest, qualis est hujus numerò Decreti, & Scientiæ Mediæ præsuppositio. Satis modò de his, suo loco enucleatiùs expendendis.

SECTIO VII.

ILLATIO PRO PRINCIPALI PUNCTO Controversiæ.

152 EA est ex hucusque dictis omnino legitima, nempe: pro Mysterio præsenti Incarnationis, omnibusque ejus circumstantiis, motivis, & effectibus tam in communi, quàm in particulari, unicum unicè admitti debere decretum in Deo, absque ullâ multiplicitate & distinctione, prioritate, aut posterioritate intrinsecâ & virtuali formalitatum inter se: Deumque Scientiâ simplicis intelligentiæ, & Scientiâ Mediâ plenè, & comprehensivè instructum, sine ullâ expectatione signorum, aut notitiæ, unico & indivisibili decreto æquè primò, primitate formali, & subjectivâ disposuisse Mysterium quoad omnes & singulas circumstantias, tùm extrinsecas, tùm intrinsecas, ei energiâ, & serie motivorum explicandis in *disp. 2. & 3.* Hic fuit totius controversiæ scopus: & hic tandem est exitus.

153 Objicies tamen, & specialiter primò: Christus Dominus existens liber ad merendum, fuit indifferens ut nos redimeret, vel non: liberè enim redemit nos: ergo Decretum de existentia Christi fuit indifferens, ut sit, vel non sit Decretum Redemptionis. Atqui tale Decretum non est indifferens, ut sit, quod virtualiter est, seu ad seipsum: ergo Decretum de Redemptione, & meritis Christi est virtualiter distinctum & separabile à Decreto de existentia Christi. Prima consequentia, ex quâ ista bene descendunt, ostenditur primò, quia repugnat in terminis, quòd sit indifferens, consequens ad aliquod tertium: & quòd antecedens ab eodem consequenti essentialiter præsuppositum, sit connexum, & non indifferens ad idem tertium. Secundò clariùs: quia Decretum Redemptionis ita cum eâ connectitur, ut, eâ non existurâ, non existeret: ergo si Christus existens, ejusque Decretum est indifferens ad existentiam Redemptionis, est indifferens ad Decretum Redemptionis: ergo distinguuntur inter se mutuò, quod intenditur.

154 Distinguo antecedens: fuit indifferens, ut non redimeret, conjungendo non Redemptionem, & omissionem Actûs eam merentis cum Decreto suæ existentiæ, ex quo nunc est, nego. Decretum enim istud, non minùs connectitur cum existentia Redemptionis, quàm cum existentia Christi. Impediendo, ne existeret hoc, concedo. Quippè si Christus Dominus, futurum fuisset, ut nollet redimere mundum, præextitisset in Deo alia Scientia Media, cùm quâ est incompossibile Decretum præsens; conjectusque esset Deus in necessitatem vel non decernendi Incarnationem, vel illam decernendi per aliud Decretum minimè connexum cum Redemptione. Vnde Christus Dominus omittendo Actum meritorium Re-

Redemptionis, impedire potuit, non quidem omne Decretum de existentiâ suâ, sed præsens, utpote connexum cum ipsâ Redemptione: eâdem ergo libertate, quâ potest omittere Redemptionem, potest evitare, ne decernatur ut connexus cum Redemptione, qualiter de præsenti decretus est; licèt evitare non possit, ne decernatur ut existens.

155 Nego jam consequentiam primam, intentam præsenti Decreto. Ad primam probationem, nego, quòd obstet libertati, & indifferentiæ consequentis, connexio antecedentis prærequisiti, quòd neque essentialiter neque determinatè exigatur ad sui existentiam à consequente, nec ita antecedit, ut non maneat, in genere determinantis electivè, simpliciter consequens & simpliciter impedibile: quale certè est illud Decretum, de quo est quæstio, executivè tantùm antecedens, consequens simpliciter in genere determinantis. Ad secundam probationem, fateor Christum pro signo suæ libertatis, & indifferentiæ esse indifferentem, ut sit cum Decreto connexo cum Redemptione, quale nunc est: nego verò quòd Decretum, quale nunc est, sit ita indifferens. Vnde nego consequentias.

156 Objicies secundò: Nostra salus est caussa finalis, ut videbimus, existentiæ Christi, ejusque meritorum: econversò Christus, ejusque merita sunt caussa meritoria nostræ salutis, ut negari nequit: & ipsi fatebimur: ergo Decretum intentivum nostræ salutis est caussa Decreti exequentis existentiam Christi, ejusque meritorum: & Decretum executivum Christi, ejusque meritorum est caussa Decreti exequentis nostræ salutis existentiam. En ergo *Decreta* minimùm *quatuor*, Duplex *intentivum*, & duplex *executivum*.

157 Probatur prima consequentia: quia caussa finalis, & meritoria nullam exercent immediatam caussalitatem in media, aut præmia, sed caussant solùm intentionaliter, & mediâ voluntate ponentis media, & exequentis præmium: quatenus nempe, per previam cognitionem finis, aut meriti, illius, ut possibilis poni; istius, ut existentis, excitatur operantis voluntas ad executivam volitionem mediorum, aut præmii: ergo ut intelligi possit, quòd nostra salus est caussa finalis Christi: & quòd ipse est caussa meritoria nostræ salutis, opus erit, ut Decretum nostræ salutis sit caussa Decreti exequentis existentiam Christi: & Decretum exequens existentiam Christi ejusque merita sit caussa decreti exequentis salutem nostram: alioquin nec Christus potest dici existens propter nos, & propter nostram salutem; nec Salus nostra esset oriunda ex meritis ipsius Christi.

158 Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem, fateor caussam meritoriam, & finalem caussare solùm intentionaliter, & mediâ alterius voluntate, non quidem de necesse caussatâ per finem, aut per meritum (id enim non potest esse de ratione essentiali caussæ finalis, & meritoriæ, cùm repugnat respectu Dei, cujus actus sunt omnimodè incausabiles) sed causante propter finem, & propter merita, existentiam mediorum, aut præmii; volendo scilicet, quòd existat medium propter finem, & ut caussam finis, & quòd existat præmium propter merita. Id quod fit sæpè à nobis per actus diversos, quorum alter tendat in finem, & alter in media: alter acceptet meritum; & alter velit præmium exequi: plerumque fit per actum ipsissimum, qui simul indivisibiliter sit intentio finis, & electio medii propter finem: ubi sine ullo ordine inter actum & actum, salvatur optimè, quòd finis sit caussa ponendi medium, & medium sit caussa executiva finis. Sic ergo fit semper in Deo, cujus volendi modus, ut procul ab omni nostræ imperfectionis umbrâ, simplicissimus, & efficacissimus est, proindeque valens quemcùque caussalitatis ordinem inter objecta inducere, quin ex objectis transfundat in se. Non ergo cogimur ex æconomiâ Mysterii, objectorumque in eo versantium caussalitate, & ordine, ullum inducere intrinsecum in Decreta Divina: quicquid sit de extrinseco, & supervenienti à conceptibus nostris, quem modò non curo.

159 Objicies tertiò: si Decretum Incarnationis esset virtualiter indivisibile penès omnes, & singulas circumstantias præsentis Providentiæ, nec esset beneficum, nec Incarnatio beneficium respectu eorum, qui abutuntur, auxiliis gratiæ purè sufficientis: datis ex meritis Christi. Quis autem sine apertâ injuriâ Christi, & Patris, *qui* teste Paulo, *pro nobis omnibus tradidit illum*, id possit asserere, vel audire? Et ostenditur sequi: quia tale Decretum esset connexum essentialiter cum omnibus, & singulis peccatis impedientium in se per ea fructum Incarnatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis, & Passionis Domini: Atqui Decretum essentialiter connexum, & quidem connexione antecedenti, cum peccatis, nequit esse beneficium respectu peccantium; nec quicquam ab eo subortum potest esse beneficium: ergo neque tale Decretum Incarnationis posset esse respectivè beneficum, neque Incarnatio Beneficium.

160 Major patet: Decretum enim indivisibiliter connexum cum Redemptione, & essentialiter pendens à Scientiâ Mediâ de abusu, sub hac, vel illâ hypothesi auxiliorum, quæ reipsâ confert, necessariò manet connexum cum peccatis. Minor ostenditur: quia de ratione voluntatis beneficæ, & beneficii, est esse optabile, ac eligibile prudenter à Beneficiario: Beneficium enim non cõfertur rationabiliter invito; Atqui nihil antecedens peccatum, & cum eo connexum, seu prævisum conjungi cum ipso, est prudenter optabile, & eligibile: quia præ omnibus aliis est eligendum, ne sit peccatum: ergo, &c. Hæc objectio, ut quæ in simili, & præcisim ab hoc puncto communis est, adegit in effugia multa Theologos.

161 Nota, per illa vulgaria: *Non putabam: sperabam: quis crederet? Mea intentio fuit sana, & bona: qui potuit prædivinare improsperum eventum*: per hæc, *inquam*, & similia, licet aliquando parare satis honestam, & solidam humani beneficii defensionem, præstiti præsertim ab hebete, aut præcipitis indolis homine: cujus proinde opus, magni æstimatur, æstimatione plerumque fundatâ in contemptu æquè magno sic operantis. At Divin. beneficii defensionem exinde parari nec licet, nec potest. Neque enim, ut Deus asseratur in omni opere suo beneficus, aut negandus est esse præscius alicujus eventûs ex suo opere quomodocumque secuturi, aut fingendus est præoccupare præscientiam, voluntate operandi. Ratio est: nam primum, ignorantiam: alterum, præcipitantiam in operando, Deo appingit. Vtrumque absurdè, & contra Paulum *ad Romanos 9. 18. cujus vult Miseretur, & quem vult, indurat*. Asserendus igitur Deus est ante omnigenam suæ voluntatis liberæ determinationem, omninò præscius, aut prosperi, aut improsperi eventûs: & aliunde debet beneficii parari defensio. *Roman. 9.*

162 Respondeo igitur negando sequelam, quoad utramque partem. Ad probationem, dico, Deum esse beneficum, & Incarnationem, beneficium, quia ex hac, & per illud ita præstat Deus quæ non debet, ut nihil neget illorum, quæ deinde conferre debet. Itaque omne quod ex Deo est, prout ab ipso, est ex se bonum, & eligibile, & ex Voluntate, quatenus est ex Deo, intentâ in bonum accipientis, & ipsi utili. Nec quominùs sit hujusmodi, quod dat Deus, & Voluntas ipsa dobandi, obstat, aut illa præscientia, aut Decreti connexio, aut ineligibilitas superinducta dono Dei ex se bono, aut Voluntati, ratione connexionis cum ipso peccato. Non obstat illa præscientia, quia ea præhabetur à Deo ex ipsâ determinatione creaturæ, nec Deum facit ut lætetur in malo creaturæ, aut ipsum velit; sed, eo non obstante, velit uti jure suo: nec enim exinde tenetur vitare usum, aut abusum libertatis, aut juris humani: Quippè non ideò Deus desinit esse Bonus, quia nos nequam sumus. Nec obstat connexio illius Decreti: quia ea connexio est purè consequens, ut est Scientia Media, à quâ sumitur, nec haberetur à Deo, nisi vellet creatura eam præhaberi à Deo, inducens per abusum suæ libertatis, necessitatem in Deum vel non ponendi libertatem, vel ponêdi cum suppositione sui abusûs. Nec obstat ineligibilitas superinducta, quia ea tota est ex ipso abusu accipientis.

163 Maneat ergo Remedium peccati, & in id ipsum auxilia secundùm se, & prout a Deo ex se operanti, proutque subsunt scientiæ, & Voluntati Divinæ, præcisim ab abusu creaturæ, & quâtùm spectat ad Deum, esse quid bonum, & optabile, & eligibile prudenter: solùmque reddi id ipsum respectivè ad accipientem ineligibile, ex sui ipsius abusu, à quo peccatum est, & exinde in Deo hæc Scientia, & hæc connexio volitionis simpliciter consequens: quantû enim est antecedens, & ex Deo, connexa non est nisi cum ipsâ entitate auxilii, & præceptis, consiliisque impellentibus ad bonum, & à malo amoventibus. Non est ergo, cur Deus non sit mirè beneficus omnibus, & singulis per Decretum Incarnationis, licèt alioqui sit indivisibiliter permissivum peccatorum: quæ aliunde non tenetur cavere; sed permittere potest, & plerumque tenetur ex jure suo, imò & ex exigentiâ ipsius, cui plerumq; permittuntur. Debetur enim unicuique, factâ semel suppositione gratuitæ existentiæ, libertas ad benè, & malè agendum.

164 Nec auscultandæ rem in hanc sunt, nec immiscendæ adversus plenum assensum prædictæ veritatis, apprehensiones nostræ communes, unde nascitur in intellectu difficultas. Primò: quia omnis nostra præcognitio naturaliter possibilis de eventu abusûs liberi futuri, est omninò antecedens, nec impedibilis ab accipiente rem, quam illi damus, ut libero ad ejus usum. Secundò: quia nos sumus causæ particulares obligatæ adinvicem vel ex lege, vel ex consilio ad juvamen mutuum, quantum possumus, pro vitandis peccatis, & ad negandas aliis, vel non exhibendas vires, & cooperationem nostram cum indifferentiâ, ex parte nostrâ, ad bonum, & malum usum. Longè tamen aliter est in Deo: in quod discrimen satis apertum *emergere debet ex communibus apprehensionibus mens amica veritatis, nec ita assuescere præsentibus, eorumque speciebus imbui ut Deum fingere velit ex nostra imperfectione*. Eluctemur exinde jam, cum hac bonâ existimatione de Deo, in causas Incarnationis.

DISPVTATIO II.

CAVSÆ FINALES INCARNATIONIS.

Ragusa. 1 MEA Mens (remissis apud Ragusam *variis opinandi viis*, supra jam insinuatis, & propriæ Sententiæ expositione fructuosiùs refutandis) Tribus Propositionibus clauditur: & corollariis quatuor. *Prima Positio*: Excellentia Christi Domini secundùm se, & ut Caput est, & Fons ordinis Gratiæ, est Incarnationis Causa Finalis adæquata ex parte objecti, non verò ex parte Decreti: tamen undecumque primaria. *Secunda Positio*. Remedium peccati, seu Christus, ut Redemptor Humani Generis, est etiam causa finalis Incarnationis adæquata non ex parte Decreti, sed objecti: nec primaria tamen, nec necessaria, licèt sufficiens. *Tertia Positio*: Finalis causa Incarnationis adæquatur, & coalescit ex Excellentia Mysterii, & ex Remedio peccati, tanquam ex finibus aliunde totalibus, æquivalenter, & objectivè. *Corollarium Primum*. Christus Dominus ex vi præsentis Decreti, estò non per ipsum, sed per aliud, venisset, etiam Adamo non peccante, nec alio. *Secundum*: Decretus est Redemptor sine antecessione peccati absolutè prævisi. *Tertium*: Quâ ratione motivum Redemptionis se habuerit respectivè ad Actualia post Peccatum originale commissa? *Quartum*: Concordia Nostræ Doctrinæ cum Deiparæ Virginis exemptione à Peccato, & à Debito.

2 En uno velut haustu datam *Sententiam Nostram*: quæ totam de Motivo Incarnationis controversiam omninò complectitur. Illud prænota: dum de particularibus hisce Motivis loquimur, non excludere nos, sed tanquam à re certâ, præscindere à generali motivo Divinorum omnium operum, qui est ipse, ejusque gloria; sanctè præmonitos ex illo *Proverb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Proverb. 16. Descendamus jam ad Sententiæ probationes.

SEC-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO I.

EXCELLENTIA CHRISTI DOMINI, secundùm se, & ut Caput, & Fons est omnis Gratiæ est causa finalis Incarnationis adæquata: Non ex parte Decreti, sed objecti: Undecumque Primaria.

3 ITa sentire debent, & saltem quoad punctum principale sic reipsâ sentiunt Schotus cum universâ Scholâ *in 3. dist. 7. quæst 3. & dist. 19. quæst. unic.* Doctor Noster cum aliis plurimis *disp. 5. sect 5.* Fevardentius, Ylambertus, Martinus Perez & alii apud Patrē Martinon sequentem, & doctissimè promoventem *disp. 3. de Incarnatione*, quibus addo Montoyam, Granadum, Antonium Perez, Elparzam, Cardinalē Sfortiam, Avendanum, Ribadeneyram, Herreram, Thyrsum, & alios primæ notæ Magistros: ac ante omnes, cujus Authoritate maximè moveor, edoctam (ut opinor,) Cœlitus, ad Splendorem Orbis, & Scholarum, Mirabilem Fœminā *Mariam à Iesu*, vulgo *de Agreda* in opere planè Divino de *Vita Mariæ semper Virginis tom.* 1.

Schotus, & Schola. Suarez, & Assecl. Fevardent Ilambert. Mart. Per. Martinon. Montoya. Granado. Ant. Per. Esparza. Card. Sfort Avendano Ribaden. Herrera. Thyrsus. Maria de Iesu dicta de Agreda 1. Prob. ex Script.

4 Sensus est: Deum decernentem Christum, & reliqua omnia, sic complacuisse in excellentia Mysterii, seu Christi ipsius, ut & ipsum propter se vellet, & reliqua omnia cum subordinatione ad ipsum, & propter ipsum; ipsa Mysterii excellentia ita se erga Deum habente, ut ipsa præcisim ab alio fine extrinseco Christo, & præcisim à peccati remedio, etiam ex vi præsentis Decreti sufficeret ad exequendam Incarnationem, & alia omnia propter ipsam, compatientem secum tamen, ex vi Decreti, finem alium, quo deficiente præsens Decretum quoque deficeret. Idque est, Excellentiam Christi Domini secundùm se esse causam finalem, & primariam Incarnationis, sufficientem ex vi Decreti, non verò adæquatam ex parte Decreti, sed ex parte objecti, ut decursu uberiùs explicabitur. Probatio petitur ex Scripturâ, ex Patribus, ex Ratione.

5 Primò ex Scripturâ sic argumentor: Christus Dominus ratione sui, & propter rationes sibi omninò essentiales, & intrinsecas, ac per se independentes à casu Peccati, terminat Divinum Decretum sui, & rerum omnium propter ipsum, ita ut ea motiva sufficerent movere Divinam Voluntatem, ut Incarnationem exequeretur, & omnia propter ipsum; atqui id intelligi nequit, quin excellentia Christi Domini sit finis Incarnationis, & omnium, non utcumque, sed inter particulares Primarius, & adæquatus ex parte objecti; ergo Excellentia Christi Domini, secundùm se, est finis Incarnationis, & omnium respectu Divini Decreti, qualē descripsi. Minor est evidens: nam duplex esse potest motiva ratio particularis, ut decens natur existentia Christi: nempe dependens à casu peccati, & independens ab ipso: si ergo Christus propter rationes per se independentes à casu peccati, ita Decretum terminat, ut eæ sufficerent: quomodo desinet esse causa ex modo movendi, & finalizandi, totalis, & adæquata?

6 Major ex textuum Scripturæ, cui præcipuè standum in his, triplici classe ostenditur potiùs; quàm suadetur. Prima classis est eorum: ubi Christus asseritur ut Expetitus, & Decretus, & à Patre suo Missus ad munera per se à peccato independentia: talia sunt *Ducis, & Pastoris ovium*, id est *Hominum, & Angelorum. Ioannis 10. & Luc. 15.* ubi se Pastori Christus comparat centum oves habenti, quarum una, scilicet Humana Natura, aberraverat: Et pro quà erranti, relictis in tuto nonaginta novem, Bonus Pastor animam posuit. *Capitis, Mediatoris. & Fontis vitæ Supernaturalis: Ioannis 10.* ubi sui adventûs rationem reddens, ait: *ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Sponsi Ecclesiæ*, complectentis Angelos, & Homines. *Genes. 2.* junctis verbis Apostoli *ad Ephes. 5.* ubi docet Apostolus in conjugio Adami cum Eva præfiguratum, ante peccatum, Christi conjugium cum Ecclesia. Et exinde S. Thomas, id docet tunc tèporis revelatum Adamo, expressumque jam tunc ab eo, per illa: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Rationes istæ *Ducis, Pastoris, Mediatoris, Vitæ, & Sponsi* per se expetibiles sunt, & à peccato independentes.

Ioan. 10. Luc. 15. Ioan. 10. Genes. 2. Ephes. 5. S. Thomas.

7 Altera classis est eorum, ubi Christus asseritur esse *fons omnis Sanctitatis, & gratiæ* etiam collatæ primis Parentibus ante Peccatum, & ipsis Angelis. Sic convincitur ex Apostolo *ad Ephes. 1.* ubi duo dicit. Primum: *Per Christum adimpleri in omnibus omnia*, id est penès omnia, nempè omnia in omnibus, tam hominibus, quàm Angelis, esse *ipsius, propter ipsum, & per ipsum.* Secundum, *Benedixit nos Deus in omni benedictione Spirituali in Cœlestibus in Christo*, quasi nulla

Ephes. 1.

nulla benedictio Divini favoris & gratiæ erga nos extiterit, nisi propter Christum & ex Christo. Quà ergo ratione omnia in omnibus, sunt Christi & propter Christum, si prima sanctificatio Angelorum, & primorum Parentum, ex Christo & propter ipsum non fuerit? quomodo omnis Dei erga nos benedictio propter ipsum, si illa prima Benedictio, quam accepimus in Adamo, non ex Christo & propter ipsum? Atque istæ benedictiones, ut per se independent à casu peccati, & extitissent sine ipso, necessariò sunt ex motivo secundùm se independenti à peccato, & quod sine ullâ connexione cum peccato, sufficeret.

8 Tertia classis est eorum, ubi Christus asseritur *finis, & exemplar* omnium Prædistinatorum, & rerum; primò *Decretus, & electus; Primogenitus omnis Creaturæ, & primatum in omnibus tenens.* Sic de Christo *ut homine* juxta Concilium Ephesinum, & Sardicense convincitur ex *Proverb. 8. ex Ecclesiastic. 24. ex Coloss. 1. 14. Rom. 8. Ephes 1. Hebræor. 2.* quæ loca post Salazarium eruditè versant Aldretus *disp. 19. sect. 1.* & Martinonus *disp. 3. sect. 2.* Quomodo autem Christus, Primogeniti, & ex ore Altissimi prodeuntis ante omnes creaturas laudem habere potest, si non omne propter ipsum, & ipse propter se complacuit Deo, nam de antelatione temporali nequit intelligi? Quomodo primò electus in finem, & exemplar omnium, si non ipse placuit ex excellentiâ sui? Quomodo erga Deum primatum tenet in omnibus, si ita placuit, ut paratus sit Deus alia decernere, quin ipsum; ipsumque decreverit potiùs in bonum aliarum rerum, & ex occasione pudendâ & malâ, quam alioqui Deus vellet exclusam à creaturis?

Concil. Ephes. & Sardicen. Proverb. 8 Eccles. 24. Coloss. 1. Roman. 8. Ephes. 1. Hebræor. 8 Salazar. Aldrete. Martinon.

9 Fatendum ergo, si stemus rigori, & proprietati Scripturæ Christum Dominum ita placuisse Deo, ut etiam præcisim ab omni ratione ipsi extrinsecâ, & à casu peccati sufficeret solus ipse, ut Deus, & Incarnationem, & omnia propter ipsam exequeretur. Vnde non moror evasiones Vazquii, Lugi, & aliorum: tùm quia restringere videntur ad particularia sensa, voces alioqui proprias Scripturarum: tùm quia nituntur impugnatâ jam suppositione divisibilitatis in Decretis Divinis, inter quorum signa se protegunt.

Vazquez. Lugo, & alii.

10 Secundò ex Patribus argumentor. Ducat agmen Cyrillus *lib. 5. Thesauri cap. 8.* versans illud *Proverb. 8. ab æterno ordinata*

2. Prob. ex PP. Cyrill. ad Proverb. 8

11 Dices hæc à Cyrillo dici commendatùro misericordiam Dei paratis exequi remedium ante existentiam mali. Contra: quia id est omninò necessarium Deo nequit enim in tempore velle: quod autem voluerit ab æterno, quod vult: necessitas est, non est pietas. Secundò: quia Cyrillus duo dicit: nempe Christum præfundatum ante nos, & nos superædificatos ipsi ex vi decernendi Divino: ergo Christum ponit ut fundamentum, ex quo veluti procedit ad volitionem nostri: non ergo intelligi Cyrillus potuit de antecedentiâ Decreti de Christo respectivè ad temporalem executionem nostri: nostri enim temporalis executio, nequit esse illa superædificatio, cum hæc ex Cyrillo sit ante initium mundi: executio nostri sit post ipsum, ex Fide. Tertiò: ex ipsis ultimis Cyrilli verbis manifestè fit, amissam gratiam, ad quam recurrere posset lapsa Natura per Christi Gratiam, fundatam à Christo & ex Christo positam: qui ergo Christus non sit decretus ut Fons omnis Gratiæ ex mente Cyrilli?

Cyrilli mens.

12 Succedat Irenæus *lib. 3. adversus Hæreses cap. 33.* qui disertè affirmat Christum aliquomodo præcelsisse in Decreto Divino respectu hominum: sic enim dicit: *quoniam futuram circa filium Dei, humani generis dis-*

Irenæus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

positionem in semetipsum fabricator omnium Verbum præformaverat, Prædestinante Deo primum hominem animalem (id est Adamũ) *videlicet, ut à spiritali* (id est Christo) *salvaretur: cum enim præexisteret salvans, oportebat & quòd salvaretur fieri, ut non vacuum sit salvans.* Quid his clarius dici potuit? Id enim est dicere Christum ita Decretum, & nos propter ipsum ut non fuerimus extituri nisi propter Christum: quis autem credat, neque nos extituros fuisse, nisi peccatores futuri essemus?

Anastas. Bernard. Theodoret. Basil. Tertullian. apud Lipom in Caten. Rupert.

13 Accedunt Anastasius Sinaita, Bernardus, & in Catena Lipomani videdi Theodoretus, Basilius, Tertullianus ad illa verba Geneseos: *Faciamus hominem: ubi inspexisse Deũ,* inquiunt, *informatione Adami ad exemplar Incarnationis, ut in finem propter quem* homo formabatur. Non tamen possum omittere elegans & apertum testimonium Ruperti *lib. 13. in Matth. de gloria, & honore Filii hominis,* cujus aliqua verba sunt. *Religiosè dicendum, reverenterque est audiendum, quia propter hunc Filium hominis gloriã, & honore coronandum, Deus omnia creavit.* Videantur hæc & alia multa apud Suarez, Martinonum, & Aldretum *locis supra citatis.*

Suarez. Martinon. Aldret.

3. Prob. ex Ration. Theolog.

14 Tertiò ex ratione Theologicà sic argumentor primò: Ordo, & excellentia Divinæ Gratiæ est per se independens à peccato, & ita terminans dispositionem æterni consilii, ut maneret etiam Adamo non peccante, nec alio: ergo ordo, & excellentia Hypostaticæ Vnionis: ergo excellentia Hypostaticæ unionis est causa finalis sui, & omnium ex parte modi finalizandi totalis, & adæquata. Consequentia prima patet ex principiis nostris: nam ordo Gratiæ se habet ad hypostaticum, ut Proprietas ad Naturam, ut effectus connaturalis ad connaturale principium, ut splendor ad solem, & rivi ad fontem: quis autem credat ponendum ordinem gratiæ sine connaturali complemento, & aliquomodo deformem in se? & certè si vera sunt, quæ modò insinuavimus, apertè sequuntur hæc incommoda, si Gratiæ ordo secludi possit in ordine decernendi Divino ab Hypostatico.

15 Secunda consequentia patet: quia Deus operans rectissimè, & providentissimè velle debet finem, ut rationem volendi media, & non econtrà: ergo si velle debet ordinem Gratiæ, & Hypostaticum, necesse est velit illum, & omnia, quæ ipsi subordinãtur, & requiruntur ob ordinem Hypostaticum: ergo si velit utrumque, modo de se arguenti, manserunt utrumque, etiam sine casu peccati: necesse est excellentiam ordinis Hypostatici esse causam finalem Omnium ex modo finalizandi totalem: quæ est nostra Propositio, bene descendens ex antecedente, quod patet: nam Deus potiùs intendens bonum, quàm malum hominis, etiam non futuro peccato, constituisset Adamum in Gratia: neque aliud piè credibile est ex his impensis, ut Gratiæ restitueretur post peccatum, aliisque Providentiæ Divinæ modis revelatis in Scripturis.

16 Argumentor secundò: Christus Dominus, ut omninò evidens est ex *Scripturis,* ita præ reliquis creaturis singularem Dei Dilectionem erga se terminat, ut antonomasticè dicatur *Deo Dilectus, & in quo plenè sibi complacuerit,* imò & in affectu Divino præeminere super reliqua omnia tanquam finem, cui subordinat omnia: hæc enim est emphasis Pauli dicentis: *Omnia vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei.* Nunc sic: Dilectio erga aliquem habita non aliter, quàm ex occasione, alioquin malà & pudendà, & quàm alioqui Dilector prohibet, maluissetque non esse, non potest esse tanta Dilectio, quanta describitur Christi Dilectio; atqui nisi excellentia ipsius Christi sit causa finalis Incarnationis & omnium ex modo finalizandi totalis, & independens à peccati remedio, Dilectio Dei erga ipsum solùm esset Dilectio habita ex occasione, alioquin pudendà & malà, & quam Deus prohibet, maluissetque non esse: ergo non esset Dilectio, qualis describitur esse in Scripturis Dei erga Christum Dilectio: ergo ab oppositio, &c.

17 Major probatur: quia dilectio concepta ex occasione, quam mallet Dilector non esse, & quæ ne sit, hortatur, & seria media adhibet, est dilectio, quam Dilector quasi coactus concipit, & quam, quantum est ex se mallet non habere; at talis Dilectio non est qualis describitur esse Dei Dilectio erga Christum: qui enim sit singularis modus diligendi unum præ reliquis, cùm vellet quis perseverare in amandis reliquis, & quasi coactus diligit hunc unum? Deinde, qui Primatus in affectu amantis habetur ab eo, qui amatur ex occasione non tam suæ bonitatis, quàm alieni commodi, & mallet amans non conjungi cum aliorum affectu? Hûc facit illa ratio Schoti putantis, & meritò, inconveniens, dicere, Christum erga Deum solùm ama-

Schotus.

Ragusa. amari & haberi ut Bonum occasionatum, & non per se. In quo mirór Ragusam ausum dicere *disp.* 28. §. 16. nec aliter amari posse: atque adeò esse per se bonum occasionatũ, ut est pœnitentia; quod horrent omnes.

18 Argumentor tertiò: Deus finit se moveri ex hoc & illo bono, & æstimat quantitatem boni, tamque se moveri finit à bono, quantum bonum movere meretur. Ratio hujus assumpti, facilè, animis non præoccupatis suadibilis est: tùm quia videtur inversus ordo, & indignus Voluntate rectissimâ, majoris æstimare, quod minus est, quàm quod reipsâ est ad movendum affectum majus. Tùm etiam, quia Deus est rerum æstimator exactissimus, & qui falli non potest, ut sæpè nos fallimur, æstimantes exinde res potiùs ex fallaci regulâ judicii nostri, quàm ex verâ regulâ bonitatis intrinsecæ. Nunc sic: Atqui in Christi excellentia, (ex quâ quis neget moveri aliqualiter Deum, & in quâ fassus est Deus complacuisse, affectu paterno, qui inter affectus est maximus?) sunt rationes intrinsecæ, & independentes à casu peccati, per se sufficientes & dignæ movere totaliter ipsum Deum, seu movere præcisim ab omni extrinsecâ circunstantiâ: ergo Deus ita se moveri finit ex ipsâ excellentiâ Incarnationis.

19 Confirmatur: quia magis in Christo elucet Deus, quàm in omnibus creaturis simul, magisque est dignus movere Divinum affectum, quàm omnes illæ simul. Nunc sic: Deus creavit homines, & Angelos, ut per se expetibiles, & amabiles, ad sui gloriam: imò propter ipsos alia, &, ut dicitis, Christum, ut ex eo salus illis affueret; sed Christus ad Dei gloriam conducit magis, quàm omnia reliqua simul: ergo creavit ipsum, ut per se expetibilem, & amabilem, & ut finem cui cætera subordinentur ut media: ergo ut independentem àb omni occasione ipsi extrinsecâ & de peraccidens, qualis est casus culpę. Et huc recidit iterum illud Pauli: *Vos autem Christi: Christus autem Dei.*

20 Argumentor quartò: quia salvari debet excellentia Christi, quantò purius potsit: & Sapientia Dei, quantò potsit in operatione perfectiùs. At quænam est Christi excellentia, pendere in sui existentiâ, à peccato alterius, esseque sic in rebus, ut non existeret, nisi Deus foret offensus? Vnde si gaudere *volvit* de existentiâ sui, referre hominibus gratias posset: ne dicam, gaudere de lapsu eorum? In quo semper mihi durum erit dicere non potuisse Adamum, (cui dicitur facta ante peccatum revelatio de Christo venturo) desiderare consortium Christi, sine periculo complacendi in occasione ad ejus adventum per se necessariâ, quę peccatum ipsius erat. Quænam Dei Sapientia (ut id secundùm nostram insipientiam liceat dicere) magis favere nocentibus, quam innocentibus, vocatis alioquin ad sui consortium? Sinere, ut Malis videretur profuisse malitia, & obfuisse Bonitas Innocentię, quàm Deus mallet? Malos esse ex occasione suæ miseriæ feliciores, quàm Boni fuissent, quia non mali? Hoc certè credibile non est nisi Scriptura loquatur, aut ratio clamet: at & hanc mutire, & illam non loqui neque contradicere videbimus.

21 Confirmatur. Non minùs decuit extolli naturam innocẽtem, quàm reparari naturam peccatricem: neque decuit minùs decerni Christum ut mediatorem vitæ, & gratiæ, & gloriæ Naturæ innocentis, quàm Mediatorem reconciliationis Naturæ peccatricis: ergo nisi vel obstet Scriptura, vel ratio, non est cur uni potiùs quàm alteri Motivo detur munus finalizandi Decretum Incarnationis. Alias rationes vel ex peccato Luciferi, vel ex Revelatione factâ Angelis de Christo venturo in statu viæ, vel ex factâ Adamo in statu Innocentiæ, vel ex necessitate Doctrinæ pro eximendâ Mariâ Deiparâ à Debito, vel ex Natis hominibus, vel impetratis ex Christi meritis, quia nec illis egeo, nec sine magno molimine proponi possunt, & quia plerumque subnixas divisibilitati Decretorum, omitto, licèt in se, & ad homines præsertim efficacissimas. Dabit copiosissimè Aldretus *disp. 19. per totam.*

Aldretus.

SECTIO II.

EXCELLENTIA CHRISTI, VT REDEMPtoris, seu Peccati Remedium fuit causa finalis Incarnationis, adæquata, non ex parte Decreti, sed objecti; nec primaria tamẽ, nec necessaria.

22 Ita quoad punctum principale sentire debent Sanctus Thomas cum Thomistis: cum aliis plurimis P. Vazquez: qui tamen in tertiâ parte propositionis omninò repugnant: omnium optimè & Doctissimè Vazquez, Valentia, & Lessius: reipsâ sic omninò sentiunt Doctor Eximius, & P. Martinonus. Et quidem, sensûs ex se, & exprædenti

S. Thomas. Thomistæ. Vazquez. Valentia. Suarez. Lessius. Martinon.

Universidad de Deusto
Biblioteca

denti satis clari propositio tres partes habet. Primam cum Sancto Thoma: Peccati Remedium fuisse causam finalem Incarnationis: Alteram cum eodem contra Schotistas: fuisse adæquatam ex modo finalizandi. Tertiam, in qua recedimus à Sancto Thoma, cum venia tamen, & ipso manuducente, dum fatetur, esse probabilem: neque primariam esse, neque necessariam. Tertia pars liquet ex propositione præcedenti.

23 Prima mihi est adeò certa, ex Scripturis, & Patribus, ut oppositam non modò censeam temerariam, sed hæreticam. Nam primo constat ex Scripturis. *Matth.* 18. & *Luc.* 19. disertè dicitur: *Venit Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Ad Galat.* 4. *Misit Deus Filium suum ... ut eos, qui sub lege erant, redimeret. 1. ad Timoth.* 1. *Jesus Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Secundò constat ex *Symbolo Nicæno: Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit de Cœlis: & Incarnatus est, & homo factus est, &c.*

Matth 18. *Luc.* 19. *Ad Galat.* 4. 1. *Timoth.* 1. *Symbol. Nicæn.*

24 Tertiò constat ex PP. quorum prima classis, (in quâ ferè omnes,) asserit nos dedisse causam, *ut veniret, venisseq; propter nos.* Altera classis, (in quâ certè sunt S. Clemens Rom. *lib. 1 constitut. cap. 7.* Irenæus *5. adversus Hæres. cap. 14.* Athanas. *Ser. 3. cõtra Arian.* Augustin. *in Psalm. 32. & alibi,* & alii apud Vazquez, Lessium, & Amicum) asserit *Christum non venturum, nisi peccatum intercessisset.* Tertia classis, (in quâ certè sunt idem Athanasius *ibid.* Nazianzenus *orat. 4. de Theolog.* & alii apud eosdem) asserit nullam fuisse necessitatem Incarnationis, seclusò peccato. Quarta classis, (in quâ sunt etiam certè iidem Athanasius, & Nazianzenus, & Ambrosius *de Dominicæ Incarnationis Sacramento cap. 6* & S. Leo *Serm. 3. in Pentec.* S. Gregorius *lib. 4. in 1. Reg. cap. 1.* Iræneus, *ubi supra,* & alii) asserit: non modò non venturum Christum, sed neque habiturum carnem, neque futuram Incarnationem, exclusâ causâ Redemptionis. Vt interim omittam Sanctum Thomam, & illam veterem prosam Ecclesiæ cani solitam Virgini: *Peccatores nõ abhorres: sine quibus nunquam fores; tanto digna Filio:* & communem Fidelium apprehensionem. Adversus hunc impetum stare, aut sentire quis possit?

Clem. Rom. Irenæus. Athan. Augustin. Vazquez. Lessius. Amicus. Nazianz.

Athan. Nazianz. Ambros. Leo. Gregor. S. Thom. Prosp. Eccl.

25 Dici nihilominùs potest primò: *Incarnationem* distingui ab *Adventu* Christi, ut patet ex Litaniis primò interponentibus illam; deinde hunc, sic: *per Incarnationem tuam: per Adventum tuum.* Scripturam autem, & Patres in præcitatis locis intelligi, non de Incarnatione, sed de Adventu Christi. Sed huic fugæ præcluditur aditus ex Symbolo Nicæno manifestè contradicente: ex ipsis Scripturis, & ex legitimo sensu Patrum, maximè, qui pro quartâ classe citati sunt.

26 Dici secundò potest ex Schotistis, præcitata loca debere intelligi, non de Incarnatione secundùm se, sed de circunstantiâ passibilitatis, ut sensus sit, Christum non venturum, ex defectu peccati, passibilem, seu in carne passibili; non verò non omninò venturum, nec alioquin incarnandum. Contrà primò: quia & huic fugæ manifestè resistunt verba Nicæni Symboli, & Patrum ex quartâ classe: quorum propositiones sunt immediatè contradictoriæ solutioni: & manifestè asserunt ipsam Incarnationem, seu substantiam Mysterii propter nos factam. *Schotistæ.*

27 Contra secundò: quia alioquin nos agere gratias non deberemus pro Incarnatione, quasi propter nos, & propter nostram salutem factâ, sed pro Passione, Crucifixione, &c. quod Symbolo resistit, & piæ existimationi Fidelium, & Ecclesiæ sensui. Ratio est: quia causa finalis rei quoad circunstantiam, non est, nec dici potest simpliciter causa rei, aliunde suppositæ: ut causa meritoria Incarnationis, quoad circunstantiam, nec est, nec dicitur causa meritoria Incarnationis.

28 Contra tertiò: quia qui negant absolutè Christum venturum, defficienti peccato, negant omnem modum veniendi: alioquin verè dici posset hodie: vel non venisse Christum, vel non venturum in fine mundi: vel quia non venit impassibilis, vel quia non veniet passibilis. Atqui Patres negant absolutè: ergo. Confirmatur evidentissimè: Aut Christus potuit esse homo, habere carnem, & incarnari, absque passibilitate, vel non? Si secundum: ergo nulla ratione esset homo, defficiente peccato. Si primum: hæc negant Patres habiturum Christum, peccato defficiente: ergo negant absolutè.

29 Dici tertiò posset ex Doctrina Patris Suarez, distinguì debere duplicem Actum Divinæ voluntatis; intentivum alterum; alterum executivum: quorum prius decernat Incarnationem propter semetipsam; posterius verò velit eam exequi ad peccati jam prævisi remedium, & non aliter: idque sufficere Patribus, & Scripturæ, ut sufficit ad dicendũ, reip- *Suarez.*

reipsà Incarnationem esse, & exhiberi propter peccatum: ad eum modum, quo, licèt Deus ante prævisa merita prædefiniat gloriam, ex voluntate omninò gratuitâ; tamen quia reipsà vult eam exequi propter merita, verum est, gloriam esse propter merita, & nõ aliter.

30 Imprimis hæc Doctrina nititur Divisibilitate Decretorum, jam impugnatâ *suprà.* Deinde neque placet solutio, neque exemplum. Non solutio; quia vel Decretum secundum tendit in substantiam Incarnationis propter peccati remedium vel non? Si secundum: ergo Verbum non est factus homo, nec induit carnem propter nos. Patet consequentia: Id quod supponitur futurum, & in sui futuritione non pendet ab existentiâ alicujus rei, non est ab illâ tanquam à causâ sui; sed Incarnatio, & Verbum fieri hominem supponitur futurum ad Peccati remedium, ab ejusque existentiâ non pendet: ergo non est ex peccati remedio, tanquam ex causâ: ergo neque est propter peccati remedium. Patres, & Scriptura apertè contradicunt. Si primum: habetur intentum, licèt in Doctrina non verâ. Neque placet exemplum: Nam Decretum intentivum gloriæ, etiam in viâ Patris Suarez, non potest præscindere à meritis, sed debet esse Decretum gloriæ, ut habendæ per merita: alioquin, quicquid esset exinde de meritis, existeret gloria, utpote efficaciter decreta existere præcisim ab ipsis. Si ergo tale sit Decretum Incarnationis, ut exequendæ ad peccati remedium: ipsum peccati remedium non potest non esse causa finalis Incarnationis. *Suprà disp. 1.*

31 Dici quartò posset ex Hurtado, & Antonio Perez, primum illud Decretum, quo Deus tetendit in substantiam Incarnationis, jam eam ordinasse in peccati remedium, non tamen absolutè, sed conditionatè, si fortè pòst videret per Scientiam Mediam peccatum sub illis circunstantiis futurum: vel si fortè peccaret Adamus, quod videbat Deus maximè imminere: quod periculum æquivalet ipsi futuritioni peccati: atque adeò perinde est, ac si Deus decerneret Substantiam Incarnationis ad peccati remedium absolutè prævisi. *Hurtad. Ant. Per.*

32 Verùm & hic modus nec satisfacit Patribus, & Scripturæ, & videtur inverosimilis. Non satisfacit Scripturæ: ait enim venisse Christum, salvum facere, quod perierat; & propter nos factum esse hominem. Nec Patribus: ajunt enim Peccati remedium fuisse causam Adventûs Domini, & Incarnationis: imò nec aliâ fuisse. Videtur inverosimilis primò: quia facit Deum consilii ancipitem, & expectatorem experientiæ. Secundò: quia Scientia Media à nullo Decreto absoluto dependet; sed independet ab omni: imò ad omne præcedit: nec Deus, volitione quasi præcipiti, potest præoccupare notitiam. Idque maximè est contra primam conditionem Antonii Perez.

33 Tertiò, specialiter contra aliam Hurtadi: quia vanum est decernere sub conditione, quam alioqui exequeris, dum decernis: si ergo Deus scit per Scientiam Mediam, peccatum esse futurum, si creet Adamum: ut quid vult decernere creationem Adami, & peccati remedium, si fortè peccat: videt enim eo ipso peccaturum? Quartò: quia constitutio libertatis omninò perfecta, & cum prædominio partis superioris ad inferiorem (ut fuit illa Adami in statu Innocentiæ) non videtur esse periculum peccati: imò spes magna eventûs boni.

34 Dici quintò, posset ex Patre Suarez *disp. illa 5 sect. 5.* ubi mirâ vi ingenii omnia versat, & tangit: primum Decretum Incarnationis ante prævisum absolutè peccatum, sic excogitari posse, ut tendat in ipsam Incarnationem, non utcumque exequendam, sed modo perfectissimo: qui, casu quo peccatum sit futurum, est eam, exequi ad peccati remedium. Cùm ergo Deus habeat Scientiam Mediam de peccato futuro, si creet Adamum liberum ad peccandum, & non peccandum: ex ipsò primo Decreto ut conjuncto cum tali Scientia Mediâ, tenetur Deus ad Incarnationem ob Peccati remedium. *Suarez.*

35 Sed contra primò: quia neque sic occurritur satis ad rigorẽ Sanctorum Patrũ, & Scripturæ. Secundò: quia hic modus decernendi est quasi indeterminatus, & vagus; contrarius proinde principiis Doctoris Eximii. Tertiò: quia vel posito illo Decreto tenetur Deus permittere peccatum, ut Incarnationem exequatur optimo modo, vel non? Si primum: ergo ex fine exequendi Incarnationem optimè, tenetur Deus permittere peccatum, ergo & amat peccatũ: quæ consequentia in sententiâ P. Suarez premit maximè: nam id ipse putat sequi ex efficaci præintentione Pœnitentiæ, vel Redemptionis ante peccatũ absolutè prævisum. Si secundũ, ne quidem eligit permissionem ex eo fine: ergo peccati remedium nõ est causa finalis Incarnationis

quoad

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoad substantiam, sed penès circunstantiã ordinationis ad peccati ipsius remediũ. Redeunt ergo voces Scripturæ, & Sanctorum Patrum. Maneat ergo negari non posse Peccati remedium fuisse finalem causam Incarnationis Dominicæ, non utcũque, sed etiam quoad ipsius substantiam: quæ erat prima pars propositionis nostræ.

36 Ostendo jam secundam, in quâ est difficultas, & quæ dicebat, Peccati Remedium esse causam Incarnationis, ex modo finalizandi totalem. Primò: quia talis finalizandi modus debet attribui respectivè ad Incarnationem, Redemptioni nostræ, & peccati remedio, ut impleat præcitatas locutiones Scripturarum, & Patrum, à quibus in re præsertim occultâ, & quæ pertinet ad arbitrium Dei, loquentis ad nos per os Sanctorum, non potest honestè recedi: Atqui modus finalizandi, qui totalis non sit, eas implere nequit: ergo is, & non alius, attribui debet. Minor probatur: quia modus finalizandi totalis tunc est, quando finis unicè redditur, seu simpliciter, & sine addito redditur pro causâ rei exercitæ; & ita redditur, ut, inspecto modo causandi, dici possit, rem propter eam esse, nec eâ absente, futuram: atqui is modus implet unicè locutiones Scripturarum, & Patrum: ergo implere eas nequit modus finalizandi, qui totalis non sit.

37 Secundò: quia ex præcitatis locutionibus Scripturarum, & Patrum eò incumbentium, ut commendent viscera Divinæ misericordiæ erga nos, ea fit minimum commendatio Divinæ erga nos misericordiæ, quasi unicè voluerit Incarnationem propter nos, tantique fecerit peccati remedium, & nos in ipso, ut vel æquè propter ipsũ, & propter nos Incarnationem decreverit, ac si propter alium finem nec amaret, nec vellet; nullusve possit opponi titulus propter quem non debeat æstimari Incarnatio, quasi unicè propter nos facta: Nec enim energiam Divini erga nos amoris in decernendo opere Incarnationis minorem eâ quã describi, Scripturæ, aut PP. insinuant, nec minori contenti esse possunt. Atqui modus iste movendi, & finalizandi nõ potest non esse totalis, ut evidens fiet expendẽti terminos, & accuratè comparanti cum physosophicâ ratione causæ totalis: ergo Peccati Remedium fuit causa finalis Incarnationis ex modo finalizandi totalis, & adequata: quæ erat secunda pars assertionis nostræ.

SECTIO III.

FINALIS CAUSA INCARNATIONIS integratur ex excellentiâ Mysterii, & ex Remedio peccati, tanquam ex finibus ex modo finalizandi totalibus.

38 Fit hæc Propositio ex immediatè præcedentibus manifestò: reque ipsâ sic sentiunt Doctor Eximius *disp. 5 sect. 4. & 5.* Martinus Perez *disp. 14. sect. 3. & 4.* Martinonus *disp. 3.* sed est discrimen inter illos, & me: quòd illi sic faciunt causas finales totales Incarnationis, Excellentiam Mysterii, & Remedium peccati, ut hi fines suam finalizandi totalitatem exerceant per suum unusquisq; Decretum: Excellentia per suum; per suum, etiam Redemptio: quorum illud præcedit; & hoc subsequitur: & utrumlibet, utrolibet defficiente, sufficeret ad existentiam Incarnationis. Ego (quod etiam ipse Suarez, nisi fallor, approbat *sect. 5.*) sic statuo suam hos fines exercere finalizandi totalitatem, ut præstent uno solo, & indivisibili Decreto tam mirabilis, & incomprehensibilis energiæ, ut velit Incarnationem propter rationes intrinsecas, & gloriã Christi, eo genere affectûs, quo decernit, & paratus est eam velle, licèt nulla alia superesset ratio extrinseca, quæ moveret: & velit eandem propter peccati remedium, eo genere affectûs, qui satis sit ad ponendam Incarnationem, etiam si nollet ex alio fine moveri. *Suarez. Mart. Per. Martinon.*

39 Vnde licèt ex vi movendi, & ex tendentiâ Decreti præsentis, sit necessitas, ut defficiẽti alterutro ex his finibus, defficeret Decretum, quod nunc est, ipsum tamen, ut nunc est, est necessitas, ne deficeret, ex defectu alterutrius finis, in Deo Decretum Incarnationis ex alio fine. Quare hi Fines ex vi Decreti præsentis sunt formaliter totales, exercentque totalitatem suam formaliter respectu Incarnationis, & respectu Divinæ voluntatis; non verò respectu Decreti, sed ad summum, æquivalenter. Non respectu Decreti formaliter: quia alterutro fine defficiente deficeret: de ratione autem causæ totalis est, ut effectus, seu quasi effectus non deficiat, ex causæ deffectu, ipsâ perseverante: æquivalenter verò, quia ita se habet, ac si esset duplex actus reipsâ, vel virtualiter separabilis. Formaliter respectu Incarnationis, & Divinæ Voluntatis, quia utrolibet ex his finibus deficiente, ex vi Decreti, qui nunc est,

est, maneret Divina voluntas connexa per aliud cum existentiâ Incarnationis, & ipsa Incarnatio poneretur. Et id est, quod *suprà* volui, dum dixi hos fines esse *ex vi decreti* totales, non *ex parte Decreti*, sed *in se*, & *ex parte objecti*. Et ecce nucleum, & concordiam Doctrinæ totius, circa quam sola potest esse difficultas vel in Doctrinâ Physosophicâ, quam supponit, vel in sequelâ Theologicâ, quam subinfert. De hac *sect. sequenti*. Nunc de illâ.

40 Et quidem in concursu duarum causarum finalium ex modo finalizandi totaliũ, nec mihi, nec ulli ferè, dempto Vazquez, est dubium, si fiat per actus vel realiter, vel virtualiter diversos. Primò: nam paritas, quã se tegit Vazquez, ex causis physicis, nulla est: est enim discrimen, quòd Natura dicitur studere compendio: & superfluum horret. Tùm quia causæ intentionales, cùm per se ipsas causent, non possunt se impedire mutuò, nec mutuò se attemperare, eoipso quòd concurrant: at causæ naturales physicæ, cùm agant per actionem distinctam, possunt attemperari in eandem. Tùm demum, quia fines præsertim extrinseci se habent veluti rerum accidentia, earundem perfectiva: causæ verò naturales se habent, ut origo Naturæ, & requiruntur ad esse: res autem, ut habet unicum esse, solum requirit naturaliter unam causam, nam exinde haurit quantum potest: at, ut habet esse perfectibile & capax plurium accidentium, nec ex uno haurit quantum potest ex alio: potest plures fines habere. Secundò passim videmus in causis intentionalibus concursum duarum aliunde totaliũm: ut patet in duplici causâ de condigno meritoriâ ejusdem rei: in duplici imperio actionis externæ, altero intellectuali, & alio appetitivo: in duplici Scientiâ, ejusdem objecti quod amatur, alterâ infusâ; naturali alterâ. Tertiò, & *Vazquez.*

41 Ratio à priori sit: quia non repugnat amari actionem externam v. g. eleemosynæ diversis actibus ex fine diverso: nempè ex motivo sublevandi pauperem, & ex complacentiâ Dei: at actio secuta, adæquatè causabitur, ab utroliber: quia uterlibet determinat voluntatem ad eleemosynam: quis enim vetet ita in eleemosynam affici, ex fine sublevandi, ut etiam præcisim ab alio motivo, induceretur; & ex fine complacendi Deo, ut præcisim ab alio, induceretur etiam eleemosyna?

P. Vazq. 42 Dicit Vazquez, tunc actionem externam causari ab actu efficaciori, seu fine efficaciùs movente: habente se alio fine non ut causâ motivâ, sed ut purè impulsivâ. Contra primò: quia potest esse actus uterque æquè efficax, in quo casu nec potest Deus unam causam determinare potiùs, quàm aliam; nec ex utrâque fieri una. Primum patet: quia positâ quavis determinatione Dei, uterque actus æquè concurret: fit enim iste concursus per sympathiam naturalem, quâ se movet potentia exterior ad motum interioris; unde frustrari nequit, nisi destructâ entitate motûs interni. Patet secundum: quolibet actu defficiente sufficeret alter ad positionem actionis: quod manifestè contradicit constitutioni causarum partialium. Contra secundò: quia vel actus minùs efficax sufficit ad inductionem actionis, vel non? Si secundum: quomodo est efficax? Si primum: cur ergo, si sufficit ex se, non præstat influxum? Quare possunt sine dubio dari duæ causæ totales in linea finis respectu actionis externæ, si fiat per totidem actus.

43 Id verò fieri posse, & debere in casu nostro, aliisque per unicum, mihi est æquè certũ. Primò: Nam hæc debet esse Doctrina communis, cùm communis sit opinio, Deum ita decrevisse Incarnationem, in remedium Originalis, & Actualium; ut etiam defficiente originali, & manente Actualium copiâ, veniret Christus ut Redemptor, & econversò: ergo remedium originalis, & remedium Actualium sunt fines respecti è totales. Secundò: quia potest res dari ex tot ultis secundùm se sufficientibus, & totalibus ad existentiam ejus, puta, ex jure præsuppositio, & ex merito accedente, ut teipsà se gerit Deus cum Christo Domino, dum ei dat gloriam Corporis, & alia.

44 Tertiò, & à priori: quia pertinet ad perfectionẽ voluntatis posse duorum actuũ, secundùm se non oppositorum, energiam in eundem conjungere: unde non video, cur non possit ita affici indivisibiliter circa executionem alicujus rei: puta, Eleemosynæ, ex duplici fine, ut ex ipsâ affectûs energiâ sit paratus eleemosynam dare, ex utrolibet, altero defficiente, colligique possit voluntatem æquè propensuram in actionem eleemosynæ cum uno, ac propendet cum finibus duobus. Id autem nequit concipi, quin uterlibet sit totalis.

45 Dices: quolibet defficiente, defficeret actus: ergo non est totalis, uterlibet. Patet consequentia: quia causa totalis est illa, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ impedit, ne res desit ex defectu causæ, dum ipsa manet. Respondeo distinguo antecedens: deficeret actus omnis in voluntate, nego: qui modò est, concedo. Et distinguo consequens: non est totalis respectivè ad actionem externam, & ad voluntatem, nego consequentiam. Ad actum, qui modò est, subdistinguo: formaliter, concedo: æquivalenter, nego consequentiam. Vide quæ *suprà*, dum hæc explicui, & applicui nostræ Doctrinæ. *Suprà nu. 39.*

SECTIO IV.

CHRISTVS DOMINVS EX VI PRÆSENTIS Decreti, esto non per ipsum, sed per aliud, veniisset, etiam Adamo non peccante, nec alio.

46 EN *primum corollarium*: & est ratio: qui enim rem vult ex qui ex duplici fine totali, rectè colligitur eandem positurus, defficiente secundario fine, & manente primario. Confirmatur: Christus est finis propter quem Deus condidit universum, & omnia, ut manifestè fit ex Scripturis: defficiente autem fine non est unde colligi prudenter possit Vniversi, rerumque creatio: ergo neque Christo deficiente. Sed etiam ex suppositione nullius peccati futuri, Mundus, & Adamus existerent, ut est omnibus in confesso: ergo existeret Christus, qui finis est. Non ergo Decretus Christus Dominus unicè pro casu peccati, & quo non futuro non foret.

47 Nota tamen, quod advertit optimè Pater Suarez, licèt remedium peccati non sit causa finalis, quasi primaria, Incarnationis secundùm se esse tamen, & totalem ejusdem quoad substantiam, ut diximus, & quasi primariam quoad modum, quo reipsà facta est: nam estò, Christus veniret, etiam Adamo non peccante, nec alio, non veniret tamen passibilis, & morti subjectus, neque cum munere Redemptoris. *P. Suarez.*

48 Nota deinde, venturum quidem ex vi præsentis Decreti, non formaliter, sed arguitivè (ut benè loquitur Pater Esparza;) id est, per aliud Decretum, cujus futuritio colligitur ex isto: est enim præsens, quasi futuritio conditionata alterius, & absoluta præsens necessitas, ne desit aliquod Decretum sufficiens ad existentiam Incarnationis, ex præciso deffectu finis non necessarii, quale diximus esse peccati remedium. Ratio omnium est: quia præsens Decretum indivisibiliter tendit in utrumque finem; quare quolibet deficiente, deficeret; tendit verò ita afficiendo Voluntatem in utrumlibet, ut uterlibet sufficeret ad existentiam Incarnationis exequendam; quare necessariò arguit non defuturam volitionem sufficientem ad eam existentiam exequendam, etsi defecisset alter ex finibus. Defendamus modò Corollarium, & in ipso positas in antecessum Assertiones. *P. Esparza*

SECTIO V.

RESPONDETVR ARGVMENTIS IN oppositum.

§. I.

ARGVMENTA COMMVNIA.

49 OBjicies primò: In rebus, quæ pendent ex Divina Voluntate, & cujus certa dispositio cognitare non potest, nisi ex ipso Revelante, standum est Scripturis; at Scripturæ solùm asserunt venisse Christum ad peccati remedium.

Respondeo primò, Scripturis, & Symbolo satis omninò fieri, dum asseritur Peccati Remedium fuisse causam finalem, & totalem Incarnationis tam quoad substantiam, quàm quoad modum: nec enim, dum id ab ipsis, & à nobis asseritur, negatur alius finis: potest enim utraque veritas defendi: neque putandum, Scripturam negare id omne à quo præscindit: maximè, cùm subest maxima causa præscindendi: quæ in nostro casu est: primò, exhibitio finis sufficientis. Secundò, significatio Divinæ erga nos misericordiæ. Tertiò, ostentatio Divinæ inclinationis ad sublevationem nostræ miseriæ per medium omnium Divinissimum, & talis inclinationis, ut ea sola sufficeret ad existentiam medii; quare non est cur isti motivo immisceatur aliud, cùm ex alterius interventu, non minuatur ratio beneficii erga nos per hujus excellentissimi operis exhibitionem.

50 Respondeo secundò: concessâ majori, negando minorem: Scripturæ enim & alios fines satis inculcant, ut *suprà* vidimus. Respondeo tertiò: Scripturas plerumque solùm afferre causas patentiores, tacere communiter latentiores, & quæ rei sunt intrinsecæ, & essentiales: ut de Angelis dicit esse creatos in ministerium hominum, non negà-

do, sed supponendo alios fines intrinsecos: similiter in præsenti discurrimus, non divinantes, sed ab ipsis Scripturis edocti discurrere ex unis materiis revelatis in aliis: unde posset distingui major: standum est Scripturis, vel illativè, vel formaliter, concedo. Solùm formaliter, nego.

SS. PP. qui videntur Oppositi, mens

51 Objicies secundò: quatuor illas classes PP. *sect.2.* descriptas. Posthabitis aliis interpretationibus, suprà rejectis, aut insequendis frustrà; Respondeo: ex Patribus, alios solùm asserere quod ipsi asserimus, factam esse propter nos & propter nostram salutè Incarnationem; nõ tamen negare fines alios: alios negare quidem; sed loqui de Incarnatione, non utcumque, sed prout facta est; stylo nempe non Scholastico, sed dogmatico non excurrente in subtilitates materiæ subjectæ importunas, sed restringente negationem ad praxim rei juxta materiam subjectam, & ex fine præintento talium locutionum, qui erat Fidelium ædificatio, & commẽdatio Divinæ Misericordiæ erga nos cùm peccatores essemus.

52 Idque mihi fit evidens ex ipso modo, loquendi PP. qui videntur facere, sensum suum, æstimareque ut certum dogma Fidei; quod solùm loquendo de Incarnatione cõplexivè, & prout facta est, potest esse verũ: ut Adversarii fatentur, & pro ipsis scripsit S. Thomas fassus probabilitatem oppositi. Alios sumere pro necessitate nomen causæ, finis, & rationis: quasi nostro Hispanismo dicerent: *que razon, que fin, que causa, ò que necesidad avia de parte nuestra para Encarnarse el Verbo, sino necesitaramos de Redempcion?* Non ergo contradicunt nobis SS. PP. tam manifestè, quàm Adversarii putant.

53 Quorum omnium legitimus sensus est, ut ex eorum contextu, & præintento fine colligi potest: ita Deum Incarnationem voluisse propter nos; ut ad commendationem suæ erga nos misericordiæ, & ad æstimationem tanti beneficii, perinde sit modus volendi Incarnationẽ ad nostri sublevationem, & ad peccati remedium, ac si non voluisset ex alio fine, aut ac si Christus non esset aliter venturus, nec exequenda esset aliter Incarnatio. Vnde cùm ajunt, nullam aliam fuisse causam: dicunt optimè, nempe quæ possit obstare æstimationi beneficii, perinde ac si non esset, dum addunt, non venturum: dicunt optimè, subintelligendo, ut venit: vel ita venisse, ut adventum est mare debeamus, ac si nõ fuisset aliter venturus.

54 Sed quid ad Sanctum Thomam? Respondeo, ut ipse ad Anselmum 1 *p quæst.*100. *art.* 2. *ad* 2. sic inquiens: *Dicendum, quod Anselmus hoc non dicit asserendo, sed opinando, quod patet.* Dicendum ergo similiter *quod Sanctus Thomas hoc non dixit asserendo, sed opinando, quod patet.* Nam oppositum censet probabile: quod & Bonaventura præstitit. Opponi ipsi possent Magnus Albertus, Alexander Alensis, Schotus, & Suarez, qui judicant probabilius: & V. Maria de Iesus, quæ Cœlitus (ut opinor,) edocta, ponit ut verum. *S. Thomas sibi respondet in simili.*

Et ipsi opponitur Authoritas aliorũ sanctorum & Theol.

§. II.

ARGVMENTA VALENTIÆ, ET Vazquii.

55 OBjicies tertiò: Si Christus non esset venturus, nisi in Redemptionem, commendatur magis Divina Bonitas erga Peccatores. Respondeo primò: quid inde? teneturne Deus ad id, ex quo magis sua bonitas ostendatur; maximè cum præjudicio sui operis? Respondeo secundòne-getur assumptum, præstitit enim Deus opus Incarnationis ob Redemptionem affectu pari, quo ipsum Incarnationis opus præstitisset ob solam. Respondeo tertiò: magis erga homines commendari Divinam Misericordiam, volendo Incarnationem, non solùm ut liberationem mali, sed etiam ut fontem omnis boni, manaturum, & manaturum, etiam præcisim ab omni malo. Videatur Doctor Eximius acutè movens duo hac de re dubia: utrum motivum ex his moveret efficaciùs Deum: utrum sit æstimabile us respectu nostri? Nam de cõplexo planè affirmat *disp. illa 5. sect. 4. §. quares 1. & seqq.* *P. Suarez.*

56 Objicies quartò: Si Christus venturus esset ex vi Decreti præsentis, vel venisset impassibilis, vel passibilis? Non passibilis: ad quid enim, absente peccato? Non impassibilis: Nam cum Decretum sit efficax, venisset reipsà impassibilis. Notat optimè Martinonus, potuisse, seclusso peccato, subesse causas alias, propter quas Christus decerneretur venire passibilis. Respondent aliqui: Decretum quod nunc est, terminatum quasi primariò ad Christum radicaliter passibilem, & formaliter impassibilem, nisi esset opus in alio signo decerni passibilem. Non applaudo his signis.

57 Respondeo ipse, supponi falsò ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

arguente, Decretum ullum, ex his quæ nunc sunt, in eâ hypothesi mansurum: aliud extitisset, quo decerneretur Christus impassibilis. Itaque nunc Deus Scientia suâ simplicis intelligentiæ, & Mediâ, videns, & plenè comprehendens rerum omnium possibiles ordines, & peccati existentiam sub conditione Vniversi, voluit indivisibiliter Christum propter se & ad peccati remedium venire passibilem, eo genere affectûs in excellentiâ ipsius Christi, ut sibi subordinantem omnia, ut voluerit Incarnationem & circunstantiam passibilitatis ordinate, ad peccati remedium, & gloriam ipsius, volituras tamen ipsam Incarnationem sine hujusmodi circunstantiâ ob illam excellentiam affectivè prælatam pro quavis hypothesi.

§. III.

ARGVMENTA LESSII.

58 OBjicies quintò: quia nostra Sententia eò videtur tendere, ut Christum statuat etiam Authorem salutis Angelorum: exinde namque solet argui post Suarez à Patronis nostri discursûs. Id autem repugnat Apostolo *Hebraor. 2.* ubi probat Christum debuisse constare carne, & sanguine, quia illi, qui per ipsum sanctificati sunt, iis constant: iis verò non constant Angeli. Deinde, qui sanctificat, & sanctificantur, *ex uno omnes*, addit Apostolus: nempe ex Adamo: a quo tamen Angeli non traxerunt originem. Insuper addit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*: nempe, si audiatur Ribera, quia *ad homines, non ad Angelos salvandos venit*. Confirmatur ex Vazquez, addente, omnia merita Christi ita communicata fuisse per mortem, ut sine ipsâ effectum non habuerint: ergo solum iis data ex meritis Christi Gratia, pro quibus mortuus est: Atqui non est mortuus pro Angelis, nec pro primis Parentibus in statu Innocentiæ: ergo nec ipsis est data Gratia ex Christi meritis: ergo non assequimur ex discursu nostro, quod potissimum intendebamus.

Hebraor. 2

Ribera.

Vazquez.

59 Respondeo. Primò, nos aliunde probasse Sententiam nostram *suprà*. Respondeo secundò: negando minorem. Loca enim allegata non obstant, ne dicatur datam Angelis ex Christi meritis Gratiam: quia ut bene vidit Cornelius à Lapide *in cap. 2. Heb. nu. 132. & in 1. ad Ephes. nu. 46.* non loquitur ibi Paulus de omnibus, qui quomodocumque sanctificati per Christum sunt; sed de his qui sanctificati sunt per consummationem passionis, & mortis, & per Redemptionem à captivitate, & à peccato: qui cum passibiles, & mortales sint, decuit ipsis Christum assimilari tanquam minoribus Fratribus, majorique auxilio indigentibus. Id quod ex ipso Pauli contextu colligitur. Illud de Apprehensione hominum factâ potiùs, quam Angelorum, abs re est.

Cornel. à Lapide.

60 Ad confirmationem dici primò potest, de quo *alibi*, Christum mortuum esse pro Angelis, & Parentibus primis; eisque datam gratiam, alioquin propter Christum dandam, datam, *inquam*, ex meritis Christi morte consummatis: voluit enim Deus sic honorare Redemptorem, cui tamen subordinata esset aliunde ipsa Angelorum & primorum Parentum Gratia. Quod si roges: an utrosque dici posset redemisse? potest affirmari, ita ut Angelos non à captivitate exemerit, sed dato pretio fecerit novo titulo suos, & quasi emerit de novo: Primos verò Parentes ante lapsum vectigales similiter fecerit ex novo titulo, & post lapsum strictè redemerit. Secundò: dici potest Christum eam Angelis, & Primis Parentibus gratiam per actus heroicos charitatis erga Deum, vel Adorationis, vel Orationis, vel alios independentes à peccato promeruisse.

Infrà lib. 4 & lib. 5.

61 Objicies sextò. Si Christus erat venturus in statu Innocentiæ, quali carne venisset? Gloriosâ, an non gloriosâ: sed impassibili, qualem habuit Adam? Si gloriosâ: Quomodo potuit nasci, & crescere? Caro enim gloriosa est impassibilis. Si non gloriosâ? Cur ipsi dilata esset gloria; cùm dilata solummodò sit, ut posset pati, & mori juxta Sanctos Patres? Rursus: fuisset conversatus inter homines in terris; an inter Angelos in Cœlis? Si primum: non videtur conveniens, cum esset Beatus, nec ejus exemplo, & instructione eguissent homines. Si secundum: cur ergo Humanam potius, quàm Angelicam Naturam sumeret.

62 Respondent aliqui, venturum in carne gloriosâ, creandumque in statu virili & perfecto: unde cessant inconvenientia, & sit non futuram in ea hypothesi Matrem Dei: quod & innuit illa prosa vetus Ecclesiæ: *non abhorres peccatores, sine quibus nunquam fores, tanto digna Filio*. Mihi verò vehementissimè displicet ista responsio: nam quicquid sit an Deus possit id facere, (quòd modò non

Virgo Maria, etiam Adamo nõ peccante esset Mater Dei.

non curo:) non videtur pati Dei erga Matrem Virginem dilectio expressa in Scripturis, ut sola fuerit de Matre Dei pro casu peccati, & ex occasione, quam alioqui non esse, mallet Deus: Matrem q; Virginem aut nõ esse Divini amoris objectũ per se; aut ex Divini amoris primatu in aliquâ hypothesi fuisse rejectã, & sejunctã à Christo: de quâ nẽpe Ecclesia canit & intelligit eadem de Primatu Prædestinationis, quæ de Christo suprà attulimus: & illa: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Venisset ergo Christus cum hac etiam Matre, nec Adamo peccante, nec alio. Ita sentio cum Suarez *tom. 2. in 3. part. disp. 1. sect. 3.* videdo. Nec me movet quicquam illa Ecclesiæ Prosa: Tùm quia eam puto alicujus nec cauti, nec Theologi, curantis potiùs sonum, quàm nucleum vocis. Tùm etiam quia falsò supponitur eam unquam, & usquam habitam ab Ecclesia in usu, ut advertit contra Vazquez Martinonus.

Martinon. Vazquez.

63 Respondeo ergo aliter, venturum Christum in carne ei simili, quam habuisset Adamus in statu Innocentiæ, gloriâ corporis dilatâ tantisper, ut inter homines aliquandiù familiariter conversaretur, eosque suâ instructione, & exemplo ad majorem perfectionem promoveret. Quamvis enim homines, his non eguissent simpliciter pro illo statu; poterant tamen juvari plurimùm. Neque Passio, & Redemptio fuit unica causa, cur dilata sit Christo gloria Corporis. Potuit enim & alia esse: decebatque præterea Christum assimilari hominibus, quantùm fine indecentia poterat, ex eadem ratione quâ potiùs congruit assumi Naturam Humanam, quàm Angelicam, (si assumptibilis ista sit) de quibus abundè diximus *lib. 1. & 2.* Demum decebat, quòd mereri Christus posset, ut connaturaliùs in nobis existerent Gratiæ ex ejus influxu. Sic Suarez ubi *supra*: qui addit, secutus Augustinum in simili, dici non improbabiliter posse, Christum, etsi carne gloriosâ venturus esset, nasciturum ex Matre Virgine. Videatur *loc. cit.* Marianus, & Eximius Doctor.

Suprà lib. 1 & 2.

Augustin.

Suarez.

64 Objicies septimò: ex nostra Sententia fieri, & dici posse verè, & propriè, Filium Dei non assumpsisse carnem, sed qualitatem carnis, causâ nostrâ: nequit enim propriè dici causa, illud sine quo res æquè fieret. Unde deobligati nos sumus agere Deo gratias pro substantia Incarnationis, & illâ penè infinitâ Divinitatis exinanitione, quâ *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*. Angeri hæc solent exemplis moralibus hinc, & inde petitis ad firmandum Vulgi Scholastici patrocinium contra nostram Assertionem.

65 Respondeo primò: Causam nostram respectivè ad Incarnationem patère latiùs, quàm Redemptionem. Sanctificatio, & glorificatio sunt maximum bonum nostrum, & præcisim à miseriâ culpæ propter ipsas dicimus venturum alioqui Christum: cui, si ex vi decreti subordinamur ut Capiti, & Fonti omnis boni, etiam pro hypothesi nullius miseriæ nostræ, subordinamur cum fœnore magni boni, atque adeò cum maximo debito gratiarum, & gratitudinis. Vide, quàm absit opinio nostra ab absurdo, quod fingitur. Respondeo secundò: Nego sequelam: quia Redemptio nostra, uti diximus, non est utcumque causa finalis, sed totalis Incarnationis, & quoad substantiam, & quoad modum. Quoad hunc, necessaria totalis: quoad illam, totalis non necessaria. Ita ergo tenemur ad gratiarum actionem, ac si unicè propter nos executa fuerit Incarnatio.

66 Objicies octavò: Quando intenrio, & finis operis est occultus: ex nullâ re meliùs, quàm ex modo executionis deprehendi valet: constat enim in humanis operibus; & fingere subesse fines alios, fingere demum est, & divinare in incertum. Atqui omnia, quæ interveniunt in executione Incarnationis, solùm insinuant peccati Remedium, tanquam finem: hæc enim quinque sunt potissimùm: & probatur in singulis. Primò ex Naturâ assumptâ: cur Humana sit, & non Angelica, nisi quia solùm assumpta est in Redemptionem hominum? Angelica enim, ut quæ nobilior, aptior videbatur. Secundò ex Personâ Assumente: cur enim Filius, qui imago est Patris, nisi quia reparare venit creatam Imaginem, & Filios Adoptionis? Tertiò ex tempore, quo nempe summa peccandi licentia, & summa & ex naturâ & ex lege difficultas recti processûs? Quartò ex eo, quòd Angeli multis retrò jam sæculis erant glorificati: quomodo ergo non dilata eorum, ut est dilata glorificatio hominum, ad usque sui Capitis glorificationem? Quintò ex humilitate, paupertate, passibilitate, & aliis circunstantiis. Laudo Authoris Prudentiam & ingenium. Sed

67 Respondeo primò, alios fines, quos assignavimus, non ita esse occultos, ut neque ex naturâ rei, neque ex principiis revelatis, neque ex Scripturis, suadibiliter assignentur. Quare nego suppositum Patris Lessii.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondeo secundò: regulam assignatam à Lessio plerumque fallere: quippe non semper executio respondet intentioni primariæ, quæ quidem frustrari potest ex accidenti. Sic intentio Dei primaria in hominum creatione, est salvatio ipsorum: executio verò, multorum damnatione, terminatur. Respondeo tertiò: quando ejusdem operis sunt plures fines ex modo finalizandi totales, licèt executio æquè proveniat ex utrolibet, non esse necessarium, ut omnes circunstantiæ, quæ in executione interveniunt, utrilibet fini approprientur, & propter ipsum appetantur. Sufficit enim, ut alteri fini non repugnent, quamvis uni conveniant magis: possuntque aliquæ, fini minus principali, magis convenire. Sic res accidit in præsenti: nam Passibilitas, Paupertas, & id genus alia, magis conveniunt fini Redemptionis; non verò repugnant cum fine alio: nam cum ipsis etiam Christus est per se amabilissimus, Persona infinitæ excellentiæ, summa Dei gloria ad *extra*, Decus Universi, Caput Hominum & Angelorum, Fons, & mediator Gratiæ, & Gloriæ. Quidquod neque Passibilitas, neque Humilitas, neque Paupertas repugnare videntur Christo ob plurimos fines, præcisim à munere Redemptoris. Iam, circunstantiæ à Lessio expensæ, licèt valeant ad peccati remedium, valere simul possunt ad alios fines independentes à peccato. Quando autem circunstantiæ & modus executionis valent ad multos fines, ob illas, & hunc malè eligitur unus finis, & vitiosè excluduntur fines alii. Porrò valere eas circunstantias ad alios fines, constabit ex facili.

63 Primò: quia quoad assumptionem Humanæ potius, quàm Angelicæ Naturæ, dici posset imprimis factum ex necessitate, quia repugnat Angelicam assumi: id quod satis probabile fecimus *lib.* 1. Deinde factum, quia Humana præ Angelicâ est quoddam Naturæ & universi compendium; voluisseque Deum, extendere quantum posset beneficium ad omnes universi partes in unâ. Insuper factum, quia per illam assimilatus est Deus & Angelis & Hominibus: quod in assumptione Angelicæ non poterat. Secundò: quoad Personam Assumentem, congruit esse Filium, cujus nempe ad exemplar adoptarentur & Angeli, & Homines. Tùm quia per Dona Dei reddimur Deo similes, perque generationem quandam, Naturæ Divinę participes: decuit ergo, quòd ea haberemus ab illo, qui procedit imago naturalis, & per mirabilem generationem, Deo per omnia similis. Tertiò: quoad dilationem Incarnationis, præter assignatam à Lessio rationem Medicinæ, assignant alias alii, cum quibus ipsi *lib.* 2. *disp.* 1. Quartò: quoad glorificationem Angelorum dicatur, eam præcedentiâ non obstare, ne sit propter Christum, & iste maneat Primogenitus: ut certè non obstat, ne gratiæ collatæ Hominibus ante Christi adventum, fuerint propter ipsum, & ipse fuerit Primarius Finis, & Fons. Quod autem non dilata sit, sicut hominum, glorificatio Angelorum, congruit; quia cùm non peccassent ut homines, non erant æquè indigni, ac proinde nec differendi adusque exhibitionem pretii pro peccato.

Suprà lib. 2 *disp.* 1. à *num.* 22.

Suprà lib. 1 *disp.* 5. à *num.* 18.

69 Objicies nono: Mysterium Incarnationis includit humiliationem, & quandam veluti exinanitionem Divinitatis, ut Paulus loquitur *ad Philipp.* 2. ergo expèti per se nequit, ut Universum hoc Bono constet, sed ob aliam rationè extrinsecam momenti majoris, cui aliter consuli nequeat. Vt si Rex fieret servus, aut Rusticam duceret in Sponsam. Id per se dedecet: neque fieri debet, nisi ob extraordinarium bonum: puta, ob Regni, ejusve magnæ partis liberationem à præsenti ruinâ. Nec obest, quod mirabiliter extollatur Humanitas: Nam & Rusticam etiam extolleret conjugium Regis. Adde quòd opus Incarnationis non videtur pertinere propriè ad ordinem Universi. Tùm quia non pertinet ad Regni complementum quod Filius Regis induat habitum Rustici.

Philippens. 2.

70 Tùm etiam quia vel Unio Naturæ Humanæ cũ Persona Divina, sumitur prout Divinitatem involvit, vel prout in se: Si primum: non pertinet ad seriem creaturarum; sublimior est. Si secundum: est modus perfectionis, & entitatulæ ex se tenuis, neque sufficiens constituere gradum specialem intercentia. Multa miscet, & supponit (speciosa alioquin) objectio, quæ magis ad vulgi plausum, quàm ad solidam rei inspectionem faciant.

71 Respondeo primò retorquendo: nam exinde fit neque ob peccati remedium potuisse Deum uti decorè hoc medio Incarnationis: cum aliàs & aliter posset liberare hominem à peccato: sicuti si Rex aliter posset facilè liberare regnum à ruina, indecorè subiret ob id notam servi, aut conjugium conditionis omninò disparis. Respondeo secundò iterum retorquendo: quia si Incarnari est per se indecorum; cùm aliunde indecorum non sit manere, Deum offensum, sine satisfactione: aut sine expectatâ condignâ satisfactione, gratis parcere; non videtur sufficiens ratio, ut Incarnaretur, prætextus satisfactionis condignæ. Quare Respondeo tertiò: negando in Incarnatione misceri ullam Divinitatis humiliationem, aut exinanitionem, vel physicam, vel moralem. Non physicam: quia inde nihil damni patitur, aut lucratur boni. Non moralem: quia sicut per blasphemias hominum non minuitur Dei Majestas, ut neque Sol inficitur ex illuminatione cæni; sic neque minuitur, neque vilescit per assumptionem Humanæ Naturæ; sed agit triumphum Bonitas infinita. Sed de his *suprà*, cùm de convenientia Mysterii.

Vide suprà lib. 2. *disp.* 1

72 Ad illud Apostoli, certum mihi est, eritque attento lectori, loqui Paulum de Christo, non quà Deo, sed quà Homine: ut enim neque Divinitas exaltatur, neque obedit; ita neque se exinanit: sed Humanitas Divinitati conjuncta, seu homo Deus, eodẽ autem filo sermonis de his, ac de illis textus Pauli discurrit. *Nota*, per communicationem idiomatum, dici hæc posse de Deo, ut alia dicimus. Neque est par ratio de Rege, qui fieret servus, aut duceret Rusticam: Nam bonus status Regis pendet à conditione priâ Regis, exclusiva servitutis, & à parilitate conjugii: at ab his extrinsecis non pendet status Majestatis Divinæ. Neque Unio est tenuis adeò perfectionis, & entitatis, ut non sit opus omnium excellentissimum in ratione Perfectionis, & Entis, ut contra Lessium ipsum & Antonium Perez probatum est *lib.* 1. *disp.* 3.

Suprà lib. 1 *disp.* 3. *nu.*

73 Instabis ex RR. Per Incarnationem fit, qui est creator, & Dominus, servus, & Creatura: subitque magnam demissionem infinita Majestas: non ergo potest esse Incarnatio per se expetibilis, & amabilis, sed per accidens, & ex necessitate postulante; qualis intervenit in remedio Generis Humani. Antecedens probatur primò ex Apostolo, cujus verba debere intelligi de Christo, quà Deus est, patet! Nam Christus se exinanivit per eam actionem, quà *similis factus est nobis*, & *habitu inventus ut homo est*; hic enim est sensus Apostoli; arqui per assumptionem Humanæ Naturæ *similis factus est nobis*, *& est habitu inventus ut homo*: per eam ergo semetipsum exinanivit, juxta Paulum: ergò id, quod indutum est carne, & assumpsit, semetipsum demisit, & exinanivit semetipsum: Id autem Verbum est, non Humanitas.

74 Probatur secundò ex Patribus affirmantibus Verbum non solùm adjectivè, & denominativè, secundùm Humanitatem, sed directè, & propriè, & secundùm se, fuisse humiliatum: dicunt enim, *ipsum assumere* Naturam Humanam, esse Verbi magnam humiliationem. Id autem Verbo propriè convenit: nam ipsi convenit, unicè, *assumere*. Hi autem Patres sunt Augustinus *epist.* 120. *& tract.* 55. *in Ioan.* Cyrillus *lib.* 2. *de fide ad Reginas.* Leo *epist.* 83. *ad Episcop. Palæst. cap.* 7. Hyginus Papa *epist.* 1. *Decretali.* Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophilactus *in eundem locum* Apostoli *ad Philipp.* Probatur tertiò: quia humiliari est non esse in eo gradu dignitatis, qui per se deceret, & deberet, ac convenire posset. Ad Dei autem Majestatem pertinet, ut non solùm natura ejus propria, sed etiam associata Personaliter, sit in summâ Majestate. Sicut Rex violatur directè, in legato injuriosè tractato.

Augustin. Cyrillus. S. Leo. Hyginus. Chrysostom Theodoret. Oecumen. Theophil.

75 Imprimis, Instantia, (si quid probat), certè probat Verbum, ipsâ Incarnatione mutatum: æquè enim mutat deterioratio, ac melioratio: nam utralibet est signum ortûs, & interitûs. Deinde probat, Verbum directè, & propriè mansisse minus, & inæquale Patri. Insuper tanta humiliatio non videtur compensari posse per bonum purè creatum quale fuit peccati remedium. Quòd si Adversarii censent, compensari nihilominùs posse: cur compensari nequeat per excellentissimam gloriam inde resurgẽtem? Demum respondeo, distinguendo antecedens: denominativè, & adjectivè, & indirectè, concedo: propriè, & in se, nego antecedens: hæc enim est excellentia Divinitatis, non posse his denominationibus subesse propriè, sed adjectivè, & per communicationẽ idiomatũ.

76 Ad primam probationem, jam dixi, sensum Apostoli esse de Christo quà homine, volente coram apparere, *habitu* quidem, conditionis omninò nostræ similis, secùs ac Personæ dignitas postulabat. Ita Ioannes Antonius Velazquez *in locum eundem* doctè, & Theologicè multa discurrens. Nisi locum intelligas de exinanitione denominativâ, & adjectivâ: de quâ Patres intelligo, qui contrà adducti sunt. Vnde patet ad secundam probationem. Ad tertiam dico, Verbum semper manere in eo dignitatis gradu, qui ad ipsum pertinet; nullamque pati diminutionem dignitatis ex assumptione Naturæ, licèt in ipsâ patiatur multa indigna suâ Majestate.

Ioannes Antonius Velazquez

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. IV.

ARGVMENTA RECENTIVM.

77 OBjicies decimò, quia in nostrâ sententiâ, dicì vere non posset, quòd Deus simpliciter ex dilectione Generis Humani dederit mundo Filium suum, contra illud *Ioann. 3. sic Deus dilexit mundum, &c.* Sequela probatur: quia Deum dare Filium suum, est, ipsum è suo quasi sinu educere, quæ eductio præcisè Incarnatione fit: Atqui Deus non eduxisset è sinu suo Filium ex dilectione Humani Generis, cùm decrevisset educere, ante omnem erga Humanum Genus affectum. Patet exemplo: Si Rex, Filio suo parauti in Aragoniam venire ob alias causas, conscius hujus consilii, mandaret, ut ipsam armis tueretur, non posset Aragoniæ exprobare, quòd ob ipsius bonum, Filii sui se conspectu privasset. *Ioann. 3.*

78 Respondeo negando sequelam: Ad probationem, admissâ cum puritate terminorum majori, nego minorem, & suppositum. Hoc quia suppontur præcedentia Decreti, seorsim connexi cum existentia Christi, à Decreto illam statuente in peccati remedium. Illam: quia quotiescumque res sit existens ex aliquo fine totali: ipsi simpliciter potest, & debet tribui, etiam in consortio alterius finis etiam totalis. Vnde si Rex ita mitteret Filium suum, est idem casus: & frustra adductus. Peccat tamen exemplum in eo quòd supponat Filium ex se, & independenter a Patre, parare protectionem: cujus rei conscius Pater, mandat Regni liberationem ab hostibus alias fortè non mandaturus: qui casus diversissimus est ab illo, in quo Filius, non nisi dependenter à Patre profectionem ornaret: quam simul Pater vellet ex affectu erga Filium, & erga regnum, unoquoque movente totaliter, & sufficienter: & talis putandus est casus noster.

79 Objicies undecimò: repugnat Scripturæ, qui dicat, Deũ ex dilectione mundi, nõ concepisse, sed conceptum antè confirmasse propositum mittendi Filium suum: item qui diceret, Deum non dedisse Filium suum ex mundi dilectione, sed donationem anteà factam, exinde confirmasse. Id autem nos dicere cogimur: Primum: quia definitio motivi purè confirmativi est, quod accedit voluntati jam habenti propositum rei exequẽdæ. Secundum: quia Donatio, seu executio rei, non distinguitur moraliter à Decreto donandi, & exequendi: ergo si Decretum dandi Filium ex dilectione mundi supponit Decretum, ipsum dandi ex aliâ causâ independenti, moraliter supponit donationem, & executionem: est ergo secunda donatio, & exinde confirmatio primæ donationis.

80 Respondeo primò: negando suppositũ, in quo fit multiplicatio Decretorũ, quâ nititur unicè species argumenti. Respondeo secundò negando sequelam: nam motivum cõfirmativum, non est accessus motivi utcumque, sed motivi partialis, & quasi subordinati priori; non verò totalis, & sufficientis inducere existentiam rei, etiam si nullum aliud esset. Tale autem diximus esse respectivè ad Voluntatem Divinam peccati remedium: in cujus intentione constitit specialissima dilectio mundi. Quare argumentum nullum est.

81 Objicies duodecimò: Si Christus Dominus, Adamo non peccante, veniret; veniret quidem: & non ut causa meritoria Gratiæ, & gloriæ posteris transfundendæ: ergo non veniret. Antecedens probatur: quia Gratia, & gloria, si Adamus non peccaret, transfunderentur in posteros, juxta pactum initum, ex solius Adami merito: sicut ex ipsius solùm demerito transfusa est culpa: ergo Christus non veniret, ut causa meritoria Gratiæ, & Gloriæ Posterorum. Probo jam consequentiam primam: nam si veniret hujusmodi, non cognosceretur ab Hominibus, ut Caput morale suum, aut Fons suæ gratiæ, & gloriæ, atque adeò nihili, aut quasi nihili penderetur ejus Adventus. Sic Amicus acutè. Addit Aldretus: (nam alia præsoluta jam sunt) Deum nihil mali permittere, unde non hauriat plus boni: non ergo permisisset peccatum, nisi mittendus esset Filius in Redemptorem: neque misisset Filium, nisi peccatum foret: alioqui nullum novum bonum in mũdo existeret ex occasione mali permissi; quod, non esset in linea boni, peccato minus. *Amicus.* *Aldretus.*

82 Responderi posset imprimis ad argumentum; Christum venturum, ut Finem, & Fontem Gratiæ, influxu exigentiali, & finali: quod sufficeret, ut Adventus Christi maximi haberetur, nec ipsi præjudicaret Adami constitutio in esse Capitis moralis secundarii. Secundò dici posset: neque Adamum in eo casu futurum causam meritoriam transfusionis Gratiæ & Gloriæ penès Posteros: hæc enim darentur ex pacto Posteris; posito, tanquam

quam conditione, actu, quo sibi specialiter meretur Adamus Incrementum & Gratiæ, & Gloriæ.

83 Respondeo tertiò: negando quod assumitur: esset enim Christus, ut sequitur ex dictis ad *sextam objectionem*, Causa primaria & meritoria Gratiæ, & Gloriæ, tùm collatæ ipsi Adamo, & in ipso Posteris, tùm & ipsis etiam Posteris. Neque ipsi præjudicaretur ex eo, quòd Adamus, genere longè diverso, & gradu valde inferiori, diceretur caput secundarium Posterorum. De Demerito alia est, & debet esse ratio. In ipsum enim solus Adam influxit, malè devians à bonis, ex Meritis Christi, possessis à quibus justè omnes excluſi sunt in ipso, ut qui in ipso, & per ipsum demeriti fuimus. *Aldrete.*

84 Ad Aldreti cogitationem satis piam dicatur primò: laudari pietatem à nobis, & expectari probationem assumpti. Secundò: ipsam Redemptionem per actus infinitæ æstimationis exercitam, esse bonum peccato majus, & quod ipso peccato non intercedente, non foret. Tertiò: illam regulam, ad summum, esse verâ de sequelâ boni majoris vel in ratione honesti vel in ratione utilis. Quartò, debere solvi nodum ab Aldreto: nam rogo: quid plus boni fuit ex permissione tot Actualium, cùm sit communis opinio, venturum Christum ob solum originale, & licèt ipsa non essent? Alia mitto momenti levioris, & quæ falso, multiplicitatis in Decernendo divinæ, principio nixa sunt. *Amicus.* *Prudent.* *Lumbier.* *Munieſſa.*

SECTIO VI.

CHRISTVS DOMINVS DECRETVS EST etiam ut Redemptor, sine antecessione Prævisionis absolutæ, Peccati futuri.

§. I.

AVTHORITAS ET RATIO.

85 EN *alterum Corollarium*: Quod acuti Magistri cum Amico, Prudentio, Lumberio, & Munieſſa, plures citante, & ornante multis, *disp. 6. de Incarnatione sect. 4.* necessarium meritò censent, ut duo componant, quæ sibi videntur alioquin vera. Primum: Adamo non peccante, Domini Incarnationem nec futuram, nec venturum Christum. Alterum; Christum esse primò Decretum, ut finem omnium creaturarum, & rerum: *unde colligunt* primum Decretum fuisse de Christo Redemptore, ante prævisum absolutè peccatum. Horrent hoc cum Suarez, & Vazquez Multi (pro quibus est novissimè Reverendiſs. Thyrsus *tom. 2 & 3. Select. in 2. disp. 16. in 3. disp 7.*) ob sequelam, quam timent, de amore peccati, necessariò ad eum finem efficaciter præintentum prærequisiti. *Suarez.* *Vazquez.* *Thyrsus.*

86 Pater Aldrete, Pronuntiatis illis admissis, negat inferri *quod illi colligunt*; tentatque illa duo componere, dicendo, præhaberi à Deo posse Scientiam Visionis de peccato futuro antecedenter ad ullum Decretum: Idque per duo principia: *Primum est:* Deum, per Scientiam Mediã circa Actus liberos Creaturarum, antecedenter ad omne Decretum de Mundi, & Adami creatione, scire: *Adamum peccaturum, si crearetur.* Secundum est: Deum etiam per Scientiam Mediam circa Actus liberos suos, scire: *Creandum à se Adamum, si liberè Deus ipse complaceat in Mundi, & Adami Creatione.* Si jungis has duas Scientias, ecce jam Deus scit: *sub conditione suæ liberæ complacentiæ*, futurum Mundum, Adamum, ejusque lapsum Complaceat igitur liberè Deus. Ecce purificata est hypothesis, ante omne Decretum; (Nam complacentia illa, Decretum non est:) purificatâ autem hypothesi Scientiæ Mediæ, manet objectum absolutè futurum: ergo ante omne Decretum dari potest absoluta futuritio: & absoluta prævisio culpæ: ad cujus destructionem, potest primò decernere Deus Christum Dominum, ut Redemptorem. Hæc est mens Doctissimi Authoris, se explicantis acutè *disp. 21. sect. 1. & iterum disp 22. sect. 9.* Mihi verò & hic, & ille discursus vehementissimè displicent. *P. Aldret.*

87 Hic Patris Aldreti, tanquam plenus incommodis, primò: quia multiplicat virtualitates in exercitio Divinæ libertatis; adversus stabilita, *disp. 1.* Secundò: quia specialiter Deo dedecent ante resolutionem hi quasi gressus, & inceptiones affectuum, utpote propriæ limitationis nostræ, incipientis ab imperfectioribus, ex eisque facientis sibi gradũ ad perfectiora. Tertiò: quia fluunt exinde sequelæ contra Doctrinas communiter admissas in Schola Scientiæ Mediæ: quales sunt, Scientiæ Visionis, rerumque futuritiones independentes à Decreto Dei: reflexio conditionata in Decreta Dei, ut aliquomodo futura: & id genus aliæ. Quartò: quia fundatur in principio mihi non vero de Scientia

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiâ Mediâ Dei circa actus suos, ut cum Molina docui *in Tract. de Deo Scient.* Quinto: quia non vitat inconvenientia: nam ex illâ præintentione, teneretur Deus dare auxilium, ut utile ad Redemptionem, id est, quia inefficax. Sextò: quia si peccatum videtur absolutè futurum ante Decretum: ergo & Adamus: præcedunt ergo Adamus, & Vniversum ad Christum, & priùs quasi virtualiter decernuntur. Septimò: quia similiter ex conditione illius Complacentiæ, de primo ad ultimum, esset absolutè futurus Christus, antecedenter ad omne Decretum: nam etiam scit Deus, Venturum Christum, si peccaret Adamus. Octavò: pessumdatur tota *libertas Dei in decernendo*, cùm præcedat ad Decreta illa complacentia, & in ipsa futuritio absoluta & absoluta connexio cum Decretis, & Rebus decernendis: ubinam ergo manet signum indifferentiæ? Mitto alia. Vide, si placet adversus Aldreti discursum, R. adm. N. Thyrsum, latè insequentem, *tom.3. disp. 7. sect.2.*

88 Ille primus *nu.* 85. propositus æquè displicet: primò: quia dicitur omninò coactè, & sine ulteriori urgentiâ, quàm argumentorum. Secundò: quia si finis Vniversi, & Adami est Christus: & hic sine casu peccati non veniret: unde colligitis fore Vniversum, & Adamum, sine casu peccati? Tertiò: ergo potuit evitando peccatum, facere Adamus ne existeret, & ne præintentus esset finis, propter quem creatus est: ergo potuit facere ne ipse unquam extitisset: nam qui tolleret finem, & media sustulisset.

Nuper disp.1.

Ipse ergo aliunde necessarium censeo corollarium, nempè ex Doctrinâ *disp. præcedentis de indivisibilitate* Decreti: & ex ipsius veritate, quàm suadeo independenter à præjactis doctrinis.

Suprà nu. 12. Irenæus.

89 Primò: ex Patribus: quorum Irenæus *loc. supra citato* sic ait: *cum præexisteret salvans, oportebat, quod & salvaret, fieri: ne in vacuum esset salvans.* Sic arguo: Christus ex Irenæo præextitit, ut Salvator ad Adamum, & salvandos, non quidem alio præexistentiæ genere, quàm præexistentiâ finis: nam præexistentia tèporis pro Adamo est: Deinde: quia frustrà inferret Irenæus necessarium exinde fuisse, quòd essent, qui salvarentur, *ne in vacuum esset salvans*: ergo Christus ut Redèptor, & Salvator antecedit eo pręexistentiæ genere ad omnia, quæ supponunt Adamum. Sed libertas, & peccatum supponunt Adamum: ergo & Christum ut Redemptorem: ergo Scientia Visionis de Adamo non præcesit ad Decrerum de Christo, ut Redemptore: ergo neque Scientia Visionis de Peccato Adami. Dices, sensum Irenæi esse, datam ex meritis Christi Redèptoris Gratiâ reparatricem Adamo, & Posteris, ne otiosa fuisset Christi æterna Prædefinitio, habita ex prævisione peccati. Verùm hic sensus manifestè repugnat Irenæo, dicenti *Christi ut salvatoris præexistentiam* fuisse rationem, *cur essent, & qui salvarentur, eorumque salvatio.*

Anastas. Iustin. Nissen. Max. Taur Macharius Philadelp. Grethser. Pintus.

90 Deinde Anastasius, Iustinus, Nyssenus, Maximus Taurinensis, Macharius Philadelphiensis, & alii apud Grethserum *tom.2. de Cruce*, & apud Pintum *de Christo crucifixo lib.2. tit.1.* docent apertè *ex amore Crucis & Christi Crucifixi* Deum formasse hominem, & mundum: & *in figura Crucis* utrumque: imò, & *Vitæ arborem* in Paradyso. Ex quo sic arguo: Crux, & mors Christi sunt circunstantiæ Christi ut Redemptoris: nec enim nisi titulo Redemptionis amantur à Deo; sed amatæ sunt à Deo sine antecesione peccati absolutè futuri: ergo Christus ut Redemptor. Probatur minor: quia Creatio Mundi, & Hominis decreta est sine antecesiòne peccati absolutè futuri; sed in ipsâ creatione mundi, & hominum impressæ sunt circunstantiæ *Crucis*, & *Crucifixi*, ut constat ex præcitatis Patribus: ergo.

91 Secundò: ex Rationibus Theologicis, quarum prima est: quia per ordinem Gratiæ, & Hypostaticum, & hunc, annexum Redemptioni, impediuntur plura peccata, quæ alioquin forent, nisi interveniissent merita Redemptoris: ergo nequit antecedere visio peccatorum absoluta, Christi decretum, ut Redemptoris. Si ergo aliquorum visio non præcesit, cùm decretus sit, & esset Redemptor omnium; cur aliorum visio prę cedere debuit?

92 Altera est: sunt aliqua peccata, quæ nisi Christus veniisset, cum circunstantiis annexis Redemptioni, nempè Passibilitatis, & Humilitatis, & abjectionis voluntariæ, non essent: non tamen ex Christi influxu, vel inductione, sed ex hominum redimendorum, redemptorumque ingratitudine, & pravitâte: ut est omninò evidens: horum autem absoluta prævisio peccatorum præcedere non potuit ad Decretum de Christo, ut Redemptore. Sed Christus Dominus est Decretus Redemptor omnium: ergo Decretus est Redemptor peccati non antè prævisi cum absolutâ futuritione: si ergo potuit decerni, Decretusque sic est Redemptor, respectivè, aliquorum peccatorum: quidni etiam omnium?

93 Tertia: quia sic nec aliter defendi potest commodè omne genus Benedictionis, Sanctitatis, & Gratiæ, (earum etiam, quæ, etiam Adamo non peccante, propter Christum extitissent in primis Parentibus, neque ipsâ extiterunt in Angelis, & in Beatâ Virgine) voluisse Deum, siquidem in præsenti Providentiâ decernebat Christum Filium suum cum munere Redemptoris, ut acceptum fateremur ex meritis Christi, etiam Patientis, & Morientis: ut insinuant apertè PP. ex Scripturis. Quarta: Quia negari nequit aliquos Adæ Posteros, fusis ad Deum ex Gratiâ Redemptoris precibus, adeptos Filios: ergo decreti sunt Filii ex meritis Redemptoris. Sed non post prævisum originale peccatum, & post pactum: quia nec hoc cõprehenderétur, nec illo fœdarentur: ergo sine antecesione talis prævisionis de peccato, Decreti jam sunt ex meritis Redemptoris: ergo & Redemptor. Quinta à priori, & sit Corollarii

94 Fundamentalis ratio: quia Christus ut Redemptor, atque adeò absolutè connexus cum peccatis hominum, decerni & prædefiniri potest sine antecesione prævisionis absolutæ de peccatis ipsis, sine ullo affectu vel formali, vel virtuali peccati, aut ullâ læsione libertatis Christi, vel nostræ: sic ergo Decretus est: quod conceditur facilè ab Adversariis: nam ex solâ falsitate antecedentis, ut video, & ajunt, negant istam consequentiam. Assumpti ergo antecedentis altera pars de libertate, conceditur à multis post Suarez, & complanata est *disp. præced.* Nunc primam ostendo duplici discurrendi via: quam utramque rursus *in Tract. de Prædestinatione*, adversus novos Impugnatores, & maximè Reverendum admodùm Patrem Nostrum Thyrsum *tom.2. disp.16. & tom.3. disp. 7.* abundè firmabo, traditis dilucidiùs his ipsis motivis sic discurrendi, quibus nunc nitor; contentus modo ea quasi nuda proponere.

Tom. in 1. p. tract. de Præd. R. P. N. Thyrs.

§. II.

DVPLEX DEFENSIONIS MODVS.

Primus modus. Molin.

95 PRima igitur discurrendi via, juxta nostra Principia de Indivisibilitate Divina in decernendo, sit cum P. Molina, *Aranda de Incarnatione*, in hunc modum: Considereturr Deus, plenè, & comprehensivè instructus per simplicem intelligentiam de rerum naturis, & per Scientiam Mediam de Eventibus, & Peccatis sub hac, aut illâ conditione futuris, si Vniversum crearet, & produceat Adamum. Iam pro signo immediato ad suæ libertatis indifferentiam, per illas duas Scientias, constituendam; velit Deus permittere hominibus, quos decernit, peccata conditionatè prævisa; & siquidem potest ex innumeris finibus permittere, velit indivisibiliter, per ipsum actum permittendi, Peccati pharmacum & Remedium, per medium Incarnationis, ob excellentiam ejus, & ob gloriam sibi, & Christo Redemptori exinde resultantem, & ob annexa humani Generis bona: Quæ simul omnia colligere vult ex occasione peccati; quod Humano Generi non permitteret, nisi præscius hujus maximi Fructûs exinde occasionandi: ad quem ordinat permissionem Peccatorum.

96 In hoc modo discurrendi neque amor, seu intentio efficax Christi ut Redemptoris, præcedit Permissionem; neque hæc, illa: & neutram præcedit absoluta prævisio, sed Scientia Media de Peccatis. Vnde nec ille amor, seu intentio efficax Redemptionis est in Deo obligatio anticipata, quæ necessitet Deum ad eligendam permissionem, & statum, in quo sit necesse peccata permitti: neque est necessitas, quam sibi Deus imponat de ratificatione peccati; neque est inclinatio ad auxiliorum inefficaciâ: sed unicè, & indivisibiliter est Decretum, quo Deus permittere vult Peccata, ipsisque mederi per Remedium summè æstimabile, perque Medicum Maximum; ordinando Permissionem mali ad existentiam tanti Boni. Si enim Deus potest hominibus (ut certè potest) peccata permittere propter alios fines, minus favorabiles: quidni propter hunc, Humano Generi, fontem tanti commodi, & gloriæ? Manet igitur totus iste decernendi modus, in linea puræ permisionis, respectu peccati: neque magis inducit peccati existentiam, quàm nuda permisio: connexio enim cum peccati existentia ratione Scientiæ Mediæ præsuppositæ, & ex suppositione liberâ creaturæ non obstat conceptui puræ permisionis.

97 Sic inde arguitur: Eatenus esset impossibilis Deo ista Prædefinitio Christi Domini, quà Redemptoris, sine antecesione Præmissionis absolutæ Peccati futuri, quatenus esse deberet incompossibilis cum pura

Universidad de Deusto
Biblioteca

permiſsione peccati; & neceſſariò connexa cum aliquo affectu circa ipſum: atqui ſine hoc affectu, & cum pura permiſsione ſtare poteſt efficax iſta Prædefinitio: ergo poſsibilis Deo eſt. Major eſt adverſariorum. Minor patet ex diſcurſu præcedenti: quem ſic firmo: Modus permittendi peccatum, non futurus ex ſe, niſi ſimul eſſet Decretum de potentiſsimo Remedio ipſius, potiùs arguit ejus deteſtationem, quàm ullum affectum: ſed, ex prædictis, Prædefinitio Chriſti Domini ut Redemptoris, ſolùm eſt modus permittendi peccatum, ex ſe non futurus, niſi ſimul eſſet Decretum de potentiſsimo peccati Remedio: ergo talis Prædefinitio potiùs arguit peccati deteſtationem, quam ullum affectum: ergo. Major patet: quia talis modus ſe habendi circa peccatum, nequit arguere affectum ex conceptu permiſsionis ut liquet: ſed ex conceptu ita ſe identificandi cum Decreto, ne peccatum maneat indeſtructum, arguit manifeſtè deteſtationem peccati: ergo. Et in hac forma diſcutrendi, vix urgent objectiones, quæ fieri ſolent, alioquin graves; ut conſtabit. Dices ex Reverendiſsimo Noſtro Thyrſo: Hinc vellet Deus quòd evitatio peccati oriatur ex Decreto incompoſsibili cum ipſâ: nam vult, oriri ex Auxilio ſufficienti, per tale Decretū collato: quod eſt perinde. Id autē eſt velle chymerā. Nego id ſequi. Solùm enim vult, & poteſt velle Deus, peccati evitationem oriri à libertate, ſeu à poteſtate proximè evitativâ peccati, quæ reipsâ à tali decreto præſcindit. Latius *loc. cit.* de his, *& ſect ſeq ad ſextum & ſeptimum argumentum, à nu.* 138 *&* 152.

R. P. N. G. M. Thyrſ.

Infrà à nu. 138. & 152

98 Secunda ſit diſcurrendo generaliùs, & explicando juxta principia jacta *in* 1. 2. finis influxum in Media, vel quaſi media. Volitio & intentio finis, eatenus infert, & ſibi connectit volitionem medii, vel quaſi medii, quatenus hæc volitio medii eſt neceſſaria ad exiſtentiam finis, quia eſt neceſſaria ad exiſtentiam medii, vel quaſi medii, ſine quâ nequit eſſe exiſtentia finis, quam ponere cogitur ex vi ſui efficacis affectûs, intendens Finem. Hæc ſi attentè expendantur, fient evidentiſsima. Vnde ſi ad poſitionem & exiſtentiam medii, ſeu quaſi medii, non eſt neceſſaria volitio, quâ, intendens finem, velit ipſum medium, ſeu quaſi medium, eoipſo manet ſine ullâ neceſsitate, aut obligatione ad talem volitionem, quantumvis velit efficaciſsimè finem. Ratio eſt: quia eoipſo volitio medii non eſt neceſſaria ad exiſtentiam Finis: finis autem ex vi ſuæ intentionis non neceſsitat niſi ad id, quod eſt ad exiſtentiam finis ſimpliciter neceſſarium.

Secundus modus tom. Vide. tom. in 1. 2. *tract de Actib.*

99 Confirmatur patentiſsimè. Primò: Non magis obligat intentio finis ad volitionem medii, quàm ad executionem & poſitionem medii: imò minùs: magis enim pendet exiſtentia finis ab executione medii, quàm ab ejus volitione. Nihilominus, ſi executio medii non ſit ſimpliciter neceſſaria ad exiſtentiam medii, vel quia jam ſupponitur, vel quia aliunde jam eſt; Intendens finem non obligatur ad medii executionem: ergo ſimiliter. Confirmatur ſecundò: præoccupando evaſiones ingenioſas Thyrſi, & Recentiorum, in hunc modum. Amor finis, quantum is efficax, non inducit, neque requirit alium amorem eorum, quæ requiruntur ad exiſtentiam finis, præter illum, qui neceſſarius eſt ex vi finis intenti, ſeu ut exiſtat finis ex intentione: atqui ex vi Redemptionis præintentæ ante prævīſum abſolutè peccatum, ſeu, ut exiſtat Redemptio ex intentione efficaci Dei, nullus requiritur amor peccati: ergo amor præintentivus Redemptionis, &c. Major patet ex ipſis terminis: licèt enim demus, quòd ad intentionem finis non ſufficiat amare ſolùm ea, quæ debent amari, ut exiſtat finis; tamen, præter amare ea quæ debent amari, ut ipſa intentio finem obtineat, nihil aliud poſtulare poteſt intentio: & hoc eſt totum acumen Thyrſi, & ſubtilium Recentiorum. Probatur minor: Vt Redemptiō ſit ex intentione efficaci Dei, ſatis eſt, ut Deus ex eâ ponat permiſsionem, & auxilium potiùs in caſu inefficaciæ, quàm efficaciæ: nam ſic intentio cauſat permiſsionem; & hanc poteſt ſequi peccati permiſsi Redemptio: ſed ut ex intentione Redemptionis ponat Deus auxilium in caſu inefficaciæ, nullus requiritur amor inefficaciæ, ſeu peccati: non enim requiritur, ut caſus ſit ratio movens, ſed conditio, *ſine quâ* hîc, & nunc *non* eligeretur auxilium. Atqui conditio, ſeu circunſtantia, *ſine qua non* eligetur aliquid, non poſtulat amari, ut patet in indigentia Pauperis, dum das eleemoſynam: ergo.

Thyrſus, & RR.

100 Tota doctrina patet exemplis, bene ponderatis à Patre Quirōs *tom. 2. in* 1. *part. diſp.* 22. *de Prædeſt.* Sic enim ſine peccato poteſt quis deſiderare rem alioqui cum peccato connexam. Sic Martyres, gloriam Martyrii, non exequendam ſine peccato Tyrannorum: Sic Petrus ex Chriſti hortatu reditum in Vrbem, & crucifixionem, alioquin injuſtam in ipſâ: Sic evitationem ſui peccati, qui ſcit ex revelatione eam pendere occaſionaliter à peccato alterius. Sic etiam in plurimis aliis caſibus.

Quirōs.

101 Nunc ſic: Peccatum, licèt ſit eſſentiale prærequiſitum, ut ponatur Redemptio, ſeu Chriſtus cum munere Redemptoris, eſt ex illis quaſi mediis, quæ ut exequātur, & exiſtant, quantùm requiritur ad exiſtentiam finis, non egent niſi purā Dei permiſsione, nullā verò Dei volitione, connexionis affectivę cum ipsā, neque indirectā, neque directā, neque virtuali, neque formali; neque interpretativā, neque reali: ponitur enim ab hominibus, ſine ullo influxu Divinæ Voluntatis in illud; imò Deo retrahente, & prohibente. Si autem Deus ſciat, ut verè ſcire ſupponimus, peccatum alioqui extiturum ex voluntate, & inductione hominum, quantùm eſt ſatis ad exiſtentiam Redemptionis: cur ex efficaci affectu Redemptionis, tanquam finis in quo ſibi complacet, per ſe ſupponente Scientiam Mediam de peccato, & quem, niſi talis Scientia præceſsiſſet, nunquam habuiſſet Deus, habetque proinde curaturus malum, quod permittere poſſet, ſine ullo remedio curationis adhibito, non poſsit permittere peccatum, quin ullo modo cogatur velle aut inducere peccatum? Latè de his *loco citato.*

SECTIO VII.

ARGVMENTA IN OPPOSITVM.

102 SEd adverſus Doctrinam adeò clarā ſunt ingentes difficultates ex quadruplici fonte deductæ, *Primò*: quia talis præintentio videtur cogere ad collationem auxilii inefficacis: quia inefficax eſt. *Secundò*: quia videtur ſtare non poſſe cum ſeriā voluntate prohibendi peccatum. *Tertiò*: quia videtur connexa cum amore peccati. *Quartò*: quia videtur eſſe neceſsitas eligendi permiſsionem, quia utilem ad peccatum, vel quia proximè utilem ex peccato adjuncto, ad Redemptionem. Evolvendæ ſunt ſingulæ.

§. I.

ARGVMENTA PRIMI GENERIS.

Claſsis 1. *Arg. &* 1. *Argumentum.*

103 OBjicies primò: Nequit Deus velle conferre auxilium inefficax, quia inefficax; atqui Deus intendens efficiter Redemptionem ante prævīſum abſolutè peccatum, neceſsitatur velle conferre auxilium inefficax, quia inefficax: ergo non poteſt Deus, &c. Major eſt inter noſtros evidens, & communis: & meritò: nam hic modus volendi ſonat affectivitatem, & procurationem inefficaciæ ejuſque eſt quædam voluntaria approbatio, & libens acceptatio: movetur enim ex ipsâ inefficaciâ, ut ponat auxilium. Minor oſtenditur: Deus intendens efficaciter Redemptionem, neceſsitatur conferre auxilium inefficax, eâ voluntatis diſpoſitione, ut ipſum non conferret, ſi fuiſſet efficax; atqui conferre ſic auxilium inefficax, eſt conferre, quia inefficax eſt: ergo.

104 Probatur minor: conferre auxilium inefficax, eâ diſpoſitione voluntatis, ut, ſi eſſet efficax, non collatura foret, neceſsariò importat, inefficaciam ut cognitam, eſſe rationem conferendi auxilium inefficax: quod patet: tùm quia affectus ita dependens ex objecti circunſtantiā, ut, eā vel præcisā, vel ſublatā non foret affectus; neceſsariò arguit voluntatem attrahi in illud objectum ex illā circunſtantiā. Tùm, etiam, quia quando affectus ita comparatur ad objectum; & hoc, ad affectum; ut præciſim ab ſpeciali circunſtantiā non tenderet affectus in objectum, neceſsariò dicit ex parte objecti, ut præſcindentis ab eā circunſtantiā inſufficientiam ad motionem affectûs: ergo comparatur objectum cum affectu, ut ratio per ſe non ſufficiens ad movendum: ergo conſtituitur in ratione motivi ſufficientis ex illā circunſtantiā cognitā: id autem eſt eſſe rationem affectûs ut cognitam, illam circunſtantiam, & conſequenter ex illā affectum moveri. Iam major ſecundi Syllogiſmi patet: quia Deus intendens efficaciter Redemptionem, neceſsitatur, ne ipſe Redemptionem impediat: impediret autem, ſi daret auxilia, caſu quo forent efficacia: ergo.

105 Reſpondeo primò: juxta mihi veram, & datam *ſupra* doctrinam de Indiviſibilitate Decreti, conceſſā majori, negando minorem. Ad ejus probationem diſtinguo majorem: neceſsitatur conferre auxilium inefficax, eā animi diſpoſitione, ut, ſi eſſet efficax, non conferret per iſtum modum volendi, quo confert, concedo. Per alium, nego, quouſque detur probabilis in oppoſitum ratio, quæ nobis occulta eſt, ut & ſunt nobis conſilia Dei. Et diſtinguo minorem: conferre auxilium inefficax, non conferendum ex iſto modo volendi, ſi prævideretur

Suprà diſp. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inefficax, est conferre, quia inefficax est, nego: non conferendum ex alio modo volendi, si prævideretur inefficax, transeat. Non ergo quia Deus conferat auxilium inefficax, per modum volendi, qui non esset, si auxilium prævideretur inefficax, jam eo ipso Deus dicendus est ipsum conferre, quia inefficax est: stare enim potest, quòd hic modus volendi non esset, nisi auxilium prævideretur inefficax, quin moveatur ex inefficaciâ; imò quin Deus esset denegaturus, si prævideretur efficax: hæc enim natura affectûs venire aliúnde potest, quàm ex connexione affectivâ cum ipsâ inefficaciâ, nempe ex essentiali dependentiâ à determinatâ Scientiâ Mediâ de inefficacia; sicque reipsâ venit, & evenit, quoties Deus peccata permittit.

106 In nostro casu alia etiam est ratio: nempe, quia affectus præsens iste, quo conferetur auxilium, est affectus indivisibiliter tendens in objectum non eligibile à Deo, nisi cum præscientiâ de inefficacia doni gratuiti à Deo accipiendi: Tale enim objectum est Redemptio: non ergo fit, quòd Deus, quia efficaciter tendit in Redemptionem, teneatur ad non conferenda auxilia, si prævidisset efficacia, sed ad non conferenda per affectum tendentem in Redemptionem: nec minus fit, quòd Deus conferat auxilium inefficax, quia inefficax; sed quòd nolit retardari ex ipsâ inefficaciâ ab auxilio conferendo, velitque nihilominùs conferre, permittendo, ut potest, inefficaciam, & ordinando permissionem ad gloriam Medici, quem indivisibiliter simul pro curando malo decernit.

107 Respondeo secundò generaliùs, negando rursus argumenti minorem. Ad ejus probationem distinguo majorem: necessitatur conferre auxilium inefficax, ea voluntatis dispositione, habitâ solum ex suppositione, quòd auxilium aliunde non erit efficax, concedo: habitâ, vel habendâ etiamsi auxilium esset efficax, nego: nam in hoc casu non intendisset Redemptionem Deus. Nego jam minorem, & probationem: nam ea voluntatis dispositio solùm importat esse dispositionem rei nequeuntis existere nisi in occasione inefficaciæ, atque adeò nequeuntis disponi vel amari, nisi cum præscientiâ talis inefficaciæ. Is autem disponendi modus, & hæc necessitas præviæ notitiæ de futurâ inefficaciâ, non tam est affectus in ipsam inefficaciam, quàm Natura & conditio rei, quæ amatur, non aliter potentis existere nisi cum ipsius inefficaciæ suppositione.

108 Neque me movent *duo* illa, quæ in ulteriorem probationem superadduntur. Non *primum*: quia affectum circa aliquod objectum non fore, præcisâ vel sublatâ aliquâ circunstantiâ, non semper arguit affectû moveri ex illâ, sed vel hoc; vel essentialiter pendere ex alio capite à notitiâ talis circunstantiæ; vel tendere simul in aliud objectum non potens exequi nisi tali præsuppositâ circunstantiâ; vel tendere in unum objectum propter aliud essentialiter à tali circunstantiâ pendens, ut accidit in casu nostro. Non *secundum*: quia ea etiam natura & energia affectûs, illeque deffectus conditionatus sumi potest ex eisdem omninò capitibus, quæ jamjam dixi. Quæ doctrina posset ornari multis exemplis, quæ videri possunt apud Quirós *de Provid. & Prædestin. disp.* 22. *sect.* 4 *num.* 52. quibus tamen ipse non egeo. *Instabis*, & *Quirós.*

109 Objicies secundò: Ipsa intentio efficax Redemptionis est necessitas existendi cum auxilio potiùs prout est in circunstantiâ inefficaciæ, quam efficaciæ: ergo movetur ad auxilium ex circunstantiâ inefficaciæ: ergo eligit auxilium, quia inefficax est. In primo entimemate tota vis est. Antecedens probatur: tùm quia ipsa intentio efficax Redemptionis est necessitas vel formalis vel virtualis permittendi peccatum: necessitas autem sive formalis, sive virtualis permittendi peccatum, necessariò est necessitas existendi cum auxilio potiùs, ut est in circunstantiâ inefficaciæ quàm efficaciæ. Tùm etiam quia intentio efficax Redemptionis, ut est necessitas existendi cum aliquo auxilio, & simul cum Redemptione; necessariò est necessitas existendi cum auxilio potiùs sub circunstantiâ non exclusivâ Redemptionis, sed ad ipsam necessariâ, quàm sub circunstantiâ reipsâ exclusivâ Redemptionis; sed auxiliû sub circunstantiâ efficaciæ est sub circunstantiâ exclusivâ Redemptionis; sub circunstantia tamen inefficaciæ est sub circunstantia necessariâ Redemptioni: ergo intentio istius efficax est necessitas existendi cum auxilio potiùs, prout est in circunstantia inefficaciæ, quàm efficaciæ. *2. Argumentum.*

110 Iam primam consequentiam ostendo. Primò: quia quando voluntas ex vi affectûs ita tendit ad objectum sub hac determinatâ circunstantiâ cognitum, ut excludat oppositam, nec tenderet sub oppositâ in ipsum objectum, necessariò arguit placere sibi objectum, non utcumque, sed ut conjunctum cum istâ circunstantiâ: quid autem aliud est moveri ex ipsâ circunstantiâ?

111 Secundò. Affectus, cui essentialiter præequiritur cognitio repræsentans mediû ut opportunû ex circunstantiâ inefficaciæ, ut tendat in ipsum, necessariò movetur ex tali cognitione: ad quid enim eam tam essentialiter prærequireret? Atqui moveri ex cognitione repræsentante medium ut opportunum ex circunstantiâ inefficaciæ, est moveri ex ipsâ speciali opportunitate, quam cognitio repræsentat: ergo. Tertiò. Qui ex vi affectûs, est necessitatus ad existendum cum auxilio inefficaci, undecumque proveniat hæc necessitas, si rogaretur quid potiùs vellet, attentâ naturâ sui affectûs; vel deficere auxilium, vel ipsum esse efficax? Responderet, malle se, quòd defficiat auxilium, quàm quòd efficax sit. Modò sic: qui sic tenderet in auxilium, necessariò maneret inclinatus in ipsam auxilii inefficaciam, & ratione ipsius, in auxilium, atqui sic necessariò tendit, qui ex vi affectûs subit necessitatem existendi cum auxilio potiùs sub circunstantiâ inefficaciæ, quàm efficaciæ: ergo.

112 Quartò: quia imperceptibile est, quòd objectum apparere necessariò debeat sub circunstantiâ inefficaciæ, ut hic, & nunc voluntas tendere possit in illud, quin ea circunstantia moveat; si enim ex ipsâ circunstantiâ non est affectui placens, ad quid affectus exigit, ut sibi sub ipsâ appareat? Quintò: quia affectus, vi cujus est necessitata voluntas existere cum permissione, & cum auxilio sub circunstantiâ inefficaciæ potiùs, quàm efficaciæ, necessariò est incompossibilis cum affectu amplexivo efficaciæ, & rejectivo inefficaciæ: ergo saltem, estò non formaliter; (ne hæreamus in vocibus) virtualiter, & interpretativè approbat inefficaciam, & ex illâ movetur: quod æquè dedecet.

113 Respondeo primò juxta Doctrinam de indivisibilitate Decreti. Et distinguo antecedens: est necessitas existendi cum auxilio potiùs, prout est sub circunstantiâ inefficaciæ, quàm efficaciæ, ex vi affectûs circa inefficaciam potiùs, quàm efficaciam, nego suppositum. Ex essentiali dependentiâ à suppositione inefficaciæ potiùs, quàm efficaciæ, concedo antecedens. Tota enim necessitas, & connexio, quàm habet affectus ille efficax Redemptionis, cum inefficaciâ potiùs, quàm efficaciâ, est purè consequens, & ex essentiali dependentiâ à determinatâ Scientiâ Mediâ de inefficaciâ, quæ nisi præcessisset, nunquam haberetur à Deo talis affectus indivisibiliter permittens inefficaciam, & volens efficaciter ipsius remedium, mediâ Redemptione, ad quam vult indivisibiliter ordinare permissionem, ut jure poterat ad alios fines sibi benevisos. Dominus enim est, cui non præjudicatur ex malitiâ nostrâ.

114 Nego jam consequentiam: quia id genus connexionis cum inefficaciâ potiùs, quàm cû efficaciâ habet omnis Divina permissio inefficaciæ, quin ulla obinde moveri debeat ex inefficaciâ, quàm purè permittit. Nec consequentiæ *probationes* quicquam obtinent. Non *prima*: quia si voluntas tendit ad objectum sub determinatâ circunstantiâ, habente se merè, ad instar conditionis *sine qua non* tenderet in ipsum, & simul in aliud, non aliter eligibile, & amabile, nisi dependenter à cognitione talis conditionis, quam nec voluntas inducit, nec opus est, ut inducat, quia aliunde extitura jam est, non arguit placere sibi objectum ratione talis circunstantiæ; sed sibi non placiturum, affectu, quo placet, nempe, simul amplectente aliud, quod, nisi ex suppositione talis circunstantiæ, nequit existere.

115 Non *secunda*: quia licèt verum, juxta me, assumat, quando affectus prærequirit cognitionem illius modi, *ut*, & *quia* affectus est talis objecti; fallum tamen assumit, si aliûde requirit affectus, nempè, vel ex perfectione volétis, vel quia est affectus indivisibiliter tendens in aliud objectum, quod, nisi præcognitâ tali circunstantiâ, non amaretur: sicque accidit in casu nostro. Non *tertia*: quia attentâ intentione Redemptionis, cùm à Deo solùm habeatur ex suppositione sibi non liberâ Sciêtiæ Mediæ de inefficaciâ, potiùs mallet Deus conferre auxilium efficax, vel, quòd auxilium esset efficax, & impediretur sibi affectus ille, ex suppositione, conceptus circa Redemptionem, quàm esse necessè Redemptorem. Non *quarta*: quia id videtur imperceptibile non examinantibus titulum, unde illi affectui nascitur necessitas cognitionis præviæ de circûstantiâ inefficaciæ. Ipsum dedi jam ad primam, & secundam probationem. Non *quinta*: quia tota ea necessitas est de naturâ actûs formaliter permissivi: quem si Deus liberè exercet, eoipso se impedit ad rejiciendam efficaciter inefficaciam, quam alioqui permittit, & ad volendam efficaciter efficaciam, quàm sibi creatura impedit, dum abutitur Dei auxilio. Affectus autem ille circa Redemptionem est indi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

indivisibiliter permissio inefficaciæ.

116 Respondeo secundò generaliùs : & distinguo rursus antecedens : est necessitas existendi cum auxilio prout est sub circunstantiâ inefficaciæ potiùs, quàm efficaciæ, habenda, vel possibilis haberi præcisim à suppositione inefficaciæ potiùs, quàm efficaciæ, nego : sic enim manifestè deberet arguere affectum inefficaciæ. Habita solùm, & possibilis haberi, ex suppositione inefficaciæ potiùs, quàm efficaciæ, concedo antecedens, & nego consequentiam : quia tota illa necessitas, & connexio cum inefficaciâ potiùs quàm cum efficaciâ est ex suppositione, & purè cõsequens, nec orta ex affectu circa auxilium, ut affectus circa ipsum est, sed ex essentiali dependentiâ, quam habet affectus à Scientiâ Mediâ de inefficaciâ (præter alios titulos,) specialiter ex titulo tendentis in Redemptionem: cujus objecti natura talis est ut depẽdeat à peccato præsuppositio: unde non est amabile, nec decernibile, nisi voluntas certissimè præsciat peccatum alioqui fore.

117 Quare illa cognitio repræsentans inefficaciam auxilii, non prærequiritur ab affectu tendente in auxilium, sed ab affectu tendente in Redemptionem, vel ab illo, ut cum isto conjungitur, & imperatur ab isto: à neutro requiritur ut cognitio afferens novam rationem bonitatis in objecto, ad quod tendit; sed ab affectu tendente in auxilium, requiritur, ut cognitio præsuppositа ad affectum Redemptionis: ab isto, ut cognitio, *sine quâ non* existeret, non ex *affectu bonitatis* in suo objecto directo, sed ex *affectu necessitatis*, ut illa bonitas sui objecti directi exerceri valeat. Ex quâ Doctrinâ facilè ibis obviam consequentiæ probationibus, in quacumque discurrendi viâ. Sed *instabis* rursus, &

3. Argumentum.

118 Objicies tertiò : quia illa intentio efficax Redemptionis non potest non esse quædam virtualis prælectio auxilii inefficacis præ efficaci ex vi finis intẽtiærgo Deus eligit auxilium inefficax, quia inefficax. Probatur ista consequentia : quia Deus eligens auxilium ex vi necessitatis inductæ per intentionem, eligit, *ut* necessarium, & *quia* necessarium est ipsi intentioni; atqui auxilium, solùm ut inefficax, est necessarium intentioni, ipsum præeligenti virtualiter, ut inefficax: ergo. Antecedens autem patet: quia necessitas existendi cum auxilio essentialiter pendens à Scientiâ Mediâ de ejus inefficaciâ necessariò est prælectio illius ut conjuncti cum tali Scientiâ Mediâ. Tùm etiam quia illa efficax intentio Redemptionis necessariò requirit Scientiam Mediam de inefficaciâ: cujus necessitatis alia non potest esse ratio, nisi quia vel formaliter, vel virtualiter, vel inductivè est prælectio auxilii inefficacis præ efficaci. Tùm demum quia Prædefinitio Gloriæ, ut coronæ, ante prævisa absolutè merita necessariò est prælectio vel formalis, vel virtualis auxiliorum efficacium, præ inefficacibus: ergo ecõversò ob eandem rationem Prædefinitio Redemptionis ante absolutè prævisa peccata.

Confirm. 1. 119 Confirmatur primò : quia quòd illa præintentio talis sit, ut habenda non foret nisi præcederet Scientia Media de inefficaciâ, non potest esse ratio, cur non moveat inefficacia: ut certè non est, ne moveat efficacia Prædefinitionem Gloriæ, ut Coronæ, non habendam, nisi præcederet Scientia Media de ipsâ efficaciâ. Deinde Deus videtur omninò necessitari, eligere auxilium, *ut* conforme scientiis, quas Prædefinitio essentialiter præexigit; quarum una est Scientia Media de inefficaciâ ipsius auxilii: ergo videtur necessitari Deus eligere auxilium *ut* inefficax. *Confirm. 2.* Confirmatur secundò: quia ideò repugnat eligi auxilium inefficax, quia inefficax, quia hic modus eligendi est quædam quasi ratihabitio inefficaciæ, & ejusdem libens acceptatio, & approbatio: sed qui se liberè necessitat ad objectum essentialiter pendens ab inefficaciâ, eam quasi ratam habet, & libenter acceptat pro executione objecti efficaciter præintenti: ergo, &c.

120 Respondeo primò juxta doctrinam de indivisibilitate Decreti: cujus in oppositâ, siqua est, argumenti tota vis nititur: & nego antecedens: quia illa intentio, seu quasi intẽtiva volitio efficax Redemptionis, est indivisibilissimè pura permissio inefficaciæ, seu collatio auxilii inefficacis, non obstanti circunstantiâ inefficaciæ, quam benè præscit Deus: unde non est magis electio auxilii inefficacis præ efficaci, nec aliter, quàm sit Decretum collativum auxilii inefficacis præ efficaci, quodvis decretum purè permissivum : quo Deus pro suo libito, & jure, vult denegare auxilium, quod præscit efficax, & solum dare vult, quod præscit inefficax. Vt ergo Deus dat auxilium inefficax præ efficaci, dum purè permittit inefficaciam, quin exinde dicatur ex illâ moveri, licèt dici possit ex illâ non retrahi, sic in nostro casu similiter.

Et

121 Et primam antecedentis probationem distinguo: est prælectio auxilii, ut conjuncti cum tali Scientiâ Mediâ : ly *ut* significante *rationem formalem*, propter quam habetur affectus auxilii, nego : significante *suppositionem ex & in qua* habetur affectus auxilii, concedo : at exinde quæ potest hauriri probatio contra nos? Ad secundam, *data* jam est à nobis multiplex ratio, cur præcedere debeat illa Scientia Media de inefficaciâ: & in præsenti est, non quidem natura affectûs tendentis in auxilium, sed natura objecti, nempe Redemptionis, non aliter amabilis, nisi in occasione peccati. Ad tertiam, ultra falsam suppositionem de Decretorum diversitate, & distinctione, disparitas est, quia efficacia auxilii est medium talis naturæ, cùm sit Dei donum, ut egeat Dei volitione, ut ponatur à parte rei; secùs autem inefficacia. Intentio autem solùm est virtualis volitio medii, cujus existentia, quantum requiritur ad finem, eget intendentis volitione, nec aliter supponi potest aut existens, aut extitura: quantum oportet ad ipsum finem. Confirmationes unicè laborant vitio multis communi de Decretorum Divisibilitate; nec ultra vim augent præcedentibus.

Suprà nu. 114. & 115

122 Respondeo secundò generaliùs: negando rursus antecedens : quia ille modus loquendi significat affectivitatem aliquam circa inefficaciam: quòd si sensus solummodò sit, Deum intendentem efficaciter Redemptionem, subire necessitatem, ut permittat inefficaciam, concedo antecedens, & nego consequentiam: cujus probationes, nullæ sunt : quia licèt Deus intendat efficaciter Redemptionem, & se proinde determinet ad casum permissionis, seu ad finem, vel objectum (voca ut volueris,) in quo sit necessaria inefficacia; non ideò necessitatur ad volendam ipsam inefficaciam, aut auxilium, *quatenus*, *& quia* necessarium est ipsum ipsi intentioni, & fini. Ratio est *suprà expensa*, cum de influxu finis in media, & *infrà* rursus inculcabitur.

Suprà nu. 98. & infrà n. 178

123 Nec Probationes antecedentis assumpti sunt satis solidæ : Non *prima*: quia illa præintentio eatenus est prælectio auxilii ut conjuncti cum Scientiâ Mediâ de inefficaciâ, quatenus ly *ut* unicè denotat conditionem *sine qua non* existeret, non quidem affectus in auxilium, sed præintentio Redemptionis. Non *secunda*: ob assignatam *supra*, & *nuper* in præcedenti solutione rationem aliam. Vnde etiam deficit Probatio *tertia*.

Nu. 114. 115. & 121

124 Ad primam confirmationem, fateor, non ex eo solùm inefficaciam manere quin moveat, quòd aliunde non foret illa præintentio, nisi foret aliunde præsuppositа circunstantia inefficaciæ : tamen id facit maximè, ne illa præintentio sit determinativè prior ipsâ inefficaciâ. Deinde illa præintentio non necessitat, ut eligatur auxilium, ut conforme Scientiæ Mediæ de inefficacia, ly *ut* significante rationem motivam, aut impulsivam, sed puram conditionem *sine qua non* existeret ipsa præintentio cum auxilio. Ad secundam, nego minorem, si necessitas sit purè consequens, & ab animo non solùm non eam subituro, nisi inefficacia aliunde, ponenda esset, sed parato eam non subire, quantum in se est, & omnino deobligato impedire se à coexistentiâ cum ipsâ inefficaciâ, præcavendo, nec ponendo occasiones, ex & in quibus, sine suo influxu, & solùm ex alienâ malitiâ prævidet secuturam, ut accidit in casu nostro, & respectu Dei; ratòque & vix accidit respectu nostri : quorum ex commercio mutuo importunè sumitur ad hæc paritas: ut notatum est, *lib. præs. disp. 1. à nu. 164.*

Suprà disp. 1. à n. 164.

§. II.

ARGVMENTA SECVNDI GENERIS.

Classis 2. Argum. & 4. arg.

125 OBjicies quartò : Deus præintendens efficaciter Redemptionem ante prævisum absolutè peccatum, non potest displicere de peccato, nec velle, quantùm in se est, ne existat : ergo neque potest seriò prohibere peccatum & hortari ne fiat. Consequentia patet, & simul consequentis absurditas Sequela antecedentis ostenditur.

126 Primò : quia qui amat efficaciter aliquid, nequit odisse id, quod est necessarium ad illud, quod efficaciter amat, nequitque ex se velle ne sit illud, quod necesse est, fit, ad existentiã rei, quam efficaciter amat: quis enim concipiat velle aliquem efficaciter vitam, & quantùm est ex se, nolle, quòd existant media ad ipsam necessaria, aut velle, quòd sint efficacia impedimenta ipsius? Et ratio est, quia sicut volens causam, convincitur velle effectum, & volens ne sit causa, convincitur velle, ne sit effectus : sic ita volens, convinceretur velle simul & quantum est ex se, quòd sit finis, quem amat; & nolle

quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd sit, dùm impedit necessaria ad ipsius finis existentiam: quæ certè non cadunt in animum alioqui serium in volendo. Atqui peccatum, ut peccatum est, est essentialiter necessarium ad existentiam Redemptionis, ut talis est: ergo Deus hanc amans, nequit illud odisse, velleve, quantum est in se, ne existat.

127 Secundò: quia de conceptu intentionis est movere Intendentem ad amandum medium unicè necessarium, quà ratione potest ab ipso fieri; &, si non possit, ad gaudium, & acceptationem libentem de positione ipsius medii unici: quòd mille exemplis firmari posset. Tertiò: quia si præsuppositâ intentione efficaci Redemptionis, nullũ peccatum existeret, fieret contra Voluntatem Dei intendentem Redemptionem, frustraretur que Dei voluntas: quòd ergo existat, nequit esse contra Dei voluntatem.

128 Respondeo negando antecedens: Deus enim intendens Redemptionem, non cogitur aliter, nec aliud excludere peccati odium, quàm quod excludit pura permissio, quam potest Deus habere de peccato: nec ex eo modo permittendi, sibi obstat, ne verè dicatur nolens, quantùm est ex se, quòd peccatum existat. Ratio est: quia ex illo modo volendi & permittendi, nulla ponitur ex parte Dei connexio cum peccato, quantùm ex se est, sed quantùm est ex suppositione sibi non liberà, sed creaturæ nullumque ponitur medium peccati inductivum, sed potiùs media, prout sunt à Deo, retrahentia creaturam à peccato, & solùm ipsi conjuncta ex abusu creaturæ.

129 Ad primam probationem distinguo assumptum ipsius: qui amat efficaciter aliquid, ex se, ex propriâ inclinatione, & independenter à suppositione contingenti, aut dependenter à suppositione pendenti á sui ipsius volitione, & affectu, nequit odisse, &c. transeat. Qui amat efficaciter aliquid, ex alieno commodo & solùm ex suppositione contingenti, quam nec caussat nec inducit, imò mallet non esse, nequit odisse, aut nequit velle ne sit illud quod est necessarium ad id quod efficaciter amat, subdistinguo: si illud necessarium, est illa ipsa suppositio, quâ ex se mallet non esse, nego. Si illud sit aliud medium sibi necessariò volibile ut sit, concedo: vel aliter subdistinguo: nequit odisse, odio efficacis rejectionis, etiam oppositò permissioni: concedo. Odio, puræ displicentiæ, & abominationis, nego.

130 Itaque Deus amans efficaciter Redemptionem, amat eam quidem efficacissimè, ex suppositione tamen sibi non liberà, nec sibi gratà: imò quam mallet, quantùm in se est, ne foret: Vnde non exinde cogitur, ne odio abominationis tendat in ipsam peccati suppositionem, aut ne velit serio, quòd non existat. Ratio est: quia illa efficacia affectûs circa Redemptionem talis est, ut solùm velit esse Redemptionem, nec ipsam impediri, ex alio impedimento, quàm ex defectu peccati. Vnde locum sinit ut Deus quantumvis efficaciter Redemptionem velit, velit quantum in se, ne coactus esset ad ipsam volitionem, & ut res sint hujusmodi, ut à se talis Redemptio posset, & deberet amplecti: quare paratus est nolle, si creatura peccare nolit. Stat autem bene cum hujusmodi affectu, prohibere serio peccatum: nec inde convincitur velle simul & non velle, quantum in se est Redemptionem, sed eam velle solùm ex suppositione, quam mallet Deus non esse, quàm ipsum impediri ne posset intendere Redemptionem.

131 Ad secundam, distinguatur assumptum: si medium tale sit, ut existere aliunde non præsciatur, & possit, quin ametur, & acceptetur ab intendente, concedo: aliter, nego. Nam sicut intentio, ex *supra* dictis, & inculcandis *infrà*, non obligat ad amorem medii, quando ejus amor ad ipsius existentiam, quantùm oportet ad finem, necessarius non est: sed ad summum obligat ad permissionem ipsius: ita, dum ponitur aliunde, non obligat ad complacendum in illo, sed summùm ad non displicendum, displicentiâ ipsius efficaciter destructivâ, & cum ejus existentia incompossibili. *Suprà à nu. 98. & infrà à nu. 178.*

132 Ad tertiam: distinguo antecedens: fieret contra voluntatem Dei formaliter affectivè, nego. Illativè: concedo: quod est dicere, quòd, si per impossibile deffectus omnis peccati contingeret, præsuppositâ Dei præintentione circa Redemptionẽ, talis deffectus falsificaret scientiã Divinã mediam, sine quà nequit esse illa præintentio: atque adeò faceret ne ipsa esset; non verò deesset ullum ex objectis Divini affectûs, ut affectus est, ex præciso deffectu peccati: cum nulla sit formalitas affectivè tendens in ipsum. Idq; est fore illativè, non verò formaliter contra Dei voluntatem, in eo casu, deffectum omnis peccati.

133 Objicies sextò: Implicat, quòd aliquis se connectat efficaciter cum existentia rei incompossibilis cum alterius existentiâ, & quòd serio procuret istius alterius existentiam. Ratio videtur evidens: quia non potest dici serius procurator rei, qui media adhiber, quæ scit non profutura, & desinit ponere medium, quo deficiente cætera erunt quasi non sint. atqui, si aliquis se connectit efficaciter cum existentia rei incompossibilis cum alterius existentiâ, non potest ponere media, nisi quæ scit non profutura, & necessariò desinit ponere medium, quo deficiente, cætera sunt, quasi non essent: nam necessariò desinit ponere ipsi efficacem inconnexionem cum contradictorio quâ deficiente, omnia, quæ ponuntur in oppositum, sunt, quasi non essent: ergo. Nunc sic: sed Deus præintendens Redemptionem efficaciter, se connectit efficaciter cum objecto incompatibili cum deffectu peccati: ergo implicat, quòd serio procurare dicatur peccati deffectum. *Sextum argum.*

134 Illustratur & explicatur vis argumenti multipliciter. Primò. Repugnat omninò cum voluntate efficaciter decernente existentiam alicujus, seriâ voluntas impediendi rem ipsam, applicando media, ut ipsam impediat: ergo repugnat cum voluntate efficaciter decernente existentiam alicujus rei, seria voluntas impediendi id, sine quo res ipsa nequit existere: nam eoipso convincetur velle rem ipsam, quam alioqui vult efficaciter, impedire. Sed peccatum est id, sine quo nequit existere Redemptio: ergo Deus præintendens efficaciter Redemptionem, implicat, quòd seriò velit impedire peccatum. *Confirm.1.*

135 Secundò. Seriò præbere consilium, ne ponatur medium requisitum ad finem, & hunc efficaciter velle, est impertinentissimum, & ordinatè volenti impossibile: nam id est seriò velle, quòd sit, & non sit finis: ergo velle efficaciter Redemptionem, & seriò præcipere ne ponatur peccatum, sine quo non potest esse Redemptio, est Deo impossibile. Tertiò, Illi qui seriò ponit media ne sit peccatum v.g. plus placet peccati carentia, quàm aliquid essentialiter incompossibile cum carentia peccati: ergo Deo ponenti seriò media ne sit peccatum, plus placet peccati carentia, quàm aliquid incompossibile cum ipsâ: quomodo ergo ante prævisum absolutè peccatum, vult efficaciter Redemptionem incompossibilem cum peccati carentia? *Confirm.2.* *Confirm.3.*

136 Quartò: Qui serio vult carentiam peccati, vult illam, quantùm est ex se, & simul rei carentiam, cujus est metaphysica necessitas carentia illa peccati: ergo si Deus seriò vult peccati carentiam, vult illam quantùm est ex se, simulque Redemptionis carentiam, cum quâ metaphysicè connectitur carentia peccati. Si ergo Redemptionem efficaciter decernit ante prævisum absolutè peccatum; vel non seriò vult peccati evitationem, vel simul vult, quantùm ex se est, Redemptionem, ipsiusque carentiam. Quintò. Non potest quis velle quantùm est ex se, quòd aliquid sit simul, & non sit: ergo nequit velle, quòd sit impossibile id quod ipsa vult existens. Minus enim est illud, quàm hoc. Sed evitato omni peccato est impossibilis existentia Redemptionis: ergo si Deus, quantum est ex se, vult evitari omne peccatum, vult fieri, reddique sibi impossibilem existentiam Redemptionis, quam alioqui vult efficaciter. *Confirm.4.* *Confirm.5.*

137 Sextò. Intentio efficax Redemptionis est necessitas ut sit peccatum, sicut est impossibilitas, ut desit: quomodo ergo Deus potest ex se velle, ne sit peccatum, si determinando se ad eam intentionem, & eam amando, amat efficaciter necessitatem ut sit peccatum, & impossibilitatem ut desit? Id enim perinde est ac velle, quòd nõ sit peccatum, & se constituere in necessitate, ut sit peccatum: quod non videtur honestabile. Septimò: ex eo quòd Deus non velit, quantùm est ex se mortem peccatoris, rectè deducimus, eum non posse prædefinire damnationem æternam ante prævisum absolutè peccatum: & ex eo, quòd habeat odio peccatum, rectè deducitur, eum non posse præfinire peccatum etiam quoad materiale, licèt ea præfinitio possit habere effectum, unicè permittendo formale: ergo similiter quia Deus habet odio peccatum, & quantum in se est, vult ne sit: non potest prædefinire Redemptionem ante prævisum absolutè peccatum. Ratio paritatis est primò: quia æquè est Redemptio connexa cum peccato, ac ipsa damnatio, & entitas peccati. Secundò: quia æquè est bonum purè occasionatum, nec per se amabile. Hæc latè ex Aldrete, & Recentibus P. Quirós, & ex ipso P. Herrera: apud quos vide solutiones, quæ mihi omninò non placent. *Confirm.6.* *Confirm.7.* *Aldrete.* *Quirós.* *Herrera.*

138 Respondeo ad argumentum: & distinguo antecedens: implicat, quòd aliquis se ita connectat *efficaciter* ex se, ex propriâ inclinatione, & efficaciâ exclusivâ eorum, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ ex parte sic amantis requiruntur ad alterius existentiam, concedo: *efficaciter*, ex suppositione, quam ipse mallet non esse, & efficaciâ, nec determinativâ talis suppositionis, nec exclusivâ mediorum, quæ requiruntur, & sufficiunt ne detur talis suppositio, nego. Nam qui sic se connectit cum existentiâ objecti incompossibilis cum alterius existentiâ, eatenùs desinit esse cum istius alterius existentia, quatenùs supponitur aliunde non extitura; non quidem ex vi sic amantis, sed ex alterius interventu; quo supposito, sic se determinat ad amandum. Vnde hæc energia amoris non obstat, ne, qui sic amat, quantùm est in se, faciat omninò seriò, ne sit illa suppositio, ex quâ sic amat, sed potiùs suppositio contraria.

139 Nec probatio quicquam assequitur: tùm quia tangit difficultatem communem, quâ ratione Deus seriò velit salutem hominum per auxilia, quæ, bene scit ipse, non profutura: dictumque est *suprà disp. 1. sect. 7.* quantum rei veritati sufficit, *ad tertium argumentum*. Tùm etiam quia illa præintentio, & connexio cum objecto incompatibili cum alterius existentiâ, nec inducit oppositum, nec excludit media positivè cõducentia ad ipsam, nec magis ad ipsam facit, aut impedit, quàm mera suppositio consequens sui contradictorii, cujus absentia, ut non est mediũ, ad hoc ut ipsa sit, quòd teneatur Deus ponere seriò procurans ipsam; ita nec talis connexionis absentia.

Suprà lib. hoc 3. disp. 1. a n. 161.

140 Ex his patet, cùm Deus unicè, & solùm se connectat efficaciter cum Redemptione alias incompossibili cum deffectu peccati, ex merâ suppositione peccati ipsius, & efficaciâ, qua solùm velit esse, ponique Redemptionem ex suppositione peccati, quam videt alioqui futuram, se nullatenus influente, & quam verè mallet non esse, manendo sine occasione ad volitionem Redemptionis; Posse ipsum omninò seriò, & animo benefico applicare media, ne sit peccatum, & ut ponatur deffectus omnis peccati.

141 Ad primam argumenti explicationem, concesso antecedente, de directâ volitione impediendi, distinguo consequens: repugnat seria voluntas impediendi id, sine quo res efficaciter volita esse non potest, si seria illa voluntas habitura sit effectum impeditionis, concedo: si non sit habitura effectum, sed compatibilis sit cum permissione ipsius existentiæ, nego: non enim eo ipso convincetur velle impedire, rem, quam alioqui efficaciter vult; sed illam unicè velle ex suppositione, quam ipse mallet non esse, quamque præscit, nec causare debet, ut sit, sed purè permittere.

142 Est igitur magna disparitas inter casum antecedentis, & consequentis. Nam qui vult efficaciter aliquid, ex vi affectùs manet impotens seriò procurare ne sit: nam seria procuratio dicit ex vi suæ energiæ quasi obligationem non impediendi ex se, quod esse procurat. At, qui vult efficaciter aliquid, quod sine altero esse nequit, v. g. Redemptionem, quæ non potest esse sine peccato præcedente, bene potest seriò procurare ne peccatum sit, & adhuc efficaciter velle Redemptionem: nam illa seria procuratio solùm obligat, ne Deus causet peccatum, aut ne impediat ex se peccati evitationem: cum quibus potest componi permitti peccatum; quâ solâ permissione peccatum erit, quantum sufficit ad existentiam Redemptionis, quam nec nisi ex tali suppositione Deus vellet, aut vult.

143 Ad secũdam: distinguo antecedens: si positio medii pendet, in sui executione, & existentiâ à volitione intendentis finem: & hic intenditur, ex propriâ inclinatione, & ex se, concedo: si positio medii non eget, ut sit, ullâ volitione intendentis finem, sed aliunde supponitur, nec finis intenditur nisi ex suppositione ipsius medii, quam alioqui malles non esse, nego: nam hoc tam abest, ut inordinatè, & impertinenter conjungatur cum serio consilio, & præcepto circa positionem medii, ut potiùs id ipsum imbibere debeat talis energia volendi, nisi impertinens sit.

144 Ad tertiam, distinguo etiam antecedens: plus placet peccati carentia, quàm aliquid incompossibile cum ipsâ, ipsius exclusivum, & inductivum peccati, ponendumque præcisim ab ipsâ suppositione peccati, concedo: quàm aliquid incompossibile cum ipsâ, ipsam non impediens, nec extiturum, nisi consequenter ad ipsius peccati suppositionem, nego: nam exinde Deo magis placeret peccati carentia, quàm Scientia Media de peccato, aut ejus visio. Dicendus tamen est Deus semper velle magis ne peccatum sit, quàm quòd sit aliquid cum ipso incompossibile: nam ex se vult, non esse semper; & si vult aliquid cum peccati carentiâ incõpossibile; vult illud ex fine, ne peccatũ, quod sine ipso influente supponitur fore ex abusu creaturæ, maneat, sed destruatur.

Ad

145 Ad quartam: distinguo majorem: & ejus carentiam, cujus est metaphysica necessitas carentia peccati seriò volita, & quantùm est ex se, idest, seria volitio carentiæ peccati, concedo: & ejus carentiam, cujus est metaphysica necessitas carentia peccati, secundùm se, nego. Et distinguo minorem in consequenti suppositam: carentia peccati, secundùm se, &, si ponatur, est metaphysica necessitas, ne Redemptio sit, concedo: carentia peccati seriò volita, & procurata, seu seria volitio, & procuratio carentiæ peccati: nego: nam hæc seria procuratio circa carentiam peccati, solùm excludit à Deo positivam impeditionem ipsius, & inductionem peccati, non verò permissionem istius: unde Dei seria illa volitio, ne peccatum sit, non cogit Deum velle, ne Redemptio sit. Dicendus est tamẽ, licèt velit efficaciter Redemptionem, & omninò formaliter ex suppositione peccati, quam præscit, eam non velle ex se, & ex propriâ Inclinatione; quia solùm eam vult ex suppositione sibi non liberâ, & quam vellet non esse, quantùm in se est. Ex suppositione verò, quòd peccatum sit extiturum, dicendus est ipsam, quantùm est ex se, velle, idest, vult ipsam à se, nec ab alio impediri, si peccatum non impediatur. Quare nego duas illas consequentias, quæ subinferuntur.

146 Ad quintam: concesso antecedente, distinguo consequens, eo modo quo vult existens, concedo: aliter, ac vult existens: nego: nam ex seriâ, vel efficaci volitione, quòd res existat, solùm cogitur volens: ne velit impossibilitatem, aut impeditionem ipsius eoipso modo, quo procurat existere. Concessâ deinde minori, distinguo consequens: vult fieri, reddique impossibilem Redemptionem quam alioqui efficaciter vult, eomodo quo vult efficaciter, nego: aliter, transeat. Deus enim non vult efficaciter Redemptionem, nisi ex suppositione, quòd evitandum non sit peccatum: cùm ergo stare possit, quòd seriò velit, ut peccatum evitetur, & alioqui permittat, nec evitandum sit, stat, quòd seriò velit peccati carentiam modo volendi, qui non sit modus nolendi, sed potiùs volendi Redemptionem ex ipsâ suppositione, quam scit ipse Deus, se frustrà velle impedire, sub hac numerò libertate, cùm ex abusu creaturæ ponenda sit.

147 Ad sextam, nego antecedens: nam illa intentio, licèt sit cõnexio essentialis cum Peccato, cùm sit ipso determinativè posterius, nec habita nisi consequenter ad ipsum, & ex ipsius suppositione, nec deinde sit connexio affectiva cum ipso, non potest dici necessitas: unde licèt Deus eam amet, & subeat, non obinde necessitatur velle peccatum, sed esse cum creaturâ, non impediendo abusum ipsius. Quòd si velis vocare necessitatem *secundùm quid, & suppositionis, seu consequentem* lis erit de voce. Nec tamen potest inferri exinde, Deum amare peccatum, sicut nec ipsum amat, licèt amet, aut Scientiam visionis de ipso, aut complexum ex permissione, & Scientiâ Mediâ de peccato; aut se determinans ad casus hujusmodi, qui sunt casus peccati, alieno tantùm deffectu, non Dei; non ita disposituri, nisi ex vitio creaturæ.

148 Ad septimam. Ratio cur non possit prædefiniri materiale peccati, sine amore Formalis, est: vel quia Materiale est ipsum formale peccati: vel quia est radix, ex quâ sine novo exercitio libertatis, Formale sequitur. Longè accidit in casu nostro. Nam neq; Redemptio quid in se malum est; nec radix mali, sed Theriaca valétissima. Deinde ratio, cur *cõmuniter*, (& benè) negetur possibilis (nam affirmatur etiã à non paucis) Prædefinitio æternæ damnationis ante prævisum absolutè peccatum, non quidem est (ut supponi videtur in argumento) necessitas orta ex odio peccati; nec tinior securi amoris in ipsum, sed species animi crudelis, & parùm misericordis, volentis anticipare pœnæ Decretum ad visionem culpę. Longè illa, aut similis species in casu nostro: ubi potiùs elucet species animi ita misericordis, ut mali, quod præscit, & permittere posset sine illato remedio, quasi anticipat medicinam. Dixi *communiter*: nam juxta me, Doctrinamque discussam de Decretorum indivisibilitate, Decretum pœnæ, sicut nequit esse ante prævisum absolutè peccatum, ita nec pòst: sed simul: energiâ superiùs explicatâ *disp. 1. lib. præsentis sect. 6. ad argumenta* secundi generis. *Instabis*, &

Sed de hoc in 1 p. latè Tract. 3.

Supra disp. 1. a n. 28. & a n. 94.

149 Objicies septimò: Implicat Deum velle seriò, ne existat voluntas efficax, quam de facto habet; sed Deum seriò velle ne peccatum existat, est seriò velle, ne existat voluntas efficax Redemptionis, quam de facto haberet: ergo vel Deus non ita prædefinit efficaciter Redemptionem, vel ita prædefiniens non potest seriò velle, ne sit peccatum. In præmissis est tota vis. Major est evidens: quia Deus non habet voluntatem, quam

Septimum Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seriò,& efficaciter non velit habere:quomodo ergo posit seriò velle, ne sit? Minor ostenditur primò: quia velle seriò quod defficiat aliquid essentialiter prærequisitum ad aliud, est serio velle, ne aliud sit: sed sine peccato non potest esse Redemptio, ejusque efficax volitio: ergo velle seriò, ne sit peccatum, est velle seriò, ne sit Redemptio, ejusque efficax volitio. Secundò. Vel Deus præhabens intentionem efficacem Redemptionis,& volens seriò ne peccatum sit, retractat per hunc modum secundum volendi,primum: vel nò? Si retractat: ergo nequit utrumque simul velle:quod Adversarii volunt. Si non retractat: ergo vult, quòd primus volendi modus frustretur: vult enim,quòd existat objectum incompossibile cum ipso.

Confirm. 1. 150 Confirmatur, & explicatur argumentum primò. Si præhabità efficaci intentione Redemptionis, simul esset evitatio omnis peccati, necessariò frustraretur illa efficax præintentio: ergo applicare Deum seriò media, ut eviteur omne peccatum, & simul velle efficaciter Redemptionem, est applicare seriò media, ut frustretur talis intentio, seu, ne sit Redemptio. Explicatur

Confirm. 2. secundò: velle efficaciter Redemptionem, & simul velle, ne sit peccatum; est simul velle ne desinat esse Redemptio, & quòd non sit peccatum: id autem est impossibile, & frustratio efficacis volitionis: ergo Deus sic volens vel vult seriò aliquid impossibile, vel quod est perinde, sui Decreti frustrationem.

Confirm. 3. 151 Explicatur tertiò: Vel Deus volens efficaciter Redemptionem, simulque seriò volens ne sit peccatum, vult ne sit peccatum pro circonstantià Redemptionis efficaciter volitæ: & hoc est impossibile objectum, & frustrationé velle: Vel vult seriò, ne sit peccatum pro casu, quo non intendatur efficaciter Redemptio: & hoc erit fateri, Deum intendentem Redemptionem, non posse seriò velle, ne sit peccatum: Vel vult ne sit peccatum, & quòd evitetur Redemptio: & hoc, est velle, quòd sit, & evitetur Redemptio, ejusque volitio. Nihil autem aliud sensûs boni potest habere seria illa procuratio

Confirm. 4. ne sit peccatum. Explicatur quartò. Deus intendens efficaciter Redemptionem & simul volens seriò per auxilia, quæ confert, omnis peccati evitationem vult extrema incompossibilia & tendit in fines essentialiter oppositos: id autem quis alioqui cordatus, & serius faciat?

152 Respondeo ad argumentum,negando minorem. Ad primam probationem, distinguo majorem: velle utcumque seriò, quòd deficiat aliquid essentialiter requisitum ad aliud est seriò velle,ne sit aliud,nego: velle seriò, volitione efficaciter inducti â deffectus, concedo. Itaque Nullus affectus circa unum est affectus circa aliud, nisi unus affectus inducat & determinet alium, vel essentialiter excludat objectum actûs oppositi. Vnde ut volitio seria de deffectu prærequisiti essentialis ad aliud,sit volitio de deffectu istius alterius, opus est,ut illa hanc induceret,vel essentialiter excluderet oppositam, & objectum ipsius: cùm ergo volitio seria de deffectu peccati, non sit volitio essentialiter exclusiva, sed possit esse permissiva peccati,adeòque non sit essentialiter incompossibilis cum Redemptionis existentiâ, & volitione efficaci ipsius; non sit eam debere esse volitionem de deffectu Redemptionis adhuc interpretativè. Sic licèt Deus det auxilium inefficax per decretum essentialiter pendens à Scientia Media de inefficaciâ, connexumque cum ipsâ,non ideo Deus dicitur amare peccatum,amando tale decretum. Iam, concessâ minori, nego consequentiam. Ad secundam, dico non retractare Deum per volitionem seriam de deffectu peccati volitionem Redemptionis, nec istius velle frustrationem: nam, licèt utrumque velit simul, simultate subjectivâ, & volitionum; non verò simultate objectivâ, & volitorum. Id est, vult simul, & indivisim utrumque: non verò vult, utrumque simul & indivisim esse; quod ad volendam frustrationem erat opus.

153 Ad primam argumenti explicationem, concesso antecedente, nego consequentiam: solum enim est verum, applicare Deum media ad id, quo posito nunquam Deus Redemptionem intendisset: scit tamen optimè Deus,eum omnis peccati deffectum, licèt ipse procuret seriò,aliunde non ponendum. Ad secundam, distinguo, Majoris, æquivocationibus scatentis, assumptum; vult, ne desinat esse Redemptio, utcumque & quòd non sit peccatum ex suppositione quòd sit, & quòd sit Redemptio, nego. Vult ne desinat esse Redemptio ex suppositione peccati, & vult, quòd non sit peccatum secundùm se,concedo:in hoc autem nihil miscetur impossibile. Itaque Deus volens,ne sit peccatum,non ita vult,ut velit non esse peccatum, ex suppositione quòd sit: id enim esset

esset velle *non esse* Peccati conjunctum cum illius *esse*; sed vult, ne fiat suppositio peccati: quâ tamen prævisâ, vult Redemptionem, perseverans in illâ volitione circa evitandam peccati suppositionem. Vnde sicut Deus volens,quantùm est ex se, ne sit peccatum,non dicitur velle ne sit peccatum, ex suppositione, quòd sit; ita volens Redemptionem ex suppositione peccati, dicendus est velle ne ipsa deficiat ex ipsâ, suppositione peccati; quam tamen ipse vellet non esse:atque adeò ita vult Redemptionem, ut velit se non habere occasionem, ut velit.

154 Ad tertiam, dico Deum seriò velle, ne sit peccatum secundùm se,sed id,quod sufficeret ad evitationem Redemptionis, & intentionis efficacis: quam tamen utramque vult efficaciter: quia scit neque ponendum id quod requiritur, ne ipsæ sint; sed ponendum esse peccatum, non obstante seriâ suâ volitione, ne fiat. Ad quartam, distinguo antecedens assumptum: vult extrema incompossibilia,& tendit in fines oppositos, modo volendi,& tendendi incompossibili,& opposito, nego. Modo valdè decenti, & compossibili, concedo: quem modum satis explicant præcedentia. Vide Patrem Herrera

P. Herrera *de Prædestinatione quæst. 12. sect.5.à n. 101.*

Quid de exemplo hic celebri Mercatoris

155 Qui cum multis rem in hanc adhibet exemplum Mercatoris volentis conservationem mercium, etiam ingruente tempestate,quâ cogitur velle projectionem earum in mare. Sed similia exempla nec ipse hùc voco, nec aliàs probo. Primò: quia mercator,mercium,quas alioquin amat,projectionem potiùs patitur, quàm vult, earumque conservationem non tam vult, quàm vellet. Secundò: quia affectus ille circa merces talis est, ut dici non possit seria volitio, aut volitio seriæ procurationis circa conservationem mercium: neque enim cum illâ voluntariâ projectione imperatâ ex amore præponderante Vitæ propriæ,componi valet seria procuratio conservandi merces:quarum est facienda jactura,vel Vitæ. Homo autem sicut præsumitur velle, quòd, si facienda sit jactura vitæ, vel fortunarum, his illâ præferat;non præsumitur seriò velle in eo casu fortunarum conservationem. Tertiò: quia in nostro casu, licèt Deus velit efficaciter Redemptionem, ex suppositione conditionatâ peccati, in quâ displicet; & simul velit evitationem ipsius peccati, affectu inefficaci, sed serio; non eoipso cogitur velle, ne sit, & evitetur Redemptio: ut *suprà* diximus. Non ergo venit ad Rem, Mercatoris exemplum, quo inducitur velle simul, licèt diversimodè; conservationem mercium, earumque non conservationem.

156 Addit contra ipsum exemplum instantiam Recentior. Quia si mercator sponte suâ, ac nullâ imminente tempestate, absolutè,& de facto, ex considerată solùm existentiâ conditionatâ tempestatis, quam pro libito impedire potest, præintenderet efficaciter projectionē mercium, nullo jure dici posset, quòd retineret adhuc seriò,& sincerum,sed nugatorium,& contradictoriù desideriù conservandi merces. Sed instantia non premit. Primò: quia si prævidet tempestatē, *si fortè naviget*: (nam hæc debet esse conditio) quomodo casus est casus non imminentis tempestatis? Secundò:quævis navigatio est aliquale periculum tempestatis ex elemento tam infido;susceptа verò cum certitudine,est periculum proximum,ipsiusque amplexus: qui autem rem ejusque conservationem seriò amat, non eam exponit proximo periculo. Tertiò: quia tota hæc difficultas reflectitur in Recentiorem pro casu, quo Deus vult salutem hominum per auxilia,quę videt inefficacia.

P. Ioann. Michael de Gelòs.

157 Quartò:quia seria conservationis procuratio dicit ex se nolitionē impediendi rē, quantùm in se est, & adhibitionem mediorum, nihil omittendo ex his, quæ debet, & per se sufficiunt ad rei conservationem:qui autem præscius tempestatis futuræ, *si naviget*, ubi facienda est jactura mercium, vel vitæ, & nihilominùs vult navigare, & intendit projectionem mercium, tam abest, ut seriò procuret conservationem,ut seriò,& efficaciter oppositum procuret,omittendo, quæ debet adhibere, & apponendo media, quæ pro casu periculi, cui se exponit, non sufficiunt: at Deus longè alitèr se gerit. Nam neque omittit quicquam eorum, quæ debet,& per se sufficiunt ad evitationem peccati; neque vult,& intendit ipsam non evitationem, sed, ipsâ suppositâ, Remedium mali, quod in nonevitatione miscetur. Est ergo magna disparitas.

158 Quintò est alia disparitas:nam apud homines, ille dicitur seriò rem aliquam procurare, qui se gerit instar hominis diligentis in suo negotio, non verò qui ita se gerit,ut vel rem amissurus sit, vel cogendus est fateri se non agere ut hominem ratione præditum: nemo enim præsumi debet ita operans, ut velit operari fatendo se non agere ut homi-

nem;

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem: ille autem qui præscius tempestatis scit vel faciendam jacturam vitæ vel mercium, & vult navigare sponte, & ex libito; vel censetur velle dissipare merces ex se, vel contemnere quod magis æst mare tenetur, id est vitam: quod est omninò irrationabile: dicendus ergo est non serius procurator fortunarum, sed dissipator. In Deo alia est longè ratio: nam Deus ita se gerens non cogitur fateri se agere ut non Deum, sed potius ut Deum omninò misericordem.

§. III.

ARGVMENTA TERTII GENERIS.

3. Classis Argum. & octavum Argum. Ex P. Gelòs

159 OBjicies octavò: Deus præintèdens Redemptionem ex prævisione solùm conditionatâ peccati, sponte obligatur, obligatione metaphysicè indissolubili ad permittendum peccatum: atqui pura permissio peccati omninò repugnat cum obligatione indispensabili spontaneè susceptâ ad permittendum: ergo & cum illâ præintentione efficaci Redemptionis: vel ergo Deus præintendens Redemptionem, se gerit circa peccatum plusquam permissivè, idest affectu prosecutionis in ipsum, vel non potest sic præintendere. Major est certa. Probatur minor. Tùm quia eoipso, quòd aliquis spontaneè obligaretur ad permittendum peccatû, jam ostenderet aliquam affectivitatem ad peccatum præter nudam permissionem. Tû etiam quia si Gratia, & peccatû sint metaphysicè incopossibilia, nequeunt miraculosè cõponi Gratia, & peccatum actuale, eo solùm titulo, quòd conservatio Gratiæ stare non potest cum purâ permissione peccati actualis. Et ratio est: quia illa permissio, facta contra exigentiam Gratiæ, esset eoipso supernaturalis, & specialis, & imperata ex speciali voluntate superná, & intendente miraculum: quæ prædicata specialia repugnant conceptui purę permissionis: ergo similiter permissio orta ex obligatione indispensabili voluntariè, & spontaneè susceptâ, prætergreditur limites puræ permissionis.

160 Confirmatur: Si Prælatus sponte voveret permittere subditis suis illos ipsos deffectus, aut culpas leves, quas pro arbitrio, & absque culpâ potest impedire, & non impedire; certissimè ostenderet majorem affectivitatem, quàm purè permissivam erga tales deffectus. Insuper si Prælatus Regularis alicujus Provincię preciperet in virtute sanctæ Obedientiæ Superioribus localibus, sibi subjectis, ut semper permitterent deffectus, quos honestè corrigere possent & nõ deberent, jure censeretur plusquam permissor. Tandem si una Persona privata spontaneè voveret, se nunquam impediturum, sed semper permissurum pollutionem propriam, adhuc citra ullum consensum, & periculum ipsius occursuram, reipsà ostenderet majorem affectum & propensionem, quàm ferre possit pura permissio: ergo similiter neque Deus diceretur purè permittere, si se adstringeret obligatione permittendi. Consequentia patet: quia quod ratione malitiæ directè, vel indirectè tactæ, non potest esse materia voti, aut præcepti, multò minus poterit esse materia obligatoria in vi Prædefinitionis Divinæ. Ita objicit Recentior, alioqui Doctissimus: cujus in argumento multa considero.

P. Ioannes Michael de Gelòs.

161 Imprimis insto argumentum. Primò: quia nulla major est necessitas permittendi, quam voluntas efficax permittendi: at Deus potest velle efficaciter permissionem: quia nec aliter potest velle permittere: ergo potest se necessitare ad permittendum. Secundò: quia obligatio volendi id, quod alioqui, vel ex munere, teneris facere, vel ex dominio licitè potes, orta ex tuâ ipsâ voluntate, & dominio, non potest esse nisi actus Dominii, & exercitium decentissimum: ergo Deum obligare semetipsum ad id, quod ex munere Causæ primæ tenetur, & licitè potest ex dominio, quî potest Deum dedecere? Tertiò: quia Deo honestissimum est peccata permittere: cur ergo non possit velle, & contrahere hanc necessitatem ex suâ volitione ortam ad peccata permittenda?

162 Hîc Recentior conatur distinguere duplex genus permissionis: alterum permissionis habitæ præcisim à Scientiâ Mediâ, & alterum permissionis habitæ, non obstante Scientiâ Mediâ de peccato: additque Deum posse se determinare ad illam: non, ad hanc. Ipse nec rationem discriminis assequor, nec veritatem video. Non rationem: si enim implicat se determinare Deum, ut velit permittere, præcisim à Scientiâ Mediâ; cur implicat velle se determinare ut velit permittere, non obstante Scientiâ Mediâ? quasi Deus permitteret impræscius eventuum quos permittit. Non veritatem: quia apud me, ex *suprà* latè discussis, implicat ullus affectus liber Dei non pendens à Scientiâ Mediâ, quæ sit in Deo.

Disp. 1. lib. præs. & latè in 1. p. Tract. 3.

Dein-

163 Deinde supponit Recentior *duo*, in quo ejus desidero diligentiam & ingenium. *Primum* est: Non plus posse Deum circa permissionem peccatorum, quàm Nos. Id quod est evidenter falsum: nam ut adverti *supra disp. 1. num.* 164. Nos tenemur impedire peccata nostra, viis omnibus: & aliena, quantum possimus: sumus enim homines adinvicem obligati ad peccata impedienda sive ex lege, sive ex Consilio. Deus autem non tenetur impedire peccata nostra. Non ergo faciunt paritates in confirmationem assumptæ. In quibus & aliud dispicet: nam ex una parte ponit personas ex munere obligatas ad impedienda peccata, & ex alia parte, facit eas non omittere modò, sed procurare licentiam morum. *Secundum* est, Deû sicut, & nos partitim velle, & decernere divisibiliter, ita, ut ex uno decreto maneat obligatus ad aliud. Hoc apud me falsum est, sicque facilè solvitur argumentum. Neque enim Deus habet unam volitionem ex aliâ; sed indivisibiliter vult, quæcumque vult. Vnde non aliter se obligat Deus ad permittendum in casu quæstionis, quàm quia vult permittere. Solùm est discrimen in fine: est tamen liber ex hoc, vel ex illo permittere.

164 Demùm Noto, id, quod mihi est evidens ex ipsis terminis, cunctisque proinde deberet esse, non præoccupatis in oppositum. Sicut pura permissio constituitur metaphysicè per affectum ortum ex voluntate vel deobligatâ, vel impotente rem impedire, qui *duo* habeat significata per ly *pura*: *alterum*, negationem influxûs in ipsam rem: *alterum*, negationem impediendi, quantùm est ex parte sic volentis, contradictorium; ita cujuscumque alterius prædicati accessus cum quo stare possit negatio influxûs in rem ipsam, quæ permitti dicitur, & negatio impediendi contradictorium, obstare non potest puræ permissioni. Quia non obstat definito, quod non obstat definitioni. Quare, ly *pura*, dum vocamus *puram* permissionem, non dicit exclusionem aliorum prædicatorum, sed illius influxûs, & impeditionis. Vnde si tota illa contracta necessitas, & obligatio non sunt influxus in peccatum, nec impeditio actûs boni, (ut certè non sunt) stare possunt optimè cum purâ permissione peccati. Iam ad argumentum

165 Respondeo primò, & uno solùm verbo, negando suppositum, cui innititur, prævię obligationis, & necessitatis absolutæ ad permittendum. Respondeo secundò distinguendo majorem. *Sponte*, idest *ex propria inclinatione*, ex se, & præcisim à suppositione peccati, aliàs ponendi, transeat. *Sponte*, id est, *nonnvoluntariè*, ex suppositione tamen, quam quantùm est ex se vellet non esse, concedo majorem: & nego minorem in eo sensu: quæ non probatur satis, tùm, ut patet ex prævià notatione: tùm quia, licèt, quæ superadduntur, vera forent in eo, qui teneretur impedire peccatû: quales nos sumus: non verò in Deo, qui non tenetur.

166 Ad confirmationem, negetur imprimis species paritatis: quia Deo plus licet in permittendo, quàm hominibus, adstrictis vel lege, vel consilio impedire peccata, quantùm possint. Deinde negetur suppositû consequentis: nam in casibus adductis est sermo de necessitate antecedente ad permissionem: hîc verò est de necessitate indistinctâ ab ipsâ permissione. Tertiò, concesso antecedente, negetur consequentia: quia illa vota, & præcepta, non ideò solùm sunt dissona, quia mala, sed quia nulla ex deffectu materiæ cadentis in votum, aut præceptum. Deinde sunt mala, quia prohibentur ex lege jubente superioribus adimpletionem muneris, & nobis evitationem periculi circa consensum: quibus ea vota, & præcepta opponuntur.

167 Deinde ut pateat horum exemplorum in rem nostram debilitas, expendo singula. Imprimis votum superioris de permittendis deffectibus est absonum, illicitum, & procurativum deffectuum. Absonum: quia de re non æquè perfectâ; imò contra obligationem voventis. Illicitum: quia superior tenetur ex munere zelare perfectionem subditorum; qui autem ita vovet, vovet muneri non satisfacere; & in re, licèt objectivè levi, gravi tamen formaliter, & in se ratione finis, & muneris. Procurativum deffectuum: quia qui tenetur invigilare, & se culpabiliter impossibilitat, fit reus eorum, quæ exinde sequuntur: tùm quia homines ex illâ supinitate capiunt animos ad deffectus, quos reipsà fortè non committerent: unde superior est positiva causa moralis eorum, se ad illam supinitatem volens obligare: quid simile in Deo? Deinde præceptum Provincialis est similiter scatens triplici illo vitio ex eisdem rationibus. Sed adde posse contingere simplicem adeò esse subditum superiorem localem ut ex imprudenti alias & cæcâ voluntate velit omninò licitè parere superiori suo malitiosè præcipienti; & velle permittere

deffe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

defectus ex obedientiâ, sine ullo eorum affectu.

168 Insuper votū de continuâ permissione pollutionis, præter alia tria vitia superadditum amplexum periculi de consensu, indistinctum à tali voto. Adde in his semper præsumi affectum circa res sic permissas ob increctitudinem, & inordinationem volendi, & ob summam difficultatem habendi similes actus, nō cooperante nativitā & delectatione de rebus ipsis: quæ omnia patrum piè præsumuntur in Deo. *Instabis, &*

Argum. 9. 169 Objicies nonò: Non minùs Deum dedecet amare peccatum, quàm se & homines determinare ad peccatum; sed Deus præintendens Redemptionem ante prævisum absolutè peccatum, & per affectum connexum essentialiter cum peccati existentiâ, (undecumque habeat connexionem) determinat se, & homines ad peccatum: ergo dedecet Deum ea præintentio. Minor, in quâ solâ est difficultas, ostenditur: Determinare ad peccatum est, quòd ab statu indifferentiæ ad peccatum, ejusque carentiam, se transferat aliquis ad statum determinati ad peccatum, per affectum essentialiter connexum cum peccato: qui affectus, ut exerceatur, non expectat, peccatum aliundè præsupponi: atqui Deus ita præintendens Redemptionem, se transfert ab statu indifferentiæ ad peccatum, in statum determinati ad peccatum, per affectum essentialiter connexum cum peccato: qui, ut exerceatur, non expectat existentiam peccati: ergo.

Confirm. 170 Confirmatur: qui, non expectato peccato, excludit exercitio suæ libertatis requisitum essentiale, ut evitetur peccatum à creatura, determinat creaturam ad peccatū; sed Deus, non expectato peccato, excludit carentiam Redemptionis, & præintentionis erga ipsam, quarum carentia essentialiter requiritur ad impediendum peccatum: quippe peccati impeditio conjungi nequit cum præintentione Redemptionis: ergo Deus sic præintendens, determinat ad peccatum. Ita

Ribaden. objicit P. Ribadeneyra *disp. 8. de Prædestinatione cap. 1. & cap. 3.* qui totus est in probando, nullum affectum posse à Deo haberi essentialiter cum peccato connexum, qui nō subsequatur ad visionem absolutam ipsius.

171 Sed hæc Doctrina ex multis capitibus non est vera. Primò: quia stare non potest cum Decretorum indivisibilitate: quam

Disp. 1. suprà proteximus. Secundò: quia juxta sententiam distinguentem in Deo plura decreta, & voluntatis actus purè virtualiter, non est dari ex Scientiâ Mediâ de inefficaciâ auxilii, si daretur, non posse dirigi ad actum simplicis displicentiæ de tali inefficaciâ, quâ tamen non obstante, per alium actum virtualiter distinctum, velit efficaciter collationem auxilii, directus à Scientiâ simplicis intelligentiæ. In hoc non video rationem ullam repugnantiæ in communi Sententiâ. Iam sic: illud complexum, non expectatâ existentiâ absolutâ peccati, connectitur essentialiter cum ipsius peccati existentiâ, quin exinde Deus determinare dicatur ad peccatum: cur ergo, quin determinet, non potest habere affectum connexum ex simili capite cum peccati existentia?

172 Tertiò: potest Deus habere actum hujusmodi indivisibilem virtualiter: *Nolo me retrahere à collatione auxilii ex hac Scientia, quâ illud video fore ineffi vax, ideoque volo uti jure meo, & conferre auxilium*: si enim id dicere potest ex vi duplicis actūs, quidni ex vi unius? Atqui hic actus, non expectatâ existentiâ absolutâ peccati, connectit Deum metaphysicè cum peccato: ergo. Quartò: quia Deo non repugnat determinare ultimò existentiam complexi, ex quo fit formaliter aliquid essentialiter connexum cum peccato: quin exinde determinet ad peccatum: ergo neque repugnat se determinare ad affectum, qui ex suppositione aliquâ peccati alioquin extituri, habeat connexionem cum ipso peccato, quin exinde Deus dicendus sit determinare ad peccatum.

173 Video quid conetur pro dispatitate, acutus Pater Ribadeneyra *disp. 6. cap. 8. & disp. circa 8. cap. 1. nu. 8.* Sed frustra est: ex ratione à priori, quâ subjicio: Nam determinare ad peccatum est ponere aliquid connexum cum peccato antecedenter ad determinationem creaturæ, vel quæ non supponat creaturæ determinationem: idque affectu vel virtualiter, vel formaliter intendente peccatum: cùm ergo Deus intentionem Redemptionis, & similes affectus solùm habeat ex suppositione, quòd creatura peccatura sit in eisdem circunstantiis: hinc fit nunquam ad peccatum determinare. Iam *Ribaden.*

174 Respondeo ad argumentum, negādo sequelā minoris. Ad probationem dicatur eam determinationis explicationem māeam esse, addendumque, ut plena sit, quòd affectus connexus cum peccato non solum illativè connexus sit, sed inductivè: idque habebit affectus, si qualis naturæ non sit, ut non

non possit haberi, nisi ex præsuppositâ necessitate, quòd sit peccatum, caeteris quòd sint circunstantiæ requisitæ ad potestatem ponendi, vel evitandi peccatum, inductâ ab alio agente distincto ab eo, qui talem affectum habet. Cùm ergo affectus iste Dei circa Redemptionem sit affectus habitus ex necessitate, quòd sit peccatum, si ponantur circunstantiæ ad ipsum, inductā à creaturæ, & non à Deo; (indistinguitur enim à Scientia Mediâ, quæ Deo non est libera:) hinc est habere solùm connexionem purè illativam per modum suppositionis consequentis, non verò determinativam peccati.

175 Ad confirmationem: distinguo majorem: si non excludat, exclusione supponente necessitatem absolutam, quæ pro libito creaturæ sit, de eo quòd peccatum erit, si ponatur in libertate, concedo: si excludat, exclusione eam necessitatem supponente, nego: vel distinguo aliter: prærequisitum essentiale consequens, nec excludendum, si creatura nolit, nego: prærequisitum antecedens, vel excludendum, estò creatura nolit excludi, concedo. At carentia prædefinitionis circa Redemptionem, nec excluditur à Deo, nisi per exclusionem factam ex necessitate futuritionis absolutæ peccati, si ponatur libertas, nec est prærequisitum ad evitationem peccati, nisi consequens, nec excludendum, nisi creatura nolit excludi. Si enim creatura nollet peccare, Deus non posset nolle carentiam præfinitionis, seu non posset velle Præfinitionem: quòd est perinde.

Argum. decimum. 176 Objicies decimò: Qui vult efficaciter rem poni, saltem virtualiter vult poni id, cum quo rei efficaciter volitæ existentia connectitur, & sine quo nequit esse; sed Redemptionis existentia connectitur cū peccato, & sine ipso esse nequit: ergo qui vult efficaciter poni Redemptionem, saltem virtualiter vult poni peccatum: quod sine affectu peccati intelligi non potest. Minor est evidens: & ostenditur major: quia tunc efficax rei volitio, est virtualis etiam volitio alterius rei, cùm illa efficax formalis volitio est incompossibilis cum odio alterius rei: neque enim alia regula pro affectus æquivalentiâ potest assignari: patetque dupliciter primò: quia affectus amoris, & odii non pugnant inter se, nisi, cùm sunt circa idem objectū. Secundò: quia exinde amor efficax charitatis dicitur odium virtuale peccati. Atqui volitio efficax Redemptionis ex se componi nequit cum odio efficaci peccati: ergo.

177 Confirmatur argumento vulgari. *Bona con firm.* Qui intendit efficaciter finem, vi intentionis tenetur velle quæ sunt necessaria ad existentiam finis, nisi jam præsupposita sint: ergo qui intendit efficaciter Redemptionem, tenetur velle peccati existentiam, nisi præsupposita jam sit: nam sine ipsâ nequit poni Redemptio. Antecedens probatur primò: quia finis intenditur, ut consequibilis: sine iis autem, sine quibus repugnat esse, non est consequibilis. Secundò: quia Finis est causa eorum, quæ respectivè ad ipsum se habent ut media, qualia sunt omnia, & singula, sine quibus præsuppositis, non potest existere finis: sed qui vult efficaciter causam, eoipso convincitur & affectum velle. Tertiò: quia Intentio finis habet vim determinandi ad electionem medii; idque mediante amore medii unicè & proximè conducentis ad finem: quem amorem vel ipsa sibi identificat, vel præcontinet: quod patet in intentione sanitatis determinante ad electionem Medici, mediante amore, quo fertur in applicationem medicinæ. Ergo intentio Redemptionis habet vim determinandi ad electionem medii: Idque mediante amore ipsius medii proximè conducentis ad finem. Sed Permissio præcisim à peccato, solùm remotè conducit ad existentiam Redemptionis; & conducit proximè per peccatum, cui conjungitur: ergo.

178 Tota Argumenti moles falso principio nititur, distinctionis, & præcessionis virtualis inter Decreta Dei, quas *suprà* eventilavimus. Respondeo tamen ad gustum distinguentium, distinguendo majorem: si id, quocum rei efficaciter volitæ existentia esse nequit, sit possibile, & præsciatur ponendum aut poni sine ullo affectu intendentis, nego: si possibile non sit, nec præsciatur ponendum, sine aliquo affectu intendentis, sub distinguo: quando res efficaciter volita est inductiva alterius, de quo est quæstio, concedo: si inductiva non sit, nego majorem. Doctrinam distinctionis habes explicatam *sup à num. 98.* Nam intentio rei efficax, ut unicè connectit intendentem cum existentiâ finis, & ratione istius cum existentiâ eorum, sine quibus existere finis nequit, solùm & unicè connectit cum existentia eorum, quantum requiruntur ut finis existat. Si autem Requisita talis genii sint, ut existant & præsciantur existere posse & extitura, quantum requiritur ad existentiam finis, quin circa ea ullum affectum exerceat ipse qui intendit finem:

Solvitur ex disp. 1.

Solvitur 2.

Vide à nu 98.

Universidad de Deusto
Biblioteca

finem: intentio finis, neque formaliter, neque virtualiter cogit ad amorem eorum: cogeret enim ad aliquem amorem ratione finis, quem finis, non requirat circa requisita vel media ad existentiam sui. Peccata autem talis generis sunt requisita ad Redemptionem, ut ad sui existentiam nullo Dei affectu, egeant. Exisiunt enim, Deo mere permittente: & extitura præsciuntur, si Deus permittere velit. Vnde solum cogitur ad puram permissionem.

Pro dignoscendo Virtuali Amore, vel odio

179 Majoris probatio regulam assumit maximè Iesbiam. Nego volitionem, quæ sit efficax & formalis, circa unum, eo ipso esse virtualem & interpretativam objecti alterius, ex præcisâ incompossibilitate cũ istius alterius nolitione: tùm quia ea incompossibilitas potest aliunde oriri, nempe ex objectorum inter se connexione, aut repugnantia. Tùm etiam quia alioquin Deus efficaciter decernens, etiam post prævisum absolutè peccatũ, Redemptionem, teneretur velle

Regula

interpretativè peccatum. Regula ergo sit: tunc volitionem unius, esse amorem virtualem alterius; quoties unum objectum continet alterum, ita ut amor illius hauriat exinde vim inductivam alterius. Esse tamen odiũ virtuale, quando amor unius ex se habet vim inductivam odii circa alterum, aut vim efficaciter rejectivam alterius, attento affectu, illius, qui sic amat. Vnde patet ad ea, quæ pro confirmatione dicuntur. Nam intentio solùm causat, medio intendentis affectu, circa media; unde si existentia mediorum talis sit, ut nullo intendentis affectu interposito existere & poni debeat, finis non est eorum causa: ubi enim nulla causalitas, nulla est ratio causæ, neque effectûs. *Instabis* tamen in speciem *difficulter*,&

De quâ multa in 1. 2. *& mox à nu.* 128.

Argum. undecim. P. Anton. Perez.

180 Objicies undecimò: ex P. Antonio Perez *disp.* 1. *de Prædestin. cap.* 5. Qui vult efficaciter, ut existat res, vult, ne desinat existere: ergo efficax volitio rei est virtualis efficax nolitio, ne desinat existere: ergo & est virtualis efficax nolitio de impeditione ei, quam vult: sic enim volitio efficax vitæ, est nolitio mortis, & vulneris læthalis. Nunc sic: ergo volitio Divina efficax Redemptionis, est virtualis efficax nolitio, ne desinat existere Redemptio, seu, quod eòdem recidit, ne impediatur Redemptio. Sed evitatio peccati est impeditio efficax Redemptionis: ergo efficax Redemptionis volitio est virtualis nolitio efficax talis evitationis. Verto nunc argumentum. Atqui nolitio efficax evitationis peccati est virtualis volitio efficax peccati: ergo, *de primo ad ultimum*, Divina efficax præintentio Redemptionis non potest non esse virtualis, & interpretativa volitio peccati. Minor ultima patet: nam tam opponitur evitatio peccati cum peccati existentia, quàm cum Redemptionis impeditione, Redemptio.

Confirm.

181 Confirmatur & illustratur argumenti vis. Ex vi affectûs intendentis efficaciter Redemptionem, redditur impossibilis volitio circa carentiam peccati, non minùs, quàm volitio circa carentiam Redemptionis; sed affectus, cujus ex vi affectivâ redditur impossibilis carentia, seu volitio exclusiva alicujus, eoipso est amor illius, cujus carentiam impossibilitat: nam neque ex alio capite, qui ponit causam, aut ipsam vult efficaciter ponere, dicitur ponere, aut velle effectum, quàm, quia impossibilitat carentiam effectûs: Deinde qui ex vi affectûs sibi impossibilitat volitionem carentiæ, ex vi affectûs se necessitat ad contradictorium, atque adeò ad volitionem rei, cujus carentiam impossibilitat: ergo affectus circa Redemptionem est affectus peccati. Hac objectione turbatos video non paucos, ex his etiam, qui nobiscum incedunt: ut ex solutionum importunitate facilè colligas.

182 Respondeo primò: aperiendo fallaciam Arguentis, & distinguendo antecedens: Vult ne desinat existere, modo, quo existere vult, concedo: vult, ne desinat existere omni alio modo, quo nec ipse existere vult, nego. Id enim esset omninò abs re, & contra naturã affectûs. Distinguo etiam consequens eodẽ modo: & deinde secundũ consequens: est virtualis nolitio de impeditione consistenti in actu, quo Deus nolit ne sit Redemptio, seu in aliquo distincto ab evitatione peccati, concedo: est virtualis nolitio de impeditione consistente in evitatione peccati, nego consequentiam. Nam volitio de Redemptione solùm est efficax volitio de existentia Redemptionis, dependenter à præsuppositione peccati conditionatè existentis, & solum est affectus connexus cum nõ evitatione peccati non procuratâ à Deo, sed positâ à creatura: unde impertinenter Deus vellet, ne impediretur Redemptio, nolendo, quòd evitetur peccatum, cùm videat ipsum peccatum aliunde non evitari; imò cum ipse solùm velit ex suppositione sibi non liberâ connexâ cum non evitatione peccati existentiam Redemptionis. Distinguo jam tertium consequens. Est virtualis efficax nolitio ne desinat existere Redemptio, modo quo vult existere, & ne impediatur Redemptio, ex suppositione peccati, & impeditione conjunctâ cum existentia peccati, concedo consequentiam. Vult ne desinat existere Redemptio alio modo, quo nec Deus existere eam vult; & ne impediatur, impeditione indistinctâ à peccato, seu nisi sit peccatum, nego consequentiam. In his stat sufficiens solutio, si explicentur bene.

183 Dico igitur Deum, ut solùm vult existentiam Redemptionis in peccati Remedium, & ex præscientiâ peccati ex vitio creaturæ futuri, si ponatur in libertate, aliter non intentutus, nec voliturus; solùm efficaciter velle, ne desinat existere, ex suppositione peccati, atque adeò, ne posità præscientiâ de peccato, quam præhabet Deus nõ ex se, sed ex libertate creaturæ, & quam potest creatura etiam evitare, si velit; ne, *in quã*, tali præscientiæ suppositione facta, quisquam alius impediat Redemtionem, imò nec ipse Deus. Ad nolendam efficaciter omnem viam impediendi Redemptionem, suppositâ existentiâ conditionatâ peccati, atque adeò non impeditione per peccati absentiam, necessitatur Deus, eoipso, quòd efficaciter velit Redemptionem: non tamen necessitatur habere nolitionem, quâ positivè nolit impediri peccatum: id enim non requirit affectus efficax Redemptionis: satis enim ejus affectus efficacia explicatur, dicendo, vi illius manere Deum cum nolitione, quòd desinat existere Redemptio, si creatura peccet, & necessitatum ad *duo. Primum*, ne factâ suppositione peccati quisquam impediat Redemptionem. *Alterum*, ne omittat, quod videt sufficere, ne desinat esse Redemptio. Vt autem non desinat esse Redemptio, sufficit, si permittat peccatum Deus; & alioqui velit ipsam poni.

184 Vnde ad summum fit intentionem efficacem Redemptionis esse nolitionẽ efficacem impeditionis, quâ Deus vellet ipsam impedire; & permissionem vel formalem, vel virtualem peccati sub quâ jam scit ponendum id, ex cujus deffectu, tanquam ex deffectu materiæ, impedire Redemptio posset.

185 Ad confirmationem argumenti: distinguo minorem: affectus, ex cujus vi affectivâ circa formam redditur impossibilis volitio circa ejus carentiam, seu ejus carentia, eoipso est amor illius, concedo: affectus ex cujus vi affectivâ circa extremum pendens à præexistentiâ formæ, vel suppositâ, vel solùm egente permissione, ut sit, redditur impossibilis ejus carentia est amor talis formæ, nego minorem, & consequentiam. *Nota*, non esse idem volitionem interpretativam, & volitionem virtualem. Virtualis volitio intervenit, quando quis habet formalem volitionem alicujus, in quo præcontinetur alterum, ita, ut hoc ab illo inducatur, & colligatur, non expectato novo volentis actu: tunc enim volitio formalis extremi præcontinentis alterum, censetur virtualis amor alterius: quia censetur volitio sufficiens inducere ipsum: sicque accidit in volitione causæ necessariæ, ut eo præcisè amari, & causari dicatur effectus. Id quod de odio proportionatè dictum habe, *juxta communes Doctrinas*. Interpretativa volitio intervenit, cùm quis tenetur aliquid impedire, & sciens non impedit: tunc enim se gerit quoad imputationem, ac si vellet reipsa malum, quod ex illâ omissione sequitur. Vides discrimen inter utrumque genus volitionis: nam ad interpretativam non requiritur ex communi Sententia aliquid velle physicè ad virtualem, requiritur: unde distingui solet à nonnullis acutè, dicendo volitionem interpretativam esse moraliter virtualem: Virtualem esse physicè talem. Neutra tamen Deo competit circa peccatum. Non interpretativa: quia non tenetur impedire: non Virtualis, quia Redemptionis volitio non est inductiva peccati. Dixi *juxta communes Doctrinas*: Nã ego, de his parum aliter sentio: eaque parum aliter explico *in Tract. de Actibus.*

Tom. in 1. 2. *Tract de Act. lib.* 2.

186 Respondeo secundò breviùs; & magis detego fallaciam argumenti pro his, & similibus: distinguendo sic: est saltem virtualiter nolitio, quoad munus excludendi à tali amante volitionem efficacem oppositi, & impedimenti, concedo: quoad alia munera: nego. In his stat solutio vera. Itaque affectus purè æquivalens, & virtualis, solùm dicitur quoad aliqua munera, vi quorum æquivalet aliis: Vnde suscipit magis, & minus. Affectus igitur impossibilitans efficacem volitionem alicujus objecti, dicitur in hoc munere Nolitio Virtualis: quia quoad munus excludendi volitionem æquivalet Nolitioni formali: non verò exinde quoad cætera æquivalet, præstando vim ullam affectûs, cui æquivalet. Sic intentio Redemptionis est nolitio Virtualis carentiæ Redemptionis, & carentiæ peccati. Per hæc distinctis, & con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessis in bono sensu reliquis, neganda est minor quæ subsumitur, vertendo argumentum. Vt enim Nolitio efficax alicujus sit virtualis Volitio oppositi, debet esse formalis Nolitio, quæ in æstimatione prudenti æquivaleat volitioni oppositi, quoad vim affectivam: non verò sufficit Nolitio purè æquivalens: & ratio aperta est: quia excludere volitionem efficacem unius, non æstimatur prudenter, pro inductione alterius, aut pro ejus affectu. Nec confirmatio auget vim, quæ per terminos distinctionis intercepta non sit.

§. IV.

ARGVMENTA QVARTI GENERIS.

4. *Classis Argum. & 12.*

187 OBjicies duodecimò: Præintendens efficaciter finem, necessitatur velle, & eligere media, ut utilia ad finem: ergo Præintēdens Deus efficaciter Redemptionem ut finem, necessitatur velle & eligere permissionem peccati, ut utilem ad talem finem. Atqui nequit amari permissio, ut utilis ad finem Redemptionis, quin peccatum ametur: ergo nequit a Deo non amari peccatum, vel nequit amari permissio ut utilis ad Redemptionem: vel ergo Deus amat peccatum, vel nequit præintendere efficaciter Redemptionem, ut finem. Cùm ergo implicet amari peccatum à Deo, pariter implicat præintendi efficaciter Redemptionem. Sic arguitur communiter à Modernis: quorum probanda sunt entymema primum, & minor adjuncta, in quibus tota vis est. Quare

188 Probatur minor subsumpta primò: Vel permissio amatur, *ut utilis proximè* ad Redemptionem: vel tolum *ut remotè utilis*? Si primum: ea proxima utilitas coalescit ex peccato adjuncto: non ergo potest amari, sine amore peccati. Si secundum: ergo permissio amatur, ut utilis ad peccatum, quo tandem adjuncto conducit ad Redemptionem: at amari permissionem *ut utilem ad peccatum* est amari peccatum: non enim amatur medium in ordine ad finem sine amore finis: ergo.

189 Secundò: quia velle medium, *ut utile ad finem*, est velle ad consecutionem finis: velle autem ad consecutionem finis, est velle medium, ut ex ipso resultet consecutio finis: nequit autem resultare consecutio finis ex medio, sine interventu earum conditionum, sine quibus medium in ordine ad consecutionem finis, se haberet ac si non esset: ergo velle medium *ut utile ad finem*, est velle, *ut est cum illis conditionibus requisitis ad hoc ut ex ipso resultet consecutio finis*, seu, ut reipsâ sit medium consecutivum finis. Nunc sic: atqui Permissio seorsim à peccato, se habet ad existentiam Redemptionis reparativæ (quâ de loquimur,) ac si non esset: ergo ut ametur *ut utilis*, debet amari *ut reddita utilis ex adjuncto peccato*: quod erit amare peccatum.

190 Tertiò: Quia medium remotum nequit amari propter utilitatem ad finem, nisi per complacentiam effectûs, quo redditur conferens ad talem finem: si enim amatur, *quia* confert ad finem: & adjectione alterius medii redditur conferens: quâ ratione possit non amari adjectio talis medii? Atqui Permissio ad Redemptionem eatenùs confert, quatenùs cum peccato conjungitur: ergo.

191 Probatur Primi entymematis consequentia: quia Permissio se habet, ut medium ad Redemptionis existentiam: si ergo medium amari debet, ut utile ad finem, quē supponas præintendi, debet amari permissio, ut utilis ad finem Redemptionis. Iam ostendo antecedens. Primò: quia electio ex Aristotele 3. *Ethic.* & Divo Thoma 1. 2. *q.* 13. *art.* 3. *est appetitus præconsiliati*: id est, objecti, quod per consilium inventum est utile ad finem intentum: ad quid tamen opus consultatione, nisi medium deberet eligi, ut utile ad finem? Secundò: quia medium eligitur propter finem: & electio causatur ab intentione: quod verum esse nequit nisi medium eligatur prout conducit ad finem. Tertiò: quoties eligitur hoc præ illo, quia potiùs in hoc, quàm in illo cernitur cōducentia ad finem, amatur formaliter hoc, ut conducens ad finem. Et ratio est: quia cognitio, dum directè ad aliquid operandū inclinat repræsentando bonitatem objecti, causat amorem objecti quod repræsentat: neque enim cognitio causat, nisi medio rei amore, quem excitat: neque bonum trahit in sui consecutionem, nisi mediante amore sui ipsius. Atqui ex vi intentionis requiritur cognitio de medio, ut utili ad finem: ergo quia debet amari medium *ut* utile ad finem.

Aristol. S. Thomas.

192 Quartò: quoties per se requiritur apparentia novæ bonitatis in objecto, ut ametur, est, quia talis bonitas amanda est: atqui præsuppositâ intentione finis, ut eligatur medium, debet apparere cum bonitate utilitatis ad finem: & o casu nostro, debet apparere permissio, ut utilis ad Redemptionem; ergo. Minor est evidens. Major patet: tùm quia non potest esse alia ratio talis apparentiæ: tùm etiam quia cognitio, quæ necessaria est ad effectum, non est necessaria, nisi ob necessitatem amoris intermedii: neque enim cognitio caulat, nisi medio affectu, ut patet in actionibus externis.

193 Quintò denique: quia suppositâ intentione finis, non potest assignari ratio, cur sit necessaria cognitio medii utilis, nisi sit necessitas alicujus affectûs in medium, quâ utile: cognitio enim præexigitur ratione affectûs, qui eliciendus est. Vrgetur: illa cognitio de medio utili ad finem, est necessaria suppositâ intentione: & movet sub aliquo motivo; sed non potest, nisi sub eo, quod repræsentat: ergo sub eo movet: ergo cognitio de medio utili, movet sub ratione utilitatis ad finem.

Aldrete. Suprà disp. 1.

194 Hæc argumentatio, quâ nimis exultant Adversarii, & inter ipsos Aldrete *tam in tractatu de Incarnatione*, quàm *de Prædestinatione*, me non ferit; qui ex *disp. 1. lib. præs.* censeo in Deo non dari propriè Intentionem, & electionem, inducentes se mutuò, aut alteram pendentem ab alterâ, cùm in Deo repugnet ista divisibilitas Decretorum. Itaque quicquid sit; an si Deus prius intenderet Redemptionem ex prævisione ipsius, teneretur eligere permissionem illi cōformem, seu *ut* utilem ad Redemptionem: ar, cùm unico, & indivisibili ductu voluntatis, simul velit permittere peccatum, quod conditionatè existens videt, & decernere Incarnationem in remedium ipsius, ordinando permissionem in finem Medici, & Redemptoris; non est, cur debeat amare illam utilitatem ortam ex peccato. Vnde distingui posset major argumenti: præintendens intentione causativâ mediorum, & electionis eorundem, transeat. Intentione non causativâ electionis, nec propriè tali, nego. Cùm enim Deus antecedenter ad volitionem efficacem Redemptionis, sciat se sine ullo influxu coexiturum cum peccato, si permittere velit, potest indivisibiliter velle Redemptionem, & permissionem peccati: quin ad ullum affectum circa peccatum necessitetur. Verùm, ut etiam pateat quàm parum premat argumentum, etiam juxta communiora principia. *Tria* notanda; & adhibendæ solutiones *duæ*.

195 Noto primò: quadruplicem esse sēsum posse dum dicitur amari medium *ut utile finem*. Primus est, significante *ly ut* rationem formalem amandi, seu *rationem, quæ movet ut amata*. Sic dicimus amari bonum, *ut bonum est*. Secundus est, significante *ly ut* rationem *materialem*, quæ amatur; non tamen sub illâ ratione, quæ subit reduplicationem: sic dicimus amari potionem amaram, *ut amaram*, & cognitam ab intellectu: *quia dulcis* est. Tertius est: significante *ly ut* meram *circumstantiam*, *sub quâ* amatur objectum, quę alioquin vel retardare posset, vel impedire; quin tamen ipsa circumstantia ametur: sic dicimus amari bellum, licèt annexum cum periculo mortis, seu ut annexum morti: & dispensari à Deo auxilia quāvis prævideantur inefficacia; seu ut inefficacia. Quartus est, significante *ly ut conditionem, sine quâ non* hic, & nunc, seu isto modo volendi amaretur objectum; quin tamen ipsa conditio ametur. Sic dicimus: amari elargitionem elemosynæ pauperi, *ut pauper est*. Ex his vides *reduplicationem* cadere posse in objecta, quæ non amantur.

196 Noto secundò: triplicem excogitari posse *utilitatem* ad Redemptionem in permissione Dei. Prima est *Remota* consistens in ipsâ naturâ Permissionis: nam si non esset permissio, non esset libertas ad peccandum, nec peccatum: atque adeò nec Redemptio: & hæc utilitas bona est. Secunda est proxima: & hæc est duplex: alia coalescens ex ipsâ permissione, & peccato, tanquam materia Redemptionis: & hæc utilitas amari non potest sine amore peccati: alia est coalescens ex ipsâ permissione, & Scientiâ Mediâ de peccato: & hæc potest amari sine amore peccati. Tertia est *utilitas in actu secundo* consistens in conjunctione Permissionis cum ipsâ Redemptione: nam utilitas in actu secundo medii ad finem constitui debet in positione finis ex vi medii, seu in finis conjunctione cum medio præsuppositō. Advertendum est autem quammaximè, dum dicitur: *amari medium propter finem, seu ut utile ad finem*, sensum esse *de utilitate tertiâ in actu secundo*, non verò *de aliis utilitatibus*: *licèt præcognoscantur*. Ratio est: quia sicut potest amari utilitas medii ad finem quin ametur propter finem: ut accidit in amante ensem utilem ad percutiendum, sine amore, & ordinatione ad percussionem; ita potest amari medium propter finem, quin amentur illæ circumstantiæ extrinsecæ, ex quibus habet

con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

conjungi cum fine.

197 Noto tertiò: duplex excogitari posse genus *electionis*: aliud *formalis* electionis, & aliud, electionis *materialis*. Electio *formalis* est illa, quæ ita oritur ex intentione, ut velit media conformiter ad ipsam, & ob ipsam, seu, ut utilia ad finem. Electio *materialis* est illa, quæ quidem inducitur ab intentione, non tamen vult media, ut utilia, & quia utilia ad finem, licèt velit ea media, quę cognoscit utilia. Quam differentiam explicant aliqui per exemplum *conclusionis formalis, & materialis*. Advertendum autem hic est: ut existentia finis, seu rei, quæ habetur in finem, solum eget existentiâ medii utilis; non vero eget, quòd medii existentia sit ex hoc, vel ex alio fine; sic eum qui intendit finem, non videri necessitatum ad electionem formalem, sed vel ad ipsam, vel ad materialem, idest non videri necessitatum ad volendum ponere medium, *quia utile*, sed *utile*. Ratio est: quia intendens, ratione intentionis solùm necessitatur ad id, sine quo frustra esset intentio, nec finis existeret. Ex his plures solutiones emergere video. *Duas* explico.

198 Respondeo primò: ex tertiâ, & primâ notatione, negando antecedens argumẽti: sufficit enim, si eligat electione materiali, seu media, quæ sunt utilia. Vel distingue: velle, & eligere media, *ut utilia*, ly *ut* significante *rationem*, *vel amatam*, *vel amandi*, nego. Conditionem *sine quâ non* eligeret, transeat. Ad primam probationem antecedentis, dicatur Aristotelem, & Thomam vel loqui de *electione formali*, vel de præconsilio *conditionis sine quâ non*. Ad secundam, transeat assumptum, & nego, quod subinfertur. Ad tres alias, ubi petitur ratio, cur necessaria sit prægnitio utilitatis, si amanda non sit; dicatur in primis, eam prægnitionem non requiri, ut appareat nova bonitas, sed nova conditio. Deinde requiri, ne eligatur medium inutile ad finem. Insuper eam requiri, non, ut affectus tendat in objectum, quod illa repræsentat, sed in aliud in quod ratione essentialis dependentiæ, & connexionis tendere affectus nequit sine prænotitia alterius, à quo suum pendet.

Sensus Aristot. & S. Thom.

Vide suprà a nu. 114. *&* 121.

199 Itaque cognitio de aliquo objecto, *triplici* titulo requiri potest, & præsupponi ab affectu. *Primus* titulus est affectivæ tendentiæ in ipsum: & hic est potissimus. *Secundus* est dependentiæ ab alio affectu, à quo ipse imperatur, & oritur: *Tertius* est essentialis dependentiæ sui objecti à prægnitione alterius: quia solum est amabile in circunstantiâ involvente prægnitionem ipsius alterius objecti: *hi duo* tituli, non arguunt ex necessitate prægnoscendi objectum, necessitatem ullam affectûs in ipsum: exque duplici hoc titulo prærequiritur in Deo præscientia de peccato, ut intendat Redemptionem, & velit permissionem in circunstantiâ cum peccato conjunctâ.

200 Respondeo secundò ex primâ, & secundâ notatione. Distinguendo antecedens: media, *ut utilia* ad finem: *utilitate in actu primo solùm*, *nego*: *utilitate in actu secundo*, subdistinguo: reduplicante *ly ut* rationem formalem amandi, & amatam, concedo. Reduplicando solam conditionem, aut circunstantiam, nego. Et distincto similiter consequenti, explico, & distinguo minorem, quæ subsumitur: nequit, quin ametur peccatum, amari permissio, *ut utilis* ad Redẽptionem, reduplicante *ly ut* supra utilitatem, ut rationem formalem amatam, & amandi, tranieat: reduplicante solùm, supra utilitatem, ut meram conditionem, aut circunstiam, nego.

201 Vides, quâ ratione applicari debeat formæ Doctrina præjacta: quare otiosum sit vltrà prosequi, hærendumque semper in his. Permissionem amari *ut utilem* ad Redemptionem, id est, *propter Redemptionem*, ut rationem formalem amandi: quæ est ejus utilitas ad Redẽptionem in actu secundo: amari tamen *ut aliter utilem*, *ly ut* significante utilitatem intrinsecam permissionis, ut rationem materialem amatam: extrinsecam, ut meram conditionem, *sine quâ non*. Vt autem amaretur peccatum, requirebatur, ut ea utilitas proxima tangeretur, ut ratio formalis amandi: solùm tamen tangitur ut *conditio* prægnita, *sine quâ non*. De necessitate talis prægnitionis diximus *num. præcedenti* satis contra Aldretum.

202 Tertiò respõderi cum Quirós posset, concesso antecedente distinguendo consequens: permissionem, *ut utilem omni modo utilitatis proximæ*, nego. *Aliquo modo utilitatis proximæ*, concedo: & nego minorem. Ad probationes dicetur ex secundâ notatione, dari utilitatem proximam ex conjunctione permissionis cum Scientiâ Mediâ, quæ potest amari sine amore peccati. Et hęc de argumento.

Quirós.

203 Instabis ex Magistro nimis operosè disputanti. Præintento efficaciter fine Redemptionis, tenetur Deus adhibere media obligatoria, seu ponere requisita, quatenus obligatoria: sed media, seu requisita, quatenus obligatoria ex præintento fine, sunt media, vel requisita, prout utilia proximè ad finem: ergo Deus tenetur ponere mediũ permissionis ut utile ad existentiã Redemptionis: ergo & ponere utilitatem ortam ex peccato. Consequentia prima liquet: secunda probatur: quia Permissio præscisim à peccato nullam dicit connexionem cum Redemptione. Major probatur: quia Deus præintento fine, reflectit supra intentionem, & videt se obligatum ad finem, atque adeò ad præstandum id, quod necesse est, ne frustretur intentio: impossibile autem est, quòd Deus videat se sponte subiisse obligationem, & eam contemnere, vel omittere: omitteret, vel contemneret nisi vellet eam implere ex motivo talis obligationis, quam prægnoscit. Minor probatur etiam: quia medium obligatorium est medium cum efficacitate respectu finis, & utile, eâ utilitate, sine quâ frustraretur intentio.

Ingeniosa P. Gelòs

Instantia cui multis applaudit N. R. M. Thyrsus.

204 Vrgetur: Implicat quòd Deus non velit utilitatem in medio sibi bonam, & necessariam ex præsuppositione finis intenti; atqui utilitas permissionis constituta ex peccato est Deo bona, & necessaria; sine ipsâ enim destrueretur intentio: ergo implicat, quòd non ametur à Deo.

205 Respondeo primò negando suppositum, quo ruit tota argumentatio: neque enim est in Deo ista existimata successio actuum, & Decretorum: ut *suprà* abundè. Respondeo secundò concessis, vel permissis reliquis, negando ultimam consequentiam: datur enim proxima utilitas in permissione, præcisim à peccato. Vide quæ *nuper* ad superius. Respondeo tertiò: distinguo majorem: tenetur ad media obligatoria, quatenus obligatoria: ly *quatenus* reduplicante supra prævìam necessitatem intentionis prægnitæ, transeat: ly *quatenus* reduplicante supra utilitatem requisitam, subdistinguo; tanquam rationem formalem amatam, aut amandi, nego; tanquam conditionem *sine quâ non* esset eligendi necessitas, transeat. Ad probationem majoris, dicatur: Deum reflectendo supra intentionem, necessitari ponere media, quæ vel non videt aliter poni, & aliunde; neque ullo suo influxu indigere, qualis est hæc utilitas orta ex peccato: vel quæ sint utilia, quin exinde necessitetur ad ipsa volenda, ratione utilitatis. Sic subditus, ex prægnitione præcepti, vult rem præceptam facere ex motivo obedientiæ, quin ex intrinsecâ bonitate moveatur, aut debeat moveri. Sic pressus gravi vitæ periculo, elicit contritionem, ut obligatoriam ex fine salutis, quin contritio moveri debeat ex illo fine.

206 Respondeo quartò: tenetur Deus adhibere media obligatoria, quæ, ratione intentionis, & finis, opus est, ut adhibeat, nisi supponantur, concedo: quæ talia sunt, ut non egeant Dei volitione, & influxu, ut sint, quantùm requiritur ad finem, nego: talis autem est utilitas ex peccato resultans. Ad cõfirmationem dicatur imprimis: illam utilitatem non esse Deo bonam; licèt sit necessaria, necessitate conditionis *sine quâ non* hîc, & nunc prævideretur utilis permissio ad finem Redemptionis. Deinde dicatur, peccatum, ejusque existentiam esse necessariam, necessitate connexionis, termini, & consequentiæ; ut est, respectu Scientiæ Visionis de ipso, & complexi ex Scientiâ Mediâ, & ipsâ permissione, quin inde fiat necessitas amandi peccatum.

207 Notetur in calce tantæ investigationis: alia esse media, seu requisita, quæ per se influunt in existentiam finis: alia, quæ non influunt, sed habent se, ut pura materia, circa quam finis efficacia exercenda est. Qui finem intendit, ad summum tenebitur illa ponere, nisi præsupponantur: quia qui vult rem, vult, quòd existat à suis causis, atque adeò, si istæ non sunt, videtur paratus ad earum executionem: non tamen tenebitur alterius generis media ponere, & exequi, si aliunde poni videat, vel ponenda: quia qui rem vult, si sciat aliunde ponendam materiam, circa quam ipsa exercetur; sufficit, si causas adhibeat ad existentiam rei. Fortè hinc peti posset alter solvendi modus; sed eo jam non egemus.

SECTIO VIII.

CHRISTVS DOMINVS DECRETVS EST Redemptor Originalis, & Actualium, etiam Venialium.

208 EN *tertium Corollarium*: de quo inter alios optimè Pater Martinonus *disp. 3. sect. 9. &* 10. & patet: nã Christus decretus est Redemptor Vniversalis omnium peccatorum: id quod ex Scripturâ convincitur: tùm ex *Rom. 5. ver. 15.* à verbis

Martinon.

Rom. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis illis : *Si enim unius delicto multi mortui* 1. *Ioann.* 1.
sunt ; multò magis , &c. Tùm *ex* 1. *Ioan.* 1.
sanguis Filii ejus emundat nos ab omni delicto.
Tùm demum ex *Tit.* 2. 14. *dedit semetipsum* *Ad Tit.* 2.
pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.

209 Difficultas ſtat in explicando , quâ ratione ſe habuerint in ordine ad Incarnationem, & Decretum, in modo finalizandi, Remedium Peccati Originalis , & Remedium Actualium. In quâ *tres* dicendi modos invenio. *Primus* negat Chriſtum fuiſſe venturum , ut Redemptorem , ſi originale non fuiſſet. Motivum ſpeciale eſt: quia in ea hypotheſi non fuiſſent Actualia , utpote in originalis pœnam permiſſa. *Secundus* ex oppoſito fundamento id ipſum negat : nempe : quia motivum Principale Redemptionis eſt lapſus totius Generis Humani , qui ſolùm in originali conſiſtit. *Tertius* loquitur cum diſtinctione : & in hypotheſi multorum peccatorum mortalium Actualium aſſi mat, venturum Chriſtum ut Redemptorem , etiam ſepoſito Originali : in raritate mortalium, negat.

210 Cenſeo primò : Non exiſtente peccato Originali, non venturum Chriſtum Dominum , ut Redemptorem. Ratio unica eſt: quia non exiſtente peccato originali , non permiſiſſet Deus Actualia ; ſed homines, Adamum , & Poſteros confirmaſſet in gratia: ergo non erat cur veniſſet Chriſtus Dominus , ut Redemptor. Conſequentia bona eſt; & tota difficultas vertitur ad fundamẽtum antecedentis: quod ſuadetur primò, Patrum , & Theologorum authoritate. Theologi ſunt Schotiſtæ, & Nominales cum Schoto , quem hîc ſequitur citatus Martinonus. Patres ſunt Auguſtinus , Gregorius , & Anſelmus: cujus *lib.* 1. *cur Deus homo cap.* 18. hæc verba ſunt: *In illâ tamen juſtitiâ, in quâ erant* , (Parentes primi) *videtur quòd ſi viciſſent, ut non peccarent tentati, ita confirmarentur in gratiâ cum omni propagine ſuâ, quòd ultrà peccare non poſſent.* Nihil clarius.

Schotiſtæ cum Duce Nominal. Martinon. Auguſt. Gregor. Anſelm.

211 Suadetur ſecundò: quia Deus promior eſt ad benefaciendum, quam ad puniẽdum : ergo non eſt verò ſimile , ſuppoſuiſſe inobedientiæ Primi Parentis , amiſsionem juſtitiæ originalis irreparabilem,& non ſuppoſuiſſe inamiſsibilem ejuſdem originalis juſtitiæ conſervationem , Obedientiæ Parentis primi. De antecedente non ſinunt nos dubitare *Sacræ Scripturæ , & Patres.* Conſequentia verò probatur : quia aliter magis nos ad ruinam , quàm ad conſervationem obligaſſet in Pacto, Adami voluntati: quod Divinæ pronitati , ad benefaciendum majori, quàm ad puniendum, non congruit.

212 Cenſeo ſecundò : Chriſtum Dominum , ita veniſſe Redemptorem Originalis, ut ex vi Decreti præſentis, etiam actuali nullo ſecuturo, veniſſet Redemptor, non per hoc, ſed per aliud Decretum. Ratio ſecundæ partis eſt: quia Decretum præſens indiviſibiliter eſt Decretum de Chriſto Redemptore omnium peccatorum, quæ nunc ſunt, & erunt, ut conſtat ex præcedentibus: ergo per aliud Decretum veniſſet Chriſtus ut Redemptor, ex vi præſentis, ſi ex vi præſentis, in eâ hypotheſi, verum eſt quòd veniret.

213 Ratio autem partis primę, quę principalis eſt , ſumitur primò ab Authoritate Patrum aſſerentium veniſſe Chriſtum propter lapſum Humani Generis in Adamo: qui dicendi modus abſolutè prolatus,& ſine ullâ limitatione,ut videre eſt in ipſis Sanctorum Patrum teſtimoniis apud Vazquez *diſp.* 10. *Vazquez.* *cap.* 4. *&* 5. plenè concludit ſufficientiam, & totalitatem in motivo. Secundò ex Apoſtolo *ad Rom.* 5. dicente Chriſtum Dominum *Rom.* 5. ſtatutum, *ut caput* ad transfuſionem Remiſſionis, & Gratiæ, veluti *ſecundum Adamum*: ergo principaliter decretus eſt Chriſtus in lineâ Redemptoris, tanquam reparator Adami. Tertiò ex ipsâ naturâ rei. Nam Peccatum Originale eſt maxima ruina totius Generis, & radix omnium.

214 Cenſeo tertiò: Chriſtum Dominum ita veniſſe Redemptorem Actualium , ut ex vi præſentis Decreti , non per hoc, ſed per aliud Decretum veniſſet ut Redemptor eorum , eſtò non præextitiſſet originale , ſi ea futura fuiſſent in eâ copiâ, in quâ nunc ſunt, id eſt, magnâ , & valdè communi. Duas habet partes Aſſertio. Prima eſt de alterius decreti exiſtentiâ, in eâ hypotheſi: & hæc pars liquet ex modo decernendi Divino ſuperiùs præmonſtrato. Secunda pars, quæ principalis eſt , eſt de Chriſti Adventu in magnâ copiâ peccatorum Actualium : & hæc oſtenditur : quia multiplicatio Actualium non eſt ruina , minor originali ; imò commiſeratione magis dignâ , ex ratione malitiæ , & ex qualitate pœnæ: ut per ſe patet : Qui ergo decernit Remedium mali minoris , ex affectu ſubveniendi ; quidni deceneret remedium majoris mali, ſi poſſet?

215 Cenſeo quartò:ſi nec futurum Originale fuiſſet , nec Actualia multa , ſed rara, vel ſola venialia,non veniſſet Chriſtus ut Redemptor ex vi præſentis Decreti, adhuc arguitivè. Ratio eſt: quia in eâ hypotheſi omninò deeſſet motiva Decretę Redemptionis, ſeu Incarnationis in peccati remedium: Nã rara mortalia in hoc,aut in illo,non eſt magna ruina totius: nec venialia ſunt tan grande malum , ut curari debuiſſent medicinâ tam carâ.

216 Objicies primò contra fundamentum aſſertionis primæ ex his , quæ congerit *in ſuo Theopolitico* Nierembergius. Copioſa Redemptio, & exinde diffuſa gratia Redẽptoris non obſtitit, ne mundus,plenus peccatis ſit : ergo multò plenior eſſet, etiam Adamo non peccante. Probatur conſequentia: quia Adamo non peccante non eſt Poſteris oblata ſecuritas. Reſpondetur. Conceſſo antecedente , negatur conſequentia : quia Adamo non peccante , colligimus Poſteros ita in eo ſtatu confirmandos , ut peccare nõ permitterentur. Diſcurſus ille, Nierembergii,ſupponit,duo quæ *ſuprà* negavimus,nempe neque venturum Chriſtum , Adamo non peccante : & ſimul , non peccante Adamo, relinquendos Poſteros in lubricâ libertate peccandi. *Ioannes Nieremb.*

217 Objicies ſecundò, cõtra ſecundam: Chriſtus Dominus eſt decretus Originaliş peccati Redemptor per mortem ſuam:ergo per mortem ut culpabiliter illatam à crucifigentibus : ergo per mortem illatam per actuale peccatum Poſterorum : ergo nullo peccato Actuali, ſecuturo,non veniſſet Chriſtus ut Redemptor originalis. Hac difficultate ſe cruciant maximè Cardinalis de Lugo, & Martinonus: ſed ea facile expeditur. Reſpondetur , conceſsis reliquis nego ultimam conſequentiam. Licèt enim in præſenti rerũ hypotheſi , & ex libertate , quæ præceſsit in Deo ad decretum quod de facto eſt circa Incarnationem,& Redemptionem, Chriſtus ita ſit Decretus originalis Redemptor per mortem ſuam ; tamen id non obſtat , ut ex ipſo modo decernendi non fiat planum, etiam decernendum Redemptorem originalis,quãvis nullo actuali ſecuturo. Veniſſet in ea hypotheſi Redemptor, uno ex innumeris modis,quos præſcit Deus.Quod ſi Redemptorem Deus vellet Chriſtum etiam per mortem, genus moriendi obtuliſſet Chriſto ſine ullius peccati actualis intervẽtu, vel ex amore, vel ex causâ merè naturali, vel ex liberâ immolatione vitæ, per omninò liberam ſpiritũs emiſsionem. *Cardinalis de Lugo. Martinon.*

218 Objicies tertiò contra tertiam: Patres affirmant , Adamo non peccante, non venturum Chriſtum ut Redemptorem: ergo non veniſſet propter quæcumque actualia, originali ſepoſito. Et confirmatur. Quia ſublato motivo Redemptionis, non eſſet decreta Redemptio : motivum autem eſt apud omnes peccatum originale. Reſpondetur: Sanctos Patres loqui de præſenti rerum peristaſi , in qua Adamo non peccante, non eſſent ſecuta in poſteris Actualia,unde ceſſat quæſtio. Ad confirmationẽ diſtinguo quod aſſumitur: motivum unicè ſufficiens, & totale eſt originale , nego : motivum ſecundùm ſe totale & ſufficiens , concedo. Nos autem circa Decretum Redemptoris plura cognoſcimus motiva aliunde ſufficientia & totalia, ut ex noſtris aſſertis evincitur.

SECTIO IX.

CONCORDIA PRÆCEDENTIVM CVM Immunitate Deiparæ à debito Originalis.

219 EN *Corollarium ultimum*; à non paucis avidè quæſitum in Deiparæ gloriam:& meritò,ſi ſtemus veritati. Demus terminos. Duplex eſt *Debitum* : *Remotum* & *Proximum*. *Remotum* eſt, neceſsitas quædam incurrendi maculam originalem , inſpectâ ſerie propagationis naturalis ex Adamo,niſi favorabiliter excludatur à pacto , qui tali propagatione deſcendit. *Proximum* eſt, neceſsitas incurrendi maculam originalem in Capite,ex vi pacti transfundentis in ejus voluntatem,voluntates omnes Poſterorum. Hęc eſt explicatio communis debiti utriuſque: ſed notat optimè Reverendiſsimus Thyrſus noſter , Remotum illud Debitum , impropriè Debitum dici. Conditionem , ſeu Fundamentum ad Debitum ipſe dicerem: quia Naturalis propagatio , ſi nulla ſit in pacto, incluſio deſcendentium,non ſufficit, ut Deſcendentes aliquid debeant. Reducitur igitur punctum ad Proximum Debitum, vi cujus Poſteri,utpote in Capite moraliter anticipatò incluſi,præoperati cenſentur in Capite,& in ipſo peccante peccaſſe: unde malum peccati ſentire debent , cùm primùm exiſtant. *R. adm. P. N. Thyrſus.*

220 Immunitatem ab hoc debito negãdam eſſe Virgini rati ſunt Doctores Magni, ardentiſsimè diſputantes,& nixi in eo quòd aliter explicari non poſſet locus Pauli: *Omnes in Adam peccaverunt*: à quâ generalitate nolunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

lunt excipi Virginem : nec posset explicari Redemptio Christi Domini respectivè ad Matrem. Concedendam hanc Immunitatem Sanctissimæ Virgini, nec aliter explicari satis posse immunitatem à Macula originali, post Doctissimos Nostros Salazarium, & Granadum, *in speciali* quemque *opere de Conceptione*, sentiunt jam omnes Scriptores Moderni, quos dabunt Cardinalis de Lugo, Pater Aldrete, & Reverendissimus Noster Thyrsus, & abunde in *Parthenicis suis* Nierembergius: quibus animo pleno subscribo, & assentior.

Salazar. Granad.

Card. Lugo Aldrete. Thyrsus. Nieremb.

221 Ratio est: quia Debitum Originalis, de quo loquimur, est necessitas contrahendi maculam, in instanti primæ existentiæ, ex consociatione peccati cum capite, ex vi pacti anticipantis Posteros in Adamo, non solùm ut in capite physico, à quo seminaliter procedant, sed etiam ut in Capite Morali, in quo delinquente, delinquant. Arqui hæc necessitas, hæc inclusio, & consociatio, neque decet Reginam omnium rerum; neque rationi congruit, neque cum amore Divino eam præservandi componitur, neque cum ejus immunitate à peccato: Ergo Deiparæ Virgini repugnat istiusmodi Debitum. Consequentia patet: & major est ipsa Debiti definitio.

222 Minor habet quatuor partes. Prima probatur: quia ex tali necessitate, inclusione, & consociatione peccandi, fit Beatam Virginem peccasse, & in Capite deliquisse, & fuisse Deo exosam, & inimicam, & dignam æternâ privatione Gratiæ, & Gloriæ: quid autem indecorum magis? Vt enim optimè Dionysius 4. *de Divin. Nom. Puniri non est malum, sed fieri pœnâ dignum.* Secunda pars ostenditur ex prudenti, & subtili discursu Patris Esparzę *in speciali* libello *de Conceptione*: Neque enim rationi congruit, ut voluntas incomparabiliter melior, & superioribus Naturæ, & Gratiæ dotibus præventa transfundatur in aliam utique inferiorem quoad omnia: & ratio est: quia Voluntas melior, secutior est fortunæ suæ, nec prudenter existimatur velle culmen fortunæ suæ facere dependens ab arbitrio minùs secuto incomparabiliter: Atqui voluntas Virginis Deiparæ, Adami Voluntate fuit incomparabiliter melior, & superioribus Gratię, & Naturæ dotibus præventa, ut liquet: ergo non est rationi consonum, ut hæc voluntas transfunderetur in Adami voluntatem. Quod autem rationi non est consonum, non est Deus existimandus voluisse.

Dionys.

P. Mart. Esparza.

223 Tertia pars, quæ concernit amorem Dei, sic probatur: tùm quia singularitas hujus amoris in Virginem necessariò dicit exemptionem à pœnâ legis generalis: ergo dicit exemptionem à lege: probatur ista consequentia: ut quid enim lege generali comprehenderet illam quam à legis pœna vult exemptam? Tùm etiam quia hæc singularitas amoris erga Deiparam, anticipavit in Beatissimâ Virgine effectus amicitiæ Divinæ: quomodo ergo compati secum potest, legem positivâ, vi cujus Virgo prævideretur peccans in Capite? Tùm demum quia non videtur singularis amor, qui, quantùm potest, non favet: atqui si Deus Virginem inclusisset in pacto, non favisset quantùm potest: ergo.

224 Quarta pars, quæ concernit incohærentiam inclusionis in pacto, seu Debiti, cum exemptione à peccato, sic probatur. Contrahere maculam originalem, nihil est aliud quam primò concipi sine Gratia propter Adami peccatum. Iam sic. Adami peccatum non habet ex se vim privandi Gratiâ posteros: ergo habet hanc vim ex adjuncto pacto, & Decreto Dei statuente, ut qui præcessit in Capite peccans, eoipso, privetur gratiâ cùm primùm existat. Vel ergo hoc Decretum comprehendit Beatissimam Virginem, vel non? Si secundum: habemus intentum. Si primum: ergo necessariò, cùm primùm extitit, gratiâ privata est: quod dici nequit. Confirmatur: conditio sub quâ privationem gratiæ efficaciter statuit Deus, vel est unicè peccatum Adæ ut Capitis, vel aliquid aliud? Si primum: ergo sub eâ conditione, semel inclusus in pacto, non potest non concipi sine gratia. Si secundum: quid est hoc aliud, si non est prævia exemptio à lege? Maneat igitur Debitum proximum Originalis, jure à Purissimâ Dei Matre relegari.

225 Sed quomodò hæc exemptio à lege, & à pacto; hæc immunitas à debito contrahendi maculam originalem, & hæc anticipata exclusio à Capite primo Humani generis, potuit esse ex Christi Domini meritis, & Christi, non utcumque, sed Redemptoris per Crucem, & mortem? Hæc est in hoc puncto potissima difficultas: quæ multifariam à multis frustrà vinci putatur per varias genealogias Prævisionum, & Decretorum: Primò, impossibiles, ex fusè disputatis *suprà à n. 23.* Secundò, insufficientes, ut *infrà*

Suprà à nu. 23.

Infrà à nu. 93. & 97. *infrà* constabit, cùm de causis meritoriis Incarnationis, præsertim *à num. 97.* Tertiò, multæ imperfectionis, ut loquendo de indivisibilitate decernendi planum fecimus. Denique, ex quibus earum Patroni vix assequuntur, exclusionem positivam Virginis à pacto inito cum Adamo fuisse ex meritis Christi Patientis, sic, aut aliter fabricatis in præscientia Dei: ut urgebimus *infra à nu. 93.* negativam tamen quæ consistit in eo, quòd Deus nò incluserit Virginem in pacto inito, cùm alios Adæ posteros inclusit: certè non possunt assequi ex meritis Christi Domini, ut Redemptoris.

226 Omnia tamen stant optimè juxta Doctrinas Nostras. Nam in primis Decretum de ineundo pacto cum Adamo fuit indivisibiliter Decretum Virginis, & exclusivum ipsius ob Christi Domini, etiam patientis, & morientis merita, per modum excellentissimæ Redemptionis, non quidem Reparativæ, qualis est Nostra, sed Præservativę: genere meriti, non Remunerandi, sed Solutivi. Cujus Meriti Ratio ut moveat non requirit præcedentiam absolutam sui, vel in se, vel in prævisione absoluta sui, sed præscientiam conditionatam, quâ præmians sit certus de solutione sibi exhibendâ, si velit præmium anticipare. Hac scientiâ instructus potest decernere anticipationem Præmii in spe, seu quasi spe pretii postmodùm persolvendi, motusque ex istius condignitate, & absolutâ existentiâ, quam ponendam prævidet. Ita censeo Deum voluisse ex Christi Redemptoris meritis, Deiparæ exemptionem à Peccato, à Pacto, & à Debito. Quæ singula lucem, & robur accipient ex sequentibus. Videndus est Pater Eusebius Nierembergius *in Parthenicis fol. mihi* 482.

Latissimè disp. 3. quæ sequitur.

Nieremb.

227 Objicies interim adversus doctrinam Corollarii. Primò, locum Pauli, *omnes in Adam peccaverunt*: qui locus neminem excipit. Respondetur; eum locum intelligi debere de omnibus inferioris conditionis quoad Naturæ, & Gratiæ dona. Inclusio enim unius præcontenti in altero præcontinenti, necessariò supponit minoritatem, & inferioritatem præcontenti: cum autem in Virgine sit evidens excessus quoad Naturæ, & Gratiæ dona, etiam incomparabiliter; nò est rationi consonum eam in inferiori respectivè præcontentam & inclusam fuisse: unde de ipsâ locus ille generalis intelligi nequit.

228 Objicies secundò: Nam si nullum in Virgine Debitum fuit, non apparet locus veritati Redemptionis. Respondetur, negando sequelam: Nam Veritas Redemptionis, omninò glotiosioris, qualis est Præservativa, non requirit in Redempto malum, sed potiùs præoccupat. Imò ex ipsâ infinitate Redemptionis theandricę sequitur veritas Corollarii nostri. Nam si Redemptio Christi est infinita, non est modus excogitabilis præcavendi à malo, & redimendi, qui ex ipsa haberi non possit; atqui modus ita à malo præcavendi, ut non solùm à malo, sed etiam à periculo mali aliquis sit exemptus, & liber est excogitabilis, & æstimabilior: ergo ex Christi Redemptione haberi potuit. Hunc ergo fatemur in Virgine.

Rursus infrà lib. 1. disp. 1. à nu. 47.

229 Objicies tertiò: quia si Beatissima Virgo non fuit inclusa in pacto quoad originalem injustitiam, neque erit inclusa in pacto quoad justitiam originalem. Sequela videtur sequi & est absurda. Respondetur nec absurdam esse sequelam, nec inferri. Nò infertur: bene enim potest quoad unum includi Beatissima Virgo in pacto: & quoad aliud, excipi. Quid enim absonum apparet in hujusmodi pacto: si præceptum observes, volo quod justitiam derives in omnes Posteros, nullo excepto: si verò non observes, Malitia erit communis, excepta Matre Filii mei? Nec est absurda: quia Beatissima Virgo cum Filio præfinita est ut omnium Creaturarum finis & Caput, cum incomparabili excessu ad omnem gratiam Ascendentium suorum & Descendentium: non ergo gratiam originalem habere dicenda est ex vi pacti, sed ex singularissimo Dei amore, quo Adamum & omnia condidit.

230 Objicies quartò: Beata Virgo subjecta morti fuit, neque gavisa est singulari dono impassibilitatis, quo frueretur, Adamo non peccante: ergo id habuit, quia peccavit in Adam. Respondetur; mortem & alias molestias, quibus obnoxia vixit Beatissima Virgo, non esse peccati pœnam in Virgine, sed naturæ conditionem, à quâ noluit Deus exemptam Virginem, sicut nec Filium, ad negotiũ Redemptionis.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO III.

CAVSÆ MERITORIÆ INCARNATIONIS.

Methodus decidendi

1 DE Causa Motivâ, & Finali Incarnationis rectà descendimus ad Moralem, & Meritoriam: de quâ gravissimas controversias excitant, Moderni præsertim Scriptores, tam de facto, quàm de possibili. Sed ut ipsæ evolvantur solidè, recurrendum est ad generaliora principia, de quibus nisi constet, nihil in præsenti potest tutò decidi. Quare eam hic ego methodum jamdiu probo, ut imprimis præmittantur, & fundentur Principia, & quasi bases disputationis, & exinde fiat planus, & facilis descensus ad quæstionum, quæ hic occurrunt, resolutionem: id quod ita præstabimus.

SECTIO I.

EXPLICATVR, ET STATVITVR MERITI divisio in Remunerandum, & Solutivum.

§. I.

TERMINI CONTROVERSIÆ, ET Authorum judicia.

Termini.

2 MEritum Theologicum, (de hoc enim nobis est principalis consideratio) ex communi Theologorum calculo est: *Obsequium supernaturale Deo factum, movens, quâ tale, ad collationem alicujus Doni.* Cujus definitionis particularis expensio videri potest apud Theologos *in Tractatu de Merito* Ex multis divisionibus, quæ ibi tradi solent, maximè celebris est his temporibus illa, quæ Meritum secat in *Remunerandum*, & *Solutivum*. Quæ nos membra explicare hîc aggrediimur, & statuere.

3 *Remunerandum* est, Meritum movens, *quia est*, seu *quia positum* est. Id enim speciale genus movendi, additum explicato conceptui Meriti, constituit speciem *Remunerandi*. Ex hoc modo movendi dicitur causa moralis efficiens, seu causare ad modum causæ efficientis: quia sicut causa efficiens, ut causet effectum, præsupponitur existens ad ipsum; ita similiter Meritum remunerandũ, ut inducat motivè, seu moraliter effectum suum, præsupponi debet præexistens ad ipsam executionem præmii. Id quod est commune omnibus iis rebus, quæ dicuntur Causæ Morales efficientes alicujus effectûs, ut patet in Sacramentis respectu Gratiæ: & in Dispositionibus respectu formæ introducendæ: quare *id quod est causa per modum efficientis, nullo modo est posterius tempore eo, cujus est causa*, ait omninò Angelicè Sanctus Thomas *quæst. 29. de Verit. art. 6.* loquens de Merito remunerando. *S. Thomas.*

4 Vnde Movere Meritum, *quia est*, est movere, *quia absolutè prævisum existere*, ut alii communiter exponunt: seu, ut ipse sentio, est causare, *medio voluntatis affectu, ut præexistens, & rem ipsò posteriorem*, ut loquitur Sanctus Thomas; sive quia obsequii jam existentis absoluta prævisio præcedit, & inducit volitionem executivam præmii, ut fit in nobis; sive quia decernitur præmium esse ex præexistentia obsequii, pòst, & propter ipsum, ut fieri debet in Deo, cujus nempe decreta, & affectus non subsunt imperfectioni, & causalitati passivæ Nostrorum, ut explicuimus *disp. 1.*

5 *Solutivum* econtrà non movet ad modum causæ efficientis, & præcedendo præmium, sed *ad modum finis*, & subsequendo præmium, & dicitur movere non *quia est*, sed *ut sit*, vel *in spe quòd erit*. Ex hoc autem speciali modo movendi contrahit genus meriti

riti ad speciem suam, & *à Remunerando* differt. Quem movendi modum ut exerceat, neque in Deo, neque in nobis requiritur nisi securitas, & præcognitio de eo, quòd erit, ut in spe ipsius, & ex ipsius intuitu anticipetur collatio doni, recompensanda per obsequium, & persolvenda, cùm sit. Et exinde dicitur Meritum *recompensativum, & per modum pretii, & solutionis*: se enim gerit in hoc genere Præmians adinstar venditoris, qui quidem dat merces, non pecuniâ numeratâ, & soluto jam pretio, ut poterat, attento jure in re suo, sed intuitu pretii & in spe solutionis ponendæ. Quo in exemplo satis elucet modus, quo utraque hæc species Meriti imitatur contractum *emptionis, & venditionis*: nam *Remunerandum* sapit contractum *do quia facis*, cùm nempe dat venditor merces, quia pretium solutum est: *Solutivum* sapit contractum, *do ut facias*, cùm nempe dat venditor merces, in spe pretii pòst solvendi.

6 Tria verò ad pleniorem intelligentiam Meriti solutivi notanda sunt. Primum: quòd licèt id genus meriti moveat adinstar causæ finalis; non quæcumque res vel movet ut causa finalis, vel est apta movere, sit eo ipso Meritum solutivum. Ratio est evidens, quia Meritum solutivum præter specialitatem movendi, requirit alia multa, ex quorum nempe defectu, desinet illa movendi specialitas assurgere ad speciem Meriti. Sic apud communem Sententiam, licèt ad rationem meriti requiratur movendi genus adinstar causæ efficientis, non eo ipso, quæcumque res ita movet, jam est apta participare rationem meriti.

7 Secúdum: Licèt istius meriti sola præcedat conditionata securitas, & præcognitio ad volitionem collativam doni intuitu talis obsequi, & ut moveat; tamen ipsum, non movere, ut præcisè conditionatum, sed ut absolutè futurum, & existens. Ratio est: quia non movet *ut est*, sed *ut erit*, nec *ut videtur*, sed *ut speratur, & intenditur esse*: sic solà prælucente notitiâ de existentiâ salutis possibili, amamus, & desideramus existentiam absolutam ipsius.

8 Tertium: Licèt hoc genus meriti moveat, *ut erit*, & *quando non est*; non tamen solvere nisi *cùm est*, & *quia est*; & tunc reipsà, & exercitè meritum esse: nam tunc dissolvit obligationem, quam per anticipationem doni, & ipsius acceptationem incurrit Donatarius, faciendo rem ex ipsà acceptatione jam suam, dependenter à pretio, quod nunc solvit. Ex his describi poterit Meritum solutivum: *Obsequium movens Præmiantem ad anticipationem præmii, ut speratur absolutè futurum, solvensque, & recompensans, ut actu existens.* Et his circa utriusque Meriti Naturam dilucidè positis.

Punctum Controversiæ.

9 Offert se gravis controversia: an hæc utraque Meriti species agnosci debeat, & admitti intra lineam Meriti rigorosi. Et quidem Remunerandum nemo est, qui neget, aut posit. Certum enim est Deum dare Gratiam homini, quia meretur, & dignus est. Tota lis volvitur ad Solutivum: de quo *triplicem* video dicendi modum. *Primus* est eorum qui maximè detestantur id Meriti genus, rati nomina in eo potius, quàm rem ullam involvi, atque adeò relegandum non solùm à confinio meriti, sed etiam Scholarum: ita inter alios animosius Alarcon, Ripalda, Aldretus, Prudentius, Oviedus, & Godoy; quos imitantur Moderni, quiâ vident per hæc pessundari, & destrui necessitatem Divinæ divisibilitatis in decernendo: de quâ *supra disp. 1.*

Negant cũ Stomacho, & fine tau de Alarcon. Ripalda. Aldrete. Prudent. Ovied. Godoy. Recent.

10 Alter est eorum, qui dicunt *Primum*: rem assertam ab iis, qui defendunt Meritum solutivum, à nemine negari posse: quis enim neget, posse rem anticipari in spe obsequii pòst futuri? *Secundum*: quæstionem esse de puto nomine: an id donandum sit voce Meriti, & præmii. *Tertium*: donari voce Meriti, & præmii, non debere: quia hæ voces aliter hucusque usurpatæ sunt. Sic novissimè quidam Recentiores: Quorum in discursu, prima pars certissima est, sicut & negari non posse rem, aut movendi modum, qui sub nomine meriti remunerandi venit.

Rem de Nomine censent

Nonnulli Moderni

11 Secunda pars dicitur liberè: cùm enim quæritur: an id quod nomine Meriti solutivi venit, possit dici propriè meritum, non quæritur de voce, sed de conceptu meriti Theologici: quæritur de re, quæ sufficiat asserta, vel negata ut Christum facias Redemptorem, vel non; ut hæresim vites, aut non. Id quæritur: decidatur autem ex Theologicà ratione, an conceptus meriti Theologici quo salvari Scriptura, & Fidei veritates possint, cadere possit in modum obsequendi, quem suprà descripsimus.

12 Tertia pars etiam mihi videtur dicta liberè. Primò: quia non quærimus ethymologias nominum, sed rationes essentiales Rerum. Secundò: quia lis est maxima inter nos, pro quibus nempe stet authoritas Theologorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

gorum in præsenti. Id omnibus compertum esse debet, anticipationem doni intuitu operis nondum positi, sed ponendi, dictam hucusque ab omnibus præmium, ut constat in Christo Domino.

§. II.

IVDICIVM NOSTRVM.

Affirmans

13 TErtius dicendi modus est eorum, qui descriptam suprà rationem meriti solutivi admittunt ut rationem proprij meriti, atque adeò eam speciem non solùm possibilem adstruunt, aut utilem, sed unicè necessariam pro explicandis gravissimis controversiis, quæ hic occurrunt de merito Christi circa Gratias ante ipsũ, & ipsius intuitu collatas. Sic jamdiù insinuarunt Suarez, Vazquez, Lorca, Alvarez, Vincentius, Montoya, Ragusa, quorum loca vide apud Oviedum *contov. 5. de Merito, punct 6.* sic apertè tuentur Koninch *disp. 4. & 5. de Incarnatione*, & latiùs *tom. de Actibus supern. disp. 8. dub. 7.* Gregorius de Valentia *in 1. part. disp. 4 quæst. 13. punct. 2. §. sed quicquid sit, & in 3. part. disp. 1. quæst. 19. punct. 3. nisi. præcipua enim ratio.* Lorinus *in Psalm. 44 vers. 8. §. sensus.* Granadus *Controv. 8. tract. 12. disp. 4. num. 10. & 14.* Vvadingus *disp. 10. dub. 4.* & gravissimæ notæ Magistri tam hujus Aragoniæ, quàm Toletanæ Provinciæ secuti Doctissimum Theologum è Nostris, Cathedrã *Complutensem*, gente *Aragonium*, Patrem Ioannem Antonium Vion, quem in erudito suo tractatu *de Incarnatione disp. 5. sect. 1. num. 14* demùo laudat, & sequitur, advocatis huc etiam aliis, Pater Thomas Manicssa, Propugnator acerrimus hujus meriti. Quæ sententia jamdiù mihi placet, & censeo rationem, quam explicui, *Meriti solutivi*, seu *Recompensativi*, esse rationem meriti *proprii*, & *rigorosi*: atque adeò divisionem meriti in duplicem speciem *Remunerandi*, & *solutivi*, maximè veram, & propriam esse. Quam thesim

Inter alios certò

Koninch.

Valentia.

Lorin.

Granad.

Vvading.

Ioan. Ant. Vion.

Thomas Manicssa, & Doctiss. Magistri Quibus assentior.

14 Ostendo primò: Essentialis ratio proprii Meriti tota convenit Merito solutivo: ergo meritum solutivum est species proprii, & rigorosi Meriti. Probo antecedens: sola deficit Merito solutivo, ex his, quæ requiruntur ad speciem proprii meriti, conditio præcessionis ad præmium, & motionis per modum causæ efficientis; atqui sine hac conditione stat tota ratio essentialis proprii meriti: quod unum est hìc difficile, & ostendò: primò: quia ut benè notat Pater Valentia, Definitio Meriti traditur ab omnibus cum præcisione à modo causandi, & movendi. Secundò: quia potest dari essentialis ratio præmii sine subsecutione ad Meritum, & sine istius efficienti causalitate in ipsum: quippè causalitas efficiens in præterium, exerceri non potest: & quidem præmium potest habere rationem præcedentis, & præteriti; ut patet in Gratiis à Deo collatis Antiquis Patribus, intuitu meritorum Christi: ergo è conversò tota ratio essentialis proprii meriti stare potest, sine conditione præcessionis ad præmium, & causalitatis efficientis in ipsum.

Valentia.

15 Dices: præmium posse quidem reipsà præcedere, subsequi tamen debere ad existentiam prævisam meriti. Contra primò: ergo sicut ratio essentialis meriti præscindit à præcessione temporis, aut naturæ; cur non etiam præscindat à præcessione temporis, Naturæ, aut motivi? Contra secundò: stare potest ratio essentialis præmii cum præcessione ad absolutam existentiam meriti: ergo etiam ad existentiam absolutè prævisam meriti. Probo hanc consequentiam: quia quòd præ ideatur absolutè existentia meriti, si anticipetur præmium, stat actualis ratio præmii sine actuali merito, & cum solà spe illius, ut pòst futuri: quippè prævisio meriti non est meritum: ergo cum spe meriti, & sine ipsius actualitate, dari potest ratio essentialis præmii. quod unicè intendimus in merito solutivo.

16 Ostendo secundò, & confirmo præcedentia: Ratio meriti, & præmii imitantur Naturam, & rigorem contractûs Commutativi, & onerosi: ita ut meritum sit loco pretii, & præmium loco rei emendæ, vel emptæ; atqui Natura, & rigor contractûs commutativi & onerosi, præscindit ab eo, quòd merces detur: *quia est* pretium; vel anticipatò *in spe quòd erit*, vel *ut sit*: utroque enim modo commutatio fieri solet, & potest propriissimè: ergo similiter meritum, & præmium præscindit ab his differentiis; & per utramque propriissimè fit: ergo species meriti solutivi est species propriissimi meriti. Duæ consequentiæ patent: & minor est evidens. Major autem negari non potest ab eo qui Scripturas Sacras evolverit: ubi dicitur: *empti enim estis pretio magno: venite, & emite absque argento.* Et passim, qui merentur, comparantur his *qui laborant in vinea pro denario*

nario diurno, & stipendio: non ergo est ex nostro cerebro, & libera ista comparatio, per quam arguimur, ut objectant aliqui moderni, sed cruta ex Sacris Scripturis. Vnde vanus est recursus ad lexica, ut dicatur latius, & latiùs patère pretium, quàm præmium, & meritum: nam hujus laxitatis aliùde sumenda est ratio, nempe quòd ratio pretii non semper dicit rationem obsequii, quę ad meritum omnino requiritur. Et exinde patet vanò nobis ab alio objici, fore, ut, quoties homines contractus celebrant, mereantur.

17 Ostendo tertiò: Modus ille movendi adjunctus obsequio aliòquin honesto, & condigno sufficit ad proprium Meritum, qui perse sufficit, ut collatio doni, intuitu ejus facta, non sit, & maneat simpliciter gratuita, & liberalis; atqui modus ille movendi, quem suprà explicui in merito solutivo, ad id per se sufficit: ergo sufficit ad proprium Meritũ. Difficultas est in præmissis: quarum major mihi certa est ex ipsis terminis. Primò: quia collatio talis doni est empta obsequio; atque adeò præmiativa: repugnat autem rem esse præmium, aut emi obsequio non habente rationem meriti. Secundò: quia nequit obstare gratuitati, & liberalitati simpliciter, nisi ratio pretii condigni ex parte Donatarii: pretii autem ratio in obsequio, ratio meriti est. Tertiò: quia non aliùde possumus ostendere rationem meriti remunerandi in operibus nostris. Minor autem est mihi etiam evidens: primò: quia contractus, *do ut facias*, est simpliciter onerosus, non minùs quàm contractus, *do quia facis*: Modus autem meriti solutivi est imitatio contractûs, *do ut facias*. Secundò: quia qui dat ex fine tantundem accipiendi, non dat gratis simpliciter, ut patet in anticipante merces pro pecuniâ creditâ: atqui modus meriti solutivi id habet, ut qui donum anticipat, id præstet ex fine tantundem accipiendi. Veræ sunt igitur præmissæ, ex quibus legitimè convincitur rigor, & proprietas meriti solutivi.

P. Suarez.

Koninch.

Herize.

Aldrete.

18 Ostendo demum exemplo familiari, cui testatur Pater Suarez *tom. 1. in 3. part. disp. 10. sect. 4.* nunquam ab Adversarijs plenè satisfieri, & de quo videndi Koninch *loc. cit.* satis urgens, & Herize doctè pro satisfactione laborans *disp. 28. cap. 3.* quem imitantur alii, & maximè Pater Aldrete *tom. 2. in 1. part. disp. 15. sect. 8. & disp. 17 sect. 1. & 2.* Id ergo pro rei posibilitate, quam unicè intendo, sic instruo: sit Princeps qui præsciat, si anticipet Militi annonam, equum, & arma; mò & officiũ Centurionis in exercitu, fore, ut sibi magnas victorias obtineat, quæ nempe pares omninò sint rebus, & dignitati quas anticipat. Nunc sic: Potest hic Princeps dare hæc omnia in spe futuri, quod præscit, obsequii, Militi, ea singula facturo per obsequium sua, cum vincat: quid in hoc potest absurdi misceri? At Rex neque gratis anticiparet, neque miles gratis acciperet: ergo Rex anticiparet in præmium, & Miles simpliciter vincendo mereretur.

19 Quæ singula patent: nam Rex, intuitu, & sub onere obsequii tantundem valentis, militi anticipat ea dona: &, miles vincendo quasi solvit & facit sua. At hæc est natura meriti solutivi. Vt enim Rex in prædicto casu moveretur, prælucentè præscientia obsequii militaris sub conditione, ex ipsa militaris obsequii existentia quam optat: & anticiparet dona propter obsequium militare, non quia existit, sed ut existat, nec quando est, sed in spe quod erit, & recompensandus, quando sit: & ut miles accipit dona non gratis, sed propter obsequium, non quidem præsens, sed præstandum, atque adeo facit sua dependenter ab obsequio, per quod solvet abunde, cùm obsequatur: sic dicimus posse anticipari à Deo dona, securus de obsequio Donatarii, & quasi in spe, dando, non quia Donatarius est dignus, quando datur donum, sed in spe, quòd erit, seu ut sit dignus: quo nempe onere solvendi sit præsens anticipatio. Per quæ satis dilucida manet Natura, & proprietas meriti de quo loquimur. Videò M. Lumbier, hæc sibi objicientem ex me, *quæst. 34. de Incarnatione à num.* 2097. Sed cur immoremur ultra, non video. Vide *infrà à nu. 34.* & Patrem Manicssa, *de Incarnatione disp. 5. à nu. 66.* Lumberii solutiones præoccupantem in simili contra P. Iunium.

M. Lumb.

P. Manicss.

§. III.

ARGVMENTA CONTRARIA.

Augusti. & Thom.

20 OBjicies in primis Augustinum, & Thomam, illum *lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 25.* hunc *quæst. 29. de Verit. art. 6. Corp.* & ille sic habet: *Vita æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere meritum, & prius homini dari, quam dignus est.* Quid *enim hoc injustius? & quid justius Deo?* Non ergo debemus

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus poscere præmium, antequam mereamur accipere. Hic sic habet: *Meritum est causa præmii, non quidem per modum causæ finalis: sic enim magis præmium est causa meriti, sed secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium disponit: id autem quod est causa per modum efficientis, nullo modo est posterius tempore, eo cujus est causa: unde non potest esse quod aliquis mereatur, quod jam habet.* Quæ duo loca adeò videntur contra Doctrinam supra traditam evidentia, ut non mirer ex illis contra nos exultare nimis Esparzam: qui tamen satis vidit excludi per hæc ipsa Discursus Modernorum, qui nos hîc impetunt: cùm Augustinus & Thomas æquè videantur temporalem Meriti præcessionem asserere. Et hinc

His locis exultat Esparza.

Sed immeritò.

21 Constat apertè Thomam, & Augustinum aliud omninò velle, & necessariò passuros interpretationem nobis mirè faventem. Nam neque illi, neque Theologi, quibuscum disputamus, negare possunt aliud genus meriti distinctum ab eo, de quo Thomas, & Augustinus: Arguo enim sic: Meritum, de quo Thomas, & Augustinus, est meritum causans in genere causæ efficientis, atque adeò cum præcessione non patiente posterioritatem temporis respectivè ad præmiũ; atqui datur meritum causans cum posterioritate temporis, atque adeò modo, qui non sit causæ efficientis: ergo ex ipso Augustino, & Thoma datur meritum quod intendimus nempe Meritum Solutivum causans non per modum causæ efficientis, sed finalis. Major tam certa est, quàm ipsa verba supra relata ex Augustino, & Thoma. Minor verò negari non potest, nisi velimus negatum ab Augustino, & Thoma, Christum Dominum non meruisse Patribus se prioribus gratias antè collatas.

Arguimus exinde.

Mens Aug & Thom.

22 Respondeo igitur primò: loqui utrũque Doctorem limitatè de genere Meriti Remunerandi: cujus nempe de ratione est non subsequi tempore ad collationem præmii: quare contra meritum Solutivum nihil exinde contra nos est. Quæ veritas ut omninò pateat, Singillatim respondeo secundò: utrumque loqui de Merito juxta leges ordinariæ Providentiæ, & nobis communi: quod constat Remunerandum esse. Nam D. Thomas apertè agit contra Alensem, & alios, qui principium meriti ajebant dari ex meritis subsequentibus, adstruendo de facto in nobis genus illud meriti, quod nos etiam de facto negamus. Sanctus Augustinus, ut bene vidit Godoy *de Incarnatione disp* 50. §. 2. *num.* 8. & 9. manifestè loquitur, juxta præscriptum præsentis Providentiæ, quæ post adeptam Beatitudinem negat spatium merendi: unde pulcherrimè Manichæos increpat, quasi velint Beatitudinem propter merita post ipsam futura, cùm id sit velle præmiũ propter merita, quæ nunquam erunt: siquidem post adeptam Beatitudinem nulla merita futura jam sunt. Quòd si videtur Augustinus generaliter loqui, (addit author ipse *num.* 10.) intelligendus est juxta interpretationem adhibitam de merito nobis communi, ne Augustinus negare videatur Christo meritum respectu gratiarũ anticipatò collatarum Patribus Veteris Testamenti.

Ill. Godoy.

23 Objicies secundò: errorem Massilienſium, in quem incidere videtur inventio Meriti Solutivi. Nam Massilienses ajebant, inter alia, merita conditionata præmiari: nos dicimus merita priusquam videantur absolutè existentia; movere meritoriè: ergo dicimus id per quod errabant Massilienses. Sed ab hac notâ jam liberavêre Doctrinam docti Theologi apud Oviedum; cujus tamẽ, Aldretique & aliorum scrupulis denuò subnascentibus ut plenè satisfiat, & pateat quàm magnum Nos inter, & Massilienses chaos interſit, repræsentandus est error Massiliensium & tenor nostræ Doctrinæ.

Ovied. Aldrete.

24 Errabant Massilienses primò: quòd dicerent Merita conditionata, à quibus sumebant initium justificationis, & discretionem reprobi ab electo, esse merita è solis naturæ viribus oriunda. Secundò: quòd dicerent ea merita, vel demerita, etiam purè conditionata, & in statu conditionato mansura, fuisse Deo rationem electionis ad gloriam in electis, & reprobationis ad pœnam in reprobis. Tertiò: quòd eorum aliquid visi sunt dicere, merita ea conditionata, licèt à gratia oriunda, & extitura, de facto esse rationem cur his potius, quàm in illis anticiparetur meritoriè justificationis initium. Id autem, in quo tertio desipiebant, non adeò constans est nec fuit Massilienſibus commune: aliqui tamen arripuere ad fugiendam erroris invidiam.

Massiliensium error qualis?

25 Nihil horum trium nos dicimus. Primò dicimus, merita, quibus sive Solutoriè, sive remuneratoriè, comparetur supernaturale præmium, neque prævideri facta solis naturæ viribus, neque fieri posse. Secundò dicimus, demerita, quæ prævidentur condi-

tio-

tionatè, movere non posse demeritoriè ad pœnam: neque enim eundem tenorem doctrinæ servamus in demeritis, ac in meritis. Tertiò dicimus de meritis factis ex auxilio gratiæ, si vim exerceant meriti Solutivi, ea licèt conditionatè solum præviſa, nõ utcumque movere, ut præcisè conditionata, & quia conditionata sunt, sed ut absoluta sint: atque adeò non movent, ut præcisè sunt, sed ut erunt: movent enim ut sperantur esse, nempe absolutè: quo nempe statu solvent, & exercebunt rationem meriti, non manentia in statu conditionato, sed posita jam in absoluto. Vbi *quatuor* distinguenda sunt. *Medium*, quo movent: *Tempus* quo movent: *id* per quod movent: *& tempus* quo merentur & solvunt. Movent, Mediâ Scientiâ conditionatâ, & movent, quando non sunt: movent tamen ratione existentiæ absolutę, & in statu absoluto merentur, & solvunt. Quæ omnia studiosè explicui, & anticipavi *suprà num.* 6. 7. & 8. denuò revidendis. Quartò dicimus, id genus meriti, licèt alioqui possibile, de facto, & juxta leges præsentis Providentiæ, non habere locum: cujus rei dabo rationem solidam *infrà*. Quintò dicam ipse, principium immediatum meriti neque in alia quidem providentia cadere posse in hoc genus meriti. Quid ergo nobis est commune cum Massilienſibus?

Suprà à nu. 7.

Infrà à nu. 29.

26 Objicies tertiò: Movere per modum Finis, & movere per modum Meriti sunt modi movendi invicem contrapositi; sed Meritum Solutivum movet per modũ finis: ergo non movet per modum meriti. Minor est nostra, & major ostenditur: primò: quia omnis motio finalis esset meritoria motio, quod ridiculum est. Secundò: quia Deus eligit nos ex Apostolo, & anticipat gratiam suam, ut simus Sancti: non tamen perinde mereri dicimur electionem, & gratiam. Tertiò: imò PP. Arausicani cum Augustino, & Hieronymo contra Pelagium, ex eo quod Apostolus dicat, *elegit nos, ut essemus Sancti*, ubi significatur finalis motio, sub inferunt tenacissimè, non mereri nos electionem, nec dari ex meritis: ergo quia planè censent diversissima esse, movere per modum finis, & movere per modum meriti: alioqui inutilis esset, & inepta consecutio Patrum.

Pelagii error qualis?

Arausic. August. Hieronym.

27 Incipio ab hoc, quod in speciem urget. Et noto Pelagium duo dixisse. Primũ: Gratiam, & electionem dari à Deo propter merita antecedentia orta ex viribus Naturæ. Secundum, justificationis initium juxta communis Providentiæ leges cadere in meritum. Oppoſuere contra utrumque Patres Apostolum, tùm quoad illa: *elegit nos, ut essemus Sancti.* Tùm quoad alia; *si autem gratia, jam non ex operibus.* Et ex utroque textu utrumque Pelagii errorem validè rejecerunt: ex primo primum: subinferentes sic: si Gratia datur ut simus Sancti atque adeò ut mereamur: sine gratia enim, quæ, ut ait sæpe Augustinus, dat ipsa merita, non est meritum, quomodo possumus ipsam antecedenter mereri? Ex secundo secundum; subinferentes sic: si Gratia data ex operibus, non est gratia: quomodo gratiam agnoscitis, & contenditis de facto pendere ab operibus vestris? Patet ergo Mens Arausicani, & Augustini contra Pelagium unicè, intentum merito remunerando, & quidem viribus naturæ facto: & patet consequentiæ bonitas, quin ullo modo possit inde contra meritum Solutivum argumentum sumi: illi enim, qui solum loquitur de merito remunerando respectu gratiæ, si neges id genus meriti, quod præstitit Augustinus & Arausicanum, toto te Cælo opponis.

SS. PP. Methodus in arguendo contra Pelagium.

28 Dices: quid si urgeret Pelagius, ex eo quòd Gratia detur ut simus Sancti, & nõ quia eramus, ut Augustinus arguebat, concludi quidem non dari gratiam ex meritis remunerandis: non verò concludi non dari in spe futurorum ex ipsa Gratia, atqueadeò ex meritis Solutivis? certè deficeret Augustini consequentia: non ergo salvamus efficaciam ejus in argumento, nisi negatâ specie meriti solutivi. Dico id nusquam à Pelagio dictum: neque unquam impugnatum ab Augustino semper intento ad modum erroris Pelagiani, & tenorem præsentis Providentiæ, & juxta utrumque optimè concluſisse. Deinde si id dixisset Pelagius, non constat in eo præcisè fore hæreticum, ut tenet Vazquez *in* 1. *part. disp.* 89. *cap.* 4. *&* 5.

P. Vazq.

29 Addo etiam si huc recurrisset Pelagius, argumentum Augustini fuisse optimum, datâ & non obstante possibilitate meriti Solutivi. Nam *tria* supposuit. *Primum*: versari nos in lege Providentiæ, in qua ex Scripturis constat, gratiam non dari ex operibus. *Secundum*: juxta leges præsentis providentiæ, non admitti nostra opera nisi pro præmiis subsequentibus. Tùm quia in Scripturis nunquam fit mentio præmii anticipati, sed promissi: Tũ quia per præmia gratiæ, & glorię subsequentia ita exhauriuntur, & cumulantur etiam ultra condignum nostra opera,

Augustini mens, & modus arguendi cõtra Pelag.

Universidad de Deusto
P. Suarez
Biblioteca

ut non reſtet in ipſis valor anticipatò præmiandus. Tùm quia voluit, ut bene ponderat Suarez, in hac lege Deus dare nobis gratis principia merendi, ut augeatur præmium in futurum: quâ ſpe facilè accingamur in opera. *Tertium* proinde: quoad nos in hac providentia non eſſe meritum, niſi movens, quia eſt. Ex quibus patet arguiſſe Auguſtinum optimè, & omne genus meriti ſatis excluſiſſe, excluſo merito, quòd unicè juxta præſentem providentiâ exercere poſſumus: alia autem genera meriti, juxta alias Providentias, præſenti inutiles, non curavit: ut neque ipſe neque alii Eccleſiæ Patres curare ſolent in ſimilibus Controverſiis.

30 Reſpondeo jam argumento. Diſtinguo majorem: Movere per modum finis, & per modum remunerandi contraponuntur, concedo. Per modum meriti Solutivi, nego. Ad primam ejus probationem, negatur aſſumptum ex *num* 6. ſicut non ex eo quòd modus movendi adinſtar cauſæ efficientis ſit de ratione meriti Remunerandi, omnis hujuſmodi movendi modus debet eſſe meritorius. Ad ſecundam dedi jam rationem cur licèt Deus eligat nos, & det gratiam ex fine boni uſûs & rectæ operationis, nec dicatur dare ex meritis, & neque nos mereri dicamur: aliunde enim conſumitur valor noſtrorũ operum. Ad tertiam multifariam conſtitit bonitas & efficacia argumenti Auguſtiniani. *Nu.* 27. & 29.

31 Objicies quartò: Meritum Solutivũ non movet niſi ut conditionatè præviſum: ergo non movet niſi prout in ſtatu conditionato futurum: quò recurrit iterum error Maſſilienſium. Confirmatur: Merita Solutiva non ſunt meritoria, ſeu non exercent per nos vim meriti ante purificationem cõditionis à qua pẽdent: alioquin eſſent meritoria prout in ſtatu conditionato: ergo nunquã movent meritoriè ad collationẽ prẽmii: ergo ridiculè dicuntur merita. Probatur prima conſequẽtia: nam ea purificatio conditionis eſſet collario præmii: quis autem dicat meritum movere ad collationem præmii ſub conditione, quòd præmium collatum ſit?

32 Reſpondeo, diſtinguo antecedens: niſi ut conditionatè præviſum, id eſt, prælucente Scientiâ Mediâ, tanquam medio quo movet, concedo: id eſt, pro ſtatu Scientiæ Mediæ, tanquam re quæ movet, nego antecedens & conſequentiam. Iam enim adverti Meritum Solutivum, movere mediâ ſcientiâ conditionatâ, ratione futuræ & abſolutæ exiſtentiæ, quæ intenditur, & quæ ſatis cognoſcitur à Scientia Media, licèt conditionatè. Ad confirmationem, quâ Modernus exultat, conceſſo antecedẽte, nego conſequentiã. Merita enim ſolutiva licèt per rationem eandem moveant, & mereantur, aliter movent, & aliter merentur; movent quando non ſunt ratione exiſtentiæ, quam habebunt, quando ſunt: & merentur quando ſunt: id quod ſemper evenit in cauſa finali.

33 Ad probationem fateor ridiculum eſſe movere pro collatione rei, unicè quando & poſtquam res collata eſt; at non eſt ridiculum, eam mereri. Hoc dicimus, & non illud. Dicimus mereri collationem jam factã, ſolvendo pretium pro ipſâ, quæ ratione ipſius anticipatò data eſt: dicimus autem movere antequam ſit, ut anticipetur præmium, quo poſito erit & ſolvet: Id quod vides in fine contingere, qui movet antequam ſit, ut ſit medium, quo poſito erit.

34 Objicies quintò: Inverti per id genus meriti Naturam Meriti, & præmii: & conditiones Præmiantis, & Merentis. Primò: quia ſic anticipans præmium daret præmium gratis: quod eſt contra rationem præmii: gratis enim dat, qui nullâ obligatione, aut præſenti Donatarii dignitate urgetur, ut det. Secũdò: quia ſic potiùs præmians diceretur mereri ſubſequentem Solutionem, quàm qui meretur, & ſolvit. Tertiò: quia qui præmiatur, operatur ex obligatione: hîc autem nulla poteſt eſſe obligatio præmiandi: imò obligatio transfertur in merentem: & neque in hunc, ſi notitia deſit. Quartò: Meritum inſtitutum eſt in ſpem præmii, & præmium in incitamentum recti proceſsûs: quæ rationes omninò inverturntur, ſi de ratione præmii non ſit ſubſequi: deque meriti ratione, præcedere.

35 Reſpondeo, negando quod aſſumitur. Ad primam probationem. Nego antecedens: neque enim dat gratis, qui dat interpoſito pacto laboris tantidem valentis: ut accidit in anticipante merces pro pecuniâ creditâ: quod autem ſine obligatione det, facit quòd det gratis ſubjectivè, non verò quòd objectivè, & ſimpliciter gratis det. Nego etiam ſecundam ſequelam: quippe rationem meriti ſolùm habere poteſt actio quæ habeat rationem obſequii ſive præcedat ſive ſubſequatur; ſolùmque poteſt habere rationem merentis Perſona, quæ obſequitur, & ſervit, ſive obſequatur, quia remunerata jam eſt, & ſolvens: ſive ut remuneretur, & obligans: ſicut ſemper habet rationem pretii Monera, & Emptoris qui dat eam, ſive det pro mercibus anticipatò, ſive non. Ad tertiam, dico, præmiantem ſemper operari ex obligatione non exigendi plus quàm præmium valet: ſi verò præmium ſit in linea remunerandi, operatur ex obligatione præmiandi: non verò ſi præmium ſit in linea anticipati: non enim tunc penès præmiantem eſt obligatio: quippe non tenetur anticipare: ſed penès merentem: cui pro accepto jam dono in ſpe ſolutionis, incumbit ſolvere ſive ex obligatione juſtitiæ, ſive gratitudinis. Quid, *inquies*, ſi neſciat, datum cum hoc onere, vel reſpectu, donum? dico, præſtiturũ ſolutionem materialem, non formalem. Ad quartam reſpondeo eam doctrinam quadrare noſtris meritis, quippe unicè remunerandis, juxta præſentem Providentiam: ex quâ nequit inferri alterius impoſsibilitas, & ab ipsâ excludi modus alter merendi. Deinde præmium, ſive ut finis aſſequendus, ut accidit in viâ Remunerationis, ſive ut obligatio anticipata, ut accidit in viâ Solutionis, ſemper retinet, diverſimòdè tamen, vim excitativam recti proceſsûs, & operationis honeſtę.

36 Objicies ſextò: multa hinc abſurda ſequi. *Primum*: ſi opera conditionatè prævisa ſufficiunt ad movendum meritoriè, certè non defuerunt Iudæ: & cuinam deſint? *Secundum*: juxta hoc genus meriti præmiari poſſe Petrum v.g. ratione operum, perquæ non eſſet laudabilior Iudâ: nam Iudas forte feciſſet eadem opera, ſi habuiſſet eadem auxilia. *Tertium*: diſcretionem præmiati à non præmiato non poſſe revocari ad opera ipſorum, ſed ad volũtatem præmiantis. Nam poſſunt eſſe in ſtatu conditionato ſub eiſdẽ, aut ſub diverſis auxiliis paria utriuſque operis: quòd autẽ hic, & nõ ille in ſtatu abſoluto habeat, penès præmiantem eſt. *Quartum*: ſi ita licet fingere genera meritorum ex modo movendi *quia eſt*, & *ut ſit*, cur non fingantur novæ ſpecies ex modo movendi *quia fuit*, & *quia erit*? *Quintum*: fieri exinde, poſſe etiam anticipatò puniri delicta: quod ſi hoc negemus: quia innocens, quandiu eſt innocens: jus habet ne puniatur: etiam qui non eſt dignus, quandiu non eſt dignus, non habet titulum cur accipiat præmium. *Sextum*: fieri exinde, quòd principiũ meriti cadat ſub meritum, quod meritò horret communis Theologia. *Septimum*: non fore rationem cur de facto non dicamur mereri primum auxilium Gratiæ, cùm detur ex fine noſtræ bonæ operationis. *Octavum*: poſſe idem meritum, & remuneratoriè præmiari, & ſolutoriè: cùm uterque meritoriè movendi modus cadat in idem obſequium.

37 Reſpondeo negando quod aſſumitur. Ad Primum, jam præmonui, quod licèt merita Solutiva moveant, mediâ ſolum ſciẽtiâ conditionatâ, movere ratione ſtatûs abſoluti: in quo certè defuerunt Iudæ, & deſunt multis opera pietatis. Ad ſecundum, patet exinde, præmiari Petrum ratione operum, quibus reipsâ fiet laudabilior Iudâ, nec operante laudabiliter per auxilia quæ habeat, nec habente auxilia, quibus laudabiliter operaretur, miſerandus in iſto, culpandus in illo. Ad tertium dico diſcretionem prẽmiati à non præmiato, ſumi quidem à Deo reſpectivè ad opera eorum: quorum eſt ſumma diſparitas in ſtatu merendi: quòd autem hæc primariò, & originaliter reducatur ad Deum, parum refert in præſenti, cùm in omni merito neceſſarium ſit.

38 Quartum ſolũ objici potuit ex incuriâ terminorum: ſicut enim Theologi ſolùm dividunt motiva in *quia eſt*, & *ut ſit*, includendo in illo *fuit*, *eſt*, & *erit*: ita, & nos genus meriti. Quidquòd movere *quia erit*, niſi ſit mediâ notitiâ abſolutâ de exiſtentia rei in certâ differentiâ temporis, quæ omninò ſolet ſignificari per modum movendi *quia eſt*, reſolvitur neceſſariò in modum movendi *ut ſit*: quia enim erit finis ex medio, medium pono, quod eſt ponere medium *ut ſit finis*, & *gratia finis*. Ad quintum, dico decere ex terminis anticipare præmium, ut ſit meritum: dedecere verò anticipare pœnam, ut ſit culpa. Quid quòd paritas magis urget Adverſarios, ut *mox* videbimus. Infuper exinde ſolum ſit præmiatum carere præſenti titulo, qui obliget; atque adeò præmiantem operari ſine obligatione præmiandi, quod fatemur. Ad ſextum dicam *ſect. ſeq.* quod ſentio. Quidquòd communis Theologia contenta eſſe debet ſi juxta communem Providentiam negemus principium meriti cadere in meritum. Ad ſeptimum prompta jam eſt ratio *nu.* 27. Ad ultimum, nego id fore abſurdum niſi obſequium vel ſolutoriè, vel muneratoriè exhauriatur ex integro. *Infrà mox à nu.* 50. *Vide ſect. ſeq.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

GENERALES CONCLVSIONES EX PRÆdictâ divisione legitimæ.

§. I.

PRIMA CONCLVSIO GENERALIS.

39 SIt prima Conclusio: Donum reipsâ præexistens nequit tanquam præmium cadere in meritum se ipso posterius, genere meriti Remunerandi. Ita Sanctus Augustinus, & Thomas apertè locis *suprà* citatis: idque saltem assequitur Pater Martinus Esparza *de Actibus humanis quæst.* 35. Ratio mihi unica est, quia Meritum Remunerandum, ut contradistinctum à solutivo id habet, ut nó causet existentiá prœmii nisi præcedendo reipsâ ad ipsum. Quod principium placet hic exornare, & ostendere variis arguendi formis, quibus antevertam molimina Recentium in oppositum.

Augusst. Thomas. Suprà à nu. 20.

40 Prima est: Genus meriti Remunerandi causat per modum causæ efficientis, & movet quia est: atqui in terminis implicat causare per modum causæ efficientis, & movere quia est, & alioquin reipsà subsequi ad existentiam præmii: ergo in terminis implicat, quòd meritum remunerandum reipsà subsequatur ad existentiam præmii: ergo, &c. Major est commune principium. Probatur minor: qui movetur ex merito per modum causæ efficientis, & quia est, dat prœmium ad exigentiam meriti, & quia homo reipsà dignus est: neque enim aliter explicari potest emphasis hujus causalitatis. Atqui dare prœmium ad exigentiam meriti, & quia homo reipsà dignus est, est ita præmium dare, ut ex modo dandi supponas & meritum esse, & hominem esse dignum dono, quod accipit: alioquin quomodo datur præmium ad exigentiam meriti, & quia homo dignus est? Nunc sic: dare ita præmium, ut ex modo dandi supponas meritum esse, & esse hominem dignum præmio, est ita dari præmium, ut necessariò supponas præcedere ad existentiam præmii, Meriti, & hominis digni existentiam: quomodo ergo componi cum his potest, quòd collatio præmii præcedat ad existentiam meriti, & dignitatis?

41 Secunda sit: urgendo id ipsum, & præcludendo solutionem communem, ex eo petitam, quòd Meritum, licèt causet per modum causæ efficientis, causat solùm moraliter, & mediâ sui prævisione: potest autem dari absoluta rei prævisio, antequam sit. Arguo sic: Causare moraliter, movendo *quia est* vel est, ut *num* 3. explicui, & opinor cum Sancto Thoma, decerni præmium esse pòst, & propter existentiam meriti, & ad istius exigentiam. & sic habeo intentum manifestè, ut ex ipsis terminis patet: vel est, ut vultis, Decretum, & prævisionem absolutam meriti præcedere, & inducere Decretum executivum Præmii: & hoc, prætertquamquòd est ex *suprà* discussis *disp.* 1 falsò assùptum, & impossibile, est planè insufficiens.

S. Thomas.

Suprà disp. 1.

42 Nam rogo: Vel præmians prævidens actum amoris crastinum, & anticipans hodie præmium, dat præmium, *quia reipsà est* actus amoris, & homo jam dignus est; vel *quia erit*? vel *quia prævidet fore*? Non primum: quia id est omninò falli, cùm reipsà neque meritum, neque dignitas modò sit. Non secundú: quia fore bonum nec est esse bonú; neque potest obligare, sicut neque facere hominem laude dignum: Nam actus amoris crastini non fundat titulum laudis, nisi cùm est; neque enim reddit hominem laude dignum, nisi quatenus reddit amantem: sicut ergo non reddit amantem, nisi cùm est; ita neque reddit hominem laude dignum: quomodo ergo præmiatur, quia dignus est? Non tertium: quia Decretum, & prævisio Dei, cùm non sit actus hominis, sed Dei, faciunt quidem nunc Deum moraliter honestum, & decernentem, ac prævidentem: hominem verò neque faciunt dignum, neque merentem, neque laudabilem: ea ergo prævisio salvare non potest, quòd Deus det, & homo accipiat præmium, quia dignus est.

43 Tertia sit, explicando magis id ipsú. Decerni, & prævideri à Deo absolutam existentiam meriti cras futuri, neque physicè, neque moraliter est existere hodie meritum, & dignitatem hominis: ergo decerni, & prævideri existentiam meriti cras futuri non sufficit ut meritum hodie dicatur causare moraliter, quia est, & prœmium poni ad exigentiam ejus per modum causæ moraliter efficientis. Consequentia patet: quia res quæ causat per modum causæ efficientis, aliquam debet habere existentiam, sive physicam, sive moralem.

44 Probatur antecedens primò: quia Decerni, & Prævideri existentiam meriti, & dignitatis cras futuræ stare potest cum actuali demerito, & indignitate physicè, & moraliter existenti Personæ, cujus prævidetur futura digniras. Secundò: quia in hoc quod est decerni, & prævideri à Deo rem alioqui futuram, nihil importatur quod sit exercitium alterius libertatis, quàm Divinæ: atque adeò nihil importatur formaliter imputabile homini. Tertiò: quia actiones quæ nec sunt, nec fuerunt, non dicuntur moraliter existere per id solùm quòd à Deo prævideantur fore: alioquin homo modò justus, cujus tamen lapsus crastinus hodie prævidetur à Deo, hodie diceretur moraliter malus.

45 Quarta sit: Per vos, præscientia Dei conditionata, quà nempè scit Deus, fore meritum hominis, si ponatur ista conditio, non potest sufficere, ut genere meriti Remunerandi, (imò nec solutivi) anticipet Deus aliquod donum in præmium: ergo neque sufficit præscientia Dei absoluta, ut anticipet reipsà prœmium ad existentiam meriti, quod prævidetur. Probo consequentiam. Non minus est Deus securus per scientiam Mediam De existentiá meriti, si velit ponere conditionem, quàm est de eadem existentiá per scientiam Visionis: quære modò rationem, cur falsum sit antecedens; & reddi debet: quia licèt existentia intentionalis meriti jam sit, mediâ illâ Scientiâ conditionali; tamen ea existentia non reddit absolutè laudabilem hominem, neque dicit quicquam per quod salvari possit, quòd homo reipsà dignus sit: unde decerni non potest præmium homini: quia dignus est, sine apertâ ineptitudine, vel falsitate.

46 Modò sic: atqui ea existentia intentionalis, quam habet meritum futurum, in absolutâ prævisione, non reddit hominem absolutè, & actu laudabilem, imò nec dicit quicquam per quod salvari possit, quòd homo sit dignus laude, & prœmio: cùm illa existentia solùm sit existentia actûs Divini, & non humani: ergo decerni non potest præmium homini solùm prævíso mereri, & nondum merenti per genus remuneratoriè præmiandi, sine apertâ ineptitudine, vel falsitate.

47 Quinta sit: Causalitas meriti Remunerandi est omninò similis causalitati dispositionum in formam, & Sacramentorum in gratiam: atqui repugnat quòd dispositiones, & Sacramenta exerceant hujusmodi causalitatem cum posterioritate temporis ad formam, vel gratiam: ergo similiter repugnat quòd meritum remunerandum exerceat suam causalitatem cum posterioritate temporis ad existentiam præmii. Paritas mihi videtur urgentissima, & minor patet: quis enim ferat infundi hodie formam materiæ dependenter ab organizatione cras futura? aut fieri remissionem peccatorum dependenter ab absolutione cras dandâ? Major autem est Sancti Thomæ tùm *loc. supra cit.* tùm 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. tùm *in* 2. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 2. Deinde probatur: quia utrobique causalitas non est physica, sed moralis: utrobique fit mediâ Dei prævisione: utrobique motio est de genere movendi quia est, & non de genere ut sit: est ergo omninò similis, & de genere eodem causalitas dispositionum in formam, & Sacramentorum in gratiam: ac meriti remunerandi ad præmium.

S. Thomas.

48 Sexta sit, & do rationem paritatis præcedentis. Qui operatur ex motivo se habente per modum causæ efficientis, operatur ad exigentiam rei moventis, & ex præsuppósito jure ad ita operandum: unde causa moraliter efficiens consistit in jure sive physico, sive morali inducente aliqualem necessitatem, ut succedat res respectu cujus exercet causalitatem: ergo qui dat prœmiú intuitu meriti remunerandi, operatur ad exigentiam meriti moventis, & ex præsuppósito jure inducente aliqualem necessitatem prœmii.

49 Vbi vides vim paritatis præcedentis: nam discrimen in eo solùm est, quòd dispositiones se habent ad modum juris physici: merita vero se habent ad modum juris moralis: utrobique tamen exercetur idem genus causalitatis mediâ prævisione: unde sicut producens, & inducens formam dicitur operari ex præsuppósitâ exigentiâ dispositionum, & ex necessitate naturæ; ita dicitur ille qui remuneratur, operari ex suppósitâ exigentiâ dignitatis, & obligatus à jure meritorum. Quæ singula mihi sunt omninò manifesta. Nunc sic: atqui qui dat rem antecedenter ad existentiam meriti, non operatur ad exigentiam meriti, & dignitatis, & ex aliquâ obligatione: res enim nondum existens non dat jus per modum formæ obligantis: sicut neque dat subjecto ullã laudabilitatem, aut excellentiam: ergo qui dat rem antecedenter ad existentiam meriti, non operatur motus ex merito tanquam causâ moraliter efficienti: ergo neque in genere meriti remunerandi.

50 Septima sit: Non minùs, nec aliter, neque in alio genere causæ causat culpa supplí-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plicium, quàm meritum causet præmium: utrobique enim exercetur causalitas moralis, & utrobique exercetur mediâ prævisione, & utrobique fit per modum movendi; quia est. Deinde non minus potest prævideri demeritum, quàm meritum ante exercitam utriuslibet existentiam. Hæc certa sunt: atqui repugnat quòd ex tali prævisione possit decerni pœnæ existentia, & poni ante existentiam culpæ: ergo pari gradu repugnat quòd ex tali prævisione possit decerni, & poni existentia præmii ante existentiam meriti.

51 Minor subsumpta, licèt aliquibus Modernis tentantibus inde solutionem, dubia fuerit visa, evidens est: nam Innocens, dum est innocens, injustè punitur, & tractatur ut nocens. Consequentia verò probatur: quia non pollet majore vi meritum ad honestandum subjectum, quàm ad turpandum, culpa; nec magis anticipat sui dignitatem meritū, quantumvis prævideatur fore, quàm sui indignitatem culpa æquè certò prævisa: sed quia punitio causatur à demerito in genere causæ moraliter efficientis, & fit ad attentionem istius movēdo quia est, repugnat temporalis præcessio pœnæ ad culpam: ergo quia meritum remunerandum causat, quia est, & ad modum causæ efficientis, æquè repugnat præcessio præmii ad existentiam meriti.

52 Respondet Oviedus, necessariò dandam ab omnibus disparitatem: eamque esse quòd præmium datur à Deo, quasi Debitore: pœna exigitur à Deo, ut creditore. Licet autem debitori, anticipatò solvere: non verò licet creditori debitum exigere anticipatò. Quare poterit Deus remuneratoriè anticipare præmium: quia in hoc non facit contra jus alicujus: non verò anticipare pœnam: quia faceret contra jus innocentis. Acutè quidem: sed frustrà. Fateor aliquale discrimen inter præmium, & pœnam ex *num.* 38. Sed pro re præsenti omninò nullum.

53 Instō sic primò: sicut punire est infligere malum, quia homo peccavit, ita remunerari est dare bonum, quia homo dignus est: ergo sicut ratio pœnę necessariò supponit in homine cui infligitur, dignitatem ad ipsam; ita ratio remunerationis necessariò supponit, cui datur, dignitatem ad ipsam. Et ratio est: quia sicut ad puniendum non sufficit, non lædere jus alterius, sed etiā requiritur procedere ex jure dato per offensam; ita ad remunerandum non sufficit nullius jus lædi, sed etiam requiritur procedere ex attentione juris acquisiti per meritum.

54 Instō sic secundò: Potest Deus pro supremo suo Dominio præcisim à culpā, & antecedēter ad ipsam infligere homini malum, quod destinare posset in pœnam ipsius peccantis; nihilominus nequit ipsum malum infligere in pœnam antecedenter ad culpam, & cum solā prævisione culpæ futuræ: nempè quia modus puniendi, regulatur cum peccato movente ad pœnam, quia est: ergo similiter, licèt Deus pro suo dominio posit anticipare donum, quod alioquin dare potest in præmium, nihilominus nequit in præmium dare remuneratoriè antecedenter ad meritum, & solā cum prævisione ipsius ut futuri: cùm æquè sit de lineā moventium: quia est Instō sic tertiò: Culpa crastina, quantumvis certò prævisa, non facit hodie dignum pœnā, atque adeò non dat Deo jus ad puniendum hodie: ergo actio crastina non facit hodie laudabilem, atque adeò non dat Homini jus ad præmium hodiernum: ergo.

55 Oppones: Præmium non causat physicè, sed moraliter, & licèt causet per existentiam exercitam, & absolutam sui, causat tamen mediā prævisione: ergo non requirit antecedentiam physicam, sed moralem. Atqui sinè antecedentiā physicā potest dari moralis: quod ostendō: nam sine antecedentia physicā ad prævisionem potest esse prior prævisione: deinde prævisio ipsius potest inducere decretum de existentiā præmii: ergo sine antecedentiā physicā meriti ad existentiam præmii, potest exerceri prioritas causalis meriti ad existentiam præmii. Probo consequentiam: quia sic, existentia præmii erit propter existentiam absolutam meriti: quid autem ultra requiritur ad causalitatem hujusmodi? Confirmatur. Meritum reipsā, & tempore subsequens causat sui prævisionem antecedentem, movendo quia est; & similiter causat Decretum præmii re psā antecedens, cùm æternum sit: ergo similiter causare potest existentiam præmii, licèt anticipato tempore exercitam.

56 Respondeo, omisso nunc antecedente, & quæ falsò suppponuntur in ipso, contra Doctrinam datam à nobis *latè disp.* 1. nego consequentiam de merito Remunerando. Ad minorem adjunctam: instō imprimis per exempla peccati, & dispositionum; utrobique enim causalitas est moralis, & mediā prævisione. Deinde distinguo majorem: sine antecedentiā physicā potest dari moralis causalitas efficientis, nego: finalis, aut potè intentionalis, concedo. Ad ejus probationem, fateor sine antecedentiā physicā exerceri posse prioritatem in prævisione, non quidem meritoriam, sed potè determinativam: deinde permisso quòd prævisio absoluta præcedat, aut inducat aliquod decretum (quæ omnia mihi sunt falsa) distinguo id ipsum: potest inducere decretum de existentiā præmii conferendi post existentiam meriti, concedo: conferendi ante existentiam meriti; nego: est enim decretum illud, quod prævisio induceret, decretum de satisfaciendo dignitati, quam prævidet, & attendendā, & implendā exigentiā talis dignitatis: decretum autem hujusmodi licèt antecedenter ad existentiam meriti habeatur, non tamen haberi potest volendo exequi præmium ante existentiam meriti: nam ante illam nulla est dignitas per modum Exigentiæ: sic explicare debent Adversarii idem genus causalitatis in dispositionibus, & in demerito.

Suprà disp. 1.

Ex disp.1. lib. præf.

57 Ad confirmationem, quà aliqui fidunt nimis, concedo meritum esse priùs determinativè ad prævisionem: & nego eam, aut decretum causare meritoriè: neque enim prævisio, aut decretum sunt loco præmii: solùm autem causatur à merito præmium: & quidem moraliter, id est, mediā voluntate præmiantis volentis intuitu Meriti, & ad exigentiam moralem ipsius succedere præmium, si remuneratorium sit.

§. II.

ALTERA CONCLVSIO GENERALIS.

58 Sit secunda conclusio: Donū præexistens titulo causalitatis in meritum, seu quod est principiū meriti, specialiter implicat cadere in meritum remunerandum, cujus principium est. Probatur primò: Principium meriti constituit potestatem, atque adeò indifferentiam ad merendum: ergo cadere nequit in meritum saltem, lineā meriti Remunerandi. Probo consequentiam primò: cadere nequit in meritum remunerandum, id quo merens carere non potest, si elicit actum meritorium: atqui si elicit actū, carere nequit principio: ergo principium nequit cadere in meritum. Major, si talis inseparabilitas præsertim oriatur ex actione non ut meritoria est, seu ut physicè consideratur, ut hìc evenit, est evidens: deinde probatur: quia præmii existentia debet esse libera præmianti etiam ex suppositione meriti. Secundò: qui meretur, pro priori ad meritum est indifferens ad merendum, & non merendum: ergo est indifferens ad manendum sine præmio: atqui non est indifferens ad manendum sine indifferentiā: rem enim ex suppositione quòd sit, necesse est esse: ergo. Tertiò: quia principium meriti moraliter non distinguitur in esse liberi, & voluntarii ab ipso merito: debet autem distingui meritum ab ipso præmio.

59 Probatur secundo generaliùs. Meritum non causat præmium, nisi ut existens, seu absolutè prævisum existere quoad exercitam sui existentiam: loquor de Merito Remunerando, movente quia est: ergo non potest causare principium sui. Antecedens ex eo patet, quia meritum non causat, nisi prout reddit absolutè dignum, atque laudabile subjectum, cui facienda est remuneratio: id autem non præstat, nisi per exercitam existentiam sui, ut patet. Probo jam consequentiam. Causari præmium à merito per vos, mediā prævisione, est, quòd prævisio meriti inducat decretum præmii; atqui prævisio meriti exerciti, & existentis nequit inducere decretum sui principii: quod ostenditur: nam prævisio meriti exerciti & existentis, necessariò supponit id à quo nequit præscindere meritum in statu exercitæ existentiæ; atqui nequit præscindere in statu exercitæ existentiæ àb existentia sui principii: omnis enim effectus est necessariò coexistens suæ causæ: ergo prævisio meriti exerciti, & existentis supponit existentiam principii: ergo supponit decretum de talis existentia principii: ergo non potest ipsum inducere: res enim nequit inducere id quod essentialiter supponitur ad ipsam.

Doctor Eximius.

60 Doctor Eximius recurrit ad suos ordines Intentivum, & Executivum: & ait meritum prævideri posse absolutè futurum ex vi decreti intentivi: & sic prævisum causare posse decretum Executivum sui principii: hoc enim ad ordinem intentivum non supponitur nisi intentivè. In primis iste recursus frustra est: quippe *disp.* 1. fusè rejecimus omne genus multiplicitatis virtualis in Divino exercitio. Deinde neque ea doctrina, etiam permissa, sufficit, primò: quia similiter dici posset meritum prout in ordine intentivo, se posse causare in ordine executivo: id autem implicat. Secundò: Meritum Remunerandum, ut ajebam, non causat præmium, nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi prout est sufficiens reddere dignam, & laudabilem Personam merentis: atqui nequit ipsam reddere laudabilem nisi prout orta ab ipsa in ordine executionis: ergo neque potest meritoriè movere nisi prout in ordine executionis. Tertiò meritum existens in ordine intentionis essentialiter connectitur cum ordine executionis: ergo etiam meritum prout existens in ordine intentionis essentialiter connectitur cum executione sui principii: quà ergo ratione potest in præmium assignari id quod ipsi merito negari non potest?

Ioannes Martinez de Ripald.

61 Patet Ripalda recurrit ad decreta disjuncti a, & supponit primò (contrà ipsum) Actum meritorium non exigere essentialiter hoc principium determinatum: nam à multiplici potest oriri. Secundò: supponit iuxta ipsa principia dari inæqualitatem, ita ut unum sit nobilius alio. Tertiò: supponit posse à Deo decerni disjunctivè actum meritorium determinatè sub hoc, aut illo auxilio. His positis, docet primò, ex simili modo decernendi videri determinatè actum meritorium, licèt indeterminatè principia. Docet secundo, ex vi talis decreti videri determinatè moraliter actum sub principio saltem perfecto ut duo, licèt aliud principium, sub cujus disjunctione decernitur sit perfectum, ut quinque. Ratio est: quia decretum illud est necessitas, cui occurri metaphysicè nequit, nisi per principium, ut duo.

62 Docet tertiò ex tali prævisione, quà nempe videtur actus meritorius saltem sub principio perfecto ut duo, posse Deum movere ut confertur auxilium perfectum ut quinque: Docet quartò, istud auxilium, & meritum sub ipso, moraliter partiri debere, & posse esse præmium secundùm excessum illũ trium graduum perfectionis respectu meriti considerati nasci vel condignificari ab eo principio non secundùm se totum, sed secundùm duos illos gradus per quos convenit cum altero auxilio: ratio autem est quia excessus iste est moraliter separabilis ab ipso merito: deinde supponit meritum quoad statum exercitæ existentiæ: non est ergo cur Deus moveri non possit ad dandum remuneratoriè excessum. Docet exinde quintò, principium meriti cadere posse in meritum, quoad existentiam comparativam, non verò quoad absolutam existentiam.

63 Imprimis ex totâ istâ doctrinâ fit ad summum cadere posse in meritum principium meriti secundùm illam perfectionem, secundùm quam non consideratur ut principium meriti. Deinde omnia, & singula principia, quibus nititur, sunt per quam falsa: nam Decreta disjunctiva repugnant in Deo *ex disp.* 1. Deinde repugnat omnis successio virtualis decretorum. Insuper meritum consistit in actione alligatâ essentialiter determinato principio, etiam juxta Ripaldam: unde videri non potest determinatè sub indeterminato principio. Præterea Meritum dicit in se rationem liberi, & voluntarii: non ergo potest idem meritũ videri sub diverso libertatis constitutivo, & sub diverso voluntario: patet ergo suppositionem in terminis implicare, dum dicit videri idem meritum determinatum, non tamen videri eandem rationem libertatis, & voluntarietatis determinatam. Demum

64 Contra sic arguo primò: Meritum remunerandum movet & causat, ut exercitè subjectum honestat; atqui ex vi decreti disjunctivi non potest videri, ut reipsà, & exercitè subjectum honestat: nam subjectum non honestat eo modo quo nequit existere: at modo quo videtur ex vi decreti disjunctivi nequit existere. Arguo secundò: Meritum ut reipsà est essentialiter, vel involvit, vel supponit determinata principia à quibus fluit: sed meritum, quod præmiatur est meritum, ut reipsà est: ergo meritum ut præmiatur involvit, aut supponit determinata principia à quibus fluit: ergo meritum ortum à principio nobiliori non potest præmiari, nisi ut constituitur per ipsum, aut ut ipsum supponit: ergo nequit præmiari nisi per id ipsum quod ab ipso essentialiter involvitur, si præmium sit ipsum principium. Id autem implicat.

65 Arguo tertiò: dari necessitatem vagam ut res sit cum hac, aut illa perfectione majori vel minori, non sufficit ut res videatur modo quo erit: ergo ex vi illius decreti disjunctivi nequit videri meritum ut reipsà erit: ergo si datur præmium propter illud meritum prout disjunctivè prævisum, non datur propter meritum quod erit, & ut erit: at nequit præmium ut tale causari à merito nisi prout in se erit.

66 Arguo quartò: quia similiter dici posset dari in præmium posse actui misericordiæ prævisо differentiam, quam potest habere de linea charitatis. Demum quid magis absonum, quàm hos modos præmiandi ponere in Deo, quasi Deus partiri deberet per varias præcisiones id per quod hoc prin-

principium convenit cum imperfectiori, & id per quod disconvenit? Quid magis incongruum quàm dare in præmium actûs principium perfectum ut quinque, sine quo nunquam reipsa extitit, quia in decreto extitit moraliter cum alio principio? quasi præmiũ daretur propter existentiam meriti, quæ nunquam erit, aut fuit nisi objectivè: si autem datur, ut debet propter existentiam, quam reipsa habebit, quomodo datur propter dignitatem præscindentem ab eâ quam habet? nam certè existentia illa absoluta, quam moralem vocas ex vi decreti præscindit ab hac, & ab illâ.

Recentes alii

67 Recentes alii dicunt hæc benè procedere loquendo de principio immediato, non verò de mediato, & remoto unde principium mediatum meriti cadere potest in meritum. Insurgit in hos optime Cardinalis de Lugo *disp.* 8. *sect.* 1. & satis impugnat tota doctrina conclusionis præcedentis. Addo ulterius, & arguo sic: Meritum remunerandum movet ut exercitum, & existens: ergo ut productum: ergo ut pendens à determinato principio etiam existenti: ergo à principio habente causam determinatam: ergo de ultimo ad primum prævisio meriti necessariò supponit Decretum de omnium principiorum ordine à quibus determinatè descendit: ergo nequit esse causa decreti vi cujus existit principium meriti remunerandi, sive mediatum sit, sive immediatum. Videatur Cardinalis *citatus*. Sed, adversus hos singulos discurrendi modos, iterum infrà, Nos *à num. 97.*

Card. de Lugo.

§. III.

ALIÆ DVÆ CONCLVSIONES Generales.

68 Sit tertia conclusio generalis: Donum reipsà præexistens solùm potest cadere in meritum se ipso posterius, lineâ meriti solutivi. Sequitur id ex utraque præcedenti legitimè: & patet: potest enim fieri anticipatio doni in spe, & intuitu obsequii, tanquam pretii, & solutionis pòst exhibendæ: id quod *Supra* probavimus abunde sufficere ad rationem meriti, & præmii.

Suprà à nu. 13.

69 Oppones specialiter: Nemo potest non præhabuisse donum, quod aliquando præhabuit: ergo nullum donum anticipatò collatum potest habere rationẽ præmii. Antecedens patet: quia res ex suppositione quòd est, necesse est, sit. Consequentia probatur: nam si donum anticipatò collatum haberet rationem præmii, destrueret ipsam rationem meriti: id quod ex terminis implicat, & ostendo sequi. Primò: nam qui præhabuit donum, nequit esse indifferens ad aliquando non præhabuisse donum, per te: ergo nequit esse indifferens ad carentiam præmii: donum enim illud collatum est anticipatò in præmium: ergo nequit esse indifferens ad merendum, vel non merendum. Probo istam consequentiam: nam qui est indifferens ad non merendum est indifferens ad manendum sine eo quod, nisi stante merito, non haberet: quale præmium est: ergo qui non est indifferens ad manendum sine eo quod est præmium, non est indifferens ad non merendum: atqui qui non est indifferens ad non merendum, non meretur operando: ergo.

70 Secundò: Nam rogo: ex quo respectu anticipatio doni dicitur præmiativa? Si enim ex dependentiâ, & respectu ad opus futurum: ergo si non fiat opus, non erit præmium: quomodo ergo factæ est in præmium, & manet indifferentia ad non merendum? Si ex respectu selectiæ ad opus futurum adjuncta voluntate tendente in collationem doni ex tali prævidendi. Jam datur antecedens connexio cum ipso opere: atque adeò ipso libertatis, & destructio meriti. Tertiò: vel factâ doni anticipatione datur necessitas ut succedat opus, vel non datur? Si datur: est moralis, aut physica. Physica esse nequit sine libertatis læsione. Moralis frustrari effectu potest: atque adeò non est cur præmium dici possit doni anticipatio. Si non datur? Videnam habet illam denominationem præmii tale donum anticipatò collatum. Hæc difficultas in multiplici eventu communis est, ut videri apud Ripaldam potest *disp. 86. num. 49.* *Ripalda.*

71 Respondeo distinguendo antecedens: Nemo potest non præhabuisse donum, quod præhabet conjungendo suppositione utramque præhabendi, & non præhabendi, concedo: evitando ut amphibologiam, nego id quod est clarum: quoties qui præhabet, ita præhabet, ut nisi dependenter ab aliquâ ratione sibi liberâ, non præhabuisset. Nego jam consequentiam. Ad illius probationem nego sequelam. Et ad probationem ipsius, dici primis posset, exinde solùm fieri quòd qui sic accipit præmium, carere eo non possit entitativè sumpto, non verò denominativè. Nam donum duplicitèr accipi potest, vel ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ſe bonum eſt, vel ut præmium eſt: quæ rationes ſunt adinvicem ſeparabiles. Licèt ergo qui ſic eſt indifferens ad merendum non ſit indifferens ad manendum ſine eo præmio, ut entitativè bonum eſt; indifferens eſt tamen ad manendum ſine eo, ut præmium eſt: quod argumento ſufficere videtur. Verùm quia iſta ſolutio reipsà ludit, & parum eſt ſolida: Reſpondeo ſingillatim, & aliter

72 Ad primam ſequelæ probationem diſtinguo antecedens: Qui præhabuit donum, independenter ab ullo ſuæ libertatis uſu, concedo: qui præhabuit dependenter ab uſu ſuæ libertatis, ſubdiſtinguo: non eſt indifferens pro ſigno conſtitutionis in indifferentiâ, & præciſivè ab ipsâ ſuppoſitione, nego: non eſt indifferens conſequenter, & prout in tali ſuppoſitione, concedo: & diſtincto ſimiliter conſequenti, quod immediatè ſequitur, nego ſecundam aliam conſequentiam. Cujus probatio nulla eſt: fatetur enim eum, qui donum anticipatò accepit dependenter ab uſu ſuæ libertatis, non aliter acceptурus; pro ſigno indifferentiæ pro quo eſt proximè potens ad obſequendum, & non obſequendum, eſſe etiam indifferentem ad evitandam exiſtentiam præmii: quippè non extitiſſet, niſi prævisus eſſet cum ſuppoſitione obſequendi, quod facit omninò liberè.

73 Ad ſecundam ſequelæ probationem dico rem anticipatò collatam eſſe præmium per dependentiam ab obſequio, & per reſpectum ad ipſum conſiſtentem in ſcientiâ certâ de ejus futuritione, & in voluntatis actu per eam ſcientiam regulato: qui reſpectus non eſt connexio antecedens ſimpliciter, ſed ſimpliciter conſequens in genere determinativo: atque adeò non eſt connexio inimica libertati, ut dicere ſolemus diſputando de Præfinitionibus, & Scientiâ Mediâ. Ad tertiam dico dari neceſsitatem, & quidem metaphyſicam, quoties Deus ita ſe gerit, ſed conſequentem, quippe fundatam in Scientiâ Mediâ. Addo quod ſi meritum non ſubſequeretur, illud donum maneret in eſſe præmii exiſtimati: & qui erat ſoluturus, deeſſet, vel in materiâ gratitudinis, vel juſtitiæ.

74 Sit quarta concluſio etiam generalis: Neque genere meriti Remunerandi, neque genere meriti ſolutivi poteſt cadere in meritum, donum valorativum, & conſtitutivum obſequii in eſſe meriti. Ratio mihi eſt: quia Meritum in eſſe meriti diſtingui debet à præmio; & præcedere vel ſubſequi ad exiſtentiam præmii: id quod patet ratione, & exemplo: hoc eſt, in contractu Emptionis, & venditionis, ubi pretiù in eſſe valoris, & pretii nò debet eſſe res ipſa, quæ emitur. Illa eſt: quia præmium datur merenti, ut ultra id quod importatur in merito ſuo, ut meritum eſt, accreſcant ipſi bona, eorumque poſſeſsio: & Præmians acceptat obſequium, ut cõtradiſtinctum à dono per quod rependit. Alii alias rationes addunt ſatis ingenioſas. Videantur apud Aldretum ſingulæ acutè, & ſubtiliter expenſæ *diſp. 25. de Incarn. ſect. 5.* *P. Aldrete*

75 Inferes ex his primò: Principium condignificativum, qualis eſt habitualis Gratia, vel elicitivum meriti, quale eſt primum auxilium, non poſſe cadere in meritum procedens ab ipſis neque genere meriti remunerandi, neque genere meriti ſolutivi. Ratio planè deſcendit ex hucuſque dictis. Primò: nam in tali caſu præmium non diſtingueretur à merito, in eſſe meriti: quod oſtendo: nam meritum in eſſe meriti dicit rationem liberi, & voluntarii, ut patet: atqui in ratione liberi, & voluntarii involvit immediata principia à quibus ſit: ergo & in eſſe meriti.

76 Secundò: quia in tali caſu indifferentia ad obſequendum conſtituitur per ipſam gratiam & auxilia, quibus certè carere non poteſt quomodocumque operando, ſi operetur liberè: ratio autem præmii rejicit hanc moralem indiſtinctionem, & inſeparabilitatem: qui enim eſt indifferens ad merendum videtur fore indifferens ad eſſe ſine præmio. Tertiò: quia ſive actus liber ſit extrinſecè liber, ſive intrinſecè, principia non ſatis diſtinguuntur ab ipſo ad rationem præmii. Si enim eſt extrinſecè liber: conſtituitur per ipſa in eſſe talis. Si intrinſecè: datur ſpecialiſsimè à Deo, dante Auxilium: non ergo diſtinguitur donum, quod Deus dat, ab ipſo pretio, quod accipere debet: quare homo per id ipſum fieret debitor, & ſolutor, ut patet. Dices, hæc militare de principio immediato; nec eſſe cur primum auxilium v.g. cadere non poſſet in meritum ſolutivum aliunde naſcens, & poſtea ſecuturum. Fateor id non repugnare in aliâ lege: cur repugnet in iſtâ, diximus *à num. 27.*

77 Inferes ſecundò contra Ripaldam, Principium meriti, ſolâ cauſalitate poſterioris neque quoad exiſtentiam abſolutam, neque quoad exiſtentiam comparativam, id *P. Ripalda.*

eſt, neque ſecundùm id quod neceſſariò prærequirit ad ſui exiſtentiam actus, neque quoad exceſſum principii nobilioris diſjunctivè decreti cadere poſſe in ipſum meritum. Ratio ſumitur ex ſecundâ concluſione generali: nam Deo repugnat res videre niſi prout ſunt, & per has diſjunctiones vagati. Tùm etiam quia Meritum nunquam movet, niſi prout reipſa eſt meritum; at reipſa non eſt niſi cum determinato principio à quo fit. Tùm demum quia nemo dat præmium niſi propter dignitatem, quæ reipſa eſt in merente, dum meretur: at in Sententia Ripaldæ dari deberet propter dignitatem diſjunctivè decretam, & prævisam: quæ neceſſariò dicit in ſe rem quæ non erit; eum èquè dicat ſingula diſjunctionis extrema. *Vide à num. 61.* *Suprà à nu. 61.*

78 Inferes demum, quam fruſtrà laborent Authores in diſponendis Decretorum, & Prævisionum ſignis, ut aliqualem exitum parent in hiſce controverſiis: toti enim ſunt in diſponendis ita decretis, ut prævisiones meritorum præcedant ad Decreta executiva rerum, quæ dicuntur in præmium dari: & juxta uniuſcujuſque genium, aliqualiter excogitatâ diſpoſitione hujuſmodi, quieſcunt: quaſi præceſsiones decretorum, & prævisionum eſſent præceſsiones rerum: ſine quibus intelligi nequit victoria difficultatis, ut patet ex præjactis ſupra principiis: ex quibus videspeti & ſumi facilè reſolutionem omniũ, quæ hîc excogitari poſſunt, & ſolent cum magno molimine præciſionum, virtualitatum, & diſjunctionum: ſemper obſcurè, & fruſtrà: ut latiùs *Infrà à num. 97.* *Infrà à nu. 97.*

SECTIO III.

DIRIMITUR CONTROVERSIA QUOAD ſubſtantiam Incarnationis.

79 PRima Cõcluſio: Incarnationis quoad ſubſtantiam, nulla fuit cauſa de condigno meritoria, nec potuit in ullo meriti genere. Prima pars ſumitur ex Scripturis, & Auguſtino: illis, abſolute vocantibus Incarnationem, maximam Gratiam: Hoc, variis in locis atteſtante, & comparante Incarnationem, & Vnctionem Humanitatis, hypoſtaticè factam, cum collatione primi Auxilii factâ Nobis, adhibito argumento de majori ad minus contra Pelagium, præſertim *lib. 1. de Prædeſtinatione SS. cap. 13.* & *lib. de correp. & Grat. cap. 11.* Quibus manifeſtè repugnat inductio de condigno meritoria. Rationem congruentiæ dat Eximius Doctor: quia decentiſsimum fuit, ut opus, in quo fundatur omne meritum, eſſet omninò gratuitum, nec fundaretur in merito. *Scripturæ Auguſt.* *P. Suarez.*

80 Secunda pars ſumitur evidenter ex *ſect. præcedenti con. 4.* Nam Incarnationis cauſa de condigno meritoria, eſt meritum neceſſariò theandricum, & ipsâ Incarnatione valoratum: omnia enim merita puræ creaturæ non ſufficiunt pro tanto dono. Donum autem nequit cadere in Meritum, cujus in eſſe Meriti conſtitutivum ingrediatur. Vnde ne Chriſtus quidem meruit ſibi, aut mereri potuit de condigno Hypoſtaticam Vnionẽ. Ventilant hîc aliqui Moderni, an ſaltem mereri potuerit exceſſum unius Hypoſtaticæ Vnionis præ aliâ? Futilis quæſtio: & duo falſa ſupponens: Primum, poſsibilitatem Decreti diſjunctivi in Deo. Alterum; poſsibilitatem Vnionis alium excedentis, contra dicta *ſuprà*. *Suprà n. 74* *Suprà lib 1 diſp. 3. à nu. 69.*

81 Secunda Concluſio: Incarnationis quoad ſubſtantiam eſſe potuit cauſa de congruo meritoria: non fuit. Secunda pars probatur: quia id manifeſtè colligitur ex ipsâ ratione *Magnæ Gratiæ*, ut vocant Scripturæ, & Auguſtinus: cujus certè comparatio Incarnationis cum primo auxilio, ſi quidquam probat, id apertè convincit: nam primum auxilium datur Nobis omninò ſine Nobis. Ratio eſt primò: quia decuit ut initium omnis meriti, nulli ſubeſſet merito. Secundò: Nam vel Chriſtus meruiſſet, vel alii? Non Chriſtus: quia id negat Auguſtinus manifeſtè. Tùm quia vel meruiſſet remuneratoriè; vel ſolutoriè: non remuneratoriè: quia id debuiſſet fieri per actus aliquomodo præcedentes Vnionem; & hi, nulli fuerunt. Non ſolutoriè: quia decentius eſt habere Vnionem, ſine obligatione, ex eo quòd illam habeat ut pro ipsâ non poſsit aliquid non rependere. Alii autem minùs dicendi ſunt meruiſſe: quia ſi Chriſto Domino negamus, ex ipsâ decentiâ, vim congruè meritivam, quantò magis aliis? Vnde, nec Chriſtus, nec Deipara, nec SS. PP. dicendi ſunt meruiſſe ſubſtantiam Incarnationis, adhuc de cõgruo, ſumptâ ratione Meriti congrui, Cauſativè, & inductivè, id eſt, Scholaſticè. *Scripturæ Auguſtin.*

82 Nec contra ſunt teſtimonia Scripturarum: ubi aut Chriſtus dicitur *unctus oleo latitiæ*, & *accepiſſe Divinitatem*, propterea *quòd dilexit juſtitiam*; aut ubi Patres inducuntur incumbentes in ipſam Incarnationẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

per pia suspiria, & desideria. Non, inquam, contrà sunt. Nam per hæc Patres solam petebant accelerationem: ut quid enim peterent substantiam Mysterii, quam sciebant, ex revelatione, futuram? Alia loca de Christo intellige, vel ut solùm denotetur causalitas purè finalis: vel unicè dicta de manifestatione Virtutis, Exaltationis, & Divinitatis ipsius. Et hæc de secundâ parte Conclusionis.

83 Prima pars juxta nostra principia non potest esse dubia: nam cùm Gratia Habitualis pertineat ad ordinem Hypostaticũ, faciè sequitur actus ab ipsâ prodeuntes, & condignificatos ab ipsa, habere posse rationem meriti congrui ad ipsam substantiam Incarnationis. Vnde & Anima Christi per operationes reipsà comitantes, & naturâ priores potuisset mereri de congruo Hypostaticam Vnionem, genere Meriti Remunerandi: & ipse Christus, genere meriti solutivi per operationes subsequentes præcisè condignificatas à Gratia: & Virgo Mater, & Patres Antiqui potuissent etiam meruisse de congruo Incarnationem.

84 Objicies ex P. Martinono. Major excessus est inter Ordinem Hypostaticum, & Ordinem Gratiæ, quàm inter Ordinem Gratiæ, & purè naturalem: sed ob istum excessum, implicat Gratiam cadere in meritum congruum purè naturale: ergo ob illum, implicat ordinem Hypostaticum cadere in meritum congruum Gratiæ. Respondetur. Cõcessâ, vel permissam, de excessu quoad entitatem, & perfectionem, Majorem, nego ipsam de excessu, quoad ordinem, & proportionem: quæ ad hoc genus meriti attendi debet.

85 Tertia Conclusio: licèt Christus neque meruerit, neque potuerit primam existentiam sui; continuationem tamen Vnionis in Individuo; extensionem ipsius ad novas partes materiæ, & ipsius restaurationem post triduum, meruit de condigno. Ratio est, quia licèt ea singula Christo Domino essent alioquin debita, decorum est eadem habuisse ex novo titulo meritorum, cùm meritorum valor nec obinde minuatur, nec decrescat: est enim infinitus. Deinde hîc obstare non potest Identitas meriti cum ipso præmio: nulla enim est. Dixi *continuationem Vnionis in Individuo*: nam continuatio ipsius in specie, cùm ex *lib. 1. disp. 3.* sit metaphysicè necessaria, nec Deo libera ex suppositione productionis, incongruè assignaretur in præmium.

Lib. 1. disp. 3. àn. 32.

86 Dices: cur ergo genere Meriti Solutivi non possit cadere in opera subsequentia, quæ non valorantur ab Vnione, ut primò existente, sed ut continuatâ, prima existentia ipsius Vnionis? Respondeo rationem esse, quia prima existentia rei est res ipsa; atque adeò ptima existentia Hypostaticæ Vnionis est ipsamet Vnio, à quâ præscindi non potest in meritis theandricis, quomodo cumque consideratis sub hac, aut illa circunstantiâ temporis.

SECTIO IV.

DIRIMITVR CONTROVERSIA QVOAD circunstantias Incarnationis.

87 SVnt potissimùm quatuor: *Tempus, locus, stirps, & Mater*: & quæritur: an Christus; an Patres Antiqui; an Virgo Maria meruerint de congruo, vel de condigno accelerationem Incarnationis; loci determinationem; descensum ab Stirpe determinatâ; Maternitatem Dei? in quo sunt divisi Theologi.

88 Prima Conclusio: Christus Dominus theandricis meritis, atque adeò de condigno, meruit has quatuor circunstantias Incarnationis suæ, genere meriti solutivi. Secunda pars de genere meriti patet ex *suprà* positis *nu. 39. & 68.* Primam ostendo: quia nulla cùm obstet in contrarium ratio, id manifestò pertinet ad Christi dignitatem, & amplitudinem Causalitatis meritorum ipsius. Adde has circunstantias cecidisse in meritum aliorum: ut mox dicemus: quanto potiori jure in Theandrica Christi merita ceciderint?

Vide suprà à num. 39. & 68.

89 Secunda Conclusio: Antiqui Patres meruerunt Circunstantias Temporis, loci & stirpis, cum accommodâ distributione, merito, non condigno, sed congruo. Secunda pars patet: nam condignitas nostrorum operum, in præsenti providentia, tota exhauritur per retributionem condignam Gratiæ, & Gloriæ. Secundam ostendo: quia hæ circunstantiæ non videntur excedere proportionẽ operum heroicorum, quæ præstita sunt earum intuitu, vel in spem sufficientem earum à Patribus Veteris Testamenti: & in eum finem acceptatæ videntur à Deo, annectente post ea opera promissionem remuneratoriam. Sic enim, nec aliter intelligi debent plures Scripturæ.

90 Primò, de circunstantiâ stirpis, facta *Genes.*

Genes. 22. *Genes.* 21. ad Abraham, pro voluntaria im-
Psal. 131. molatione Filii sui: & ad David *Psalm.* 131. & alibi. Secundò de circunstantia loci, facta
Mich. 5. *Michææ* 5. Et *tu Bethlehem terra Judà.* Adde
Isaiæ 16. illa desideria, quæ repræsentantur *Isaiæ* 16. *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ, de Petra deserti ad Montem Filiæ Sion.* Tertiò, de circunstantia temporis, facta *Psalm.*
Psalm. 11. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum Pauperum, nunc exurgam*, dicit *Dominus.* Et
Dan. 9. *Daniel. cap. 9. propter* cujus orationes, *abbreviatæ* dicuntur *hebdomades septuaginta.* Neque hæc ita intelligas, ut in invidiam nostrę
M. Lorca. Conclusionis intulit Lorca, quasi Deus primò decreverit unum tempus, locum, & stirpem, postea retractando decreverit alia: sed ita ut propter Patrum merita, & solatium, primò decreverit hæc singula, modo quo fuerunt, dispositurus aliter, nisi talia merita præcessissent.

91 Conclusio tertia: Virgo Deipara de facto non meruit de condigno Maternitatem: nec potuit, si Dignitas Matris Dei sit Forma Sanctificans, & infinita, moraliter, ut *plures* asserunt: si verò non sit talis, potuit. Tres partes habet: & Prima probatur: quia Virgini melius est exæquari valorem meritorum per condignam retributionem Gratiæ, & Gloriæ. Sic autem exæquatis meritis, superaddi Dignitatem Matris, est superaddi de congruo, & ultra condignum. Quòd si Patres alicubi asserunt, dignam fuisse Virginem Maternitate, aut dignè promeritam, non sumunt Scholasticè dignitatem, sed pro re decentissimâ, & congruentissimâ. Secunda pars probatur: quia merita Virginis ad promerendam Maternitatem in ea hypothesi, vel valorarentur ex gratia habituali, vel ex ipsâ Maternitate. Secundum est impossibile ex dictis *à nu. 58. & 74.* Primum verò non redderet illa merita, condigna: nam infinitus excessus in æstimatione doni non potest merito comparari, & quasi emi per obsequium æstimationis finitæ simpliciter. Tertia pars patet: nam si excessus maternitatis non sit infinitus, non est cur exæquari non possit per obsequia nobilissimæ æstimationis, qualia fuerunt Beatissimæ Virginis.

Suprà à nu. 58. & à nu. 74.

92 Conclusio quarta: Virgo Deipara de facto meruit Maternitatem, merito congruo. Probatur. Quid id saltem assequi debent aperta testimonia Patrum, & Ecclesiæ: per quæ passim asseritur, meruisse Beatam Virginem, ut esset Mater Dei. Nec obest primò quòd Ecclesia & Patres meriti nomen usurpent aliquando improprie, deque rebus ratione carentibus. Non inquam obest: aliter enim intelligendi sunt, cùm aliquem rationis compotem ajunt, mereri, vitæ Sanctitate, moribusque Deo gratis: nam id est loqui de proprio, & Scholastico merito. Non enim hic, ex subjectâ materiâ, cogimur ad metaphoram. Nec obest secundò: quòd exinde videtur fieri, meritum Incarnationis quoad substantiam: nam mereri non poterat, quod esset Mater Dei, quin mereretur; quòd verbum ex ea carnem sumeret: quæ est substantia Incarnationis. Non, inquam, obest: quia aliud est, mereri, quòd res sit: aliud, præcisè mereri, quòd res hoc modo sit. Illud est mereri substantiam rei; & hoc, rei circunstantiam.

Vide infrà lib. 5. disp. 5. sect. 4. §. 1. & 2.

SECTIO V. ET §. I.

DIFFICVLTAS EXVRGENS.

93 EA est valde gravis, & proponitur in hunc modum. Beata Maria Virgo habuit Auxilia, & Merita ex meritis Christi: ergo ex meritis Christi, absolutè prævisi, ut merentis: ergo prævisi, ut existentis: ergo prævisi, ut productis: ergo ut prævisi pẽdentis à Matre: quia non aliter fuit productus: ergo quando prævisus est, ut merens, prævisus est ut jam existens, ut jam productus, ut jam pendens à Matre, & habens Matrem. Ergo non ut habens Matrem, ex meritis sui, & Matris. Probo istam consequentiam. Primò: quia pro illo priori, quo productus est Christus, & antecessit ad sua merita, non erant ejus merita; atque adeò nec Mariæ merita facta ex Auxiliis datis ex Christi meritis: ergo pro illo priori non est à Matre productus, nec habuit Matrem ex meritis sui, vel Matris. Secundò: quia si pro illo priori prævideretur Christus, ut habens Matrem ex meritis Matris, Mater haberet, & non haberet sua merita ex meritis Filii. Haberet: quia sic supponitur. Non haberet: quia nondum prævidetur Christus ut merens: vel datur causalitas mutua. Tertiò: quia sic manifestè principium meriti caderet sub meritum contra communissimum axioma Theologorum.

94 Innodatur ulteriùs difficultas contra solutiones Recentiorum. Primò Christus meteri non potuit, nisi ut extitit; neque enim mereri potuit nisi existendo: ergo neque potuit prævideri, ut merens, nisi ut extitit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

titit, quando meruit. Atqui non extitit nisi pendens ab his Progenitoribus, ab hac Matre, ab hac determinatâ Stirpe, & in hoc loco, & tempore: ergo non est prævisus ut merens, nisi ut existens sub his determinatis circunstantiis: quomodo ergo determinatæ circunstantiæ, sunt decretæ ex prævisione Christi, ut existentis, & merentis?

Recent. 95 Secundò: quia quidquid sit de recursu ad varia signa prævisionum, & Decretorum Dei, tamen reipsâ Christus non meruit nisi cùm elicuit actus obsequiosos, & sub determinatâ libertate coexistente cum ipsis: ergo incongruum est dicere, prævisum esse Christum à Deo merentem, & mereri, nisi per hos actus obsequiosos, per quos reipsâ meruit, & sub determinatâ libertate, quâ meruit: alioquin Deus prævidisset merita, qualia non fuerunt: imò dedisset præmium meritis, quæ reipsâ non fuerunt, & reliquisset sine præmio, ea quæ reipsâ fuerunt. Atqui in eâ libertate, sub quâ Christus reipsâ meruit, intrinsecè venit cognitio, quâ Christus se cognovit ab his Avis, Filium Mariæ Virginis, alicubi esse, & in tempore determinato: Quis enim fingat Christum, pro priori ad merendum, aut oblitum, aut ignarum, aut ad modum hebetis, dubitare posse, ubinam gentium esset? Qualem Matrem haberet, & quales Avos? Si ergo pro priori libertatis Christus determinatus est, ut sit ab his Avis, Matre, & hoc loco, & tempore, quâ ratione videtur merens præcisim ab his? Quâ ratione meritum causat, & inducit circunstantias pro priori suppositas?

Card. Lugo Aldrete. 96 Non miror, vix expedire se posse ab his nodis, ingenia Recentiorum alioquin acutissima, & subtilissima, si velint, & debeant contra nos stare suis de Merito Remunerando principiis. Neque se continet difficultas in hac circunstantiâ: pari enim energiâ formatur quoad circunstantiam loci, & temporis, ut benè notavit Cardinalis de Lugo, & post ipsum præsit Pater Aldrete. Nam quomodocumque videatur Christus Dominus merens, videri non potest nisi merens per actum, vel essentialiter affixum huic instanti determinato, ut vult Delugo, vel saltem huic determinato instanti correspondens, & quidem in hoc loco potiùs, quàm in illo: ergo antecedenter ad merita Patrum, & Matrię Virginis, prævisus est Christus, correspondens huic loco, & huic tempori: ergo non potuit circunstantia temporis, & loci cadere in meritum Patrum, & Mariæ Virginis contra statuta *sect. præcedenti.* Consequentia hæc patet: quia si ante Decretum de Meritis Patrum præcesserit decretum de circunstantiâ temporis, & loci, hæc causari non potuit ab illis. Probatur prima cósequentia: quia antecedenter ad merita Veterum Patrum, & Mariæ Virginis, prævidentur, & prædecernuntur causæ talium meritorum, nempe Auxilia, & horum causæ; Atqui Auxilia, quibus Patres, & Beata Virgo mereri deberent, sunt posteriora meritis Christi: nihil enim supernaturale collatum est Patribus, aut ulli creaturæ, nisi ex meritis Domini, & quidem absolutè prævisis in sententiâ Adversariorum. Videamus conatus Authorum in declinandis hisce difficultatibus.

§. II.

TENTATÆ SOLVTIONES SPECIALITER rejiciuntur.

Primus solvendi modus M. Lorc. Nazar. Esparza. 97 PRima potiùs recisio, quàm solutio nodi, exhiberi cæpta à Magistro Lorca, more Alexandri; arrepta est post à Nazario, & ab Esparza, onere oppressis, & exinde falsis Beatam Virginem non meruisse Maternitatem, merito Theologicè proprio. Verùm id dicitur, omninò refragante communi Theologorum, & Patrum Authoritate; & aufu, ex quo facilè colligas, neque Christum meruisse Beatissimæ Virgini eam dignitatem Matris: neque ullum ex antiquis Patribus, ullam Incarnationis circunstantiam meruisse. Quæ singula neque Christi Dignitati congruunt, neque Matris decentiæ: neque Sanctorum Patrum dictis cohærent. Sed de hoc discursu vide me *lib. 5. disp. 4 sect. 4.* *Vide lib. 5. disp. 4 sect. 4.*

Secundus P. Suarez. 98 Secunda solutio tentatur à Patre Suarez ex recursu ad ordinem intentionis, & executionis, ita ut ex Christi meritis, ordine intentionis, prævisis, decreta sit ordine executionis Maternitas Virginis Mariæ. Contra tamen primò: quia ex hoc recursu etiam facilè foret dicere, quòd substantia Incarnationis in meritum caderet. Secundò: quia merita eatenus in lineâ meriti remunerandi movent, quatenus prævidentur in statu dignificâdi merentem, eumque reddendi laudabilem; atqui status iste est status executionis: nam merita non reddunt laudabilem hominem, nisi per exercitium sui: ergo neque movent, nisi prævisa in ordine exer-

executionis. Hoc autem in ordine, jam supponunt decretam Maternitatem, & exercitam. Contra septimò: quia vel ex vi decreti Intentivi, videntur Christi merita in se, & prout in Christo habent rationem juris moralis ad præmium; vel non? Si secundum: inutilis erit iste discursus pro re præsenti. Si primum: ergo ex vi illius Decreti non solùm videntur merita in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis: ergo illud Decretum verè est executivum. Vide quæ *suprà* diximus *à num. 60.* *Suprà à nu. 60.*

Tertius Vazquez. Hurtad. Amic. 99 Tertia solutio tentatur à Vazquez, Gaspare Hurtado, Amico, & aliis, negando quòd Matres immediatè, & effectivè concurrant ad Prolem: & asserendo concursum merè mediatum, & materialem, ministrando nempè materiam: quæ proinde eadem in Christo esse poterat ab aliâ Matre, vel aliunde. Exinde addunt potuisse Christum decerni, & prævideri cum hac numero materiâ, & Formâ, & cum his numerò actionibus meritoriis cum præscisione à Matre; & ex illis Deum decernere in signo sequenti Mariam in Matrem Dei.

100 Cótra primò: quia hæc solutio principium falsum assumit: nempè quòd Matres non influant physicè efficienter in Prolem: imò melius esset negare Mariæ, Meritum Maternitatis, quam causalitatem efficientem in Filium. Contra secundò: quia licèt Matribus negetur cócursus physicus in Prolem, negari iis non debet in dispositiones materiæ: reddit ergo argumentum, & tota difficultas. Vnde sic arguo: licèt hæc numerò materia ex quâ Christus constat, accipi, & disponi posset ab aliâ fœmina, reipsâ non ab alia accepta, & disposita est, quâ à Maria: ergo Christus Dominus, licèt reipsâ potuerit non pendere à concursu Mariæ, sive immediato, sive mediato; reipsâ pependit; nec aliter extitit, quam ita pendens: ergo prę videri non potuit sine hujusmodi dependentiâ. Probo hanc consequentiam: quia licèt Deus sciat hanc materiam dispositivè non pendere ab hac Fœmina essentialiter, scit determinatè ab hac, & non ab alia: ergo de facto videt decretam hanc, & non aliam pro priori ad ullam actionem Christi Domini.

101 Confirmatur ad hominem ex doctrinâ Patris Vazquez. Per te, licèt Auxilia Patrum possent existere sine influxu Christi, & de facto fuerint sine influxu physico ipsius; tamé quia de facto fuerunt ex meritis Christi, non potuerunt de facto mereri Incarnationem: ergo licèt materia ultimò disposita, & Christus Dominus posset existere, sine influxu Virginis, & de facto fuerit sine physico influxu ipsius; tamen quia de facto fuit ex causalitate Virginis, non potuit de facto mereri Virgini eum modum causandi dispositivè. Contra tertiò: quia exinde fit, Christum meruisse Virgini Maternitatem, & auxilia, non ut Filium ipsius, & quia Filium, quod non credo. Contra quartò: quia hæ præcisiones sunt indignæ Deo.

Quartus P. Vazq. 102 Quarta solutio tentatur ab aliis ex doctrina, *ut ajunt*, Patris Vazquez asserentibus Virginem esse principium remotum meritorum Christi, & ipsius Christi, non quidem per se, sed per accidens: proindeque potuisse prævideri in statu absoluto, & exercito Christi merita præcisim ab existentia ullius Matris, & Mariæ: & ex illis eam decerni in Matrem Dei. Contra primò: quia similiter dici posset contra Vazquez Patres veteres meruisse posse existentiam Incarnationis, quia licèt auxilia, ex quibus eliciebant actiones meritorias, penderent à Christi meritis, non tamen ab illis pendebant ut à principio immediato, & per se. Contra secundò: quia quicquid sit an Christus pendete posset ab alia fœmina, non tamen pependit ab alia, sed ab ista: ergo nequit non ista supponi ad omnes actiones ipsius meritorias. Contra tertiò: quia hinc etiam sit Christum, neque ut Filium, neque quia Filium meruisse Virgini, quod ipsi reipsâ meritus est. Contra quartò: quia is modus decernendi Deum non decet, &c.

Quintus Hurtad. Arriag. 103 Quinta solutio tentatur ab Hurtado; & Arriaga per dualitatem actionum totaliú: quarum altera sit à solo Deo, altera sit à Deo & à Maria, atque exinde dicentibus per merita Christi prævisi ex vi primæ actionis decretâ secundâ, & Maternitatem Virginis. Imprimis hæc solutio non occurrit difficultati *num. 94.* repræsentatæ circa circunstantias temporis, & loci. Deinde contra est primò: quia hæc dualitas actionum totalium fugitur sine ullo fundamento, præterquàm ex onere difficultatis. Secundò: quia exinde fateri necesse est in Christo actiones meritorias, quæ præcesserint ad actionem generativam Virginis: quod maximè opponitur Sanctis Patribus citatis à Bernal *disp. 18.* Tertiò: quia nullibi à SS. PP. consideratur Christus existens, & mereri nisi ut Filius Virginis. *Bernal.*

Quar-

Universidad de Deusto
Biblioteca

104 Quartò : quia actio illa solius Dei, quâ Christus existit, & Verbum caro factum est, pependit à consensu Virginis annunciatæ, vel non? Si primum : ergo & illam antecessit Mariæ consensus. Si secundum : ergo præcisim à Virginis consensu Christus esset Verbum factum homo, quod repugnat PP. citatis ab Aldrete *disp. 29. sect. 6.* Quintò: quia illa actio solius Dei, vel fuit post materiam dispositam, vel non? Secundum est incredibile. Si ergo primum, quis disposuit nisi Virgo Maria ? Sextò : quia sic meruisset Virgini Christus non ut Filius,& quia Filius, neque per merita passionis, & mortis : nam in passione, & morte non fuit juxta hos Authores duplex actio respectu Christi.

Aldrete.

Sextus P. Herize.

105 Sexta solutio, seu eadem ipsa tentatur ab Herize per dualitatem duorum Decretorum, quorum primum sit de Christo à Deo solo producendo, alterum sit de producendo Christo à Deo, & à Virgine ex meritis Christi ex vi primi decreti prævisi. Contra primò : quia incurrit in eadem inconvenientia,& scatet pari licentia divinandi. Secundò: quia hæc solutio Patris Herize solùm addit difficultatem præcedenti, nec minuit, ut videre est apud Delugo, & Aldrete.

Card. Lugo Aldrete.

106 Septima solutio tentatur à Ripalda per decretum disjunctivum, vi cujus determinatè decernatur Christus, cum disjunctione tamen hujus, vel illius fœminæ in Matrem. Sic enim fieri potest ut Deus prævideat merita Christi Domini, & ex ipsis absolutè prævisis decernat in Matrem Christi Mariâ. Contra primo : quia similis decernendi modus per hujusmodi disjunctiones est Deo repugnans ex *disp.* 1. Contra secundò : quia etiam permissâ totâ doctrinâ,in qua solutio nititur, non est facile capere quæ merita videat Deus ex vi decreti disjunctivi : nam omninò confusè apparent.

Septimus P. Ioannis Martinez de Ripald.

107 Contra tertiò : quia neque sic vitatur illud inconveniens,quòd Christus Mariæ non meruisset ut Filius,& quia Filius Maternitatem: quod si Maternitatem non meruit, neque meruit ut Filius,& quia Filius annexa dona Maternitati, & præservativâ Redemptionem; quod est dictu durissimum. Contra quartò: quia ex hoc etiam discursu fit plurimis datam esse gratiam intuitu Christi, non ut Filii Mariæ: unde Maria nullum influxum in eas gratias habuisset.Contra quintò:quia nequeunt videri merita Christi sufficienter ut meritoriè moveant, nisi videantur exercita: ergo quin videantur à Christo jam existente, & producto : Quis autem asserat Christū videri existentem, non visâ causâ vi cujus existat?Contra sextò: quia hæ doctrinę non attingunt difficultates objectas in confirmationem argumenti principalis.

Octavus Card. de Lugo. Bernal. Aldrete.

108 Octava solutio tentatur à Cardinali Delugo, Bernal,& Aldrete, parvo inter se discrimine:nam discursui Cardinalis non addunt nisi nova miracula,& minutias decet neudi, magnâ Mente indignas:Dicitur ergo ab his,decretum esse Christum vel in horto, vel in Cruce, vel in alio instanti independenter à Matre, imò ab ordine ad totam generationem, & vitam tempore antecedentem : Sic autem Christi Decreti prævisa esse merita, & ex his prævisis electam in Matrem ejus Sanctissimam Virginem Mariam.

Vide infrà lib. 4. disp. 6.

109 Contra primò : quia per se apparet omninò inverisimile, prius decerni conservationem,quam primam existentiam rei.Secundò: non video quâ ratione hi Authores defendant datam Christo optionem vitæ passibilis, & impassibilis, si primò decretus est vel in horto, vel in Cruce. Tertiò fit Christum nec meruisse, nec potuisse mereri Virgini, & Patribus Maternitatem, & alias gratias per actus exercitos in instanti Conceptionis, & in utero Virginis : quod absonat Apostolo clamanti, per illam oblationem, quam sui fecit Christus ingrediens in Mundum, sanctificatos non esse : à quâ clausulâ non est cur excipias Beatam Virginem Quartò fit Christum non meruisse Mariæ prærogativas; ut, & quia Filius ejus est. Quintò fit neque veteres Patres,neque Beatam Virginem ullum influxum præstitisse in Redemptionem hominum,utpote operaram in Cruce pro instanti,in quo existentia Christi fuit omninò independens ab ipsis.

Augustin.

110 Sextò:Non est cur in Calvariæ monte, nisi ex errore, Maria lugeret ut Filium Christum Dominum : cum tunc tam aberat ut esset Filius ejus, ut potiùs daret operam, ut evaderet Filius ejus respectu temporis antecedentis. Septimò fit existentiam Christi modò esse independentem à Virgine: Nā est existentia succedens ad existentiam independentem. Octavò fit illud incommodum, quòd independenter à consensu Mariæ prævisus sit Deus factus homo. Nonò,manifestè repugnat Augustino tota Doctrinâ,nam Sanctus Doctor ex eo negat Christum non meruisse unionem hypostaticam,quia nulla ejus ad eā merita præcesserē:ergo sensit non fuisse ita decretum Christum, ut Adversarii volunt.

Augustin.

Nonus P. Ant. Per.

111 Nona Solutio tentatur à Patre Antonio Perez docente Christum Dominum primò decretum quoad Animam, eamque pro priori assumptam à Verbo potuisse elicere aliquos actus, & eligere sibi corpus, & Matrem, & cætera hujusmodi. Contra primò : quia id manifestè repugnat principiis statutis *lib.* 1 *disp.* 2.de identitate inter unionem hypostaticam, & humanam. Secundò: sic dici posset Animam Christi meruisse corpori hypostaticam unionem, & absolutè Incarnationis substantiam. Tertiò : manifestè pugnat cum Augustino non agnoscenti ulla merita ante Incarnationem, quem communis Theologia sequitur. Quartò: sic Maternitas,& aliæ Gratiæ Mariæ Sanctissimæ,aliorumque plurium non essent à Christo, quia Anima non est Corpus : nec per passionem Christi : Vnde multi obtinuissent gratiam habitualem independenter à Christi Sanguine: & peccatum esset cum Diabolo victū independenter à Cruce:quæ omnia sunt absurdissima. Quintò : quia sic neque Anima Christi producta fuisset ad exigentiā materię dispositæ, neque posteriùs naturâ ad maternam operationem: quod Sanctis Patribus,& præsertim Leoni repugnat asserēti Verbum *eo modo, quo cæteris creat, sibi creasse Animam.*

Supra lib. 1 disp. 2. à num. 98.

S. Leo.

112 Hucusque conatus Authorum, & præstricta capita, unde singuli infringi possunt. Mihi tamen contra eos, & similes ex quadruplici capite singulariter displicent. Primum est: quia assumunt in Deo virtualitatum multiplicitatem in decernendo,eumque palàm immiscent imperfectionibus nostris: modò, partitè adinstar nondum scientis: modò, disjunctim adinstar nutabundi, & perplexi : modò, præcisim adinstar irresoluti volentem inducunt: quę singula disjeci *disp.* 1. Secundum est : quòd putent merita remuneranda posse reipsà subsequi ad existentiam præmii; id quod ostendi falsum hac ipsà *disp. 3. sect. 2.*

113 Tertium est : quòd merita Christi putent quasi hominis hebetis, & faciant apparere in mente Divinâ,secùs omninò,ac reipsà sunt, non occurrendo difficultatibus realibus *num. 94. & 95.* efficaciter repræsentatis, intenti difficultatibus aliis, quæ non curant Realem difficultatem objectorum. Quartum est: quia salvari per hæc principia nequeunt duo, quæ salvari maximè debent: Alterum, quòd nihil à Christo in Virgine fluxerit, nisi ut, & quia Filio ejus. Alterum, quòd immunitas, & exemptio à peccato, & à debito primaria sit à Christi meritis. Ex his quatuor principiis efficaciter suprà præstitutis necesse est, ruant omnia molimina subtilitatum, quas comminiscuntur Authores in præsenti.

§. III.

NOSTRA SOLVTIO.

Modus solvendi solitus.

114 Solvimus nos omninò facilè juxta præjacta principia de merito solutivo, distinguendo antecedens argumenti: Maria Virgo habuit auxilia, & merita ex meritis Christi, genere meriti remunerandi, seu ut remunerandis, nego : genere meriti per modum pretii, & solutionis,seu ut solutivis, concedo. Potuit enim dare, & reipsà dedit Virgini auxilia ad promerendū quòd esset Mater Christi, intuitu meritorum istius, seu in spe, vel quasi spe meritorum ipsius, pòst abundantissimè soluturi. Nego deinde reliquas consequentias. Nam ad hoc genus meriti non prærequiritur ulla absoluta prævisio meritorum, quæ dirigat, sicut neque ulla præcessio meritorum in existendo: sufficit enim conditionata securitas apta excitare amorem meriti ut absolute futuri, & apta movere ad anticipationem Doni in spe, seu quasi spe pretii,quod sibi præscit integrè persolvendum.

115 Ex quo Probationes, & Confirmationes argumenti nullam vim habent : ea enim unicè petit eos, qui ad causalitatem meritoriam, vel requirunt absolutam meriti præcedentiam, vel eius absolutam prævisionem. Nota, quod in tertiâ dicitur,nempe non posse'principium meriti cadere in meritum, juxta axioma Theologorum ; verum esse, semper,in genere meriti remunerandi; in genere vero meriti solutivi, solùm, cum principium meriti est ipsius valorativum, & constitutivum in esse talis juxta dicta à *num.* 74. cujus ex doctrinâ facilè, quicquid alios hac in re maximè cruciat,dissolvetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO IV.

CAVSÆ PHYSICÆ INCARNATIONIS.

1 POST gravissimas controversias de Incarnationis Causis, Motivâ, & Meritoriâ, quiescimus tandem in Causis Physicis, quæ res est facilis. De Formali, & quasi Materiali, id est, de Extremis Vnionis Incarnativæ, & de ipsâ Vnione, nihil addendum supereſt, latè discussis *toto libro primo*. Reducitur consideratio ad causam efficientem, & prævias dispositiones, si quę fuerunt: à quibus Sermonem instituo.

SECTIO I.

AN VLLA PHYSICA DISPOSITIO AD Vnionem in Humanitate præcesserit?

Gabriel. Alensis. Suarez.

2 FVerunt in puncto præsenti singulares, Gabriel, & Alensis: quorum ille, teste Suarez, in Humanitate sensit, dispositionem aliquam physicam præcessisse necessariò connexam cum Hypostatica Vnione, eamque connaturaliter exigentem, ad eum modum, quo ultima dispositio ad humanam generationem, exigit Animæ creationem, ejusque infusionem in materiam jam prædispositam. Ille, sensit præcessisse dispositionem, non quidem, quæ connaturaliter exigat Vnionem, sed quam Vnio præsupponat connaturaliter, ut elevatricem Humanitatis ad ipsam.

3 Prima Conclusio. Repugnat physica dispositio, quæ necessariò connaturaliter exigat Hypostaticam Vnionem. Ostenditur primò ex eminentissima perfectione Hypostaticæ Vnionis, quæ jure dicitur, & est apex operationum ad extra. Sic arguo: sicùt se habet in moralibus Meritum condignum ad præmium, ita in physicis, exigentia ad formam: utrobique enim miscetur suum jus & merita juris: in physicis, physicum: & morale in moralibus: sed ex supereminentia sui gradûs, Vnio Hypostatica cadere nequit in meritum condignum purè creatum: ergo neque cadere potest in exigentiam physicæ alicujus dispositionis: & ratio paritatis est: quia sicut meritum, & præmium ita sibi correspondent, ut se capiant intra ordinem eundem: sic ita sibi correspondere debent Forma, & dispositio physica ad formam, ut se intra eundem ordinem capiant.

4 Ostenditur secundò: quia vel ista physica dispositio esset subsstantialis, vel accidentalis. Non substantialis: Tùm quia repugnat substantia cui sit connaturalis, & debita Vnio Hypostatica, ut *lib.* 1. dictum est. Tùm etiam quia talis substantia neque esset forma, neque materia: id enim est per figmenta vagari. Sed neque potest esse accidentalis: nam hoc accidens esse nequit naturale, ut per se patet: neque potest esse supernaturale: nam vel ad ipsum eget Humanitas dispositione præambulâ, vel non? Si primum? in infinitum imus. Si secundum: ergo sicut Humanitas sine prævia dispositione elevatur ad ipsum accidens; quidni elevabitur immediatè ad Vnionem Hypostaticam sine prævia dispositione?

Lib. 1. disp. 3. sect. 1. à num. 3.

5 Secunda Conclusio: Neque præcessit ad Vnionem Hypostaticam, ex ipsius exigentia, dispositio, elevativa Humanitatis ad ipsam Vnionem. Ratio est primò: quia Vnio Hypostatica est radix omnis entis supernaturalis: ergo potiùs Vnio ea entia fundat, & inducit, quàm præsupponit. Secundò: redit enim argumentum suprà factum: nam vel ea dispositio est Naturalis, vel Supernaturalis. Primum est impossibile: neque enim inter entia naturalia potest dari aliquod, quo ita indigeat ad sui prædispositionem Vnio Hypostatica. Non secundum: nam sicut ad ipsam non requiritur in humanitate altera super-

supernaturalis prælevatio, cur requirenda sit ad Hypostaticam Vnionem?

6 Objicies. Humanitas ex suis intrinsecis non est proportionata ad tantum Donũ, qualis est Vnio: ergo debet proportionari & elevari: ergo prærequiritur aliqua dispositio, quæ proportionet, & prælevet Humanitatẽ. Respondetur. Distinguo antecedens: non est proportionata, proportione exigentiæ, & ordinis, concedo: proportione perfectibilitatis, & capacitatis, nego antecedens: & distinguo consequens: debet proportionari, & elevari per ipsum donum Vnionis, concedo: per aliquod distinctum ab ipsa, nego consequentiam. Ipsa enim Vnio satis elevat Humanitatem, quam unit, suppositâ ex parte naturæ, capacitate obedientiali terminationis. Quòd si ad elevandam Naturam prærequiratur prævia dispositio: ad hanc recipiẽdá, alia requireretur, & abiremus in infinitũ.

Martinon.

7 Instabis primò: Humanitas non recipit naturaliter Hypostaticam Vnionem: ergo eget elevatione ad recipiendam ipsam: ergo. Antecedens concessit Schotus qui non placet in voce. Itaque concesso antecedente, nego consequentiam: nam recipi naturaliter Vnionem Hypostaticam, sonat existere, & poni in Humanitate per vires naturales, quod falsum est: at, semel eâ supernaturaliter productâ, non eget Passiva Potentia ulteriori elevatione, ut explicui *dispuntando de Auxiliis*: & inter activam potentiam & passivam est grande discrimen: nam Activa dat: & *nemo dat quod non habet*: Passiva verò tantùm recipit: & recipere est indigentis, & vacui.

Schotus.

Rursus tom. in 1. p. tract. 3.

8 Instabis secundò: licèt Materia prima uniatur immediatè ad formam, ratione formæ prærequirit dispositiones, quibus apta reddatur ad formam: ergo licèt Humanitas immediatè se habeat ad Hypostaticam Vnionem, prærequirit ratione ipsius, dispositionem aliquam, per quam apta reddatur. Probatur consequentia: quia quò magis est improportionatum subjectum, eò magis eget dispositione: & quò nobilior est forma, & magis excedens ordinem subjecti, magis improportionatum debet reputari subjectum: atqui Vnio est quasi forma nobilissima, & superexcedens ordinem Humanitatis: ergo. Respondetur. Concesso antecedente, nego consequentiam: & ratio discriminis est ipsa supereminentia Hypostaticæ Vnionis: vi cujus adeò alti est ordinis, ut nulla dispositio posit ad ipsam elevare. Dispositio autem ad formam & ipsa forma ad eundem ordinem pertinent. Nota, non hìc nos loqui de dispositionibus ex parte Corporis, ad organizationem, & infusionem animæ concernentibus: eas enim supponimus, & quidem nobiliores, ad proportionem compositi nobilioris, ut bene advertit Martinonus, & in instanti peractas, ut ex Patrum & Conciliorum consensu probat Eximius Doctor *tom. 2. in 3. part. disp. 11. sect. 2.*

Suarez.

SECTIO II.

AN PRÆCESSERIT VLLA MORALIS dispositio?

9 DVplex Opinio est. Prima affirmans præcessisse ad Hypostaticam Vnionem, ornamentum Gratiæ Habitualis, & aliorum donorum: sicut enim ex parte corporis præcessit eximia quædam pulcritudo; ita decuit, præcessisse ex parte animæ, propriori naturâ, pulcritudinem Gratiæ, & aliorum supernaturalium donorum, ut ornaretur ad nuptias Agni, & ad amplexum Hypostaticum Divinitatis. Ita Sanctus Thomas *in 3. dist. 2. art. 2.* Bonaventura, Paludanus, & Gabriel *ibid.* Inclinante, & protegente novissimè Patre Martinono, ducto solùm ex rei decentia, & ex infinitate rationum in oppositum. Legatur *disp. 4. sect. 2.* Secunda Sententia negat, & est ferè omnium cum Sancto Thoma, qui hìc præcedentem opinionem, quam in tertio tenuerat, deseruit. Est etiam inter ipsos Authores discrimen: nam aliqui negant unicè factum: alii inter quos est Eximius Doctor, etiam negant possibilitatem.

S. Thomas. Bonavent. Gabriel. Martinon.

Suarez.

10 Conclusio sit bimembris cũ Suarez. Ad Hypostaticam Vnionem neque præcessit ulla dispositio moralis, neque potuit, servato gradu dispositionis. Hæc est Mens Doctoris Eximii, non quidem negantis, potuisse præinfundi aliquod donum Animæ, sed unicè negantis, ullum donum potuisse præcedere cum vice dispositionis. Et prima pars resultat ex dictis. Primò: Nam Vnio Hypostatica est, radix omnium donorum Gratiæ, ut latè dictum est *lib.* 1. ergo connaturalius est Gratiam subsequi quàm præcedere. Deus autem putandus est, connaturaliori se modo gessisse in hoc Mysterio intra supernaturalium entium ordinem. Secundò: quia prius est connaturaliter complementum in esse substantiali, quàm in accidentali: ergo prius

Lib. 1. disp. 3. sect. 2. à num. 87.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est connaturaliter habere complementum subsistentiæ, quàm ornari qualitatibus adventitiis.

11 Secunda pars probatur sic: Dispositio instituta est, ut per ipsam quasi habilitetur subjectum ad formam; & hoc maneat vel cum exigentia formæ, vel minus ineptum ad ejus receptionem: atqui repugnat, Humanitatem ita habilitari ad Vnionem Hypostaticam, per Habitualem Gratiam, aut per ullum ex supernaturalibus donis: ergo repugnat, servato gradu dispositionis, præcisio ullius qualitatis supernaturalis ad Hypostaticam Vnionem. Major patet ex conceptu dispositionis, ab inductione, & à ratione: ab illa: subjectum enim ex vi dispositionum ita manet habile ad formam, ut maneat cum jure ad ipsam. Ab hac: nam dispositio aliquod munus præstare debet in subjecto: quodnam hoc esse potest, nisi ipsum habilitare proximè ad ipsam formam? Iam ostenditur minor. Nam omnia dona sunt infra dignitatem Hypostaticæ Vnionis, & sunt proprietates ad ipsam consecutæ. Tùm etiam quia per nullum ex supernaturalibus donis potest Humanitas exui positivâ inferioritate respectivè ad ordinem Divinum, & assurgere ad exigentiam ipsius: ergo.

P. Suarez. 12 Confirmatur discursu Doctoris Eximii. Dispositio ex se debet exercere circa formam aliquem concursum vel physicum, vel moralem: nempe vel efficiendo cum Agente Principali Formam in subjecto, quod disponit; vel attrahendo moraliter in ratione motivi, vi cujus Agens necessitatur inducere formam: hæc sunt munera dispositionum, discurrendo per singulas, sive physicas, sive morales. Nunc sic: atqui repugnat ulli qualitati supernaturali, concursus hujusmodi sive physicus, sive moralis in Vnionem: ergo repugnat ratio dispositionis. Minor probatur imprimis de physico concursu: nam Gratia, quæ est inter supernas qualitates potior, non est connaturalis virtus ad producendam Vnionem, imò juxta me, nec obedientialis. Deinde de concursu morali: quia cõcursus moralis in eo stat quòd Agens ex præexistente aliquâ qualitate necessitetur inducere formam; at hæc vis circa Vnionem Hypostaticam planè repugnat inferioribus qualitatibus: ergo. Videatur Suarez multa in id congerens: neque quidquam est quod egeat solutione.

SECTIO III.

QVÆ CAVSÆ INFLVXERINT PHYSICE in Hypostaticam Vnionem?

13 DEum fuisse Principalem Causam effectivam Hypostaticæ Vnionis, per influxum toti Trinitati communem, certa res est ex Toletano VI. & XI. & ex Lateranensi *sub Martino* I. & ex Lateranensi. *sub Innocent. III.* Et ratio est: quia opera ad extra sunt indivisa toti Trinitati: opus autem omnium ad extra Coronis & Apex est Vnio Hypostatica. Reducitur igitur difficultas ad Verbum, ad Matrem, & ad ipsam Humanitatem. *Toled. VI. & XI. Lateran. sub Mart. & sub Inn.*

14 Prima conclusio: Verbum Divinum, ultra influxum toti Trinitati communem, non habuit specialem, ut causa specialis efficiens Incarnationis. Ita contra Carolum Abrà de Raconis statuimus *lib.* 1. *disp.* 2. *sect.* 3. Neque ultrà hîc occurrit addendum. *Suprà lib. 1 disp. 2 sect. 3.*

15 Secunda conclusio: Anima Christi Domini, vel ratione Animæ, Christi Domini Humanitas non fuit causa efficiens Hypostaticæ Vnionis, quoad primariam ejus integritatem, & existentiam: benè verò quoad partes accessorias, & advenientes ratione novæ materiæ per nutritionem supervenientis: & quoad restaurationem ipsius Vnionis in ipsâ Resurrectione factam. Tres partes habet Assertio: & prima est communis: tùm quia nullum est in oppositum vel ab Authoritate, vel à ratione fundamentum. Tùm etiam: quia pro nullo priori præextitit Humanitas ad Hypostaticam, sicut neque ad Humanam Vnionem. Tùm demum: quia neque in purè humanis id accidit: nempe quòd Natura sibi producat, & uniat subsistentiam. Secunda pars probatur: quia nulla potest esse ratio negandi talem influxum; & aliunde affirmandi ratio est, quòd in nobis Animæ tribuitur ista vis producendi uniones ipsius ad novas supervenientis materiæ partes. Tertia pars probatur ex ratione congruenti: Nam congruit, Christi triumphãtis victricem Animam sibi erexisse trophæum in ipso Corpore Resurgente.

16 Tertia Conclusio: Virgo Deipara fuit causa physicè effectiva Hypostaticæ unionis, influxu physico materno obedientiali. Hæc assertio, stantibus, quæ *lib.* 1. diximus circa identitatem Humanę Vnionis cum Hypostaticâ, negari non potest. Eam vocat probabilem, & piam Pater Suarez: eamque absolutè defendunt Granadus, Bernal, & novissimè Munièssa, quos sequuntur Magistri Doctissimi. Et pro eâ stant Authoritas magna, & major ratio. *Lib. 1. disp. 2. sect. 4.*

Suarez. Granad. Bernal. Munièssa.

Hesychius. 17 Authoritas primò Hesychii *hom. 2. de Beata Virgine*, eam vocantis *instrumentum Incarnationis ejus*, qui omnia produxit. Secundò Ambrosii epist. 82. ajentis per Beatam Virginem *junctam fuisse carnem Humanam Deo.* Tertia Bernardi, *lib. 5. de consider. cap.* 10. dicentis, Beatam Virginem fuisse mulierem, quæ *tria illa sata Evangelica commiscuit*, nempè *Carnem, Animam, & Divinitatem.* Quæ locutiones, nisi per physicum maternum influxum Beatæ Virginis in Hypostaticam Vnionem, aptè satis explicati non possunt. Quartò demum ex omnium Patrum testimoniis, quæ *lib.* 1. *pro identitate Humanæ Vnionis cum Hypostaticâ* in Christo Domino, fuso calamo ponderavimus.

Ambros. Bernard. & à lii Patres citati lib. 1.

18 Ratio est etiam primò: quia supposito in aliis matribus, ex philosophiâ jam probabiliori, concursu physico in fœtûs animationem, Vnionemque Animæ cum materiâ prædispositâ; negari non potest iste concursus physicus Beatæ Virgini in formalem animationem, & Vnionem Humanam Christi Domini; alioquin negaretur Maternus influxus: Atqui Vnio Humana Christi Domini identificat secum Hypostaticam Vnionem ad Verbum: ergo supposito illo generali principio, negari potest Beatissimæ Virgini physicus influxus in Hypostaticam Vnionem. Iste discursus est legitimus, & obviam it oppugnationibus Patris Aldrete *tom.* 1. *disp. 33. sect.* 1. ex aliis principiis incassum disputantis. Major autem est certa: & minor latissimè probata est *lib.* 1. *disp.* 2.

Aldrete.

19 Secundò sic arguitur: Quod est possibile, & ita decet Virginem in lineâ Matris, ut ejus commendet dignitatem, & augeat gloriam, negari nec debet, nec potest Beatissimæ Virgini: atqui concursus physicus in Hypostaticam Vnionem est ita decens, & possibilis: ergo nec negari potest, nec debet Beatissimæ Virgini. Major est apud omnes Theologos certa; & ex specialissimo Dei erga Baatam Virginem amore rectè colligitur. Minor probatur: quia Beatæ Virgini negari nequit Potentia obedientialis activa ad Hypostaticam Vnionem, omninò similis ei, quam tota nostra Schola in intellectu, & in voluntate cognoscit ad actus vitales supernos: ergo concursus iste physicus est decens, & possibilis. Consequentia patet: sicut enim semel admissà potentia obedientiali in intellectu, & voluntate circa actus supernos, non solùm adstruitur possibilis, sed & decens, & necessarius circa ipsos concursus physicus in his potentiis: *si* pariformiter admittatur potentia obedientialis in Virgine circa Hypostaticam Vnionem, eodem modo discutiendum erit. *Suprà lib. 1 disp. 2 sect. 4. & 5.*

20 Antecedens autem probatur: quia potentia obedientialis quoad actus vitales supernos in intellectu, & voluntate ex eo ab omnibus nostræ Scholæ Doctoribus admittitur: quia actus Vitales superni conveniunt cum naturalibus in specialissimis prædicatis, per se exigentibus originem à potentiâ Vitali naturali, vel, ut sentio ego, & explicabo cùm *de Potentiâ Christi Domini* sermo sit, quia conveniunt cum Naturalibus in totâ perfectione quam hauriunt è potentiâ Naturali, eos præcontinente: nunc sic: Atqui Hypostatica Vnio convenit cum Vnione Humanâ naturali in specialissimis prædicatis per se oriundis ab Activitate Maternâ, seu in totâ perfectione, juxta quam Vnionem Humanam continet talis activitas materna: ergo Potentia Obedientialis activa ad Vnionem Hypostaticam in Virgine negari non potest omninò similis ei, quam omnes admittunt circa supernos actus Vitales. Sed remissis nunc ad citatum locum, quæ contra Potentiam Obedientialem faciunt, *Lib. 5. disp. 7. sect. 2. à nu. 34.*

21 Objicies primò: Vnio Hypostatica est apex Omnipotentiæ Divinæ: ergo à solo Deo producibilis est. Antecedens patet ex encomiis Patrum: & colligitur ex dictis *lib.* 1. *de ejus excellentia in ratione entis.* Consequentia autem probatur: credibile enim est Deum aliqua posse, quæ nulla creatura possit: si autem aliquid tale est, quidni apex ipsius Omnipotentiæ? & Confirmatur: Nulla creatura creare potest: ergo nec unire Hypostaticè Divinitatem Naturæ creaturæ. Antecedens est commune: & consequentia patet de minori ad majus. Majus enim est, & nobilius unire Hypostaticè Verbum, quam creare finitum esse. Ita discurrit Pater Martinon. *P. Martin.*

22 Respondetur. In primis de antecedente esse litem inter Doctores, ut *lib.* 1. vidimus. Deinde distinguo: est apex in ratione Vnionis, & doni, concedo: in ratione entis: nego, vel omitto: nam valde dubiũ est. Et nego consequentiam. Ad cujus probationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem admisso antecedéte, nego consequentiã. Excessus enim in perfectione nõ probat assumi non posse à Deo Creatam Activitatem in instrumentum activum entis ita perfecti: sed non posse in creatâ activitate totam ejus perfectionem contineri : quod jam fatemur requirentes virtutem elevatricem. Et ratio est: quia id peti debet potiùs ab speciali naturâ talis entis quàm ab ejus perfectione: sic entia minimæ perfectionis produci non possunt à Maximis. Nec video repugnantiam, ut à solo produci Deo possint, ex speciali natura talium entium minorum. Ad confirmationem, omisso antecedente, nego consequentiam in sensu nostræ Conclusionis. Ad probationem patet ex præjacta nuper doctrina: & licèt creare sit entitative minus, potest esse majus arguitivè ex modo præsupponente omnimodam independentiam in agendo.

Vazquez. Suarez. 23 Objicies secundò : nam vel asseritur cum Vazquez limitata Potentia Obedientialis ; vel cum Suarez illimitata ? Si secundum: concursus iste in Vnionem Hypostaticam convenire poterit Lapidi, non minùs quã Mariæ? quæ igitur gloria est Mariæ concursus, qui cadere potest in lapidem : & si concursus iste potest à lapide præstari æquè ac à Maria, quid facit ad Maternitatem? Si primum: deficit fundamentum in casu nostro: nam à Vazquez solùm admittitur incohata virtus circa superna, quando hæc ex speciali prædicato per se sunt oriunda à causâ naturali, ut patet in Potentiis Intellectûs, & Voluntatis. Hæc latissimè fundit P. Aldrete *disp.33. tota, & disp.32. sect.4. num.14.* *Aldrete.*

24 Respondetur, & deserto principio Patris Suarez, ex quo fateor bene arguere Patrem Aldrete, dico cum Vazquez limitatam esse subjectivè, & objectivè Potentiam Obedientialem Activam, ut disputando *de Potentia Christi* dicetur: ad impugnationem negò quod assumitur: patet enim ex discursu nostræ Conclusionis quanto cum fundamento adstruatur in Virgine ista Virtus activa pariformiter ad illam, quam circa Actus vitales supernos in Intellectu, & Voluntate, ex Schola nostrâ, nemo cordatus negat. *Mens nõstra de Pot. Obed. infrà lib.5. disp. 7. sect.2. à nu.34.*

Et hæc de Causis Incarnationis,
& toto libro tertio.



LIBER

LIBER QVARTVS
DE EFFECTV INCARNATIONIS.

DISCVSSIS in antecessum Ipsius Incarnationis Essentiâ, Necessitate, causisque jure succedit Effectuum cõtemplatio. Et Effectus Incarnationis inter alios princeps, est Redemptio nostra, seu satisfactio pro Nobis à Christo exhibita: in cujus exactam indaginem ingens nos Disputatio vocat: interque ipsam de Redemptionis qualitate, condignitate, infinitudine, rigore justitiæ, obligatione, & libertate gravissimę Nos controversiæ manent: quas dissectim & ad varia capita rerum, nempe vel cùm de Christi Domini meritorum valore : vel cùm de Incarnationis necessitate, in specie justitiæ ; vel cùm de Christi ipsius Perfectionibus, & voluntate sermo est, reducere solent alii, & exagitare communiter, ducti vestigiis præcedentium. Nos hîc omnia. Ibimus exinde planiùs in Christi Domini Mores, Munia, & Attributa : ex quibus libro quinto toti tractationi pangemus & coronidem, & coronam.

DIS-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO I.

REDEMPTIONIS QVIDDITAS, VERITAS, & Modus.

Scripturæ Concilia Trident. errores ali qui videndi apud Galat. & Suarez.

1 CHRISTVM Dominum Redemisse Nos pretio sui Sanguinis, & satisfeciſſe pro Nobis, est res certa de Fide ex Scripturis, PP. & Conciliis, Tridētino præsertim *sess.6. cap.1. & 2.* Errarunt in id Iudæi, Pelagiani, & Abaylardus, ex diverso motivo negantes Christo Domino Titulum Redemptoris. Iudæi, non solum negato Adventu Messiæ in lege promissi, sed etiam somniantes eum, venturum quidem Redemptorem, non Animarum, sed Corporum: nec bonorum supernaturalium Authorem, sed temporalium. Quo de errore videri potest Galatinum potest Eximius Doctor *disp.1. de Incarnatione, & disp.4. sect.3.* Pelagiani, negato peccato Originali, & Divinæ Gratiæ necessitate, docentes Christum Dominum, solùm venisse ut homines Doctrinâ, & exemplo doceret, non verò ut ipsos redimeret, aut pro ipsis satisfaceret: ubi enim debitum non præcedit, otiosa est exhibitio satisfactionis, & pretii. Inde dixere, Christum non venisse pro his, qui se præcesserant, sed solùm pro his, qui secuti: his enim & non illis prodesse Christi Doctrina peterat: ita refert *Pelagii Malleus* Augustin. *lib.2. de Gratia Christi deque Peccato Originali cap.* 16. Abaylardus, (de quo & errante, & resipiscente Baronius *tom* 12. *ad ann.* 1140.) admisso licèt contra Pelagium Peccato Originali, docens Christum venisse non ut Redemptorem, sed ut Doctorem. Vbi enim nulla præcesit servitus, aut captivitas, non potuit esse Redemptioni locus. De quo acriter Sanctus Bernardus *epist.* 190. En errores: contra quos in hoc puncto explicanda est Catholica veritas Redemptionis, & satisfactionis exhibitæ pro Nobis à Chtisto, *qui dedit semetipsum pro Nobis, ut Nos redimeret ab omni iniquitate*, ut loquitur Paulus *ad Tit.* 2. Quæ veritas à plerisque supponitur potiùs, quàm exponitur: ab aliis sic exponitur ut abeat in metaphoram.

Augustin. cōtra Pel. Baronius de Abayl.

Bernardus.

Ad Tit. 2.

SECTIO I.

QVOVSQVE CHRISTI SATISFACTIO debeat dici Redemptio?

Fascinatio Abaylard.

2 RAtio dubitandi, quæ fascinavit olim Albaylardum, est: quia redimi res aliqua tùm propriè dicitur, cùm oblatâ compensatione, seu pretio vendicatur à potestate unius in alterius potestatem, cujus antea erat: vel cùm ab aliquâ captivivate liberatur aliquis in pristinam libertatem. Nihil autem horum propriè competit homini: ergo neque propriè redimi. Minor ostenditur, tribus ostensis. Primò, hominem eximi nunquam posse à potestate Dei. Secundò, neque posse cadere in potestatem Dœmonis. Tertiò nullam captivitatem per culpam incurrere. Primum patet: quia Dominium Dei nititur titulo indissolubili. Patet alterum: quia Dœmon non potest uti hominibus prout vult, sed quatenus à Deo permittitur. Tertium etiam: quia homo per culpā sub nullius tyrannicâ potestate manet: Non quidem Dei: nam hic est verus Dominus. Non Dœmonis: nam hic solùm est custos, & punitor malorum, ut Minister Divinæ justitiæ: exercet ergo commissum Ministerium, non Tyrannidem.

3 Ob hæc aliqui cum Bernal *disp.* 10. *sect.* 2. docent Redemptionem Christi Domini, aliquid de proprio dicere, & de improprio aliquid. De proprio oblationem pretii, & compensationis æqualis: de improprio

Bernal.

Arriaga. prio, cætera. Alii cum Arriaga *disp.* 7. vix aliter ajunt hominem proprie dici Redemptum, nisi quatenus redimi sonat, iterum, & pretio emi. Legi potest *Epistola* Sancti Bernardi 190. contra Abarlardum.

Bernard.

§. I.

CATHOLICA VERITAS.

4 SIt Conclusio. Satisfactio Christi Domini verè & propriè debet dici Redemptio: sic necesse est sentiant, & dicant *qui Redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici*, ut dicitur *Psalm.* 106. Probatur primò ex communi locutione Scripturarum, Conciliorum, & Patrum cujus rigor, & proprietas debet admitti: & agnoscenda, si premimur, inopia mentis nostræ. Secundò ex Damnatione Abailardi reseriptâ ad Bernardum ab Innocent. III. & quam habes inter Bernardi Epistolas, *epist.* 194. Tertiò ex ratione: quia homo, dum peccat, transit in Regnum, & captivitatem Dœmonis, & sine metaphora aliquomodò desinit esse Dei: ergo liberari à peccato per oblationem pretii justi, est propriè redimi. Consequentia liquet ex ipso rigore Redemptionis.

Psal.106.

Bernard. Innoc. III.

5 Antecedens ostenditur primò ex illo Pauli 2. *ad Timotheum.* 2. ubi monet Infideles, qui resistunt Evangelio, corripiendos esse modestè: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ejus volùtatem. En assertam captivitatem. Secundò *ex* 1. *capite ad colossens.* ubi sic: *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ.* En assertam potestatem Dœmonis in peccatores, eorumque per Christi merita, tanquam pretium, translationem in Regnum Dei, à quo exciderant. Tertiò ex Tridentino *sess.* 5. *canon.* 1. ubi definit Adamum peccando *incurrisse mortem, & cum morte captivitatē sub ejus potestate, qui deinde mortis habuit imperium*, ideſt Diaboli. Quid apertius? Sed in quo consistit potestas hæc Dœmonis, & Tyrannis, & nostra captivitas? Hæc tota difficultas.

Timoth. 2. 2.

Colossens. 1.

Trident.

6 Dixerunt aliqui consistere in necessitate peccandi, vel incursâ per peccatum ab homine, vel illatâ à Dœmone. Neutrum bene: quia per peccatum non amittitur libertas, ut dictum alibi. Tùm quia Necessitas peccandi est implicatoria: *Nemo enim peccat in eo quod cavere non potest*, juxta solemne dictum Augustini. Dixerunt alii consistere, in potestate, quam habet Dœmon puniendi homines in inferno. Necdum bene, nec satis. Non satis, quia eam jam agnoscebat Abaylardus, & damnatus est quòd aliam ultra negaret, ut videre apud Bernardum *loc. cit.* Non bene: quia ea potestas non est tyrannica, sed ministerialis, nec in ea Dœmon excedit ultra Dei permissum: Tùm quia ea captivitas est localis & post decessum in peccato.

Augustin.

Bernard.

7 Dixit Araujo, consistere in potestate quasi commissarii quam habet dœmon delegatam à Deo tentandi hic homines, suggerendo materiam, ut peccent, & puniendi posteà. Necdum bene. Tum quia neque id negavit Abaylardus. Tùm etiam quia facultas ista puniendi non est tyrannica, sed ministerialis, ut dixi: altera tentandi, subdelegari non potest à Deo, intentatore Malorum. Deinde ubi non est ordinaria potestas Tyrannica, quâ ratione potest esse subdelegata Tyrannis?

Araujo.

8 Dixerunt alii cum Vazquez, Andrea de Vega, & Bernal, consistere in debito per peccatum contracto carendi subsidiis gratiæ, sine quibus & erat impossibile emergere à peccato in quod per suggestionem Dœmonis eramus lapsi, & valde difficile, resistere gravissimis suggestionibus Dœmonis pugnantis contra nos, coactos exinde militare semper sub vexillis Diaboli, & nunquam redeundi ad Patriam adinstar Captivorum. Appositè: Nondum tamen satis, opinor, ad rationem dubitandi. Cui plenè ut satisfiat,

Vazquez. Vega. Bernal.

9 Addenda sunt tria, vel augendo, vel illustrando discursum Vegæ, Vazquez, & Bernalii. Primum sit. Licèt peccatum non posset esse ratio cur peccans eximatur à jure Divino simpliciter, & absolutè, cùm potius sit nota novæ, & vilissimæ servitutis, ut *infrà*; tamen quia ex se est discessus à Voluntate Dei, & malum non aliter, quàm per Divinæ Gratiæ vires reparabile, se ipso est status quidem elongationis à Regno Dei, in quo sunt pax, & justitia; & cujusdā discessus à potestate Dei. Ratio est: quia ponit hominem in statu in quo neque placere Deo potest, neque tributum ipsi solvere grati obsequii, nec Deus ipso uti ad officia sui beneplaciti: ad quæ, bonis alioqui servis, uti potest, & vult.

Mens nostra.

10 Alterum sit: Vt peccatum, quia se ip-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipso est discessus à Voluntate Dei, reddit hominem Deo rebellem, & quasi exulem à Dei Regno; ita, quia est accessus ad malum, se ipso reddit hominem addictum voluntati ejus, cujus suggestione malum esse cæpit, & est: obligatque (dato veluti *Chirographo suæ voluntatis*, de quo Paulus) hominem in usus voluntatis Deo rebellis, id est Diabolicæ.

11 Tertiò sit: Vt est Regnum Dei, quod & à Deo est, & in quo quicquid est, est à Deo; sic est Regnum peccati, teste Paulo, quod & à Diabolo est, & in quo quicquid est, est voluntas Diaboli, & non Dei. Cùm ergo perversitas Dæmonis, ex odio contra Deum, Regnum hoc peccati in mundum invexerit, seque in eo coli voluerit; quot peccato vicit, subtraxit Deo, & fecit suos, quibus per tyrannicas suggestiones contra Dei veri Domini voluntatem utatur, ut re bello partâ, & pretio emptâ, & quasi esset propria.

12 Ex his jam est facilis explicatu Tyrannis Diaboli, nostra servitus, & captivitas. Sicut enim res addicta voluntati contrariæ veri Domini, & in usus Raptoris, ac sub statu, in quo irreparabiliter necesse est serviat usibus contra jus Domini, verè dicitur esse captiva, & sub statu servili, ad eum modum, quo manet servus, qui se vendit alteri; & captivus, qui in bello capitur: quia neuter manet ultrà, sui juris, sed addictus in usus vel Emptoris, vel Actoris: ita qui peccat: quia vel se mancipat, & vendit Dæmoni, vel superatur ab ipso pugnante contra Deum, ut Scripturæ loquuntur, atque adeò manet addictus Regno Diaboli, & in usus Diabolicæ voluntatis; verè dicitur manere captivus, & sub statu servili.

13 Tyrannica ergo potestas consistit in eo quòd adversus verum Dominum, reipsà invexerit Regnum peccati Diabolus, cujus ipse sit princeps, noscque vel oblato pretio voluptatis, quasi ex titulo venditionis; vel pugnando contra nos ipsos, & Deum, quasi titulo victoriæ fecerit suos, amoveritque à Regno Dei in suum, & à voluntate Divinâ in usus suæ, per quos ita deinceps manere cogimur, quasi non essemus Res Dei, sed Diaboli: neque Nati tributum amoris Deo solvere, sed servire sub tributo Diaboli. Qui status, cùm aliunde, nisi misereatur nostri Deus, sit perpetuus, certè est status miserrimæ servitutis, & captivitatis. Ab hac servitute, & captivitate, & ab illà tyrannide liberati sumus à Christo Domino, oblato pro nobis pretio sui sanguinis, atque adeò strictè, propriè, & verè Redempti: quo rationi dubitandi fit satis.

§. II.

OBIECTIONES OPPOSITÆ.

Abaylardi objectio.

14 OBjicies tamè ulteriùs primò: Dæmon injustè facit, & contra rationem, quando tentat, & vincit homines: ergo hujusmodi victoria non potest esse titulus acquirendi verum Dominium, aut aliquam justam potestatem in eos. Consequentia patet: quia super eum qui in bello injusto capitur, nullum acquiritur verum jus. Confirmatur: quia Deus nullam injuriam faceret Dæmoni, si nullo soluto, vel spectato pretio liberaret hominem à peccato. Sic arguebat apud Bernardum Abaylardus: cui ex illo respondeo negando suppositum arguentis: nimirum requiri ad strictam, & veram captivitatem, & statum servilem, veram, & justam potestatem in eo qui capit, & facit alium sibi servire: sufficit Tyrannica, qualis est Dæmonis: cujus potestas in hominem, ut acutè Bernardus ait, est justa, id est, justè permissa: & non est justa, id est justè usurpata, & exercita: justè tamen homo tenetur à Dæmone captivus, addit Bernardus, justitia se habente non ex parte Dæmonis tyrannidem exercentis, sed Dei permittentis. Ad confirmationem, concesso quod assumitur, nego quod intenditur. Ratio: quia ista servitus non est titulus, quo jus proprium acquirat Dæmon, sed Deus, ut mox explico.

Solutio ex Bernard.

15 Objicies secundò: cùm intervenit vera Redemptio, debet offerri pretium illi apud quem est Captivus, & qui Tyrannidem exercet; atqui pretium Sanguinis Christi non est oblatum Dæmoni, sed Deo: ergo neque intervenit vera Redemptio, neque homines fuere captivi sub tyrannide Dæmonis. Tetigit hoc dubium Nazianzenus ante Abayiardum *orat. 42. post medium.* Respondeo: distinguo majorem: si pretium sit illi debitum, concedo; si non sit nego: dandum enim est ipsi cui debetur, & qui habet jus ad ipsum, si exhibendum sit. Deo autem offenso, & non Dæmoni debetur pretium pro Redemptione hominum à peccato: quia Deus, & non Dæmon acquirit ex peccato verum jus adversus hominè: & respectu Dei, & non Dæmonis resultat in peccatore debitum justæ servitutis: nam servitus, & captivitas, quam sub Dæmone patitur homo, tyrannica est, & so-

Nazianz.

solùm justa, justitiâ permittentis Dei.

16 Quę ut intelligantur, distinguenda est triplex servitus hominis ad Deum. Altera naturalis, & ex obligatione per se. Altera ingenua, & ex devotione; tertia turpis, & vilis, ex obligatione peraccidens. Prima est essentialis, nixa titulo creationis, vi cujus homo nascitur Dei servus, tanquam sui veri Domini Naturalis. Secunda habetur per Dei gratiam, vi cujus fit homo de Regno Dei, Deusque regnat in homine tanquam in re suæ electionis, & beneplaciti. Tertia contrahitur ex peccato dante Deo jus novum necis in hominem, jusque exigendi satisfactionem pro offensâ, eumque permittendi ruinæ, & tyrannico mortis, & Diaboli imperio. Prima servitus, utpote essentialis, est inextinguibilis. Altera amittitur per peccatũ. Ab illâ tertiâ liberatur homo per Redemptionẽ, oblato Pretio Deo antè offenso, sicque manet reconciliatus Deo, & translatus à Tyrannide Diaboli ad Regnum Dei, à quo per suggestionem deturbaverat Dæmon, faciendo illum suæ voluntatis contra Divinam, & ponens in statu, in quo maneret homo sine jure, aut viribus redeundi in Regnum ad quod creatus erat, nisi Redemptor intercessisset.

17 Objicies tertiò difficulter: ergo soluto jam pretio Redemptionis, extinctum est debitum servitutis, sublata captivitas, & extincta Tyrannis Diaboli cum regno ipsius: quæ omnia manere debuerunt ante pretii solutionem: quæritur ergo: cur tentamur hucusque & premimur, incursu Dæmonum? quâ ratione, si sublata est captivitas, etiâ justi premuntur, & omnes non sunt justi, deque Dei regno? quâ ratione ante adventum Christi restituta est, vel remissa Veteribus pœna carendi subsidiis ut redirent ad regnum Gratiæ & Dei? Si autem eis remissa est ea pœna, & simul culpa, sublata jam erit ab initio captivitas, & extincta Tyrannis: cur ergo dixit Augustinus *nobiscum nunc esse pugnam cum cane alligato*, illis autem ante adventum Christi *cum cane soluto*? cur dixit Christus: *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*, quod de Diaboli ejusque regni destructione intelligit Ecclesia?

Augustin.

18 Videtur ergo valde difficile explicare modum & effectum istius Redemptionis. Evanescet difficultas, explicando tria, in quibus nititur. Primum: in quo consistit modus, & effectus Redemptionis. Alterũ: quâ ratione, si sublata Tyrannis est, patemus hucusque Dæmonum incursibus? Tertium, quâ ratione, vel tempore, destructum sit imperium Diaboli, & ipse sit alligatus, ut loquitur Augustinus, ex Christi meritis?

19 Respondeo igitur & assero primò (quod *ex sect. sequenti* dilucidius fiet, cùm de natura & modo satisfactionis:) licèt Christi Redemptio tanti valoris sit, ut, se solâ, sufficeret, ad solvendam captivitatem peccati independenter ab aliâ conditione; non esse tamen ita putandum, quasi eâ semel positâ, extinguatur peccatum in nobis, per modum pretii seipso formaliter extinguentis debitum servitutis: fieret enim inde, nullam cooperationem nostram esse necessariam, ut à peccatis liberaremur: imò omnes sine peccato futuros, quod hæreticum est. Consistere autẽ in eo quòd Christus Dominus obtulerit Deo pretium æquivalens servituti peccati, cujus pretii intuitu voluit Deus reconciliari nobiscum, remittendo imprimis absolutè debitum peccato contractum carendi auxiliis Divinæ Gratiæ, eaque nobis insimul impertiendo, per quæ constituit in manu nostrâ reditum ad regnum Gratię suæ, obligans se deinde intuitu Redemptoris ad condonationem peccati, & ad Nos admittendos in gratiam suam, inque jus ad gloriam (nisi per nos staret) per media, quæ in hunc finẽ instituit Redemptor & voluit esse suæ Redemptionis applicationem, & veluti quædam organa obtentæ nobis Reconciliationis, & Gratiæ. Sicque est soluta Captivitas: cum quo stat bene, quòd omnes, justi, & salvi fieri possint per Christum, & quòd omnes nec justi, nec salvi fiant. Videatur P. Valentia Omnium, quos viderim, optimè de re differens *hic quæst. 22. punct. 1.*

P. Valent.

20 Respondeo & assero secundò: sublatam esse Tyrannidem Dæmonis, non in eo situm, quòd omninò sublatæ sint tentationes: sed in tribus: in eo quòd remissa sit illa pœna carendi subsidiis Divinæ Gratiæ, sine quibus eramus compulsi sub regno Diaboli servire irreparabiliter ejus voluntati, & ferè necessitati ulteriùs labi, quasi mancipati in usus Diabolicæ voluntatis, & quasi Diaboli res potiùs, quàm Dei: in eo quòd urgente suggestione Dæmonum, præveniamur uberioribus, & fortioribus subsidiis ad resistendum: in eo tandem, quòd ille tentationum incursus, nec ita sit frequens, nec ita molestus; atque adeò nec simpliciter tyrannicus, opitulante Gratiâ Redemptoris, qui rescisso chirographo mortis, & peccati, de quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Coloss. 2. *Ioann.* 12. *Luc.* 11. Paulus, & affixo Cruci, foras expulit Principem hujus mundi, fortem armatum qui custodiebat atrium suum. Quocum stat etiam bene quòd relicta sit aliqua tentandi permissio Dœmoni ad gloriam nostram, & triumphum Gratiæ Redemptoris.

21 Respondeo & assero tertiò: quamvis jam ab initio per anticipationem Donorum in spe solutionis exhibendæ per Redemptorem, præcesserit fructus Redemptionis, remissaque sit illa pœna carendi subsidiis Divinæ Gratiæ, & assignata sint media, quibus homines liberarentur à peccato, unde dicitur in Apocalypsi visus à Ioann. *Agnus occisus ab origine mundi*; tamen alligationem Dœmonis, ejusque Regni destructionem simpliciter factam in lege Gratiæ per mortem Redemptoris: id enim voluit ipse, dum dixit: *Apoc.* 13. *Ioann.* 12. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.*

22 Et ratio est: quia licèt ex meritis Redemptoris jam antè non sit permissa Dœmoni tanta licencia nocendi, quantam vellet, & merebamur; tanta tamen permissa est, & auxilia Gratiæ ad resistendum non ita tanta, ut merito videretur Dœmon esse solutus: at in lege Gratiæ: quia & uberiores gratiæ sunt à viciniore fonte totius Gratiæ, qui Chri- *Ioann.* 1. stus est, *de cujus plenitudine omnes accepimus*, & institutæ ab ipso plurima media ad abigendam molestiam Dœmonum, nec ipsis est permissa tanta nocendi potestas, præsertim circa eos, qui sunt in Christi corpore, facti jam ejus membra per Fidem, vel per gratiam, meritò dici potest Dœmon esse ligatus, & foras ejectus: & hæc mens Augustini: unde patet excellentia legis Gratiæ de qua Doctor Eximius *lib.* 10. *de legib. cap. ultim.* & hic Bernal *disp.*10. *sect.*2. jure deserens Ariam Montanum, & Vazquez explicantes aliter alligationem Dœmonis. Videatur ipse, & rursus Suarez *lib.* 8. *de Angelis cap.*18.

Mens Augustin. Suarez. Bernal. Ar Mont. Vazquez.

SECTIO II.

QVOUSQVE CHRISTI REDEMPTIO, DICI possit & debeat Satisfactio?

§. I.

TERMINI ET OPINIONES.

23 PONO primò, duplex cogitari posse genus *satisfactionis*: aliud *strictæ* aliud *non strictæ*. *Stricta* est quæ fit ab offensore, vel ejus nomine ab alio, tanquam Fidejussore per actiones directè destructivas actionis pristinæ, & per quas contentus manere deberet offensus, etiamsi, interveniente justitiâ, satisfactionem exigeret. *Non stricta* est quæ fit per officia, vel preces æquivalentes offensæ, ita, ut attentâ personâ, quæ rogat, vel obsequitur, & precum, ac obsequiorum magnitudine, nequeat offensus non placati sine aliquo vitio; possit tamen citra injustitiam, si velit uti jure suo. Vtraque est etiam duplex: nam stricta potest esse per modum pretii ipso formaliter extinguentis debitum: ut accidit in satisfactione furti factâ per restitutionem ablatæ pecuniæ: vel potest esse per modum pretii non ipso formaliter, sed inductivè, & meritivè extinguentis debitum: ut accidit in satisfactione translativâ dominii, vel simili, quæ fieri nequit sine consensu Creditoris. Non stricta, vel fieri potest per obsecrationem: cùm nempe venia offensæ petitur, à Persona tantæ Dignitatis, ut offensus non possit non indulgere veniam, si segerat, uti par est: Vel fieri potest per obsequia, & officia erga personam offensam, tantæ æstimationis, & pretii, ut offensam æquet ac superet; atque adeò offensus nequeat ulteriorem satisfactionem exigere, nisi rusticus sit, & ingratus.

24 Pono secundò: Vtrumque genus satisfactionis præstari tripliciter posse, *absolutè: conditionatè: vel mixtim. Absolutè*: si præstetur independenter ab aliquâ conditione apponendâ ab iis ipsis, pro quibus satisfit, ut satisfactio sortiatur effectū. *Conditionatè*: si præstetur dependenter ab aliquâ hujusmodi conditione. *Mixtim*: quando satisfactio ut habeat completum & integrum effectum, pendet ab aliquâ conditione apponendâ per ipsos, pro quibus fit: non verò ut habeat aliquem effectum.

25 Pono tertiò: Satisfactionem posse præstari ab uno pro alio, (quomodocumque ea sit) duobus etiam modis. Primò, si is qui satisfacit, operetur ut *Fidejussor*, & *Caput* morale eorum, pro quibus offert satisfactionem. Altero, si solùm se gerat ut *Advocatus, intercessor, & mediator*. Discrimen inter modum utrumque est, quòd si satisfaciens operetur ut caput Morale, dicuntur in ipso & per ipsum operari ii quorum est caput: si verò aliter, non dicuntur operari per ipsum. Vtrumque modum satis indicant Scripturæ de Christo Domino respectu Nostri: tùm ubi dicitur portare delicta nostra, &

& ferre labores nostros: tùm ubi, dicitur mediator & Advocatus noster. Quod utrumque passim. Iam in hoc puncto, pro explicandâ naturâ, & modo satisfactionis.

Prima Sententia RR.

26 Prima Sententia potest esse, satisfactionem Christi potuisse quidem esse per modum solutionis ipsâ formaliter extinguentis debitum; re tamen non fuisse: fuisse tamen strictè satisfactionem, quatenus Christus acceptatus à Patre in Fidejussorem Humani Generis, obtulit ipsi Patri pretium æquivalens offensæ per actiones alioqui nō debitas ex contractu celebrato nō exigendi eas actiones à Christo ex alio titulo, si vellet eligere vitam passibilem pro redimendo genere humano: *Ita Moderni Doctissimi.*

Secunda Sententia.

27 Secunda Sententia vix distinguit, & ait satisfactionem solum fuisse per modum meriti, quo Christus obtinuit nobis auxilia Gratiæ ad resurgendum à peccato, istiusque remissionem, mediis illis auxiliis obtinendam ab Adultis: à Parvulis, per alia media: ita multi cum Vazquez *disp.*4.

P. Vazq.

Tertia Sententia.

28 Tertia Sententia tria dicit. Primum: Satisfactionem præcisè, ut satisfactio est, consistere in oblatione & exhibitione tanti honoris, quanta fuerit peccati dehonoratio, ita ut ea obsequia ratione suæ dignitatis & honoris fuerint sufficientia ad obtinendam offensæ remissionem. Alterum, respectu Dei non aliter volentis condonare peccata quàm per formam intrinsecam, constitisse satisfactionem ulteriùs in eo quòd per illa obsequia Christus obtinuerit offensoribus media, quibus possent eam formam peccati remissivam obtinere. Tertium: respectu Dei sic statuentis, Christi satisfactionem efficacem stare in eo, quòd per illiusmodi obsequia obtinuerit auxilia reipsa efficacia cum peccati remissione conjuncta: sufficientem verò in eo quòd obtinuerit media sufficientia: & hanc satisfactionem dicit esse communem omnibus offensoribus; non illam: ita Recentes nostri, qui rem attingunt, cum P. Bernal *disp.*10. *sect.*1. In singulis aliquid desidero.

P. Bernal.

§. II.

SENTENTIA NOSTRA.

Nostra Mens.

29 PRima Conclusio: Christi satisfactio, quomodocumque ea fuerit, non fuit nec omnino absolutè facta, nec omninò conditionatè, sed mixtim. Ratio est: quia satisfactio Christi habet aliquem, & non omnem effectum in omnibus. Explico. Duos præcipuè effectus habet & præstat in nobis satisfactio Christi. Primum: dare nobis *potestatem filios Dei fieri*, ut Ioannes loquitur, obtinendo nobis remissionem debiti, quod peccato contraximus, carendi mediis sufficientibus ad salutem. Alterum, remittere peccata, reparando in nobis amicitiam amissam Dei & in ipsâ jus ad Beatitudinem. Primum præstat absolutè: quia omnibus, independenter ab ipsis, obtinuit media sufficientia ad salutem: de cujus sufficientiæ modo, & generalitate *alibi* disputatur. Alterum præstat conditionatè, id est dependenter ab aliqua conditione per ipsos offensores apponendâ. *Ioann.* 1. *Latè in 1. p. tract.* 2.

Nec id minuit condignitatem satisfactionis Christi, sed extollit, quia hæc dependentia non provenit ex defectu valoris, & efficacitatis in illâ, sed aliunde. Primò: quia alioqui summa esset licentia peccatorum. Secundò: quia ad gloriam ipsius Christi spectat, ut qui sunt ejus meritorum participes, profiteantur illius fidem, & obedientiam, sibique ipsis displiceant, ut placeant Deo, cujus in amicitiam redeunt. Tertiò: quia sic nos facit cooperatores suos, vel ad nostram salutem, cùm nos per ejus gratiam disponimus, vel ad alienam, cùm Sacramenta, vel alia media aliis applicamus; quæ singula commendant efficaciam Redemptionis.

30 Secunda Conclusio: satisfactio Christi nec fuit, nec esse potuit per modum satisfactionis se ipsâ formaliter extinguentis debitum offensæ. Sic apertè colligo ex Patre Suarez *disp* 4. *sect.* 5. §. *ex his ergo quæ in genere*: & prima pars patet: quia alioquī fieret remissio peccatorum per imputationem meritorum Christi, & præscisim à justitiâ inhærente: imò ipsa exhibitio satisfactionis extinxisset in omnibus, & singulis omnia peccata. Adde quòd nulla peccata possent esse: quæ omnia plena sunt hæresi, & absurdo. Probo secundam partem, non ex eo quod satisfactio Christi se habet extrinsecè ad nos: quod videtur sufficere ne per ipsam fieri remissio peccati possit: eo enim arguendi genere, nolo nunc uti. *P. Suarez.*

31 Sed primò: quia ut satisfactio Christi extinguat se ipsâ formaliter peccatum, & debitum ipsius, debet esse directè, & formaliter oppositа peccato, ejusque debito; atqui non est: quid enim opponitur cum dissonantiâ, & obliquitate ad rationem, quæ

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in nobis est, rectè tudo meritorum in Christo? Secundò: quia nequit fieri formaliter remissio, nisi cedente Deo jure quod habet adversus peccatorem: atqui satisfactio Christi nequit esse formalis illa cessio vel activa: vel passiva Divini juris: debet enim esse actus ipsius Dei: ergo, &c. Ex quo constat quàm parum cautè aliqui moderni definiant peccatum Habituale: per peccatum commissum,& vel non condonatum,vel satisfactum: quasi per præcisam exhibitionem satisfactionis extingueretur.

Recent.

32 Tertia Conclusio: Nihilominus satisfactio Christi propriè est satisfactio, præstita modo triplici, latè, sed propriè. Primò per condignam obsecrationem. Secundò per condignum meritum. Tertiò strictè per exhibitionem obsequii dignitate, & honore excedentis peccati offensam, & inhonorationem. Modo hoc triplici, se non excludente adinvicem, ut patet (nam exhibitioni obsequii necessariò est annexa vis meritiva, & potest annecti vis condignę obsecrationis) præstita est satisfactio Christi, operando in nobis modo *supra* explicato suæ Redemptionis effectum. Probemus modo singillatim tres conclusionis partes.

Suprà à nu. 23.

33 Satisfecit imprimis Christus per condignam obsecrationem. Primò ex Paulo *ad Hebræos* 5. dicente de Christo: *qui in diebus carnis suæ, voces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua Reverentiâ.* Audiator Chrysostomus *tom. 2. homil. 8. Pro reverentiâ exauditus est, vult ostendere ejus esse magis effectum quàm gratiæ Dei*: quare post Chrisostomum Reverentiam illam de maximâ venerabilitate Deprecâtis accipiunt multi cum nostris Valentia, & Granado. Iam sic: Tunc fit satisfactio per cõdignam obsecrationem, quando qui veniam postulat, tantæ dignitatis est, ut offensus pro reverentiâ obsecrantis placari debeat: at tantæ dignitatis est Christus: est enim paris cum ipso offenso: ergo.

Hebræor. 5

Chrysost.

Valentia. Granad.

34 Secundò ratione: quia oratio Christi Domini tantę erat æstimationis apud Deum, ut eam contemnere non posset, & in ipsâ non complacere: ut ex *infrà* dicendis fiet, & ex *suprà* discussis *lib. 1. sect. 3.* sequitur: ergo necessitatus est exaudire, & annuere. Probo consequentiam: quia eo modo necessitatur exaudire, & annuere, quo complacere necessitatur, & necessitatur non contemnere preces Christi: sed necessitatur complacere juxta dignitatem moraliter indistinctam à precibus, quę est Verbi Divini orantis, atque adeò quantum potest necessariò, & necessitatur non contemnere, ut nec ipsam personam, quæ deprecatur: ergo, &c.

Infrà Et suprà lib. 1. disp 3

35 Satisfecit deinde per modum meriti condigni. Primò: quia nihil aliud magis expressum in Scriptutis. Deinde ratione: primò quia opera Christi Domini sunt tãti valoris, ut æstimatione superent omne malum offensæ, & quicquid requiritur ad peccati destructionem in nobis. Vt planum *infrà* faciam: ergo sunt satisfactio per modum condigni meriti. Secundò: quia in obsequiis Christi Domini non potuit non complacere Deus, juxta dignitatẽ Personæ operantis indistinctam moraliter ab ipsis quoad æstimãtionem, & vim movendi, & inducendi bona: ergo in ipsis ut oblatis in reparationem humani generis non potuit non complacere Deus: ergo non potuit non moveri ex ipsis sic oblatis ad remissionem injurię: ergo. Tertiò: neque ex parte præmii, neque ex parte contrarii potuit esse inæqualitas, quæ obstet huic modo satisfactionis. Non ex parte præmii: quia finitum est: & opera Christi valoris infiniti, ut *infra*. Non ex parte contrarii, nempè offensæ: cùm sit major dignitas meritorum Christi, quàm peccatorum omnium indignitas.

Mox disp. 2. & 3.

Infrà disp. 3.

36 Satisfecit denique strictè per oblationem honoris, & obsequii excedentium peccati inhonorationẽ. Ratio: quia tunc strictè fit satisfactio, cũ nomine alterius offertur offenso obsequium plùs ipsi complacens, magisque honorativum ipsius, quàm offensa sit displicens, & dehonorativa; atqui obsequia Christi Domini sunt oblata Patri, nomine hominum, quorum erat fidejussor acceptatus ipse Christus Dominus, & plùs Deo placentia, quàm offensa nostra displicuit, magisque honorativa Dei, quàm offensa inhonoraverit: ergo satisfactio Christi præstita per hujusmodi obsequia habuit rigorem strictæ satisfactionis. Sed hucusque potiùs de modo locutus sum, quàm de condignitate satisfactionis de quâ *disp seqq.*

Infrà disp. 2.

37 Objicies contra secundam conclusionem. Tùm quia satisfactio Christi Domini superat offensam infinito excessu: ergo coram Christi satisfactione non potest manere peccato vis motiva odii, vel pœnæ: ergo eo ipso cessat in homine vis motiva odii, & pœnæ: ergo & peccatum: quippè non distinguitur

Infrà disp. 3. Suprà lib. 2. disp. 3 à nu. 196 & à nu. 276.

guitur à vi motivâ odii, & pœnę. Antecedens probatur *infrà*. Prima consequentia patet ex dictis *suprà*: nam diximus in præsentia demeriti non posse movere meritum hominis justi, quia meritum istud superatur ab illo demerito. Tùm etiam quia eo ipso quod offensor præstet satisfactionem ex se condignam, cessat offensa: resarcit enim jus læsam, nullaque manet inæqualitas inter offensum, & offensorem: sed eo ipso quòd acceptetur fidejussor pro reddendâ satisfactione, eamque præstet, se res habent, ac si offensor ipse præstaret: ergo eoipso cessat offensa. Atqui Christus Dominus acceptatus est Fidejussor, & satisfactionem ex se condignam præstitit, ut supponimus: ergo ea satisfactio fuit per modum solutionis se ipsà formaliter extinguentis debitum offensæ: vel saltem fiet, ex his parùm immutatis, saltem posse.

38 Respondeo neutrum sequi. Nam ex primo solùm fieri potest quòd non obstante demerito, Christi satisfactio retineat vim motivam respectu Dei: quod verò sit formalis assecutio rei quam meretur, & ad quam movet, non fit: imò in termiais implicat. Deinde concesso antecedẽte, distinguo consequens: non potest manere peccato vis motiva, si acceptetur, & applicetur satisfactio Christi in remissionem ipsius, concedo: si non acceptetur, vel applicetur, nego consequentiam. Quod *suprà* diximus, longè diversum est, nempè meritum justi movere, non posse in præsentia demeriti, non præcisè, quia demeritum est majus, sed quia est in ipso cui dandum est præmium, ad quod movere deberet actio justi: quod præmium ex indignitate subjecti, cui dandum, crescit, & excedit vim meritivam justi.

Loc. cit.

39 Ad secundum: dicatur assumptum esse verę Doctrinę, nisi ad cessationem offensæ, intervenire debeat aliquis actus creditoris, & offensi: tunc enim nisi hîc interveniat, non habet effectum satisfactio. Id quod accidit quoties ad satisfactionem non attenditur solùm ad rerum æqualitatem, sed ad jura, & dominiũ Personarum. Deinde quidquid id sit, doctrina non tenet si de naturâ fidejusionis, sit annexum aliquod onus alicujus conditionis expectandæ, & apponendæ ab ipso offensore, ut satisfactio sortiatur effectum: sic autem accidit in casu nostro.

40 Objicies contra tertiam assertionem. Tùm quia stricta satisfactio præstari debet ab offensore. Tùm quia præstari debet per actiones directè oppositas injustitiæ, & offensæ. Tùm demum per actiones aliunde non debitas offenso citra titulum offensæ, cui satisfiat. Quæ tres conditiones desunt satisfactioni Christi: non ergo est strictè satisfactio.

41 Respondeo ad primum, eam satisfactionem jam præstari ab eodem offensore, vel re, vel jure; præstatur enim ab ejus fidejussore: quod sufficit. Ad alterum, dico oppositionem necessariam satisfactioni cum offensâ, sitam in eo quòd tam vel magis sit honorativa offensi satisfactio, quàm offensa fuit ejus inhonorativa; tantumque præstet summissionis in honorem offensi satisfactio, quantum elevationis in contemptum ipsius offensæ prætulit: quæ singula superabundè præstant actiones Christi Domini.

42 Ad tertium vel dicatur eas actiones Christi non esse aliunde debitas, aut quia ex contractu relictas arbitrio Christi, aut quia non exactas ex alio titulo, aut quia per se incapaces exigi prout ab ipso supposito à quo valorantur, & cujus sunt: aut dicatur eam conditionem non requiri, si nihilominus eædem actiones alioquin debitæ, sunt sub speciali dominio fidejussoris, & satisfacientis, juxta varios dicendi modos, quibusde *infrà* commodiùs, & opportuniùs.

Disp. 2. 3. & 4. præs. lib.

SECTIO III.

QVOVSQVE SE EXTENDERINT SATISfactio, & Redemptio Christi?

43 AN ad omnes homines, & quo effectu? An etiam ad Angelos, & ad utrorumque Reginam? Duo nota. Primum, satisfactionem & Redemptionem à Theologis dividi in sufficientem, & efficacem. Efficax est, quæ reipsâ sortitur totum suum effectum, scilicet illos duos quos *num.* 23. diximus, absolutum, & conditionatum. Sufficiens est, quæ per oblationẽ condignæ satisfactionis offensæ, obtinet ex duobus illis effectibus absolutum, nempe media sufficientia, per quæ ponit in manu nostra conditionatum effectum, nempe liberationem à peccato.

Suprà nu. 23.

44 Alterum, Redemptionem, & satisfactionem sufficientem, non ex eo dici sufficientem quòd nullũ præstet effectum, solumque sit oblatio pretii sufficientis, ut explicant impiè Iansenistæ, sed ex eo quòd obtineat media sufficientia, quibus si velint, qui Redimuntur, uti, habebunt ulteriorem effectum

Error Sanseni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum Remissionis. Ex quo infers primò: Redemptionem sufficientem dici posse aliquatenus efficacem. Secundò: eam, quæ simpliciter dicitur efficax, non esse ita Prædestinatorum propriam, ut respectu alicujus offensæ non conveniat Reprobis. Tertiò: sufficientem jure dici generalem: & efficacem, specialem: specialissimâ verò quæ sortitur effectum æternæ liberationis à peccato, & consummatur per obtentam Beatitudinem. Iam in hac re certum est Satisfactionem, & Redemptionem non se extendisse ad Angelos malos. De cætero sit

45 Prima Conclusio: Satisfactio, & Redemptio Christi sufficiens, verè, & propriè se ad omnes homines se extendit; non autem efficax. Vtraque pars est de Fide. Secunda patet, quia multi pereunt, nec à peccato resiliunt. Prima probatur: quia *Christus pro omnibus mortuus est, & Sanguinem fudit*: frustra autem id diceretur, si sufficientia media ut à peccato resilirent, non obtinuisset omnibus Christus Dominus. Assumptum verò definitum est contra Ianseníum *ab Innocentio X.* & ostenditur ex Scripturis, Conciliis & Patribus specialiter, & fusè à Ripalda *contra Bajum disp. 23. à sect. 19.* à Stephano Dechamps *de hæresi Ianseniana:* à Petavio *de Incarnat. toto lib. 23.* ab Annato *in examine quintæ Propositionis Ianseni:* & à Martinõ, sub nomine Moraines *in Antijanseníum*. Brevi nunc à nobis ex ratione: quia *Deus vult omnes homines salvos fieri*: non tamen aliter quàm per Christi mortem: ergo pro omnibus Christus mortuus est, & Sanguinem fudit.

Innoc. X. *Ripalda.* *Dechampſ.* *Petavius.* *Annatus.* *Morainef. seu Martinon.*

46 Secunda Conclusio: satisfactio & Redemptio Christi, non se extendit ad Angelos, sub ratione satisfactionis, & Redemptionis. Id addo, quia extendisse se sub ratione meriti influentis in eos gratias, quibus potiti sunt, non nego. Ratio assertionis est mihi duplex. Prima: quia Redemptio, & Satisfactio, si propriè sumantur, supponunt vel captivitatem, vel offensam: nihil ex his in Angelis. Altera: quia si Angelis bonis attribuenda sit Redemptio, etiam poterit Malis attribui, quatenus & Gratiæ, quibus præventi sunt, ne caderent, & per quas constituti sunt liberi ad obsequium, datæ sunt etiam ex Christi meritis: unde dici posset Redemptos fuisse quoad sufficientiam, cùm homines, qui reipsà non liberantur à peccato, Redempti dicantur, quòd ex Christi meritis habent media, quibus uti si velint, liberarentur. Quare si aliqui Patres Angelos inquiunt à Christo Redemptos, Redemptione præservativâ; loquuntur impropriè, &, juxta nostræ assertionis notam, interpretandi.

Infrà lib. 5. disp. 4. à num. 102.

Sensus PP.

47 Tertia Conclusio: Neque sub ratione strictæ Satisfactionis, & Redemptionis se extendit ad Matrem Filii Redemptio, & Satisfactio. Ratio est: quia satisfieri alteri pro alio, & hunc redimi propriè, requirit compensationem offensæ, & liberationem ab aliquâ servitute, illiusve periculo. Sed Beatissima Virgo nec offensam habuit, nec servitutem passa, nec ejus periculum: non ergo potuit propriè redimi, aut pro ipsâ strictè satisfieri.

V. Deipara de quâ jam suprà lib. 3. disp. 2. nu. 228.

48 Quarta Conclusio. Nihilominus Virgo dici poterit *latè & impropriè* Redempta, proque ipsa satisfactum, in uno genere: in altero verò propriè & strictè: quo discordes Sententias concilio, & indulgeo communi Sententiæ. *Latè & impropriè*, si sumantur Redemptio, & Satisfactio, juxta rigorem vocis: & ratio est: quia in eo sensu tolum potest dici Redempta, Redemptione præservativâ: quæ Redemptio non est vera, *nec propria* præsertim ubi nullum fuit periculum offensæ vel servitutis. *Propriè & verè*: si satisfactio sonet oblationem pretii, quo exempta est à lege subjiciente eos, quos comprehendit, captivitati, & servituti: & si Redemptio sonet exhibitionem pretii, quo quasi empta res est: sic apud Iurisperitos dicuntur lites redimi, cum fit aliqua jactura, ut quis rem sine obice litis suam habeat. In hoc sensu propriè dici poterit, & pro Virgine satisfactum, ipsamque Redemptam, cùm & propriè sit exempta à lege peccati per Christi merita, propriè sit empta ne comprehenderetur intra periculum labendi.

Quo sensu

Redempta?

49 Alio modo se Bernal explicat, quê non probo *disp. 10. sect. 3.* & multis aliis se P. Salazar *cap. 24. n. 9.* egregiè disputans *pro Redemptione Virginis*: qui bene addit, satisfieri PP. & CC. si dicatur saltem præservativè Redemptam ab Actualibus, licèt Redempta non dicatur ab originali ob exclusionem absolutam à lege & à pacto cum primis Parentibus inito.

Bernal. *Salazar.*

50 Dices: quidni ergo & Angeli dicantur præservativè Redempti? Respondeo, favere quidem huic locutioni Sophronium, seu Hieronymum, & apertè Bernardum apud Salazarium *cap. 24. §. 10. fin.* Sed rationem disparitatis esse, quia sicut Redemptio præservativa supponit servitutem, à quâ eruit, ita Præservativa Redemptio dicit aliqualem obnoxietatem servituti à quâ præservat. Eo enim ipso quòd talis obnoxietas detur, & pretio dato ponatur res extra periculum servitutis, in quo, & in qua aliter existens quàm ex dato pretio, necesse est foret, propriè dicitur præservari. Virgo autem licèt ex Christi meritis nullum debitum habuerit contrahendi peccatum, quia ex eisdê meritis excepta, & exempta à lege, seu non inclusa in pacto, cæteris naturæ ejusdem, & propaginis communi, necessariò est naturæ, in qua si existeret aliter, ac ex dato pretio pro tali privilegio, connaturale fuisset pati servitutem, ejusve periculum: at Angeli ex suâ naturâ, nulli erant addicti periculo servitutis contrahendæ, indistincto ab ipsorum libertate, quæ non sufficit pro prærequisito Redemptionis. Video multa hîc miscerí de nomine. Video etiã, à multis, strictiorê vocari Redemptionem Præservativam, fortè quia majoris amoris, & beneficii: quasi major beneficii vis majorem adderet rigorem vocibus institutis ad aliud planè significatum. Tu vide Salazarium, & utere vocibus, ut locus feret.

Sophronius seu Hieron. & Bernard apud Salazar.

Salazar.

DISPVTATIO II.

REDEMPTIONIS, ET SATISFACTIONIS Christi Condignitas.

1 ASSERITVR ab omnibus, ut dogma Fidei expressum in Scripturis, sive cùm dicitur *Copiosa Redemptio*, Psalm. 129. sivè cum exprimitur absolutè nomine *pretii Magni* 1. ad Corinth. 6. sive cùm simpliciter appellatur *Emptio, Solutio, Redemptio, Satisfactio*, & *Propitiatio*, passim: qui contractus Pretio condigno dicuntur simpliciter peragi, & consummari. Lis est tota de modo. Nam condignitas venire potest ex intrinseco valore rei, quæ datur in pretium: vel venire, & quasi suppleri potest ab extrinsecâ acceptatione illius, cui offertur in pretium. Rursus ista condignitas considerari potest in Actu primo, seu quoad intrinsecam sufficientiam, vel in actu secundo, seu quoad efficaciam inducendi obligationem in eum, cui offertur.

Psal. 129. *1. Corinth.*

SECTIO I.

QVOVSQVE CHRISTI REDEMPTIO, ET Satisfactio fuit ex se condigna simpliciter?

§. I.

AVTHORVM SENTENTIÆ.

2 PRima Sententia negat Christi Redemptionem, & Satisfactionem esse cõdignas ex se, sed ex Divina tantùm acceptatione: sic Schotistæ *cum Duce suo in 3. dist. 19. & 20.* ibique Durandus, Gabriel, Aranda *de Incarnatione*, Almainus, & alii apud Amicum *disp. 5. sect. 8.* quibus accessere Calvinus, & Scancarus, hæretici, locis citatis à nostro Vazquez *disp. 5. cap. 1.* Non tamen perinde negatur ab illis Catholicis Authoribus ex Dignitate Personæ in Christi meritis major quædam intrinseca congruitas, ut Deus velit illis esse contentus, respectivè ad opera puri hominis. Vnde si legantur attentè, & benignè, facilè trahi se sinent, (& certè veniunt sponte suâ plures cum Merinero) ad secũdam Sententiam. *Vnus* Durandus fortè resistet, arbitratus respectivè ad Deum non esse locum merito strictè condigno, nisi accedente acceptatione.

Schotistæ cum Duce Durand. Gabriel. *Almain. apud Amic & Vazq. Appropiat Sectarii.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Secunda Sententia distinguit, & absolutè docens Christi satisfactionē & Redemptionē esse ex se condignas, addit, esse tales in actu primo, sive quoad sufficientiam, independenter ab ullâ acceptatione: non verò quoad efficaciam, & in actu secundo: ad quem requirit acceptationē, non ut valeant, sed ut obligent. Illustrat exemplo: centum aurei pro equo totidem valente, requirunt acceptationem Domini, non ut sint digni, & valeant, sed ut obligent: Labor diurnus in vineâ, requirit pactum, non ut sit Retributione dignus, sed ut ad eam obliget conductorem. Ita Suarez, & cum ipso communiter Nostri post Sanctum Thomam, & cum Thomistis. *Thomas, & Thomistæ. Suarez, & Nostri.*

4 Tertia Sentētia Condignitatem affirmat tam quoad valorem intrinsecum, quàm quoad vim obligandi non indigam ullius præviæ acceptationis, aut pacti. Sic Vazquez *loc. cit.* quem secuti sunt aliqui Complutenses & alii quos *infra* dabo. *Vazquez. Vide sect. 3. à nu 71.*

§. II.

TENENDA VERITAS.

5 EA est: Christi Domini Nostri Redemptionem & Satisfactionem, ex se simpliciter fuisse condignam. Loquor modò de condignitate quoad sufficientiam, & in actu primo. & ostendo primo ex Scripturis. Ducat agmen Apostoli locus illustris 5. *ad Romanos*, ubi sic: *Non sicut Delictum, ita & Donum*: per quæ, ex mente Pontificum Caii, Leonis, & Agaperi, præfert Paulus Christi Meritum quoad vim salvandi, Deme: ito Adæ, quoad vim perdendi genus humanum: Atqui Adæ demeritum vim hanc habuit ex se: ergo & illam incomparabiliter majorem ex se habuit meritum Christi. Firmatur. Excessus intentus à Paulo nequit vel extensione, vel efficaciâ in actu secundo verificari: nam extensione Demeritum æquè: & plus efficaciâ patuit: ergo vel nullus est, vel solùm est in valore, & dignitate quoad sufficientiam, seu in actu primo: sed Demeritum, positâ quasi conditione Constitutionis Adæ in caput Humani Generis, ex se præcisim ab extrinseco habet vim perdendi: nō enim habet à pœnâ Crimen, quòd sit dignum pœnâ: ergo. *Ex Script. hom. 5. Cajus P. Leo Agapetus.*

6 Audi modò Chrysostomum *in eum locum hom. 10. Non sicut Delictum, ita & Donum: multò enim plura, quàm debebamus, Christus pro nobis solvit: tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* Hieronymum: *ne in forma æqualitas putaretur.* Anselmum: *non sic, est efficax Peccatum Adæ ad Damnationem, ut Gratia Christi ad Salvationem.* *Chrysost.* *Hieronym.* *Anselm.*

7 Succedat alter locus Apostoli 10. *ad Hebræos*: ubi sic: *Impossibile est Sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata: ideò ingrediens in mundum dixit: hostiam, & oblationem noluisti: Corpus autem adaptasti mihi.* Quasi solius Agni immaculati Iesu Christi oblatio sufficiat ex se ad placandum Deum: sufficere enim & alia Sacrificia, ex Divinâ saltem acceptatione, licèt non ita congruum, non tamen erat impossibile. Finio per illa loca, in quibus simpliciter dicimur Redempti *copiosa Redemptione, & empti pretio magno*, fuisseque factam *Solutionem, & Satisfactionem* debiti nostri. Quæ, si Christi satisfactio & Redemptio, non essent ex se condignæ, sed ex superveniente Dei iis voluntariè contenti acceptatione, nec magis verè, nec insulsè minùs dicerentur, quàm si Creditore liberaliter acceptante pro debito mille aureorum, sex, aut octo aureos, diceretur debitor magno pretio Redemptus, & copiosè solutum, aut satisfactum. Rursus ad hæc. *Hebræo. 10*

8 Ostendo secundò ex Patribus, quorum dedi multa, & illustria loca *lib. 2. disp. 3. sect. 2.* pugnantia pro metaphysica necessitate Incarnationis ad rigorem satisfactionis, & condigni pretii pro peccato, ut loquitur inter alios Cyprianus: falsò autem colligeretur tanta necessitas, si ad eum finem Christi opera ex se non sufficerent, ut est evidens: ibi ea revide, & plura apud Vazquez *disp. 5. cap. 3.* & Suarez *disp 4. sect. 3. & 4.* & Valentia *disp 1. quæst. 1. p. 6.* Duo hîc insuper habe: alterum Chrysostomi *loc. nuper cicato* sic loquentis: *Siquis propter debitum decem nummorum in carcerem conficiatur; veniat autem alius, qui non solùm solvat illos nummos, sed etiam infinita auri talenta largiatur, vinctumque in Regalem aulam inducat: Ita & nobis cum factum est*, nempe per Christum. Quid apertius? *Patres* *Suprà lib. 2. disp. 3.* *Vazquez.* *Suarez.* *Valentia.* *Chrysost.*

9 Alterum Procli Archiepiscopi Constantinopolit. *in Concil. Ephes. cap. 7.* videndo *tom. 6. Concil.* sic loquentis: *Erat alterutrum duorum necessarium, aut ut omnes propter condemnationem præcipites abirent in mortem; aut certè, ut ejusmodi pretium penderetur quod exactum debitum ad justitiæ amussim exæquaret.* Atqui *homo, quòd ei debito sub-* *Proclus Constantinop.*

jacere, solvere non poterat: Angelus verò quòd tantum Redemptionis pretium sibi non supperetet, humanū genus redimere nequibat. Supererat igitur, ut ille pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat. Qui locus clarior est, quàm ut interpretatione possit eludi.

Infrà sect. 2. & disp. seq.

10 Ostendo tertiò, ex ratione à posteriori, datutus alias *sect. & disp. sequentibus* à priori. Argumentor sic primo: Nam alioqui Christi Domini satisfactio non esset condigna simpliciter pro peccatis nostris, quod apertè repugnat Scripturis, & Patribus, & ostendo sequi. Nam extrinsecum Dei pactū, acceptatio liberalis, vel promissio, opus ex se non condignum, non potest facere simpliciter condignum: ergo si opera Christi præcisim à pacto & ex se, non sunt condigna, nequeunt ex illo condigna reddi.

11 Probatur antecedens à priori: quia pactum, & acceptatio non immutat opus, neque illi valorem addit. Tùm ab exemplo in humanis: licèt ex acceptatione Creditoris, qui debet centum, extinguat debitum, acceptaris solùm pro debito quinquaginta: nemo sanæ mentis dixerit debito fuisse condignè satisfactum, aut factam solutionem debiti condignam. Tùm etiam ab exemplo in Divinis: licèt Deus de facto promiserit homini se conteretti, gratiam, & remissionem peccati: Contritio tamen non est meritoria, & satisfactoria de condigno: ut habetur à Theologis ex Tridentino *Sess. 6. cap. 8.* dicente: ideo gratis justificari dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promerentur. Tùm demum: quia quoties ut extinguatur debitum, opus est ejus remissio ex parte creditoris, nequit dici debitum condignè solutione extingui: quod mihi est ex terminis evidens; sed quoties solutio fit per pretium non condignū ex se, opus est remissio creditoris, ut debitum extinguatur; ut est etiam evidens: ergo si Christi solutio pro nostro debito non fuit ex se condigna, non potest dici condigna simpliciter. *Trident.*

12 Argumentor secundò: Implicat quòd in uno peccato sit plus dignitatis ad nos perdendos, quàm in Christi operibus ad liberandos nos; atqui Peccatum Adæ merito ex se condigno perdere nos potuit, & reipsà perdidit: ergo Christi opera merito ex se condigno potuerunt nos liberare: ergo satisfactio Christi, modo quo nunc intendo, non potuit non esse condigna simpliciter ex se. Major videtur ita certa, ut negari non possit à piis. Ostenderur facilè posteà: nunc sit satis, eam sumi à tribus Pontificibus: Cajo in *Decretali* Leone *Serm. 12. de Passion* Agapeto *Epistola ordine quintâ ad Anthimum*: audi hujus verba. *Valdius fuit Donum libertatis, quam debitum servitutis.* *Cajus.* *Leon.* *Agapet.*

13 Dicitis: Peccatum Adę non fuisse ex se, & citra pactum, satis ad inficiendam totam posteritatem. Contrà primò: quia Pactum cum Adamo initum, solùm fuit de constitutione ejusdem in caput omnium; eā enim suppositā, peccatum ex se condignum fuit adperdendum ipsum, & omnes, quos in ejus capite reperit. Contra secundò: quia ea fuit pœna justè inflicta: comminatio autem pœnæ non dat, sed supponit intrinsecam condignitatem in crimine. Dicitis denuò: jam præferti merita Christi, Adæ demerito, per ubertora auxilia, quæ exinde fluunt. Contra: nam comparatio solùm fit quoad vim intrinsecam vel perdendi, vel salvandi: in quatres citati Pontifices præferont Christi meritum.

§. III.

DEFENDITUR VERITAS ASSERTA.

14 OBjicies primò: Major est in peccato demeritoria vis, quàm sit in operibus Christi vis meritoria: ergo Christi satisfactio non potest ex se esse condigna pro peccato. Consequentia bene sequitur juxta Doctrinas *lib. 2. disp 3. sect. 7* præjactas. Antecedens ostenditur: quia peccatum ex se habet vim, quà contrahitur debitum carendi Redemptore, seu quà positis è posse demereri existentiam Redemptoris: ita, ut si in peccati pœnā, decerneret Deus Redemptoris negationem, non puniret ultra condignum: & ratio est quia peccatum ex se vim habet demerendi omne beneficium: Atqui opera Christi neque quoad sufficientiam, neque ex se vim habent merēdi Redemptoris existentiam; alioquin substantia Incarnationis cadere potuisset in condignum Christi meritum, secus ac statuimus *lib 3. disp 3.* ergo. Mirum quantum turbarit Objectio Recentes, præsertim *ex Schola P. Vazquez*, quem ferit. Multorum solutiones præoccupatæ sunt arte proponendi. *Suprà lib. 2. disp. 3. sect 7.* *Et lib. 3. disp 3.* *Vazquez.*

15 Respondent alii cum Gaspare Hurtado *disp. 1. diff. 17. nu. 88.* negando peccatum incurri debitum carendi Redemptore, quia licèt Redemptio, & Incarnatio *Gasp. Hurt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

decretæ sint ex amore peccatoris, non sunt ipsi formaliter, & ratione sui bonem: sed radicaliter, quatenus sunt origo donorum: unde Incarnatio non dicitur effectus prædestinationis nostræ, sed causa. Peccato solùm incurritur debitum carendi iis quæ ratione sui, & formaliter sunt Peccatori bonum.

16 Hæc solutio stare non potest. Primò: quia manifestè repugnat Scripturis, Theologiæ, & Rationi. Scripturis, tùm vocábus simpliciter *Gratiam*, Incarnationem: quo elogio plenæ sunt Pauli epistolæ: tùm appellantibus magnum signum amoris, & commendationem charitatis Divinæ erga nos, cùm adhuc peccatores essemus, ut ipse Paulus loquitur, & passim Ioannes. Theologiæ, dicidenti cum Augustino Gratiam Dei in extrinsecam, & intrinsecam, in increatâ, & creatam: de quibus etiam Nos *disputando de auxiliis*. Rationi: Tùm quia quis asserat non esse magnum beneficium, Deum pro nobis Incarnatum, Natum, Passum? Quis autem neget offensorem nō reddi per offensam indignum accipere magnum beneficium ab offenso? Tùm etiam quia si peccatum meretur ne sint in ipso illæ gratiæ, quæ fluunt ex Incarnatione tanquam ex fonte: meretur potiùs ne fiat ille fons, qui fluat in peccatorem.

Script. ex Paul. & Ioann.

Augustin.

17 Tùm etiam quia quidquid sit de voce *Dom*, & *Boni*, certe Incarnatio est opus magnæ benevolentiæ & misericordiæ: nunc sic: Gravis offensor non solùm sit indignus re, quæ sit ipsi formale bonum & beneficium, sed potiori jure omni voluntate benevolâ ipsius offensi: ut patet ex ipsis terminis, & exemplis ad oculum convinci posset: ergo peccator non solùm sit indignus iis quæ sunt ipsi formale bonum, sed iis, quæ exerceri non possunt, aut non exercentur sine magnæ benevolentiæ affectu. Tùm demum quia exinde non teneremur Deo gratias agere pro ipso Incarnationis, & Redemptionis opere. Quod additur de Prædestinationis effectu, verum est, sed alia est ratio: nempe quia est à voluntate omnes respiciente, & quoad id communi.

18 Respondent alii cum Martinon *disp. 2. sect. 6. num. 66* & Godoy *disp. 4. §. 3. nu. 12.* concedendo cætera, & negando duas consequentias: quia quòd merita Christi non possint mereri existentiam Incarnationis, nō provenit ex defectu valoris, sed ex impossibilitate distinctionis à seipsis, quæ requiritur inter meritum, seu formam ejus valorativam, & præmium: cùm autem merita ipsa sint sibi non inæqualia, ut est evidens, & vim habeant merendi tantundem, quantum sit ipsa Incarnatio verbi, nempe Incarnationem Patris, aut Spiritûs Sancti, inde non officere ne sit condigna satisfactio, quòd non possit mereri Incarnationis substantiam, quam demeretur alioqui peccatum. Condignitati officeret, si id esset ex defectu valoris. *Acutè.* Sed contra: quia undecumque id sit, est impossibile ne fiat à Deo liberalis remissio alicujus debiti contracti per peccatum, etiam exhibitis meritis Christi in satisfactionem: cùm ipsa Incarnatio sic remissio debiti: ergo impossibile est quòd sit condigna satisfactio ex se. Explico vim instantiæ: licèt centum aurei sint condigni pro debito totidem: si tamen ex aliquo titulo, præsertim essentiali ex suppositione contracti debiti, nequeant exhibiti sine remissione aliqua debiti, nequeunt dici condigna solutio, & satisfactio: ergo similiter in casu solutionis, & nostro.

Martinon. Godoy.

19 Nota pro verâ solutione quatuor. Primum. Aliud est substantia Incarnationis; seu Incarnari Verbum: aliud, circunstantia Redemptionis, seu Verbum Incarnari pro nobis, & fluere in nos dona gratiæ. Patet: nam utrumque secundùm se est independens, & separabile non mutuò. Potest enim esse Incarnatio (& esset juxta nos) etiā sine circunstantia Redemptionis.

Vera solutio.

20 Alterum. Licèt Incarnatio, ut facta est, sit ordinata in bonum generis humani: tamē ratio beneficii non stat præcisè in substantia Incarnationis secundùm se, sed in eo quòd Incarnatio fiat in fontem fluxurum in nos. Ratio est evidens: quia stare potest Incarnatio fons omnis gratiæ, quin in nos fluat: si autem in nos non flueret, non esset benefica nobis: non secùs ac fontis apertio, cujus undæ tibi non essent profuturæ. Esset quidem specimen artificis, sed non gratia tibi facta. Sic ergo Incarnatio secundùm se est magnum opus, & ostentatio Divinæ Omnipotentiæ: verùm ut sit in nos benefica, & per illam Deus; non satis est quòd sit fons omnis Gratiæ, sed quòd fluat in nos.

21 Tertium: per peccatum non posse incurri debitum, ne Deus faciat Incarnationem, neve Deus ponat qui nos possit redimere, aut ne sit qui valorem habeat Redemptionis, sed ne ipsa Incarnatio fluat in nos, & exerceat munus Redemptionis. Ratio est evidens: quia per peccatum mereri non possumus ne sit Deus, aut ne Deus sit Omnipotens, & ostensor sui per opera mirabilia, aut ne fontem aperiat, unde faveat quibus velit. Neque enim quia nos sumus nequam, Deus bonus non est.

22 Quartum. Merita Christi non valorantur, per circunstantiam, aut motivum extrinsecum Incarnationis, neque per fluxum Gratiæ in nos, sed per ipsam substantiam Incarnationis, modo *infrà* explicando: unde dicèt identitas valoris, cum substantia Incarnationis, obstet, ne possint esse pretium ipsius; non tamen ne sint illius circunstantiæ pretium, & omnis fluxus gratiarum in nos, atque adeò totius illius debit. carendi Redemptore, aliorumque peccato contractorum. Iam ex his

Sect. seq.

23 Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem, admissâ majori in sensu, quem explicui, nego minorē: Christus enim merendo fluere in nos dona suæ gratiæ, meruit quantum debitum per peccatum contraxisse dicimur per debitum illud carendi Redemptore; aut saltem nihil obstat, ne ex se de condigno mereri potuerit: quod nunc intendimus. Dices: ipsa substantia Incarnationis, utpote valor pro nostro debito, erat magnū beneficium, quod poneretur à Deo: ejus ergo positionē demeruimus. Respōdeo eam secundùm se fuisse magnum beneficium aptitudinaliter, & causaliter: nego tamen consequentiam: quia non possumus nos demereri ne sit à Deo, unde, si velit, solvi pro nostro debito pretium posit: ut mille exemplis ostenderetur.

24 Dices rursus: illæ saltem cogitationes, quibus Christus excitabatur, ut pro nobis mereretur, sunt bonum nostrum: eas ergo saltem demeruimus: sed Christus eas non meruit. Respondeo: unde constat eas non meruisse? Aut saltem posse? Deinde nego id demereri nos posse: quia erat in Christo jus ad ipsas: non autem quia nos mali sumus, privandus est Christus jure suo, licèt inde bonum nobis accrescat: nec enim gravis offensor meretur, ne Rex, aut Deus faveat amicis juxta amicitiæ jura, quia exinde offensori, vel ex privato respectu, vel ex initā familiaritate bonum efluat.

25 Dices demum: Nihil horum mereri Christus potuit merito remunerando, ut patet, neque solutivo, quin mereretur substantiam Incarnationis, quod ostendo: nam meritum solutivum movet in spe, id est movet ex desiderio ipsius pretii: ut venditor movetur ex spe pretii, seu ex pretio, in spe: ergo movet ad id omne sine quo impossibile est exhiberi sibi tale pretium, atqui impossibile est exhiberi, quin decernatur substantia Incarnationis: ergo movet non solùm ad circunstantiam, sed ad substantiam: quod implicare fatemur. *Acutè.* Sed respondeo negato assumpto. Ad probationem concesso antecedente, distinguo consequens: movet ad id omne, tanquam illius omnis pretium, nego: tanquam finem omnis, & pretium alicujus, concedo: itaque ut sit Meritum Christi, necesse est sint Incarnatio, & Redemptionis circunstantia, seu Incarnatio ad hanc ordinata: unde meritum movet ad utrumque, sed diversimodè: ad substantiam Incarnationis, purè ut finis: ad illam ordinationem, vel circunstantiam ut pretium. Videatur Meratius *disp. 4. sect 9. & 10.* *Meratius.*

26 Objicies secundò: Nam non tam placet Deo Christi meritum, quàm ipse sibi: ergo Christi meritū nequit esse satisfactio ex se condigna pro peccato Probo consequentiam: quia peccatum tam Deo displicet, quàm ipse sibi placet: quod ostendo: nam tam Deo displicet non esse Dei, quàm placeat esse: mensura enim displicendi de non esse est esse Dei, quod placet; atqui peccatum est moraliter non esse Dei: est enim affectiva destructio Dei: ergo. Confirmatur: casu quo peccatum esset hominis Dei, seu alterius Dei, non esset condignè compensabile per Christi satisfactionem: atqui peccatum grave commissum à nobis est majus; excrescit enim ex vilitate peccantis: ergo neque peccatum commissum à nobis, est condignè compensabile per Christi satisfactionem.

27 Respondeo, omisso antecedente, de quo *disparatione sequeli* negando consequentiam, ejusque probationis assumptum: illud de morali destructione Dei, peccatis imbibita explicui *lib. 2. disp. 3.* cùm de infinitate offensæ. De confirmatione erit opportunior sermo *seqq. disp. sect. ultimâ.* Nunc permissi præmissis, nego consequentiam: quia si peccatum est hominis Dei, qui satisfacturus sit, peccato ipso pretium satisfactionis amitteret: vel si non amitteret, maneret sine jure offerendi Deo opera exinde grata, & accepta. Si verò peccatum est Dei, vel hominis Dei, qui non sit satisfacturus, gratis assumitur incompensabilitas. Satis de his tamen, ubi tantum Chymeras loquimur, & nobis affingimus hostes.

Infrà disp. seq. a n. 38. & à n. 64. Supra lib. 2. disp 3. Vide infrà disp. seq. sect ultim. à nu. 229.

Obii-

Universidad de Deusto
Biblioteca

28 Objicies tertiò. Non potest Christus condignè satisfacere Deo pro acceptis beneficiis: ergo neque pro peccatis. Ratio patitatis est, quia difficilior est satisfactio pro debito alieno, quàm pro proprio. Admisso antecedente, negat Vazquez cõsequentiam, & dat rationem: quia ipsa satisfactio est novum beneficium, pro quo debentur ulteriores Gratiæ: ipsa verò satisfactio pro peccato non est peccatum novum. Dat aliam Amicus: quia Gratiarum actio non solùm debet esse par beneficio ex Sancto Thomâ, sed excedens: cùm autem beneficium sit simpliciter infinitum nec possit excedi, inde non potest Christus condignam gratiarum actionem offerre: at pro peccatis potest: nam peccati debitum est infinitè minus, magnitudine beneficii, & meritorum Christi: unde non potest ulla paritas duci. Pater Suarez negat antecedens: quia meritum Christi est infinitæ dignitatis, atque adeo potest sopire debitum infinitum.

Vazquez. *Amicus.* *S. Thomas.* *P. Suarez.*

29 Ipse de argumento *censeo* primò, nihil concludere posse: nam neque impugnat intrinsecam æqualitatem cum accepto beneficio, nec minùs cum peccato: eam autem nunc æqualitatem intendimus. *Censeo* secundò, potuisse Christum condignas Deo gratias reddere pro acceptis, non quidem ex ratione Patris Suarez: quia ubi beneficium est simpliciter infinitum, & ipsa exhibitio satisfactionis est novum beneficium: neque redditur plus quàm accepisti, (ut vult Sanctus Thomas necessarium esse pro satisfactione ex gratitudine,) neque evadis, per satisfactionem, debitum; sed incurris. Ratio est: quia ipsa exhibitio obsequii non erat nova gratia, sed quid jam debitum statui Christi, ut *lib. 1. disp. 3.* diximus, & ultra omne acceptum offerebat rationem honoris, & obsequii formaliter non acceptam in beneficio: quo fit satis Vazquez, Amico, & Godoy: ac reveremur acumen Sancti Thomæ explicantis satisfactionem ex gratitudine 2.2. *quæst. 106. art. 6. O Censeo* tertiò, paritatẽ esse nullam ex ratione Patris Amici, quà utitur etiam benè Godoy *disputatione 4. §. 4.*

P. Suarez. *S. Thomas.* *Suprà lib. 1 disp. 3. à num. 87. & 114* *Vazquez.* *Godoy.* *S. Thomas.* *Amicus.*

30 Objicies quartò: licèt res sit æqualis alioquin pretii pro debito, si tamen fiat ex accidenti inutilis, nequit per illam fieri condigna satisfactio: fieri autem potest inutilis ex anteriori titulo, ex quo debeatur tota. Nunc sic: atqui omnis actio Christi Domini habet essentialiter ex se, aliunde totam deberi: ergo nequit per ipsam fieri satisfactio ex se condigna. Facit huc Calvini Sophisma: Christus solùm potuit satisfacere, ut homo Deus: atqui id non habuit ex se, sed ex Divinâ Misericordiâ: ergo non ex se, sed ex istâ potuit satisfacere de condigno.

Calvini delyrium.

31 Argumento respondent *aliqui*, rationem aliunde debiti solùm obstare, cùm satisfactio debet esse ex rigore justitiæ. Respondent *alii*, eam solùm obstare, quando pretium est finiti valoris, atque adeò exhauribilis facilè. *Alii*, actiones Christi licèt sint remotè debitæ, idest, potentes exigi; non tamen esse proximè debitas, id est, actu non exigi ex alio titulo, sed mansisse relictas arbitrio Christo. *Alii*, titulum aliunde debiti tunc obstare, quando inducit talem obligationem, & adeò strictam, ut vel peccem non illi satisfaciendo, vel nolendo satisfacere, vel ut res non sit, & maneat simul sub speciali dominio satisfacient.s. Ecce aliorum solutiones. Ego aliam *infrà*. Interim illis, ut lubet, utere. Vel dic, argumento nihil contra nos convinci, qui solùm hîc æqualitatem in actu primo tuemur: quicquid sit de necessitate Divinæ acceptationis, & promissionis ad condignitatem in actu secundo. Calvini sophismate nihil potuit stultius dici: quid enim refert, quod centum aurei, dati mihi sint à te gratis, ne sint ex se pares pro debito totidem?

Raguſa. *Koninch.* *Infrà, hac ipsâ disp. 2. à num. 75. & disp. 4. à nu. 301.* *Sophisma Calvini.*

32 Objicies quintò: Si Christi satisfactio esset ex se condigna, non potuisset Deus pro peccatis pœnam, vel ulteriorem satisfactionem exigere: exigit: ergo vel injustè, vel Christi satisfactio non est ex se condigna: quorum hoc præstat dicere. Minor est certa: major ostenditur: Tùm quia aliàs exigeret solutionem debiti jam soluti. Tùm etiam quia licèt condigna satisfactio possit non obligare positivè Creditorem, ut acceptet, obligat autem negativè, id est, ad non exigendum ultra id quod offertur, si semel in acceptanda satisfactione consentit, ut acutè notarunt inter alios Raguſa, & Koninchus: ille *disp. 21. & 22. hîc disp 3. dub. 11.* Confirmatur: non est condigna satisfactio, ultra quâ alia justè potest exigi; atqui justè per nos exigitur à Deo alia satisfactio pro peccatis ultra Christi satisfactionem: ergo non potest hæc esse condigna. Vanò triumphant hoc telo Sectarii contra necessitatem bonorum operum, & nostræ satisfactionis.

33 Respondeo, Christi satisfactionẽ fuisse ex se condignam, & superabundantẽ quoad sufficientiam, & in actu primo pro omnibus: in actu secundo pro illis, quibus, & quantum applicatur ex intentione satisfacientis per media à se instituta: quæ cum disparia sint in modo, & fructu applicationis, sinunt locum alicui pœnæ temporali, & alicui satisfactioni. Non verò id provenit ex incondignitate satisfactionis, sed ex intentione eam offerentis, qui voluit ipsam absolutè prodesse omnibus quoad sufficientiam; conditionatè tamen quoad efficaciam, modo superius explicato. Vide distinguo majorem, & illi similes: non potuisset citra intentionem offerentis, & si perfectè appplicaretur satisfactio, concedo: si non perfectè applicetur, & ex ipsa intentione offerentis, nego.

34 Objicies sextò: Nec est unde fluat tanta condignitas: neque modus, quo proveniat in actiones Christi entitatis alioqui finitæ, & tenuis boni; neque quid illa sit? nulla ergo est. Confirmatur ex Schoto: quia satisfactio Christi secundùm omnes circumstantias est finita. Sunt enim entitatis finitæ; finitæ bonitatis: à finito principio. Respectus enim ad suppositum increatum extrinsecùs advenit. Atqui peccatum Adæ fuit extensivè infinitum, licèt enim ex Adamo propagarentur in infinitum homines, æquè se ad singulos extenderet: ergo Christi satisfactio non potuit esse condigna ex se. Addit: Christus, vel satisfecit ut Deus vel ut homo? Non primum: quia Deus est incapax merendi: tùm quia nemo sibi ipsi satisfacit. Secluso autem, vel præciso quod in Christo Divinum est, vel Deus, cætera quæ sunt hominis, finita sunt, & finiti valoris: ergo.

Schotus.

35 De principio satisfaciente *Quo*, & *quod*, ut in Scholis dicimus, loquar *infrà*. Vide dicendum Christum satisfeciſſe ut Deum hominem: quo fit satis secundæ confirmationi. Ad primam Schoti negetur assumptũ: licèt enim actiones Christi sint physicà tendétiæ entitate finitæ, valore tamen obsequii plusquam finitę sunt, ut dicemus: atque adeò ex se condignæ, & superabundantes pro infinitis etiamsi ex Adamo propagarentur.

Infrà sect. 4.

Iam argumenti materia postulat
examen sequentium
difficultatum.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

SECTIO II.

ASSERTÆ CONDIGNITATIS ORIGO, quidditas, ratio.

§. I.

DIFFICVLTATES EXPEDIENDÆ: ET Authorum sensus.

36 VT exhibeatur assertæ condignitatis ratio à priori efficax; Triplex expedienda difficultas. *Prima*: à quâ veluti formâ derivetur in actiones Christi? *Altera* quomodo derivetur? *Tertia*: quid in re sit, aut quâ ratione insit actionibus Christi Domini? In quarum solutione apud Authores invenio multum operæ, & lucis parum.

37 Et circa primam: Prima sententia apud Koninchum censet derivari valorem ex infinitâ gratiâ habituali. Altera, & communis derivari censet ex Increatâ Perfectione Personæ Divinæ. Sed inter Authores communis hujus sententiæ est magna diversitas. *Aliqui* enim cum Driedone *de Captivit. & Redempt. Generis humani cap. 2. part. 3. act. 3.* (quem tamen aliter, & acutè explicat, & ferè sequitur Pater Antonius Perez *disp. 5. cap. 5. à num. 15.*) sumunt hanc condignitatem à Voluntate Divinâ, è cujus actu conspirante, & concurrente cum actu voluntatis humanæ in Christo Domino, fit moralis quædam compositio, & operatio Deivirilis: sive se habeat actus Divinæ Voluntatis, instar operantis: ut aliqui malunt voluisse Driedonem: sive instar purè concurrentis ad eundem scopum, & finem: ut mavult Antonius Perez.

Koninch. *Driedo.* *Ant. Per.*

38 Alii sumunt ex sanctitate substantiali: qui etiam sunt diviſi: nam qui simul tenent Personalitates esse Perfectiones, & sanctitatem, ajunt sumi à Personalitate, ut sanctificante Humanitatem: qui verò negant Personalitates esse ratione sui sanctitatem, aut perfectionem, ajunt sumi à Naturâ Divinâ, quæ Humanitatem: ita Vazquez, & cum eo multi. *Alii* dicunt sumi specialiter à Personâ Divinâ sub conceptu sanctitatis, & sub conceptu dignitatis: ità Godoy, qui cùm sentiat hos conceptus pertinere ad absolutum, addit, valorem operum Christi sumi à Personalitate, non secundùm id quod exprimit, sed quod includit. *Alii* dicunt sumi à Dignitate Divini suppositi: nec aliud quicquam

Vazquez. *Godoy.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam addunt: ita nostri communiter cum Suarez. *Alii* demum dicunt sumi sic à Personâ Divinâ, ut sumeretur sufficienter ratione sanctitatis substantialis: & etiam sufficienter ratione Personalitatis, licèt non esset specialis sanctitas, & præcisim ab istâ. Sic acuti Moderni post Petrum Hurtadum. *Suarez.* *Pet. Hurt.*

39 Circa secundam. *Prima* sententia tenet derivari valorem à Dignitate Verbi per specialè istius influxum in actiones Humanitatis: sic aliqui apud Suarez, & alios, quibus favere debet ille Abra de Raconis de quo *lib. 1. disp. 2. sect. 3. Secunda* sententia derivationem valoris ponit in tribus: nempè in eo quòd sint actiones Personæ infinitæ operantis per Naturam, quam sustentat: in eo quòd immaneant ipsi, saltem mediatè: & ratione materiæ oblatæ: ita Suarez. *Tertia* sententia docet, derivari à sanctitate Verbi, tanquam à formâ morali. Ita Vazquez. *Quarta* sententia, derivari à Personâ Divinâ tanquam à termino: sic Granadus. *Suarez.* *Abra de Raconis de quo lib. 1. disp. 2. sect. 3.* *Suarez.* *Vazquez.* *Granadus.*

40 *Quinta* sententia, derivari à Dignitate Personæ, tanquam materia, & objecto oblationis. *Sexta* sententia derivari à Dignitate Personæ non directè, sed indirectè: ait enim eatenus sumi valorem actionis à Personæ dignitate, quatenus cum ipsa tanquam mensura præmii, faciendæ est designatio istius pro actione magnum merenti præmium: quod enim uni est magnum, alteri parvum erit: ita Lugus. *Card. de Lugo.*

41 *Septima* sententia docet sumi ex ipsâ dignitate, ut reddit actionem infinitè promotivam honoris, & Authoritatis Divinæ: sic Koninchus. *Octava* sententia docet sumi à Personæ dignitate moraliter resultâ, & quoad æstimationem indistinctâ ab ipsis Christi actionibus: sic Recentes vix promoventes terminos hujus controversiæ. *Koninch.* *Recent.*

42 Circa tertiam. *Prima* sententia tenet, hunc valorem esse quid rationis resultans: ita Thomistæ aliqui, suorum entium rationis tan memores, ut Redemptos se putent per ens rationis: unde nihil mirum quòd tanti faciant. *Secunda* sententia putat esse quid morale derivatum in ipsas actiones Christi: sic videtur innuere Koninchus. *Tertia* sententia non distinguit à Dignitate Personæ moraliter annexa Christi actionibus. Sed nunquam explicat istum moralem nexum, nisi per voces: estque modus loquendi communis. *Quarta* sententia dicit nihil aliud esse, nisi respectum realem ad suppositum verbi: ita Cabrera 3. *p. disp. 5. con. 3.* *Quinta* dicit esse denominationem extrinsecam. En Opinionum Sylvam, quam pergimus excidere, decidendo. *Thomistæ Veteres.* *Koninch.* *Sententia communis.* *Cabrera.*

§. II.

QVID NEGANDVM CIRCA RATIONEM valorantem?

43 PRima Conclusio: Valor, & condignitas, quæ de loquimur, nec venit, nec potest ex habituali Gratia, licèt infinita alioquin sit. Primò: quia nititur suppositione maximè dubia. Secùdò: quia condignitas à Gratia habituali, quantumvis infinita proveniens, æquari potest per actus puræ creaturæ; atqui nulli puræ creaturæ actus, etiam si infiniti sint numero, aut infinita gratia ornati, possunt habere condignitatem ad satisfaciendum pro peccato mortali: ergo condignitas operum Christi, quæ de loquimur venire nequit à Gratia Habituali. Major est evidens: cùm infinitæ gratiæ, si possibilis sit, sit capax Pura Creatura. Minor *ex lib. 2. disp. 3. ferè* tota, *præsertim sect. ultima* patet. *Suprà lib. 2. disp. 3. ferè tota.*

44 Secunda Conclusio: nec venit, aut potest ex compositione morali, seu concursu ex actu voluntatis Divinæ, & actu Voluntatis humanæ in Christo, moraliter constituentibus quandam tertiam operationem Dei virilem; quomodocumque fingatur. Probant Authores communiter Conclusionem *censuris* potiùs, quàm *ratione*. Illis omissis, vel quia temerè latis, vel quia facilè vitabilibus, hac utor. Vel illa compositio, & concursus operationum debet fieri physicè, vel moraliter: neutro modo potest, aut sufficit ad rem præsentem. Non potest physicè: Tùm quia quævis operatio est in gradu suo completa. Tùm etiam quia talis unio sapit monotheleſim. Tùm demum: quia neque substantialis esse potest, ut patet: neque accidentalis: recipi enim debet in Divina, juxta discursum alibi factum de inassumptibilitate accidentis. Nec moraliter potest: tùm quia ea moralis unitas consistit in eo quòd libertas unius, illiusque moralis æstimabilitas derivetur in alium actum, ut contingit in operationibus nostris externis: vel in eo quòd unus imperetur ab alio, ut in internis accidit: neque alius modus apparet, ut ex duabus operationibus fiat una moraliter: & uterque repugnat in præsenti. *Lib. 1. disp. 5. à nu. 41.*

45 Primus: quia actio Christi non est formaliter libera, & honesta à Voluntate Divinâ, sed humanâ: à qua elicitur. Tùm etiam quia tota ratio merendi esset toti Trinitati communis. Tùm demum quia eatenus laudabilitas moralis refunditur in actiones, quatenus libertas refunditur: libertas autem actionum Christi, non est libertas Voluntatis Divinæ, sed humanæ.

46 Secundus: quia actus imperans applicat potentiam ad imperatum, atque adeò immediatè determinat: atqui Divina voluntas non determinat immediatè, nec applicat humanitatem ad actiones: relinquitur enim hæc cum pleno dominio ad suos actus imperandos: ergo. Tùm etiam quia ex communi sententia, actus imperatus non est liber libertate distinctâ ab imperante: quod secùs hic accidat, necesse est. Iam nec suffieit iste discursus ad rem præsentem. Nam licet illa conjunctio actuum sit infinitè æstimabilis ratione actûs Divini, tamen non est plus meritoria, quàm sit actus humanitatis secundùm se: Ratio: quia infinita illa æstimabilitas non est in genere meriti, nec moraliter æstimatur in linea meriti.

47 Dices primò: non esse aliter explicatu facile quid sit actio Deivirilis, & Theandrica? Deinde per has voces nihil aliud significasse Patres Veteres: quorum multa testimonia possent afferri: inter alios, Nazianzenus, & Sophronius ajunt, ipsum velle Christi fuisse deificatū: quod sine ista unione morali vix potest intelligi. Insuper Conc. Lateranense, tá clarè loquitur, ut ferè definiat: ejus verba *sub Martin. 1. Consult. 5. can. 15.* sunt: *Siquis secundùm scelleratos hæreticos Deivirilem operationem, quam Græci dicunt Theandricam, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundùm SS. PP. hoc est Divinam, & Humanam: aut ipsam Deivirilis novam vocabuli dictionem, unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ, & gloriosæ unionis demonstrativam, sit condemnatus.* Quo nihil clarius dici potuit. *Nazianz.* *Sophron.* *Concil. Lateran. sub Mart.*

48 Respondeo, voce Deivirilis, & Theandricæ actionis, vel venire actiones Deihominis, (ut jam communiter accipiunt Scholastici nostri temporis): & sic omnem actionem Christi Domini esse Deivirilem: vel venire actionem, in qua aliquid Dei proprium lucet, & aliquid proprium hominis (ut videtur innuere rigor vocis:) & sic actiones miraculosas, quæ per Humanitatem, tanquam per organum divinitatis, & Divinæ potentiæ facta sunt, dici simpliciter debere Deiviriles. Vnde non cogimur ad istum opinandi modum. Iam Patres, & Concilium, de unione hypostaticâ, locuti sunt: vi cujus & Humanitas Divinitate manuit uncta, & deiluta, atque adeò sanctificatæ ejus operationes; & operationes tam humanæ, quàm Divinæ erant, licèt à duplici Natura, juxta suum quæque genus, uni eidemque supposito tribuebantur vi mirificæ Vnionis, nempe, Hypostaticæ.

49 Dices secundò: Actiones Humanitatis potuerunt à voluntate Divinâ, quasi roborari, & dignificari ad opera mirabilia: ergo etiam poterant valorari ad præmium. Antecedens patet: quia actiones Humanitatis non facerent quicquam supra naturam, nec possent, nisi accedente Divinâ voluntate.

50 Respondeo, omisso, vel concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est: quia in actionibus miraculosis non tam attenditur valor moralis, quàm physicus effectus: qui cùm sit supra Naturam, nequit nisi à Dei voluntate fieri: non enim operatur miracula Deus, quatenus est; operaretur enim ea necessariò: sed quatenus vult. At in operibus meritoriis attenditur valor moralis, qui sumitur, inter alios titulos, ex operantis dignitate, non quatenus vult, sed quatenus est: sumitur enim ab ipsâ, quatenus actio jus habet, ut æstimetur tota dignitate sui principii, & quanta principium postulat honorari dum operatur.

51 Id autem citra ullam voluntatis superadditam operationem præstatur à Dignitate suppositi: neque enim forma denominat, ut vult, sed ut est. Quare licèt operationes miraculosæ Christi sumpserint efficaciam operandi à Divinâ voluntate utente Humanitate ut instrumento, eamque applicante: tamen valorem in linea obsequii non à Divinâ voluntate, sed à suo principio, cujus determinationi, libertati, & imperio relictæ fuerant, sumere debuerunt.

§. III.

QVID TENENDVM?

52 TErtia Conclusio: Condignitas, & valor sufficiens ad satisfactionem pro peccato venire potuit in actiones Christi Domini tam ratione Divinæ Naturæ, quàm ratione Personalitatis, præcisè se habentiū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sensus est: Alterutram præcisim ab alterâ posse derivare sufficientem valorem in actiones Christi, ad condignam satisfactionem: ita ut licèt impossibile judicem ex *lib.1.* dignificari Christi Humanitatem & opera per alterutram, quin eo ipso fieri debeat per utramque: tamen adhibitâ mentis præscisione, potest ab alterutra sufficiens valor æstimari. *Lib.1. disp. 4. à nu.18.*

53 Probatur: quia utraque perfectio sumpta præscisim ab alterâ sufficit, ut principium merens, & satisfaciens sit majoris dignitatis, quàm sit indignitas, & vilitas offendentis: & consequenter, ut opera sint magis Deo grata, quàm sit displicens offensa; magis promotiva Divini honoris, quàm offensa fuerit inhonorativa: ergo utralibet perfectio seorsim, seu præcisim ab alterâ sufficit ad condignitatem requisitam satisfactioni. Antecedens ostenditur: Nam Dignitas Dei, & dignitas Filiationis Naturalis sunt necessariò major dignitas, quam sit offensæ indignitas: cùm hæc sit finita: illæ sint infinitæ simpliciter. Illa autem venit à Naturâ Divinâ: hæc à Personalitate.

Vazquez. Godoy. 54 Confirmatur: quia non ex alio capite posset esse falsa conclusio, ut volunt Vazquez, & Godoy, nisi quia Personalitas nec est perfectio secundùm se, nec dignitas, nec sanctitas. Quæ tamen falsa sunt. Ratio enim Divinæ Filiationis non potest non esse sanctitas, & magna Dignitas, & summa Perfectio. Nec curo, quæ *ex sua Schola* objectat Godoy.

Idè Godoy. Cui satisfactum, in Tract. de Trin.

55 Quarta Conclusio: etiam si Personalitas in suo conceptu non esset sanctitas sufficeret ad hujusmodi condignitatem, præcisim à sanctitate substantiali. Ratio est: quia etiam præscisim à Naturâ, Personalitas Filii est Deo summè placens, & acceptabilis: ergo etiam præscisim à Naturâ est jus, ut quæ sunt Personalitatis, æstimentur à Deo, & acceptentur, ea dignitate, quâ digna est æstimari Personalitas Filii: ergo etiam præscisim à Naturâ, Humanitas intima, & intrinseca Personalitati, jus habet ut ejus actiones æstimentur, ut actiones suppositi in quo ipsa est: ergo summè placentis, & acceptabilis: ergo & summè placentes, & acceptabiles: ergo licèt ratio sanctitatis tota sit in Naturâ, præcisim à ratione sanctitatis, habent à Personalitate Christi actiones condignitatem ex se sufficientem satisfactioni. Confirmatur secundò: quia ut actio sit meritoria, & satisfactoria sufficit, si sit actio obsequiosa, & acceptabilis, promotiva honoris, aut commodi illius cujus intuitu fit: atqui omnis actio Christi præscisim à valore desumpto à Naturâ, per solum actum, qui à Personalitate descendit, hæc habet: ergo.

56 Dices: ergo præscisim à formâ sanctificante poterit homo purus mereri de condigno apud Deum per operationes supernas. Nego consequentiam: quia homo purus sine formâ, vel quasi forma sanctificante non habet dignitatem specialem, aut acceptabilitatem operationis, & Personæ apud Deum: quæ necessariò requiruntur ad meritum condignum.

57 Quinta Conclusio: ista condignitas, & valor reipsâ, & indivisibiliter sumitur à Dignitate Personæ Divinæ, secundùm id omne quod Humanitas habet intrinsecè, & à quo ipsa sanctificatur, & dignificatur: atque adeò secundùm Naturam, & Personalitatem Filii. Ratio est: quia ab eo debet sumi valor operationum, à quo principium redditur æstimabile dum operatur, & quod operando refundit in ipsas operationes: atqui Humanitas redditur æstimabilis dum operatur secundùm id omne quod intrinsecum habet, aut à quo sanctificatur, & dignificatur: ergo ab eo omni debet sumi valor, & condignitas, quadeloquimur.

58 Confirmatur: eatenus dignitas Personæ valorat operationes ab eo præstitas, quatenus ea dignitas moraliter refunditur in easdem; modo *mox* explicando; atqui Humanitas, dum operatur, refundit moraliter in operationes omnem dignitatem, quâ ipsa est digna: est autem ipsa digna per id omne quod intrinsecum habet, & quo sanctificatur, & redditur capax boni honorifici: ergo. *A nu.63.*

§. IV.

QVID NEGANDVM CIRCA MODVM?

59 SExta Conclusio: Personæ Divinæ Dignitas, non derivat valorem in actiones Humanitatis, per specialem unionem sui cum illis, neque per specialem influxum activum, neque per respectum actionum in ipsam Divini suppositi dignitatem. Prima pars patet: nam illa unio neque necessaria est, neque possibilis. Hoc, quia esset assumptio accidentis: illud, quia sine ipsâ potest explicari valor satisfactorius, & meritorius Christi Domini. Deinde quia ea unio temerè fingitur. Nec obest quòd à Patribus dicatur verbùm assumpsisse actiones Humanitatis: sensus enim est, assumpsisse Humanitatem, non impediendo operationes illius proprias, contra Monothelitas, & Euthichianos. Secunda pars est etiam certa: quia specialis influxus ad extra repugnat Divinis Relationibus ex multis, quæ *lib.1. disp.2. sect.3.* diximus contra Raconem. Deinde quia iste influxus non facit ad valorationem actionum: nam omnes nostræ fluunt à Deo, nec valorantur. Tertia pars ostenditur: nam iste respectus realis, vel est aliquid in actionibus vel non? Si secundum: Id intendimus. Si primum: quidnam est: esse enim debet vel actio, vel unio, vel modus aliquis superadditus: nam ipsa actionum entitas esse non potest: tota enim manere posset, & oriti ab Humanitate in supposito proprio.

Mens PP. contra Monothel. & Euthichia.

Suprà lib. 1. disp. 2. sect.3.

60 Septima Conclusio: Neque Divinæ Personæ Dignitas valorat actiones purè objectivè, idest, ut est objectum oblationis, & actûs illam Deo summittentis. Ostenditur primò: quia ad meritum infinitum non sufficit infinitas rei oblatæ, seu infinitas per modum objecti: neque enim actus Mariæ semper Virginis quo Filium obtulit: neque quo Sacerdos Christum immolat, sunt actus infiniti valoris. Secundò: exinde enim fieret non omnes operationes Christi Domini potuisse esse condignas pro peccato: neque enim erant singulæ per modum summissionis, & oblationis. Tertiò: quia hæc discurrendi via videtur sapere *Baji Propositionem vigesimam* damnatam *à Gregorio XIII.* quæ sic habet: *Opera fusitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate Personæ operantis non traxerunt majorẽ valorẽ.* Cujus ratione adhibet Bajus *lib.1. de meritis operum cap.7.* ubi dicit: *Personæ dignitas tantùm auget rationem meriti quantùm auget rationem virtutis, & operis boni*: nempe *per modum objecti vel summissi vel depressi, vel aliàs contempti*: ut se explicat apud Ripaldam. Quartò: nam Christi actiones, utpote Humanitatis adorantis Dignitatem suæ Personæ, ut Deo æquatem, non poterant esse depressio, vel summissio illius: quis enim submittat Deo Deum ipsum? aut quis licitè Deum aliquomodo posthabeat?

Propositio Baji damnata à Greg. XIII

Ripalda.

Cõtra Lug. 61 Octava Conclusio: Neque Divinæ Personæ Dignitas valorat actiones purè materialiter, & indirectè, quatenus supponendo operationes præcisim ab ipsâ dignas ex intrinsecâ bonitate, magno aliquo præmio, facit dignas majori, non addendo valorem, sed faciendo, quòd præmium aliàs magnum, sit exiguum respectu Personæ habentis talẽ excellentiam & dignitatem. Ostenditur primò: quia hic discursus favere videtur præcitatæ Propositioni Baji. Secundò: quia manifestè opponitur PP. & naturali rationi, & bonæ Theologiæ. Illis: quia passim ajunt augeri meritum operis ex dignitate operantis. Naturali rationi: quis enim non videat actus summissionis, & obedientiæ eò esse pretiosiores, quò à magis nobili fiunt? Theologiæ: quia non solùm sumit valorem, & æstimationem operationum ex intrinsecâ ipsarum bonitate, sed etiam ex circunstantiis. *Infrà* rursus in hunc scopum; *disp. seq. à nu. 9. &* magis ex professo *à nu 51.* *Infrà disp. 3. à nu. 9. & à nu.51.*

62 Nona Conclusio: Neque Divinæ Personæ Dignitas præcisè valorat actiones humanitatis, quatenus istam reddit infinitè Sanctam, & Deo infinitè Placentem. Primò: quia quicquid sit de his quæ supponuntur in isto discursu, aliud est dare aliquid alicui ex amore, quo in eum afficeris, & in honorem ejus: aliud & longè diversum, dare aliquid alicui propter opus quod elicit: at stat bene quòd Persona sit digna, quam ames, & honores, & aliunde non habeat opera, quæ magnam retributionem exigant. Patet enim id in humanis: ubi debes amico magnum amorem, & ubi Filio Pater debet specialissimam curam, quin eorum singula opera sint tantæ æstimationis, & pretii. Secundò: eatenus opera valent ex dignitate operantis, quatenus tota in eis impenditur: si enim ea dignitas non se exercet per opera, quid conducit ad valorationem eorum? at stat bene quod sit in Persona dignitas, & quòd hæc per opera non se exerceat. Patet id in homine justo eliciente operationes merè naturales: in his enim non exercet dignitatem quam habet. *Infrà lib.5 disp.1.*

§. V.

ASSIGNATVR VERVS MODVS EIVSque ratio.

63 DEcima Conclusio: Divinæ Personæ Dignitas valorat actiones Humanitatis, quatenus per hanc, quam sustentat, & complet in esse, & operati, eas elicit, & fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

facit suas, seque in eas impendit & refundit, atque moraliter identificat. Sic accipio Theodotum Anciranum *hom. 2. de Nativit. in Conc. Ephesin. tom. 1. Concilior. part. 2. pag. 319* per hæc verba: *In se suscepit Crucem, suam fecit alapam, vincula fecit sua, ut Dei propria effecta passiones, adversus passiones, acciperent potestatem.* Ratio Conclusionis est primò. Nam ut dignitas valoret operationem, non se debet habere merè quasi passivè, sed se exercere, & refundere in ipsas: cujus ulterior ratio est: quia ut Dignitas Personæ valoret, debet operationes reddere æstimabiles in eo genere quo valorat; atque adeò in genere obsequii, & meriti: atqui dignitas, quæ non exercetur, nec se impendit in opere, nequit istud reddere æstimabile in genere obsequii, & meriti: ergo. Secundò: quia ut dignitas valoret actionem, debet in ipsa actione movere præmiantem, ut valor, & taxa talis actionis ad præmium, & æstimationem: ergo debet in ipsam actionem impendi, & cum ipsâ identificari moraliter.

Theodot. Anciran.

64 Vndecima Conclusio: Ista moralis identitas, refusio, intimitas, & impensa nec est quid rationis, aut morale pullulans, nec pura extrinseca denominatio in genere moris. Prima pars patet: quia sunt proprietates operum Christi, nullo intellectu cogitante, vel fingente. Tùm etiam quia Deus opera Christi æstimat ut condigna, & increati valoris: *Exauditus enim est pro sua reverentia*, teste Paulo: at Deus non æstimat rationis entia tanti. Secunda etiam *ex generaliori Doctrina*, ubi omne quod est, aut potest esse, contendimus esse ens verè reale: neque istas moralitates, nisi fingendo, distinguere possumus à veris entibus. Pars etiam tertia patet: nam extrinseca denominatio in genere moris, nequit identitas dici: identitas enim sonat constitutionem simpliciter intimam. Tùm etiam quia ista moralis identitas, ita trahit in actiones Christi Dignitatem Personæ Divinæ, ut reddat ipsas infiniti valoris, ut *disp. seq.* decidendum est. Valor autem infinitus, necessariò debet in se pro constitutivo dicere aliquid infinitum.

De qua late in 1. 2. Tract. de Bon. & Malit.

Infrà disp. seq.

65 Duodecima Conclusio: ea moralis identitas, refusio, intimitas, & impensa consistit in intrinseco jure quod habet Humanitas, ne ejus, aut actionum ab ea procedentium æstimatio limitetur ex aliqua indignitate, sed æstimentur ut actiones propriæ Divini suppositi & tota æstimatione ipsius, seu quâ digna est æstimari in Humanitate, ejusque actionibus, tota Dignitas Divini suppositi. Vnum asserit Conclusio; supponit aliud. Supponit jus illud explicatum in Humanitate. Asserit id sufficere, ut dignitas Divini suppositi dicatur, & sit moraliter refusa, intima, & quasi eadem cum operationibus Christi.

66 Ostendo quod asserit. Implicat quod sit intrinsecum, & indispensabile jus in Humanitate, ne, dum operatur, ejus operationes limitentur, utque æstimentur æstimatione totâ suppositi reddentis eas suas, quin implicet, dividi æstimationem actionum ab æstimatione suppositi Divini operantis: atqui implicat non posse sic dividi æstimationem actionum, quin eoipso earum, & suppositi, à quo procedunt, eadem moraliter censeri debeat, & sit: quidni enim alioquin fieri posset in linea æstimationis, prædicta divisio?

67 Ostendo jam quod supponit: Nam Imprimis ex *lib 1. disp. 3.* eo in genere Dignitatis manet Humanitas ex unione ad Verbum, ut nulla maneat moraliter in ipsa indignitas, neque naturalis neque moralis, sed dignitas ad omne genus boni honorifici: non habet ergo indignitatem ex quâ limitari possit ejus, & actionum ab eâ procedentium æstimatio: non ergo potest refundere moraliter ullam indignitatem, aut occasionem contemptûs, sed dignitatem ab omne Genus boni honorifici. Deinde Humanitas habet jus ut æstimetur, quantûm in ipsâ æstimari potest Persona Divina, quæ illi se dat & communicat: dat enim & communicat ipsi jus ad æstimationem sui: habet ergo Humanitas intrinsecum jus ut ipsa, & ejus actiones æstimentur æstimatione suppositi. Ex his ita discussis facile jam descendit

Suprà lib. 1. disp. 3.

68 Assertę supra condignitatis efficax à priori ratio: Argumentor sic: obsequia, quæ independenter ab ullâ Dei acceptatione, & ex se sunt æstimabilia totâ æstimatione Divini suppositi, sunt ex se condigna satisfactio pro lethali: atqui opera Christi Domini sunt illiusmodi obsequia: sunt ergo ex se condigna satisfactio pro lethali. Major patet: quia ea obsequia necessariò debent esse pluris æstimabilia in genere obsequii, quàm sit æstimabilis in linea offensæ, quævis offensa gravis: quod non est evidens minùs, quàm nullum peccatum esse æquè malum, ac Deus est bonus. Minor ex prædiscussis est etiam evidens: quia opera quæ fiunt à principio summæ dignitatis, sunt eoipso obsequia tãtę æsti-

æstimationis: ut ergo supposità unione, ex se & independenter ab ullo alio favore, habent opera nasci à Divino supposito: habent etiam ex se tantæ rationem dignitatis, & æstimabilitatis.

69 Confirmatur primò: Operũ Christi Domini eò major est æstimabilitas, quò minor est indignitas operantis; atqui operantis tam ex parte hypostasis ratione sui, quàm ex parte Naturæ ratione dignitatis adjunctæ, nulla est indignitas: ergo illa æstimabilitas est summa.

70 Confirmatur secundò: Quando principium obsequens ex intrinseca dignitate manet incontemptibile, & indespicabile Deo, sed necessariò honorabile & amabile; ejus opera in linea obsequii non possunt contemni, nec despici; atqui opera quæ ex se & ex dignitate refusâ non possunt contemni, nec despici, sunt summè æstimabilia in genere obsequii: ergo quando principium obsequens est illiusmodi, opera ejus in genere obsequii manent summè æstimabilia. Consequentia cum minori patet. Major est evidens, quia contemptus obsequii est contemptus operantis, & obsequentis. Nunc sic: atqui Humanitatis tanta est dignitas, ut maneat ex intrinsecis incontęptibilis, & indespicabilis Deo, ut *suprà* notatum est, & *suè probatum lib.* 1. ergo, &c. Sume modò peccati, & peccatoris indignitates, & vide neque eas esse æquè in sua linea æstimabiles, nec, ut plures sentiunt, ita provocativas odii, & displicentiæ, ut Deus nequeat nolle despicere quamvis amare nequeat: pluris ergo æstimabilis est dignitas Humanitatis, & operum, quàm Vilitas, & indignitas offensorum, & offensatum.

Nu. 70. & Lib. 1. disp. 3. a nu. 91.

SECTIO III.

ASSERTÆ CONDIGNITATIS VIS IN actu secundo

71 QVæ consistit in vi inducendi effectum satisfactionis, & meriti, seu obligandi Creditorem, seu præmiantem: & quæritur: an Christi Domini satisfactio fuerit ita ex se condigna in actu secundo, ut nó egueriit speciali Dei Promissione, ordinatione, vel pacto, ut acceptaretur & sortiretur effectũ? Authores communiter post Suarez, negant: ducti, quantum video, vel quia Christi opera, utpote valoris infiniti, erant indifferentia ad hoc vel illud genus retributionis, & præmii. Vel quia Deus non tenebatur acceptare in hunc finem determinatè: vel quia aliunde poterant esse Deo debita. Vazquez, & cum eo aliqui affirmant sine discrimine: id quod ille etiam extendit ad nostra merita. Distinguunt alii cũ Bernal ajuntque requiri quidem ordinationem Dei: eam tamen, neque necessariò debere esse præviam, ut vult Suarez: neque hîc distingui ab ullâ, quâ constitutus, & acceptatus est à Deo Christus Dominus in Caput, & Fidejussorẽ Humani Generis. Remissâ generaliori, de merito ut sic, indagine ad *Disputationes de Merito*: pro præsenti Controversia sic

Suarez.

Vazquez.

Bernal.

§. I.

CONCLVSIONES VERÆ SENTENTIÆ.

72 PRima Conclusio: licèt ad condignitatem satisfactionis, & meritorũ Christi in actu secundo necessaria foret ordinatio extrinseca Dei; neque ea de necesse futura erat prævia, neque rebus ut nunc, distincta foret à pacto Fidejussionis. Prima pars probatur: quia præcisim ab ullâ ordinatione posset Christus offerre aliquod opus ad aliquid obtinendum, & Deus elargiri oblati operis intuitu. Videtur id evidens. Inde sic: illa elargitio non esset liberalis, sed retributiva: ergo Donum haberet rationem præmii. Atqui hîc nulla fuit interventio prævię ordinationis: ergo.

Ostenditur altera pars: quia ipsa constitutio, & acceptatio Fidejussionis, ne frustranea sit, & vana, necessariò importat tacitam promissionem de acceptandis officiis Fidejussionis ad finem, ad quem datur. Explicatur, & Confirmatur. Eatenus ad condignitatem in actu secundo requiritur ordinatio Dei, quatenus sine ipsa nequit manere Deus obligatus ad acceptandum, & retribuendum: atqui sine ullâ novâ ordinatione, per præcisam acceptationẽ Fidejussoris, manent opera Fidejussoris cum vi obligandi Deum, Deusque obligatus: quod ostendo: Nam ipsa institutio, & acceptatio Fidejussoris facta est vel per contractum initum Dei cum Christo, vel per promissionem de dandis præmiis Gratiæ & remissionis, si Christus sua opera offerat: quovis autem modo facta fuerit, Deum exinde obligat, vel ex virtute Iustitiæ, vel ex virtute Fidelitatis, vel ex virtute Constantiæ, aut seriętatis: non ergo est opus ordinatione distinctà.

Se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

73 Secunda Conclusio : Ea fuit condignitas operum, & meritorum Christi ex se, ut non potuerit ea Deus non acceptare, pro quibus, & quantùm voluit Christus, quòd acceptaret. Dabo Authores, & rationes *disp. seq. sect. 4. per totam.*

Infrà disp. 3. sect. 4. à nu. 184.

Dices hîc. Ergo Pater injuriâ intulit Christi satisfactioni, non remittendo omnibus peccata omnia: Nàm qui tenetur acceptare, & cui cõdignè fit satis, injustè manet offensus, & retinet jura creditoris. Cõfirmatur: aliud, est offensæ debitum: aliúd, pœna debiti: illud est offensa: Hoc, damnum ex offensa secutũ: Nunc sic: Licèt Deus condonet pœnam debiti, per elargitionem auxiliorum, aliorumque bonorum, quibus omnes privari meremur ob offensam; debitum offensæ non condonat omnibus : ergo se injustè geret. Probo consequentiam : nam satisfactio Christi, quam tenetur acceptare per nos, non tam est pro pœna debiti, quàm pro debito.

M. Lumb. 74 Objectio censetur difficilis à Lumbetio: qui respondet, factâ comparatione inter Christum, & Patrem, fuisse Patri satisfactum condignè, esseque ipsi jus extinctum, ut deinceps maneret offensus. Solutio revera difficilior. Si enim jus Deo extinguitur, quomodo non extinguitur offensa, quæ est totum jus Deo, ut offensus sit? Quomodo in nobis offensæ supersunt? Dicis : extingui jus sufficienter. Sed id solùm est offerri satisfactionem ex se cõdignam in actu primò, de quo modò non est quæstio. Deinde per te satisfactio Fidejussoris semel acceptati, vim habet proprię satisfactionis: per te propria satisfactio in eo differt à merito, quòd istud tendit ad obligandum præmiantem: illa ad eximendum debitorem à debito, à quo eximitur reducendo jura læsa ad æqualitatem per satisfactionem æqualem: quomodo ergo manent offensæ, si jura reparantur?

Respondeo facilè, negando consequentiam. Deus enim acceptavit satisfactionem Christi, modo quo Christus obtulit : obtulit autem quoad aliquos effectus absolutè: conditionatè quoad alios. Vide *sect. 1. libri praesentis.*

Suprà disp. 1. lib. 4.

75 Tertia Conclusio: satisfactio, & opera Christi ut vim habent satisfactivam, & meritivam, nec erant, nec poterant esse aliundè Deo debita, *saltem titulo debiti impediente contractum, seu, quasi contractum.* Id addo, ut mollior fiat assensus conclusioni, quæ videbitur difficilis : in eam inclinasse videntur Ferrara, Sotus, & Granadus *Controvers. 1. de Incarnatione tract. 2. disp. 4. sect. 3.* Eam Sancti Anselmi expressam video *variis in locis*, maximè lib. *cur Deus homo cap. 19.* ipseque veram censeo, & valdè gloriosam Christo Domino, &

Ferrara. Sotus. Granadus. *Anselm.* *Infrà disp. 4. nu. 301.*

76 Probo primò à posteriori. Si satisfactio Christi Domini, ejusque opera essent, vel possent esse, Deo aliúdè debita ex se esse præterquàm ex titulo satisfactionis, in quam offerũtur, non essent nec esse possent satisfactio essentialiter, & ex se condigna, & perfecta: quod negatur ab omnibus cõtra Schotum, & Durandum: & ostenditur sequi: opus quod nequit exhiberi pro debito essentialiter, & ex se, quin essentialiter, & ex se imbibat debiti remissionem, nequit esse pro debito condigna satisfactio, adhuc ex se: &c. Ratio est : quia condignitas perfecta sicut dicit intrinsecam æqualitatem cum toto debito, ita dicit essentialem inexigentiam remissionis ullius. Atqui opus quod sit, aut esse possit ex se, & essentialiter aliunde debitum præterquàm ex satisfactione debiti pro quo offertur, nequit exhiberi, quin essentialiter, & ex se imbibat remissionem debiti. Probo hanc minorem: Nequit satisfieri pro debito per opus ex se, & essentialiter aliunde potens exigi à creditore jure proprietatis, & stricto, quin creditor essentialiter debeat facere cessionem juris totidem valentis; atqui cessio juris totidem valentis, est palliata, seu virtualis remissio debiti.

Scholus. Durand.

77 Explico me. Sit Creditor, qui ex duplici titulo inter se independenti habet jus ad pecuniam. Si cedit alteri juri, ut pro altero satisfiat, virtute remittit. V.g. Debitus mutuò centum Petro: debet centum ex mutuo. Ex novo contractu debet postea centum. Per sola centum non satisfaciet Petrus. At si promittas, & cedas juri mutui, satisfaciet tibi per sola centum juri contractûs. In eo autem casu, quis prudens dubitet intervenisse remissionem virtualem debiti ex contractu, cùm ex cessione juris valentis totidem, habeat Petrus unde satisfaciat? Sic autem opus est, ut se gerat Deus, si opera Christi sint aliundè Deo strictè debita.

78 Confirmatur efficaciter, nisi fallor: Quoties opus eget extrinsecà valoratione creditoris ad exequandũ debitũ, nequit dici satisfactio, essentialiter, & ex se condigna; atqui opus essentialiter aliunde debitũ, quantum essentialiter est, eget moraliter extrinsecà

secà valoratione ad equandum debitum superuenientis: quod ostendo: nam egèt cessione juris totidem valentis gratuitò faciendà à Creditore; atqui cessio juris totidem valentis, sine quà non sufficeret opus pro debito superveniente, est moraliter extrinseca valoratio: perinde enim se habet, ac si acceptaret, & valoraret pro utroque jure, & debito : quod fiet evidens exemplo in humanis. Si enim debes ex duplici titulo bis centum : & sola habes centum : Si creditor admittit, & acceptat, vel remittendo alterum ex juribus, vel manendo contentus per sola centum, non est perinde moraliter ac si centum valoraret extrinsecè pro ducentis?

79 Adde, quòd sicut remittens primà centum, censeretur moraliter remisisse dimidiam partem secundi, & primi debiti, & solùm acceptare solutionem pro alterà parte dimidiâ : sic similiter censendus est Deus cedens juri ex quo debita erant, vel esse poterant Christi opera aliundè, secundùm se tota, remittere quasi dimidiam partem debiti novi, & veteris : quæ maximè obsunt condignitati satisfactionis. Discutiam *infrà*, quæ responderi solent, si modo ipso proponendi præclusa non sunt.

Infrà disp. 4. à nu. 284

80 Probo secundò à priori usus verbis Anselmi, & calamo Doctissimi Nostri Granadi : quia Humanitas erat, & operabatur in supposito essentialiter immuni, & nihil potenti debere: ergo mansit cũ jure ad opera tanquam propria, & ejus opera, ex dono dato, manebant immunia, & indebita. Antecedens est certum: *Suppositum enim Divinum* (inquit ex Anselmo P. Granado, cùm verè Deus sit, *nihil omninò Deo debet.* Consequentia probatur : Opera quæ Christus Dominus per humanitatem efficiebat, erant propria Divini suppositi, ut suppositum Divinum est, eo genere proprietatis, quo opera quæ fiunt à Naturâ, specialiter propria sunt suppositi, in quo est, & quo eorum operum suppositum Verbi Divini esset Dominus specialiter, licèt non essent aliunde propria Dei: ergo erant opera propria suppositi immunis, & nihil debentis Deo: ergo ratione suppositi manebant immunia, & indebita.

81 Confirmatur, & explicatur discursus: Si Deus alicui Creaturæ promitteret, non exigere opera, sed relinquere sui juris, idve mediante quasi contractu pacisceretur, maneret veluti exempta ex favore Dei privilegiantis in operando : atqui accessus ad dignitatem extraordinariam supra omnes creaturas, & planè Divinam, habet vim exercitâ illius promissionis, atque contractûs : quod probo: tùm ex argumento, quod ex Humanis à simili formari potest, juxta Institutiones Justiniani. Tùm etiam quia accessus, & elevatio ad hujusmodi gradum facit, reipsà moraliter, potiùs quàm ulla fictio, ex his, quas Iuris vocant Iurisperiti, sic elevatum, & accedentè gaudere juribus, & foro Divinitatis, atque adeò transfundit omnẽ immunitatem, quantùm potest, *id est*, quæ nec Accedenti repugnet, nec ei, ad quem accedit; atqui ejusmodi prærogativa non repugnat creaturæ, aut Deo; cum mediâ promissione, vel quasi contractu contingere possit: ergo.

Justinian. Instit.

§. II.

SOLVTIO DIFFICVLTATVM, ET VLTIma Conclusio.

82 OBjicies primò: Tam Dominus est Deus Humanitatis Christi Domini, etiam prout in Divino supposito, quàm si existeret in proprio, & quam aliarum creaturarum, sed ratione hujus Dominii potest exigere Deus opera Humanitatis in proprio supposito existentis, & aliarum creaturarum : ergo & Humanitatis existentis in Divino supposito : ergo opera Humanitatis subsistent sin Verbo; atque adeò Christi Domini, sunt, vel esse possunt strictè debita aliunde. Respondeo distinguendo antecedens : Tam Dominus est quoad substantiam juris, concedo : quoad exercitium, nego: facta est enim à Deo, per ipsam gratiam assumptionis, quædam Divinizatio, & consequens exemptio Humanitatis, ejusque operum, dum voluit illam honorare supposito essentialiter immuni, & nihil potente debere : cujus cùm maneant opera propria, atque adeò voluntatis, quam sustentat, manent ex accidenti tam glorioso aliunde indebita. Nam dum ea Deus appropriat supposito, circa quod exercere non potest potestatem, sibi impossibilitat ulterius exercitium Dominii, & quasi jure cedit : qui sunt termini, per quos se explicant magni Theologi, ut videre est apud Aldrete *tom. 1. disp. 12. sect. 4 & 5.*

P. Aldret.

83 Objicies secundò: Opera Christi Domini sunt nova beneficia Humanitati à Deo collata: fit igitur per illa de novo debitrix: & illa manent Dei, Deoque debita. Deinde

ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea ipsa opera, ut fiunt ex essentia sua à Deo cooperante, secum important essentialiter inustam servitutis notam: sunt ergo aliunde Deo debita. Demum ex his videtur exonerata Christi Humanitas debito gratitudinis: quod ne cogitandum quidem est.

84 Imprimis ista non possunt militare de valore, & condignitate operum: quia cum sint à Dignitate suppositi formaliter: nec dantur à Deo de novo, nec sunt ab Omnipotentiâ cooperante. Deinde debitum gratitudinis non est strictum debitum, nec obstans, ne per illa ipsa, quæ ex gratitudine alioqui debes, rigorosè, & onerosè contrahas, & patiscatis. Insuper debitum gratitudinis, quantum ipse conjicio, in Christi Domini Humanitate, stetit in eo quòd omnia faceret ob fines, qui forent gratissimi Deo.

85 Iam Respondeo, & ad tri membris objectionis Priorem partem, nego antecedens: Vnionis enim Donum est jus ad omnia cætera. *Vide lib 1 disp.3.* Ad secundam dicatur opera secum importare notam servitutis *aptitudinalis*, quatenus possunt, & attentâ eorum naturâ, petunt esse in statu servili: non verò *formalis*: quia ex accidenti sunt in statu divinizationis, & immunitatis à debito, quibus non obstat necessitas Divinæ cooperationis fundantis alioquin jus, & est exercitium juris: tùm quia ea cooperatio etiam ex debito, nec nova grat. actùm etiam quia ex Dono liberè dato se præimpedivit ira Deus ab ulteriori exercitio talis juris, ut se gesserit, quasi tali jure cedens, ut diximus *num.* 82. Ad tertiam nego sequelam: hoc enim debitum, quale explicui, est gloriosum Christo, & necessarium, ut necessarium est tantum boni inesse Humanitati per Gratiam: Gratia autem non eximit, sed premit debito gratitudinis.

Suprà lib. 1. disp. 3. à num. 87.

86 Objicies tertiò: Deus potest præcipere Christo Domino ea omnia, quæ reipsà per Humanitatem exercebat, & exercere poterat: ergo poterat ea omnia exigere ex aliis titulis, & motivis præterquam ex titulo satisfactionis. Consequentia patet: nam potest exigere ex titulis, ex quibus præcipere possit. Antecedens autem commune est, & ostenditur: nam Christus Dominus obedire potuit æterno Patri, & reipsà fuit *obediens usque ad mortem*, teste Paulo: qui autem obedit, præcepto ligatur: obedientiæ enim strictè formale objectum, præceptum est.

Philip. 2.

87 Objectio reipsà difficilis, tùm ex illatione quam facit ex possibilitate præcepti: tùm ex hujus possibilitate, quam supponit: de quâ jure multi docti dubitant: nec probatio terret. Decidemus hanc litem *lib.* 5. Sed quicquid sit de possibilitate præcepti, falsum est antecedens ita generaliter assumptum: Nam casu quo nollet præcipere Christo Pater, ille posset elicere actus, quibus vellet coformare se cũ Voluntate Patris ortos ex libertate constitutâ per notitias infallibiles de absentiâ præcepti: qui proinde sunt essentialiter impræceptibiles. His tamen omissis, objectioni nunc

Lib. hoc 4. disp 5 sect. 4. à nu. 114

88 Responderi primò potest, ex Doctrinâ Patris Aldrete *disp. 12. cit. sect. 5. num.* 11. distinguendo potestatem, seu dominium jurisdictionis; & potestatem, seu Dominium Proprietatis: quorum separabilitas quoad exercitium in Deo, satis arguitur ex eorum separabilitate, quoad substantiam in humanis, ut patet in Prælato, qui circa nos habet potestatem jurisdictionis, & non habet potestatem Proprietatis. Inter alia potiss mùm differunt istæ potestates in eo, quòd potestas jurisdictionis respicit bonum ejus, circa quem est, ejusque directionem, & gubernationem: atque adeò leges, & præcepta. Potestas verò Proprietatis respicit bonum ejus, qui habet, facitque res illi proprias reddendo circa easdem aliis illicitos usus. Exinde quod est debitum ratione precepti ex potestate jurisdictionis, potest esse strictè proprium illius qui sic debet, & strictè indebitum, quantum oportet ad contrahendum cum præcipiente. Sic ergo admissâ suppositione argumenti, putanda sunt opera Christi Domini.

P. Aldret.

89 Vnde omisso antecedente, distinguo consequens: poterat ea omnia exigere potestate jurisdictionis, concedo: potestate proprietatis, nego. Et cur, *inquies*, illâ poterat, & non istâ? Respondeo, quia subesse Humanitatem, etiam prout in supposito Divino, jurisdictioni Dei, erat necessarium; non verò subesse potestati proprietatis; imò gloriosum non subesse. Ratio primæ partis est: quia Humanitas, prout in Divino supposito, debebat esse bona, & honesta, atque adeò conformis quoad se, & quoad opera, Primæ Regulæ honestatis, & bonitatis, quæ cùm sit directiva, & præceptiva: (*nam Deus est.*) debebat subesse directioni, & gubernationi Dei, atque adeò ejus potestati jurisdictionis. *Dicis*; id ad suppositum, cujus est, & quod etiam

Latè in 1. 2. tract. de Bon. & Malit.

etiam est Deus, attinere. Bene: at suppositi & Dei eadem est voluntas, eademque Honestatis Regula. Ratio alterius partis est quia talis immunitas non derogat Deo, & à supposito, cujus quasi privilegiis ex accessu gaudet Humanitas, immunitate necessariò in ipsâ resultat, cujus actiones non tàm suæ, quàm suppositi manent.

Anselm. Granados. Suprà n.75

90 Responderi secundò potest ex Doctrina Anselmi, & Granado locis *suprà* citatis. Distinguendo duplex præceptum circa opera Humanitatis. Alterum tendens in ea etiam quoad circunstantiam valoris, & in ipsam Humanitatem reduplicati è prout in supposito Divino subsistentem Alterum tendens in ea præcisè quoad substantiam, & in ipsam Humanitatẽ specificativè, atque adeò tale, ut ipsi substantialiter satisfacere posset Humanitas etiamsi existeret in supposito proprio. Discrimen est maximum: nam ex his præceptis, primum directè, & immediatè rendit in suppositum, ut Divinum est, nempe ut derivat valorem in opera Humanitatis: obligatque vel Humanitatem ne desinat esse terminata Verbo, vel Verbum ne dimittat Humanitatem: nam aliter impleri non posset. Alterum directè solam Humanitatem respicit: Verbum verò non tangit: unde vi talis præcepti, licèt debeat Humanitas operationes, non illas debet secundùm valorem satisfactivum, quod est opus pro re præsenti. Nec obest, quod Verbum necesitetur dignificare eas operationes, si Humanitas eas eliciat: non enim id præstat vi præcepti, sed vel ex decreto non dimittendi Humanitatem juxta alios: vel ex naturâ unionis, juxta me, & ex impeccabilitate intrinsecâ, quam derivat in Naturam, quam accessu hypostatico fecit propriam.

91 Distinguo igitur antecedens: potest Deus præcipere præcepto primi generis, nego; secundi generis, transeat. Ratio est: nam primum præceptum imprimis attingeret suppositum Divinum, circa quod nullam potest Deus exercere potestatem. Deinde obligaret ad quid vel impossibile vel necessarium, quod utrumque repugnat: nam præceptum debet esse de re possibili, & contingenti. Obligaret ad impossibile, obligando Humanitatem ne desineret esse unita; hoc enim Humanitati non est possibile, nec subjectum sed necessarium juxta me: quia id ex suppositione unionis est metaphysicè necessarium. Deinde distinguo consequens: potest exigere, ut vim habent infinitè meri-

tivam & satisfactivam, nego; secundùm se, & præscisim à valore satisfactivo, transeat.

92 *Dices*: ergo Christus non potest dici, satisfeciss pro nobis ex obedientia. Nego consequentiam: ut enim ita dicatur satisfeciss, sufficit, quod ex obedientia posuerit actiones, quibus alioquin annexus est valor indebitus obedientiæ, seu obedientiæ non subjectus. Patet exemplo illius, qui extensioni manuum v. gr. haberet à Deo annexam vim faciendi miracula, vel sanandi. iste dummodò ex obedientia manum extenderet (nam favor Dei miraculosus non erat subjectus voluntati præcipientis) diceretur simpliciter ex obedientia patrasse miraculum, & sanasse.

93 Quarta Conclusio: Christi satisfactio fuit etiam ex se condigna in actu secundo: nec eguit ullâ Dei prævia ordinatione, promissione, vel pacto. Sic Anselmus apertè *Anselm. lib. 2.° cur Deus homo cap 19.* sic inquiens: *Imo necesse esse video ut Pater Filio retribuat: alioqui injustus esse videretur, si nollet: aut impotens, si non posset.* Ratio ex dictis est omninò jam facilis, quia satisfactio Christi non erat ex aliis titulis antè debita, nec potuit: deinde talis, ut à Deo non posit non acceptari pro finibus pro quibus offertur a Christo: oblata autem pro nobis, modo quo supra diximus: est ergo ex se condigna in actu secundo. Quæ hic desideres, dabo *disp. seqq.* *Disp. seq.*

SECTIO IV.

DVO DVBIA: ET ILLATIO DE PRINcipio Quod, & Quo satisfaciente.

94 HAnc dabo *fine*. Nunc illa: quæ ab Authoribus excitata non video. *Dub. 1.*

Primum est: an opera Christi Domini condignificata per Sanctitatem Vnionis hypostaticæ, præcisim à condignificatione sanctitatis & dignitatis Increatæ (fieri enim præscisionem hujusmodi formaliter, & moraliter in ordine æstimationis, est mihi evidens:) sufficiant pro satisfactione peccatorum? *Alterum* est: an Christus Dominus per actus merè naturales potuerit satisfacere pro peccatis: ita ut non minùs dignificentur in Christo ad omne genus præmii Actus quoad substantiã naturales, quàm actus entitativè supernì? *Dub. 2.*

Noto circa primum, supponi, quòd Vnio Hypostatica sit ratione sui forma sanctificans, seu sanctitas *ut quod*. Id quod *lib. 1. disp. 3. à num. 117.* probavi: & in- *Lib. 1. disp. 3. à n. 117.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lib.5 disp. 1. à nu.37. culcabitur *lib. 5. disp. 1. à num. 37.* Circa secundum supponi actus naturales hominis justi, (siqui sunt) non condignificari à Gratiâ habituali juxta cõmunem sensum Theologorum, de quo nos aliquid *disputando de Auxiliis.* Videtur ergo negandum utrumque. *Primum*: quia sanctitas Vnionis non excedit dignitatem purè finitam: Patres autem, & Concilia requirunt ad condignam pro peccato satisfactionem opera dignitatis ultra purè finitam. *Secundum*: quia actus naturales sunt ex se steriles præmii superni. Tùm etiam: quia non est cur in justo non condignificarentur à Gratiâ. Nihilominus sit

Resolutio primi. 95 Prima Conclusio: Opera Christi Domini præcisè considerata secundum condignificationem ortam ab Vnione Hypostaticâ, sunt valoris sufficientis ad condignam pro peccato satisfactionem. Moveor primò: quia Vnio Hypostatica est tam excellens sanctitas, ut ejus dignitas sit major, quàm peccati indignitas: sufficit ergo illius condignificatio ad condignam pro isto satisfactionem. Antecedens patet: Nam Vnio Hypo-

Suprà lib. 1. disp. 3. à nu.87. statica, juxta dicta *libro primo disputatione 3.* est positivum jus ad omnia Dei dona: peccatum verò, licèt sit indignitas maxima, solum est respectu donorum, quæ cadunt in lineam adoptionis, & amicitiæ. Secundò quia æstimabilitas unionis ea est, ut reddat Humanitatem necessariò incontemptibilem à Deo, ut *ibidem* probatum est: vilitas autem peccati talis non est, ut reddat juxta plures subjectum necessariò contemptum. Tertio quia dignitas Hypostaticæ Vnionis excedit omnem cumulum Gratiæ etiam infinitæ, estque de lineâ bonorum non purè finitorum. Ex quo patet ad rationem dubitandi, & ad Patres, qui jure dixerunt necessariam esse pro satisfactione dignitatem ultra purè finitam: quia Vnio Hypostatica sine hac esse nequit. Hæ tamen argutiæ præcisionum, juxta quas modò imus, longè a Scopo, & Controversiâ Partium.

Resolutio secundi. 96 Secunda Conclusio: Si Christus elicuit actus morales, aut potuit, purè quoad substantiam naturales, potuit per illos condignè satisfacere pro peccatis, & obtinere omne præmii genus. De suppositione maximè dubito cum *Koninch disp 21. dub. 2. num. 7.* Tùm ex verbis ipsius Christi Domini *Ioannis 8 Ego quæ placita sunt ei* (nempè Patri) *facio semper*: Opera autem simpliciter placita Deo sunt ordinis superni: qui est simpliciter ordo Divinæ voluntatis. Tùm ex dignitate ipsius Christi Domini, cui deesse non potuit principium supernum ad omne genus, & species actuum, quos voluit elicere: potentia autem ordinis superni non est cur deprimatur infra suum ordinem operando. Ob hæc censeo vel non satisfeciisse, vel ne potuisse quidem satisfacere per actus entitativè naturales: quia non erant Christo possibiles. Eà tamen eorum factâ suppositione.

97 Ratio Conclusionis est: primò quia proportio ad Præmia, ad quæ ex Christi dignitate condignificati sunt Actus superni, non ipsis venit à physicâ suâ perfectione: physica enim perfectio, quam habet cum increato vel infinito præmio proportionem? Venit ergo illis unicè ex dignitate Personæ, non attentâ entitate, sed honestate morali: ergo ut al. qui actus condignificentur à Dignitate suppositi Divini, non attendenda est entitas, sed honestas: ergo licèt actus sint entitativè naturales, dummodo honesti sint, sunt capaces condignificari ex dignitate Divini suppositi: potuit ergo Christus per ipsos satisfacere. Secundò: quia suppositum Divinum complet Humanitatem non solùm in esse, sed etiam in operari: ergo per omnes actus Humanitatis se exercet suppositi Dignitas. Atqui Personæ dignitas condignificat opera per quæ se exercet in lineâ morali, si honesta sint: ergo.

98 Dices: in nobis licèt alioqui justis actus entitativè naturales manent steriles præmii, & condignificationis ex Gratiâ: ergo etiam in Christo. Nego consequentiam: & ratio disparitatis, & major est duplex. Primò: quia operantis dignitas non derivatur moraliter in opera, nisi per quæ ea dignitas exercetur: dignitas autem Gratiæ non exercetur nec mediatè, nec immediatè per actus naturales: at Dignitas Personæ Divinæ exercetur per actus etiam naturales: sunt enim opera suppositi, quod Divinum est. Altera: quia dignitas Gratiæ est accidentalis, & omninò finita, & limitata, atque adeò debet habere terminum, qui sint actus sui gradûs, & ordinis: at Dignitas Christi Domini, ut est infinita simpliciter, non potest in condignificando limitari ad hanc, aut illam speciem actuum, sed extendere se ad omnem in quâ honestas moralis sit. Neque ob hæc dici poterit actus entitativè naturales per se conducere ad bona superni ordinis; non enim inducunt ratione sui, sed ratione

ne valoris ab illis distincti. Ex quibus etiam patet ad rationem dubitandi. Et hæc de dubiis.

Contra Veg. Vazquez. Galp Hurt & Bernal. 99 Inferes ex hucusque discussis contra Vegam, Vazquez, Galparem Hurtadum, & Bernal, Principium proximum *quod* satisfaciens non esse Christum præcisè quà hominem, id est, humanitatem; neque præcisè quà Deum, id est, suppositum Verbi secundùm se, sed Christum, quà Deum hominem, id est, quà suppositum Theandricum constans Hypostasi Divina, & Humanâ Naturâ: ita

P. Suarez. *communis* sententia cum Suarez *disp 4 sect.5.* Ratio ex dictis est primò: quia actio sequitur ad esse: cum ergo Verbum compleat Humanitatem in esse, jus habet ut actiones dicantur suppòsiti: & hic est sensus Philo-

Aristotel. sophi, si unquam dixit: *actiones esse suppositorum.*

100 Secundò & præcipuè: quia satisfactio dicit essentialiter duo: nempe & actum elici, & valorari: Primum proximè & specialiter est ab humanitate, sustentatâ tamen à Verbo: hoc est, à Verbi Dignitate, habente se penès id specialissimè in genere causæ quasi formalis: non est ergo cur potiùs Humanitas, quàm suppositum Verbi dicatur principium proximum *quod* satisfactionis. Paret consequentia: Nam licèt Humanitas causet Satisfactionem proximè quoad esse physicũ; Verbum verò causat in esse morali specialissimè, & totaliter: quod esse morale maximè attenditur in satisfactione.

101 Vnde dicendum: quoad elicientiam satisfactionis, seu elicitivè, principium *quo* esse Humanitatem: Verbum vero, *quod*: quia mediâ illâ, quam complet in esse, & operari elicit. Quoad dignificationem, & valorem satisfactionis, seu dignificativè, principium *quo* esse suppositum Verbi, seu Christum qui Deus est. & ex consequenti Principium *Quod* satisfactionis necessariò fore Christũ, quia Deus est, & Homo.

Suarez. Vazquez. 102 Componentur ex his facilè locutiones, quas allegat pro se Suarez, & quas pro se Vazquez. Illæ illius, quibus ab Apostolo dicitur *Deus in Christo reconcilians* mundum sibi, intelligendo de principio per modum condignificationis: Istæ istius, quibus à Patribus dicitur Christus, *ut homo* redemisse, intelligendo de principio per modum virtutis elicitivæ. Forte ly *ut homo* non reduplicat supra Naturam humanam præcisè, sed supra ipsam, & subsistentiam, seu prout dicit subsistentiam Divinam, præcisim à Naturâ, & facit hominem, ut *alibi* notavi.

Lib.1.disp. 6.

103 Dices: ergo Christus satisfaciebat sibi. Dico, principium satisfaciens non esse omninò idem cum eo cui oblata est satisfactio, etiamsi oblata sit Christo, quà Deo: quia Deus homo distinguitur, ratione naturæ assumptæ etiam satisfacientis, à Deo. *Dices* ex Hurtado & Bernal: satisfactio est satisfactoria actio: actio autem proximè est solùm à Virtute, à qua fluit: à Verbo autem, complente, & sustentante virtutem, non magis est quàm calefactio est ab aqua sustentante calorem, à quo proximè fluit. Dico, satisfactionem non esse actionem ut cumque, sed condignificatam: unde licèt elicitivè sit ab Humanitate; dignificative magis proximè est à supposito, habente se, non ut se habet ad calefactionem aqua, sed ut calor ad calidum.

Hurtado. Bernal.



Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO III.

SATISFACTIONIS, ET REDEMPTIONIS Christi Infinitudo.

Schotistæ. Mariner. Medina. Castillo.

1 ABSOLVTE negata dicitur ab Schotistis, (reclamãte in oppositum Merinero, de sui Ducis & suorum mente, satis anxio) quibus accessere Medina, & Franciscus del Castillo. Et hęc *prima* sententia. *Secunda* distinguit, & asserit eam infinitudinem operibus Christi Domini causativè consideratis, seu in ordine ad præmium merendum; negat eisdem secundùm se, & formaliter inspectis, seu in linea meriti, seu boni æstimabilis: unde dicit ea esse valoris simpliciter Infiniti; non vero infinitæ æstimationis, & meriti. Ita Granadus, & Lugo pro se citans Theodorum Peltanum. Id quod aliis terminis ex ingeniosi Recentioris calamo video. *Tertia* simpliciter affirmat: & est communis cum Suarez, & Vazquez. *Quarta* duplicem considerat in operibus Christi magnitudinem: extensivam, & intensivam Illam denominat ex extensione, aut magnitudine præmiorum, & effectuum, quos possunt inducere. Hanc, ex æstimabilitate operum, & ex vi inducendi præmium, pro inducere. Hanc, ex æstimabilitate operum, & ex vi inducendi præmium, pro quo à merente dirigantur, inimpedibiliter. His suppositis, censet Satisfactionem Christi, ejusque opera Theandrica, per quæ mereri potuit, esse quoad magnitudinem extensivam, simpliciter infinita in actu primo: in actu secundo, finita simpliciter: quoad magnitudinem vero intensivam esse tam in actu secundo, quam in actu primo infinita simpliciter. Sic explicat Pater Esparza suam, & communem Sententiam, cui solùm addit vim inimpedibiliter inducendi præmium, pro quo Christi opus offertur. Vnde Tria requirit ad veritatem sui. *Primum*: habere vim extendendi se ad infinita præmia; non tamen extendi. *Alterum*: esse æstimationis infinitæ simpliciter. *Tertium*, non posse contemni, seu non acceptari pro quocumque præmio efficaciter dirigantur à Christo Domino. Quæ sententia vera mihi est, & explicabitur. *Noto*, dum de satisfactione lis vertitur; æquè ad singula Christi Domini merita extendi controversiam.

Granad. Lugo. Peltanus. Suarez. Vazquez.

P. Martin. Esparza. qui placet.

SECTIO I.

SATISFACTIO CHRISTI, SEV OPERA sunt infinita simpliciter in ratione valoris, & meriti.

§. I.

PROBATIO COMMVNIS DESERITVR.

2 NEmpe, secundùm Magnitudinem extensivam in actu primo: & magnitudinem intensivam perfectionis, & æstimabilitatis moralis. Ita communis opinio, mihi non vera solùm, sed ferè certa.

3 Probari solet: quia Merita Christi Domini sunt condigna ex se satisfactio pro quovis peccato mortali. & essent; esto peccata multiplicarentur in infinitum: ergo sunt infinita simpliciter in ratione valoris, & meriti. Patet consequentia: quia ut ex effectibus, ad quos virtus producendo potest extendi, arguitur magnitudo virtutis; sic ex debitis, & injuriis, ad quas valor satisfaciẽdo po-

potest extendi, argui debet magnitudo valoris, & vis satisfactiva: Atqui ex effectuum infinitudine, rectè colligitur infinitudo virtutis: quod in Deo est evidens: neque enim aliter colligimus in Deo vim infinitè productivam ad extra: ergo ex peccatorum infinitudine, ad quam se potest extendere satisfactio Christi, rectè colligitur infinitudo valoris, & meriti.

Ill. Godoy. Medina.

4 Huic rationi, quam post alios exaggerat Godoy *disp.*2. §. 2. parum fido: nam ea probat ad summum contra Medinam, opera meritoria Christi Domini esse superioris ordinis respectivè ad offensas: eo enim ipso, quòd valor Christi operum sit superioris ordinis, quamvis finiti, proderit pro infinitis etiam offensis. Ratio: quia supremum ordinis inferioris est infra infimum ordinis superioris. Confirmatur: quia licèt peccatum grave sit moraliter majus, & magis æstimabile, quam infinita venialia, non ideo est simpliciter infinitum in ratione malitiæ, vel offensæ; sed superioris ordinis: ergo similiter in casu nostro.

5 Nec adducta paritas valet: quia infinitudo productivæ virtutis in Deo, non utcúque arguitur ex infinitudine numerali effectuum; sed ex modo continendi singulos per virtutem independentem, & supremi ordinis, intra quem cùm fiat additio virtutis ad virtutem ex numero effectuum: ex istorum infinitate rectè colligitur infinitudo virtutis. At in injuriis, posset dici, non exigi pro singulis satisfactionem Christi, ut singulis adæquatam, sed superabundantem, utpote ordinis superioris; atque adeò eam sine ulla infinitudine pro infinitis offensis posse perfectâ condignitate sufficere. Hujusmodi igitur probationibus omissis

§. II.

SOLIDA PROBATIO AB Authoritate.

Suprà disp. 2. sect. 1. Clem. VI.

6 OStenditur primò Conclusio, Authoritate Patrum, quam dedi *disp. præced. sect.* 1. Addo nunc apertissimam Clementis VI. *in Extravag. Vnigenitus*: Vbi Pontifex tria docet. *Primum*: quod *unica etiam gutta Sanguinis Christi Domini, propter ejus unionem ad Verbum, pro Redemptione totius humani generis sufficisset. Alterum*: quod *in Ecclesia sit ex Christi meritis Thesaurus infinitus, & inexhauribilis. Tertium*: quod *Christi Domini merita sint infinita.* Verba Pontificis, inter alia, sunt: *De cujus consumptione, aut diminutione, scilicet Thesauri Ecclesiæ, non est aliqualenus formidandum propter infinita merita Christi.* Quorum verborum, & sensuum rigor, admissus, ut à Pontifice traditur, id est, absolutè, & sine ullâ limitatione, manifestè convincit opera Christi Domini esse simpliciter infinita in ratione valoris, & meriti.

Cavellus pro Schot.

7 Dices ex Schotista Cavellio: exinde solùm fieri, merita Christi Domini esse infinita, non ex se & intrinsecè, sed extrinsecè, & ex acceptatione Dei, volentis sic acceptare, ut quantumcumque iis utantur homines, non exhauriantur unquam. Contra primò: quia Pontifex ad asserendam meritorum Christi infinitatem non recurrit ad Dei acceptationem, sed ad unionem cum Persona Divinâ: qui recursus omninò foret otiosus, si ex acceptatione sumeretur infinitas. Contra secundò: quia merita Christi Domini non sunt acceptata à Deo pro peccatis infinitis, neque pro infinitis præmiis: ergo de facto ex acceptatione sunt finita simpliciter: in quo omnes ferè Scholæ conveniunt: si ergo ex mente Pontificis sunt simpliciter infinita, ideo est, quia ex se, & prætisim ab acceptatione Divinâ, nempe quoad magnitudinem extensivam in actu primo, & intensivam æstimabilitatis moralis sunt simpliciter infinita.

8 Contra tertiò: quia vel acceptatio Dei supponit in operibus Christi Domini infinitatem valoris, & meriti, vel non? Si primum: est quod intendimus. Si secundum: ergo æquè dici possunt infinita, merita puri hominis, ac Christi merita: ergo merita Christi Domini, quoad valorem possunt exequari per merita puri hominis. Sed merita puri hominis per diminutionem, & consumptionem exhauriri facilè possunt, si nempe pro totidem offensis applicentur: ergo similiter Christi Domini merita: quod Clementis decreto repugnat.

Card. de Lugo.

9 Dices ex Lugo: exinde solùm fieri merita Christi Domini esse infiniti valoris ratione Personæ; non verò esse infinita simpliciter, seu in ratione meriti. Contra primò: quia hoc etiam apertè resistit Clementi, nec à Schoto discedit. Resistit illi, quia dicit Christi merita infinita, sine ullâ limitatione. Non discedit ab hoc, nam quis putet negandum ab Schoto, omnia deberi Christo, non attentâ actione quam præstat, sed Personâ, quæ præstat?

Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

10 Contra secundò: quia vel Persona derivat moraliter dignitatem in actionem, ut meritoriam, vel non? Si primum: ergo si derivat dignitatem, & valorem simpliciter infinitum, actio necesse est maneat infinita simpliciter in ratione meritoriæ. Si secundum: ergo quod detur ratione personæ, datur ut donum, & non ut præmium, nec in retributionem, sed in honorē: unde nequibit dici, Christum meruisse remissionem peccatorum, strictè, & Theologicè loquendo. Contra tertiò: præmium, ut præmium, respondet merito, ut merito: ergo si Personæ dignitas reddit actionem valoris infiniti simpliciter in ordine ad præmium, ut præmiū, necesse est eam reddat simpliciter infinitam, in ratione meriti. Sed de *Doctrina* Cardinalis *sect. sequenti, à num.49.*

Vide infrà à nu. 49.

§. III.

SOLIDA PROBATIO A RATIONE.

11 OStenditur secundò Conclusio, ratione: quâ moveor à priori, repræsentabo *sect. seq.* Arguo nunc ex congruenti, & à pari sic: jus obtinendi omnia bona sibi possibilia, tanquam physicè debita, & independenter à merito, est proprietas necessariò consequens ad Vnionem hypostaticam: ergo & jus obtinendi omnia bona sibi possibilia, tanquam recompensationem, & præmium operis laudabilis. Atqui nequit stare istud jus, si alicui merito Naturæ habentis Vnionem hypostaticam, non maneant debita, tanquam digna recompensatio, quæ voluntas ejus desideret, & pro quibus applicare velit: nam illud gaudium obtinendi quod petit, est bonum sibi possibile: ergo nullum est talis naturæ meritum, cujus juri non debeantur omnia, quæ potest voluntas desiderare: ergo cui non debeantur ex intrinseco jure meriti infinita: nam ad infinita potest voluntas extendi. Atqui meritum, cui debeantur, aut deberi possunt in dignam recompensationem, infinita, seu omnia, non potest non esse simpliciter infinitum in ratione valoris, & meriti: ergo meritum Naturæ habentis unionem hypostaticam, seu Christi Domini non potest non esse infinitum in ratione valoris, & meriti. Discursus tota difficultas vertitur in entymemate: cujus proinde

Suprà lib. 1. disp. 3. disp. 3. sect. 2. 12 Antecedens, omissis, quæ *lib. 1. sect. 2.* in ejus ostensionem adduximus, brevi nunc, & denuò suadetur: Nam Vnio Hypostatica est summa Dei ad extra communicatio, unde jure Paulus: *dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur.* Certè si possibilis esset major Dei communicatio, & majus nomen; nec Christo datum esset nomen omni majus; & Christus deberet illi flectere genu, si existeret: quæ implicant: est ergo Hypostatica Vnio summa Dei ad extra communicatio: ergo affert Naturæ, cui datur, omnem perfectionem, quam non implicet tribui. Patet Consequentia hæc: sicut enim spectat ad Dei infinitatem, ne quid ipso melius excogitari possit, ita etiam spectat ad eandem, ut ejus summa communicatio sit summè æstimabilis; atque adeò quòd illi cui datur, afferat omnem perfectionem possibilem: atqui jus ad omnia illi naturæ possibilia ex præsuppositio favore Dei se illi communicantis, est perfectio possibilis: ergo datur illi cū summa illa communicatione hujusmodi jus. Et hoc erat antecedētis assumptum. Iam prima *Philipp.*

13 Consequentia probatur primò: quia major est perfectio habere res sibi possibiles, non solùm ut physicè debitas, sed etiam ut præmium operis laudabilis, quàm eas solùm habere ut physicè debitas. Ratio est: quia iste secundus modus obtinendi res, facit ipsi habenti magis suas, & moraliter imputabiles: unde addit perfectionem primo modo obtinendi res, ut physicè debitas: ergo ista major perfectio etiam sequitur, cùm sit alioqui possibilis, summam Dei communicationem ad *extra*.

14 Secundò: quia gaudium de obtinendo res, quas quis desiderat, & ratione operis laudabilis, est bonum Naturæ possibile: habet ergo jus ad illud. Implicat autem tale jus, sine jure obtinendi ratione operis cujuscumque laudabilis omnia possibilia.

15 Tertiò: nā qui dignus est omni possibili bono, seorsim à novo titulo sui operis, necesse est sit de novo dignus, ex novo titulo sui operis si illud eliciat. Ratio est: quia tota illa dignitas juris movet medio opere laudabili, quod præstatur, & de novo repræsentatur in illo: implicat autem, quòd in Personā sit jus ad omnia, & quòd tale jus repræsentetur in opere, quin opus sit æquè dignum, & æstimabile in ratione moventis ad recompensationem, & præmium.

16 Confirmantur hæc omnia: Meritum Christi in genere meriti, habet unde crescat

cat in infinitum: & non habet unde decrescat: ergo manet simpliciter infinitum in ratione valoris, & meriti. Consequentia est evidens. Antecedens ostenditur: nam sumitur ex Dignitate Personæ, ex perfectione entitativâ actionis obsequiosæ, & cognitionis dirigentis, ex perfectione Naturæ obsequentis, & ex magnitudine rei oblatæ: ex his Personæ dignitas est infinita, & importatur in merito quanta est, quia quanta est datur Naturę per Vnionē physicè: & Actioni moraliter. Habet ergo, unde, nisi impediatur, & alunde decrescat, crescat in infinitum.

17 Non autem impediri, nec aliunde decrescere, probo primò: quia reliquæ circunstantiæ nequeunt facere, ne Dignitas obsequentis sit infinita simpliciter: neque ergo possunt impedire, ne suam infinitatem exerceat: ergo nequeunt esse ratio cur decrescat obsequium: nam ubi exercetur infinitas formaliter, ut non potest esse locus incremento, ita nec decremento. Secundò: quia illa Personæ dignitas continet omnem rationem perfectionis, quæ actioni ex aliis capitibus deficere potest: non ergo potest actio aliundè decrescere: fit enim abundè cōpensatio. Tertiò, quia si decresceret, maximè ex limitatione entitatis obsequiosæ, Cognitionis, Naturæ obsequentis, & Rei oblatæ: nempè ex limitatione entitatis obsequiosæ, quatenus deficit infinitè ab intensione, ex cujus accessu crescere posset vis obsequii secundùm se: ex limitatione cognitionis dirigentis, quatenus etiam infinitè deficit à perfectione, quæ in infinitum augeri posset, & augere vim merendi: ex limitatione Naturæ obsequentis, quatenus de se est natura indigens: ex limitatione rei oblatæ, quatenus in se finitæ æstimationis est: Atqui ex his capitibus potiùs crescit, quàm decrescit actio Christi Domini in esse meriti: ergo, &c. Major est fundamentum *Scboti*. Probo minorem discurrendo per singula.

18 Imprimis potiùs crescit, quàm decrescit ex eo, quòd actionis perfectio careat intensione sibi possibili, & quasi infinitè deficiat ab intensione, ex quâ posset alioqui crescere. Sic argumentor: perfectio intensionis, juxta quam actio elicitur, conducit ad augmentum meriti: ergo defectus ab intensione, quæ omittitur in actione. Probo consequentiam: omnis intensio, quæ deficit, erat debita Christi Humanitati ex jure unionis, & quæ deficit, per cessionem juris, quam vel signatè, vel exercitè facit Christus in obsequium Dei, & utilitatem nostram propter Deum; ergo ea omnis intensio, quæ physicè deficit, moraliter reputatur in merito. Probo istam consequentiam: qui enim in obsequium illius, qui præmiaturus est, contentus est parvo bono, & cedit majori, æquè meretur, ac si non cederet, quia ipsa cessio juris ad majus, tantùm valet, quantùm est bonum cui cedit. Explico me in *casu*: quo creditor, cui debeas centum aureos, sit contentus uno, & cedat jure ad alios, simul expendens illum unum in utilitatem debitoris; certè illa cessio, & istius expensio moraliter est expensio centum in utilitatem debitoris, & ut talis à debitore recognoscenda: ergo similiter, &c.

19 Insuper potiùs crescit, quàm decrescit ex conditione cognitionis dirigētis. Tùm quia cognitio dirigens fortè, utpote reflexiva, & experimentalis supra dignitatem Personæ operantis, specie differt ab omni aliā cognitione intelligētis purè creati. Tùm etiam: quia ea cognitionis ratio ratihabetur à Christo in honorem Dei, cui obsequitur, cùm ipsi deberet infundi cum omni perfectione possibili. Ratihabitio autem in his, quæ ad justitiam pertinent, æquivalet voluntati antecedenti, & expressæ: quare tenet hic etiam discursus nuper factus.

20 Præterea potiùs crescit quàm decrescit ex limitatione principii proximi. Tùm quia licèt Natura humana secundùm se possit esse ratio deprimens rationē obsequii: in Christo tamen infinitè caret omni genere indignitatis, ut ex multis Doctrinis nostris liquet: nam caret quantùm potest, ex ratione infinitæ dignitatis: non ergo potest esse ratio in Christo cur decrescat, sed potiùs cur crescat obsequiū. Tùm etiā quia Natura Humana, eoipso quòd personetur à Verbo, habet infinitam indigentiam perfectionis: nā habet obligationem se gerendi quasi Naturā propriam Deitenti autē quod habet obligationem ex intrinsecis suis: dat Deus unde satisfaciat obligationi, atque adeò illa limitatio, & indigentia Naturæ est jus, seu quasi jus ut sibi detur à Deo infinita perfectio, & dignitas: non ergo potest esse ratio cur decrescat obsequium in esse digni, & meritorii.

21 Denique potiùs etiam crescit, quàm decrescit ex re oblatā; nam licèt res oblata secundùm se sit aliquando tenuis, utpote finita, v. g. gutta sanguinis, offertur tamen

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in vase Divinitatis, proprio offerentis, & oblato simul cum re, quam offerendam sustinet: atqui conjunctum hoc est infinitæ æstimationis, & pretii: ergo ex re oblatâ non potest decrescere obsequium Christi in lineâ moralis æstimationis, & pretii. Confirmatur, quia si rem tenuem offeras in vase pretiosissimo, illi, cui offers, deffertur honor ex pretio vasis; & ex eo rem æstimare debet, præsertim si vas offeratur etiam: nihil in humanis pervium magis. Maneat ergo Christi opera ex nullo capite limitari posse, ne à Personæ dignitate sint infinita simpliciter in linea valoris, & meriti.

§. IV.

ALIQVÆ OBIECTIONES.

22 OBjicies primò: Satisfactiones, & merita Christi Domini erant entitatis finitæ: ergo & finitæ bonitatis: ergo & finitæ æstimabilitatis: ergo non sunt infinitæ simpliciter in genere valoris, & meriti. Antecedens autem est evidens: fiunt enim ab Humanitate finita, & sunt quid creatum. Confirmatur: meritum, quo simpliciter potest esse majus in genere meriti, non est simpliciter infinitum: atqui Christi merito potest esse simpliciter majus in genere meriti. Quod ostendo primò: nam quodvis assignes, potest assignari aliud perfectioris voluntarii, majoris intensionis, perfectioris ordinis: quibus ex capitibus crescit simpliciter ratio meriti. Secundò: quia si Christus, aut Deus mereretur per velle increatum, hoc genus meriti esset simpliciter majus Christi meritis: ergo, &c.

23 Respondeo distinguendo antecedens: erant finitæ entitatis, sumpta abstractè, & secundùm se, concedo. Sumpta concretè, & moraliter, nego: nam sic imbibunt infinitatem Personæ se impendentis in ipsis. Distinguo jam consequens: sunt finitæ bonitatis, physicè secundùm abstractum actionis, concedo: moraliter, & æstimativè, nego hanc, & alias Consequentias. Nam ratio valoris, & meriti pensantur ex circunstantiis Personæ operantis: cujus dignitas cùm infinita sit, actio evadit æstimativè, & in esse morali simpliciter infinita in ratione valoris, & meriti. Nec obstat finitudo entitativa æstimativæ infinitudini; sicut nec finitudini æstimativæ, entitativa infinitudo: diximus enim cum communi Theologiâ *lib. 2. disp. 3. num. 136.* actus increatos Dei, entitatis alioquin infinitæ, æstimari plerumque ex effectibus, quibuscum eorum æstimatio pensatur, finitâ æstimatione.

Suprà lib. 2. disp. 3. nu. 136.

24 Ad confirmationem, admissâ majori, negetur minor. De cujus prima probatione, dicetur *sectione ultima.* Dicatur nunc: ex assignatis capitibus crescere posse meritum, nisi sit forma valorativa eminentissimè continens omne genus excessûs, & incrementi, quod ex illis oriri posset: qualis est in Christi meritis: quibus proinde, positis per operantis dignitatem in lineâ infinitæ æstimationis, & pretii, impeditur modus crescendi, aut decrescendi aliundè. Ad alterâ, vel nega assumptum, quia quoad effectum merendi æquè æstimantur actus Christi ex infinitate Personæ, ac æstimaretur illud velle increatum, quicquid sit de entitativâ diversitate. Vel antecedente transmisso nega consequentiam, quia de ratione simpliciter infiniti per communicationem, qualia sunt Christi merita, non est quòd non excedatur ab infinito per essentiam, quale foret increatum velle: vel aliter, quia exinde solùm fit, quòd actiones Christi solùm in casu impossibili non essent infinitæ simpliciter in ratione valoris, & meriti. Vide Godoy *num. 53.* *Infrà sect. 5.* *Godoy.*

25 Objicies secundò: complexum essentialiter constitutum ex duobus, non eo ipso manet simpliciter infinitum, quòd altera pars sit infinita simpliciter, si etiam finita sit altera: ergo licèt Christi meritum constituatur ex dignitate Personæ simpliciter infinita, non eo ipso manet infinitum simpliciter. Consequentia patet: quia meritum Christi Domini constat ex pluribus partibus finitis. Antecedens ostenditur: tùm à pari. Corpus v.g. non potest dici simpliciter infinitum in esse corporis, licèt habeat longitudinem infinitam, si finitæ latitudinis & profunditatis sit. Tùm à priori: quia omne finitum est capax incrementi, & decrementi: ergo & pars illa finita, ex quâ complexum fit: sed complexum, crescente quoad perfectionem, vel decrescente parte, necessariò crescit, aut decrescit: ergo similiter illud complexum meritorum Christi. Quod autem crescere potest vel decrescere, non est infinitum simpliciter: ergo neque meritum Christi Domini. Sic Lugus.

26 Respondeo, distinguendo antecedens: si pars infinita contineat eminentissime omne genus infinitatis, quæ ex aliis venire alioqui posset, & omnem perfectionem, aliarum finitarum imperfectioni contrariam, nego: si talis non sit, omitto. Ratio est: quia si constitutivum infinitum contineat eminentissimè omne genus infinitatis, & perfectionem, aliarum partium imperfectioni contrariam, non potest ab iis impediri, ne suam infinitatem exerceat, aut ne æstimetur constitutum ex parte infinitâ, ac si sola esset quoad hunc effectum: est enim de Natura entis infiniti simpliciter, ne ex imperfectionis accessu ad totum, ubi ipsum est, vilescat, aut minus æstimabile sit, ac si seorsim sit: quippe adfert in se perfectionem contrariam imperfectioni aliarum partium: nec finit eam imperfectionem computari, dum æstimatur res. Personæ autem Divinæ dignitas, ex quâ Christi meritum constituitur, est hujus infinitatis eminentissimę.

27 Quę solutionis veritas patet in Christo, qui, non impediente conditione Humanitatis finitæ, censetur ex accessu Personæ Divinæ totum simpliciter infinitum. Ad primam probationem antecedentis est clara disparitas, quia infinitudo longitudinis non continet omne genus infinitatis, quæ latitudinem versùs, & profunditatem, aliunde venire posset. Ad alteram, concesso entymemate, de parte finitâ secundùm se sumptâ, distinguatur subsumpta minor: complexum, simpliciter infinitum, & ubi imperfectio, & finitudo alicujus partis infinitatur nec finitur æstimari, nego: complexum, simpliciter finitum, & ubi pars finita finitur exercere quoad æstimationem, vim suæ imperfectionis, & finitudinis, transeat. *Instabis,* &

§. V.

OBIECTIONES ALIÆ DIFFICILIORES.

28 OBjicies tertiò: licèt Personæ dignitas sit infinita simpliciter, non communicatur modo infinito: ergo neque potest exercere suam infinitatem, neque impedit ne aliæ partes finitæ suam exerceant finitudinem in Christi meritis: ergo merita Christi non sunt infinita simpliciter. Consequentiæ liquent, & antecedens ostenditur: quia eatenus communicatur actibus Christi, quatenus unitur Humanitati.

29 Confirmatur primò: licèt subsistentia Verbi sit infinita simpliciter, non tamen reddit Humanitatem infinitè simpliciter subsistentem: nempe quia finito modo communicatur: ergo licèt Christi Dignitas sit infinita simpliciter; quia etiam finito modo communicatur, non redderet ejus merita infinita simpliciter.

30 Confirmatur secundò: Nón redditur Humanitas infinitè simpliciter Sancta, nec æquè, ac Deus est Sanctus, licèt communicatam habeat totam Dei Sanctitatem, quæ simpliciter est infinita: ergo neque actiones Christi reddantur infinitè simpliciter meritoriæ, & æstimabiles, licèt communicatam habeant totam Verbi æstimabilitatem. Consequentia patet ex ratione antecedentis: quæ à finito modo communicationis sumi solet, & debet. Vnde sic arguo: non minùs limitat effectum formæ, limitatio communicationis, & substracti; quàm limitet effectum causæ efficientis, limitatio virtutis proximę: ut patet in exemplis adductis; atqui effectum causæ efficientis simpliciter limitat, limitatio proximę virtutis: ergo & effectum formæ, limitatio communicationis, & substracti: quæ in nostro casu certè intervenit.

31 Confirmatur tertiò: vel Christi Domini actiones æquè sunt æstimabiles & placent Deo, ac Verbi Dignitas, & increatum velle Dei, vel non? Si secundum: ergo limitatio intrinseca partium finitarum, suam finitudinem exercet: ergo facit ne sint æstimationis infinitæ simpliciter: ergo merita Christi sunt finitæ æstimabilitatis: eorum enim, quæ infinitè simpliciter placent Deo, nõ potest unum placere magis, quàm aliud: vel non sunt infinita simpliciter in ordine æstimationis, & complacentiæ. Si ergo primum: ergo essent æquè bonæ ac Deus: quod patet multis absurdis egregiè ponderatis à Godoy *disp. 3. §. 5. à num. 55.* *Godoy.*

32 Respondeo ad argumentum, distinguendo antecedens: non communicatur modò infinito physicè, concedo: moraliter, nego. Ad probationem, distinguo etiam quod assumitur: eatenus communicatur, quatenus unitur, ly quatenus significante conditionem præsuppositum ad communicationem: concedo: significante mensuram, & quantitatem communicationis, nego. Itaque Personæ Divinæ Dignitas non potest communicare se moraliter operibus Humanitatis, nisi modo finito Vnionis, se fecerit Rectum Humanitatis operantis, & hanc intimè suam: eâ verò unione suppositâ, infinitè moraliter se communicat operibus quoad æstimationem, & valorem: quæ communicatio distingui & concipi potest in actu pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mo, & quasi in actu secundo: in actu primo ex parte Verbi consistit in ipsâ increatâ Majestate, quæ indivisibiliter est jus, ut opera Humanitatis assumptæ, & suæ, æstimentur ut opera propria tanti suppositi: ex parte Humanitatis, in ipsâ Vnione afferente sibi Dignitatem simpliciter infinitam: In actu secundo, consistit in actu Divinæ voluntatis æstimantis actiones, æstimatione, quam exigunt, nempe æstimatione suppositi operantis. Patet autem Hujusmodi communicationes esse simpliciter infinitas, licèt ea, quæ fit Humanitati, sit finita simpliciter in genere physico.

33 Ad primam confirmationem, omissis aliorum solutionibus parùm solidis, concedo antecedens, & nego consequêtiam, ejusque suppositum. Vidimus enim communicationem, quâ se Verbi dignitas communicat operibus, non esse eandem cum illâ quâ se Humanitati communicat physicè, esseque simpliciter infinitam moraliter. Disparitas Antecedentis ad consequens est, quia reddere subsistentem Naturam solùm est complere ipsam in genere substantiali, & in gradu suæ entitatis; cùm ergo ipsam non compleat in omni genere entis, & perfectionis: quod requiritur ad subsistens infinitè simpliciter, hinc est, non reddi à subsistentiâ infinitâ simpliciter, infinitè simpliciter subsistentem. At reddere merita simpliciter infinita solum est facere, ut ea merita æstimentur æstimatione tota operantis moraliter ab ipsis indistincta: cui non obstat finitudo physica actionis, & unionis per quam se Humanitati operanti communicat. Et ratio est, quia ea finitudo actionis, & unionis non imminuit, nec impedit, ne dignitas operantis sit simpliciter infinita, &, quanta est in se, se moraliter exerceat per actiones alioquin entitate finitas.

34 Ad secùndam confirmationem, omisso nunc etiam antecedente, in quo promiscuè miscentur multa, evolvenda cùm *de Sanctitate Christi* sit sermo, nego consequentiam. Ratio est quia denominatio sancti, & boni non desumitur solum ex quantitate Sanctitatis, & bonitatis, sed ex modo illam, & hanc habendi, cæteris paribus; qui modus cùm in Humanitate finitus sit, nempè per Vnionem, fortè facit ne evadat ex sanctitate entitativè infinita simpliciter, simpliciter infinitè sancta. At denominatio valentis, & meritorii sumitur ex bonitate non solùm absolutâ, & entitativâ actionis, sed respectivâ per ordinem ad personam, cujus dignitas nisi impedatur, ne sit infinita simpliciter, ut impediri non potest, ne opera sint Personæ simpliciter infinitæ: ita nec potest impediri, ne simpliciter infinitè valeant, & æstimentur, quia jus est ut æstimentur æstimatione totâ Personæ operantis.

35 At, *inquis*, quomodo opera secundùm se finita, sunt capacia denominationis valêtis simpliciter infinitè, si humanitas, quia finita, non est capax denominationis sanctæ, & bonæ simpliciter infinitè? Respondeo rationem esse, quia capacitas ad valendum in genere meriti sumitur per ordinem ad Personam, cujus opera sunt: unde si sit in operibus capacitas, ut sint personæ summè excellentis, eoipso habent capacitatem ad denominationes ejusmodi. At capacitas ad denominationem sancti, sumitur in ordine ad ipsam Naturam intrinsecè habilem, vel inhabilem habendi tantam, aut tantam sanctitatem, hoc vel illo modo: qui semper, respectu entitatis finitæ, debet esse finitus.

36 Hinc ad rationem Confirmationi adjunctam, distinguo majorem: non minùs limitat, limitatio communicationis, & substracti, quando effectus formæ mensuratur in ordine ad subjectum, ejusque capacitatem intrinsecam, concedo: quando mensuratur aliunde, nego. Et disparitas est quia cum effectus formæ, ut in physicis solet, mensuratur in ordine ad subjectum, Agens operatur juxta illius exigentiam, aut limitationem, unde finitè, si capacitas finita sit: & sic intelligo axioma formam debere recipi juxta modum recipientis: educitur enim ex isto, seu fit ad mensuram istius: at si effectus formæ, ut in moralibus, & hic accidit, plus aliunde mensuretur, quàm in ordine ad substractum, tunc tantus erit quanta erit forma, vel illud tertium in ordine ad quod mensuratur. Cùm ergo in operibus Christi Domini sumatur denominatio valentis in genere meriti ex excellentia Personæ, & hæc sit in operatione, infinitâ simpliciter, non potest obstare limitatio substracti, ne actio evadat infinita simpliciter, in ratione valentis, & meriti. Nec paritas à virtute productiva valet: quia ideò ex ejus finitudine benè colligitur effectûs finitudo, quia virtus nihil producit, nisi quod continet: at effectus iste moralis, de quo loquimur, nullam causam habet unde physicè fiat, datur enim formaliter à Dignitate Personæ, quanta inter operandum est.

Ad

Infrà lib 5 disp. 1. latissimè.

Suarez.

37 Ad tertiam Confirmationem, distinguenda est in operibus Christi duplex bonitas cum Suarez *disputatione citatâ sect. 4.* altera, intrinseca, absoluta, & virtuosa, seu per quam actus manet in sphærâ determinatæ virtutis, & quam actus habet ex intrinseco ordine ad objectum. Altera, respectiva ad æstimationem, & præmium, quæ ex aliis circunstantiis sumitur, & maximè ex operantis dignitate: utraque indivisim accipitur, cùm actus sumitur in ratione valoris, & meriti. Distinctio patet in actu contritionis, qui penès intrinseca manet æquè bonus, & virtuosus, sive fiat à justo, sive à peccatore: quoad æstimationem tamen, in ratione valoris, & meriti, maximè dispar est, si, à justo fiat potiùs quàm à peccatore. Dico igitur opera Christi quoad bonitatem tam absolutam, esse secundùm se finita, & finitè æstimabilia: quoad respectivam tamen esse simpliciter infinita, & infinitè æstimabilia, nempe quantùm in ordine ad inducenda bona est æstimabilis, & placet infinitæ Personæ Dignitas. Ne tamen solutionis claritas offusca tur importunâ implicatione difficultatum decursu vindicandarum

38 Notanda sunt *tria* contra multos. *Primum*: ex nostrâ opinione non esse necesse dicere, opera Christi æquè placere Deo, & æquè esse æstimabilia, ac placet Deo Personæ Divinæ Dignitas, ac velle ipsum increatum Dei. Ratio est, quia Personæ Dignitas, & velle increatum placent omni genere, & modo æstimationis, & amoris: sunt enim Bonum per essentiam, & in omni genere boni: at opera Christi Domini, cùm non sint in omni genere perfectionis bona, sed respectivè in ordine ad inducenda bona, gratiâ ipsorum, & Personæ per illa se exercentis, non debent esse in omni genere summè æstimabilia, & summè placentia: unde nec tantùm, quantùm ipsa Personæ Dignitas, & velle Increatum Dei.

39 *Alterum*: licèt non sint æquè placentia, ac ipsa Personæ dignitas, & velle increatum Dei, dici debere, æquè placere Deo in ordine ad inducenda bona, seu in genere meriti, ac placent Personæ Dignitas, & velle increatum in omni genere placendi. Ratio est: quia ita æstimantur, ut in eo genere æstimationis, non possit quasi augeri, & crescere affectus Divinus, quacumque factâ additione meritorum: tantique æstimantur, quanti in eo genere potest æstimari res simpliciter infinita.

40 *Tertium*: his non obstantibus, merita Christi debere dici simpliciter infinitè æstimabilia in genere valoris, & meriti, quia in eo genere neque possunt excedi, neque factâ ullâ additione simpliciter crescere: per quæ plenè satisfiet tertiæ confirmationi, & multis, quæ hîc objici solent à Nonnullis: inter quos video Recentiorem aliis ingeniosum, qui exinde contendit Merita Christi Domini non esse intensivè simpliciter infinita, quia ea non videt æque bona, & placentia Deo, ac Deus est Bonus & sibi placens: in quâ sequelâ multi Theologi, aliàs doctissimi, nullam absurditatem inveniunt, ut reprehendo *num* 64. Sed eâ doctrinâ, quæ mihi non placet, non eget veritas quam defendimus.

41 Objicies quartò: si singula Christi Domini opera erant infinita simpliciter in ratione valoris, & meriti: ergo Christus non plùs satisfaciebat, & merebatur, nec reipsa poterat, per unum, quàm per alia: nec per omnia simul, quàm per unum. Consequentis necessitas, & absurditas patent. Necessitas: quia quod est simpliciter infinitum, in eo genere, in quo tale est, excedi non potest, nec quacumque factâ additione crescere: nâ eâ parte quâ excederetur, & creseit, non erat id quo majus esse non poterat: atque adeò erat finitum, & limitatum. Absurditas. Tùm quia sicut unum opus erat alio præstantius, & unus labor, aut dolor alio major: ita necesse est fuerint aliqua Christi opera magis satisfactoria, quàm alia. Tùm etiam quia alioquin non esset cur ex constanti Scripturarum, & Patrum consensu tribui deberet Redemptio nostra Christi passioni, & morti, potiùs, quàm actui primo meritorio, quem elicuit. Tùm demum quia evidens est totum præponderare parti, seu esse parte suâ majus: ergo & evidens plus est esse satisfactionis, & meriti in collectione operum Christi Domini, quàm in unico.

42 Pro Solutione venit repetenda distinctio, quâ consideravimus Christi Domini satisfactionem, & merita, vel quoad *sufficientiam*, & in actu primo: vel quoad *efficaciam*, & in actu secundo. *Primo* modo tantum merebatur Christus per unum opus, quàm per omnia simul: & tantum erat valoris & meriti in uno, quàm simul in omnibus, intensivè, & simpliciter loquendo, ratione assertæ infinitatis in quolibet. Nec id, ullum absurdum est: quoties enim pars aggregati est simpliciter infinita, in eo ipso genere

Universidad de Deusto
Biblioteca

æquipollet toti, & æquè præstat: axioma de majoritate totius intelligendum respectivè ad partes toti inæquales, & finitas. Dixi simpliciter,& intensivè:nam secundum quid, & extensivè plus est meriti in collectione omnium Christi operum, quàm in uno: id est,sunt plura merita simpliciter infinita:non est absolutè plus meriti.

43 *Secundo* modo, seu quoad effectum neganda est consequentia: quia licèt merita Christi Domini secundùm se erant valoris simpliciter infiniti, eorum tamen efficacia in actu secundo pendebat juxta alios à Dei acceptatione: juxta me ab applicatione Christi Domini, qui voluit applicare sic sua opera, ut aliquid aliqua, aliud alia acquirerent, neve singula acquirerent jus integrum ad reconciliationem, nisi accedente morte voluntariè obitâ pro peccatis Humani generis. Isque sensus est Scripturæ, & Sanctorum dum dicunt Redemptionem nostram nonnisi Christi Domini passione,& morte fuisse consummatam.

44 Et certè, cur ita se Christus gereret, ratio convenientiæ non una fuit. Prima: ut sic nobis magis appareret nostrorum gravitas peccatorum; illustriùsque se proderet Christi erga nos Charitas. Secunda, ne nobis, assuetis perumque res, numero & strepitu potiùs, quàm pondere æstimare, vilesceret Redemptio nostra, si uno solum Christi Domini opere niteretur. Tertia, ut illicita delectatio, quâ peccavimus, Christi gravi dolore compensaretur: in ejusque humilitate, patientia, & depressione, & obedientia detumesceret fluctus cordis nostri,& inesset exemplum Vitæ innocentissimæ. Vnde colligis Christi merita quoad effectum non fuisse simpliciter infinita in actu secundo; licèt in actu primo quoad illos ipsos effectus finitos, pro quibus applicabantur, exercuerint infinitatem intensivam in actu secundo obligãdo Deum ad eorum exhibitionem in præmium:ut *infrà*.

*Infrà d. nu.*184.

45 Objicies quintò: Meritum simpliciter exhauribile per præmium,vel simpliciter impedibile ne præmium obtineat, non potest esse simpliciter infinitum: Atqui meritum Christi sic se habet: exhauriri enim potest per præmium; si nempe intuitu ipsius SpiritusSãctus Incarnaretur:v.g & impediri, si nempe Spiritus Sanctus offerret & applicaret in ea suppositione sua merita ne Christo daretur quod postularet: ergo non est simpliciter infinitum Christi meritum.

46 Respondeo,omissa majori,nego minorem: neque enim per illud præmium exhauiretur Christi meritum, neque per illam suppositionem impediretur. Ratio prioris est: quia illud præmium in ratione præmii non est simpliciter infinitum. Ratio posterioris: quia vel illa suppositio est impossibilis, vel in ipsa est impossibilis casus ille discordiæ inter illa suppositа ordinatissima in volendo. Sed de his *sect* 3. latè,& ex professo. *Infrà sect.* 3.

47 Respondeo secundò:distinguo majorem: meritum exhauribile per præmium simpliciter finitum; vel impedibile vi alterius meriti finiti non potest esse simpliciter infinitum, concedo:meritum solùm exhauribile per præmium simpliciter infinitum; & solùm impedibile per vim in oppositum meritoriam simpliciter infinitam: nego. Nam si præmium est simpliciter infinitum certè respondet merito simpliciter infinito: & si meritum ut impediatur, necesse est quæri aliud simpliciter infinitum,certè ostenditur in ratione meriti infinitum simpliciter.

SECTIO II.

ASSERTÆ INFINITATIS ORIGO, ET Ratio.

§. I.

DISCVRSVS CARDINALIS DE LVGO examinatur, & repellitur.

48 HÆc Ratio necessariò petitur ab Infinitatis origine: & origo, posthabitis aliis modis,quos ferè nemo jã probat,& suppresimus in simili *Suprà disp.2. à nu.43.* communiter petitur ab Infinitâ Dignitate Personæ operantis. Tota lis est de modo, & cum Cardinali de Lugo potissimùm. *Suprà disp. 2. à nu.43. Card. de Lugo.*

49 Asserit hic Eminentissimus Author *disp.6. sect.* 1 Dignitatem Personæ operantis, (tam in Christo, quàm in quovis alio supposito) non dignificare directè,& formaliter opera, sed materialiter,& indirectè: id est, non ea elevare, ita ut ea faciat digna majori præmio formaliter loquendo, sed majori materialiter.

50 Considerandum est, inquit, opus morale bonum, præcisim à Dignitate operantis, & antecedenter ad ipsam juxta bonitatem intrinsecam, quâ Deo placet, & ut sic æstimatur esse dignum præmio magno. Ad decidendum verò,quod & quale erit respectu talis operis, si præstetur, præmium magnum, fieri debet recursus ad Personæ dignitatem, utpote certam, & unicam mensuram parvitatis, & magnitudinis in præmio; quod enim uni Personæ censetur magnum; alteri, parvum est. Vnde Dignitas Personæ non dat operibus valorem ad magnum præmium, sed indirectè, & materialiter, quatenus facit, quòd præmium aliis aliàs magnum,respectu merentis magnum non sit. Sic, addit, Beneficiarius habet jus ad congruam sustentationem ex fructibus beneficii quantitas tamen congruæ sumenda est per differentias Personarum. Cum ergo Christo Domino, ratione Excellentiæ,& dignitatis non possit esse magnum,nisi quod sit simpliciter infinitum,& omne possibile, inde dicitur ex excellentiâ, & dignitate Personæ, augeri valorem, manereque opera valoris infiniti simpliciter,licèt nõ maneant nisi finita in ratione meriti, quia non ex eo manent digna majori præmio formaliter,sed præmio materialiter majori. Sic Lugo subtiliter,& acutè. *Lugo.*

51 Doctrina tamen hæc, alioquin subtilis, & ingeniosa, mihi displicet ultra ea,quibus *disp. præced. à num.91. & præsenti nu.9.* jam concussi. Primò: quia juxta ipsam ratio meriti & movens Deum ad retributionem esset simpliciter finita, nec superans obsequium puræ creaturæ: id autem absurdum esse constat, tùm quia repugnat manifestò Patribus commendantibus in Christo magnitudinem pretii,& obsequii. Tùm quia ratio non plùs movens quàm obsequium puræ creaturæ, non æquè movet ad complacentiam,quàm offensa ad displicentiam movet: ergo ex ratione obsequii non potest Deus condignè moveri ad remissionem peccati. Tùm etiam quia Ratio movens Deum ad retribuendum non esset meritum Christi Theandricum nec operatio Christi,ut Christi est: unde fiet eas actiones æstimari secùs ac in re sunt; cùm æstimentur præscisim à Personâ à qua fiunt, & consequenter à circunstantiâ plerumque mutante speciem moralem actionum:igitur considerare actiones secundùm se præscisim à Persona, non est eas considerare moraliter, ut sunt in se, nec in ratione meriti. Major autem assumpta patet:nam per te,ratio quæ movet Deum ad retribuendum, & ratio meriti consideratur præscisim à Persona, juxta bonitatem intrinsecam in quovis supposito invenibilem, ubi talis actio sit; atqui talis bonitas est finita simpliciter. *Suprà disp. 2. à nu.91. & in præs. à nu.9.*

52 Displicet secundò: quia exinde fieret plures Dei-Hominis actiones non fore infiniti valoris, neque quamvis oblationem, aut guttam Sanguinis sufficere pro remissione peccatorum: quæ singula manifestò sunt falsa, & contra extravagantem Clementis *Clemens suprà* citatam. Sequela ostenditur: eatenus *nu.6.* actiones Christi sunt per te valoris infiniti simpliciter,quatenus secundùm se sunt dignæ magno præmio, cujus exinde magnitudo,ex comparatione ad Personam, crescere debet in infinitum. Atqui plures actiones Christi Domini secundùm se consideratæ non sunt dignæ magno aliquo præmio: Tùm quia si præstarentur eædem a parà creatura non ita dignæ forent. Tùm quia actiones naturales ex se non ita dignæ sunt: & quomodo sit digna magno præmio secundùm se oblatio unius Lacrymæ, uniusque guttæ Sanguinis effusio?

53 Demum, quia plures actiones secundùm se, etiamsi supernæ sint,præcisim à dignitate Personæ, æstimantur à Theologis exigui pretii, & exiguo præmio dignæ, elevanturque à dignitate Personæ, ut plutis æstimentur, & magno præmio dignæ sunt: puta actus remissos, & virtutum infimarum: nihil hac doctrina inter Theologos *de merito* disputantes pervium magis: ex quâ manifestè revincitur, quam Lugo excogitavit.

54 Displicet tertiò, quia hæc Doctrina reddit principia pro mensura præmiorum incertissima. Ratio est: quia ratio magni, & parvi habet latitudinem infinitam: & infinitas combinationes: cùm ergo dicitur actiones ex se esse dignas exiguo,& parvo præmio: aut esse dignas magno; additurque parvitatem, & magnitudinem esse mensurandam cum Personæ, cui præmium datur, dignitate: rogabimus: si magnum patitur infinitam latitudinem,cur merenti præmium magnum non eo ipso mereri dicitur de condigno totam illam latitudinem magni: v. g. si justus meretur præmium magnum,cur potiùs dicitur de condigno mereri quatuor gradus gratiæ, v. g. quam centum; cùm tam centum, quàm quatuor gradus sint intra latitudinem magni,ad cujus arbitrium hæc finienda?certè ad Dei arbitrium inutiliter recurretur: Quò enim Princeps est liberalior, & major, eò minùs reputat in præmiando magna,quæ alii magna censent. Videatur de argumento Arriaga *disp.*10.*sect* 2.*subsect* 3. *Arriaga.*

55 Displicet quartò. Quodvis opus morale habet certam, & determinatam speciem, & honestatem; & certâ determinatâque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis cum libertate sit: ergo necessariò debet esse secundùm se determinati, & certi valoris: ergo necessariò debet esse dignum certo, & determinato præmio, juxta genus suum. Ratio horum omnium est: quia honestas est mensura valoris; valor, præmii: præmium enim valori respondet: ergo si honestas est certa, & determinata, debet & esse certus valor, & consequenter præmium. Confirmatur paritate malitiæ, & pœnæ.

56 Nunc sic: atqui in quovis supposito sit tale opus, habet eundem valorem determinatum: ergo in quovis supposito sit, erit dignum certo, & determinato præmio, si dignitas supposîti formaliter non concurrat ad valorem operis eliciti: ergo quicquid superadditur ultra illum determinatum præmium, confertur in honorem Personæ, & non ut præmium: ut accideret si ex liberalitate superadderetur: ergo si Dignitas Personæ non auget formaliter meritum, quidquid ratione Personæ superadditur, non est præmium: ergo neque remissio peccatorum, neque infinitudo boni potest esse præmium respectu Christi: quod quis asserat?

57 Confirmatur: Vel præmium infinitum, vel quodvis aliud excedens valorem intrinsecum actionis meritoriæ, respondet indivisibiliter ut præmium soli operationi, vel operationi, & Personæ indivisibiliter acceptis? Si primum: etgo actio præcisim à Persona est valoris infiniti simpliciter: & unde hoc illi? Si secundum: ergo ex operatione, & dignitate Personæ fit unum quid moraliter in ratione valoris, & meriti: nam merito, ut tali, respondet præmium, ut præmium.

58 Dicetur fortè, præmium infinitum respondere actioni, & Personæ divisibiliter, non quasi unum quid actioni respondeat, & aliud Personæ, sed quatenus actioni respondet magnitudo præmii, & Personæ, quod infinitas præmii sit magnitudo, respectu sui, & suę operationis. Contra tamen: Vel infinitum reduplicativè ut infinitū est formaliter præmium, vel non, nisi merè materialiter? Si primum: ergo ut tale respondet merito infinito: quod istud est? Si secundum: ergo nulla est in Christo actio, quæ sit digna infinito præmio, ut tali: quod nemo dixit extra Scholam Schoti. Dicere enim esse dignam præmio materialiter infinito, est dicere infinitatem esse inseparabilem à re, quę datur in præmium: re tamen ipsâ non esse præmium.

59 Displicet quintò: quia nullum præmium præter infinitum est determinatè parvum, aut magnum abstrahendo à dignitate Personæ; quodvis enim est parvum respectu unius Personæ, & respectu alterius magnum: ergo in conceptu actionis ut valorosæ, & meritorię includ tur Personę dignitas. Probo consequentiam: quia magnitudo præmii, ut magnitudo præmii est, respondet actioni, ut valorosæ, & meritoriæ; sed per re magnitudo præmii, ut est determinata magnitudo præmii respondet dignitati Personę, & non rei alicui divisim acceptæ à Personæ dignitate: ergo Personæ dignitas constituit actionem in esse valorosæ, & meritoriæ. *Koninch. Amicus. Arriaga. Bernal. Prudent.* Videantur alia contra discursum Cardinalis in Koninch, Amico, Arriaga, Bernal, & Prudentio: Quare

§. II.

VERA RATIO PROPONITVR, ET defenditur.

60 DOctrina communis tenenda est, & explicanda juxta præjactam *disputatione præcedenti sect. 2. à num. 63.* dicendo Personæ operantis dignitatem directè formaliter, & immediatè concurrere ad valorationem, & æstimationem actionis meritoriæ, ut talis est, quatenus se ipsam, quanta est, in actionem obsequiosam impendit, suique totam æstimationem actioni moraliter identificat. Vnde Divini supposîti dignitas, quanta est, nempè infinita simpliciter, sè totam actionibus moraliter identificat; istæque manent cum jure ne earum æstimatio, & valor in ratione meriti, & obsequii limitari possit ex ullâ indignitate operantis (nulla enim est moraliter,) sed æstimari debeat totâ æstimatione suppositi ab ipsis actionibus moraliter indistinctâ. Vide hæc explicata fusiùs, & solidè jacta *loc. citat.* ex quibus *Suprà disp. 2. à nu. 63.*

61 Necesse est operationes Christi Domini in ratione valoris, & meriti esse simpliciter infinitas. Primò: nam actio, quæ ex summâ dignitate non habet unde limitetur, manet eoipso infinita simpliciter. Secundò: quia actio æstimabilis totâ æstimatione rei infinitę simpliciter, necessariò est æstimabilis æstimatione simpliciter infinitâ. Tertiò: quia actio per moralem sui dignitatem elevata ad gradum æstimationis, in quo neque factâ quacumque additione possit crescere, vel excedi, manet in eo infinita simpliciter: atqui

qui actio Christi Domini per moralem sui dignitatem est in gradu æstimationis in quo nunquam, aut usquam crescere potest, aut excedi: ergo manet in eo infinita simpliciter. Major est evidens: nam eoipso continere censetur, quicquid in eo genere, æstimationis, & perfectionis est. Minor etiam est evidens: nam Personæ dignitas est moralis dignitas actionum: ut est ex communi principio evidens, actiones eò æstimari pluris, quo major est Personæ, quæ elicit: cum ergo Personæ hîc operantis sit simpliciter infinita Dignitas, necesse est actio maneat in gradu æstimationis summo. Hæc, & alia *ex Doctrinis præcitatis* facilè quilque exaggerabit, & instruet, pro ratione à priori solidâ, & efficaci assertæ infinitatis in meritis Christi Domini.

62 Objicies primò: ergo actus Christi Domini in ratione meriti, non crescunt utcumque, sed arithmeticè ad gradum usque dignitatis, in quâ Persona est: ergo tanti valent, ac Persona Verbi: ergo tanti sunt æstimabiles, quanti Persona Verbi: ergo tam amabiles sunt, quàm Verbum, & Deus: ergo tam sunt boni, quàm Deus: cujus cõsequentis falsitas, & absurditas ostendit eorum, ex quibus sequitur. Et primum patet: nam si Christi Dignitas non elevat actus arithmeticè ad dignitatem sibi æqualem, quomodo æstimantur totâ æstimatione suppositi? Quomodo ab ipsis indistinguitur Verbi dignitas, quanta est? Vnde provenit limitatio, quæ non eò usque limitet, ut maneant finiti simpliciter in ratione valoris, & meriti?

63 Confirmatur: si Personæ dignitas dat valorem formaliter actibus Christi Domini, ut ratio valoris, & meriti est simpliciter infinita juxta nos: ergo & erit in omnibus Christi actibus simpliciter eadem: cùm eadem omninò sit in omnibus dignitas: ergo actus Christi in ratione valoris, & meriti non sunt plures, sed quid omninò unũ, & idem. Multos objectionis sequela turbavit.

64 Admissa est à non paucis, quibus favent Amicus *disp. 6. sect. 2.* Vvadingus *disp. 2. dub. 2.* & apertè Meratius *disp. 6. sect. 5. num. 7.* fassus æquè Deo placere actus Domini, ac Personæ dignitas placet, & ipse sibi. Verùm id videtur omninò durum: Primò: nam Bonum per essentiam est summè bonum in omne genere, & omni genere, & necessitate amoris summè amabile; atqui actus Christi Domini non sunt per essentiam boni, neque in omni genere, neque summè amabiles omni genere, & necessitate amoris: ergo non æquè placent, ac Verbi dignitas. Si ergò non æquè placent, non erunt æquè digni: neque ergo crescunt arithmeticè. Secundò: quia bonum, quod extrinsecè, & contingenter est bonum, non est super omnia diligibile: tales autem sunt actus Christi Domini. Ideò sequela *Amic. Vvading. Merat.*

65 Negata est etiam à multis, inter quos sunt Esparza, Godoy, & Aldrete, fassi crescere quidem Christi merita simpliciter infinitè, non tamen ad dignitatem tantam, quanta est Personæ. Desiderq in Aldrete consequentiam hæc dicente *disp. 10. sect. 2.* & oppositum docente *disp. 78. sect. etiam secunda.* Deinde hic dicendi modus manifestè Schotistis favet asserentibus merita Christi ex eo non evadere ob Personæ dignitatem infinita simpliciter, quia non crescunt arithmeticè, sed geometricè. *Esparza. Godoy. Aldrete.*

66 Insuper Arguo sic primò: licèt offensa crescat ex dignitate offensi per vos, tamen ex eo non crescit in infinitum, licèt Persona, quæ offenditur, sit simpliciter infinita, quia non crescit arithmeticè, sed geometricè: & iste modus crescendi dat locum, ut aliunde limitetur; ergo si meritum Christi non crescit ex Dignitate Personæ arithmeticè, sed geometricè, non crescet in infinitum: atque adeò non equsque crescet, ut exæquari non possit per multiplicationem actuum purè finitorum, quod omnis Schola negat.

67 Arguo secundò: Per vos ex dignitate Personæ crescit meritum Christi ad usque infinitatem: ergo crescit arithmeticè. Probo consequentiam: neque enim potest esse ratio cur ab infinitate Personæ crescat in infinitū, & cur non crescat quanta est Personę dignitas. Et ratio est: quia ex eo crescit in infinitum, quia datur ipsi moraliter ipsa infinitas Personæ; sed etiam datur tota Personæ dignitas, quanta est: ergo.

68 Arguo tertiò: non potest crescere Christi meritum ex Personæ dignitate, quin arithmeticè crescat. Ratio est: quia nequit crescere nisi ex dignitate, quæ ipsis actionibus datur, & quantum datur; atqui datur tota dignitas, & quanta est in se; datur enim per se ipsam, quatenus se ipsa est jus ut actiones reputentur suæ, & æstimentur, ut tales. Quare temperando sequelas *ex num. 38. & sequent.* & cum Koninch. *disp. 3. dubio 8. num. 158.* *Suprà à nu. 38. Koninch.*

69 Respondeo ad argumentum, & dico Christi merita crescere ex dignitate Personæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sonæ, quam moraliter dicunt, & imbibunt. in ratione valoris, & meriti, non utcumque, sed arithmeticè, id est, tantũ ea merita esse in ratione valoris, & meriti, quantus est Deus in ratione significantis. Cùm ergo Deus, in ratione significantis, quia est dignitatis infinitæ simpliciter, & infinitè æstimabilis, sit simpliciter infinitus, necesse est quòd merita sint simpliciter infinita, & infinitè æstimabilia in ratione valoris, & meriti. Et hic est sensus earum vocum, quibus dicere solemus, actus Christi æstimari totâ æstimatione Dignitatis Divinæ, & æquè valere, ac Deus valet. Loquimur enim moraliter, deque actibus moraliter acceptis, & cum limitatione ad rationem valoris, & meriti: atque adeò damus locum ut in genere physico possint ipsi actus excedi à summo Bono per essentiam, & in omni genere entis.

70 Ex quibus duo fiunt. *Alterum*: Christi merita esse infinitè æstimabilia in genere meriti, & quantum in eo genere potest æstimari res simpliciter infinita, tantique in eo genere quanti servatâ proportione æstimatur in omni genere Deus. *Alterum*: Christi merita, licèt dicant in se tantum boni, quantum est Deus, non esse tam bonos, nec tam placere, quàm Deus est bonus, & sibi placet. Sumpti enim actus adjectivè non habent bonitatem omni genere habendi, quo Deus. Nunc in forma: concedo sequelam primi consequentis: & distinguo secundum: tanti valent, absolutè, nego: tanti valent in ratione morali valoris, & meriti, concedo: & distinguo similiter tertio consequenti, nego quod subinfertur in ultimis consequentiis. Vide *doctrinam num.* 38. 39. 40.

Suprà à nu. 38. *Pet. Hurt.*

71 Ad Confirmationem, in quâ fluctuare videtur Hurtadus Salmăticensis, concesso antecedente, nego duplicem consequentiam. Quia licèt dignitas, quæ condignificat Christi opera, sit physicè, & realiter eadem & ipsissima; tamen valor & ratio meriti, quę exinde derivantur, moraliter sunt diversa pro diversitate actuum, qui valorantur: eadem enim ipsissima dignitas pro multiplicatione actuum, moraliter multiplicatur, quatenus singulos æque valorat, ac si esset multiplex. Est exemplum appositissimum in peccato originali, quod jam communiter à nostris dicitur consistere in ipso actuali peccato Adami ut moraliter in singulis permanente. Tamen licèt peccatum Adæ physicè unum fuerit, fateri debemus cum Tridentino *sess. 6. decreto de peccato Originali num.* 5. unicuique hominum inesse suum & proprium peccatum originis: quia cùm ea moralis permanẽtia quoad effectum æquè valeat in prudentum æstimatione, ac si in singulis reipsâ existeret physicè Peccatum Adæ, jure dicitur per multiplicationem hominum multiplicari peccatum originis. *Trident.*

§. III.

ALTERA OBIECTIO: CVR CRESCENTE merito ex dignitate Personæ, merentis, non ita ex offensæ Personæ dignitate crescat offensa?

72 Objicies secundò: Quamvis offensæ gravitas crescat ex Dignitate Personæ offensæ, atque adeò sit offensa gravior, quò Persona offensa sit dignior; tamen ex infinitâ dignitate Dei offensi, non crescit in infinitum offensa: ergo quamvis meritum crescat ex dignitate Personæ operantis, tamen ex infinitâ dignitate non crescet in infinitum simpliciter. Confirmatur primò: licèt actus bonus in genere moris eò sit melior, quò objectum sit melius, & excellentius, tamen ex infinitâ bonitate objecti non crescit arithmeticè in infinitum actûs bonitas, ut patet in actu Dilectionis Dei, qui finitæ bonitatis est: ergo similiter.

73 Et utriusque paritatis ratio est, quia licèt objecti Dignitas sit infinita simpliciter, & quantum est in se, posset infinitam honestatem communicare, tamen principii proximè elicitivi limitatio limitat influxum objecti, nec sinit exerceri ab ipso totam suam infinitatem; atqui etiam Personæ Divinæ dignitas limitatur ex finitudine principii proximè elicitivi: operatur enim medio ipso: quod est operari, seque communicare modo finito: ergo licèt in se infinita simpliciter, & quantum in se est, possit in infinitum valorare, limitabitur in influxu: summa est ergo paritas.

74 Confirmatur secundò: non minùs valorant actum circunstantiæ, quæ se habent ex parte objecti, quàm circunstantiæ, quæ se habent ex parte actûs, ut est communis distinctio, & sensus *in Tractatu de Bonitate, & Malitia*: atqui Circumstantiæ ex parte objecti, licèt sint infinitæ simpliciter, non valorant infinitè, & arithmeticè: ergo neque circumstantiæ ex parte actûs. *Vide me ibi.*

Res-

Suprà lib. 2. disp. 3. à num. 118.

75 Respondeo ad argumẽtum, concesso antecedente, negando consequentiam. Solida disparitas data est *lib.2. disp.3. nu.*118. & est: Quia Dignitas Personæ offensæ non gravificat, prout in se est, sed prout cognita, & in substituto intentionali sui, quæ cognitio est: unde quamvis infinita sit, si limitatè cognoscitur, limitatè gravificat. At Personæ operantis dignitas valorat actionem, prout in se est, seipsam formaliter, quanta est, impendendo in actionem in genere moris: unde quamvis ignoretur ab operante, dignificat, atque adeò quantum potest. Id quod apertiùs explico ad confirmationes. Ad primam, admisso antecedente, quod plerumque fallit (nam accidit ut actus circa objectum secundùm se ignobilius præstet respectivè ad actũ nobilioris objecti,) nego consequentiam.

76 Ratio à priori est: quia circumstantiæ, quæ perficiunt, & valorant actiones, per modum objecti, non se habent adinstar formæ constitutivæ actuum, sed extrinsecè, tanquam termini in ordine ad quos sumunt intrinsecam speciem actûs, per intrinsecam habitudinem sui ad ipsa objecta: unde tota dignitas & perfectio, quę desumitur ex objecto, cùm merè consistat in habitudine essentiali actûs ad objectum, procedere debet, & sumi effectivè à principio, à quo fit essentia actûs: quare si principium, à quo fit actus, sit limitatum & finitum, tota dignitas debet esse finita, quia in limitato, & finito principio præcontenta: At circumstantiæ, quæ valorant, per modum actûs, se habent ut formæ morales intrinsecæ; valorque ex eis proveniens, sumitur ab ipsis, ut in operante sunt, nec fit à principio, à quo proximè est entitas actûs, nec præcontinetur causaliter in ipso; solùmque pendet ab ipso, quatenus opus est, ut existat materia valoranda: unde hic valor limitari aliunde non potest, esseque debet tantus, quanta est dignitas operantis. *Dices*: quomodo ergo est verum, actus ex majori nobilitate objecti, evadere nobiliores? Respondeo: quia sunt plerumque nobiliora principia, atque adeò nobiliorum effectuum productiva. Ex quibus satis patet ad secundam confirmationem.

77 Instabis: ideo dignitas per modum objecti non valorat actum arithmeticè, & quanta est, quia totus ille valor ab objecto desumptus, communicari debet & fluere activè à principio elicitivo; atqui etiam valor Personalis, seu à dignitate Personæ desumptus communicari debet & fluere activè à principio elicitivo: ergo neque Personæ dignitas valorat actum arithmeticè, & quanta est in se. Major est nostra, & consequentia sequitur. Minor ostenditur primò: quia valor Personalis, utpote moralis, & in ordine ad præmium, debet esse liber & imputabilis merenti, & satisfacienti: ergo & vitalis: ergo à principio, quod per obsequiosum actum vivit: hoc autem est principium proximè elicitivum. Secundò: quia principium elicitivum actûs satisfactorii non se debet habere circa valorem mortuo modo: ergo vitali: ergo & activo: nos enim nonnisi agendo, vivimus. Tertiò: quia principium merens per valorem personalem tendit in præmium: ergo libere, & vitaliter: ergo productivè. Quartò: quia Humanitas in Christo satisfaciente vivit per actum satisfactorium ut satisfactorius est: ergo vivit per valorem personalem, quo actus constituitur satisfactorius: ergo quia activè communicat. Quintò: quia valor Personalis actûs satisfactorii, incipit de novo: ergo non est quid increatum sed creatum: ergo fit à causa efficienti. Sed non specialiter à Verbo: ergo ab Humanitate.

78 Respondeo concessâ majori, negando minorem in sensu objicientis. Ad ejus primam probationem, distinguo antecedens: debet esse liber, & imputabilis, libertate, & imputabilitate formali sui, nego: libertate, & imputabilitate actionis, quam valorat, concedo: quatenus nempè liberè ponitur à Personâ talis dignitatis hæc actio, exercendo suam dignitatem in obsequium alterius, & consequentiam. Duplex enim distinguenda est moralitas actûs: altera intrinseca, quæ sumitur ex ordine ad regulas morum: altera extrinseca, quæ sumitur ex ordine ad æstimationem ob circunstantias Personę operantis. Illa debet esse vitalis: quia est eadem actûs entitas; non ista, nisi materialiter, & in actu substrato, quem valorat.

79 Ad secundam: eatenus principium non se habet mortuo modo circa valorem Personalem, quatenus iste non derivatur, nisi se exercente vitaliter principio per materiam valorandam, nempè actum: quare nego ultimam consequentiam. Ad tertiam dico principium merens non tendere in præmium per valorem, sed per actum valorarum: quo jam vivit. Quod sufficit, ut dicatur vivere per actum satisfactorium, ut talem: quia ut talis dicit, & entitatem actûs vitalis, & Personæ dignitatem: licèt ista non sit illi ratio vivendi, sed illa. Vnde patet ad quartam. Ad quin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quintam : dico valorem meritorum Christi abstractè sumptum esse quid increatum, nec incipere: concretè dico, esse aliquid creatum, non ex parte formæ valorantis, sed ex parte materiæ valoratæ: quod sufficit ut concretum dicatur incipere, de novo habere valorem, & esse quid creatum.

80 Dicis : omne creatum est causabile: omne causabile est finitũ: sed meritũ Christi est creatũ, & causabile: sumitur enim concretè: ergo est finitum. Retorquetur in Christo. Et respondeo distinguendo: est causabile vel omninò, vel ex parte, concedo : omni ex parte, subdistinguo: omne purè, & entitativè creatum, concedo: non purè, nego. Et distinguo minorem : omne omni ex parte causabile est finitum concedo : omne licèt non omninò causabile est finitum, nego. Tale autem est Christi meritum: quod est, & dicitur causabile ratione actûs, non verò ratione formæ valorantis, quæ est Personæ Divinæ Dignitas: unde manet simpliciter infinitum.

§. IV.

OBIECTIO DIFFICILIOR : VBI AN EX majori gratiâ merentis crescat Meritum?

81 OBjicies tertiò: ergo crescente Dignitate Personæ merentis, cæteris alioquin paribus, crescit obsequium in ratione valoris, & meriti: ergo ex majori gratiâ, quæ est major Dignitas Personæ merentis, cæteris paribus, crescit obsequium in ratione valoris, & meriti: ergo quò justus sit sanctior, eò est magis meritoria ejus actio, cæteris paribus. Patent consequentiæ : cur enim ex infinitâ Dignitate merentis in Christo, crescat in infinitum?

Arriaga. 82 Dices ex Arriaga : ex majori gratiâ crescere meritum intensivè, non extensivè, id est in ordine ad idem præmium, non verò in ordine ad majus: fit enim actio magis meritiva præmii, non verò meritiva majoris. Contra : Dignitas infinita Personæ non solùm infinitè significat ad idem præmium, sed ad majus in infinitum : ergo Dignitas Personæ finita si crescat, non solùm magis significat, sed ad majus præmium: ergo homo quò fuerit justior, cæteris alioquin paribus, plus meretur præmii.

83 Sequelæ tamen absurditas ostenditur multis. Primò : nam à pari convinci debet excessus incredibilis præmii : cur enim arithmeticè crescat ex infinitâ Personæ Dignitate meritum infinitè, & versùs præmium infinitum ; & non crescat ex dignitate Gratiæ meritum, arithmeticè circa præmium æquale : quo fiet justum ut octo operantem remisè, duplicare nihilominùs gratiam, & plus mereri, quàm alter minùs justus, qui tamen operatur intensissimè. Hæc, & alia paradoxa videntur, & minùs conformia Fidelium sensui. Secundò: quia inde fieret, justum non remunerari secundùm ejus opera, secùs ac dicitur Matthæi 16. nec prout gessit *Matth.16.* in corpore mortali, secùs ac Paulus *ad Roman.* 7. definit. Tertiò: quia inde fieret, justum eximium per actus alioqui remissos plus mereri, quàm alium exiguæ Sanctitatis per excellentissimos, puta per actum martyrii. *Rom. 7.*

84 Quartò : quia fieret justum quovis opere mereri præmium infinitũ Gratiæ: nam saltem meretur gratiam ut duo : qui gradus primo superveniens dignificare potest actum eundem ad totidem: & hi ad alios totidem sine fine. Quintò, à pari fieret, non minùs gravificari offensam à majori indignitate peccantis, quàm dignificatur obsequium à majori operantis dignitate : sicut enim crescit offensa, quò indignior est offensor, sic quò dignior est Persona, quæ obsequitur, crescit obsequium: ergo peccatum erit gravius, cæteris paribus, quò peccans sit major peccator habitualis : Peccata enim sunt positiva indignitas Personæ, ut Gratia est dignitas.

85 Objectio est undecumque difficilis, sive in assignandâ disparitate, si neges : sive in sequelâ admittendâ, si affirmes ex majori gratiâ crescere meritum ad majus præmium. Vtraque pars Magnos Patronos habet : & *Vide apud Muniessa tom. 3. Arriaga.* ipse in negantem inclino, fassus tamen cum Arriagâ, ex majori gratiâ crescere meritum intensivè, seu crescere condignitatem ad idẽ præmium. Assigno disparitatem, quia Personæ Divinę dignitas, utpote ordinis supremi, & infinita simpliciter in ratione dignificantis, in sui substantiali perfectione continet eminentissimè omne genus dignitatis, quę actui provenire posset ex aliis capitibus, ex quibus certum omnibus est crescere actum in ratione obsequii, & extendi ad majus præmium : unde non mirum, si communicata moraliter actui reddat ipsum infinitè æstimabilẽ in ratione obsequii, atque adeò non solùm infinitè significet utcumque, sed etiam ad præmium infinitum.

86 At Gratiæ dignitas (ut taceam modo

dò de aliis dignitatibus, quæ opus non reddunt magis æstimabile in linea obsequii,) cùm finita sit in ratione dignificantis, & ordinata perse ad condignificandum actum ad illud præmium, quod actus de se de congruo merebatur ; nec aliàs contineat dignitatem, quæ ex aliis capitibus actui provenit, quantumvis crescat, & actui communicetur, crescit tamen limitatè quoad ordinem suum, nempe proportionãdi magis & magis actum ad præmium, non verò extendendi actum ad ulterius præmium: neque enim supplere potest dignitates, ad quas ipsa nec est ordinata, nec continet. Sed ut isti fiant magis suadibilia

87 Addo assignatę disparitati congruẽtiam. Nam certè Dignitas simpliciter infinita, ut excedit infinitè, omnem aliam dignitatem se inferiorem, ita debet habere modum specialem in linea dignificandi, qui sit unicè proprius dignitatis simpliciter infinitę, & ad quem nulla alia dignitas pertingere possit. Patet iste discursus in aliis materiis: Sanctitati enim simpliciter infinitæ, necessariò congruit in linea sanctificandi modus, qui proprius unicè sit : sic ipsi essentialiter competit modus sanctificandi per oppositionem cum omni veniali, imò cum omni imperfectione, qui repugnat sanctitati simpliciter finitæ : unde patet non sufficere, quod illa dignitas infinitè dignificet: hæc enim diversitas est quasi materialis ; sed opus est ut dignificet infinitè modo, quo nec finitè potest Dignitas finita dignificare.

88 Cum ergo duplex sit modus dignificandi vel intensivè ad idem præmium, vel extensivè ad ulterius, congruum est, ut iste modus secundus dignificandi, utpote excellentior, & dignitatis magna continentis, sit propius & Characteristicus Dignitatis infinitæ simpliciter: non ergo bene arguitur ex dignitate infinitâ ad finitam, quasi modi omnes dignificandi, quos infinitæ concedimus, concedi etiam dignitati finitæ debeant. Hùc reduci debent aliæ multæ disparitates, quas apud Authores video, & alio loco expendã. Videantur interim apud Aldrete, Godoy, & Recentiores: & videamus nos ultra, quâ probabilitate sequelam tueantur, aut tueri possimus. *Aldrete. Godoy.*

89 Permitto ergo meritum crescere ex majori gratiâ ad majus præmium: quia dignitas Gratiæ est dignitas Filii, atque adeò reddit opus magis æstimabile in linea obsequii : crescente ergo crescere debet obsequium, atque adeò titulus ad ulterius præmium. Tùm etiam quia crescente gratia videtur crescere valor operis : major autem valor necessariò respicit majus præmium. Nec valet dicere cum *Thomistis* quos novissimè protegunt Prudentius, & Godoy, Gratiam solùm dignificare, ut influit in actum; atqueadeò nec magis se communicat, quàm activè: unde non dignificat ultra intensionẽ, quam actus ab ea activè recipit : ex quo fiet valorem unicè mensurandum ex intensione actûs ab influxu gratiæ derivatâ. *M. Prud. Ill. Godoy.*

90 Non, *inquam*, id valet primò: quia fortè Gratia non influit. Secundò: quia Personæ dignitas in Christo valorem specialem auget, sine speciali influxu. Tertiò: quia licèt influxus gratiæ sit tenuis: utimur enim ipsâ ut habitibus, quibus nempe utimur, uti volumus; tamen valor derivatur ab ipsâ in genere morali, tanquam à formâ se moraliter impendente, & communicante. Cur enim iste modus dignificandi formaliter, seu instar formæ moralis, qualis in Christo conceditur, negetur Gratiæ? imò qui non negatur aliis extrinsecis dignitatibus, puta Regiam, & imperatoriam ex quibus actiones valorantur in æstimatione morali? Non ergo videtur absurda sequela, quòd ex majori gratiâ crescat meritum ad majus præmium, aut quòd Persona justior, cæteris paribus, majus mereatur præmium. Explicandæ manent & solvendæ probationes in oppositum.

91 Ad primam sunt Moderni, qui non terreantur incremento illo arithmetico. Sed ab eo me absterrent Authoritas, & Ratio. Illa, quia communis omnium Theologorum. Hæc est : quia Gratia secundùm se non est meritoria; nec actus secundùm se, quavis intensione polleat, non est de condigno meritorius: requiritur ergo, ut mereatis de condigno unum gradum gratiæ, saltem unus gradus intensionis in actu, & alter in Gratia: ergo non crescit arithmeticè præmium ex majori Gratia: si enim ita creseeret, cur non æquè creseeret ex Gratia, & actu? intensio enim actûs æquivalet Gratiæ : si ergo dandi essent duo gradus Gratiæ in præmium, si actus unius gradus, dignificaretur per duos gradus gratiæ : quidni similiter dentur totidem pro actu in quo virtualiter sit duplex gradus Gratiæ? Tum etiam quia hi moderni contenti sunt pro merito condigno geometricâ proportione : quidni ergo pro majori gratiâ contenti sint geometrico excessu ex parte præmii. Satis *modo* de his, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

92 Respondeo, ex majori gratiâ non crescere meritum arithmeticè, sed geometricè: ita ut dignitas major personæ censeatur etiam attendi, dum præmium dispensatur. Pertinebitque ad Dei providentiam taxa præmii, quando nobis non ita facilè potest occurrere regula generalis. Ad paritatem, quæ ex increatâ dignitate sumitur, dici potest primò, neque in Christo opus meritorium ita arithmeticè crescere, ut tantum sit, quanta est Persona. Vide quæ *suprà à nu. 38. & à num. 69.* Dici secundò potest, eam paritatem non tenere in omnibus, & aliquid Dignitati substantiali plus dandum.

Suprà à nu. 38. & à nu 69.

93 Ad secundam dicetur: non ex eo fieri non præmiari unumquemque juxta opera: quia major dignitas Gratiæ est operis circùstantia, ejusque æstimationem, & valorem adauget. Dices: inter laborantes in vinea, & pugnantes in bello, non attenditur à justitiâ distributivâ Personæ dignitas, sed labor impensus. Fateor id communiter contingere in humanis, ubi non attenditur nisi emolumentum ejus à quo mereris: quod à dignitate non crescit: ubi tamen non ad emolumentum unicè attenditur, sed ad rationem obsequii, & reverentiæ, aliter etiam in humanis contingere rationabiliter debet. & ideò sem per accidit in Divinis: ubi Deus non est capax emolumenti, sed dignus reverentiâ, & obsequio, unde Personæ dignitatem attendit ad æstimationem operis, *ut Genes. 3. respexit ad Abel & ad munera ejus*, quasi munera ex Abelis etiam justi dignitate mensus sit.

Genes. 3.

94 Ad tertiam dici debet, si intensio Gratiæ tanta sit ut superet conjuncta cum actu alioqui remisso, valorem actûs intensissimi cum tenui gratia, nihil absurdi apparere in sequela: secùs autem, si secus accidat. Et accidere secùs, est moraliter necessarium: nam actus Martyrii ex se nobilissimus est, & eximiæ intensionis, ut qui ex magno amore derivatus: unde raro cõtingere poterit quòd ejus valor ab opere præstito per alios justos superetur. Nam justi adeò eximii, rari sunt. Imò rarissimi, qui eximiè justi, tenui intensione operentur: excitat enim inhabitans Spiritus, *& nescit tarda mollimina Spiritus Sancti Gratia*, ut ex sacratiori calamo quotidiè audimus.

95 Ad quartam communis responsio est post Suarez & Delugo, Gratiam, quæ datur in præmium, esse ineptam dignificare actum, propter quem datur: quia Gratia, quæ datur in præmium non exercetur in obsequio, nec impenditur in opere, neque est aliquid Personæ merentis, prout merentis: unde sequela negatur. Hæc tamen solutio adeò plausibilis deficere videtur in fronte, & in recessu. Primò: quia juxta plures ex his etiam Authoribus, Actus, quo quis disponitur ultimò ad justificationem, & meretur de congruo gratiam, per ipsam redditur de condigno meritorius Gloriæ. Secundò: quia dum præcipitur justo pro instanti determinato aliquod opus, Gratia, quam præhabet in instanti antecedenti, non exercetur in opere, imò est consequens, quia conservatur ad præexistentiam operis præcepti: & tamen condignificat.

Suarez. Delugo.

96 *Dicitis*, subsequi de peraccidens. Bene: ergò de peraccidens definet dignificare, & reddetur inepta. Quicquòd quæ datur in præmium, de peraccidens datur in præmium & est subsequens. Dicitis ultra: non conservari per modum præmii, nec in ipsam exerceri ab actu causalitatem meritoriam, sed conditionis removentis prohibens: quod ex eo apparet, quòd etiamsi præceptum adimpleretur per actum venialiter malum, perseveraret Gratia.

97 Fateor, non esse præmium. Contra est tamen: tùm quia posset esse juxta vos. Tùm etiam quia non est minùs subsequens, cùm per vos in genere causæ moraliter efficientis causetur ab actu: cur ergo quæ datur in præmium, non dignificat, nisi quia subsequens? Tertiò: Præmium per vos non potest dignificare actum bonum: ergo neque pœna potest indignificare actum malum. Hoc autem esse falsum probatur. Peccet homo in instanti *A*: nec puniatur a Deo per privationem Gratiæ in eo instanti, sed in sequenti: ecce pœna privationis Gratiæ, facit hominem indignum bono, & auget indignitatem peccati mortalis: manet enim homo dignus pœnâ æternâ, quâ non maneret dignus, sed temporali, si non puniretur per privationem Gratiæ.

98 Quartò: quia licèt ratio præmii obstet ne Gratia antecedat, & influat, at non obstat ne moraliter informet obsequium: ex istâ autem morali informatione, & non præcisè ex influxu, crescit juxta vos meritum ex majori Gratiâ. Confirmatur: nam si semel Gratia subsequens condignificare potest, nõ est cur Gratia data in præmium, non condignificet? *Dicitis*: quia supponit jam actum plene remuneratum. Contra: ultra gratiam datam

tam in præmium adjungat Deus liberaliter ulteriorem gratiâ: ab istâ condignificaretur ille actus ad ulterius præmium licèt alioqui plene remuneratus penès aliquam dignitatem. priùs exercitam: ergo etiam à gratiâ datâ in præmium. Et ratio est: quia dari gratiam in præmium, non extenuat excellentiam Gratiæ, imò auget: nam facit eam labore habentis partam, & acquisitam: cur ergo liberaliter concessa dignificet, & non acquisita labore? *Dicitis*, ab eâ gratiâ liberaliter concessâ non uti condignificatum actum in eo instanti. Bene: ergo actus nõ condignificatur ab omni gratiâ, quæ existit simul in eodem instanti cum actu, licèt non sit data in præmium. Id nos intendimus, & nuper negatum à Vobis est.

99 Quintò: quia si semel posset Gratia subsequens, si non detur in præmium, condignificare, non video cur Gratia, quæ advenit, cùm quis denuò justificatur, & merita præterita reviviscunt, nõ condignificet opus, quo quis ad justificationem ultimò disponitur: nam hæc tota gratia non datur in præmium, sed amoto obice redit. Quis autem hoc credat?

100 Sextò: eliciat, qui se disponit ultimò ad justificationem, duos actus, alterum contritionis; alterum puræ dilectionis, vel Religionis: in hoc casu (licèt non sequatur infinitus processus meriti, & gratiæ, ut multi volunt) apertè sequitur hominem sic operãtem obtinere condignè in eo ipso instanti augmentum Gratiæ per unum ex illis actibus: nam Gratia quæ datur intuitu unius in præmium, non est cur non condignificet alium. Mitto alia videnda apud Aldrete *de Incarnatione disp.9. sect.3. à num* 19.

Aldrete.

107 Facilius responderi potest, non dignificare Gratiam, quæ non antecedat, quia aliter impendi non potest ab ipso merente in obsequium, nec aliter moralem informationem Gratiæ conferre condignitatem ad majus præmium, nisi prout ab ipso merente fit: aliter de suo non poneret, sed poneretur à præmiante, vel ab alio: quod autem non est ipsius merentis non intrat in rationem pretii.

De veritate Solutionis, latè in 1.2. Tract. 1. & 3.

102 Ad quintam dant aliqui disparitatem cum Mendo: quod demeritum grave non constituatur per indignitatem positivam offendentis, secùs meritum. Contra primò: nam hæc est quæstio: hujusque diversitatis quæritur ratio. Secundò: quia licèt peccatum Grave non constituatur ex indignitate, secundùm se, quia potest esse primùm: cur ex adveniente indignitate non crescat? Sicut ex majori gratiâ crescit meritum ad majus præmium, licèt ex primâ Gratiâ, seu intensâ ut unum non crescat, sed meritum valoretur ad idem præmium, quod de congruo merebatur.

Mendo.

103 Dant alii cum Martinon: quia Peccata præterita non exiitunt nisi moraliter in odio Dei: quòd autem sis odiosus, non facit quòd offensa nova sit major. Contra: quia moralis ista existentia sufficit, ut peccatum maculet hominem: quidni ergo sufficit, ut indignificet & aggravet novam offensam?

Martinon.

104 Dant alii cum Delugo: quia in præmio retribuendo debet attendi honor Personæ. qui exigit ut ejus dignitas æstimetur in obsequio: at in pœna non debet attendi vilitas Personæ: quia ea id non exigit. Licèt enim peccatum exigat ut propter ipsum contemnatur Persona: at non exigit ut propter alia contemnatur. Sed contra: quia licèt id non exigat peccatum secundum se, exigere potest ut conjunctum cum eâ indignitate. Tùm etiam, quia hæc est ipsissima quæstio: cur nempè peccatum non sit majus ex peccato antecedente?

Card. de Lugo.

105 Dant alii ex Granado: quia fieret contra jus peccatoris. Contra: id esset verum, si offensa non crescere: cur non crescit? dicit: quia Deus potuit se obligare ad attendendam qualitatem Personæ in taxâ præmii: non potuit in taxâ pœnæ. Sed hæc est quæstio.

Granad.

106 Dant alii cum Ripalda, quia noluit Deus, utpote puniens citra condignum. At hoc est cedere oneri: similiterque dici posset Venialia ita esse: quia Deus ita voluit imputare.

Ripalda.

107 Dant alii cum Esparza, & Amico: Nam Peccatum est incausativum, quia privatio: Gratia autem non dignificat, nisi dum agit. Contra: quia principium illud est incertissimum, & fortè falsum. Deinde licèt privatio, maculat hominem: cur ergo non aggravet offensam?

Esparza. Amicus.

108 Facilius dabitur, advertendo, hoc esse discrimen inter meritum, & demeritum; quòd meritum, licèt reipsâ sit liberum, & imputabile, crescere potest ex circunstantiis, quæ non cadunt in notitiam merentis, dummodò in ipso sint. Demeritum verò, ita debet esse liberum, & imputabile, ut crescere non possit nisi ex circunstantiis, quæ cadunt in notitiam ipsius demerentis. Ratio discriminis

Universidad de Deusto
Biblioteca

minùs est aperta: nam malitia, ejusque augmentum necessariò importat ne possit obtendi legitima excusatio: qui enim potest se excusare legitimè, non est dignus increpatione, nec pœnâ. Idque omne nascitur ex eo quòd omnis ratio culpę supponat obligationem virandi malum: quæ obligatio cum legitimâ mali excusatione stare non potest: cùm ergo circunstantia non cognità possit excusari legitimè: inde est quòd ratio demeriti, & offensæ crescere non possit nisi ex circunstantiis, quæ sint in notitiâ demerentis, seu quæ objectivè influunt in offensam.

109 At meritum cùm æstimari debeat à præmiante, cujus honor, & obsequium crescit ex dignitate obsequentis, & ex excellentiâ obsequii, non oportet ut omnes circunstantiæ, ex quibus crescit meritum debeant esse in notitiâ merentis. Et inde licèt à justo ignoretur sua dignitas, suique actûs supernaturalitas: tamen ex ipsis æquè meritum crescit, ac si non ignorarentur. Ex his ergo est clara disparitas: quia si ex indignitate demerentis crescere deberet offensa, deberet crescere tanquam ex circunstantiâ per modum actûs, & si non cognità, ut pariter crescit meritum ex dignitate merentis: cùm autem illud sit impossibile, quia esset augmentum malitiæ excusabile, inde est non posse ex uno ad aliud argui. Videatur
Aldrete. Aldrete *disp. 9. de Incarnatione sect. 3. num. 11.* Et nos per hæc satis de gravissimâ controversiâ alibi expensiùs decidendâ.

SECTIO III.

ASSERTÆ INFINITATIS VIS AD OMne possibile præmium.

§. I

QVÆSTIO, ET OPINIONES.

110 NOrentur duo. *Primum*: Præmium esse in duplici genere: vel enim est purè creatum: vel est non purè creatum. In primo genere sunt ea Dona, quæ non important in ratione beneficii Deum, aut quid Divinum secundùm se. Talia sunt Gratia excitans, sanctificans, &c. In altero sunt ea dona, quæ Deum, vel aliquid Divinum important in ratione beneficii. Talis est Hypostatica Vnio.

111 *Alterum*: Merita Christi Domini in actu secundo non se extendisse ad omne possibile præmium Est certum: constat enim de applicatione Christi Domini, limitatè factâ: quare nec respectu nostri se extenderunt merita Christi ad omne præmium purè creatum; neque respectu sui, aut nostri ad aliquod non purè creatum. Neque enim dantur nobis ex Christi meritis, nisi Dona finita numero, & entitate (nisi fortè Beatæ Virgini infinitudinem Gratię, & Gloriæ promeruerit;) neque sibi vel alii datum est ex meritis, esse, vel fieri Deum.

112 Dices: Christus meruit conservationem, & instaurationem hujus numerò Vnionis, ex dictis *lib.3. disp.3.* Benè: at ipse præhabuit quicquid in unione divinum est: unde nihil nisi finitum pro præmio correspondet. *Instas*: ergo Merita Christi non debent dici infinita simpliciter: ratio enim meriti sumitur ex ordine ad præmium. De voce lis est. Nego consequentiam. Ratio enim meriti sumitur ex ejus æstimabilitate potiùs, quàm ex ejus efficaciâ, præsertim si liberè limitetur ab ipso merente. *Suprà lib. 3. disp. 3.*

113 Adde, exinde solùm fieri, merita Christi Domini esse quidem extensivè finita in actu secundo: non verò non esse simpliciter infinita intensivè in actu secundo, & extensivè in actu primo: quia licèt in actu secundo applicata sint pro præmiis numero, & entitate finitis, valorem habent infinitè simpliciter, id est, inimpedibiliter inductivum præmii, pro quo applicentur in actu secundo, & omni possibili parem. Sed hæc quæstio: an nempè Christi Domini merita in actu primo, seu attentâ valoris magnitudine vim habeant condignè promerendi omne præmium excogitabile?

114 Quinque sententias invenio. Prima est: merita Christi Domini vim habere promerendi condignè omne præmium excogitabile purè creatum: non verò ullum ex non purè creatis. Sic aliqui quos suppresse citat Amicus *disp. 6. sect. 6. num. 157.* *Aliqui apud Amic*

115 Secunda est: quodvis Christi meritum non habere vim ad omne præmium non purè creatum, sed condignè exæquari per unũ, nec ad aliud extendi posse: quod est, posse mereri condignè omnia præmia non purè creata, divisivè, non verò collectivè. sic *citatus* Amicus, *num.* 175. Martinon *disp. 2. sect. 8. num. 83.* Godoy *disp. 45 §. 3. num. 35* Aliique post Albertinum, & Granadum: illum *tom. 1. coroll. 18. ex primo principio Physoph. punct. 4.* Hunc *tractatu 2. disp. 2. sect. 4.* *Amicus. Martinon. Godoy. Albertin. Granad.*

Ter-

116 Tertia est: Quodvis Christi Domini meritum habere vim ad condignè promerendum omne præmium excogitabile purè creatum, & aliquod ex non purè creatis simul: ita se explicat Koninch *disputatione 3. dub. 10. sect. 3.* *Koninch.*

117 Quarta est: quodvis Christi meritum habere vim promerendi condignè tot etiam præmia non purè creata, quot sunt gradus intensionis in ipso: unde si unicus solùm esset gradus, faretur exæquatũ iri per unum: ita Bernal *disp. 55. sect. 1.* *Bernal.*

118 Quinta sententia est: unumquodque ex Christi meritis, cujuscumque intensionis sit, habere vim ad condignè promerendum omne præmium excogitabile tam purè, quàm non purè creatum, non solùm divisivè, sed collectivè: ita communiter Authores nostri secuti Doctorem Eximium acutissimè & ominò eximiè discurrentem *disp. 4. sect. 4 à §. Tertia objectio est.* *P. Suarez cũ multis.*

§. II.

VERA RESOLVTIO.

119 COnclusio nostra: Meritum Christi Domini, cujuscumque sit intensionis, etiam minimæ, vim habet promerendi condignè omne præmium possibile, tam purè creatum, quàm non purè creatum: & utrumque tam divisivè, quàm collectivè: unde per nullum individuum præmium exæquari sic potest, ut extendi non possit ad alia omnia. Ista est *Doctoris Eximii* mens: &
Suarez.

120 Ratio generalis est. Primò ipsa infinitudo simpliciter meritorum Christi in ratione valoris meritorii. Secundò: quia qui est infinite bonus in aliquo genere, eoipso habet jus physicum ad omnes perfectiones in actu secundo in illo genere possibiles: hinc enim dicimus Deum, quia est infinitè bonus in omni genere habere jus summum ad omnes perfectiones in omni genere possibiles: Vt autem Deus est infinitè bonus per essentiam, seu in genere bonitatis essentialis: sic Humanitas est infinitè bona in genere bonitatis communicatæ: cùm enim ista communicatio sit summa quæ creaturæ fieri potest, necesse est creaturam manere in eo genere summam, atqueadeò cum jure physico ad omnes perfectiones in eo genere possibiles. Nunc sic: atqui qui est infinitè bonus, si moraliter operetur ut talis, habet jus morale, cujus sit capax in lineâ suâ, ad omnes perfectiones in eo genere sibi possibiles: quia tota illa dignitas physica, ut moralis: ergo & Humanitas: Atqui jus morale, Humanitatis statui conveniens, ipsiusque proprium, utpote inferioris, & obsequentis, est jus meriti: ergo si moraliter operetur, habet jus meriti ad omnes perfectiones in eo genere possibiles: ergo ad omne præmium excogitabile & possibile. Sed juvat Assertionem urgere, & ultrà promovere per partes.

121 *Prima* est, quodvis Christi meritum habere vim promerendi omne præmiũ excogitabile pure creatum, tam divisivè, quàm collectivè. Et est certa: nam quodvis Christi meritum est simpliciter infinitum in genere meriti: nulla autem collectio bonorum purè creatorum est simpliciter infinita in ratione præmii: cùm sit utilitatis, bonitatis, & commodi simpliciter finiti, & æstimabilitatis etiam finitæ simpliciter.

122 *Altera* est, quodvis Christi meritum habere vim condignè merendi omnem præmium possibile non purè creatum, saltem divisivè, id est, ita ut cuivis merito condignè respondere possit in præmium, quodvis donum ex non purè creatis. Et ostenditur: Nam quodvis donum, quantumvis ex non purè creatis, non potest in ratione præmii, plus crescere, quàm ut sit simpliciter infinitum in genere præmii: sed quodvis Christi meritum est simpliciter infinitum in genere meriti: ergo nequit excedi à quocumque præmio, divisivè.

123 *Tertia* est, quodvis Christi meritum habere vim condignè promerendi omne præmium possibile non purè creatum, etiam collectivè. Et ostenditur: nam per illo quòd sit possibile præmium in ratione præmii simpliciter infinitum (de quo *mox à nu* 131. & sine quo non potest esse quæstio:) vel ad condignitatem perfectam sufficit æqualitas geometrica meriti ad præmium, vel ultra requiritur atithmetica, ut ajunt, & numeri ad numerum? *Mox à nu. 131.*

124 Si primum: quis putat à Præmiante simpliciter infinito pro obsequio simpliciter infinito, tanquam magnum præmium, dari omnia bona non purè creata, cùm suprà unum, cui obsequium est arithmeticè æquale, solùm fieri possit augmentum boni secundum quid, & purè extensivum per omnia alia? Certè si pro finitæ æstimationis obsequio non reputatur excedens, immensum gloriæ pondus: quis hoc genus præmii, quodelo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

deloquimur, puret excedens, stando geometricæ æqualitati? Si secundum:

125 Arguo primò sic: Meritum quodvis Christi Domini, ita est simpliciter infinitum in genere meriti, ut arithmeticè exæquet unum donum non purè creatum in ratione præmii: ergo & omnia collectivè. Probo consequentiam, quia Donum non purè creatum, vel est simpliciter finitum in ratione Doni, vel simpliciter infinitum? Si primum: ergo quantumvis numero crescat, manet infra meritum Christi in ratione meriti. Si secundum: ergo in ratione doni tantum est, ut intensivè majus esse non possit: ergo per additionem numeralem non crescit intensivè in ratione doni, & boni: ergo obsequium æquale uni, manet æquale omnibus.

126 Dices, extensivè manere inæquale. Cõtra primò: quia hic excessus est secundùm quid: excessus autem purè secundùm quid non est attendendus, quando datur æqualitas simpliciter. Secundò: iste excessus extensivus solùm consistit in eo quòd sint duo vel plura æquè bona: atqui ex duobus vel pluribus æquè bonis non resultat bonum, cui non sit par obsequium in ratione meriti, & obsequii: ergo neque resultat inæqualitas intensiva.

127 Arguo secundò sic: per totidem actus meritorios, quot sunt præmia non purè creata, condignè posset ea mereri Christus Dominus ex *nu.* 122. ergo per unum: ergo quodvis est ex se condignè meritivum omnis præmii possibilis non purè creati. Hæc consequentia bene sequitur. Primam ostendo: Vsque adeò est infinitum quodvis Christi meritum in ratione valoris, & meriti, ut si dentur infiniti numerò actus meritorii, non sit in ea collectione plus valoris, & meriti, quam in uno: ergo si potest Christus per illam collectionem, omnia præmia non purè creata mereri, per unum potest.

128 Confirmatur: si Tres Personæ Incarnarentur, singulæ per singulos actus mereri de condigno possent singula præmia non purè creata: ergo singulę per singulos actus omnia. Probo consequentiam. Vt enim tres Personæ non sunt magis æstimabiles, quàm una, ita nec tres illi actus essent in ratione valoris magis æstimabiles, quàm unus: quod etiam patet in casu hypothetico, quo tres Personæ eandem Naturam assumerent, & simul ejus operationes valorarent. Nec recurras iterum ad extensivum augmentum. Tùm quia illud est secundùm quid. Tùm etiam, quia etiam illud continetur virtualiter, & eminenter in quolibet merito. Tùm etiam, quia deffectus, vel accessus extensivus formalis, tùm prodesse potest, vel obesse, cũ ratione illius vel crescit, vel decrescit valor, & æstimabilitas rei: at neque crescit ex accessu, neque ex deffectu decrescit: ergo.

129 *Quarta* erat: quodvis meritum Christi, cujuscumque intensionis, imò nullius sed solummodò ut unum, eandem vim habere condignitatis. Et ostenditur primò: quia valor & æstimatio, quæ hìc attenditur, est Personæ dignitas: ista semper est eadem; cujuscumque sit actus intensionis, & entitatis, quæ pro materiali se habent ad rem præsentem. Secundò contra Bernal: quia si actus Christi intensus posset condignè mereri plura præmia non purè creata, non verò remissus: maximè quia actus intensus habet plures partes determinatas, quarum singulæ dignificantur à Dignitate Verbi, cum quâ constituunt meritum independens ab altero: sed hoc est falsum & nihil valet. *Bernal.*

130 Nihil valet: quia non ideo est plus valoris in actu sic intenso, quàm in gradu determinato secundùm se. Est falsum: Tùm quia etiam in nobis accideret: & dignitas Gratiæ intensa ut octo, dignificare posset actum intensum ut quatuor, quasi condignificaret quatuor actus ut unum: ex quo fieret, crescente præmio ex majori gratia, ut tenet cum communi Bernal, æquè mereri qui elicit actum intensum ut quatuor cum Gratia ut octo, ac meretur, qui separatim elicit quatuor actus ut unum, singillatim dignificatos per gratiam ut octo, quod est perquam falsum, & absurdo majus. Tùm quia similiter dici posset unicum Christi meritum non posse extendi nisi ad unionem hypostaticam cum unico puncto materiæ, perque illam exæquari, quod est indignũ dictũ. Tùm demũ à priori: quia Dignitas eatenus cum actione constituit meritum, quatenus elicit: quòd autem ea sit intensa vel remissa, non refert ne, quanta sit, eam dignificet per modum unius operationis. Vnde meritum Christi condignè potest extendi ad omne præmium excogitabile possibile.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

§. III.

§. III.

DVO ARGVMENTA IN OPPOSITVM; Vbi an Vnio hypostatica sit Præmium æquale Christi Meritis?

131 OBjicies primò: Quodvis meritum Christi est simpliciter infinitum: ergo quodvis est alteri Christi merito æquale: ergo si in præmium unius designetur alterum, æquabitur valor meriti sic præmiati: ergo meritum sic præmiatum non se potest extendere ad alia: quanto minus ad omnia? Huic telo nescio quis succubuit. Indecorè tamen. Respondeo, negando tertiam consequentiam: licèt enim meritum Christi sit alteri par physicè, & moraliter in esse meriti; in esse præmii est valde dispar, & inferius: imò nequit in præmium assignari.

132 Primò: quia quodvis Christi meritum est donum antè debitum Christo; ineptè autem quis præmiarétur per id quod antecedenter est suum, volente se exonerare debito ulterioris præmii, qui præmium dare vult. Secundò: quia meritum illud in ratione præmii, nihil non purè creatum daret Christo, jam præhabenti dignitatem totam Personæ Divinæ. Tertiò: quia sicut est de ratione præmii, esse allativum per se boni formaliter utilis, & delectabilis, & permutantis laborem cum requie; ita congruit ne pro actu laborioso, qualis est actus meritorius, designari possit alter æqualis labor in præmium: id enim esset potiùs præmiantem sibi consulere, quàm merenti. Quartò: præmium, quod ex se merito Christi, (imò nostris, opinor,) correspondere debet, debet æternum esse: at meritum repugnat quòd sit essentialiter æternum: est enim tendentia ad terminum, & prudenter eligibile: quis autem prudenter eligat non cessare à labore, nec unquam requiem obtinere?

133 Objicies secundò: Vnus actus Christi exæquaretur, si ipsi daretur in præmium alia Vnio hypostatica vel sui ad Patrem v. g. vel Patris ad aliam Naturam: ergo quodvis Christi meritum potest sic præmiari, ut non se extendere possit ad omne præmium excogitabile. Consequentia patet: quia ultra unam Vnionem hypostaticam, supersunt infinitæ, quæ Naturis totidem dari possunt. Antecedens ostenditur: tanta est in ratione præmii & doni Vnio hypostatica, quantus est actus Christi in ratione meriti: sicut tanta est Dignitas Personæ Divinæ, quæ per illam datur, quanta est quæ per illum impenditur: Tunc autem exæquari, & exhauriri videtur vis meritoria actûs, quando ejus intuitu tantum datur, quàm ipsa est in ratione meriti. Deinde plùs Deo placet duplex Christus, quàm unus: imò unus, quàm actus ejusdem meritorius: plus enim placere debet Persona, quàm actio. ergo quodvis Christi meritum sufficienter præmiatur per existentiam unius Christi, id est, per unam Hypostaticam unionem: imò potiùs videtur excedi. Discursus iste vocavit ingenia Theologorum ad specimen sui per solutiones plenas acumine.

134 Prima datur à *Thomistis* nonnullis, quibus Godoy applaudit *disp. 45. à num. 36.* negãdo antecedens; nam quidquid in Vnione hypostaticà, seu Incarnatione Spiritûs Sancti v. g. potest in præmium venire, non est quid increatum, & Divinum, sed quid finitum, & limitatum, nempè Vnionis ipsius entitas: unde licèt Personalitas Divina infinitè sanctificaret Naturam assumptam, & concretum inde resultans foret simpliciter infinitum, & infinitè simpliciter æstimabile; esset tamen in ratione præmii non infinitum simpliciter, sed finitum: in ratione enim præmii solùm æstimatur secundùm entitatem unionis. Dant rationem: nam præmium in ratione præmii est effectus meriti, & causatur ab illo, quare non debet præmium æstimari nisi juxta rationem, quam habet effectûs: cùm verò juxta boni increati rationem non possit habere rationem effectûs, inde est neque rationem præmii habere posse. *Solvitur à Thomistis cum Godoy*

135 Non placet: primò: Quia Vnio Hypostatica in ratione Doni, & beneficii non est simpliciter finita, sed infinita simpliciter, atque adeò involvit ipsam Divinitatem: ergo & in ratione præmii. Probo consequentiam. Nam omne donum, quod Deus dat liberaliter in ratione beneficii, dare potest intuitu meritorum: ergo & in ratione præmii. Secũdò: quia si Vnio Hypostatica solùm esset æstimabilis in ratione præmii, secundùm præcisam entitatem ipsius, juxta Thomistas nihil esset in ratione præmii: deinde non pensaretur secundùm omnẽ utilitatem accipientis, quæ maximè attenditur in ratione præmii. Tertiò: quia non minùs obsequium dicit rationem facti, & operati, quàm præmium; atqui ad rationem obsequii simpliciter infiniti sufficit, si pars fiat in quà impenditur valor infinitæ dignitatis: ergo ad ra- *Non bene.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem præmii simpliciter infiniti sufficit, si pars fiat in quâ datur res simpliciter infinita. Quartò: quia cansari à merito est dari ejus intuitu, sive strictè fiat, sive non; atqui intuitu meriti, potest dari donum simpliciter infinitum: ergo, &c.

Solvitur à RR. ex Esparza.

136 Secunda datur à Modernis acutis ex Esparza insinuante *quæst. 11. ad nonum. art. 2.* negando etiam antecedens: licèt enim una, vel multiplex unio hypostatica sibi, vel alii promerita, sint tantundem boni, secundùm se, quantum est obsequium merentis: tamè in ratione prœmii non est tantum, quantum obsequium in ratione obsequii. Dant rationem: quia præmium non debet commensurari cum merito in eodem genere bonitatis: sed præmium, ejusque bonitas in ratione commodi, & fœlicitatis accrescentis merenti, cum merito, ejusque bonitate in ratione valorosi, & digni. Cùm ergo meritum Christi sit simpliciter infinitè valorosum, & dignum; & una, vel multiplex unio hypostatica, quę de novo donetur, sint parvi commodi, & fœlicitatem non augeant Christo, præhabenti jam in Divinitate totam fœlicitatem: inde est meritum per hujusmodi præmia exæquari non posse, quantumvis multipl. centur.

Necdum bene.

137 Non placet, primò: quia si Doctrina hæc valeat, merita Christi fiunt incapacia magni præmii: nihil enim potest augere valdè fœlicitatem Christi. Imò ut Christi fœlicitas augeri simpliciter nequit, neque simpliciter mereri dicendus erit. Vnde plus prœmii nobis nostrisque meritis responderet, quàm Christo: quæ videntur paradoxa. Secundò: quia summùm valet hęc Doctrina pro mensurâ eorum, quæ Christo danda sunt: at pro mensura eorum, quæ ejus intuitu sunt aliis danda, non valet. Vnde arguo tertiò sic: Dignitas præmii in ratione præmii mensuratur, & crescit ex bonitate respectivâ ad accipientem, seu ex utilitate accipientis, sive ipse sibi, sive ipsi alter mereatur: & ratio est quia exinde crescit beneficium, quod à præmiante fit, & quod fit à merente, ei, qui accipit. Idque multis exemplis firmari, & ostendi potest; & est mihi evidens: atqui utilitas, quæ accipienti accrescit, per unam Hypostaticam unionem est infinita simpliciter: ergo & in ratione præmii: ergo exæquat meritum Christi: ergo.

138 Dici fortè posset, tunc & eatenus commensurari præmium ex utilitate accipientis à Merente distincti, cùm, & quatenus merens cedit jure quod habet ad utilitatem illius doni; unde non tam commensurandum cum utilitate accipientis, quàm cum illa, quam ex illo dono merens haberet. cum verò Christus parvam utilitatem haberet ex unâ, vel multiplici unione; inde est quòd ex utilitate accipientis quantumvis infinitâ simpliciter, non crescat donum simpliciter infinitè in ratione præmii. *Speciosè, & acutè.*

139 Sed contra primò: eatenus ex utilite crescit donum in ratione præmii quatenus ex ipsâ creseeret in ratione beneficii: sed creseeret arithmeticè in ratione beneficii ex utilitate accipientis, quicquid sit de eâ, quam merens haberet: ergo. Contra secundò: tantum debet ex accipientis utilitate computari præmium respectu merentis, quantùm ex illâ utilitate manet accipiens obligatum ad obsequium respectu merentis: id enim merens lucratur ex suo merito: atqui qui tale donum accipit manet obligatus ad obsequiũ simpliciter infinitum respectu merentis, ut patet. ergo præmium illud respectu merentis debet computari simpliciter infinitum ex utilitate accipientis.

Solvitur à Delugo. Alarcet. Zipullo.

140 Tertia datur ab aliis ex Delugo, & Aldrete *locis suprà citatis* (quibuscum. ipsà sentit, & ferè loquitur Zipullus *quæst. 19. art 3 dub. 8. à num 19*) negando etiam antecedens, quia licèt præmium computari debeat ex utilitate accipientis, sicut meritum ex dignitate merentis, Tamen quodcumque bonum etiam non purè creatum, qualis est una, vel multiplex hypostatica Vnio, uni vel multiplici naturæ collata, non est simpliciter infinitum in ratione utilis, & commodi: quodvis verò Christi meritum in ratione digni est simpliciter infinitum: unde & hoc est simpliciter infinitum in ratione meriti: illud verò non potest esse simpliciter infinitum in ratione præmii.

141 Dant rationé: quia licèt bonum, quod datur, simpliciter infinitum sit, non datur modo simpliciter infinito: Tùm quia non sanctificat simpliciter infinitè humanitatem cui datur. Tùm etiam quia exceditur iste modus communicandi per unionem, ab eo qui est per identitatem: perfectiùs enim communicatur sanctitas, & Natura Divina Filio, quàm Naturæ assumptæ: ex isto autem modo, quo Donatarius bonum habet, & accipit, metienda est utilitas. At modus quo se communicat, per modũ significantis, Divinę Personę Dignitas est simpliciter infinitus; Tùm quia à nullo exceditur, nec potest excedi.

cedi. Tùm etiam quia valorat per semetipsam, quanta est in se.

Necdum bene.

142 Non placet primò: quia, permissis nunc his, quibus solutio nititur: Per vos, meritum Christi est quid simpliciter infinitum in ratione valoris: ergo nequit communicari alicui Naturæ dignitas eadem, vel alia æqualis, quin eo ipso possit habere merita simpliciter infinita: ergo quin ei detur jus ad rem, & usus simpliciter infinitos: ergo quin detur jus ad utilitatem simpliciter infinitam: ergo quin detur donum simpliciter infinitè æstimabile: ergo quin detur donum in ratione præmii tantum, quantum est Christi meritum in ratione meriti: ergo quin detur donum in ratione præmii, quod exæquet Christi Domini meritum.

143 Secundò: Dignitas boni cõmunicati' ex eo solũ dicitur non esse infinita simpliciter in ratione præmii, quia exceditur in modo communicationis à purè Divino; atqui nihilo minùs est tantæ æstimationis, quantæ est Christi meritum: ostendo sic: excedi rem à perfectione purè divinâ non potest ipsam reddere inferiorem, aliâ, quæ non exceditur à perfectione purè divina, quia ea ratio in Deo, si esset, esset imperfectio; ergo excedi modum, quo Sanctitas infinita communicatur creaturæ, à communicatione per essentiam, seu purè divinâ, non facit illam inferiorem merito, quod ideò non exceditur, quia ea ratio dicit imperfectionem in Deo. Et ratio est, quia sic non excedi à Deo, non est quia sit aliquid melius, aut par Deo, sed quia est ratio inferior, & repugnans Deo; atqui excedi à Deo solum, solùm est esse inferius Deo, nec ipso melius aut par: melius tamen, & majus omni, quod infra Deum cogitari potest; ut etiam contingit in ratione meriti Christi: ergo.

144 Tertiò: quia licèt Verbi Dignitas sit simpliciter infinita, tamen meritum non redditur æquè bonum & æstimabile, ac est Verbi dignitas; uti explicuimus *suprà à nu. 38. & à nu. 69.* ergo meritum Christi Domini in ratione æstimabilis exceditur etiã à Deo. Quartò: quia sicut ex modo finito quo communicatur bonum alioqui simpliciter infinitum, dicitur manere finitum simpliciter: in re pariter deberet manere meritum finitum simpliciter, quantumvis merentis dignitas sit simpliciter infinita. Ratio est: quia ea dignitas non exerceet munus dignificandi, nisi ut unita finitè Naturæ proximè operanti.

Suprà à nu. 38. & à nu. 69.

Solvitur ab Arriag.

145 Quarta datur ab aliis cum Arriagâ mutuante ex Magno Suarez, negando etiam antecedens: quia licèt Donum Vnionis sit secundùm se æquè magnum, & æstimabile, ac Christi meritum, tamen in ratione præmii minus est. Dant rationem: quia inter meritum, & præmium, ut salvetur perfecta condignitas, non est attendenda arithmetica æqualitas, sed geometrica, ita ut præmii quantitas taxari debeat ex variis circunstantiis Personæ merentis, & Præmiantis, eaque illis attentis censeatur justa & æqualis, quam decet destinari pro præmio meriti simpliciter infiniti à Magnitudine Præmiantis, cui fit obsequium. Sic immensum Gloriæ pondus, censetur æquale præmium obsequii nostri alioquin tenuis, & momẽtanei. Cùm ergo meritũ sit ex dignitate Personæ simpliciter infinitũ, si ex Magnitudine Præmiantis ultra debet præmium computari, facilè sequitur Vnam unionem hypostaticam non esse præmium adæquatum: nihil enim adderetur ex Magnitudine Manûs à quâ venit: cui certè non est magnum ejusdem generis bona in infinitum addere pro merito, & obsequio simpliciter infinito.

ex Magno Suarez.

Sed necdũ bene.

146 Non placet. Primò: quia ea Doctrina, si dubia non sit, certè non est communis: fundare verò vim & condignitatem, quam promovere curamus in Christi meritis, in principio ita lubrico, non laudo. Secundò: quia tunc Magnitudo præmiantis potest esse ratio cur excrescat præmium, quando dispensatio alterius præmĩ, minoris non esset juxta decorum tantæ Magnitudinis; at quando præmium est simpliciter infinitum, est juxta decorum summæ Magnitudinis; est enim illius irrefragabile indicium: cùm ab alio dari nequeat: ergo non est cur ex ipsâ magnitudine debeat aliquid superaddi. Tertiò: per vos, Donum unionis est æquè æstimabile, inspectâ ratione boni, & doni, ac meritum Christi Domini: ergo etiam si ex Magnitudine præmiantis debeat aliquid addi servatâ proportione morali, sufficit, si alteram unionem unicè superaddat. Probo consequentiam: quia satis ostendit magnitudinem, qui ultra id quod arithmeticè respondet merito, superaddit bonum simpliciter infinitum. Nunc sic: atqui dando aliam unionem alteri Naturæ, dat bonum simpliciter infinitum, & infinitæ utilitatis supra id quod meritum arithmeticè postulat: ergo quidquid aliud superaddi possit, non cadit in condignitatem talis meriti. Id est augmentum numero infinitum bonorum, & beneficiorum sim-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solvitur à P. Suarez Ragusa. Godoy.

simpliciter infinitorum: ergo.

148 Quinta datur à *Magno Suarez*, cui fine laude ferè tranſcripto ſubſcribunt Raguſa, Godoy, & communiter alii, concedendo, vel diſtinguendo antecedens: exæquaretur intenſivè, concedit: intenſivè, & extenſivè, negat, & inſimul conſequentiã. Eſt dicere: meritum Chriſti Domini, ſi ei detur in præmium alia unio hypoſtatica, quâ Spiritus Sanctus v.g. fiat homo, habere pro præmio tantũdem boni, quantũ obſequii eſt in ipſo, atque adeò ſi nihil aliud ſuperadderetur non poſſe dici Deũ non plenè remuneratũ fuiſſe, ſed vim meriti jam exæquaſſe per præmium.

149 Tamen quia illud præmium tantum eſt, ut quicquid ſuperaddi poſsit, non augeat ipſum intenſivè ſeu in ratione boni: (neque enim eſt plus boni in aggregato plurium Vnionũ hypoſtaticarum, quàm in una;) ſed conſequenter cõtineat in ſe quicquid poteſt ultra ſuperaddi; conſequens eſt, ut meritum, quod habet æqualitatem cum una unione, ſit æquale collectioni omnium; & contineat eminenter in ſuo valore totam eam ipſam collectionem: quare licèt per unam intenſivè adæquetur, non tamen extenſivè: quia cùm illud bonum poſsit augeri per numeralem multiplicationem, quin excedat valorem obſequii, neceſſe eſt meritum etiam extendi poſſe, caſu quo fiat numeralis iſta multiplicatio, ita ut non cenſeatur ejus valor excedi.

150 Nec obſtat dicere, meritum illud extenſivè excedi. Tùm quia eoipſo quòd meritum ſit valoris æqualis præmio reliqua continenti, nec ultra per illa in ratione boni, neceſſariò continet in ſuo valore ea omnia, id eſt, quidquid ex eâ multiplicatione, & extenſione ſit boni: ergo ſe poteſt extendere ad omnia. Tùm etiam quia fieri præmium majus extenſivè, ſolùm eſt addi formaliter, quod augeat numerum bonorum; non verò bonum: quod moraliter reputari non debet: atqui meritum eſt æquale ad totam rationem boni: ergo & ad numerum ſuperadditum.

Ingenioſiſſimè: ſed fortè non ſatis.

152 Hæc ſolutio videtur mihi digna *Magno Suarez*, *& ingenioſiſſima*, eâque ſupra uſus ſum, & aliquando plauſum merui. Hæret tamen adverſum illam mihi nunc unus aut alter ſcrupulus. Primò: quia ſtat bene quòd aliquod bonum ſit inaugmentabile in ratione boni abſoluti; & tamen quòd augmentabile ſit in ratione boni reſpectivi. Ratio eſt, quia non poſſe creſcere quoad rationem boni abſoluti eſt eſſe bonum ſimpliciter infinitum: creſcere verò in ratione boni reſpectivi, eſt communicari de novo dando novũ ſui uſum, & novam utilitatem: bene autem ſtat quòd bonum in ſe maneat omninò idẽ, & tamẽ quòd in ratione utilis creſcat etiam intenſivè, & moraliter: id enim ſolùm eſt, eſſe multa ſubjecta, quæ percipiant totam illam utilitatem de novo: ſic licèt una albedo non multiplicetur in ſe, tamen communicata pluribus ſubjectis creſcit in ratione utilis, quæ relucet in eo quòd ſint plura alba. Nunc ſic: atqui bonum in ratione præmii non tam conſideratur ſub ratione boni abſoluti, ſed ſub ratione utilis, & boni reſpectivi: ergo ſtat bene quòd bonum ſit inaugmentabile ſimpliciter in ratione boni abſoluti, & quòd ſit augmentabile ſimpliciter in ratione præmii: ergo.

153 Confirmatur: Vtilitas, quæ ſit Humanitati *A* per unam unionem Hypoſtaticam, eſt diverſa moraliter ab eâ, quam perciperet Humanitas *B* per aliam: non enim Humanitas *B* eſſet felix per felicitatem Humanitatis *A*: ergo utilitas ex multiplicatione Vnionum creſcit intenſivè, & extenſivè: nec una continet aliam: ergo ſi quælibet eſt infinita ſimpliciter, ut fatetur Suarez; quælibet ſeorſim ab alterâ ita adæquat meritum Chriſti, ut extendi non poſsit ad alteram promerendam ſimul, & collectivè.

154 Secundo: licèt una hypoſtatica unio afferat tantum boni, quantum infinitæ; tamen nequit ſecunda diſpenſari à Deo ſine novâ ratione dignationis, & beneficii non præcontenti in diſpenſatione primæ. Nunc ſic: quoties acceſſus boni dicit novam rationẽ dignationis, & beneficii, ſi gratis daretur, toties dicit novam rationẽ præmii, ſi propter merita daretur; atqui fieri Spiritum Sanctũ hominẽ etiam Chriſto ſuppoſito, dicit novã rationẽ dignationis, & beneficii non præcontentam in eo quòd Verbum factum ſit homo: ergo, &c. Alia poſſent addi ex Amico: ſed hæc, quæ non tangit ille, me movent. *Amicus.*

Solvitur à P. Anton. Perez.

155 Sexta dari poteſt ex Doctrina Patris Antonii Perez, prænotando Tria. *Primum*: Deum (ſicut & quodcumque aliud bonum,) conſiderari poſſe & debere ſub ratione boni amabilis, & ſub ratione boni deſiderabilis. Patet: nam & terminare poteſt affectum deſiderii, & affectum diſtinctum à deſiderio: imò terminare poteſt affectum voluntatis, quæ non poſsit ipſum deſiderare. Deus enim amare ſe poteſt, ſe deſiderare non poteſt.

156 *Secundum*: Deum, licèt ſit infinitè amabilis, quia ſummè bonus, & infinitè deſiderabilis, quia poteſt magis, ac magis in infinitum deſiderari; magis eſſe amabilem, quàm deſiderabilem. Ratio eſt, quia ratio boni amabilis dicitur reſpectivè ad amorem, quo debet amari: ratio boni deſiderabilis, reſpectivè ad affectum deſiderii, quo poteſt appeti: cum autem Deus amari poſsit actu increato, & ſimpliciter infinito, id eſt, ſuo: deſiderari verò non poſsit actu ſimilis perfectionis, ſed finito, & noſtro: nos enim deſiderare Deum poſſumus; non ſe Deus; neceſſe eſt eò eſſe Deum magis amabilem, quàm deſiderabilẽ, quò amoris affectus quo Deus ſe amat, infinitè præponderat affectui deſiderii, quo nos appetere poſſumus.

157 *Tertium*: Præmium in ratione præmii non conſiderari ſub ratione boni amabilis, ſed ſub ratione boni deſiderabilis: quare licèt in præmio ſit dignitas ſummi boni & ſummè amabilis, tamen ſub ratione præmii ſolum cenſetur, quanta eſt in ratione deſiderabilis; ſecùs in dignitate meriti. Ratio eſt: quia præmium ut præmium eſt bonum quod labore meriti quærimus, & optamus habere: quæ ſingula ſunt de linea deſiderii: meritum verò ut meritum eſt bonum, quod, quia habetur, movet. Vnde in Vnione hypoſtaticâ, ut præmium eſt, importatur Dei Dignitas, ut deſiderabilis: in merito Chriſti Domini importatur Perſonæ dignitas, ut amabilis, & honorabilis. Ex quibus negari debet antecedens: ſicut enim bonum eſt minus in ratione deſiderabilis, quàm amabilis, licèt ſit in ſe ſimpliciter infinitum: ita minus eſt in ratione præmii, quàm conſideratum ſub ratione conſtituentis dignitatem obſequii. Miror acumen ſolutionis: ſed ea, ſolâ ſui ſpecioſitate fallere incautum poteſt.

Acutiſſimè ſed non ſatis.

158 Contra primò ſic arguo: poteſt bonum eſſe majus in ratione præmii, quàm in ratione deſiderabilis: ergo nulla eſt ſolutio. Antecedens oſtenditur: quia poteſt eſſe magis utile deſideranti, quàm deſiderabile ſit: poteſt enim eſſe utilitas multò major, quàm deſiderium, quo poſsit appeti. Et Ratio eſt evidens: nam deſiderium ut oritur ex naturâ finitâ limitatur ex limitatione virtutis à quâ oritur: utilitas vero ut formaliter ſumitur ex naturâ boni communicati, non poteſt limitari aliunde: unde ſi ſtemus regulæ ſolutionis, ſtabit optimè rem eſſe alicui magis bonam, & utilem, & conſequenter majorem in ratione præmii, quàm ſit deſiderabilis.

159 Contra ſecundò: ergo bonum ſimpliciter infinitum, eſt finitum ſimpliciter in ratione præmii: imò ita finitum, ut poſsit de condigno cadere in meritum puræ creaturæ. Quod eſt abſurdiſsimum, & oſtenditur: nam pecte tantum eſt in ratione præmii, quantum in ratione deſiderabilis; & tantum in ratione deſiderabilis quantũ eſt deſiderium, atque adeò quantus eſt actus purè creatus: ſed actus purè creatus exæquari poteſt per actum itidem purè creatum: ergo. Contra tertiò: quia licèt Deus ſit infinitè amabilis, non eſt tam amabile, ac æſtimabile meritum, quàm ſit amabilis, & æſtimabilis Perſonæ Chriſti Dignitas, ut ſuprà vidimus.

160 Contra quartò: quia licèt affectus noſter deſiderii ſit finitus, non debet ille taxare bonum in ratione præmii, ſed affectus præmiantis: tanti enim debet æſtimari in ratione præmii: quanti præmians æſtimat: at iſte æſtimat, & æſtimare debet plerumque plus, quã eſt affectus noſter deſiderii: & ratio eſt: quia æſtimare debet ex ratione dignationis, & beneficii.

§. IV.

MENS NOSTRA CIRCA PRÆCEDENS dubium.

Conamur Solvere

161 Septima datur à me, diſcente ex his, quos deſervi, & juxta quos, permiſsâ nunc poſsibilitate coexiſtentiæ duarum unionum, per quas vel eadem Natura aſſumi fingatur à duabus Perſonis, vel ab eadem Perſonâ duplex Natura, vel à Perſonis ſingulis, Naturę ſingulæ: (ſi enim iſta coexiſtentia non ſit poſsibilis, vel à Chriſto prudenter optabilis, de quo *infrà*, facilius ſolvi poſſet objectio negando ſuppoſitum antecedentis:) nego nunc ipſum antecedens. Ratio eſt: quia vel unio in præmium aſsignanda, danda eſt Humanitati ipſius Chriſti merentis vel alteri diſtinctæ. Si primum: ea unio, cùm non afferat Humanitati præhabenti quantãm poteſt felicitatem, & utilitatem, novum utilitatis, & felicitatis genus, non poteſt eſſe præmium magnum, atqueadeò neque exæquativum meriti ſimpliciter infiniti. Si ſecundum: de quo loqui debet objectio: licèt ea Vnio reſpectivè ad Naturam, cuidetur, ſit infinitè utilis, tamen in ratione præmii non poteſt eſſe infinita ſimpliciter: imò quò magis, & magis multiplicentur iſtæ uniones, fiunt ipſa multiplicatione quid minus in ratione præmii.

Infrà

162 Ratio eſt, quia licèt ratio præmii pen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pensanda sit ex utilitate accipientis, tamen ita, ut ea utilitas non sit in præjudicium ipsius qui meretur. Cujus ulterior ratio est, quia ratio præmii dicit ex se rationem & vim tranquillativam ipsius qui meretur: licèt autem magna utilitas per me alteri acquisita sit materia paris gaudii; tamen si fit cum præjudicio meorum jurium, ex isto quasi incommodo nequit illud gaudium non minui, atqueadeò nequit illa utilitas esse tam tranquillativa, ac si sine meo præjudicio fieret. Vnde ratio præmii pensanda est ex utilitate, quæ sit alteri, demptâ proportionaliter tanta æstimatione illius ad mensuram præmii, quantum est præjudicium, quod ex eâ merenti fit. Quare si utilitas alioquin simpliciter infinita sit subjecta isti præjudicio, quò magis subjecta sit, eò magis definet esse simpliciter infinita in ratione præmii: nam eò magis definet esse tranquillativa merentis.

163 Nunc sic: de ratione Vnionis Hypostaticæ est connaturale jus ut Natura cui fit, & datur, maneat tam in ordine Naturæ, quàm in ordine gratiæ, Caput universorum, & in ejus nomine omne genu flectatur, Omnique creatura sit ipsi subdita, & ipsa sit in ordine Vniversi summa. De ratione autem dèque perfectione Capitis est esse unicum: habet ergo jus assumpta Humanitas, ut ipsa sit Vnica. Non ergo potest dari unio alteri naturæ, quin ipsi & sibi fiat præjudicium in re valde æstimabili. Cùm autem quò magis multiplicentur Vniones, eò magis Natura prius assumpta discedat à prærogativâ connaturali Vnicitatis, inde patet Vnionem Hypostaticam non debere computari in ratione præmii æstimabilem, quantùm in se est utilis & æstimabilis: atqueadeò nec esse simpliciter infinitam in ratione præmii respectivè ad Christi merita, licèt in ratione doni sit infinita simpliciter respectivè ad accipientem: deinde patet, quò magis, & magis multiplicentur Vniones, eò collectionem evadere quid minus in ratione præmii.

164 Vnde duo fiunt. *Alterum*: si Christi meritum est æquale uni præmio non purè creato, eoipso esse superexceden s, si plura simul dentur in præmium. Alterum: dona non purè creata, respectivè ad Christum non esse posse simpliciter infinita in ratione præmii; nec præmium simpliciter infinitum in ratione præmii esse posibile respectu Christi merentis.

M. Lumb. 165 Nec momenti sunt quæ Lumberius adversus hæc *in manuscriptis meis* lecta mihi objicit *quæst 34. de Incarnatione art. 3. §. 4. num. 2036.* Primò: non esse hic attendendum ad discursus politicos, qualis videtur iste noster. Secundò: quia si merens cedere velit, præmium cedere potest in merentis damnum, ut Pater in humanis cedere solet in favorem Filii: Tertiò: quia potest ita disponi Vnio, ut succederet alter Christus, primo destructo: unde non sequeretur pluralitas Capitum. Quartò: poterat mereri, ut Vnio alterius Personæ foret ad eandem humanitatem. Hæc, *inquam*, objecta sunt levi manu: nec momenti. Non primum: quia discursus Politici, si sunt solidi, in sineâ Divini Regiminis, sunt valde Theologici: quis enim magis prudens quàm Deus? Non secùdum: primò, quia negatur hîc suppositum, quòd nempe Christus cedere posit. Secundò quia favor amici, aut Filii non est damnũ cedentis Patris, aut Amici, ex identitate morali inter utrumque. Non tertium: ad quid præmium destructivum merentis, atque adeò cadere non potens in ejus gaudium? Deinde neganda est suppositio ex latè dictis *lib.1.* Non denique quartum, ex suppositione chymerica disputans, ut *imbi* ostensum est. *Suprà lib. 1. disp. 3.*

166 Vrgebis speciosiùs ex Dicipulo quondam meo, vividi & subtilis ingenii. Vel illud præjudicium est finitum vel infinitum? Si finitum est: ergo Donum Vnionis manet simpliciter infinitum in ratione boni æstimabilis, non obstante hoc præjudicio. Ratio est: quia infinitum ablatione finiti, esse non desinit infinitum: ergo, non obstante hoc præjudicio, potest esse præmium æquale merito simpliciter infinito. Si ergo est infinitum: undenam venit infinitudo præjudicii: nam quantitas damni sumenda est ex taxâ boni, quo privat. Sed bonum quo privat hujus præjudicii ratio, non est simpliciter infinitum: ergo nec præjudicium esse potest infinitum simpliciter. Deinde per nos, quo magis multiplicarentur uniones, cresceret magis præjudicium, quia magis Christus recederet à gloria Vnici Capitis: ergo hoc præjudicium suscipere potest magis & minus: ergo non est simpliciter infinitum in ratione præjudicii: ergo non obstante præjudicio, manere potest in Vnione secundâ Hypostatica ratio summè æstimabilis: ergo & ratio præmii simpliciter infiniti: ergo. *P. Francis-cus Vbarri*

167 Respondetur, illud præjudicium, esse *formaliter finitum, & respective infiniti*: finitum, inquam, formaliter, quia formaliter privat bono finito, & manet in linea suscipientis magis, & minus: est tamen infinitum respectivè, quia sufficit tollere rationem infinitudinis in bono alias infinitè simpliciter æstimabili. Pro rei evidentia, notanda est differentia *inter Infinitum simpliciter*: & *infinitum secundùm quid*. Infinitum secundùm quid, suscipit magis, & minus: unde per accretionem, aut decretionem finitam, nec formaliter crescit, neque decrescit in ratione infiniti, jam dicentis infinitam numerabilitatem, quamvis subsit alias numerum hunc vel illum. Infinitum simpliciter non suscipit magis nec minus, sed consistit in indivisibili, sicut ratio Summi, & Omnis. Vnde sicut ratio *summi & omnis*, per ablationem *cujuslibet particulæ, etiam finitissimæ secundùm se*, amittit rationem summi, & omnis; ita ratio infiniti simpliciter, per ablationem cujuscumque prædicati, amittit rationem infiniti simpliciter: quia ratio infiniti simpliciter, non mensuratur numerabilitate infinitâ, sed conceptu dicentis Omnia: quo nihil majus excogitari posit. Sic dicebam per accessum imperfectionis finitæ, complexum ex Creatura & Deo, non manere in ratione simpliciter infinitè perfecti, quâ solus Deus gaudet; quia non dicit omnem perfectionem sine imperfectione.

168 Hinc in forma, concessâ in sensu quem explicui primâ parte dilemmatis, nego consequentiam. Ad probationem, distinguo antecedens: infinitum numerabilitatis, & suscipiens magis, & minus, concedo: infinitum simpliciter, & consistens in indivisibili, nego: Indivisibile enim, totum tollis, si quicquam tollis. Quare licèt illa præmia Philosophi vera sit in infinito numerabilium, in infinito simpliciter, consistente in ratione dicentis omnia, per quamlibet substractionem etiam finitissimam, amittitur illa denominatio dicentis omnia, atqueadeò & ratio infiniti simpliciter. *Dices* ergo ex additione finitâ, venit infiniti denominatio. Nego consequentiam: Infiniti Denominatio venit ab omnibus: tolli tamen potest ab unâ: quod est valde diversũ.

169 Instabis: ergo Christus Dominus mereri potuit plus, quàm Deus præmiare poterit. Sequelæ vis, & absurditas patent. Vis: quia meritum est simpliciter infinitum: nullũque esse potest præmium simpliciter infinitum, ut diximus. Absurditas. Primò: quia fieret Christum ex se mereri impossibilia. Secundò: majorem esse vim meritivam in actibus Christi Domini, quàm sit Divina Omnipotentia. Tertiò, excedi proinde Divinam Omnipotentiam à Christi meritis, inspectis his, quoad dignitatem merendi, & illam inspectam, quoad virtutem inducendi, & producendi bona.

170 Sunt qui admittant sequelam consequentis, nec renuant asserere Christi meritum etiam extendi ad impossibilia. Non placent. Primò: quia omne præmium est prudenter optabile: quod autem est impossibile, prudenter optari non potest. Secundò: quia impossibile est nihil: meritum autem respicit commodum, quod necessariò est aliquid: non ergo potest dici Christi meritum extendi ad impossibilia: ergo neque ultra possibilia: quia quidquid ultra possibilia cogitari potest, impossibile est: ergo neque plusquàm Deus potest: quia quidquid Deus non potest, est ultra possibilia. Nihil enim est possibile, nisi quod potest Deus: loquor de bonis, seu rebus habentibus rationem boni. Quare

171 Respondeo, negando consequentiã: quæ veritas ut pateat, consideranda sunt Christi merita, vel ut ordinantur, & ordinari possunt à merente; vel ut valorantur à merentis dignitate. Primo si modo consideres, certè manent intra sphæram Divinæ omnipotentiæ. Et ratio est: quia nequeunt à Christo ordinari nisi prudenter: prudenter autem ordinari non possunt nisi ad posibilia. Cùm verò singula Christi merita non inducant nec in actu secundo posint nisi præmia ad quæ Christus ordinat: inde est nunquam extendi, nec posse, nisi ad quod alioqui potest Deus.

172 Si secundo modo cõsideres, fateor, Christi meritum exæquari non posse per id omne quod potest Deus: id verò est, Christi meritum esse præstantius omni bono creabili: non verò esse majus Divinâ Omnipotentiâ: neque enim id provenit ex impotentiâ Dei, seu ex deffectu potentiæ, sed ex limitatione & deffectu essentiali rerum, quas extra se potest Deus: quare id, (recisis ad vivum terminis) solùm est meritum Christi constitui per dignitatem increatam Personæ Divinæ; Deum verò non posse facere rem similis dignitatis & entitatis, quia quicquid à Deo fieri potest, debet esse creatura. Hoc autem non est absurdum. Nec obstat, hinc videri Christi meritum non esse simpliciter infinitum, quia manet simpliciter infinitè impræmiabile.

Ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

173 Ratio est, quia infinitudo non tam sumitur ex sphærâ possibilium, quæ respondere potest in præmium, quam ex dignitate ipsius obsequii. Nec obstat, quod opponit Amicus: posse unum Regem, alterius Regis opus de condigno præmiare: ergo etiam Deus poterit. Ratio disparitatis est: quia Majestas Regia capax est ulterioris felicitatis & commodi: & ut occurrunt Regni, rerumq; vicissitudines, doni paris obsequio qualicumque antè exhibito. Nec demum obstat, quod idem opponit: casu quo esset alter Christus, destinati in præmium istius, Alterius obsequium quod nempe esset simpliciter infinitum. Ratio est, quia tale obsequium esset Christo non valde utile, nec in ratione commodi directè, aut indirectè valde æstimabile: cum ipsi cuncta debeantur, aut ex placito deberi possint. Sed de istâ suppositione, *mox*.

§. V.

ALIVD ARGVMENTVM: VBI AN SIT possibilis simultas Christi duplicis.

174 Objicies tertiò: Sint duo Christi, seu duæ Naturæ hypostaticè unitæ, quarum altera petat unum: altera oppositum: altera v. g. salutem Petri ægrotantis, altera Petri decessum: & utraque ob fines honestissimos. Certè nec in suppositione, nec in casu appareret ulla contradictio. Nunc sic: Vel utraque meretur de condigno, quod petit, vel non? Si primum: ergo utralibet meretur impossibile: nam impossibile est poni quod utraque petit. Deinde, cùm unum ex contradictoriis unicè possit existere, vel cogitur Deus ad impossibile, vel alterutra meretur, ne altera exaudiatur: ergo neutra exaudiri potest, & debet utraque. Insuper, si una meretur, ne altera exaudiatur: ergo meritum alterius potest impediri: ergo non potest esse simpliciter infinitum. Si secundum: ergo possibilis est casus: in quo meritum Christi non se extendat ad omne possibile præmiû: nam possibile est sanari Petrum, vel decedere in gratia ex alicujus meritis: ergo. Multas turbas excitavit objectio.

Card. de Lugo.

175 Respondet Cardinalis de Lugo: utramque naturam esse dignam, quæ exaudiatur, & utramque mereri, ne altera exaudiatur. Neque enim, inquit, est inconveniens, quòd dentur duo merita condigna, simul, inter se opposita. Id enim accidit quoties ex duobus justis, alter peteret à Deo salutem Petri, alter mortem ex bono fine: quorum alteruter est dignus exaudiri, mereturque ne alter exaudiatur. Imo id accidit, quoties electoribus proponuntur duo æquè digni ad Beneficium, vel Episcopatum. Tunc enim singuli sunt digni qui eligantur, & uterque meretur de condigno, ne alter assumatur.

176 Non placet primò: quia juxta me meritum Christi Domini necessitat ad præmium pro quo applicatur: ergo si utrumque meretur ne exaudiatur alterum, meretur, & necessitat ad impossibile. Secundò: impossibile est quòd idem fiat, & non fiat: ergo nequit Christus mereri, quòd res fiat in circumstantiâ sub quâ meretur alter ne fiat, quin mereatur impossibile. Tertiò: mereri ne exaudiatur alter, est mereri ne placeat, sed contemnatur bonum æquè magnum, & Persona incontemptibilis. Hoc autem præterquamquòd est impossibile Deo, Christo vitiosum esset. Quartò: quia si meritum utriuslibet Naturæ, quade loquimur, meretur ne exaudiatur alterutra, meritum utriuslibet prævaleret alteri, nec prævaleret, vincit, & vincitur circa unum, & idem. Hæc autem sunt plena Chymeris: nam prævalere meritum, & vincere, est esse æstimabilius altero: sed repugnat in terminis, duo ita se habere, ut utrumque sit alterutro æstimabilius.

177 Quintò: quia per te merita Christi sunt infinita simpliciter: ergo illa merita mutuò se impediunt, neutrumque alteri prævalet: causæ enim æquales, si contrariæ sunt, se mutuò impediunt. Nec exempla sunt ad rem. Non primum: ex duobus enim illis justis, si preces sint æquales, neuter alteri prævalet. Non secundum: quia ex duobus æquè dignis ad beneficiû, neuter meretur alteri præferri. Primò: quia electo non habet rationabile objectum prælationis. Secundò: quia si unus mereretur alteri præferri, alter præferri non deberet: ergo nec mereretur. Tertiò: quia quicquid fieret esset, contra jus, & meritum alicujus: esset que electori impossibile, vitare injustitiam.

178 Respondent Hizambertus, Sfortia, Perez, & Elparza, datâ suppositione, casum esse impossibilem. *Dant rationem Hizambertus, & Perez*: quia utraque natura hypostaticè unita necessitatur habere voluntatem Divinæ conformem: cùm autem Deus habere nequeat voluntates oppositas, inde illæ naturæ necessitantur, ne sibi contrarientur in volendo. *Dat Sfortia*: quia utraque Natura

Hizamb. Card. Sfort Ant. Per. Mart. Esparza.

ra operari tenetur perfectissimè, ideòque ex perfectissimâ charitate: unde quicquid desideret, desiderare debet sub explicitâ, vel implicitâ conditione, nisi altera Natura efficaciter velit oppositum. Quod si utraque faceret actum hujusmodi circa opposita objecta, neuter esset actus efficacis desiderii. *Dat Esparza*: quia lex perfectionis in illis Naturis esset ut amicabiliter, & unanimiter operarentur: vel volendo, quòd honestiora intendenti attenderetur, vel pacisciendo aliter inter se, vel rejiciendo suorum meritorum applicationem ad judicium, & electionem Dei. Esset enim magna deformitas, inepte re eas aliter in operando. Sed hæ rationes, ut apertè ostendunt, necessariò derogari juri, & meritis Christi, qui impediatur ab altero, ita meo videri probant ultra quàm vellent Authores earum. Quare

179 Respondeo negando possibilitatem suppositionis, atque adeò *affero* metaphysicè repugnare quòd simul sint duæ Naturæ Hypostaticè unitæ, sive ad eandem, sive ad diversas Personas Divinas. Ratio mihi est primò: quia connaturaliter implicat ea coexistentia, ut *suprà* diximus: ergo & metaphysicè. Ratio consequentis est, quia quod connaturaliter implicat, non potest esse metaphysicè possibile, nisi sit possibilis compensatio; atqui hic non est possibilis compensatio: Nam quænam hæc erit? Si enim Naturæ hypostaticè unitæ denegat Deus prærogatiuam Vnici Capitis, quid pro ipsâ potest æquale compensari? Pendet hujus rationis vis ex dictis latè *lib.* 2.

Lib.2.disp. 2.

180 Secundò: cuivis Naturæ rationi unionis privativè competit jus in opera sua, & sua merita, titulo indispensabili, & æquivalenti promissioni Divinæ ex dictis *suprà disp. 2. à num.* 75. ergo implicat quòd in eorum usu impediri possit, aut debeat. Atqui si duæ Naturæ existerent, necessariò deberet altera impediri ne applicaret, & uterentur suis meritis prout vellet, alterâ volente suis uti: ergo.

Suprà disp. 2. nu. 75.

181 Tertiò: quia dando Deus uni Naturæ unionem hypostaticam, se illi per eam gratiam obligat, ut sola, & unica sit: ergo Vnio Hypostatica est necessitas, ut sit unica, & sola. Antecedens ostenditur: quia dando Deus Vnionem Hypostaticam se illi obligat ratum habere, quod velit, impediendo sibi liberè, deinceps, ex dono dato, cæteros usus, alioquin sibi possibiles: ergo se illi obligat habere sub illâ omnem voluntatem non Divinam: dedecet enim ex terminis talem esse prærogativam unionis, ut Voluntas Divina se illi ita temperet, & ita condescendat, & quòd alia possit esse voluntas si pra ipsam, vel ipsi par: ergo se illi obligat, quòd omnis voluntas non Divina sit infra ipsam: ergo quòd sola sit in ordine hypostatico: nam si altera esset, non esset cur esset infra illam.

182 Quartò: quia Personalitas Divina, se communicando Naturæ, quam assumit, ponit ipsam in linea Naturæ Divinæ quoad prærogativam, & gaudium Fori, (ut ita dicam) & æstimationem moralem, datque ipsi istius privilegia quantum potest: idque necessariò: ut me latè explicui *lib.* 1. ergo ipsa est necessitas ne simul assumat aliam Naturam: nam eo ipso non esset necessitas assimilandi Naturam assumptam Divinæ, quantum potest, si posset esse ratio cur assumpta non maneret Vnica, & cum principatu respectivè privativo super omnia creata: ergo ipsa est necessitas ne simul ab alia Persona assumatur alia Natura. Ratio consequentis est: quia non est magis una Persona Divina sibi conformis, quam una alteri: ut ergo de ratione assumentis est, ne aliam Naturam assumat, quia est necessitas sublimandi Naturam quantùm potest & decet: ita est ne alia Persona assumat aliam: ne prærogativæ quas dare Personalitati Divinam decet, sint minores, quàm Personam deceant. Alia possent excogitari. Et hujus *Sententiæ* est Pater Esparza, qui rationis, quâ nititur, fecit nobis desiderium, dum alio rejecit. Gauderem vel attigisse inter has, vel pertexuisse.

Lib.1. disp. 3. à nu. 87. præsertim nu. 91. & 92.

P. Martin. Esparza.

183 Dices, hæc à me dici non posse, nisi defecerit quod dixi *lib.* 1. *disp.* 5. nempe Personalitatem Divinam posse terminare infinitas naturas simul; licèt natura semel terminata per ipsam, aliâ non possit terminari. Respondeo nullam esse contradictionem: *ibi* enim esse debet sensus, non repugnare id, attentâ amplitudine, & contiuentiâ, quâ Personalitas Divina præcontinet infinitas subsistentias finitas infinitarum Naturarum: nam verè præcontinet. Hic autem sensus est, aliunde, nempe ex rationibus appositis, repugnare: quasi dixerim, inspectis rebus physicè, non inveniri contradictionem, inveniri verò rebus *Theologicè*, & *moraliter* inspectis. Id quod *ibi* jam adverti.

Lib.1. disp. 5. à nu. 49. & nu. 49.

Respons. communis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO IV.

ASSERTÆ INFINITATIS INTRINSECA Vis respectu Præmiantis.

§. I.

TENENDA SENTENTIA.

184 Est summa, & indispensabilis, adeò, ut præcisim ab ullo pacto, vel promissione Deum obliget, Deusque nequeat non acceptare Christi merita pro præmiis, pro quibus efficaciter applicat, & offert. Ita *ex Thomistica* Scholà, Ferrara, Sotus, Cornejo, & Araujus apud & cum Godoy *disp. 46. Ex mediâ* Magister Lorca *disp. 8. Ex Nostrâ* Pater Valentia *disp. de Incarnat. quæst. 1. puncti. 5. quæstio 5.* Pater Antonius Perez *disp. 5. cap 5.* clarius Esparza *quæst. 11. Corp. art. 3.* quibus ipse subscripsi *disp. præced. à num. 73.*

Ferrara. Sotus. Cornejo. Araujus. Godoy. Lorca. Valentia. Ant. Per. Esparza.

185 Moveor primò Authoritate Sanctorũ Bonaventuræ, & Anselmi. Illius apertam habes *in 3 dist. 20. quæst. 5.* Istius *lib. 2. cur Deus homo cap. 19.* adeò commendantis magnitudinem pretii, & meritorum, ut exinde colligat summam necessitatem retributionis: Verba sunt: *Necesse esse video, ut Pater Filio retribuat: aliquin iniustus esse videretur, si nollet; impotens, si non posset, quæ sunt aliena à Deo.* Et hunc in sensum, & pro Doctrinis supra statutis *disp. præced. sect. 3.* toto eo capite multa ferit acumina Doctissimus Pater. Cujus proinde de mente, ipse dubitare non possum.

Bonavent. Anselmus.

Supra disp. 2. à nu. 73.

186 Respondet tamen Pater Meratus, Anselmum uti ratione, facilè retorquendà in meritis nostris, atque adeò inefficaci. Hæc solutio audax est, & non vera. Audax, quia injuriosa Anselmo: cujus, & aliorum SS. PP. Authoritates, nisi vel Fide, vel apertà ratione convicti, deserere sine interpretatione non debet vir alioqui Theologus: rueret enim aliter magnum præsidium, quod in SS. PP. Authoritate Deus per eorum ora locutus locavit Ecclesiæ suæ. Non vera, quia Anselmus necessitatem retributionis infert ex magnitudine obsequii, scilicet infinitate, quę procul à nostrorum tenuitate meritorum.

Merat. ad Anselm.

Responsio communis.

187 Responderi communiter solet, Anselmum loqui ex suppositione promissionis, & pacti. Hæc solutio facilè deseretur ab eo, qui Anselmum legat, vel semel expendat. Primò: quia Anselmus hæc asserit ex magnitudine meritorum, & ex vi bonorum: quæ Christus Deo obtulit: qui recursus omninò esset frustrà: si tota necessitas non ex eà magnitudine, sed ex pacto nasceretur. Secundò: quia si à promissione, vel pacto nasceretur ista necessitas, non esset Deus non retribuendo injustus, sed infidelis. Tertiò: quia ista necessitas ex vi pacti æquè militat in nostris obsequiis, & meritis: quæ ergo exinde ad Christi merita potest ab Anselmo magnitudo convinci?

188 Moveor secundò: & argumentor sic: Nequit dimitti meritum sine præmio congruenti, absque cõtemptu ipsius meriti, & Personæ merentis in ipso: sed est impossibile, quòd Deus contemnat Christi meritum, & in ipso Personæ merentis dignitatem: ergo necesse est quòd Deus non dimittat Christi meritum sine præmio congruenti. Atqui præmium in actu secundo congruens Christi meritis est illud omne, & solum pro quo Christus applicat meritum: ergo necesse est, ne Deus sine eo omni dimittat: ergo Deus non potest non acceptare Christi meritum pro præmiis ad quæ Christus efficaciter applicat.

189 In hoc discursu rectè concludenti solùm sunt difficiles præmissæ syllogismi primi: & minor exinde subtumpta. Probo hanc imprimis: quia de Dignitate Christi est posse mereri quantum vellet, & posse obligare prout veller. Illud patet ex *supra* dictis de Infinitate meritorum. Hoc etiam patet, nam aliter cogeretur Christus expendere sua bona in omnes usus possibiles, per eosque favere Omnibus, quibus reipsâ potest: sed hoc est irrationabile: nemo enim, quia valde dives, cogitur aliter suis uti, ac velit, & nemo favere cogitur, nisi prout vult: favor quippe, si necessariò fiat, non est favor, nec dignus actione gratiarum. Iam minor etiam primi Syllogismi est evidens: quia contemni meritum, est contemni dignitatem moraliter identificatam cum ipso: cùm autem impossibile sit Deo, contemnere dignitatem Divinitatis; impossibile est etiam Deo, contemnere meritum cujus dignitas est Divinitas: Talia sunt Christi merita.

A nu. 110.

190 Ostenditur nunc major syllogismi principalis: Nequit dimitti meritum sine præmio, quin eo ipso posthabeatur meriti, & merentis dignitas illi bono quod abesset si præmium daretur: atqui posthabere meriti, & merentis dignitatem bono incompossibili cum præmio, pro quo applicatur, est contemnere meriti, & merentis dignitatem. Major patet: quia qui sic se gerit, pluris æstimare censetur bonum incompossibile cum præmio, quam dignitatem meriti & merentis. Probo minorē: talis posthabitio fieri rationabiliter nequit sine contemptu vel absoluto vel respectivo: absoluto, ob imperfectionem meriti non exauditi; respectivo, ob majorem æstimationem, quem præfert, qui ita se gerit, circa bonum exclusivum præmii, quàm circa Personæ merentis dignitatem.

191 Confirmatur, & explicatur primò: quando quis applicat circa aliquod præmiũ suas actiones obsequiosas, interponit in actionibus, sui dignitatem: ergo nequit negari illud præmium, sine posthabitione dignitatis oblatæ: ergo sine majori æstimatione boni excludentis præmium respectivè ad dignitatem merentis: ergo sine irrationabilitate, & turpitudine, quando dignitas merentis, & meriti, præferri debet Omni alii bono, & necessariò est incontemptibilis. Secundò in humanis; ubi, & quotiescumque preces, & obsequia non acceptantur, subest causa ruboris roganti, & obsequenti: cujus alia non potest assignari ratio, nisi contemptus, quem sui videt, quique in homine bonæ indolis rubotem parit, quasi suæ imperfectionis sic admonito, vel quasi injuriam passo: ergo nequeunt preces rejici, & merita non admitti rationabiliter, nisi ubi, & cùm præsumitur justa causa contemptûs: ergo preces, & merita suppositi incontemptibilis, neque rejici possunt, neque non admitti. Tale est Christi suppositum.

192 Moveor tertiò, & argumentor sic: Meritum Christi Domini est simpliciter infinitũ in ratione valoris, & meriti: ergo inimpedibiliter infert præmiũ, pro quo applicatur: ergo non potest non acceptari. Difficultas est in primâ consequentiâ, quam ostendo. Nequit esse meritum simpliciter infinitum in genere meriti, quin dicat omne genus perfectionis, quæ de lineâ meriti sit; atqui non potest ex se, & in se dicere omne genus talis perfectionis, si non habeat vim inevitabiliter obligandi, & inferendi inimpedibiliter præmium.

193 Primò: quia de ratione meriti non solùm est posse obligare, sed obligare, nec usquam exercetur hæc ratio meriti nisi obligando ad præmium: quâ ergo ratione dici potest simpliciter infinitum, sub conceptu meriti, si vim obligandi finitam habet, & facilè impedibilem? Secundò: quia meritum, quod non solum posset, sed etiam actu ex se obligaret, perfectius esset in genere meriti: majorem enim vim haberet inducendi præmium. Vnde tertiò: ratio meriti est ratio causæ moralis, moventis ad præmium, & pollentis vi inducendi præmium; atqui causa moralis minùs impedibilis ab effectûs consecutione perfectior est. Deinde: Non potest esse simpliciter infinita causa moralis, si in vi inducendi effectum finita est: quia vis inducendi effectum est de ratione formali causæ moralis; atqui si possit non acceptari pro libito illius, quem movet, non habet vim nisi finitam inducendi effectum: ergo. Quartò: si non haberet hujusmodi perfectionem in conceptu meriti simpliciter infiniti, maximè quia potest aliunde deberi; sed hoc est falsum ex supra discussis *disp. præced sect. 3.* Conclusione tertiâ: ergo.

Supra disp. 2. à nu. 75.

194 Moveor quartò, & argumentor sic: Dari à Deo bona Omnia, quæ Christus mereri in actu secundo potest, eaque dari sine pacto, aut ullâ promissione possibile est: atqui merita Christi ex se possunt extendi ad omne possibile: ergo ad hoc quod est dari à Deo dona sine ullo pacto, aut promissione: ergo vis ista merendi & inducendi bonum sine ullo pacto & promissione est intrinseca Christi meritis: ergo non possunt non acceptari.

195 Dices, majorem esse veram, possibilitate rei, non verò possibilitate præmii: unde committitur aperta fallacia, & implicatio terminorum, dum ex possibili, præcisâ possibilitate rei, fit transitus ad possibile possibilitate præmii: non enim omnia quæ potest Deus dare, dare potest eodem omninò modo, si ex meritis dat.

196 Contra tamen & rogo: si Christi merita habent condignitatem ad omne metaphysicè possibile, cur non etiam ad istud: atque adeò cur istud possibile non est possibile possibilitate præmii? Dicetur: quia præmium ex conceptu suo supponit promissionem & pactum. Contra: de hoc enim rationem quærimus.

197 Dicetur: rationem esse, quia oppositum est imperfectio, & derogatio Divini dominii: nequit enim obligari nisi quia vult. Contra primò: licèt imperfectio sit obligari Deum ex suppositione Deo non liberâ, & impedibili; tamen ex eâ obligari, non est imperfectio; atqui obligari Deum ex Christi meritis est obligari ex suppositione Deo libe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

liberâ, & impedibili: potuit enim non ponere Christum: ergo non est imperfectio. Secundò: non minus de ratione libertatis est, exclusio necessitatis; quam exclusio obligationis de ratione dominii; atqui non obstat libertatis Divinæ perfectioni necessitas ex suppositione simpliciter impedibilis: ergo neque Dominii perfectioni, obligatio originaliter orta ex suppositione simpliciter Deo liberâ. Tertiò ideo obligatio vi pacti & promissionis non derogat divino dominio, quia suppositio, unde oritur obligatio, est Deo voluntaria: atqui suppositio meritorum Christi est Deo voluntaria: ergo obligatio exinde orta non derogat divino Dominio.

§. II.

ARGUMENTA IN OPPOSITUM.

198 OBjicies primò: Christus Dominus agebat gratias Patri pro impetratione eorum, quæ postulabat: ergo erat Deo Patri liberè annuere vel non annuere. Consequentia patet: pro iis enim, ad quæ non habes libertatem, sed necessitatem, non debetur actio gratiarum: quippe gratiarum actio respicit bonum, quod habetur ex arbitrio alterius. Antecedens patet ex Scripturâ. Sufficiat nunc locus Ioann. 11. ubi
Ioann. 11. Christus ait: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.*

199 Hæc objectio æquè ferit omnes: nam saltem ex suppositione Fidejussionis, aut promissionis, aut alterius pacti, necessitabatur Deus Christum audire; & tamen his suppositis gratias Christus pro exauditione egit, quasi nullâ te Deus in eo audiendo necessitate ageret. Quare Respondeo, Christum egisse gratias, vel ut nobis præberet exemplum: vel volendo sic agere gratias de dono, ex quo orta necessitas exauditionis; vel quia multa relinquebat arbitrio Patris, rejiciendo vim suæ applicationis, & meritorum ad consilium Dei: unde gratias agere potuit pro exauditione libertati Divinæ relictâ. Nihil autem horum potest opponi veritati nostræ assertionis.

200 Objicies secundò: Deum absque ullo pacto, vel promissione necessitari ad retribuendum, & acceptandum Christi merita, est maxima imperfectio: ergo & impossibile. Antecedens ostenditur primò: hæc necessitas stare nequit, quin jus meritorium Christi sit exemptum à Dei Dominio: quis enim necessitetur ex jure, quod suum est? eximi autem jus illud à Dei dominio est imperfectio maxima. Secundò: quia obligari aliquem alicui citra ullam promissionem & pactum dicit inferioritatem.

201 Præterea tertiò: quia Non esse Deum bonorum gratiæ, & gloriæ supremum dominum est imperfectio maxima; at non esset si necessitaretur ex meritis Christi ea expendere prout Christus vellet: Nam supremum dominium stat in facultate utendi re pro libito citra alterius injuriam; at positis Christi meritis, non posset Deus uti pro libito Donis gratiæ & gloriæ citra Christi merentis injuriam: neque enim posset justè negare iis, pro quibus Christus efficaciter sua merita offerret: ergo.

Quartò: vel jus meritorium Christi est sub dominio Dei, vel non? Si secundum: quæ major imperfectio, & inferioritas? Si primùm: ergo eo potest uti prout velit: atque adeò illud conservare, vel extinguere: ergo & irremuneratum relinquere. Quintò: retribuere est operari ad extra: operari autem ad extra non potest esse Deo necessarium ex ulla suppositione à suæ voluntatis actu distinctâ.

202 Confirmantur hæc Omnia: non minùs est in homine justo jus ad gloriam, & perseverantiam in gratiâ ratione gratiæ habitualis; nec minùs est in humanitate jus ad omnia bona, puta gloriam Corporis ratione Divinitatis adjunctæ; quàm sit in meritis Christi jus ad præmium ratione Dignitatis infinitæ: sed illa jura potest sine ullo absurdo vel non acceptare, vel contemnere, vel relinquere sine eo quod exigunt: ergo & hoc jus meritorium Christi.

203 Respondeo negando, vel claritatis gratiâ, distinguendo antecedens: absque pacto vel promissione formali, nego: formali, vel virtuali, seu habente vim exercitam pacti, seu promissionis, concedo antecedens. Ad ejus primam probationem fateor hanc necessitatem stare non posse sine aliquali exemptione: quæ tamen cùm fundetur in ipsa Voluntate divina volente communicare Divinitatem, & in ipsâ Divinitate communicatâ, non potest esse imperfectio, sed maxima laus divinitatis: posse enim obligari Divinitatem à seipsâ, quis vocet imperfectionem? Vide *disp. præced. sect. 3.* qua ratione Deus dono ipso unionis elevaverit ad hoc privilegium actiones Christi. Ad secundam, nego quod assumitur: si obligatio nascitur *Suprà disp. 2. à nu. 71.*

citur ex ipso libito, & perfectione obligati; ut hîc accidit: nascitur enim ex ipsâ Divinitate communicatâ.

204 Ad tertiam negetur minor: neque enim obstat rationi supremi Dominii, quòd obligetur Deus ad usum illius ex merito, & obsequio. Imò facit: quia meritum, & obsequium tendit ad Dominum boni, istiusque constituit debitorem, quantum potest. Itaque Supremum Dei dominium stat in facultate utendi his bonis pro omni libito possibili citra alterius injuriam: interveniente autem jure meritorum Christi non est libitum Deo possibile, velle negare: quia illa suppositio juris est suppositio volendi concedere, & usus quidam plenę facultatis utendi re pro libito citra injuriam alterius. Sed de his expensiùs *disp. seqq.*

Disp. 4. latissimè à num. 69. præsertim à num. 94.

205 Ad quartam dixerunt aliqui, illud jus meritorium non esse sub dominio Dei: quia est ipsa dignitas Dei, à qua sumitur valor, & quæ est jus totum meritorum. *Sed dicatur*, esse sub dominio Dei, tantùm terminativè, & objectivè: non verò formaliter, denominativè, & exercitè: quòd explicandum est *infrà*. Ad quintam, nego minorem, si ipsa suppositio vel sit ipsa divinitas, vel usus divinæ voluntatis actui obligatorio, vel promissorio æquivalens: qualis est in casu nostro.

Ibid. à nu. 77.

206 Ad confirmationem nego imprimis esse in homine justo ratione habitualis gratiæ jus ad perseverandum in ipsâ; deinde disparitas inter jus fundatum in gratiâ habituali, & jus fundatum in Christi meritis est manifesta ex istius juris infinitudine, & finitudine illius. Difficilior est paritas inter jus humanitatis ad gloriam Corporis v.g. & jus meritorum; cùm utrumque fundetur in ipsâ Divinitate: nihilominùs sit prima disparitas, quia Christus potuit cedere, vel quasi cedere tali bono, sine quâ cessione fortè non posset non ornari gloriâ Corporis; at præmiis, pro quibus efficaciter merita applicat, cedere non potest, cùm reipsâ ipsa applicatio sit volitio non cedendi.

207 Secunda disparitas: quia Divinitas, licèt sit infinita in se, non fundat jus ad bona, nisi quatenus se interponit, ad petitionem bonorum: si autem se finitè interponit, fundat jus finitum: si infinitè, infinitum: hæc autem est diversitas inter Divinitatem dignificantem Humanitatem, & ipsam dignificantem actiones: quòd Divinitas dignificans Humanitatem, eam dignificat mediâ unione, quâ se illi dat, atque adeò ad bona physica non se interponit nisi finitè, quia unio finita est: unde solùm resultat jus finitum. Dignificans autem actiones, dignificat, quanta est, atque adeò se interponit infinitè, quia valor actionū est simpliciter infinitus: unde resultat jus simpliciter infinitum: quid ergo mirum quòd jus finitum possit non acceptari infalli biliter, & quòd acceptari debeat infallibiliter jus simpliciter infinitum?

208 Tertia disparitas generalior: quia jus ad bona physica est jus connaturalitatis, & decentiæ, atque adeò non plus cogens, vel necessitans nisi ad sui boni positionem, vel compensationem ipsius, juxta arbitrium Authoris: nam hæc jura cùm per se loqui, & explicari per seipsa non possint, interpretantur ab ipso à quo fiunt rationabiliter, & inspectâ ratihabitione, quâ facerent si se expiicare possent; at jus ad bona moralia est jus quasi contractûs oneroſi, & justitiæ, quod per se ipsum loquitur, nec eget ullâ interpretatione: & si infinitum sit, nec patitur.

209 Multa circa hæc Godoy *disp. 46.* *Godoy.* §. 5. videndus, cujus tamen doctrinæ examen vellem aggredi nec possum. Illud tamen inter alia, mihi maximè displicet, jus nempe meritorium Christi ita esse sub dominio Dei, ut extingui à Deo possit. Hoc summè displicet primò: quia hæc extinctio majorem certè contemptum sonat, quàm nolitio acceptandi. Secundò: quia hæc extinctio stare non potest nisi in volitione non reputandi Christi merita, eaque gerendi, quasi non essent. Hoc autem est nolle acceptare: sed per te necessitatur acceptare: ergo apertè dicis contradictoria. Tertiò: ergo ut vim suam exerant Christi merita, necessariò requiritur libera Dei volitio de non extinguendo Christi merita, & cessio juris quod habet Deus ad illa extinguenda: quid autem hoc est, nisi Christi merita ut obligent, egere pacto, & promissione, saltem virtuali, non repudiandi, sed acceptandi? quâ ergo ratione asseris nullâ egere promissione, vel pacto ad obligandum? Quartò: quia non potest ita Deus derogare Christi meritis, quin fiat contra promissionem imbibitam in dono unionis, & contra ipsam dignitatem Personæ, quod est totum jus meritorium Christi. Multa possent addi contra solutionem hujus Authoris.

210 Objicies tertiò: Si merita Christi sunt tantæ æstimationis, ut non possint non acceptari: satisfactio Christi oblata pro remissio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

missione peccatorum, non potevit non acceptari: ergo fuit vel esse potuit per modum solutionis se ipsâ formaliter extinguentis peccati debitum: ergo fuit, vel esse potuit formalis ablatio debiti: ergo fuit, vel esse potuit formalis justificatio nostri: quæ tria sunt contra nos, & Fidei dogmata, ostenduntur que sequi.

211 Primò: quia eoipso Christi satisfactio ratione sui, & ex perfectione sui est incompossibilis cũ peccato nostro, & necessitas ne sit peccatum in nobis nempe quia necessitas, ut sit remissio, vel connexio indispensabilis cum Gratiâ habituali; atqui perfectio ratione sui incompossibilis cum peccato, & necessitas ne sit peccatum est formalis ablatio peccati, seu forma remissiva peccati: ergo. Secundò: quia non alia ratione, potest Deus negare gloriam meritis creaturę suppositis, nisi quia ipsa non glorificant formaliter, sed meritoriè effectivè: vel ergo Christi meritis potest Deus negare remissionem peccatorum, vel ipsa sunt formaliter remissio peccatorum.

212 Tertiò: nequit dari necessitas in satisfactione Christi, ut acceptetur à Deo pro peccati remissione, quin detur necessitas, ut Deus deponat odium, & jura offensi. Nunc sic: nequit dari talis necessitas in satisfactione, quin satisfactio sit formalis exæquatio juris per offensam, & injuriam læsi; sed formalis exæquatio juris per offensam læsi est offensæ abolitio, & ablatio: ergo nequit dari talis necessitas in satisfactione, quin eoipso sit formalis peccati abolitio, & ablatio. Cõfirmantur hæc omnia: quia offensus habet jus exigendi satisfactionem ab eodem, qui commisit offensam; ac proinde non tenetur acceptare satisfactionem ab altero, sine prævia cessione prædicti juris, & sine prævio pacto, aut promissione.

213 Respondeo concesso antecedente, negando omnes consequentias. Ad primam earum probationẽ, dico merita Christi non habere secundùm se & in actu secundo connexionem absolutam cum remissione peccatorum: habere tamen, si pro ipsâ applicentur à Christo: Nihilominùs neque sunt formalis ablatio peccati, neque formalis necessitas ne sit peccatum, neque forma remissiva peccati.

Ratio est primò: quia solùm sunt perfectio incompossibilis cum peccato, incompossibilitate causæ inducentis moraliter necessariò ablationem peccati: (inducunt enim per modum meriti, nec ipsa se ipsa mereri possunt) non verò incompossibilitate formæ.

214 Neque enim ut aliqua perfectio sit forma expulsiva peccati sufficit, quòd sit perfectio cũ quâ stare nequeat peccatum: Nam & id habet actus Fidei, quo ego credo, hunc hominem esse in Gratia: & id etiam habet satisfactio Christi conjuncta cum pacto divinæ acceptationis: requiritur quod formalis effectus perfectionis sit non esse peccati. Secundò: quia tota connexio, & necessitas ne sit peccatum, provenit Christi satisfactioni ex connexione cum cessione, ut ajunt, Divini juris sive activa, sive passivà, in quibus formaliter consistit ablatio debiti, & peccati. *De his, & similibus terminis in 1. 2. tract. de supernat*

215 Ad secundã negetur imprimis suppositum: meritis enim creaturæ in actu secundo completis nequit à Deo negari Gloria, si cum morte continuentur: quia involvunt pactum, & promissionem de non negandâ gloria. Deinde nego antecedens: aliunde enim petitur ratio: nempè ex finitudine nostrorum meritorum in genere meriti, vel quia strictè possunt exigi à Deo ex aliis titulis, ut *mox* dicam. *Mox infrà nu. 219.*

216 Ad tertiam concesso quod assumitur de necessitate, non per modum formæ, sed causæ moraliter necessario causantis, & inducentis effectum suum; distinguo majorem Syllogismi: nequit dari talis necessitas, quin satisfactio sit formalis exæquatio jurium, id est tanti valens, quanti offensa, & jus læsum, concedo: quin sit formalis exæquatio jurium, per modum formæ expellentis offensam, & formaliter extinguentis jus ex eâ acquisitum, nego: nam id implicat in ipsis terminis: ut implicat causam esse formaliter effectum, quem inducit: & ratio est, quia illa satisfactio non est per modum restitutionis rei ablatæ, vel per modum positionis, ex cujus defectu nata est inæqualitas inter offensum, & offensorem, sed per modum meriti necessariò inducẽtis effectum moralem suum, qui in præsenti casu est ipsa remissio, & divini juris, ut ajunt, cessio, quę non potest fieri nisi à voluntate habente tale jus. Distinguo etiam minorem: formalis exæquatio juris, id est, actio tãti valens, ac offensa & jus læsum est abolitio offensæ, vel formaliter, vel causaliter, concedo: semper formaliter: subdistinguo: cùm satisfactio est in genere meriti, & requiritur ad abolitionem injuriæ, cessio juris ex parte offensi, nego: cùm satisfactio est per modum restitutionis, nec

nec ullius juris cessio requiritur ex parte offensi, concedo, & nego consequentiam.

217 In quo oportet valdè distinguere satisfactiones, quæ sunt in humanis ab eâ quæ fit Deo. Inter homines enim aboletur offensa quoties cumq; ponitur ab offensore, vel loco illius ab alio id ex cujus defectu, erat rationabilis causa inimicitiæ: idque sive offensus velit, sive nolit, quia si nolit, ut vitentur discordiæ, detur que pax, sine quâ vivere nõ possumus in Republicâ, cogitur & reputatur à Legibus velle, eoipso quod satisfactio sit æqualis. At respectu Dei aliter accidit, nam ipse solus potest cedere jure suo nec potest præsumi cedere nisi velit, quia nullius eo major à quo dirigi possit, & gubernari: unde non potest offensa circa ipsum aboleri, nisi volente Deo remittere: idque meretur Christus, eâ vi meriti, ut necessitet ad cessionem, si pro peccatorum remissione preces, vel actiones suas meritorias applicat.

218 Ad confirmationem, quâ movetur contra Nos Delugo *disp 4. sect. 2. num. 18.* fateor id esse verum, cùm satisfactio est finitæ dignitatis; secus verò cũ infinitæ dignitatis est. Ratio: quia satisfactio simpliciter infinita, extendi debet quantum satisfactio in genere satisfactionis potest, & ad omne quod ipsam in genere satisfactionis facere potest magis æstimabilem: imò ad omne, quod in ratione præmii potest remissionem facere magis etiam æstimabilem: cùm ergo absolutè possit satisfactio unius admitti pro offensa alterius; & majoris æstimationis sit acceptari pro alterius offensa satisfactionem, quam acceptari pro propria; & demum sic acceptari sit præmium absolutè possibile: ad id omne se debet extendere satisfactio dignitatis simpliciter infinitæ. Vnde si Christi satisfactio offeratur pro nobis necessitat ne Deus velit ulteriorem satisfactionem à nobis, & ut, pro Nobis acceptet, quamvis finita satisfactio sine prævio pacto non possit extendi ad offensam alterius. *Card. de Lugo.*

219 Objicies quartò: Merita condigna purę creaturæ, quantumvis habeant proportionem, & æqualitatem cum præmiis, quibus coronantur, egent tamen prævio pacto, vel promissione, ut obligent: ergo & merita Christi Domini. Negat antecedens acerrimè Pater Vazquez, cujus de doctrinâ dicetur *disputando de merito*, quare eo nunc omisso, nego consequentiam. Ratio disparitatis est: quia merita puræ creaturæ sunt finitæ æstimationis, & efficaciæ, possuntque à Deo stricte exigi ex aliis titulis, qui totam vim æstimationis exhauriant: at Christi merita, neque strictè possunt exigi ex aliis titulis modo quo explicuimus *supra disp. præced. sect. 3.* & sunt infinitæ æstimationis & efficaciæ: unde nõ est paritas. *Alii* cũ Godoy addunt, merita purè finita posse exigi à Deo ex aliis titulis, quorum quilibet exhauriat totam vim meritorum, quia finita est: at merita Christi licèt exigi possent ex aliis titulis, vim habent ex quâ omnibus æquè sufficiant quia sunt infinita simpliciter. Vnde quamvis exigantur à Deo, æqualem vim habent obligandi acsi non exigerentur. Hæc doctrina juxta nostra principia non est solida. *Suprà disp. 2 à nu 75. Godoy.*

220 Instabis: Poterat Deus præcipere Christo Domino ne sua merita applicaret pro tali vel tali præmio, nempe pro remissio ne peccatorum. Nunc sic: in tali casu non posset Christus mereri tale præmium: ergo ut Christus mereatur in actu secundo requiritur ne Deus præcipiat in oppositum. Atqui nolitio præcipiendi in oppositum est virtuale pactum de acceptandis meritis pro tali præmio: ergo sine pacto saltem virtuali, non possunt Christi merita Deum obligare, ut det præmium: ergo potest Deus simpliciter non acceptare Christi merita. Probatur minor subsumpta: Deum velle non exigere opera puræ creaturæ ex aliis titu is, ut poterat, est virtualiter de ipsis acceptandis pro gloriâ conferendâ pac sci: ergo Deum velle non præcipere Christo ne opera applicet pro tali, & tali præmio, est virtualiter de ipsis pro tali præmio acceptandis pacisci.

221 Respondeti potest primò, permissâ suppositione, & antecedente, distinguendo consequens: requiritur ne Deus præcipiat, quatenus requiritur quòd applicatio meritorũ suorũ sit Christo possibilis, concedo: quatenus meritis applicatis supervenire debet aliquid aliud ad obligandũ, nego consequentiã, & minorem subjunctam: velle enim Deũ non præcipere non est pacisci, sed relinquere possibilem Christo suorum meritorum applicationem: quia cùm ratione suæ impeccabilitatis sit Christo impossibile quod peccatum sit, seu quod est contra præceptum: si Christo præcipiat Deus ne applicet, impossibilitat applicationem: nos autem loquimur de meritis Christi possibiliter exercitis, & applicatis: & ea sic dicimus non egere ulla alia conditione pacti aut promissionis, ut obligent. Ipsa enim exclusio præcepti oppositi non est pactum, sicut neque

P. Vazq.

voli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

volitio concurrendi cum Christo ad eas operationes, licèt sine ista exerceri non possint. Ad probationem omisso antecedente, nego consequentiã. Ea enim opera puræ creaturæ per illam cessionem Divini juris sinuntur Creaturæ, ut per ipsa tendat in suum finem, & assequatur: at per istam omissionem præcepti tantum fit Christo vel manet possibilis applicatio suorum meritorum, prout libuerit.

222 Responderi secundò potest, dicendo, præceptum Christo non imponi, nec posse nisi volenti acceptare: unde ipse potest applicare sua merita ne sibi impediatur hæc aut alia applicatio per præceptum: quare nulla potest esse vis argumenti. Responderi tertiò potest, præcepta Christo imponibilia à Patre non posse obligare strictè, & sub interminatione culpæ, aut pœnæ, atqueadeò ex eorum etiam suppositione posse adhuc Christum uti prout libuerit suis meritis. Responderi quartò potest, negando quod assumitur, & supponitur: licet enim Deus posit Christo præcipere has, aut illas actiones pro fine pro quo vult sua merita Christus applicare, non tamen potest præcipere ne sic vel aliter applicet: quia id est reddere Christo impossibilem usum suarum operationem prout libuerit contra promissionem tacitam & imbibitam in ipso dono Vnionis privilegiante, ut diximus, Humanitatem & ejus opera. Ratio est: quia cùm Christus sit impeccabilis, præcipi Christo non usum, est ipsi reddere malum, unum: atque adeò impossibilem. Hoc autem non solum est uti Deum dominio jurisdictionis, sed etiam proprietatis, secùs ac declarum est *supra disp. præced. sect. 3. conclus. 3.* *Suprà disp. 2. num. 75.*

223 Replicabis adversus quartam solutionem. Præcipi Christo, ut has, & illas actiones applicet pro hoc fine, est præcipi ne hanc solam applicet, ut poterat: cum utriusque sit in Christo plenum dominium, & utraque sufficiat, accepta etiã divisim: sed hoc potest præcipi: ergo & quod nullã actionem pro hoc fine applicet. Ob hanc instantiã censeo vel Christo non posse imponi præceptum strictũ, & rigorosum; vel non posse imponi præceptum interminativum culpæ, aut pœnæ, atque adeò quod reddat usum præcepto oppositum, impossibilem: vel non posse imponi præceptum nisi dependenter ab ejus acceptatione: vel posse Christum præcepti dispensationem obtinere: de quibus erit sermo *disp. 4. & 5.* Interim admissã majori de præcepto indirecto, distinguo minorem: hoc potest præcipi Christo offerenti se ad quodvis Divini præcepti genus, concedo: hoc enim est in Dei obsequium cedere jure sibi à Deo concesso; sicque legitur in Scripturã fecisse Christus dicens: *Ingrediens in mundum dixit: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui: &c.* Christo aliter volenti sua merita applicare, nego minorem, & consequentiam.

SECTIO V.

TRIA DVBIA: ET ILLATIONES DVÆ in coronidem controversiæ.

§. I.

QVID DE VALORE EX INFINITATE Rei oblatæ.

224 PRimum *dubium* est: an etiam ex infinitate rei oblatæ derivetur infinitus valor in opera Christi? Negant communiter Authores post Suarez, & Vazquez. *Suarez.* Affirmant inter alios Pater Amicus *disp. 6. sect. 3.* & Pater Antonius Perez *disp. 5. cap. 5. fine*: quibus subscribo. Primo: quia hæc dicendi modus est conformior *Extravagan-* *Vazquez.* *Amicus.* *Ant. Per.* *ti* Clementis VI. *suprà* citatæ *num. 6.* ubi Pontifex infinitatem valoris, qui reperitur in Christi meritis, apertè tribuit infinitati rei oblatæ, dicendo sufficisse pro Redemptione Generis Humani *unicam guttam sanguinis Christi propter ejus unionem ad Verbum.* Secundò SS. PP. promiscuè referunt *Clem. VI.* hanc infinitatem modò ad dignitatem operantis, modò ad dignitatem rei oblatæ. *SS. PP.*

225 Tertiò est ratio resolutionis assertæ: quia ideò dignitas operantis infinitè dignificat Christi opera, quia ea tota, Christo operante, moraliter impenditur in operibus, ut principium, & forma dignificans; atqui etiam res oblata, quæ ratione unionis ad Verbum est infinitæ æstimationis, & dignitatis, moraliter intrinsecè conjungitur cum operibus, tanquam forma moraliter dignificans; quod ostendo: nam ipse actus offerendi, cùm sit quasi causa rei oblatæ, eamque respiciat ut moralem effectum sibi intimè conjunctum, facit unum moraliter cum re ipsâ oblatâ: atque adeò manet æstimabilis actio totâ æstimatione rei oblatæ, ut talis: unde ex duplici titulo manet infinita simpliciter actio Christi oblationis ex dignitate suppositi. Primus est operandi, alter est rei oblatæ per ipsam actionem.

226 Dices: ergo actio, quâ Sacerdos Christum immolat in incruento sacrificio Altaris, & quâ Beata Virgo Christum Deo obtulit, erat in ratione valoris, & meriti simpliciter infinita, ratione rei oblatæ. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est: primò: quia neque Sacerdos, neque Virgo obtulerunt rem illam simpliciter infinitam, ut intimè suam, sed ut alienam: Christus autem, rem simpliciter infinitam, offerebat ut intimè suam. Secundò: quia oblationi Sacerdotis & Virginis non est intimè conjuncta ipsa infinitudo rei oblatæ, ut necesse est sit oblationi Christi Domini: ex hac autem intimâ conjunctione, vel indistinctione morali nascitur actionis, & oblationis valoratio.

227 Addit *speciosam aliam rationem* Antonius Perez in confirmationem asserti: *Ant. Per.* Quando aliquis offert in honorem alterius rem valde pretiosam, debetur offerenti in præmium manifestatio pretii aliis facta: Ratio est: quia qui sic honorat, intendit eâ manifestatione honorare personam cui res offertur: Tùm etiam quia ipsa manifestatio cedens in honorem ipsius honorantis, videtur naturaliter deberi. Vnde videtur inesse honorato necessitas procurandi, & faciendi, quantùm potest, ut alii videant, si honorans velit: aliter enim neque honoranti fit satis, neque honoratus præfert æstimationem honoris, quam debet. Hæc videntur satis suadibilia.

228 Nunc sic: ergo Christus offerens rem infiniti pretii in honorem Dei, dignus est eòipsò, ut Deus manifestet, & videndam exhibeat, quantum possit, & Christus velit. Atqui videre rem oblatam à Christo, seu rei oblatæ pretium, est videre Personalitatem ipsius Verbi, seu ipsam Personam Divinam: ergo Christus offerens rem infiniti pretii, eòipsò & ratione rei oblatæ est dignus, ut in præmium detur visio, quâ alii videant ipsam Personam, quantùm videri potest, volente Deo, & Christo: ergo dignus est ut detur in præmium visio sine ulla limitatione: ergo manet simpliciter infinitè dignus ratione rei oblatæ: nam dignitas cui tota visio secundùm infinitam suam latitudinem & dispensabilitatem correspondet, certè est dignitas infinita: ergo oblatio, vi cujus manet ita dignus, necessariò est eò ex ipso capite, nempe ex capite rei oblatæ simpliciter infinitè meritoria.

§. II.

QVID PRO PECCATO HYPOTHETICE impossibili, ipsius Christi?

229 DVbium alterum: an Christi merita eâ polleant vi satisfactivâ, ut casu impossibili, vel permisso, quòd Christus peccaret, sufficerent etiam condignè pro ipsiusmet Christi peccato? Hypothesis *quadrupliciter* fingi potest. Primò cum Vegâ: an *Vega.* Christi opera sufficiant pro peccato Humanitatis, antecedenter ad assumptionem ab ipsa commisso? Secundò: an etiam sufficiant antecedenter oblata pro peccato posteà committendo: ita ut si Christus offerret sua merita in satisfactionem peccati, si fortè committeretur ab ipsius humanitate, manerent cum jure satisfactionis: ita fingit De- *Lugo.* lugo *disp. 5. sect. 3 num 52.* Tertiò cum Amico: an etiam sufficerent pro peccato dissolutivo unionis, merita Christi in aliâ Humanitate assumptâ exercita, & oblata? Quartò *Amic.* cum Vazquez & aliis: an etiam sufficerent *Vazquez.* pro peccato, vi cujus maneret Humanitas infecta; non tamen Vnione hypostatica privaretur: quod est quærere: an ex solâ dignitate Personæ veniret adhuc sufficiens valor ad satisfaciendum pro ipso peccato ab Humanitate sic unita commisso, non obstante malitiâ ipsius?

230 Singulæ *Hypotheses* sunt Chymericæ. Prima: quia Sanctitas Increata exigit indispensabiliter, ne unquam Natura, quam perficit, fuerit sibi inimica: eo enim usque extendit vim suæ perfectionis, & infinitudinis. Secunda ex essentiali impeccabilitate Christi, & unionis incorruptibilitate. Tertia ex eodem titulo. Quarta demum ex ipso, & ex suppositione quâ fingitur unio simul cum peccato perseverans. Omissis ergo variis dicendi modis

231 Censeo. In primo casu, ea merita Christi sufficere. Ratio est: quia illud peccatum non esset majus ex genere suo his quæ nos committimus. Tùm etiam quia imperceptibile est quòd ipsâ assumptione non deleretur in Humanitate quicquid labis in ipsâ præcessisset.

232 Censeo deinde: merita illa præcedentia, casu quo Humanitas posteà dimitteretur à Verbo, & peccaret, fore, ut sufficerent pro tali peccato. Ratio est: quia illa

Universidad de Deusto
Biblioteca

merita prævalerent peccati malitiæ, & perseverarent moraliter ea vi merendi, quâ potirentur etiam si fierent post statum peccati. Cujus ulterior ratio est: quia illa merita simpliciter essent a Personâ infinitâ, & pro statu, quo vim suam exercere possent: peccatum verò, licèt esset ejusdem Humanitatis, non tamen esset ejusdem Personæ. *Dices*: ergo eoipso instanti quo peccaret Humanitas, nō esset peccatum quippe jam esset satisfactio obligans ad ejus remissionem. *Ripalda.* *Dici* posset ex Ripalda in simili, fore peccatum quoad maculam Humanitatis, non fore quoad jus Dei. Non placet: videntur enim hæc mihi sibi contradicentia. Melius respondetur dicendo, merita solùm applicari pro remissione peccati: remissio autem peccati supponit peccatum: unde fieri nequit pro eo ipso instanti quo peccatum incipit esse.

233 Censeo insuper: etiam sufficere in tertio casu. Ratio est. Primò: quia meritum Christi esset simpliciter infinitum: quale peccatum in eo etiam casu non foret. Secundò: quia peccatum Humanitatis ingratè se cum Deo gerentis non derogat juri meritorum alterius hypostaticè Verbo, seu Personæ Divinæ unitæ. *Dices* primò: tale peccatum esset infinitum ratione damni illati. *Transeat*: quid inde? Si Christi meritum non solùm ratione boni illati, sed ratione suæ moralitatis esset simpliciter infinitum, quale tale peccatum non foret, quia ex diminutione; vel augmento voluntarii posset esse majus, aut minus.

234 Dixi *transeat*: nam neque esset infinitum in ratione damni illati: si Hypostatica unio non sit infinita simpliciter in ratione boni illati, ut à plerisque dici video cum *Aldrete.* Aldrete, & Delugo. *Lugo.* *Dices* secundò: Tale peccatum in genere ingratitudinis esset summum. Dico non esse ita summum, ut majus ex multis circunstantiis esse non posset. *Dices* tertiò: tale peccatum privaret Verbum re jam suâ, nempe Humanitate: læderet ergo intrinsecè Deum. Imprimis non est privatio, ubi ex rei defectu nulla sequitur imperfectio. Deinde Verbum, ut non potest perfici ullius creatæ perfectionis accessu, ita neque ullius abscessu lædi.

235 Censeo denique etiam sufficere in quarto casu. Ratio est: quia manente Vnione, manet tota Personæ dignitas, unde actiones sunt infiniti valoris. Confirmatur primò: quando peccatum non impedit, unde actio sit honesta, actio etiam pro statu peccati potest manere honesta: & sic in statu peccati fiunt plures actus honesti: quia non impeditur virtutis honestas, quæ ex objecto sumi potest: ergo quando peccatum non impedit, unde actio sit infinitè digna, actio talis manet. Atqui casu quo peccatum simul & Vnio coexistant, illud hanc non impedit, & ab hac sumitur infinita dignitas actionum: ergo. Confirmatur secundò: quia peccatum non potest prævalere meritis eo simpliciter infinitè majoribus. Confirmatur tertiò: quia ad condignitatem satisfactionis non videtur requiri nisi æqualitas satisfacientis cum offenso: unde Rex inimicus alteri, potest ipsi de condigno satisfacere: nempe quia status inimicitiæ non derogat neque impedit statum Regiæ dignitatis: unde sumitur valor satisfactionis: ergo similiter in casu nostro.

236 Dices: ea opera tunc essent opera Humanitatis Deo non gratæ, sed invisæ & odibilis: ergo neque essent satisfactoria. Probatur consequentia: quia solùm esse possunt satisfactoria in genere meriti; sed in genere meriti non possunt: quia meritum debet esse à Principio Sancto: ergo. Confirmatur primò: licèt in eo casu Verbum esset summæ Dignitatis, ut Deus: tamen ut homo non esset dignus, sed invisus Deo: id est, penes humanitatem: atqui Verbum non est satisfactivum, ut Deus, sed ut homo: ergo in tali casu non esset satisfactivum. Confirmatur secundò: Gratia habitualis composita cum peccato non sufficit condigni care merita Personæ operantis: nec hanc facit Sanctam quantùm sufficit ad condignè merendum: ergo neque Gratia unionis composita cum peccato. *Mac* Godoy *disp. 3 à num. 107.* *Godoy.*

237 Responderi potest ad argumentum primò ex Martinon *disp. 2. sect. 7. num. 69.* *Martinon.* in eo casu Humanitatem non fore simpliciter Deo odibilem, & invisam: quia Dignitas increata, quâ redditur plus amabilis, quàm à peccato reddi possit odibilis, peccato prævaleret, impediretque ne sortiretur effectus, quos in nobis. Secundò ex Aldrete, & aliis, distinguendo: esset Humanitatis Deo non gratæ, sed invisæ, genere amoris amicabilis, concedo: genere amoris æstimantis eam ut constitutam in summo ordine dignitatis, nego. Semper enim redderetur à summa Dignitate Personæ, digna summo honore: quod sufficit ut satisfacere posset. Valor enim satisfactorius præcipuè sumitur ex dignitate Personæ. *Aldrete.*

238 Ad primam confirmationem: nego in

in eo casu Verbum, ut homo, esse invisum simpliciter: quia ut homo dicit Naturam non utcumque, sed completam & Personatam. Deinde ratio cur Christus non satisfacit purè ut Verbū, est quia requiritur actio honesta, & libera ad satisfaciendum: quod necessariò præstari debet à Christo, ut est homo: si tamen sit actio honesta, & libera (quæ quidem, non obstante peccato, manerent) refunditur in ipsam actionem Personæ dignitas.

239 Ad secundam, imprimis est disparitas: quia peccatum est major indignitas, quâ Gratia, Dignitas: unde in præsentiâ subjectivâ morali peccatum prævalet: at respectu dignitatis increatæ est infinitè minor indignitas. Deinde Dignitas Gratiæ eatenus est dignitas, quatenus sanctificat animam; nec reddit Personam excellentiorem, quàm esset si sanctificaretur Natura per ipsam: neque enim est excellentia de genere Personæ, neque ipsam auget æstimativè in suo ordine cùm Personalitas non sit: unde si impediatur à munere sanctificandi, ex coexistentia cum peccato, non est unde possit dignificare. At Dignitas Verbi, eoipso quòd reddat Humanitatem subsistentem, quamvis non sanctificaret, & ex eo capite ratione peccati maneret Humanitas digna contemptu, tamen reddit ipsam in ratione Personæ summè dignam, constituendo cum ipsâ Personam infinitam, & quocumque honore dignam. Restat ergo summa dignitas, quæ præcisim à dignitate sanctitatis, attendi debeat in operibus. Sed molestè tamdiu divagor per has chimeras.

§. III.

QVID PRO PECCATO OCCIDENDI NATURAM triplici hypostasi subsistentem? Vbi specialiter: an cum infinitate offensæ stare possit superabundantia Theādricæ satisfactionis?

240 TErtium *dubium*: an pro peccato occidendi Naturam triplici hypostasi Divina subsistentem sufficerent merita Christi de facto existentis? & affirmo cum *Amicus.* Amico videndo *sect. 4.* Ratio est facilis: quia meritum Christi est simpliciter infinitum: & illud peccatum non esset infinitum simpliciter. *Dices* primò: peccatum illud destrueret infinita obsequia, quæ à triplici hypostasi possent Deo exhiberi. Nego majorem: quia non destrueret animam capacem obsequi per actus triplici hypostasi dignificatos. Deinde distinguo: destrueret conatu finito, concedo. Infinito, & infinitè æstimabili in genere mali, nego. *Dices* secundò: quid si quis putativè destrueret tres illas hypostases. Video hic Amicam nutabundum. Dico, neque tunc peccatum fore infinitum ex limitatione voluntarii, & conatûs. Deinde non est plus boni in uno supposito Divino, quàm in Tribus: unde neque plus mali existimativè foret in illo casu, quàm boni reipsâ offerret Christi Domini satisfactio. Et ista de dubiis. Pergo jam ad illationes pro totius coronide controversiæ.

241 Illatio prima: Satisfactio Christi non solùm fuit ex se condigna simpliciter pro peccatis, sed omninò superabundans. Ita communiter ex Scripturæ, & Patrum ore colligitur à Theologis. Ratio nobis est facilis: quia satisfactio valoris infiniti simpliciter, oblata pro peccatis in genere offensæ finitis, non potest non esse superabundans.

242 Difficultas est in Sententia Thomistarum dicente offensam esse simpliciter infinitam: pro quâ tamen dant rationem illationis novissimè cum Godoy: quia licèt ordo infinitatis tam in satisfactione Christi, quàm in offensa, sit paris efficaciæ, cum in utraque sit Majestas Dei; tamen satisfactioni unitur intimius, quàm offensæ: unde nihil mirum si excellentius infinitet satisfactionē, quàm offensam. Ratio verò cur intimius uniatur est, quia unio, quâ Majestas Dei unitur offensæ est purè affectiva: unio verò, quâ unitur satisfactioni est physica saltem mediatè: unitur enim Dignitas Verbi actioni satisfactoriæ, quatenus unitur Humanitati proximè operanti. *Thomistæ.* *Godoy.*

243 Vix capio vim hujus discursûs: arguo primò sic: sive conditio præsupposita, ut Majestas Dei, infinitet satisfactionem, & offensam, sit unio de genere affectûs, sive sit unio de genere modi physici; neutet modus uniendi est entitativè infinitus; & neutri, nempe satisfactioni, & offensæ, unitur Dei Majestas plusquàm moraliter: ergo effectus est idem, & in eodem genere unionis, nempe moralis, licèt occasio sit genere diversa: ergo licèt occasio unionis moralis sit entitativè inæqualis, denominatio moralis effectûs ab æquali forma est æqualis: ergo tam infinita est offensa, quàm Christi satisfactio: ergo neutra prævalet.

244 Arguo secundò: Vel unio, quia est

Universidad de Deusto
Biblioteca

de genere affectûs impedit, ne Majestas Dei, quanta est, moraliter indistinguatur ab æstimatione offensæ, vel non impedit: sicut neque impedit Unio de genere physico, quia finita est, ne Majestas Dei Verbi quanta est, indistinguatur ab æstimatione satisfactionis? Si primum: quâ ergo ratione manet offensa simpliciter infinita moraliter ab infinitate Majestatis offensæ? Si secundum: ergo tanta debet esse æstimatio offensæ in genere offensæ, quanta sit satisfactionis Christi in suo genere: quomodo ergo altera alteri prævaleat?

245 Arguo tertiò: Non minus est capax infinitari, actus offensæ, quàm actus satisfactionis: nec minor est forma, seu quasi forma infinitans in offensâ, quàm in satisfactione. Nunc sic: si subsstratum sit æquè capax, & forma sit par, non potest esse discrimen, & inæqualitas in denominatione. Dices id esse verum, nisi sit inæqualitas in modo communicationis. Contra: vel modus communicationis pensatur in æstimatione moralis effectûs à forma provenientis, vel non? Si secundum: nulla potest esse inæqualitas. Si primùm: ergo si modus communicationis est finitus, no potest esse infinitus moralis effectus quod enim in toto si excedat, præstat excessum: si sit limitatum, præstat limitationem: ergo neque satisfactio, neque offensa sunt simpliciter infinitæ. A quo quartò: Unio ista moralis, ubicumque fundetur consistit in eo quòd æstimatio rei non possit distingui prudenter ab æstimatione rei infinitæ, quam dicit, totâque æstimatione rei infinitæ quam dicit, æstimanda sit: ergo si res in offensâ. & in satisfactione est æqualis æstimationis, ut certè est: æquè sunt moraliter æstimabiles satisfactio, & offensa.

246 Quare censeo, si offensa sit infinita simpliciter, satisfactionem Christi non esse superabundantem: imò nec æqualem uni peccato. Ratio prioris sumitur ex impugnatione præfatæ rationis. Ratio posterioris est mihi: quia eatenus Deus infinitat offensam, quatenus jus habet ut æstimetur ejus gravitas ex Majestate sui: & eatenus infinitat satisfactionem, quatenus jus habet ut æstimetur ejus valor ex sui dignitate: Nunc sic: jus quod habet Deus ut æstimetur offensa ex Majestate Dei, est jus ut æstimetur offensa ex Dei bonitate, & amabilitate, ita ut quantum est in se bonus, & amabilis, censeri debeat offensa in ratione offensæ: jus quod habet suppositum in aliena naturâ ut actiones æstimentur ex ejus dignitate est solùm jus, ut æstimentur ex honorabilitate, ut quantum est honorabilis in alienâ naturâ, censeri debeat actio in ratione moralis actionis; atqui magis est Deus bonus, & amabilis in se, quàm sit honorabilis in alienâ naturâ: ergo major est offensa in ratione offensæ, quàm satisfactio Christi in ratione satisfactionis.

247 Confirmatur: ita est offensa infinita in ratione offensæ, ut in eo genere neque physicè, neque moraliter possit assignari quid majus ex infinitate Dei communicatâ proveniens: nam in ratione mali nihil potest ne cogitari quidem majus. At satisfactio in genere boni, & æstimabilis non est ita infinita, ut ab infinitate Dei non possit cogitari aliquid pluris æstimabilius: ergo major est offensa in ratione offensæ, quàm satisfactio Christi, si semel offensa sit infinita simpliciter. Maneat ergo superabundantiam satisfactionis niti debere in ejus infinitudine, & in finitudine offensæ.

248 Dices primò: pretium excedens injustè petitur, cum sufficiat æquale: ergo vel nequit à Deo peti satisfactio Christi, vel injustè petitur, vel non est excedens. Secundò: superabundans, ut tale, est ex conceptu suo superfluum: nihil autem ex conceptu suo superfluum, existit, Authore Deo. Tertiò: contra rectam providentiam est, adhibere ex parte medii, plus quàm requiritur ad consecutionem finis. Quicquid autem superabundat, est plus quàm requiritur. Quartò: cùm agitur de solo bono debitoris, & creditor discrescere nequit nec augeri quoad statum, non est de ratione rectæ gubernationis, quòd solutio debeat esse major, quàm debitum.

249 Respondeo ad primum, injustè peti pretium excedens si sufficiat æquale, cùm æquale possibile est: at hîc æquale, est impossibile. Ad secundum: tunc superabundans est superfluum, quando sufficeret aliquid minus. Quando verò non est aliquid debito minus, quod pro solutione sufficiat; quia necessariò debet esse plus boni in solutione, quàm fuit mali in debito: licèt solutio sit major debito, nulla superfluitas est: quia id omne, sine quo fieri solutio nequit, est necessarium ad ipsam; & superfluo opponitur necessarium. Ad tertiam: non esse contra rectam Providentiam adhibere ex parte medii plus boni quàm sit in fine, si nullum est aliud medium purè æquale, quod assecutioni

tioni finis sufficiat. Tunc enim non adhiberetur plus quàm requiritur, quasi possis finem assequi per minus. Adde in nostro casu non adhiberi ex parte medii plus boni purè ut medium, sed ut finem perse expetibilem secundùm illum excessum, quo medium finem superat. Ad quartum, dico similiter, id verum esse si per pretium minùs possit solutio fieri.

250 Illatio secunda: omnes actiones morales Christi Domini sunt æquales in ratione valoris, & meritoria ut una actio Christi Domini meritoria non possit esse aliâ major in ratione merendi, & valendi meritoriè; & una tanti valeat, quanti omnes simul: Vnde quamvis in collectione detur plus meritorum, id est, plura merita, seu major numerus meritorum, non tamen plus valoris, & meriti. Quare omnia Christi merita sunt ex se summè æqualia. Sic communis Sententia cum Suarez, & Vazquez. Ratio: quia æquè in singulis est summa Personæ dignitas à quâ sumitur valor. Dices: valor etiam sumitur ex aliis capitibus, quæ possint crescere vel decrescere. Respondeo, id æstimari debere, quando actioni meritoriæ non impeditur ratio crescendi & decrescendi ex factâ sui constitutione per dignitatem infinitam, & summam, ubi continetur omne genus excessûs, valoris, & perfectionis, quæ venire possent aliunde.

Suarez. Vazquez.

251 Confirmatur primò: Dignitas Personæ Divinæ dignificans actionem *A* entitativè inferiorem aliis, continet omnem excessum, & perfectionem, quam posset habere actio entitativè superior: conjunctum ergo ex actione majori, & Verbo nequit facere aliquid magis dignum moraliter quàm sit conjunctum ex ipso Verbo, & actione entitativè inferiori: ubi enim perfectissimè suppletur defectus, non debet reputari.

252 Secundò: major est excellentia Spiritûs Sancti, quàm possit esse excellentia actionis ex intrinseca honestate, & intensione proveniens: atqui actio dignificata à Verbo habet tantum valoris, & meriti, quantùm actio dignificata à Verbo, & ab Spiritu Sancto: quia in Spiritu Sancto & Verbo, nō est plus dignitatis, quâ in Verbo: ergo à fortiori, &c. Tertiò: quia conjunctum ex Verbo, & operatione non habet majorem dignitatem, & æstimabilitatem quàm Verbum secundùm se, quia nempe Verbum continet in se perfectionem operationis ipsius, & perfectiori modo quàm sit formaliter in se ipsâ.

253 Oppones: ergo omnes actus Christi, præter primum, sunt in genere satisfactionis & meriti, otiosi, & nullius utilitatis: siquidem primus æquè valet, ac omnes simul: & sufficit ad omnia. Deinde non manet ratio cur Deo plus placuerit Christus per obedientiam usque ad mortem, quàm per alium actum tenuissimum. Demum neque Christi actiones vim haberent movendi Deum in actu secundo disparem, secùs ac contigisse videmus: Non enim Deus contentus unico Christi opere fuit ad Redemptionem Humani generis, sed etiam pluribus, iisque difficillimis voluit peragi.

254 Dixi jam *suprà* de hoc argumento quantùm est fasis *a nu.* 42. Nego nunc consequentiam: quia licèt omnes Christi actus sint pares in actu primo: sunt tamen in actu secundo tam dispares quàm Christus velit: cujus ab applicatione pendet suorum meritorum efficacia in actu secundo. Christus autem ob fines altissimos, qui nobis noti non sunt, & alios, quos ex ejus gratiâ possumus conjectari, dedimusque *loc. cit* voluit per totam operum à se præstitorum collectionem, & non per partem operari salutem nostram. *Suprà à nu* 42.

255 Ad primam confirmationem, certè Author ipsius videre potuit, si stemus honestati intrinsecæ actuum, plus debuisse Christum placere Patri per alios, quam per obedientiæ actus; sunt enim alii nobiliores ex se. Distinguo igitur non manet ratio cur Christus plus placuerit per obedientiæ actū, quàm per tenuissimum placeret, attentâ ratione valoris, obsequii, & meriti, concedo: attentâ ratione bonitatis virtuosæ, vel potiùs ratione speciali pacti, præcepti, consilii, vel applicationis Christi, nego. Et aliquod ex his capitibus fuit illa major ratio, siqua fuit. Ad secundam jam dixi, unde sit, quòd alia potiùs quàm alia Christi opera vim habeant plus movendi Deum in actu secundo. Et satis hæc de excellentiâ meritorum Christi.

DIS-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO IV.

REDEMPTIONIS, ET SATISFACTIONIS Christi rigor in specie justitia.

1 IN re obscura, multisque vel vocum, vel sententiarum litibus exposita, præstat utraque præmittere ut aliqualis comprehensio difficultatis possit acquiri.

SECTIO I.

TERMINI, ET STATVS CONTROVERSIÆ: sensus Authorum: origo dissidii: & ordo tenendus.

2 DE triplici Iustitiâ potest esse quæstio. *Commutativâ, Distributivâ, Vindicativa* Nam Iustitia, quæ dici solet, *Constans, & perpetua Voluntas jus suum Vnicuique tribuens, seu, Virtus voluntatis nata tribuere jus unicuique suum*, ex formali ratione respicit pro objecto Ius: & ex variâ juris considerationc, & distinctione distinguitur, & speciem sumit. Ius autem tripliciter potest in re præsenti considerari.

3 Primò *stricte*: unde dicitur *jus strictum*, seu *commutativum*; & hoc absolutè venit nomine juris, & est: *Potestas moralis liberè disponendi de re per usus lege permissos, reddendique aliis pro libito licitos, vel illicitos usus ejusdem rei.* Ex respectu ad hoc jus, dicitur, & sumit speciem Commutativa justitia.

4 Secundò *latè* pro *congruitate*, quam habet Persona ratione dignitatis ad bona alioquin communia, quæ nempè nullius Privati sunt, sed Communitas habet distribuêda cum proportione ad Dignitatem: quatenus congruum est, attento bono Communitatis, ut è Bonis communibus, seu quasi communibus eò plus accipiat Persona, quò dignior est. Ex respectu ad *hoc jus* dicitur, & sumit speciem justitia *Distributiva*: quod jus est latum, quia nec rem facit strictè debitam, nec propriam habentis tale jus: cùm eo non obstante maneat communis, & inter bona communia: unde juris istius læsio, secus ac commutativi, non parit onus restituendi.

5 Tertiò: *magis latè*: pro *congruitate, & mensura punitionis ad crimen*: quam respicit Vindicativa justitia. Exinde triplex æqualitas intendi dicitur à justitia, juxta speciem unaquæque suam. Rigorosa, seu Arithmetica, & rei ad rem: quæ per se dicitur esse propria Commutativæ: Lata, seu Geometrica, & proportionis, attentis bonis distribuendis, & dignitate eorum, quibus sunt distribuenda: quæ per se dicitur esse propria Distributivæ. Demum Pœna cum culpâ, quæ propria est justitiæ Vindicativæ. Quæ singula levi tangimus, non expendimus.

6 Iam in præsenti controversiâ duplex est sententia valdè celebris. *Prima* negat Christi satisfactionem fuisse, vel esse potuisse ex rigore justitiæ, seu ex strictâ justitiâ. Ita multi, & gravissimi Authores apud Ripaldam *disp. 83. sect. 1.* inter quos princeps operâ, & ingenio est Pater Gabriel Vazquez *in 1. part. disp. 65. & 186. 1 2. disp. 223. & 3. part. disp. 7.* Adde Ripaldæ censui Bernalem, Amicum, Oviedum, Esforciam, & Esparzam. *Secunda* affirmat: ita apud Ripaldam eundem æquè multi, & graves Authores: quos inter eminet Divinæ justitiæ si non primus Assertor, princeps elucidator, *Eximius Doctor* Pater Franciscus Suarez *primum 3. part. disp. 4. sect. 5. & 6. deinde opusculo de libertate Divinâ disp. 2. sect. 2 insuper integro opusculo de justitiâ Dei.* Demum *in secundis curis ad 3. part. & lib. 12. de Gratiâ cap. 30.* Adde Arriagam, Martinonum, Aldretum, Prudentium, Godoyum, Patrem

Negant *P. Vazq.* *& alii apud P. Ripaldam.* *Bernal.* *Amicus.* *Oviedo.* *Esforcia.* *Esparza.* *Affirmant cũ Suarez.* *plurimi apud P. Ripaldam.* *Arriaga.* *Martinon.* *Aldrete.* *Prudent.* *Godoy.*

Ant. Per. Thyrsus. trem Antonium Perez, & Thyrsum, quibus novissimè accedit in utroque suę Theologiæ volumine *de Essentia Dei disp. 10. & de Incarnatione disp. 1. sect. 8.* P. Thomas Munièssa videndus.

Thomas Munièssa.

7 Sed neque qui negant, neque qui affirmant, convenire video in fundamentis, & in modo. Vnde non miror dixisse Ripaldam, hanc esse inter *primas Theologiæ controversias* gravissimam, sed omnium eam maximè egere luce, & Magisterio. Nam ex parte negantis sententiæ, *Sunt* primò qui negent ex existimato deffectu condignitatis & æqualitatis in meritis Christi: Sic Schotistæ: at in hoc sensu solùm in Scholâ Schoti defecisset satisfactioni Christi justitiæ rigor ex suprà discussis. *Sunt* secundò, qui negent, ex existimato deffectu perfectionis in obligatione justitiæ: unde negant Deo possibilem: & ex consequenti, justitię rigorem, Christi satisfactioni. Sic communius cum P. Vazquez.

Ripaldæ dictum de Controversiæ præsenti.

8 *Sunt* tertiò qui negent specialiter ex deffectu materiæ, & objecti, nempè quia in nostris peccatis, pro quibus satisfactio fit, nulla fuit, vel esse potuit ratio strictæ injustitiæ: sic multi Vazquistæ. *Sunt* quartò, qui specialiter negent ex deffectu conditionum, quas hinc inde colligunt, & necessarias putant ad rigorem justitię: sic etiam Vazquez, & potissimùm Pater Bernal, & Amicus. *Sunt* denique qui negent, nullo facto descensu ad species justitiæ: cùm inter ipsas, maxima noscatur diversitas ab authoribus, (excepto Buridano:) possitque altera admitti, negari altera.

Vazquez. Bernal. Amicus. *Buridan.*

9 Ex parte affirmantis Sententiæ *sunt* primò, qui conditionatè tantùm affirment, nempè si Deo sit possibilis obligatio ex strictâ justitiâ. Sic defendunt Koninch, & Esparza: sed hoc nihil est dictu, si de conditione non constat. *Sunt* secundò qui affirment, etiam si Deo non sit possibilis obligatio ex justitiâ. Sic Docti Moderni apud Antonium Perez. Cur enim, *aiunt*, non possit Christus, quasi restituendo satisfacere ex justitiâ, quin Deus maneat ex justitiâ obligatus? Nam servus, qui furatur à Domino centum, & restituit, satisfacit ex justitiâ, quin tamè Dominus (ejus enim ad servum repugnat talis obligatio) maneat ex justitiâ obligatus servo. Sed iste discursus non est solidus. Primò: quia in tali casu Dominus manet obligatus ex justitiâ servo, ne ultrà petat. Secundò: quia satisfactio Christi nō fuit per modum restitutionis. Nam restitutio, (& communiter omnis satisfactio, quæ intervenit inter homines,) habet pro materiâ ablationem Damni perseverantis post injuriam. Tertiò: quia iste modus valdè diminutus est.

Koninch. Esparza. *RR. opinatio.*

10 *Sunt* Tertiò qui affirment, etiam si aliàs repugnet in aliis materiis, obligari Deum ex justitiâ. Ratio: quia tota ratio cur aliàs repugnet, ajunt, est impossibilitas, quâ nequit Deus cedere jure, & illud adversum se dare alteri: quæ impossibilitas hîc non intervenit: nam cedere Deo jure temporario, & sine quo maliet esse, & quo carere non est imperfectio, non videtur impossibile, sed necessariò possibile. Tale autem est jus quod habet ex offensa. Cur ergo non poterit ob Christi satisfactionem velle se obligare, ut tali jure cedat: quod fieri nequit per onerosam promissionem sine interventu justitiæ? Sic discurrit Aldrete, post defensam communiter sententiam affirmantem.

Aldrete.

11 Iste discursus pulcher est: at non solidus. Primò: licèt enim cedere jure acquisito per peccatum sit possibile; at obligare se ad cessionem hujusmodi ex justitiâ, fieri nequit quin duo illa, quæ Author vitare studet, sequantur. Primum: cessio alterius juris, quo Deus exigere posset ob alium finem actiones Christi: Secundum: obligatio Dei, & juris sui superemi: neque enim solùm obligat jus illud temporarium, sed se ad cessionem illius. Secundò: quia non vitat omnes alias difficultates, quæ ex obligatione justitiæ in Deo nascuntur.

12 *Sunt* quartò qui affirment, nullo tamen facto descensu ad species justitiæ: & sic plures Moderni, qui neque distinguunt, neque clarè loquuntur. *Sunt* quinto qui affirment, cum limitatione tamen: censent enim Christum satisfeciisse ex strictâ justitia, non tamen ex toto rigore justitiæ ex deffectu aliquarum conditionum: sic Martinon: qui modus dicendi parum abest à Sententia negantî.

Martinon.

13 *Sunt* Sextò qui affirment, etiam limitatè: censent enim Christum satisfeciisse ex strictâ justitia pro peccatis Incarnatione posterioribus: pro prioribus non ita: Sic *quidam* citati à Bernal: nixi, quòd satisfactio ex justitia fundatur in onerosâ promissione, sine quâ nequit Deus obligari: promissio autem sine Christo existente vim habere non potuit. Hæc limitatio frivola est, & sine illo fundamento: Promissio enim & pactum nomine Christi poterat celebrari à Deo cum

Apud Bernal.

Eccle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Granad. Bernal.

Ecclesia, & ab hac acceptari: ut docet ex Granado Bernal. Quidquòd licèt sponsio Christi subsecuta sit ad collationem donorum factam Antiquis, non tamen ad opera, per quæ Christus existens solvit debitum ipsâ donorum anticipatione contractum. Itaque pro Vtriusque ex justitia satisfecit Christus, nempe antecedentibus seipsum,& subsequentibus. Sed diversimodè. Pro antecedentibus quasi fungens onere debitoris: debitorem enim satisfactionis fecit anticipatio remissionis, ejus intuitu à Deo facta. Pro subsequentibus quasi fungens munere Creditoris: debitorem enim faciebat Deum remissionis, ipsâ suorum anticipatione meritorum.

14 *Sunt* septimò qui affirment,cum aliâ limitatione: nempe Christum satisfeciſſe ex justitiâ,pro peccatis continentibus rationem injustitiæ: pro aliis,secùs. Hæc etiam distinctio temerè fit, & sine ullo fulcro Sacræ Authoritatis.

Sunt octavò qui affirment, nixi quòd omne peccatum, sit in specie injustitiæ, & omnis peccator ex justitia teneatur Deo satisfacere. Non placent: quia estò ratio sit sufficiens:non tamen necessaria:si enim Deus posit obligari ex justitiâ strictâ, potest à Christo Fide jussore hominum ex juttitiâ satisfieri interveniente pacto oneroso pro peccatis, licèt neque ipsa sint in specie injustitiæ, neque peccator aliunde teneatur ex justitiâ satisfacere. Sit exemplum, in Principe comminanti triremes transgressori legis. Transgreditur Petrus, & damnatur ad Triremes. En neque Petrus commisit injustitiam; neque ex strictâ justitiâ tenetur Triremes adire: & tamen si Paulus accedat ad Principem & cum ipso paciscatur dare centum, si remittat Paulo triremes;pacto acceptato tenetur ex justitia Princeps remittere.

15 *Posset* esse nonò qui specialiter affirmaret rigorem justitiæ in præsenti,licèt aliis & in aliis obligare se non posset Deus ex stricta justitia.Ratio posset esse:quia in Christo potest assignari jus quasi naturale distinctum à volitione Dei, Deumque obligans:at in aliis Creaturis non potest assignari jus ullum distinctum à Dei volitione: unde quomodocumque operetur, operabitur ut vult, & quia vult: qui autem operatur ut vult, & quia vult, non operatur ex justitia: operans enim ex justitia potiùs operatur, quia alter, & ut alter vult. Iste discursus placere mihi cæpit; sed vereor ne speciosus solummodò sit;& non solidus: certè juxta mea principia non est difficiliis.Eum video placuisse Recentioti: Ego tamen ab eo abstinui,& abstinendum censeo, quia sine necessitate restringit obligationem justitiæ in Deo: maximè cum eam æquè respectu aliorũ ac respectu Christi promoveant locutiones Scripturarũ: quas si semel est Deo possibilis obligatio ex stricta justitiâ, strictè,& rigorosè oportet intelligi.

16 *Sunt* ergo decimò,& ultimò qui plenè affirment: rati neque Deum dedecere obligationem ex strictâ justitiâ: neque à peccatis nostris abesse rationem injustitiæ: neque ullam strictæ justitiæ conditionem, quæ sit illi propria, deesse satisfactioni Christi. Sic *Eximius Doctor* & hæc sentiẽdi via directè recedit à viâ negantium. Ex quibus videre licet, dissidii inter Authores, & resolutionis solidæ, cardinem eò volvi: an Deo repugnet obligatio ex strictâ, & particulari justitiâ? An insit in nostris peccatis ratio injustitiæ: an ulla strictæ justitiæ conditio satisfactioni Christi defuerit? En totidem poma discordiæ! P. Suarez.

17 Nam in primo præsertim, (quo ex capite pendent cætera) est æquale dissidium inter Authores: quorum *alii* mordicùs negant cum *Vazquez*: *alii* affirmant acriter cum *Suarez*: *alii* sic affirmant, ut, quantum opinor, specie tenus affirment; reipsà negent: & hi sunt Ruizius de Montoya, & Esforzia: qui asserunt eatenus convenire Deo obligationem justitiæ,quatenus intervenientе promissione onerosâ dat uni creaturæ jus strictum in aliam; & ista, ratione prædicti juris manet alteri obligata, & stricte debita: quin tamen eo jure maneat obligatus Deus: quemadmodum juxta Vlpianum *leg. Actionum genera, ff. de oblig. & Action.* distinguentem actionem in rem, quæ dicitur *vindicatio*, & actionem in Personam, quæ dicitur *condictio*, plures Magnates obligant per contractus civiles sua Bona, quin Personas obligent. Sic hæres facit sua, hæreditaria bona, sine jure adversus Personã testatoris. Verùm id est reipsà negare Deo obligationem justitiæ:neque potest,si rem attentè inspiciamus, habere locum. Nam ideo inter homines potest dividi jus ad rem, à jure contra Personam, quia possessio rei comparari potest sine nova actione Personæ: vel saltem est qui possessionem habeati,jus adjudicet: quid simile intervenire potest in Deo? Vazquez. Suarez. Montoya. Cardinalis Sfortia. Vlpian.

18 Iam tota discordia inter *Vazquez*, id est, Vazquez.

Suarez. est, *Negantes*, & inter *Suarez*, id est, *Affirmantes*, ex eo provenit,quòd considerata ratione, & materiâ justitiæ nimis ad libram

Aristot. Aristotelicam, Vazquistæ reperiunt multum imperfectionis in obligatione, & actu justitiæ. Et meritò: Nam Aristoteles locutus est contractè ad justitiam humanam,deque materiâ,in quâ communiter versatur inter homines: quæ communiter est vel Lucri, vel damni reciproci: quorum utrumque repugnat Deo.

19 At præcisiùs attendenda justitia est, nec metienda ex materia,quam ratione subjectorum, quibus ineſt, per accidens respicit. Virtutes enim ex objecto formali considerandæ.

Vnde si præcisim ab imperfectionibus Humanæ, & finitæ,& à determinatâ materiâ, datur proprium, & formale objectum, quod sine ullâ imperfectione respicere justitia posit: quicquid sit de nostrâ,deque ejus imperfectionibus, passionibus, & materiâ lucrificâ, vel damnificâ, vel ad lucrum, & damnum ineptâ,Virtus justitiæ est perfectio sine imperfectione ex genere suo, Deoque innegabilis. Objectum autem formale, quale descripsi, videtur esse jus de quo *suprà*. Sic *acutè* Suarez. Vnde pro decisione dubii: an Deo repugnet, an secùs,obligatio ex justitiâ, tota difficultas est: an respectu nostri possit dari jus Deum obligans, & quod violari non possit citra realem,vel existimatam injuriam. De quo jure inter Modernos est tota lis.

Supra n.3.

P. Ripalda medius.

20 Solus Ripalda sibi visus est eam litem speciosè cõponere, distinguens in Deo duplex jus, seu duplicem potestatem moralem: aliam ordinariam, & rebus creatis connaturalem: aliam absolutam & supremam: ad eum modum, quo distingui à Theologis solet duplex Potentia, seu Providentia: alia communis,naturalis,& ordinaria: alia absoluta, supernaturalis,& extraordinaria.Hinc asserit Deum posse obligare, ex stricta justitia,potestatem suam moralem ordinariam: non verò posse supremam, & absolutam: & hunc putat fuisse sensum cum accomodâ distributione, Sententiæ negantis, & affirmantis.

21 Et per hunc sensum videtur sibi speciosè consulere Supremo Dominio Dei ex unâ parte: & ex alterâ juri creaturarum, & locutionibus Scripturæ, & Patrum: illi:dum reddit essentialiter immune, & inobligabile:his:dum servat rigorem strictæ obligationis ex justitiâ in Deo.Quòd si *roges*:quinam sit effectus prædictæ obligationis in Deo? *Respondet*,esse duplicem nempe Deum, post obligatam suam potestatem moralem ordinariam, non posse rem sine injuriâ denegare, nisi fiat recursus ad potestatem extraordinariam. Deinde si Deus decernat non operari per potestatem extraordinariam,vel non posit ex indecentiâ alicujus usûs Deo repugnantis, tunc teneri ex justitia rem concedere,& uti potestate ordinaria in bonum Promissarii. Vnde ex hac justitia remunerat justis merita Deus, & in præsenti attẽdit ad Christi satisfactionem,obligando ipsi suam potestatem ordinariam circa remissionem peccatorum exhibendam: à qua cessare non potest, nisi velit uti Supremo dominio.

22 Quòd si *roges* iterum: an Deus sua promissione obliget suam etiam potestatem extraordinariam: Bifariam *respondet*. Primò negativè. Secundò affirmativè: sed ita, ut si per impossibile promissis non staret,utendo eâ potestate extraordinariâ,nullam injuriam faceret Promissario. Quòd si demum instes: quænam repassio, & cessio juris intervenit ex parte Dei, in istâ obligatione justitiæ: requirit enim necessitatẽ repassionis in hujusmodi obligatione. Distinguit duplex jus: alterum excellentiæ, fundatum in esse divino. Alterum,creationis, fundatum in titulo contingenti. Illud putat cessionis incapax. Huic Deum dicit cedere, dum se obligat: sicut enim sine ipso esse potest citra ullam imperfectionem: ita ipsi cedere. Sic Ripalda *disp. illa citata* 83. de cujus discursu, dicemus specialiter *anum.49*.

SECTIO II.

POTEST OBLIGARE SE DEVS HOMINI ex strictâ justitiâ.

§. I.

PRIMÆ PROBATIONES AB Authoritate

Scripturæ.

23 OStenditur primò: ex Scriptura passim,& innumeris propè locis, quatuor predicante de Deo. *Primum*: inter Dei attributa:quæ singillatim enumerat,esse Iustitiam. *Alterum*:à Deo exerceri actus qui reputantur strictæ justitiæ, quales sunt:*actus judicii, conductio operariorum ad vineam, convenio ex denario diurno, retributio per bra-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

bravium, & Coronam justitiæ, emptio, negotiatio, & mercatura, mercedis justæ exhibitio, promissiones onerosæ, pacta. Tertium: gerere se Deum ut debitorem, & quidem jure quo homini res censetur ut sua, juxta illud: *tolle quod tuum est*. Et, *ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Quartum*: Deum sic se gerere, ut non sit injustus, quasi, si aliqua omitteret, excusari non posset a labe injustitiæ: juxta illud Pauli ad Hebræos 6. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis nostri*. Ex his, quorum plena est Scriptura, & quibus standum est potius quàm Aristoteli.

Hebr aor. 6.

24 Primò sic argoo: Non minùs, nec aliter ex Scripturâ, ex quâ noscendus est Deus, colligitur in Deo Virtus, & obligatio strictæ justitiæ; quàm alia Virtutes, quas ex Scripturâ convincimur Deo concedere, strictam nempe Fidelitatem, Misericordiam, &c: Ergo æquè Deo attribuenda Virtus, & obligatio strictæ justitiæ, quàm aliæ Virtutes. Antecedens patet: quæ enim fortior illatio Virtutis, & obligationis ex strictâ justitiâ, quàm confessio eorum, quæ propriè sine strictâ justitia nequeunt intelligi? Secundò sic: Virtus cujus actus, & exercitium, sine ulla limitatione, Deo attribuitur passim ab Scripturâ, sine limitatione, & simpliciter Deo debet attribui: atqui strictæ justitiæ actum, & exercitium, sine ulla limitatione Deo attribuit Scriptura, ut ex *num. præced.* patet: ergo & debet attribui stricta justitia.

25 Tertiò sic: Imperceptibile est Sacram Scripturam loqui passim, & non loqui propriè, si nullus è SS. PP. vel insinuat dictionis metaphoram, vel improprium sensum; atqui nullus è SS. PP. de Scripturâ Deo attribuente justitiam, & actus, qui censentur strictæ justitiæ, notat metaphoram, aut improprium sensum, & quidem Scripturâ frequentissimè loquente: ergo imperceptibile est eam non loqui propriè de strictâ justitiâ. Minor solùm negari potest, adducto in oppositum aliquo ex SS. PP. Major est mihi evidens: notant enim alias SS. PP. res leviss.

26 Quartò sic: qui sic est justus in operando, ut aliter operando diceretur injustus, justus est particulari, & strictâ virtute justitiæ: Ratio est, quia nemo est injustus simpliciter, nisi operans contra jus strictum alterius: atqui Deus sic est justus ex Scripturâ, ut aliter operando esset injustus: ergo justus est particulari, & strictâ virtute justitiæ. Quin tò sic: qui operatur ex debito, & ex vi juris sufficientis, ut res dicatur alterius, præhabentis jus ad rem, quæ retribuitur, operatur ex stricti & particulari justitiâ; atqui Deus inducitur in Scriptura sic operans. Quare in tam frequenti textuum combinatione curandus est Theologo Scripturę rigor, & repurganda imperfectionibus Aristotelica Justitia, ne cogamur dicere, vel Scripturam, dum de Attributis Dei loquitur, frequenter miscere metaphoram, vel Deum se voluisse manifestare nobis, qualis alioqui non est.

27 Ostendo secundò, ex Conciliis, & Patribus, tùm quia neque in his, neque in illis inveniri potest: qui in prædictis Scripturæ locutionibus metaphoram, aut improprietatem notaverit; sed iis æquè simpliciter utuntur: ut egregiè notat utrorumque intelligentissimus Pater Ruiz de Montoya *disp. 56. de Voluntate sect. 1. nu. 7.* Tùm etiam quia his formulis *justæ mercedis, coronæ justitiæ, & justi judicis* utuntur Tridentinum *sess. 6. cap. 16.* Senonense *decreto Fid. 16.* Moguntinum *cap. 8.* at in Conciliis attendit maximè, ne hæreticis detur ansa cavillandi, rigor vocis. Tùm specialiter ex Augustino *de Nat. & Gratia cap. 2. Non enim injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Ex Chrysostomo *tom. 2. hom. 4. de Lazaro: Si Deus est, ut revera est, eum justum esse nemo non fatebitur.* Et *hom. 8. in Epist. ad Rom. ait Deum manere debitorem justis*: quod & Augustin. *Serm. 16. de Verbis Apost. cap. 2.* & Cyprianus *lib. de opere, & eleemosyna repetunt.* Ex Ambrosio *Psalm. 118. Serm. 7.* qui ad illa verba: *memento Domine Verbi tui*, ait: *Vult convenire, ut si quis bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat.*

SS. PP. innumeri
Apud P. Ruiz de Montoya.
Trident.
Senonen.
Mogunt.
Augustin.
Chrysost.
Augustin.
Cyprian.
Ambros.

28 Possem ex aliis alia dicere: præ omnibus tamen Anselmus sit, *2. Timoth. 4.* sic exponit Apostolum: *Reposita est mihi corona justitiæ*: id est, *quam justè merui, quam non dabit, sed reddet mihi quasi debitam, quia justus judex est. Et ad Hebræos cap. 6.* ad illa Pauli *non enim injustus est Deus*: Glossat: *grandis esset injustitia Dei, si tantùm peccata puniret, & bona opera non susciperet.* Quis autem hæc, & similia, quibus SS. PP. abundant, de justitia latâ, vel metaphoricâ, vel legali, vel reductivâ prudenter intelligat? ubi apertè resistit Verborum rigor, & evidentia sensûs?

Anselmus.

§. II.

§. II.

RATIONES A PRIORI.

29 Ostenditur tertiò ratione à priori, quam formo sic: Virtus strictæ justitiæ, & obligatio ex illâ, sunt ex suo formali conceptu perfectio sine imperfectione: ergo illa est Deo, necessaria; & hæc, possibilis. Consequentia est evidens ex ratione entis summè perfecti. Antecedens ostenditur: præcisis mente cunctis imperfectionibus à ratione Humanæ justitiæ, restat ratio perfectionis sine ulla imperfectione, & tota formalis ratio strictæ justitiæ, & obligationis ex illâ: ergo Virtus strictæ justitiæ, & obligatio ex illa sunt ex suo formali conceptu perfectio sine imperfectione. Consequentia ex eo patet, quòd si hæ rationes ex conceptu suo forent imperfectio, sublatis mente imperfectionibus, sublatæ etiam essent, nec restarent in suâ formali ratione.

30 Probo antecedens: eòipsò quod in hujusmodi præscisione restet formalis ratio virtutis natæ servare jus alterius, & inducta necessitas illi non contraveniendi, nulla manet imperfectio, & manet tota ratio formalis strictę justitiæ, & obligationis ex illâ: secunda pars patet, & probo primam: quia factâ hujusmodi præscisione, fit præscisio à materiâ lucrificâ, vel damnificâ (ex quâ in nobis præsertim oritur imperfectio justitiæ,) & solùm potest esse imperfectio in eo quòd detur necessitas non contraveniêdi juri alieno, vel in eo quòd detur jus alienum sic necessitans: in primo, si supponatur possibilitas juris alieni, non potest esse imperfectio, sed perfectio: at neque in secundo dari imperfectionem, ostendo sic: esse jus in creaturâ necessitans Deum, sublatis vocibus, solum est Deum facere Creaturæ beneficium, in quo sic vult uti suo dominio, ut hoc beneficium sit quasi quidam limes imposterum suæ voluntatis, impediendo sibi per ipsum alios usus, & volendo se ratione illius necessitare ad alia in favorem creaturæ cui sic benefacit. Quid in hoc imperfectionis est? Aut quid Deum, Deique dominium dedecens?

31 Ostenditur quartò, & iterum à priori. Habere jus, secluſis vocibus, solùm est *habere moralem quandam Authoritatem, ne res habeat usus extra limites voluntatis illius, qui dicitur jus habere*: quæ Authoritas pendet ex præscripto juridicæ designationis, id est *designationis*, quæ ponit terminos quosdam inter voluntates rationales quoad usum rei, ortæ ex pacto, vel conditione habente vim pacti: Jus enim est quasi datus limes, quem nemo alius potest præter gredi, & intra quem licet Domino cum re sua vivere confidenter. Unde obligari alios ex justitiâ solùm est impediri ex illâ designatione, ne rem extendant ad suos usus, vel ne extendant suam libertatem ultra limites præscriptos, sine voluntate Domini. Et secus facere, est facere injuriam, quam in nobis non impossibilitat, sed vitare studet justitia nostra, quippe Virtus Naturæ potentis decerrare à motivo virtutis, dum operatur. At in Naturâ incapaci moralis decerrationis, impossibilitat injustitiam, quia necessitat ad non impediendos alteri usus ex juridicâ designatione possibiles.

32 Nunc sic: ergo si non repugnat Deo, statuere, interveniente vi pacti, ne res habeat alios usus, quàm quos homo velit circa rem aliquam, se pariter obligando ad non impediendos hos usus: manet homo cum jure, & Deus homini obligatus ex justitiâ. Patet consequentia: nam eòipsò manet in homine ex juridicâ designatione authoritas continendi rei usum intra terminos suæ voluntatis, quos nec Deus transgredi potest. Atqui Deo nó repugnat sic statuere: præstitit enim & præstat frequentissimè, ut habemus in Scripturis: ergo, &c.

33 Ostenditur quintò, & rursus à priori. Dari in creaturâ Rationali ex vi pacti, vel quasi pacti connexionem cum alia re, ita ut necessariò debeat ipsi servire, & negari non possit: & velle Deum eam dare intuitu talis conexionis est dari in creaturâ jus strictum, & Deũ obligari ex strictâ justitia; atqui potest in creaturâ rationali dari connexio hujusmodi Deum obligans sine ullo præjuditio Divini Dominii. Ratio est: quia tota illa necessitas, quam habet Deus, venit ex usu passivo sui Dominii, quo utitur quia vult: quâ autem ratione potest derogare Divino Dominio, usus ipsissimi Dominii?

34 Confirmatur: eatenus jus adversus alterum, seu alterum obligans in favorem, & utilitatem habentis, derogat supremitati, & dominio, & perfectioni debitoris, & obligati, quatenus vel eo inscio, vel invito habetur, vel independenter ab ipso, vel cum diminutione ejus dominii, vel quatenus eum subdit habenti tale jus, & eo compelli potest licèt invitus ad debiti solutionem. Hæ enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec aliæ sunt imperfectiones, quas prælatio juris inter homines affert: atqui jus ex parte creaturæ respectivè ad Deum, & necessitas illi se conformandi ex parte sui, nullam ex his imperfectionibus dicit: neque enim illud jus haberi potest, nisi ex usu, quo Deus liberè vult uti suo dominio: neque ista necessitas est nisi consequens, & quam Deus liberè sibi imponit volendo sic uti suâ supremitate dominii, ut non possit alios usus habere, nisi prout creatura velit: ergo jus Creaturæ respectivè ad Deum, & necessitas exinde orta ex parte Dei, se illi conformandi, nullam dicit imperfectionem in Deo: ergo neque obligatio ex strictâ justitiâ.

35 Ostenditur sextò, & rursus à priori. Eatenus obligatio ex strictâ justitiâ dicit imperfectionem, quatenus exerceri non potest sine limitatione, vel abdicatione proprii dominii; atqui hoc est falsum in Deo: ergo nullam in Deo dicit imperfectionem: ergo est simpliciter Deo possibilis. Probatur minor: eatenus obligatio ex justitiâ arguit limitationem, aut abdicationē proprii dominii, quatenus cum ipsâ non potest quis uti suo dominio quantum vult, & impeditur ipsi aliquis usus dominii possibilis: si enim cum ipsâ obligatione exercitâ justitiæ, manet quis utens suo dominio quantum vult, & non impeditur ipsi aliquis usus dominii, qui sit actus possibilis sui dominii, nullam patitur limitationem, aut abdicationem dominii, ut ex terminis est evidens: Atqui non obstante obligatione ex justitiâ, potest uti Deus, & utitur suo dominio, quantum vult & ipsi non manet impeditus nisi pro libito, usus qui sit usus possibilis sui dominii: ergo dum exercet obligationem ex justitia nullam limitationem, aut abdicationem dominii patitur.

36 Probatur minor: quia obligari Deum ex justitia solùm est necessitari ad operandū juxta jura data creaturæ, contra quę si ageret faceret injustitiam, atqui hoc non obstanti, Deus utitur suo dominio quantum vult, & nisi pro libito non manet ipsi impossibilis usus, qui sit usus sui dominii. Quod ostendo: nam dare ipsum jus creaturæ est libitum, & usus Divini Dominii Supremi: illud autem conservare creaturæ est necessitas talis libiti, ut si semel existat sit exercitium æternum libiti: quod enim Deus ab æterno voluit, eàdem omninò libertate nunc vult: hoc autem libitum est incompossibile cum alio quo Deus nolit quòd res serviat usibus creaturæ: ergo Deus, non obstante eâ obligatione ex justitia, operatur per usum sui dominii, quantum vult. Quod autem sit ipsi impossibilis actus quo simul nolit, & quo fingeretur injustitiam facere, non est usus possibilis dominii Divini: quis enim habet ex vi sui dominii velle simul, & nolle? solùmque est Deo esse impossibilem injustitiā, quę nullius dominii potest esse actus, & exercitium: ergo non obstante obligatione ex justitia manent Deo, potestate antecedente, possibiles omnes usus, qui possint esse usus dominii: ergo, &c.

§. III.

RATIO COMMVNIS A PARITATE.

37 Ostenditur septimò à paritate. *Primam*, sumo ex suprema libertate, & independentiâ Dei à creaturis, & arguo sic: Nō minùs est Deus liber, & independens in usu suæ omnipotentiæ, quàm sit Dominus; sed non est contra rationem perfectissimæ libertatis, & independentiæ, sic iis uti, ut posita liberè aliqua re essentialiter connexà cum alia, necessitetur Deus aliam velle ex suppositione; vi cujus manet essentialiter impeditus ad aliud genus libiti, & usûs, quin faciat contra legem quasi latam à se ipso in productione talis Creaturæ, atque adeò imprudenter, & illicitè: ergo neque est contra rationem perfectissimi Dominii, sic eo uti, ut posità liberè aliquà connexione vel jure ad aliā rem necessitetuream velle ex suppositione juris: vi cujus maneat essentialiter impeditus ad aliud genus libiti, & usûs, quin faciat contra jus alterius, atque adeò injustè.

38 *Alteram* sumo à Fidelitate, & arguo sic: De Conceptu perfectissimæ facultatis utendi re, sine infidelitate, non est, ut factà quavis suppositione intelligi non debeat infidelis, qui talem facultatem habet, & negat rem: nec illi conceptui repugnat obligatio ex aliquà suppositione, in quà qui eā haberet, & negaret rem, esset infidelis: ergo neque est de Conceptu perfectissimę facultatis utendi, sine injuria, id est, Dominii, ut factà quavis suppositione intelligi non debeat injustus, qui talem facultatem habet, & negat rem: nec illi conceptui repugnat obligatio, vi cujus esset injustus, si negaret rem.

39 Vis istarum paritatum urgetur primò: quia non minùs repugnat Divinæ libertati, & independentiæ impediri in operando pro libito, quàm Divino Dominio in utendo pro libito. Secundò: quia non minùs impedit Divinum Dominium, ne alius utatur re per usum denegandi, obligatio orta ex fidelitate, quàm obligatio orta ex justitiâ, cùm æquè sit impossibile quòd Deus sit injustus, quàm quòd sit infidelis.

40 Tertiò: & à priori: quia ideò vel illa necessitas operandi non derogat summę independentiæ, & libertati, vel ista moralis obligatio non derogat Divinæ Potestati supremæ; quia nec ista obligatio, nec illa necessitas existunt nisi per usum supremæ libertatis, & dominii, & tam abest ut minuant, ut potiùs exerceant illam independentiam, libertatem, & Dominium, quantùm pro totâ æternitate vult, & potest: unde non possunt derogare tali independentiæ, libertati, & facultati utendi re pro libito sine infidelitate, cùm sint exercitium earum. Atqui jus ex parte creaturæ, & obligatio in Deo se illi conformandi non existunt nisi per usum supremæ facultatis utendi re, sine injuria, id est Dominii perfectissimi, se exercentis quantùm pro totâ æternitate vult, & potest: ergo neque illud jus, & obligatio derogant perfecto dominio Dei. Sed hęc explicabuntur expensiùs, dum Adversariis satisfaciamus.

41 Dices primò: discrimen esse: quia obligatio ex fidelitate non arguit deffectum Divini Dominii: arguit verò, obligatio ex justitiâ: ratio est, quia Dominium non est facultas utendi re citra infidelitatem, sed citra injuriam: unde obligatio de non utendo citra injuriam derogat Divino Dominio. Quis credat sub harum vocum sono posse quiescere, & altùm stertere Viros alioqui doctos, & subtiles, quasi argumentum plenè solveissent.

42 Contra primò: sicut de ratione summæ libertatis, & facultatis utendi re pro libito, & utendi citra infidelitatem non est posse, factà quacumque suppositione uti re citra infidelitatem, & alio libito præter illud quod est ex suppositione necessarium: cur similiter de ratione summæ facultatis utendi re citra injuriam, non erit, non posse factà quacumque suppositione, uti re citra injuriam? De hoc spectamus disparitatem. Secundò: nō minus impossibilitat usum Dominii obligatio ex fidelitate, quàm obligatio ex justitiâ: cur ergo ista derogat, & non illa? Tertiò: fore Deum injustum, si præcedente obligatione justitiæ de dandâ gloriâ, negaret; solùm est Deum fore injustum, si negaret gloriam, stante jure ad gloriam in creaturâ, id est volente Deo dare gloriam: Nam esse ius est suppositio de volitione Divinâ dandi gloriam: at negare gloriam simul volendo dare est impossibile, & usus nullius dominii: ergo per hoc quod dicimus Deum fore injustum, si negaret gloriam, nullus actus dominii, qui sit usus dominii, aut sui, sit impossibilis: ergo manet tota perfectio dominii, & quidem exercita à Deo quantùm vult: sed hoc explicatiùs *infrà*. Scio Prudentium novissimè contendere Deum obligari ex justitiâ, & nihilominùs, si negaret rem non fore injustum, quia manet Dominus. Sed de ejus discursûs fallaciâ, *sect. seqq. à num. 92.* *Infrà à nu. 91. M. Prud.*

43 Dices secundò: discrimen esse: quia operari ex obligatione justitiæ est operari habendo pro mēsurâ, & regulâ propriæ operationis voluntatem alienam intentivam boni, & placiti proprii. Operari tamen ex obligatione fidelitatis est operari habendo pro regulâ se ipsum, suique decorum: pater autem istud decere Deum: & dedecere illud, utpote operantem omnia propter semetipsum, nec habendo aliam regulam, quàm sui ipsius bonitatem, & voluntatem. Sic *acutè* Sforția Cardinalis: cui adhæsit ex toto ingeniosus Commagister. *Sforția Card.*

44 Sed contra primò: licèt operari habendo pro mensurâ, & regulâ honestatis, & excellentiæ voluntatem alienam, non deceat Deum, qui est prima regula honestatis; tamen operari habendo pro mensurâ, & regulâ lucri ex operatione provenientis, voluntatem alterius, non dedecet Deum: imò decet: cùm ipse sit incapax lucri, & cùm hoc stare possit quòd ipse sit finis ultimus *cui* honestatis, & excellentiæ: atqui obligatio ex justitiâ solùm hoc requirit, & non illud, ut patet in operante ex justitiâ qui tamen habet pro regulâ Deum: ergo.

45 Contra secundò: eatenus habere pro mensurâ propriæ operationis voluntatem alienam est imperfectio nostræ obligationis ex justitiâ: quatenus hoc stare nequit in nobis sine vi coercitivâ alienæ voluntatis respectu nostri, & sine subordinatione nostri ad ipsam, quia, velimus nolimus, cogi possumus: at obligatio ex justitiâ in Deo est sine hujusmodi imperfectionibus: est enim, quia vult, defectere impotens ab eo quod vult, eòipsò quòd velit: neque enim Deus habet virtutes in Naturâ capaci deerrare à motivis ipsarum, ut nos: ergo, & sine imperfectione po-

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest Deus habere pro mensurâ suæ operationis voluntatem alterius quantùm requiritur ad obligationem strictæ justitiæ. Quicquod habere Deum pro mensurâ suæ operationis voluntatem alienam, solùm est operationem externam Dei poni ad mensuram alterius, ex Dei libito volentis primam ponere: hoc autem quænam imperfectio est?

46 Dices tertiò: dilectionem esse: quia propter obligationem fidelitatis non præfertur Promissarius Promittenti circa rem, sed iste semper præfertur, & retinet rem sibi subjectam: at per obligationem justitiæ præfertur Domino circa rem, e jusque usum, & subjectionem ille cujus in favorem est obligatio. Ratio est: quia obligando se ex fidelitate, cùm solùm detur obligatio conformandi verba factis, seu facta promissis, licèt Dominus faciat sibi illicitam retentionem rei stante promissione; at non facit rem alteri subjectam: obligando se tamen ex justitiâ, non solùm sibi facit illicitos usus rei, sed dando alteri *jus* ad usus rei, remilli subjicit, & illum sibi præfert. Patet autem grande discrimen inter obligationem utramque: & cur implicet, & repugnet specialiter Deo obligatio ex justitia, cùm implicet quemquam aliquomodo Deo præferri. Sic *acutè* Delugo Cardinalis ex statutâ definitione *juris* per specialem prælationem.

Ioann. Card. de Lugo.

47 Sed contra primo: omissis nunc quę contra eam *juris* definitionem adduci facilè possent: quia ea prælatio, si quando inter homines datur ratione *juris*, eò est quòd qui dat *jus* circa rem, se *jure* spoliat, nec manet cum facultate integrâ disponendi de re, nec retinet sibi subordinatum *jus*, & voluntatem alterius; unde redditur sibi impossibilis & repugnâs ratione talis obligationis, aliquis usus, qui simpliciter est ulus Dominii: atqui nec Deus dando *jus* creaturæ se spoliat *jure*, sed fruitur, & exercet, retinens facultatem utendi re pro libito, & *jus* creaturę sibi subordinans, utpote fluens ex usu libero sui: nec ipsi manet impossibilis usus ullus sui Dominii: ergo non manet creatura cum ullâ prælatione, sed Deus omnimodè præfertur creaturæ.

48 Secundò: quia eatenus diceretur præferri creatura Deo in casu suppositionis, quatenus Deo est illicitus, & impossibilis alius usus sui dominii ratione obligationis ex justitiâ; sed ratione obligationis ex fidelitate, æquè manet illicitus Deo, & impossibilis: ergo vel in utroque casu præfertur creatura Deo, vel in neutro. Dicis: in casu justitiæ, manere in creaturâ *jus* contra Deum. At etiam in casu fidelitatis manet in creaturâ jus latum contra Deum, id est facultas petendi rem promissam à Deo: cui resistere, tam Deo est impossibile, quàm facere injustitiam: cùm æquè repugnet Deo esse infidelem, quàm esse injustum. Videatur Aldrete *disp.11. de Incarnatione sect.7. num.14.*

Aldrete.

§. IV.

QVID DE DISCVRSV P. RIPALDÆ?

49 Et hæc patet quàm abstracte, & operæ pretio conatus sit Ripalda Sententiam affirmantem cum neganti componere per directum adeo singularem ex quo juxta *num.* 20. potestatem Ordinariam Dei obligationi justitiæ subdit: eximit Absolutam. Qui discursus specialiter displicet primò: quia obligatio ex justitia, ponitur à Theologis in Deo, ductis Authoritate Scripturæ erigentis exinde spem nostram, & tollantis nos de certitudine præmii, quia Deus est justus, & nequit injustus esse: Videndus de hoc principio P. Ruiz inter alios *disp. 50. de Voluntate sect. 1.* & audiendus Paulus *ad Hebræos 6. ut firmissimum solatium haberemus.* Et 10. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis est enim, qui repromisit.*

P. Ioannes Martinez de Ripalda

Montoya.

Hebræor. 6. & 10.

50 At huic fini inutilis planè est obligatio, quâ ex justitia obligatur potestas ordinaria Dei, si maneat soluta potestas extraordinaria cujus operatio non debetur ex justitiâ: nequit enim esse securitas de aliquo per existentiam alterius, cum qua facillimè conjungi potest non esse illius. Perindeque hoc esset, ut bellè ludit Oviedus, ac si quis vellet Donatarium esse securum de re, quam dat manu sinistrâ, quia per manum sinistram aut non vult, aut non potest rapere; volens tamen habere expeditam, & liberam ad rapiendam rem, manum dexteram, quæ potentior est quàm sinistra. Potestas autem moralis ordinaria in Deo est quasi manus sinistra: & Potestas extraordinaria, quasi dextera; reipsâ fortior, & potentior.

P. Ovied.

51 Displicet secundò: Nam jus illud strictum, vi cujus obligatur Deus homini ex justitiâ ad dandum præmium, non solùm obligat, ne Deus auferat præmium jam possessum, sed etiam ut conferat præmium; positâ conditione onerosâ laboris: rogo ergo Ripaldam: vel istud jus obligat Deum positivè, ut præmium conferat per potestatem illam, quam vocat, ordinariam, vel non? Si primum: ergo per nullam potestatem potest Deus denegare præmium: conferri enim per unam, & per aliam denegari, implicat. Si secundum: ergo cùm præmium confert, non præstat id ex ullâ obligatione justitiæ.

52 Dicis: ex illo jure obligari Deum, ne præmium deneget per illam potestatem ordinariam. Contra primò: quia id non est obligari Deum positivè ad dandum præmium per illam. Secundò: quia denegare præmium est usus potentiæ extraordinariæ, & non ordinariæ: ergo dicere quòd obligatur Deus, ne per potentiam ordinariam deneget, est dicere quòd obligatur Deus ne usus potentiæ ordinariæ sit usus potentię alterius: quod æquè est per te impossibile, ac Petrum esse Chymeram: ergo æquè est absonum, ac obligari Deum ex justitiâ, ne Petrus sit Chymera.

53 Dices iterum, Deum obligari, ne deneget præmiũ si nolit uti potentiâ extraordinariâ, & solùm uti potentiâ ordinariâ. Contra: quia hoc non est minùs absurdum, quàm obligari ad amãdum per facultatem productivam amoris, & si ames; non verò per facultatem productivam odii, vel si oderis. Sic arguo: uti potentiâ ordinariâ est consulere bono creaturæ, & hìc est conferre præmium: uti potentiâ extraordinariâ, seu non uti ordinariâ est consulere bono suo, & non creaturæ; & hìc est denegare præmium: ergo dicere quòd obligatur Deus ad conferẽdum præmiũ, si utatur potestate ordinariâ, est dicere quòd obligatur Deus præmium cõferre, si confert: quòd non potest esse ex jure creaturæ, sed ex ipsâ rerum necessitate: & dicere, quòd non obligatur, si utatur potentiâ extraordinariâ est dicere, quòd non obligatur ad conferendum, si negat. Quænam ergo vis hujus tuæ obligationis?

54 Displicet tertiò, & confirmatur præcedens discursus: Deum negare, quod aliàs creaturæ debetur ex naturâ rei est formaliter uti potentiâ absolutâ, & extraordinariâ: ipse enim actus negandi est usus potentiæ absolutæ: vel ergo Deus obligatur ad non negandum creaturæ bonum aliàs debitum ex naturâ rei, vel non? Si primum: ergo obligat potentiam, cujus actus est ipsa denegatio, atque adeò potentiam absolutam. Si secundum: ergo Deus nullo modo obligari potest ex justitiâ ad non negandum neque si confert, potest ex justitiâ conferre. Probo consequentiâ: quia eatenus confert, quatenus cessat ab usu potentiæ extraordinariæ: sed cessare ab usu potentiæ non obligatæ ex justitia, non potest esse ex obligatione justitiæ, ut patet: ergo. *Dices.* Deum obligari ex justitiâ, si nolit uti potentia extraordinaria. Contra: quia hoc solùm est Deum obligari non uti potentiâ extraordinariâ, si solũ utatur potestate ordinariâ. Hoc autem Deus non debet ex justitiâ. Deinde si cessare ab usu potentiæ extraordinariæ nõ potest esse ex justitiâ, quâ ratione sit ex justitia conferre?

55 Et hinc apparet origo deceptionis, qua laboravit in præsenti Ripalda oculatissimus alioquin Author. Putavit ipse potestatem ordinariam esse dominium speciale, & potestatem extraordinariam esse dominium specialissimum: obligationemque cadere posse immediatè in ipsas potestates, & dominia. Hæc autem procul à vero sunt. Imprimis obligatio cadit in Naturam, cujus est potestas, & dominium. Deinde Hæ potestates non sunt specialia dominia, sed unicum constitutum ex potestate ad duo contradictoria, sicut libertas constituitur per facultatem amandi, & facultatem non amandi. Duo autem contradictoria, quæ respicit Dominium Dei, sunt: consulere bono creaturarum, dando quod exigunt: & hic actus est potestatis, quam vocas ordinariam: non consulere, negando: & hic est actus potestatis, quam vocas extraordinariam; sed ex utraque coalescit dominium, & neutra est secundùm se: alioquin daretur dominium, & libertas sine indifferentia ad actus contradictorios. Vnde patet vel Deum obligari non posse ex justitiâ, vel obligare dominium: quòd si dominium obligat, obligat quoad actum utrumque contradictionis, necessitando moraliter ad unum, impediendo pari vi alium. Alia contra Ripaldæ discursum vide apud Oviedo *controv. 8. de merito puncto 8.*

Ripalda.

Ovied.

SECTIO III.

DEFENDITVR DOCTRINA præcedens.

56 PRoponentur *imprimis* argumenta, quę communiter fieri solent contra statutam in lectione præcedenti Doctrinam: *deinde* subtiliora, quæ Moderni novissimè adinvenerunt: *demum* quæ ab inductione per spe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

species justitiæ fiunt, ut nulla non maneat procul a Deo.

§. I.

ARGVMENTA COMMVNIA, ET PRIMum ab Authoritate.

Augustin. 57 OBjicies primò SS. PP. Authoritatem. Augustini 3. *de lib. arbitr. cap* 16. *Deus nulli debet aliquid.* & 1. *Confess. cap.* 4. *supererogatur tibi* (Deum alloquitur) *ut debeas, & quis habet quicquam non tuum: reddis debita, nulli debens: donas debita, nihil perdens.* Per quæ, cùm manifestè excludat à Deo rationem debitoris, & debiti, excludit

Bernard. etiam obligationem strictę justitiæ. Bernardi *Serm* 1. *de Annunt.* sic loquentis: *Neque talia sunt hominis merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret?* Quid apertius?

Basilius. Basilii *in Psalm.* 114. *Manet requies sempiterna illos, qui in hac vita legitimè certaverunt, non tanquam debitum operibus redditum; sed ob munificentissimam Dei gratiam.* Anselmi

Anselm. *in Prosologio cap.* 10. *Ita justus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis, quod decet te.* Sancti Thomæ 1. *p. quæst.* 1. *art.* 1. *licèt Deus debitum alicui det; non tamen ipse est debitor:* & 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 1. videtur apertè negare nostris meritis rationem juris obli

S. Thom. gantis Deum simpliciter ex justitia: locus est valde longus, & *finit, ad* 3. sic: *quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis, non sequitur, quòd efficiatur simpliciter debitor nobis.*

Mens SS. PP. 58 Respondeo in universum, hæc loca solùm negare rationem debitoris, debiti, & obligationis Deo independenter à suâ liberâ promissione, vel pacto, vel aliâ dispositione habente vim pacti: alioquin SS. PP. sibi apertè contradixissent, ut patebit expendenti testimonia quæ ex ipsis manifesta retulimus *nu.* 27. Resultare autem posse rationem debiti, & obligationem ex *justitiâ* ex pacto gratuito, nihil in humanis pervium magis.

Et speciali-ter de August. & Bernard. 59 Deinde SS. PP. qui de nostris meritis tam tenui sensu loquuntur, benignè interpretandi sunt de nostris operibus, vel præcisim à Divinâ promissione, vel à condignitate Gratiæ Habitualis. Iam Augustini sensus est, Deum non debere quicquam alteri, vel ex his per quæ felix est: quia naturâ suâ est felix, & origo felicitatis: vel quia nulli debet ex se, & præcisim à suo placito, hoc ipsum debere, quod Deo non negat S. Doctor. Bernardi sensum accipe ex verbis ejusdem *lib.* 1. *de Gratia & lib. arbitr. propè finem: Præmium justis, promissum quidem ex misericordia; sed jam ex justitiâ persolvendum: justè quippe est, ut reddat quod debet.* Idem sensus debet esse Basilii, volentis gratiam promissio

Et speciali-ùs de Anselm. nis per munificentissimam illam gratiam explicare. Anselmi sensus profundior est: nempe honestatem divinæ *justitiæ*, licèt stare non posse, quin operatio Divina fiat ad mensuram *juris* dati creaturæ, tamen primâ regulam in Deo ipso habere, quem decet non deviare posse à motivo virtutis. Adde *loc. cit.* Anselmum solùm loqui de Deo parcente malis: quibus non reddit debitum, id est, pœnam: & tamen *justus* est, volendo *juxta* id quod Deum maximè decet, dare unde *jus* habeamus ad gloriam.

De S. Tho. 60 Sanctus Thomas *eo loci* etiam negat nostris operibus simpliciter rationem meriti, sicut rationem *juris*, quare interpretandus est, quasi dixerit non esse in nostris operibus rationem *juris* simpliciter, id est, omninò, & omnibus modis, quibus inter nos concipitur esse *jus* & obligatio *justitiæ*, quod est verissimum; sed secundùm quid, id est, præcisione non distrahente veritatem *juris*, & *justitiæ*, sed semovente imperfectiones, quas inter nos videmus. Quod si *ad tertium* dixit non esse Deum debitorem nobis, sed sibi, intelligendus, quasi dixerit vel rationem debiti haberi à Deo non posse, nisi velit; vel Deum soli sibi attendere dum operatur, tanquam fini ultimo *cui*, licèt operationis suæ faciat creaturam finem secundarium, utpote quæ sola potest percipere utilitatem ex dono, & beneficio.

§. II.

ALTERVM ARGVMENTVM PRINCIpale à Ratione Divini Dominii.

61 OBjicies secundò: Stare nequit ex parte Dei obligatio strictæ justitiæ, cum dominio perfectissimo Dei penès omnia: sed necessè est in Deo esse dominium perfectissimum penès omnia: ergo impossibile est dari ex parte Dei obligationem strictæ justitiæ. Consequentia est evidens. Minor verò non patet minùs, quàm quod Deus sit Deus, & Creator omnium: de ratione autem Dei, & creatoris, sicut est habere titulum indispensabilem ad dominium, ita est esse perfectissimè dominum.

Card. de Lugo. 62 Major, in quâ est tota difficultas, ostenditur primò à Cardinali de Lugo: stare nequit ex parte Dei obligatio strictæ justitiæ, quin creatura possit acquirere strictum jus adversus Deum; sed hoc implicat: ergo & illa Major patet. Tùm quia obligatio strictæ justitiæ secum affert rationem debiti: debitum autem dicitur ratione juris. Tùm quia obligat o strictæ justitiæ necessariò respicit jus Personæ, cujus in favorem est. Probatur minor: Nam homo essentialiter est servus Dei, Deo debens jure servitutis omnes suas actiones, utpote quæ eoipsò quòd fiant, sunt Dei: sed servus nequit acquirere jus per actiones quæ Domino debentur jure servitutis: quod patet: nam illud ipsum jus, quod esset servi, eòipsò esset Domini: nam quicquid servus acquirit, acquirit Domino; sed implicat quod jus Domini sit contra ipsum: ergo & quod servus acquirat jus contra Dominum: ergo & à fortiori quòd creatura contra Deum: alioquin Deus respectu illius creaturæ acquirentis jus sibi, & non Deo, non esset perfectissimus Dominus: quod probandum erat.

63 Confirmatur: Religiosus per solemne votum paupertatis ita transfert in Religionem omnia sua jura, ut maneat incapax civiliter obligare Prælatum, aut Religionem: quare etiamsi interveniente promissione acceptatâ permittat ipsi Prælatus aliquid ad ejus usum, non possit obligatus manere: talis enim irrevocabilitas pugnaret cum voto. Nunc sic: Atqui creatura essentialiter dicit quoddam quasi votum servitutis in ordine ad Deum: à quo statu absolvi non potest: ergo ne interveniente quidem promissione acceptatâ, potest Deus obligare ex justitiâ.

64 Secundò: ostenditur eadem major à *Meratius. Ripalda.* Meratio, & Ripalda: quia Dominium est facultas utendi re pro libito citra ullius injuriam: atqui cum obligatione strictæ justitiæ non stat facultas utendi re pro libito citra ullius injuriam: ergo neque perfectum dominium. Major est, Dominii definitio. Minor est evidens, quia obligatio ex justitiâ est necessitas sic utendi re, vel faciendi injuriam; sed cum necessitate sic solùm utendi re, vel faciendi injuriam, non est facultas utendi re pro libito citra injuriam: ergo.

Confirm. P. Merat. 65 Confirmat Meratius: quia stante obligatione justitiæ ex parte Dei, creatura posset uti re datâ à Deo pro libito; non ve-

rò Deus: Deus enim si aliter uteretur, faceret injuriam: Creatura quomodocumque vellet operari per usum rei, non faceret: ergo perfectius esset Dominium creaturæ, quàm Dei: ergo obligatio justitiæ stare non potest cum perfectissimo dominio Dei.

Confirm. P. Ripald. 66 Confirmat Ripalda: vel ista obligatio justitiæ minuit in Deo facultatem utendi re pro libito citra injuriam alterius, vel non? Si primùm: ergo etiam dominium. Si secundum: ergo cùm ipsâ manet tota, & æqualis facultas, quæ præcisim ab ipsâ erat: ergo sicut ante, vel præcisim ab ipsâ, poterat Deus re uti pro libito, negando, vel concedendo; ita pariter poterit cum ipsâ obligatione justititiæ. Hoc implicat: ergo.

Alii. 67 Ostenditur tertiò eadem major ab *aliis*: obligatio justitiæ necessariò præfert illum, in cujus favorem est, circa usum, & subjectionem rei; atque adeò obligatus, quoad eundem usum, & subjectionem rei manet quasi inferior respectu illius, cui obligatur ex justitiâ. Ratio horum est: quia obligatio ex justitiâ ita limitat eum, quem obligat, ut non possit re uti nisi ad libitum, & placitum illius, cui obligatur: unde manent obligato impossibiles usus dominii, quo ante fruebatur. Nunc sic: Atqui inferioritas quoad usum, & subjectionem rei, & ista impossibilitas aliter utendi in posterum, nequit stare sine diminutione, & abdicatione Dominii: Diminutio, & abdicatio Dominii stare nequeunt cum perfecto Dominio: ergo, &c.

Confirm. P. Amici. 68 Confirmat Amicus: quavis factâ suppositione promissionis, & juris ex parte creaturæ, vel Deus posset nihilominus annihilare creaturam, jus, & terminum juris, vel non? Si primum: quæ ergo potest dari in Deo ex ullâ suppositione stricta obligatio ex justitiâ? Vt enim potest annihilare Creaturam, potest ipsi vel tollere jus, aut terminum *juris*; æquale enim est circa singula dominium in Deo. Si secundum: ergo non manet in Deo perfectum dominium, vel non manet creatura æquè dependens à Deo, ipsique *subjecta*, quod est perinde: & æquè impossibile: cùm nulla suppositio possit facere quòd creatura non sit dependens à Deo, sicut facere non potest quòd non sit ens creatum.

Notabilia Quinque. Primum. 69 Vt argumento plenè satisfiat, & solutio benè percipiatur, notanda sunt maximè quinque. *Primum*: Dominium, sicut & libertas; (est enim quædam specialis libertas, seu

Universidad de Deusto
Biblioteca

cujusdam libertatis authoritas, & species, Dominium) semper est ad actus oppositos, cum indifferentiâ ad utrumlibet. Vnde sicut nequit dari libertas amandi, sine indifferentia ad amandum, vel non amandum: ita nequit dari dominium dandi rem v. gr. per usum ipsius, sine indifferentiâ ad dandum, vel non dandum.

70 Exinde colligis primò: sicut libertas non est ad actus oppositos compositivè, seu non est facultas amandi simul, & non amandi; hæc enim est Chymerica facultas; ita Dominium non est ad actus oppositos compositivè, seu facultas utendi re simul, & non utendi, dandi simul, & non dandi: hæc enim potestas est Chymerica: quare sicut illa compositio non potest esse usus libertatis: ita nec ista potest esse dominii.

71 Secundò: sicut libertas se exercens per amorem, sibi impedit actum oppositum, quin desinat esse libertas, aut desinat esse potens amare, aut non amare: quia exercitium potestatis necessariò cum illâ coexistit, nec destruere potest dum exercet: ita dominium se exercens per usum dandi rem, sibi impedit omnes usus oppositos, quin desinat esse dominium, aut desinat esse potestas dandi, aut non dandi pro libito.

72 Tertiò: sicut licèt libertati se exercenti liberè per amorem maneat impeditus actus oppositus, & quodammodò impossibilis, nempè consequenter, seu potestate consequenti, nihil proinde libertatis deest: quia libertas non est potestas ad actus oppositos collectivè, sed divisivè; nec potestas consequens, id est potestas conjungendi cum suppositione una alteram contradictoriam, sed potestas utendi divisivè, quâ velit: ita licèt dominio se exercenti per usum singularem, maneant impediti, & quodammodo impossibiles omnes alii usus oppositi, nihil perfecti dominii deest, quia illa potestas conjungendi cum suppositione unius libiti, & usûs alteram contradictoriam, semper defuit, & non est potestas dominii, sed ens rationis. Vnde stare potest quòd Domino sine diminutione dominii sint quodammodo impossibiles usus alii præter usum donationis, & quod alteri Naturæ sint possibiles, & à nemine violabiles ipsi citra injuriam.

Secundò. 73 *Secundum.* Divinum Dominium, Divinamque libertatem inter alias, tres prærogativas habere, ad quas neque nostra dominia, neque nostræ libertates assurgunt. Hæ sunt, excellentia, independentia, & immutabilitas in exercitio. Excellentia, quatenus ita est Dominus, ut è rebus, quarum est, nullam velit, aut possit utilitatem, & lucrum simpliciter comparare: Talis enim est, & tanta sui felicitas, ut nullius ex se egeat ad honestandam, aut meliorandam quasi fortunam status sui. Independentia: quatenus nulli potest dicere subordinationem, aut obligationem, nisi suo ipsius dominii usu, & libito velit; nullumque extra se possit esse dominium, nisi à sua voluntate dependens. Immutabilitas in exercitio: quatenus quod Deus ab æterno vult liberè semper, & eâdem omninò libertate vult: neque enim, ut Nos, ad variationem temporis, & transitionem instantium, novam exercet libertatem, aut ab æterno liberè aliquid amplexus, jam necessitate continuat: sed æquè nunc & ab æterno libertatem exercet suam, ac si nunc inciperet, & semper inciperet velle.

74 Exinde colligis primò: Divinum Dominium esse purè excellens, seu puræ excellentiæ, & nullius perceptivum utilitatis simpliciter. Secundò: omnia Dominia, quæ in creaturis sunt, esse omninò diversæ rationis à Divino. Tertiò: non diminui Divinum Dominium, eòipsò quòd det dominium Creaturis: quia Creaturæ non sunt capaces habere dominium, quale est Dei. Quartò: ipsam concessionem dominii esse tam procul ab abdicatione dominii, ut sit potiùs usus vel activus, vel passivus Divini Dominii, quo simul vult dare Creaturæ dominium Vtile, & ratione ipsius ne vel à se, vel ab alio impediatur usus circa rem, de quâ dat dominium. Vnde quintò: si quis Creaturæ impedit usum licitum rei, non solùm ipsi, sed Deo faceret injustitiam: ipsi, quia jus habet à Deo: Deo, quia jus habet ut teneat usus sui dominii.

Tertiùm. 75 *Tertium*: Dominium, quod esse potest in creaturis, necessariò est Deo subordinatum, & à Deo dependens, sive hoc dominii jus obliget ipsum Deum, sive alias creaturas. Ratio est, quia necessariò est usus vel activus, vel passivus, aut materia divini juris, eatenusque est, quatenus Deus vult esse. Exinde colligis Dominii creati subordinationem & dependentiam à Deo simul exercente dominium, non obstare perfectioni, & integritati creati Dominii: quia aliter non est possibile in creaturis dominium: unde quòd Deo subordinetur, quatenus ab ipso datur, & est usus passivus Divini juris, nihil tollit de ratione essentiali Divini dominii.

76 Rogabis hîc: quam ergo vim habet in

in creaturâ istud Dominium? Respondeo ipsum esse quasi datum a Deo limitem inter libertatem, & voluntatem habentis, ac inter alias ab ipso distinctas, ita ut juxta naturam, & amplitudinem juris nemini liceat ingredi ad usum rei, nisi prout velit, qui tale jus habeat.

77 Vnde si jus sit contra creaturas alias, nulli licebit sibi arrogare talis rei usum: habetque in jure Dominus potestatem rem vindicare intra terminos sui libiti. Si jus sit respectivè ad Deum (nolo enim dicere contra Deum, ne appareat vis aliqua coercitiva, quæ procul à nobis in Deum:) *ipsostante jure*, non potest Deus impedire citra injuriam ne creatura utatur, & fruatur re ipsâ prout velit: quia *stante tali jure*, est Deo solùm possibilis usus non impediendi hos usus creaturæ; unde penès hos se gerit Deus quasi non Dominus. Nota bene, quod dicitur: *stante tali jure*, quod est dicere, volente Deo sic uti suo dominio, ut solum eligat usum non impediendi alteri usus perceptivos utilitatis ex re, quam donat: unde ea impossibilitas est necessariò consequens, ut *mox* explico, & rursus *à num.94.*

Mox num. seq. & à nu.94.

Quartum. 78 *Quartum*: Dominium istud, quod in creatura cõsideramus datum à Deo, est Dei, & est Creaturæ. Sed diversimodè: quod est notandum. Est Dei, *terminativè*, & ut est *usus passivus illius*: est creaturæ, *denominativè, exercitivè, & ut est jus activum ipsius.* Est dicere jus illud non esse jus, quo Deus sit Dominus, & sibi subjiciat usus rei; sed esse usum quo Deus utitur jure suo. At respectu creaturæ non est usus, sed jus, quo est domina, & sibi subjicit usus rei. Hinc colligis primò: Deum dantem creaturæ jus, quasi manumittere creaturam à servitute naturali juxta amplitudinem juris quod dat: unde licèt attento quasi jure naturæ, id est, conditione ipsius creaturæ, sit serva Dei, & nihil habere possit quod non sit Domini privativè: tamen Deus jure novo positivo suæ promissionis, & pacti, tanquam Author Naturæ, quasi dispensat in jure naturali, & penès illos usus, ad quos dat creaturæ jus, vult se gerere quasi non dominum, impediendo sibi eo ipso actu concedendi jus, & eo ipso jure, veluti dato limite suę libertatis in posterum, usus oppositos usibus beneviis creaturæ, & dando cum ipso jure vim & jus contrahendi creaturæ quasi esset privativè domina talis rei.

79 Colligis secundò: quòd eo stante jure, non quicquid acquirit, acquirit Domino, quasi privativè cedat in bona domini: quia acquirit quasi servus manumissus, & cũ jure sibi ea retinendi, vel paciscendi per ea, etiam cum ipso Deo, in creaturæ commodũ: hoc tamen non tollit quominus hæc omnia cedant in summam excellentiam Dei, sic quasi condescendentis cum nostris utilitatibus.

Quintum. 80 *Quintum*: & nascitur evidenter ex præcedentibus: In Deo simul & in creatura posse dari simul, & in solidum ejusdem rei dominium, unum quodque in genere suo perfectum: quicquid sit an dari possit saltem momentaneum, & instantaneum in creaturis, alterâ dante, & acceptante alterâ, ut multi cum Cardinali de Lugo defendunt. Ratio prioris asserti, & illationis est: quia ea dominia sunt diversę rationis. Secundò: quia nequit esse dominium in creaturâ, nisi per usum quo Deus liberè utitur suo Dominio circa rem eandem quantùm vult, & totâ æternitate potest: quin tamen ista determinatio ad hunc usum impeditivum aliorum, sit derogativa divini dominii: nec illa subordinatio sit cõtraria, sed essentialis perfectioni creati Dominii.

Quintum. *Card. de Lugo.*

81 Ratio posterioris est: quia non videtur consequentia nostræ Doctrinæ, ut illi Authores putant, & maximè Arriaga. Ad- *Arriaga.*
de licèt in dante simul & acceptante sit Dominium: certè videtur imperfectum utrumque in eo ipso instanti donationis, & acceptationis etiam quoad lineam creati Dominii. Primò: quia dicit subordinationem ad aliud dominium. Secundò: quia dans est cum gravamine manendi sine dominio, habetque se quasi hæres fidecommissarius, cui annexum est onus transferendi. Tertiò: quia voluntas Domini debet sufficere ad impedidam alteri usurpationem rei: & tunc non sufficeret unius voluntas. Quartò: quia uterque eoipsò instanti potest injuriam pati mutuò ab utroque, patiente discordiam voluntatum, vel pro priori, vel pro posteriori signo ad translationem. Videantur Sparza, *Esparza.* Esforcia, & Aldretus: illi *de justitiâ, & jure*: *Esforcia.* iste hîc *disp. 11. sect. 4. & 5.* *Aldrete.*

82 Satius videtur esse dicere Dominium esse in acceptante, alio nempè transferente non per usum juris, sed libertatis, cui uniuscujusque subjecta sunt jura, vel per legem volentem, ut res sit accipientis, & desinat esse anterioris Domini, eòipsò, quòd velit quòd alter sit Dominus: unde donans

Universidad de Deusto
Biblioteca

non se gerit eo instanti adinstar causæ donativæ, sed efficientis. Sed de hoc alibi. Descendo jam ad usum Doctrinæ, in quâ certè nititur tota disputationis moles, & ad solutionem argumenti.

83 Respondeo igitur negãdo majorem. Ad primam probationem, explicatâ ex *nu.* 76. & concessâ majori (contra nonnullos apud Esforciam existimantes posse Deum obligari ex justitiâ creaturæ, non dando illi jus, sed cedendo juri contra ipsam: quasi operatio, quæ non est actus dominii, licèt non sit contra jus alterius, foret injustitia, quod est perquam falsum) nego minorem: ad istius probationem, & quæ sequuntur, constat ex doctrinis datis *num.* 232. & 233. servum non debere Domino actiones, quas elicit, ut manumissus à Domino: eas enim eoipsò Dominus desinit exigere jure proprietatis; constat deinde, non acquiri Domino, quicquid servus acquirit ut manumissus: constat insuper creaturam, licèt inspecto jure naturæ sit serva Dei, quasi manumitti posse ex jure positivo suę promissionis, & pacti, & accipere jus Deum obligans sine detrimento Divini Dominii. Constat demum jus illud creaturæ, non esse quo Deus est formaliter Dominus, sed quo creatura est Domina, facta eoipsò ex voluntate Domini capax paciscendi cum Deo. Ex quibus ruit tota machina probationis: licèt enim Deus obligari non possit ex jure quod suum est, suitate juris, quo est Dominus; obligari tamen potest ex jure quo alter est Dominus, & etiam est Dei terminativè, & objectivè.

Sforcia Cardinalis

84 Ad Confirmationem dico imprimis, si paritas à statu Religioso valet, neque posse Deum obligari ex fidelitate creaturæ irrevocabiliter; sicut neque Prælatus subdito Professo, quoad usum rei repugnantis voto solemni Paupertatis: æque enim repugnat huic statui obligatio irrevocabilis ex fidelitate, ac ex justitiâ, ut colligi potest ex Sanchez *lib.7. de statu Relig. cap.8. nu.*18 & expendit Arriaga *disp.*11. *de Incarnatione nu.*17 Dico deinde, rationem disparitatis esse, quia Religiosus est summè incapax contrahere, non accedente dispensatione voti, quæ Prælati non est, sed Pontificis, cum quo certè contrahere posset: at creatura contrahit cum Deo, præcedente illa quasi dispensatione, & manumissione servitutis, per gratuitam collationem juris: unde nulla potest esse paritas.

Sanchez.

Arriaga.

85 Ad secundam probationem majoris, ne sit æquivocatio, distinguo majorem: est facultas utendi pro libito possibili, id est compossibili, ita ut nullus sit actus possibilis dominii, qui non possit præstari citra injuriam, concedo: pro libito omni etiam incompossibili, ita ut possit conjungere usus rei incompossibiles, nego: nam talis usus, utpote chymericus, nequit esse actus veri Dominii. Nego autem in hoc sensu minorem.

86 Ad probationem distinguo minorem: cum necessitate sic utendi re, vel faciẽdi injuriam, non stat facultas utendi re pro libito citra injuriam, si ipsa necessitas sic utendi re, sit actus & usus ipsius dominii, non stat cum ipsa facultas utendi re pro omni libito possibili, & compossibili citra injuriam, nego: nam eò ipsò quòd ipsa necessitas sit usus dominii & facultatis utendi re pro libito, necessariò coexistit cum potestate non ponendi talem necessitatem, & sic utendi pro libito citra injuriam. Si ipsa necessitas non sit actus ipsius facultatis, concedo: non autem est sic in Deo, sed in nobis: unde in nobis, & non in Deo dicit obligatio ex justitiâ limitationem Dominii: quippe actus per quem faceret creatura injustitiam, esset actus, qui secundùm se est actus possibilis dominii: at verò actus, per quem fingitur Deus, posse facere injuriam est actus, qui non potest esse dominii: est enim simultaneitas actuum oppositorum ejusdem libertatis, & dominii. Unde quòd Deus maneat obligatus ex *justitia*, non est manere ipsi impossibilem absolutè actum ullum, qui sit Dominii: quare nec desinit esse perfectissimè Dominus. Vide doctrinam *à nu* 69.

Suprà nu. nu 69.

87 Ad primam confirmationem Meratii, nego Majorem: Deus enim uteretur plenissimè quantùm vellet, & compossibiliter posset. Sed permisso argumentis sensu, nego consequentiam: ex *num.*74. & 75. illi enim omnes usus Creaturæ essent ex jure essentialiter subordinato primatio usui, & juri Divini Dominii. Ad confirmationem Ripaldæ est obvia redargutio in obligatione Fidelitatis. Deinde dico, cum ipsa obligatione justitiæ manere totam, eandem, & æqualem facultatem dominii, quæ præcisim ab ipsâ erat in Deo.

88 Malè tamen infertur hinc, quòd sicut manere in ipso debet facultas negãdi vel cõcedendi rem pro libito, manere debeat facultas negandi rem pro statu obligationis; quia hæc non est facultas negandi, vel concedendi, sed negandi simul, & concedendi: quæ facultas nec est facultas Dominii, nec unquã fuit

fuit in Deo. Ratio est: quia ipsa obligatio Dei ex *justitia* est suppositio concedendi rem, quod est unum ex libitis, quæ divisivè respicit Divinum dominium: unde dare Deo facultatem negandi simul cum ipsa obligatione, est, dare facultatem concedendi simul, & negandi.

89 Ad tertiam probationem, patet etiam redargutio faciliis ex obligatione Fidelitatis. Deinde dico eam præmotionem ad summum contingere, quando jus non est subordinatum alteri, & quando illa limitatio quoad usus rei non est libera, & usus dominii ejus, qui sic limitatur in actu secundo quia vult: ut in Deo accidit ex *nu.*77. cujus quasi limitatio, & impossibilitas quoad usus datos creaturæ, est usus specialis Divini dominii, sic & non aliter volentis uti re, quam donat: quare illa impossibilitas solùm est consequens, nec diminutiva dominii consistentis in potestate antecedente.

Suprà nn. 77.

90 Ad confirmationem Amici, fiat imprimis redargutio ex obligatione promissionis, & pacti, quæ non exuunt Creaturam ratione subjectionis, & creaturæ. Deinde nó est casus de quo loquimur, ille quo Deus tollat jus, & fundamentum juris: casus autem noster est, & esse debet, quo maneat jus in creatura: imò quo Deus exerceat suam voluntatem volendo quòd sit Creatura, & quòd sit jus; nequit enim aliter esse jus in Creaturâ: unde vides apertam contradictionem Adversarii: qui enim ex suppositione juris, seu volitionis Divinæ de dandâ re creaturæ, possit Deus annihilare Creaturam, & jus, nisi possit velle simul & nolle? ad hos usus tam apertæ contradictionis, & imprudentiæ extendant Adversarii jura sua: non verò Divinum, perfectissimum æque, ac prudentissimum.

§. III.

INSTANTIA DIFFICILIS: ET ALIA objectio ex servitute.

91 INstabis: Per nos in Deo manet perfectissimum Dominium, non obstante obligatione ex *justitiâ*: ergo si rem deneget, non facit injuriam. Patet consequentia: qui enim utitur jure suo, nemini facit injuriam. Sed qui non potest facere injuriam nequit esse obligatus ex *justitiâ*: ergo Deus non potest esse obligatus ex *justitiâ*. Confirmatur primò: qui habet dominium in rem, respicit ut suam; atqui qui negat rem suam, non facit injuriam: ergo. ecundo: Vel Deus rem denegans facit injuriam, vel non? Si secundum: ergo non potest esse obligatus ex *justitiâ*. Si primum: ergo manet impossibilis Deo aliquis actus dominii citra injuriam: nam committeret injuriam, utendo dominio suo. Sed cui est impossibilis actus aliquis dominii, non est perfectè Dominus: ergo &c.

92 Magister Prudentius cedit huic argumento & fatetur, Deum ita obligari ex justitiâ, ut si rem denegaret, non faceret injuriã, quia manet rei Dominus: imò cõcendit totã hujus controversiæ difficultatem inde exortam, quòd hucusque nemo viam invenerit conciliandi hæc duo: nempe Deum obligari ex justitia; & nihilominus non factarum injuriam, si rem negaret: quia cum eo quòd rem negare non possit sine injuria, stare nequit dominium Dei circa rem. Vnde sibi de viâ adinventâ nimis placet, & plaudit.

M. Prud.

93 Sed totus discursus reipsa est insufficiens, & sibi contradicens. Primò: quia vel illa denegatio est contra jus, & violatio juris alieni, vel non? Si secundum: ergo non est ad rem: nec supponitur ex jure Creaturæ obligatio in Deo ad non negandam rem. Si primum: ergo est injustitia: hæc enim est injustitiæ definitio: & malum ex quocumque defectu. Secundò: quia ipsa denegatio rei, vel excludit suppositionem dãdi jus, vel non? Si secundum: ergo nec excludit suppositionem dãdi rem necessariò imbibitam in suppositione dandi jus: eòenim ipsò quòd Deus det jus, vult ratione ipsius dare rem: sed denegatio rei non excludens voluntatem dandi est Deo impossibilis, nec actus Divini dominii, & aliunde contra jus: ergo esset injuria. Si primum: nulla est quæstio. Tertiò: quia obligatio ex justitiâ intelligi nequit, quin ejus contraventio sit injustitia. Quare omissis aliis contra Prudentium, & alios.

94 Noto primò: Injustitiam necessariò esse contra jus alicujus; nec esse posse actum alicujus dominii. Ratio prioris est, injuriæ definitio. Ratio posterioris: nam usus Dominii est usus rei citra injuriam. Noto secundò: actum negandi rem simul & concedendi, seu actum simultandi actus incompossibiles dominii, non esse actum Dominii, nec esse posse. Ratio est: quia Dominium non est facultas negandi simul, & concedendi, sed negandi vel concedendi: unde actus negandi

solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

solùm potest esse actus dominii ut divisus ab actu dandi. Noto tertiò: suppositionem juris in creaturâ obligantis Deum, esse suppositionem, in quâ vult Deus uti dominio, dando rem: quia ipsa donatio juris est volitio impediendi se, ne res servire desinat Creaturæ.

95 Noto quartò: quod ex præcedentibus fit: actum negandi rem Creaturæ ex suppositione juris esse actum negandi ex & cum suppositione volendi rem non negare, sed dare: unde talis denegatio esse non potest usus Divini dominii, & cùm alioquin fiat contra jus, necessariò fingitur Deus facere contra jus alienum, non utendo jure suo, atque adeò facere injuriam: quæ est Deo impossibilis: non tamen est Deo exinde impossibilis actus ullus sui dominii ex obligatione strictæ justitiæ, ut patet. Impossibilis, inquam, impossibilitate simpliciter, absolutâ, & antecedenti: nam impossibilitas consequens non obest, cũ sit ipse usus Dominii.

96 Dices: etiam ex simplici promissione, vel proposito manet Deo æqualis impossibilitas utendi re: quia cum simplici promissione conjungere nequit negationem rei. ergo si negaret, similiter fingitur habere actum, qui sit actus dominii: tamen nullam facit injuriam. Dico rationem esse, quia ille actus, licèt non esset dominii, non tamen esset contra jus alienum: injustitię autem nõ sufficit non esse actum dominii, sed requiritur esse contra jus alterius: in casu autem simplicis promissionis, nullum supponitur in creatura jus: secùs in nostro. Ex his parum à multis, animadversis

97 Argumenti solutio facilis est. Concedo antecedens: & distinguo consequens: si rẽ deneget, suppositâ obligatione ex justitiâ, seu jure, nego: evitatis, ut potuit, jure, & obligatione, concedo consequentiam. Ad probationem, admisso quod assumitur, nego suppositũ, nempe, quod Deus tunc uteretur jure suo: jus enim non est ad negandum, & non negandum simul. Ad primam confirmationem. Distinguo minorem: qui negat rem suam, simul cum obligatione se gerendi circa rem, quasi non suam, quoad alios usus, exceptâ donatione, non facit injuriam, nego: qui citra talem obligationem, negat, concedo: tunc enim utitur jure suo: nonverò illâ obligatione suppositâ: idque videre est in omnibus, qui vel ex liberâ obligatione, vel ex lege impediunt sibi usus dominii directi, quod retinent: v. g. in Domino directo respectu Usufructuarii: in Domino, cujus bona subjecta sunt vinculo: in aliis, quibus non impedit lex dominium, sed usum, & dant aliis.

98 Ad secundam, fateor in eo eventu ficto rationem injuriæ, & nego manere Deo impossibilem simpliciter aliquem actum sui dominii citrà injuriam: quia omnes actus Divinæ libertatis solùm sunt Deo possibiles pro casu, quo non sit in creatura jus: quia solùm sunt pro casu, quo Deus non velit uti dominio per actum cum ipsis incompossibilem. Unde ex obligatione justitiæ solùm fit, esse Deo impossibilem injustitiam, id est actum, qui nunquam esse potuit actus possibilis Divinæ libertatis, & dominii.

99 Objicies tertiò: si obligari Deum ex justitiâ, non est contra Perfectissimum Dei dominium; ita neque erit contra Dei dominium perfectissimum, Deum fieri servum Creaturæ: sed hoc est falsum: ergo & illud ex quo fit. Minor videtur evidens: repugnat enim ex terminis, quòd Deus fiat servus, & vassallus Creaturæ, sicut & quòd isti obediat. Major probatur: quia licèt Deus venderet & quasi locaret omnes suas operas, & actiones, traderetque dominium in seipsum; faceret volens, & per usum sui dominii: ergo non obstaret perfectioni Divini dominii.

100 Confirmatur primò: quia servitus non dicit in Domino potestatem *jus* injusdict onis de necesse, sed *jus* in operas, & in actiones servi. Secundò: quia si Petrus se tradat in servum Ioanni, in eo instanti, manet sui juris, & cum jure ad suas actiones: quia exercet suam libertatem: sed Deus æquè se semper haberet ac Petrus in eo instanti *juxta nos ex nu* 80. ergo semper maneret sui juris, & servus. Tertiò: quia sicut totalis, & perfecta servitus dicit debitum omnium actionum ejus, qui sic est servus; ita partialis servitus impræscindibilis est à debito quoad partem actionum: ergo & ab obligatione strictæ justitiæ. Sed Deo repugnat tam plena, quàm incohata, vel partialis servitus: ergo & omnis obligatio ex strictâ justitiâ.

101 Respondeo negando sequelam, & probationis assumptum. Ratio sumitur ex Naturâ, & conditione servitutis, quæ constitit in subjectione Personæ, & omnium actionum ejus ad alterius arbitrium adeò strictâ, ut Persona, quæ dicitur cadere in servitutem desinat esse sui juris, & nihil habere possit alteri non subjectum, quasi res moraliter in

inanimis, & libertatis expers: Persona verò, quæ in servitutem recipit, eoipso habeat moralem authoritatem, quâ coercere possit, & cogere ad usus suos quasi rem inanimem, & incapacem *juris* ad resistendum. Patet autem hujusmodi subjectionem ex terminis repugnare Deo respectu Creaturæ, extriusque Naturâ: ex naturâ Dei, quia non potest non esse sui *juris*, & supra omne creatum: ex parte creaturæ, quia nequit non esse inferior, subjecta & subordinata tam quoad se, quàm quoad jura sibi possibilia. Quid simile in obligatione ex justitiâ: ex quâ solùm creaturæ manet subjecta res, quam vult ipsi subjicere Deus impediens sibi alios usus circa eandem rem?

102 Ad primam confirmationem, quicquid sit an Dominium contra servum præscindi possit à potestate *jurisdictionis* in ipsum (quod multi negant;) saltem præscindi non potest ab authoritate coactivâ, & coercitivâ, quæ est quædam eminentialis *jurisdictio*: quæ proinde creaturæ repugnat adversùs Deum. Ad secũdam quicquid de iis quæ inter homines possunt accidere (de quibus sumi potest, & regula, & ratio ex *num.* 80) aliter de Deo sentiendum ex ratione nuper expensâ circa naturam servitutis. Ad tertiam servitus quomodocumque ea præscindatur, præscindi nunquam potest à sui definitione, & essentiali ratione, quam dedimus, & à quâ præscindit omninò obligatio ex *justitiâ*. De materiâ argumenti videri potest Arriaga latè contra Lugum ejus Authorem disputans *disp.* 11. *de Incarnatione sect.* 2. *subsect.* 2. *& 3.*

Arriaga. Lugo.

§. IV.

ALIVD ARGVMENTVM EX IMPOSSIbilitate alteritatis in jure.

103 Objicies quartò: Illi, inter quos repugnat alteritas jurium, sunt incapaces obligationis ex justitiâ, tam activæ, quàm passivæ. Ratio est: quia justitia est ad alterum jure: ergo si Deo non repugnat obligatio ex justitiâ respectu creaturæ, neque creaturæ repugnat alteritas juris, sed esse alteram jure, comparativè ad Deum. At qui creaturæ repugnat ista alteritas *juris*: ergo, & Deo obligatio ex justitiâ respectu creaturæ. Subsumpta minor ostenditur. Primò: quia alteritas juris dicit *jus* independens ab eo, quem obligat: at Creaturæ repugnat *jus* independens à Deo. Secundò: quia creatura est effectus, & naturalis possessio Dei: ergo sicut ipsa magis est Dei, quàm sui ipsius, ita quicquid in ea seminat, vel quicquid ei donat Deus, non minus manet Dei, quàm ipsa creatura: ergo sicut creaturam potest pro libito annihilare, quin ex ejus positione obligetur ad oppositum, ita & quicquid dat creaturæ: ergo & jus, & res, ad quas datur, magis manent Dei, quàm creaturæ: ergo Deus ea omnia respicit ut sua, sub omni hypothesi: quî ergo contrahere potest, aut obligationem subire ob rem omninò suam?

104 Confirmatur primò: Patris ad Filium, & Domini ad servum nequit dari obligatio ex strictâ justitiâ, nec econtrà, ex defectu alteritatis in jure: idque: quia Filius est aliquid Patris; & servus aliquid Domini; & uterque pars, aut res vel Patris vel Domini; atqui omnis creatura est res Dei magis, quã Filius est res Patris, & servus, res Domini: ergo. Confirmatur secundò: obligatio nata ex promissione, vel pacto gratuito, non potest esse ex justitiâ; sed ad summum ex fidelitate. At omnis obligatio, quæ considerari potest in Deo, nascitur ex promissione, & pacto gratuito: quis enim cogit, ut se obliget?

105 Respondeo ad argumentum, concessis reliquis adusque minorem subsumptam, quam nego. Ad primam ejus probationem distinguo antecedens: dicit jus independens ab altero, independentiâ potestatis utendi citra ejus injuriam, id est, tale, ut possit re uti pro libito citra injuriam alterius, concedo. Hoc autem jam habet creatura ex Dei dono. Independens, independẽtiâ emanationis, nego: nam & Emptor habet *jus* emanans à Venditore; & tamen potest denuò cum ipso contrahere per rem emptam: imò & usufructuarius per fructus rei potest contrahere cum rei domino: & tamen *jus* non habet nisi pendens à *jure* Domini.

106 Ad secundam (in quâ facit vim magnã Amicus *hic, & tom. de Iust.*) distinguo antecedens: est effectus, & possessio naturalis Domini, incapax juris, & quasi manumissionis, qualis est res inanimis, fundum, & vinea, nego: capax juris, & consequentis veluti manumissionis, concedo: & distinguo consequens: quicquid in eâ seminat, nõ minùs est Dei, quàm creaturæ, id est, Dei sibi impedientis alios usus, præter usum donatio-

Amic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis, & permittentis creaturæ, se volendo gerere quoad illos quasi non esset Dominus, concedo: Dei nolentis permittere creaturæ rem, ut subjectam propriis ejus usibus, nego. Idque est, quod alibi dixi, supposito hoc jure quod Deus concedit creaturę, rem esse magis Dei quàm creaturæ, substantialiter, & attentà naturà, & excellentia dominii: non verò exercitè, & attentà facultate expeditâ ad usus rei. Nam Deus, sibi impedit per specialem usum sui dominii facultatem utendi aliter re quam donat; & dat ipsi creaturæ, & expedit ipsi facultatem utendi prout vult: id quod non possunt Adversarii negare cùm pariter premat in obligatione Fidelitatis. Sed ut omninò fiat argumento multa confundenti, satis.

107 Nota benè quatuor. *Primum*: Creaturam, licèt sit naturalis possessio Dei titulo creationis, & effectionis, tamen ex permissu Domini posse se gerere quasi Filium emancipatum, & servum manumissum: quia Deus potest facere beneficium non exigendi res, & actiones ex dominio proprietatis, & eas ipsius voluntati dandi cum facultate utendi pro libito citra ullius injuriam. *Alterum*: quod creatura sit annihilabilis, & pariter *jus*, non esse contra nos qui loquimur ex suppositione juris: nam aliter esse non potest obligatio ex *justitiâ*.

108 *Tertium*: esse jura in creaturis diversæ rationis: nam alia sunt merè physica, & indistincta ab entitate rerum & hæc sunt capacia annihilari, eo modo quo creaturæ sint. Alia sunt distincta à rerum entitatibus, & pendent à promissione Divinâ de hoc, aut illo faciendo imposterum, si creatura præstet aliquam conditionem: hæc jura acceptantur à creatura per exhibitionem conditionis; & semel acceptata sunt inannihilabilia: quia nequit Deus facere, quòd non promiserit, si promisit; & quòd non sit exhibita conditio pacti si exhibita sit: & in his duobus consistit creaturæ *jus*, vi cujus inspecta materia obligationis ex parte Dei, manet etiam extrinsecè, & ex *justitiâ* inannihilabilis ipsa creatura. Quomodo ergo, inquies, illud jus manet Dei, si annihilare non potest? Dico, quia dat potens non dare citra injuriam alterius. Instas: quomodo si creatum est, titulo effectionis non manet destructibile saltem in individuo? Dico, quia solùm est creatum possessivè, non effectivè. Pende singula, & expende.

109 *Ultimum*: Licèt jus illud creaturæ, & res, & actiones, maneant Dei, Deusq; respiciat ut suas, posse tamen per illas creaturam cõtrahere ex justitiâ cum Deo. Quia illæ actiones, & res manent Dei sub usu donationis, & per usũ non volendi impedire creaturæ, quos velit usus, atque adeò se gerendi circa hos, quasi res non esset sua imposterũ, nisi accedat creaturæ voluntas. Vnde creatura dum præstat eas actiones per usum aliàs à Deo non exactum nec debitum, & offert Deo, qui se impediebat liberè ab usu talium actionum, exped.t ipsi Deo dominium, & facit quòd res oblata, quæ quoad reliquos usus, exceptâ donatione, manebat quasi non esset Dei ex ipso Dei libito, maneat iterum quasi facta Dei moraliter de novo ex libito creaturæ: quod sufficit ad rigidè contrahendum ex justitiâ: ut patet in casu quo Petrus v. g. det Ioanni equum ad usum unius anni, obligatus non repetere toto anno. Certè si Ioannes primo die anni restituat, satisfaciet ex justitiâ pro debitò valenti quantum valet usus equi per annum: quia ipsi non debebatur. & quasi fit Dominus illo anno à Ioanne, qui sibi retinere posset equi usum pro libito. Ecce Petrus obligatur ex justitiâ per exhibitionem rei alioquin suæ: quia licèt sit rei dominus, habebat dominium liberè impeditum ad usus rei toto eo anno, nisi Ioannis voluntas accederet: similiter accidit in casu nostro, servatâ proportione.

110 Ad primam Confirmationem, negetur imprimis inter servum & Dominum; & inter Filium & Patrem non posse dari obligationem ex justitiâ strictâ. Nam & servus, & Filius committere possunt verum furtum circa bona Patris, aut domini, tenerique ad restitutionem. Sed de hoc dicitur *in tract. de Justitia*. Deinde ea axiomata vera sunt ad summum de Filio non emancipato, aut quasi emancipato; & de servo non manumisso: At vidimus Deum se voluisse quoad plura gerere cum Creaturis non ut merè servis, & parvulis Filiis, sed ut *ingenuis, & majoribus*, quasi manumittendo, & privilegiando, relinquens ipsis, unde cum ipso pacisci, & contrahere possint, ut ex Scripturis discimus.

111 Ad secundam dico non obstare obligationi justitiæ, quòd fundetur in beneficio, seu in aliquâ gratiâ illius, qui postmodùm obligatur: ut patet in eo qui liberè & gratis dat alteri monetam, ex quâ postmodùm subit contractum ex *justitiâ*. Deinde licèt obligatio ex simplici promissione vel proposito solùm sit ex linea fidelitatis, non

non video cur obligatio ex promissione onerosâ, nempe sub conditione operis meritorii non trascendat lineam fidelitatis, & pertineat ad justitiam. Ratio est: quia ea obligatio non solũ fundatur in solâ decentiâ debitoris, qualis est ea quæ præcisè ex Promissione assertivâ nascitur, sed fundatur in aliquo titulo & jure Creditoris, quia nempe ex parte Creditoris, & extra ipsum debitorem existit aliqua ratio, ob quam obligatus est debitor. & hæc ratio est ipsum Creaturę opus, sub cujus onere est facta promissio. Quæ exinde confirmantur manifestè: nam aliter debet Deus gloriam & augmentum Gratiæ justis merentibus: aliter justificationem, Peccatoribus pœnitentibus: Vtriusque promissor est Deus: & ista nusquam & nunquam Merces & Corona dicitur, sicut illa: ergo quia justificationem debet Deus ex solâ fidelitate compatiente secum in donorationem gratiæ: Gloriam autem & augmentum Gratiæ, ex justitiâ.

§. V.

FVNDAMENTVM, ET ARGVMENTA Patris Vazquez.

112 OBjicies quintò: De essentiali conceptu justitiæ, saltem strictæ, & commutativæ, est constituere æqualitatem inter datum, & acceptum; inter damnum, & lucrum; atqui inter Deum, & homines repugnat hæc æqualitas: ergo & conceptus strictæ justitiæ: ergo & obligatio strictæ justitiæ. Vbi enim non est possibile objectum, seu materia propriæ virtutis, repugnat ipsius exercitium: ubi repugnat ejus exercitium, pariter repugnat obligatio, & virtus, quæ necessariò respiciunt exercitium sui. Major sumitur ex moralibus Philosophis, & Theologis, præsertim Aristotele, & Thomâ.

113 Minor probatur quoad primam partem ex Paulo *ad Romanos* 11. *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ex Iob 35. Si justè egeris, quid donabis ei?* Aut *quid de manu tua accipiet?* Vbi manifestè docemur nihil à nobis posse Deum accipere. Et ratio est: quia omnium cùm sit Dominus nihil potest offerri quod non sit suum. Secunda pars est evidens: quia Deus cùm summè fœlix, & beatus sit ex se, nihil lucrari potest per accessum boni creati: æquè enim benè se habet, sive sint creaturę, sive non sint: nihil ergo ex illis, aut ex earum defectu accrescere Deo potest utilitatis, aut nocumenti. Nobis verò maxima utilitas accrescit ex Dei donis ergo quæ Deus dat nobis, sunt magna utilitas nostri, & quæ nos possumus facere propter Deum sunt summa inutilitas respectu Dei: quæ ergo potest æqualitas poni inter inutile, & utile, nisi abusiva, impropria, & imaginaria? qui proinde defectus necesse est recidant in rationem *justitiæ* in ea æqualitate fundatæ.

114 Confirmatur argumentũ primò: quia Nos exhibendo Deo obsequia nostra, non solùm nihil reddimus utile, sed inutile, & omninò suum: ergo obligati non potest ex re accepta. Antecedens est evidens. Consequentia probatur: Tùm quia nemo obligatur ad restitutionem rei suæ: ergo neque ad recompensationem pro suâ re: est enim recompensatio, quædam rei restitutio. Tùm quia obligatio ex *justitiâ* fundari non debet in bonis, quæ aliàs eòipsò quòd sint, debent esse ipsius qui dicitur obligari; sed actiones creaturæ, licèt liberè fiant à creatura, & possint liberè non poni, eòipsò quòd sint, non possunt non esse Dei, etiam teniente creaturâ, quæ ponit: ergo non potest obligari ex illis Deus ad recompensationem, ex obligatione *justitiæ*.

115 Confirmatur secundò: quia *juxta* communem doctrinam Aristotelis, & Sancti Thomæ, nequit exerceri *justum* commutationum, seu obligatio ex strictâ *justitiâ*, sine repassione, retaliatione, vel contrapasso: unde dicitur esse de ratione essentiali *justitiæ* contrapassum: id est: ut uterque commutantium tantum de suo perdat, quantùm de alieno acquirit, seu tantum nocumenti patiatur, quantum commodi accipit, transferendo adinvicem inter se & *jura*, & bona; Atqui Deo repugnat contrapassum: quippe repugnat pati *jacturam*, in translatione *jurium* & bonorum, cùm non transferat abdicatione, sed effectione: similiterque repugnat habere novum commodum: ergo Confirmatur tertiò: quia vel Deus abdicat se aliquo *jure*, dum transfert in creaturam, vel non? Si primum: manet imperfectè Dominus. Si secundum: ergo nihil reparatur. His rationibus maximè nitebatur pro negandâ, Deũ inter, & homines strictâ *justitiâ* Pater Vazquez, quem cum aliis acutis complutensibus imitatur Pater Oviedo. *Vazquez. Ovied. Complutenses.*

116 Respondeo negando esse de rationeessentiali justitiæ, etiam commutativæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

præcisim acceptæ versari circa materiam damni, & lucri; ita ut æqualitas dati, & accepti, quam intendit, debeat in illâ constitui. Quod placet ostendere. Primò: sint Arithmeticus, & Geometra, qui sic inter se paciscantur: Tu hoc anno, doce me Arithmeticam: & ego sequenti docebo te Geometriam. En uterque tenetur ex justitiâ commutativâ docere quam novit artem: & uterque lucrum accipit, neuter damnum; quia neuter, eo quòd doceat artem suam, amittit: non ergo requirit obligatio justitiæ, ut uterque contrahentium acquirat lucrum, & patiatur damnum: licèt communiter inter nos accidat. Imò sicut non est necesse, ut commutantes patiantur damnum, neque necesse est quòd lucrum acquirant. Sufficit enim quòd accipiant aliquid sibi gratum, & æstimabile, & honorificum. Si enim datur aliquid hujusmodi æstimabile, tantique ratione sui genii æstimabile, quanti alii ratione suæ mendicitatis & imperfectionis æstimare solent res alioquin utiles, quid deficit rationi contractûs & justitiæ?

117 Confirmatur: quia *justitia* commutativa non intendit, ut commutantes lucrentur, aut alter eorum, sed ut neuter deterioretur in *jure*: præcipit enim æqualitatem dati & accepti: si ergo non intendit lucrum commutantium, quomodo potest esse contra *ejus* rationem, quod alter commutantium sit incapax lucri? Solùm ergo requiritur, ut materia sit utrique æstimabilis, tam quæ datur, quàm quæ accipitur.

118 Secundò per rationem à priori, quę ex nuper dictis sumitur: quia tota ratio cur humana *justitia* (de quâ Philosophi Morales, & ibi cum ipsis Sanctus Thomas) respicit æqualitatem inter damnum & lucrum, non provenit ex ratione *justitiæ*, sed per accidens ratione materiæ, & imperfectionis nostræ. Homines enim, eatenus res æstimamus, quatenus sunt nobis utiles: res enim, quæ non sunt nobis utiles, curamus, & æstimamus, quasi non essent respectivè ad nos: ferimur enim ipso pondere mendicitatis, & defectûs in bona, quæ & illam & hunc expellant. At cùm Deus aliunde res æstimet, & æstimare velit, nempe ex ratione obsequii, rei sibi gratæ, honorificæ, & aptæ, ut, exhibita Deo, *ejus* Majestatem ostentet, aliisque venerabilem præbeat; licèt res non sit utilis, & lucrosa Deo, datur in ipsâ quicquid humana justitia requirit in materiâ suâ per se, & id omne propter quod requirit de peraccidens utilitatem in illâ, nempe justus titulus ad rationabilem æstimationem dantis, aut accipientis. Sufficiet ergo ad rationem justitiæ quòd talis sit æqualitas inter datum, & acceptum, ut sint æquè æstimabilia: quare si Deo datur res in genere boni honorifici valens decem (quo in genere res extra se Deus æstimat, ut nos æstimamus in genere utilis) det Deus creaturæ tantundem in genere boni utilis, quo in genere creatura res æstimat.

S. Thomas.

116 Adde obsequia ipsius creaturæ, dici posse quodammodò utilia Deo, quatenus vel conducunt ut Majestas ipsius innotescat magis, qui est finis ipsius Dei; vel utilitatem, & lucrum afferunt Filiis Dei, *ejus*que familiæ, in quibus Deus dicitur acceptare quod datur, quasi sibi daretur. Nec ista locutio absonat Scripturæ: Nam Paulus sic loquitur, secundo ad Timotheum 2. *si quis se emundaverit ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, &c.* Et Christus Luc. 2. *Servos Deo utiles insinuat eos, qui* ultra debitum aliqua supererogationis opera præstant.

2. Thimot. 2.

Luc. 2.

120 His ita discussis, non est cur moveatur vocalis lis de voce *dati*, & *accepti*: sonat aliter inter Deum, & homines, ac inter ipsos homines: at proprie sonat, manuducentibus Scripturis, quæ nos jubent, & docent, dare Deo nos ipsos, cor, honorem, omnia. Damus, cùm exhibemus in honorem ipsius, damusque ut propria, quando nec Deus exigit, sed voluit nostro juri relinquere: Deus autem accipit, cùm æstimat ut sibi facta, & accipit ut privativè nostra, & quasi ante non sua, quia hunc usum sibi impediverat, & dederat nobis: quo fit omninò satis argumento.

121 Ad primam Confirmationem, constat exhiberi Deo à nobis rem Deo, non utilem, sed non inutilem ad contrahendum, quia simpliciter Deo æstimabilem; & licèt alioqui suam, damus ex jure reputandi eam quoad usus nobis bene vitos quasi non suam: unde per illius subjectionem ad Dei dominium, contrahere possumus. Quod verò fundetur in ipsius Dei gratiâ, parum refert, quia ex eo non desinit esse nostra, nec æstimabilis ipsi Deo: imò & ex eo est Deo magis æstimabilis, & magis nostra, quia ex eâ gratiâ habemus libertatem, & jus ad illam. Patent hæc in milite pugnante pro Rege, sed Regis equo, armis, & alimento, liberaliter præstitis ab ipso Rege; cum quo nihilominus

minùs si paciscatur miles de recompensatione, si pugnet: Regem obligat ex justitiâ, positâ actione pugnandi.

122 Ad alteram confirmationem nego esse de ratione justitiæ *contractûs*, ut ex *num.* 116. & 117. constare potest: quòd si inter homines communiter accidit, venit ab imperfectione justitiæ, jurium, & materiæ. Eatenus ergo requiritur quædam quasi æquipollentia, quatenus obligatio strictæ justitiæ poscit ex indemnitate *jurium*, quam intendit, ut tanta sit v.g. retributio unius ad alterum, quanta fuit ad ipsum alterius operatio. Nec ad id per se requiritur abdicatio dominii. Ex quibus constat ad tertiam. Videatur Doctor Eximius *in Opusculo de Justitia à num.* 24.

Suprà nu. 116. & 117

Doctor Eximius.

SECTIO IV.

SPECIALIA ARGUMENTA Recentiorum.

§. I.

OBIECTIONES PATRIS ESPARZÆ.

P. Mart. Esparza.

123 Objicies sextò: ex Esparza *lib. 8. quæst. 19. art. 3.* Implicat quòd volitio Divina dandi rem Creaturæ v. gr. Petro, non sit ipsa volitio, quâ dedit Petro jus in eandem rem: ergo implicat quòd volitio divina, quâ vult Deus dare rem Petro, habeatur à Deo ex præsuppositio jure Petri: ergo implicat, quòd ulla volitio Dei possit esse actus, vel actio strictæ justitiæ: ergo implicat in Deo obligatio strictæ justitiæ: nam ubi repugnat Virtutis exercitium, repugnat obligatio, quæ nempe respicit exercitium. Iste est Esparzæ discursus, quantùm ipse opinor. Et secunda consequentia patet: quia actio justitiæ præsupponit essentialiter, & formaliter ex parte illius, in cujus favorem fit, jus activum cui se conformet, & ratione cujus est obligatio dandi rem. Prima consequentia non est evidens minùs: quia volitio collativa juris nequit supponere jus, quod dat: ergo si implicat, quòd Divina volitio dandi rem sit distincta à volitione conferendi *jus* creaturæ in rem ipsam, pariter implicat, quòd volitio dandi rem habeatur ex præsuppositio jure creaturæ.

124 Probatur igitur primò antecedens: quia implicat quòd Deus det creaturæ jus, nisi per voluntatem quâ velit quòd res ipsi serviat, ipsiusque usibus libera relinquatur: nempe ferendo legem de eo quòd res cedat in usus Petri v. g. & quòd eum nemo possit impedire ab usibus rei; sed implicat, quòd Deus velit quòd res aliqua serviat Petro, feratque legem, ut res ipsi cedat, & nemo impediat, quin velit quod Petrus non impediatur ab usu rei: velle autem quòd Petrus non impediatur ab usu rei est necessariò velle, quòd Petrus habeat rem, & velle illi rem dare: ergo implicat, quòd Deus det creaturæ jus, quin eâdem indivisibili volitione det rem, & terminum juris, nempe rem, ad quam dat jus.

125 Confirmatur primò argumenti vis: eatenus Promissio in humanis cum pacto oneroso obligat ex *justitiâ*, quatenus est volitio obligatoria, quæ dat jus alteri, cui Promittens manet obligatus conformare volitionem consequentem dandi rem positâ conditione in pactum deductâ: quare ipsa promissio non est actus justitiæ sed collativa juris, & separari potest à volitione dandi rem. Atqui Divina promissio est necessitas rem faciendi, & ita se habet, ut seipsa posita conditione det rem, quin ulla sit volitio consequens ad *jus* creaturæ: ergo Divina Promissio non potest obligare Deum ex *justitiâ*, quovismodo fingatur.

126 Confirmatur secundò: qui concedit liberaliter, & purè misericorditer alteri rem: v.g. eleemosynam pauperi, ideo non confert ex *justitiâ*, quia volitio dandi non supponit jus in accipiente, sed ea ipsa dat rē & jus ad illam, nempe jus, & terminum juris: ergo si Deus eâdem indivisâ voluntate dat jus & terminum juris, nempe rem & jus ad ipsam, non potest dici quòd conferat ex justitiâ.

127 Pater Petrus Oxea *in doctis Adversariis ad Esparzam* respondet, ut aliqua actio sit ex justitiâ non esse necesse quòd fiat ex præsuppositio jure alterius, neque obstare quòd sit actio conferens indivisim alteri *jus*, & terminum juris: imò id plerumque contingere in strictiori contractu justitiæ, nempe emptionis, & venditionis. Emis ex Petro pro decem, gladium: das ipsi decem & jus ad decem: & accipis jus, & terminum juris nempe gladium, & jus ad gladium. En ubi datur actio justitiæ, quæ non fit ex præsuppositio jure, & cui non obstat, dare indivisim *jus*, & terminum *juris*. Cur ergo non est actio liberalis, sed ex justitiâ? quia non dat gratis jus & terminum juris, nempe quin vicissim

P. Petrus Oxea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipiat aliud jus, & alium terminum juris, id est tantundem valoris, ut facit qui dat eleemosynam Pauperi: sed accipiendo tantum pro tanto, quod est proprium commutativæ justitiæ, nempe pro decem & jure ad decem, gladium, & *jus* ad gladium, quæ sunt tanti valoris.

128 Hæc solutio videtur evidens, & est evidenter falsa. Quia implicat actio virtutis, quæ non respiciat motivum ipsius: Justitiæ autem motivum est jus alterius: ergo implicat actio justitiæ, quæ non respiciat jus alterius: ergo quæ non fiat ex præsuppositio jure alterius. Nec exemplum juvat: nam qui emit, & dat pro gladio & *jure* ad gladium, pecuniam; id præstat ex præsuppositio *jure* habentis gladium: qui eo ipso quòd interfua habeat gladium, habet *jus* ad rem tanti valoris, quanta est pecunia; & jus hoc est jus, ut nisi datâ pecuniâ, vel re valoris æqualis, nemo possit sibi acquirere gladium: habet ergo qui vendit jus ad pecuniam eòipsò quòd qui emere vult, velit gladium: ergo actio illa exercetur ratione *juris* præsuppositi: ergo si repugnat volitio ex præsuppositio *jure*, repugnat volitio qui sit actus justitiæ.

129 Respondere alius posset distinguêdo virtualiter actus in Deo, ut multi distinguunt ordinem intentionis, & executionis, & dicendo, actum collativum juris non esse actum *justitiæ*: esse verò alium, qui subsequitur virtualiter, & innititur *juri*, & ob ipsum vult rem exequi. Sed hic solvendi modus præcisus est ipsa argumenti positione: si enim ipsa volitio dandi jus est necessitas dandi rem, quâ ratione non sit necessitas rem exequendi. Adde has distinctiones, & hos ordines merè à nobis fingi, dû de divinis loquimur, ut ostendimus *lib.3. satis fusè tota disp.1.* Quare

Suprà lib. 3. disp. 1.

130 Respondeo concesso antecedente, distinguendo primum consequens: implicat quòd volitio dandi rem in Deo, habeatur ex præsuppositio *jure* præsuppositione independentiæ, & existentiæ, concedo: præsuppositione motivi, nego hanc & alias consequentias. Nam ut verè Deus exerceat actum *justitiæ* non est opus, ut jus in creatura præcedat simpliciter Divinam volitionem, sed sufficit quòd præcedat executionem rei, in ratione faciendi debitam Creaturæ, & Divinam volitionem, in ratione formali moventis; ut Deus præstet rem, quia debitam creaturæ ratione juris, quod illi confert: eò enim ipsò non habet creatura gratis rem quam à Deo accipit, nec Deus dat gratis, licèt eâdem indivisâ voluntate det jus & terminum juris: quippe dat *jus* & propter ipsum dat terminum juris, qui deinceps sequitur in creatura, quasi res debita, & ad quam habet connexionem fundatam in jure. Nec aliter in Deo præsupponuntur aliarum virtutum objecta, ex quibus dicitur operari.

131 Ad confirmationem fateor ita contingere in humanis, ubi nostrarum operationum tenor est obnoxius maximæ inconstantiæ: haberturque Virtutes, & earum obligationes, & officia in potentiâ valdè lubrica, & facile deerranti à motivis earum: at in Naturâ, cujus in ordine virtutis est maximus tenor, distingui non debet obligatio faciendi ex motivo virtutis à necessitate ex illâ ratione virtutis operandi: quia se obligare, ratione summæ constantiæ, & perfectionis, separari non potest à velle finem obligationis, qui est exercitium virtutis, à quâ oritur obligatio. Non ergo quia Volitio divina non possit esse tempore, vel naturâ consequens ad existentiam juris, desinet ex isto moveri aut fiet minùs idonea, ut ex justitiâ sit: imò quo minùs distat à jure, & quo magis impossibilitat exercitium contrarium, eò magis perfecta erit in lineâ virtutis ad quam pertinet. Nec licet sic virtutes Divinas, aut Dei mores cum imperfectione nostrorum componere.

132 Distinguo igitur minorem: est necessitas rem faciendi, ratione juris, quod in ipsâ creaturâ resultat ponente conditionem pacto deductam, concedo: est necessitas rem faciendi, gratis, & sine ullo respectu ad ipsum *jus* creaturæ, nego minorem, & consequentiam. Ad secundam dicatur: ideò volitionem dandi eleemosynam esse purè liberalem, quia sic dat jus, & terminum juris, ut terminum *juris* non det ex jure: neque enim illa volitio dat rem propter ipsum *jus* quod pauperi confert, sed dat jus & terminum *juris*, quia miser est; & honestum, pauperi subvenire.

133 Objicies septimò: ex *eodem* Esparza *art.* 10. Circa illum, in quo repugnat vera obligatio moralis, repugnat alteri verum jus: quia *jus* parit moralem obligationem in eo contra quem est: atqui Deo repugnat vera obligatio moralis: ergo contra Deum non potest esse *jus* verum: ergo neque in ipso vera *justitia* particularis, & stricta, quæ respicit jus alienum adversùm se. Minor, in quâ est difficultas, probatur: quia obligatio moralis non potest dici metaphysica necessitas rem faciendi, sed vaga necessitas vel rem faciendi, vel peccandi, vel patiendi pœnam: sed ista vaga necessitas Deo repugnat, solùmque competit illa necessitas, siquâ habet: ergo.

134 Tota objectio voce nititur, & falsâ persuasione de eo quòd Divini mores, Virtutes, & harum officia univocâdâ sint quoad omnia cum moribus, & virtutibus nostris, earumque officiis. *Respondeo* igitur nomine moralis obligationis solùm in genere venire obligationem, seu necessitatem ad actus Virtutum, seu in genere recti moris: sive hæc sit determinata, & metaphysica; si nempe Natura quæ ex motivo virtutis operatur, sit incapax deerrare: quæ necessitas perfectior est, & perfectior obligatio moralis, quia in genere moris optimi. Sive vaga, & cum onere culpæ, vel pœnæ; si nempe Natura sit capax deerrare, & reprehendi. Est ergo in Deo vera moralis obligatio, sine imperfectionibus nostræ: & vera justitia, sicut & vera veracitas, vera fidelitas: licèt neque istæ, neque illa pariant eandem, & ejusdem omninò rationis obligationem in Deo, ac in Nobis.

135 Neque de ratione virtutis esse potest sic obligare, ut omitti posset physicè *ejus* exercitium pro contrario. Tendunt virtutes in objectum suum, & quantùm possunt impossibilitant deerrationem ab illo, cujus proinde posibilitas non potest intendi à virtute, sed permittitur ratione Naturæ deffectuosæ, in quâ est, & cujus saltem physicam imperfectionem sapit. Eò ergo est perfectior virtus, quò magis est impossibilis ab *ejus* motivo recessus, atque adeò quò strictior est necessitas operandi, quæ exinde oritur habenti virtutem.

§. II.

OBIECTIONES CARDINALIS SFORTIÆ.

Sfortia Cardinal. Palavic.

136 Objicies octavò ex Cardinali Sfortia *lib.4. Assert. cap.3. à num.* 43. Vbi otiosa est, & nociva obligatio ex strictâ *justitiâ*, concedi non debet; atqui obligatio ex strictâ *justitiâ* in Deo, est otiosa, & nociva nobis, & Deo. Otiosa, quia instituta est pro securitate contrahentium, & ut qui rem accipit ex *justitiâ*, eximatur ab onere agendi gratias: plerumque enim inter homines, ubi fides promissorum est lubrica, & onus gratitudinis incomportabile, nollet homo cum homine contrahere, nisi posset contra ipsum habere judicam actionem, & si subiret onus agendi gratias; atqui ex solâ obligatione fidelitatis in Deo datur summa rei securitas, & nemo potest detrectare onus dulce gratias agendi Deo: ergo.

137 Nociva nobis: quia quod datur ex *justitiâ*, eòipsò eximit à gratiarum actione: sed eximere nos à gratiarû actione nec decet, nec licet: non decet: quia omnia nostra habemus à Deo, & sunt Dei beneficia, imò hæc ipsa, quæ vocamus, onera sub quorum conditione promittit Deus, sunt etiam dona, per quæ nobis favet: contrahimus ergo onus gratitudinis per id ipsum, per quod obligare Deum dicimur ex justitiâ: quod manifestè repugnat: Tùm quia oppositum est de ratione justitiæ: Tùm etiam quia nos manemus obligati Deo ex re acceptâ potiùs quàm ipse Deus, cùm per ea quæ dare Deo dicimur, plus à Deo accipiamus Nos, quàm Deus à nobis: cùm econvertsò ratio justitiæ postulet, ut conditio onerosa sub quâ tenet obligatio ex justitiâ potiùs sit in bonum obligati, quàm obligantis. Non licet: quia sic docemur vitiosi fieri, cùm discamus viam quâ simus ingrati.

138 Nociva Deo: quia si operatur ex justitia, debet habere pro mensurâ operandi voluntatem alienam: id enim est de ratione justitiæ: & id manifestè repugnat Deo non habenti aliam regulam, quam suam bonitatem, & voluntatem. Discursus iste maximè ostendit probabilitatem oppositæ sententiæ.

139 Confirmat Sforcia discursum suum *num.* 50. contendendo repugnare Deo obligationem cujuscumque virtutis, præterquàm in ratione signi, (id est, quatenus ponit aliquid exterius certificans de suâ operatione futurâ; non minùs quam certificare solent obligationes mutuò inter creaturas initæ, ad eum modum quo plura Deus dicitur tantû velle in ratione signi:) ac proinde repugnare Deo obligationem justitiæ. Discurrit sic: Omnis obligatio præscindit, & antecedit ad velle, ad quod est obligatio; atqui nulla potest esse in Deo obligatio, quæ præscindat, & antecedat ad velle: eo enim ipso quòd se velit obligare ad rem, eòipsò vult velle rem, & vult rem ipsam: vult enim omnia necessariò connexa cum illâ obligatione quam vult: Vade semper Divina obligatio volendi, est volendi metaphysica necessitas: ergo nulla potest esse obligatio in Deo. Minor simul exposita, & probata est.

Ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

140 Major ostenditur: quia omnis obligatio ligat obligatum in aliquo instanti ad hoc ut teneatur velle hic, & nunc id quod pro signo obligationis, adhuc non concipitur velle: ergo omnis obligatio præscindit, & antecedit ad velle. Consequentia patet: & probatur antecedens: quia de conceptu obligationis est limitare obligato potestatem honestè volendi id quod adhuc non intelligitur velle, aut nolle: ergo ipsa obligatio nequit in suo signo involvere beneplacitum, & volitionem rei, ad quam diceris obligari: alioquin obligatio æquè te relinqueret solutum, ac antea: quia solutus est, qui solùm vult quod placet, & quia placet, potens non velle, si non placeat: ergo omnis obligatio ligat ad id, quod pro suo signo adhuc obligatus non intelligitur velle: ergo, &c.

141 Respondeo ad argumentum negando minorem. Ad primæ partis probationem dico, cùm de virtute aliquâ controvertitur, malè confundi fructum virtutis, & rationem formalem virtutis. Sunt enim res valdè diversæ, & abinvicem separabiles. Fructus virtutis est, qui nascitur ex exercitio virtutis, ipsique virtuti plerumque est extrinsecus. Ratio formalis virtutis, est finis intrinsecus, quem intendit virtus. Eò autem ipsò quòd detur ratio formalis virtutis, datur virtus quicquid sit de fructu illo extrinseco.

142 Explico me in re præsenti. Certè fructus, qui percipitur in Republicâ ex obligatione *justitiæ* est illa securitas contrahentium, non obstante inconstantiâ Promissionum, & illâ quasi independentiâ à gratiarum actione, sed hic fructus extrinsecus est justitiæ, & æstimatur ut magnus fructus: quia sumus homines cæterà fragiles, & appetentes nulli subjici præterquàm Deo.

Ar est alius fructus virtutis intrinsecus, qui est ejus honestas, quique proinde impræscindibilis est ab actione virtutis, & sumitur ex tendentiâ formali in objectum suum. Implicat ergo in terminis quòd virtus sit otiosa, nisi ubi honestas otiosa sit: at in Deo nequit otiosum dici, quicquid ad honestatem pertinet.

143 Quòd autem obligatio justitiæ in Deo respectu nostri non habeat omnes effectus, quos inter homines mutuò parit, non facit otiosa etiam respectu nostri, quia otiosum nobis non est habere Deum, qui nobis ita benefaciat, ut condescendendo nobiscum velit ipse debere nobis, quæ nulli debet, obligando se nobis ex *justitiâ*, dato jure per pactum, & promissionem suaviter onerosam: jugum enim ejus dulce, & onus leve: ut erigat cum majori solatio infirmitatem spei nostræ. Et certè si objectionis discursus valet, nulla virtus Deo non erit otiosa, cùm ex summâ rectitudine Dei sit Deus necessitatus ne ab honesto aberret.

144 Ad secundæ partis probationem dico: quod datur ex justitiâ, nec fundatur in gratia, eximere à gratiarum actione, ut accidere solet inter homines; non verò eximere quod datur ex justitiâ, si dari ex *justitiâ* fundetur in gratiâ, ut accidit inter Deum, & Nos: qui siquid habemus, quo Deum obligare possimus, habemus ex ejus beneficio, quasi dato jure manumittentis nos, & volentis se nobiscum gerere quasi cum servis manumissis, & filiis majoribus. Non est ergo nociva nobis obligatio justitiæ in Deo, quasi perinde dilcamus ingrati fieri. Nec obstat huic obligationi, quòd quicquid Deo damus sit nobis utile, & donatum ab ipsò Deo, quia sic est donatum ut voluerit esse nostrum, quasi privativè quoad usus ad quos se liberè impedivit relinquendo rem usibus nostris benevisis, & quia nostra utilitas, quæ miscetur in re, quam reddimus, non obest rationi obsequii, & boni honorifici, ex quibus capitibus rem æstimat Deus nullius indigens. Diximus *suprà num.* 120. qualiter æqualitas dati, & accepti pensanda sit, & sufficiat ad rationem justitiæ.

145 Certè si Deus egeret, & dare possemus bona utilia; nec daremus; non possemus obligare ex re acceptâ: at cum ipse non æstimet res ex utilitate sui, cùm non egeat, sed ex ratione boni honorifici: quantumvis res ipsi non sit utilis, obligari potest ad nos ex re acceptâ. Quòd autem exerceri justitia possit per redditionem rei, & conditionis in pactum deductæ, quæ & ipsi, qui reddit non minùs sit utilis, quam ipsi cui redditur, & quæ ab istius dono pendeat, patet in milite qui pro Rege militat, cum armis, & alimento Regis; actio enim pugnandi est ipsi militi utilis, & præstatur ex dono gratuito ipsius Regis; est ipsi utilis, quia ipsi valdè gloriosa est, & fama crescit: præstatur ex dono regis dantis instrumenta pugnæ per arma, & vires ad pugnam per alimentum: & nihilo minùs obligare Regem potest ex justitiâ ad recompensationem actionis, & cautionem antecedenti pacto firmare. Ad tertiæ partis probationem (quâ video Recentiorem specialiter innixum contra sententiam veram) patet ex *nu* 43. cui nihil addendum occurrit.

146 Ad confirmationem dico obligationem ad velle non debere aliter præcedere quàm motivè, id est, ut quis velit ex motivo virtutis, ex quo dicitur operari, quicquid sit an ea obligatio sit necessitas metaphysica vel solum vaga: de quâ diximus *num.* 134. *Suprà nu.* 134. Peccant, qui sic obsiciunt in eo quòd obligationes virtutum, & virtutes in Deo velint quales vident nobis. Certè dum controvertitur, an sit in Deo virtus, & obligatio ex illâ, solùm quærimus, an divina voluntas possit habere exercitium talis virtutis, & velle aliquid ex illâ ratione formali ex quâ qui ex illa virtute dicuntur operari, voluntè. Eò enim ipsò quòd id possit Divina voluntas, & se determinet ad velle, dicimus eam exercere virtutem hanc, aut illam, remque à Deo poni, dum ponit, ex obligatione talis virtutis, non quasi velimus dicere præcessisse in Deo obligationem, ut postea velit; hęc enim genera obligationum nascuntur ex inconstantiâ nostra, sed ab æterno voluisse ut res esset ex motivo talis virtutis: quia ab æterno ex motivo talis virtutis voluit, quòd res foret. Unde patet Adversarios solùm Deo negare obligationes, quales nos patimur: quod & facimus ipsi, non negando Deo virtutum moralium honestatem, quod ipsi faciunt.

§. III.

OBIECTIONES AMICI, ET ALIORUM Recentiorum.

Amicus. & RR. 147 Objicies nonò ex Amico: Nequit transcendere limites fidelitatis ea Virtus, quæ non operatur ex debito orto ex jure activo alterius, sed ex rectitudine solà promittentis: atqui sub quacumq; conditione onerosà, seu onerosà promissione, virtus quæ operatur in Deo retributionem creaturæ, non operatur ex debito, sed ex solà rectitudine Dei promittentis: ergo ea virtus nequit transcendere limites Fidelitatis: ergo nec est virtus strictæ *justitiæ*. Major est evidens.

148 Probatur minor: licèt virtus, quæ inter homines obligat ad implendam promissionem onerosam transcendat communiter limites fidelitatis, at virtus quæ Dominum obligat ad implendam onerosam promissionem factam servo, nempè sub conditione operis onerosi jam Domino debiti titulo servitutis, non transcendit fidelitatis terminos: neque virtus, quæ Patrem obligat ad factam filio sub conditione onerosa operis lege pietatis Patri jam debiti: & ratio est, quia contra neminem acquiritur jus ex actione, quæ sibi debetur: & quia uterque potius operatur in implendâ promissione ex debito suæ rectitudinis, quam ex alieno jure; acquisitio onerosa, seu operis onerosi sub quâ promittit Deus, semper est conditio operis in solidum debiti titulo servitutis, pietatis, & Religionis: ergo virtus, quæ operatur impletionem Promissi sub illâ conditione nequit operari ex debito otio ex jure activo Promissarii, sed ex solà rectitudine promittentis.

149 Hæc non est objectio nova, sed vetustissima sub novis terminis. Nego igitur minorem: & ad probationem constat ea opera creaturæ, per quæ Deum obligat, esse veluti servi manumissi, & filii majoris, ipsius creaturæ arbitrio relicta, neque titulo servitutis proximè debita, quippè non exacta à Deo ex jure, & dominio proprietatis.

150 Objicies decimò ex aliis: Nequit Deus communicare Dominium *jurisdictionis* homini, Deum obligans: ergo neque Dominium proprietatis. Antecedens patet ex repugnantiâ, quòd Deus ut Deus obediat homini: & homo ne gerere se possit cum Deo tanquam ipso superior. Probatur consequentia. Tùm quia, nulla potest assignari discriminis ratio. Tùm etiam quia non minus ex dominio proprietatis Deum obligante sit quòd creatura quatenus Domina Deum ex jure obligans sit Deo superior: præfertur enim Deo quoad usus rei, Deusque manet creaturæ subjectus ex debito non operandi nisi prout creatura velit. Patent exemplo hęc omnia: Nam inter homines, qui Dominus est rei, præfertur aliis, quoad rei usus, & quoad ipso; pendent à nutu Domini.

151 Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est: quia dominium *jurisdictionis* dicit apertam superioritatem in habente, & imperfectionem apertam in passo. Ratio hujus ulterior, & prima est: quia de ratione potestatis *jurisdictionis* est posse dirigere subditum ad suum finem: quis autem finem omnium dirigat ad finem suum, qualis est Deus qui necessariò se ipso & idèticè possidet finem ultimum omnium? unde solùm possunt esse subditi, qui vel non sunt assecuti finem, vel inspectâ sui naturâ non sunt in ipso, vel perfectiorem habere pos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

possint. Quid simile in jure proprietatis, dico est solum, facere ut Dominus possit uti rebus suis? Secunda: quia potestas jurisdictionis exerceri non potest, nisi in capacitas obsequi. Tertia: quia subditus potestati jurisdictionis habet pro sua honestatis regula Domini nutum; quod repugnat Deo.

152 Quarta: quia ratio potestatis jurisdictionis præcedere debet ad actiones inferiorias; & judicium subditi, judicium superioris: oriretur enim subditus, ut honestè agat, sequi judicium, & directionem superiorum. Id quod repugnat Deo: nam ejus judicium necessariò præcedere debet ad nostrum: ejusque volitiones ad nostras: at talis dominii proprietatis non est necessè quod judicium Domini præcedat ad judicia eorum, qui obligati sunt non ledere. Ad id quod ultimò dicebatur accidere inter homines, quòd Dominus præferri videatur aliis, & superior, constat ex *num.* 89. & 102. Deinde fateor aliquando id videri, quatenus videtur esse melioris conditionis dicta rei usum, & habet dominium ab illis independens: at nulla creatura habet Dominium Deum obligans, nisi dependenter, & dependens à Deo, ipsique subjacens quoad omnia excedenti subordinatum. *Suprà nu. 89. & 102*

153 Objicies undecimò, ex aliis, post Delugo *disp. 3 sect. 2. à nam. 49.* Obligatio ex justitia Deo concessa, vel arguit Deum esse saltem partialiter sub dominio creaturæ, vel creaturam non esse plenè, & perfectè sub dominio Dei: quod utrumque repugnat, & ostenditur sequi: nam jus est prælatio quædam, quâ quis præfertur aliis quoad usus rei, fundata in connexione quam quis habet cum re suâ titulo productionis, vel possessionis, vel inventionis, &c. Cùm autem Deus non possit non habere connexionem cum creaturâ, merito cujus præferri debeat: & creatura non possit habere connexionem prævalentem illi, quam cum singulis Deus habet, patet neque Deum posse non habere jus, neque creaturam habere jus contra Deum: alioqui vel creatura fieret Deus, vel Deus desineret esse Deus, & fieret creatura. *Card. de Lugo.*

154 Vrgetur & explicatur difficultas. Nequit dari jus in creatura contra Deum, si in creatura detur incapacitas juris talis, & in Deo incapacitas talis obligationis: atqui in Deo, & in creatura datur incapacitas hujusmodi: ergo &c. Major patet: semper enim ad valorem contractûs, & obligationis attenditur ad hanc regulam, nempe: an in Persona contrahente sit capacitas: Vnde quia homo poterat sua operatione fieri Dominus alicujus domûs, & inventione poterat fieri dominus gemmæ potest fieri Dominus emptione, vel donatione: quia voluntas venditoris, vel donatoris æquivaleret illi connexioni, quam haberet homo, si vel ædificando vel inveniendo factus fuisset Dominus. Similiter homo se tradens alteri in servum, vult illum perinde esse dominum sui, ac si ipsum in bello justo cæpisset. Demum Dominus manumittens, vult perinde se habere cum servo, ac si nunquam captus, vel emptus fuisset: quæ voluntates morales habent moraliter suum effectum: quia in æstimatione prudentum æquivalent statui, quem homo potest habere: quare semper debet attendi Personæ capacitas.

155 Probatur jam minor: quia capacitas ad jus contra aliquem est capacitas status, in quo non sit specialis connexio, merito cujus præferri debeat ille, contra quem est jus: sicut capacitas ad jus contra aliquem ut servum, est capacitas status in quo non sit connexio justæ capturæ respectu illius, qui dicitur servus, sed econtra: unde eatenus quis potest habere jus in aliquem ut in servum, quatenus est capax illum acquirendi titulo justæ capturæ, aut justi pretii. ergo capacitas ut creatura habeat jus contra Deum, & Deus obligetur creaturæ est capacitas status in quo desit connexio, in qua detur jus Dei contra Creaturam, & detur connexio, vi cujus creatura præferri debeat Deo: ita ut voluntas Dei sic de gerendo se cum creatura ac si eam non creasset: quod est idem, ac si creatura non esset creatura, sed Deus, & Deus non esset Deus, sed creatura. Quæ patet esse absurditate plena. Videatur de totius argumenti materia Pater Arriaga, pulchrè dissolvens has machinas Cardinalis de Lugo *tom. de Incarnatione disp. 11. sect. 2. subsect. 2. à nu. 27.* *Arriaga, Contra Card. de Lugo.*

156 Respondeo & fateor me non invenisse hucusque difficultatem, quam commendat Author argumenti: Videoque rationem esse, quia tota fundatur in principiis tribus valde falsis: quibus proinde negatis, necesse est ruat moles tota objectionis. Imprimis nego jus consistere in illa prælatione. Rationem *suprà* dedimus. Deinde nego, ut quis acquirat dominium, necessarium esse, ut possit per omnes alios titulos acquirere, dempto contractu: quasi contractus solùm sit imitativus aliorum: cur enim alii non potiùs sint imitatores contractûs? & certè quis dum contrahit, has volitiones habet? Nego insuper & tertiò, difficultatem præsentem attingi. Neque enim difficultas est, an Deus possit abdicare dominium suum; aut an creatura possit non esse possessio Dei? sed an cum his possit compati obligatio Dei ex justitiâ respectu creaturæ: dicimusque posse, quin exinde sequatur Deum esse, sub dominio creaturæ: nam hoc sonat vim coerciti am juris: aut Deum non esse perfectum Dominum: Nam omne jus creaturæ manet subordinatum dominio Dei. *Suprà à nu. 47.*

SECTIO V.

ARGVMENTA SPECIALIA CONTRA Justitiæ species: ubi nostra Mens circa ipsas.

§. I.

RATIONES DVBITANDI.

157 Objicies Vltimò. Siqua vera justitiæ strictæ virtus, & obligatio poni posset in Deo, vel esset justitiæ Commutativæ, vel Distributivæ, vel Vindicativæ, vel Legalis: nec enim est alia species strictæ justitiæ: nam de potestativâ justitiâ, vel Providentiali, seu in ratione signi, quatenus ea Deus præstat æquando meritis præmia, pœnas culpis, & similia, quasi ex justitiâ procederent, & meliùs, quam in simili præstant ex obligatione justitiæ homines adinvicem, non est quæstio: atqui neque in Deo potest esse virtus justitiæ Commutativæ, neque Distributivæ, neque Vindicativæ, neque Legalis: ergo neque strictæ justitiæ. Consequens est evidens: sicut enim ex Regulâ Topic. Aristotelicâ, qui genus excludit, & negat; eoipso negat & excludit omnem speciem talis generis: ita qui negat & excludit omnem speciê, eoipso excludit, & negat Genus: quia sicut species non est sine genere: ita neque Genus est nisi in aliquâ specie. Minor ostenditur excludèndo singulas species. *Regula ex Topic.*

Contra Commutativam Nuper à nu. 61.

158 Commutativa imprimis excluditur etiam à multis qui justitiam strictam admittunt in Deo. Primò ob rationes, quæ *tactæ jam* sunt, & sunt certè difficiles. Secundò: quia semper videtur durum commutationem fieri rei cum re, quando utraque est illius, qui dicitur commutare: quis enim ex justitiâ teneatur restituere rem suam, aut recompensare, quòd accipit rem suam; aut solvere operas sui servi, & fructus fundi sui? Tertiò & specialiter, quia requiritur ad illud jus, quod dicitur commutativæ justitiæ, ut hi, quos inter exercetur hæc justitia, habeant æqualem æstimationem rerum, super quibus fundatur hæc justitia: quomodo enim potest esse justa commutatio inter eos, qui necessariò discrepant in rerum commutandarum æstimatione? at Deus, & creaturæ necessariò debent discrepare ex infinitâ excellentiâ Divinæ mentis, & nostræ obscuritate: ergo.

Contra Distributivam

159 Distributiva etiam excluditur à multis, conatu licèt impari. Primò: quia reduci debet ad commutativæ obligationem. Secundò quia neque formam justitiæ Distributivæ servat unquam, aut ullibi Deus: elegit enim infirma mundi ad maximos fines, & munera: quod si facerent mundi Principes, peccarent contra justitiam Distributivam. Et ratio disparitatis est, quia Deus, cùm dat munera, dat simul dignitatem ad ipsa: nó ergo dat ratione dignitatis præexistentis: secùs verò Mundi Principes, qui attendere debent ad præexistentem dignitatem, quam sibi quisque particularium in Republica fabricatur.

160 Tertiò: quia Deus cùm largitur munera creaturis, non tam respicit ad dignitatem accipientium, quàm ad Dantis. Certè non respicit ad dignitatem accipientium quasi benefactivam illius qui distribuit, & ex quâ pendeat fœlicitatis augmentum in ipso distribuente. Hæc autem per se attendit Justitia distributiva. Quartò: quia juxta omnes, Justitia distributiva respicit Medium Geometricum in distributione bonorum: idque per se: Nempe quia solùm dat unicuique quod spectat ad ipsum, non absolutè consideratum in se, sed comparativè cum aliis: quatenus dat minus vel plus, quia alii concurrunt, accepturi plus, vel minùs. Id autem non facit Deus, qui reddit unicuique juxta opera sua.

161 Quinto: Justitia distributiva respicit bona alioquin communia, id est, bona destinata particularibus, & nulli determinatè debita, quæ nempe Respublica ex pacto cum fundatoribus inito, vel ex lege conditâ pro suo cõservationis bono, vel qui præest cum imperio ex inito pacto cum Republica, habet quasi in depositio distribuenda cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

proportione ad dignitatem particularium: Id autem solùm videtur esse possibile, ubi fortuna distribuentis pendet à fortunâ particularium: aut quando bona sunt finita, & timor est ne in unum coeant, contra bonum ipsius Communitatis. At horum quid in Deo simile? Adde nulla esse bona, quę Deus quasi communia habeat. Nam Naturalia, & sua sunt, & determinate cadunt in hanc, aut illam exigentiam. Supernaturalia nulli debet etiam indeterminatè.

162 Sextò: Nam *justitia* Distributiva est *virtus* vel totius ad partes: vel partis quæ gerat Personam totius, ad ipsas partes. Septimò: Nam quænam dat Deus ex justitiâ distributiva? Certè præmia dat ex commutativa: jus autem commutativum, & distributivum se mutuò excludunt. Excludi ergo debet à Deo distributiva *justitia*.

Contra Legalem Suarez. Amicus.

163 Legalis excluditur etiam ab ipso Suarez, quem imitatur Amicus. Quia justitia legalis, ut contradistincta à particulari, respicit pro objecto materiali bonum commune, & pro formali jus altum, & excellentius eo quod habet ille, qui talem *justitiam* exercet: Videatur Eximius Doctor *disp. de Just. sect.4. à num.* 6. Sed implicat, ut Deus recognoscat *jus* suo altius, & excellentius: ergo implicat, quòd exerceat actum justitiæ legalis. Vnde ea Justitia, quæ in Deo legalis dici solet, non est strictè legalis, sed Providentialis, quæ, *justitiæ* rationem cùm non habeat, formam tenet. Adde, à Plerisque

Leonard. Lessius.

cum Lessio satis probabiliter existimari, quòd Justitia legalis non sit species strictæ *justitiæ*; sed spectare ad Pietatem; quod si ita sit, licèt Justitia legalis admittatur in Deo, manebit exclusa omnis ratio strictæ *justitiæ*.

Contra Vindicativam.

164 Excluditur demùm justitia Vindex primo: quia multi eam non distinguunt à commutativâ justitiâ: exercet enim actum, qui est, favere juri, dum exigit debitum pœnæ. Secundò: quia multis videtur probabilius, justitiam vindicativam non esse de genere strictæ justitiæ; unde, licèt concedatur in Deo, non ideò concedi debet stricta justitia. Dant rationem suæ opinationis: nam justitia operatur ex debito, & tendit ad reddendum alteri jus suum: at, qui punit, non operatur ex debito: poterat enim condonare: neque enim debet ipse; sed ipsi debetur. Deinde non reddit alteri jus: neque enim qui deliquit habet jus, ut detur ipsi pœna, sed dat alteri *jus* puniendi, si velit.

P. Suarez.

165 Vnde resolvit Doctor Eximius ominò videndus *Opusculo de Justitiâ sect. 5. à num.* 48. Deum in punitione vel solùm operari ex charitate sui, dum *jus* suum vindicat: vel ex charitate creaturarum, dum per pœnas procurat emendationem; vel ex dilectione Prædestinatorum, in quorum bonum, reproborum delicta punit: vel, quod probat magis, ex illâ justitiâ quasi legali, seu rectâ providentiâ, seu justitiâ, & potestate gubernativâ: ex quâ sicut res suo collocat ordine, ita eas, quæ per sui obliquitatem recesserunt ab ordine suo, restituit per condignam pœnam ad ordinem rectæ gubernationi debitum, ut nihil in mundo subtrahi fugere possit æternæ providentiæ leges: nam *quod unâ viâ ab eâ recedit, aliâ viâ relabitur in eandem*, ut inquit Augustinus. Nulla ergo species justitiæ strictæ in Deo est. *Augustin.*

§. II.

QVID DE COMMVTATIVA? ET DISTRIBVTIVA?

166 Respondeo ad argumentum negando minorem. Ad primam probationem *assero* in Deo reperiri virtutem commutativæ *justitiæ*, præcisam, & abstractam ab imperfectionibus nostris. Id enim ex totâ nostrâ Doctrinâ colligitur. Et firmatur: quia conventiones onerosæ, quas init cum creaturis Deus, & quarum pleni sunt sacri codices, strictius debitum fundant, quàm promissiones simplices, & ex solâ fidelitate. Quòd si superiores instantiæ sunt difficiles, solutæ jam sunt, nec difficultas obstat veritati: quid enim difficilius: quàm Deum esse Trinum, & unum: Verbum fieri hominem: & quid verius? Hæc erat prima ratio denuò adducta. *Mens nostra de Commutativâ.*

167 Ad secundam; fateor videri durum, quod docemus, nolenti deponere apprehensiones vulgares, hærentesque nimis nostræ, nostrorumque jurium limitationi. Legantur iterum, quæ *à num.* 107 latè diximus: quibus addo casum facilè pervium, qui possit emollire duritiem existimatam Doctrinæ nostræ. Sit Petrus debitor Paulo Creditori, & debeat centum. Potestne ita pacisci Paulus: si intra dies quindecim, intra quos alioquin debes centum solvere, solveris, nec distuleris: quod alioquin facere justè nequis, dabo quinque? tenetur Paulus ex justitiâ ad danda quinque, etiamsi Petrus die decimo quinto, qui est terminus peremptorius, *Suprà à num.* 107.

torius, solvat. Promissio enim acceptata jus fundat. En Paulus pro suâre facit recompensationem, & licèt rem alioqui debitam accipiat, tenetur ex *justitiâ* solvere. Mollius autem est quod docuimus. Deus enim sibi liberè præimpedit alios usus, (id quod alii vocant, Deum quasi renuntiare;) nec vult opera creaturæ ex aliis titulis sibi exigere.

168 Advertiam imprimis, licèt stricta commutatio fortè exigat hanc conditionem æqualis æstimationis ex parte commutantium; tamen non est solus actus *justitiæ* commutativæ, commutatio: plerumque enim in aliquibus materiis interdicitur commutatio, non tamen exercitium justitiæ commutativæ. Adde, licèt nobis non insit rerum æstimatio, qualis oportet; docemur eam tamen à Deo, qui benè novit, & ipse pro nobis, & pro ipso æstimat, quantum est satis ad commutationem. Sic ignorans pretium adamantis, discis ab alio, de cujus veracitate non dubitas, & sic contrahis cum eodem.

Mens nostra de Distributiva.

169 Ad secundam probationem, quæ mihi difficilior est, & cui ferè succubui, dico, & *assero*, etiam in Deo reperiri virtutem distributivæ justitiæ. Primò ex ratione generali: quia nullam dicit imperfectionem, estque de genere eorum, qui præsunt, ut expendit optimè Suarez citatus. Secundò: quia pacto inito cum Ecclesiâ, & cum ejus capite Christo Domino habet Deus multa quasi facta communia, particularibus Ecclesiæ, ipsiusque, & Christi membris, quæque distribuit Deus prout quisque dignus est, & habet *jus* participandi, eò quòd sit membrum Ecclesiæ, & Christi. Talia sunt: valor sacrificii Eucharistici, suffragia communia Ecclesiæ, & his similia. Et, apud me, tales sunt multi gradus gratiæ, & gloriæ, quos superaddit Deus ultra condignum, quò magis participant *justi* dignitatem membrorum Christi. Sic Granadus. Demùm, si ex majori gratiâ non crescit meritum ad majus præmium, tales judico multos gradus gratiæ, & gloriæ, quos pro dispari dignitate superaddit ex bonis quasi communibus quæ Christus acquisivit sanguine suo, distribuendâ pro singulis, debitâ proportione.

P. Suarez.

P. Granad.

170 Tertiò: quia Deus largitur dona sua *juxta* dignitates quas creaturis confert: unde dicitur *Matth. 25. dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Vbi nota, Deum, cùm dat virtutem, & dignitatem, facere veluti habentis propriam; & in distributione donorum, eam respicere quasi propriam: unde dixit Dionysius *cap. 8. de Divinis Nominibus* laudari Divinam justitiam, *quia omnibus distribuit secundum dignitatem.* Voluit ergo ad mirabilem pulcritudinem Ecclesiæ suæ Militantis, ut in ipsâ esset inæqualitas Personarum, Dignitatum, & Munerum, sicut certè sunt in copioso quovis exercitu: voluitque demùm, ut pro fœlicitate Ecclesiæ *jam* triumphâtis acciperet unusquisque, & præmia & dona cum proportione ad ipsas dignitates: ita, ut quantum unus ordine, & dignitate excedit alterum, tantùm excedat in bonis, & donis, quæ nobis acquisivit suo Sanguine Christus à Patre: exinde est colligere in Apostolis majora privilegia: & in Deiparâ, summa, ratione dignitatis: exercet ergo Deus perfectissimè Distributivam *justitiam*.

Matth. 25.

Dionys.

171 Nec obstant *rationes objectæ*. Non prima: quia jam constitit de pacto inito cum Christo Domino circa bona aliqua, quæ respectu nostri censerentur, quasi communia. Non secunda: quia licèt Deus eligat infirma mundi, elevat ad fortitudinem Cœli, & ad magnam idoneitatem, & dignitatem, cui se denuò conformat in distributione bonorũ. Nec paritas à Principe Humano facit ad rem. Inest enim ipsi justitia distributiva cum multis imperfectionibus.

173 Non tertia: quia licèt Deus tanquam ad finem ultimum, attendat ad se, cùm operatur, vult tamen attendere ad dignitatem accipientium, non tanquam ad regulam honestatis, sed tanquam ad regulam proportionis, sibi liberè præstitutam. Iam, quòd de ratione justitiæ Distributivæ sit respicere dignitatem benefactivam, & quòd ejus finis sit promovere felicitatem distribuentis, verum solùm est de nostra *justitia*, & ratione materiæ, & quod caput est, nostræ indigentiæ: at hæc, extrinseca sunt rationi, & fini intrinseco Distributivæ *justitiæ*. Adde jam Deum respicere dignitatem benefactivam, & felicitativam Communitatis, id est, Ecclesiæ: cujus status certè ex particularium spirituali felicitate crescit.

174 Non quarta: Tùm quia Authore Suarez, non requirit per se Justitia Distributiva semper, & in omnibus hoc medium Geometricum: idque attenditur à nostrâ *justitiâ* potiùs ex finitudine bonorum communium, eorumque divisibilitate, & ex incommodo, quod nascereturur ex omnium devolutione ad Vnum, quàm ex ratione ipsius *Suarez.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

justitiæ, abstractè sumptâ. Tùm etiam quia Deus etiam se gerit comparativè, dum præmia dat: pensat enim jura meritorum & dignitates Personarum. Tùm etiam quia jam constitit, circa quæ bona Deus perfectissimè observet medium geometricum.

Suprà nu. 169. & nu. 170.

175 Non quinta: quia de capite difficultatis constitit suprà *nn. 169. & 170.* illa autè bonorum assignatio, quasi communium, à nobis plerumque fit ex necessitate conservandæ Reipublicæ: aliquando ex liberâ designatione: & sic fit à Deo, designante bona communia ex supernaturalibus, ex pacto cum Christo, vel Ecclesiâ: ex naturalibus ex tacito pacto cum Universo per Creationem ipsam intimato, & acceptato. Non sexta: quia hæc per accidens sunt ad rationem justitiæ: elevanda autem est nostra mens ab his, per quæ serpimus inter nos. Adde Deum esse veluti Partem gerentem Personam totius. Non demùm septima: assignavimus enim

Ibidem suprà.

num. 169 & 170. inter quæ bona possit Deus exercere justitiam distributivam. Mihi difficile est, quòd Præmia ut præmia det Deus ex Distributivâ *justitiâ*. Video tamen à multis dici, quasi Deus & simul attendens ad jura meritorum, & ad dignitatem meritum, ut riusque justitiæ actum indivisibiliter exerceat.

§. III.

QVID DE LEGALI, ET VINDICATIVA?

Mens nostra de legali.

176 AD tertiam probationem, de Justitiâ legali, (quæ talis dicitur, quia adjustat legis, institutæ est in bonum commune) *Censeo* primò eam esse particularem virtutem. Ratio est quia, bonũ commune, & jus ad ipsum est objectũ formale speciale & quod specialem virtutem specificare potest. *Censeo* secundò: eam esse virtutem de genere *justitiæ*. Ratio: quia virtus ad alterum, quæ pro objecto formali *jus* habet, necessariò manet intra genus *justitiæ*.

177 *Censeo* tertiò: probabilius esse eam specie formali non differre à particulari, & commutativâ *justitiâ*, sed solùm specie materiali, seu ratione materiæ. Ratio: quia sicut quivis particularis habet jus strictum in sua bona, ita communitas, aut Rex habet jus strictum in ea, quæ sunt de suo ordine, obligans unumquemque Civem: & ita Civis unusquisque habet jus strictum contra Rempublicam, aut Regem, ut privata singulorum bona tueantur: ergo Justitia hæc legalis, seu quæ legalis dicitur, eatenus dicitur ratione materiæ, & non ratione speciei diversæ: nempè quia prout est in Particularibus respicit jus, quod habet Respublica, aut Princeps circa Universale Regimen: & prout est in Republica, & Principe respicit jus quod unusquisque Particularium obtinet, ut se Respublica, & Princeps justè dirigat, defendatque. Ergo pertinet hæc justitia ad lineam strictæ justitiæ commutativæ. Video his repugnare non paucos, quibus satisfiet in loco.

178 *Censeo* quartò: satis probabile esse, eam specie differre à particulari justitiâ. Ratio: quia dici potest respicere bonum commune ut tale, atque adeò jus altum Principis, aut Reipublicæ prævalens privatis juribus subditorum.

Censeo quintò nihilominùs negari Deo non debere: quia nullam dicit imperfectionem, & est propria Principum: quorum est tueri, & defendere commune bonum, ipsumque præferre bono particulari: unde vix distinguitur à Virtute gubernatrice, & Providentiali. Idque mirabiliter præstat Deus, dum bonum Universi præfert Particularium bono, & ne obstet ordini rerum communi, permittit multa, quæ in se inspecta sunt labes, & monstra Naturæ deerrantis abs scopo suo.

179 Nec obstant *rationes objectæ*. Non Prima Patris Suarez. Tùm quia probabilius est eam Justitiam solùm ratione materiæ dici legalem, neque ipsâ non differre à particulari *justitiâ*. Quòd si dixeris, hinc fieri *justitiam* hanc esse in Deo non posse, quia non est obligatus Particularibus, ut eos tueatur, & defendat, dico non esse obligatum independenter à suo libito: esse tamen dependenter ab illo, satis intimato, & acceptato per creationem Rerum & Universi, vi cujus ostendit se Principis Personam velle gerere. Tùm etiam quia licèt justitia legalis respiciat jus *altum*, & excellentius jure subditorum, non tamen respicit jus altius jure illius, qui operatur ex ipsâ. Nam hæc virtus & esse potest in Communitate, vel Principe, & esse potest in Particularibus, vel in subditis: in his secundariò, & administrativè: in illis, principaliter, & architectonicè. In subditis respicit jus suo altius: in Principe, seu Republicâ respicit jus, subditorum jure excellentius, & altius, non suo: & exinde bonum commune prævalens bono particulari. Sic *justitia* distributiva non solùm est in Principe,

P. Suarez.

pe, seu Communitate quæ distribuit, sed in Particularibus inter quos distribuit: in illis, ut justam distributionem faciant: in istis, ut justam distributionem ferant, & amplectantur. Non *secunda* Lessii, *ex dictis à nu* 176.

Suprà à num 176.

180 Ad quartam & ultimam probationem, de justitiâ Vindicativâ, *Censeo* primò: eam ad speciem commutativæ justitiæ pertinere. Ratio: quia sicut ad justitiam commutativam pertinet servare indemnitatem juris alieni, cur non etiam reparationem juris propri læsi? Unde, quicquid dicat Suarez, non potest non esse actus justitiæ ille, qui ratione *juris* stricti exigit debitum: habet enim pro objecto jus strictum, vi cujus debetur id quod exigit. Cùm ergo actus justitiæ vindicis sit exigere debitum pœnæ, observando æqualitatem & mensuram pœnæ cum culpâ, non est cur non dicatur reduci ad justitiam commutativam.

Mens nostra de Vindicativa.

P. Suarez.

181 *Censeo* secundò: diversimodè exerceri à Deo, & à Principe, seu Iudice humano justitiam vindicativam. Ab his exercetur ex justitia commutativâ, ex qua obligantur Reipublicæ, punire reos. A Deo exercetur ut supremo Principe, qui solùm attendit ad suum jus læsum: unde illi, plerumque non puniendo peccant; non sic, Deus.

182 *Censeo* tertiò: quicquid sit de his, negari Deo non posse Virtutem, ex quâ justè puniat, quos punit, sive hæc sit Providentialis, sive legalis: Deumque nihilominus non teneri ad punitionem. Video tamen secùs sentientem, & loquentem Montoyam videndum de his quæ potiùs nos perstrinxi-

Ruiz de Montoya.

mus, quàm discussimus. Videatur ipse à *disp.* 58 *de Voluntate Dei*. Nòs datâ occasione, de singulis expensiùs discurremus: & rationes objectæ, præoccupatæ jam sunt.

SECTIO VI.

POTEST HOMO ERGA DEVM EXERcere strictam justitiam, & injustitiam & quousque exerceat?

Ripalda. Aldrete.

183 MItto sensus, & censum Authorũ, quos vide apud Ripaldam *disp.* 84. *sect.*1. & apud Aldretum *disp.*15. *de Incarnatione*. Ipse sine ullo citationum strepitu accingor in expositionem Sententiæ quam veram censeo. Id quod præsto exhibendo simul, & probando *quatuor*, ad quas ipsa reducitur, *Propositiones*.

§. I.

NOSTRA SENTENTIA.

184 PRopositio prima: Potest homo erga Deum exercere strictam justitiam. Probatur primò: quia Deus habet jus supremi Dominii erga omnia: ergo potest exigere à creaturâ ex ipso jure proprietatis supremo, quæ velit: ergo potest creatura velle præstare Deo quod exigit, quia strictè debitum, & ratione supremi juris Dei. Id autem est exercere strictam justitiam. Secundò: quia licèt Deus à creatura non exigat operationes ex jure proprietatis, ut potest; tamen creatura potest velle eas offerre Deo ex hoc titulo quòd ad eas habet strictum jus proprietatis: sed hic est actus strictæ justitiæ, ut certè est anticipata solutio, & actus ille, quo Domino non exigenti à me, reddo pecuniam alioqui suam, *quia suam*. Tertiò: quia servus, & Filius possunt exercere strictam justitiam circa Dominum, & Patrem: si enim uter libet furetur aut bona, aut famam: & restituat: redimit commissam *injustitiam* per actum strictæ *justitiæ*: quidni ergo creatura circa Deum, si velit gerere vices veri mancipii, & boni Filii?

185 Dices *specialiter* ex Fassolo: Ius Dei, utpote altioris ordinis, non posse adæquari ab homine: Unde neque potest obligare ex justitiâ, quæ tendit ad actionem exæquativam juris: quemadmodum ob rationem eandem Filius non potest exercere erga Patrem justitiam, sed Pietatem: quia per suas actiones non potest adæquare jus Patris. Lædere tamen potest & Filius jus Patris, & homo jus Dei, & uterque adversùs utrumque committere strictam injustitiam: quia Ius, quò majus, & excellentius, licet eò sit difficilius æquari, eò tamen est facilius lædi.

P. Fassolus

186 Contra primò: quia cavere injustitiam ex motivo non violandi jus alienum, est actus justitiæ: ergo quando fateris possibilitatem *injustitiæ* in Filio, & in Homine contra Patrem, & Deum, hunc saltem actum justitiæ poterit exercere circa utrumque Vterque. Contra secundò: quia licèt jus Dei quasi in actu primo exæquari non possit, quia se potest extendere ad infinita; tamen in actu secundo potest Deus velle non exigere nisi opus finitum: ergo potest exæquari in actu secundo. Sed actus quo volumus reddere totum quod reipsâ hic, & nunc debemus,

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est exæquativus juris alieni, quantùm oportet ad actum *justitiæ*: ergo & ille actus esset actus strictæ justitiæ. Contra tertiò: Quæ Deus non exigit à Creaturâ, ex pacto inito, vel ad quæ Deus non dat vires creaturæ, creatura non debet Deo: ergo solùm habet jus Deus contra Creaturam circa ea, quæ exigit, & ad quæ dat vires: sed hoc *jus* exæquari potest: neque enim extenditur ultra vires ipsius Creaturæ: ergo &c.

187 Dices iterum, *& etiam specialiter* ex Esparza, Justitiam ex mente Philosophi considerare Personas, inter quas exercetur, ut æquales: & aliunde respicere æqualitatem arithmeticam rerum inter quas versatur: & utraque æqualitas respectu Dei repugnat Creaturæ. Prima repugnat, quia Deum inter, & Creaturam est summa inæqualitas, & distantia. Secunda repugnat: quia quicquid creatura præstare Deo potest, est minus jure Divino, & Deo prorsus inutile. *P. Esparza*

188 Contra primò: quia Justitia nec exigit, nec considerat Personas ut æquales *dignitate*, sed *jure*, id est, ut unaquæque habeat rem aliquam suam, & suis subjectam usibus, quæ pari æstimatione censeri possit cum aliâ re propria alterius contrahentis, vel cum jure, cui Persona operans ex *justitiâ*, intendit satisfacere: Atqui non obstante summâ distantiâ inter Deum, & Creaturam potest Creatura habere rem propriam, quæ sit æstimationis æqualis alteri, quam habet Deus propriam, & *juri*, quod habet Deus in illâ: ergo non obstante summâ distantiâ inter Deum, & Creaturam, datur inter ipsos tota æqualitas, quæ est de conceptu *justitiæ*. Minor ex dictis suprà, est evidens. Et major patet in Rege, cujus dignitas, licet suprema sit Regni, non obstat ne Rex cum hominibus sortis infimæ contrahere ex justitia possit. Contra secundò: quia æqualitas quam intendit *justitia* non debet esse inter Vtile, & Vtile, sed inter æque æstimabilia, sive æstimabilitas veniat ratione utilitatis sive aliunde: ut *supra* diximus: & addemus *infra* nonnihil. De supremitate Divini juris dixi *num.* 186. *Supra tota sect. 3. præs. à nu.* 116. *& infrà à nu.* 192.

189 Propositio secunda: Potest homo erga Deum exercere strictam *injustitiam*. Probatur primò, exemplo servi, & Filii, quorum uterque potest contra Dominum, & Patrem committere strictam injustitiam: ergo similiter creatura contra Deum. Probatur secundò: quia Deus est verissimè Dominus, non solùm Dominio *jurisdictionis*, sed etiam Dominio Proprietatis: ergo potest æquè ex utroque exigere actiones, & quoddam quasi tributum à creaturâ. Hæc mihi evidentissima sunt. Atqui creatura negans Deo tributum impositum, operatur contra *jus* proprietatis Divinum: ergo & committit strictam injustitiam: nam quænam alia est ratio strictæ injustitiæ? Potest autem negare: ergo & strictam injustitiam exercere.

190 Probatur tertiò: Materia capax æstimari, æstimatione juris, & dominii est materia capax *justitiæ*, & injustitiæ; atqui in creatura respectu Dei potest dari materia capax æstimari æstimatione juris, & Divini dominii: ergo & materia capax justitiæ, & injustitiæ contra Deum. Major est mihi evidens: nam materia capax æstimari æstimatione *juris*, & dominii est materia capax terminandi arbitrium domini, quâ domini; atqui materia capax terminandi arbitrium Domini, quâ Domini, necessariò est materia capax *justitiæ*, & injustitiæ: nam eòipsò potest in eâ materiâ exerceri actus, vel conformis, vel oppositus arbitrio Domini, quâ Dominus est: qui actus necessariò debet esse vel *justitiæ*, vel injustitiæ: Neque enim est alia virtus, præter *justitiam*, quæ hujusmodi actus vel eliciat, vel prohibeat, ex formali conformitate, vel difformitate cum arbitrio Domini, qua Dominus est. Minor autem est etiam evidens: evidens enim est, Deum, quâ Dominum *jurisdictionis*, & proprietatis, habere subse creaturas, & earum actiones.

191 Dices: sicut ad materiam *justitiæ* requiritur, quòd sit materia lucri: ita ad materiam *injustitiæ* requiritur, quod sit materia damni: cujus cum sit incapax Deus, manet creatura incapax committere strictam *injustitiam* contra ipsum. Hæc est æquivocatio Adversariorum contra quam egimus *supra num.* 116. & videndi præter Suarez denuò sunt Pater Ragusa *disp. 3. §. 6. à num. Verum hoc fundamentum.* Cardinalis de Lugo *disp. 3. num.* 64. & Pater Ripalda *disp.* 83. *num.* 96. *& 97. & disp.* 84. *num.* 7. *Suprà à nu.* 116. *Suarez. Ragusa. Card. de Lugo. Ripalda.*

192 Arguo contra sic primò. De ratione materiæ cadentis in dominium proprietatis non est quòd sit materia lucrifica, vel damnifica, utilis, vel inutilis Domino: ergo neque de ratione materiæ cadentis in strictam justitiam, & injustitiam. Antecedens patet in Deo, ne ultra divager. Probo consequentiam: quia eòipsò quòd de ratione materiæ cadentis in dominium proprietatis non sit materiæ utilitas, vel damnum, sine utilitate, vel damno Domini potest ipsi servari jus suum, vel violari, ut est evidens: atqui servare Domino jus suum, vel violare, necessario est stricta *justitia*, vel injustitia: ergo.

193 Arguo secundò: quia eatenus utilitas, & damnum attenditur à justitiâ nostrâ, & commerciali, de quâ Philosophi veteres, quatenus sine isto, vel illâ, non sunt nobis res gratæ, vel ingratæ communiter, id est, æstimabiles, æstimatione *juris*, & dominii: atqui res præcisim à lucro, vel damno possunt esse simpliciter gratæ vel ingratæ voluntati Domini, ut Domini, id est, simpliciter æstimabiles æstimatione juris, & dominii: ergo. Vnde fit Materiam utilem, vel nocivam *justitiæ* non esse aliam, quàm gratam, vel ingratam arbitrio Domini, quâ Dominus est: quicquid sit de alia ratione utilitatis, aut lucri. Quare nequit violari arbitrium Domini, quâ Dominus est, sine strictâ injustitiâ.

194 Arguo tertiò: quia honor est materia justitiæ, sive illius læsio sit nociva fœlicitati, sive non: nam quòd sit nociva fœlicitati, venit ex eo quòd honor putetur esse inter bona nostræ fœlicitatis: sumus enim imperfectissimi, & ex isti imperfectione, & indigentiâ putamus esse bona, quæ reipsà nobis non insunt: quòd verò sit materia justitiæ venit ex eo quòd nos habeamus jus strictum ad ipsum honorem: sed Dei honor est maximus, & jus ad ipsum, summum: ergo licèt honoris divini læsio non sit nociva Deo erit stricta injustitia.

195 Arguo quartò: quia sicut justitia in nobis respicit utile, & damnum prohibet: ita Amicitia tendit ad quærendum utile amico, & vitandum ipsi damnum: Fidelitas ad implenda promissa facta in commodum Promissarii: (nam promissio de re indifferenti nihili æstimatur) & gratitudo ad compensandum bonum utile per aliud. At nihilominus amicitia nostra erga Deum, gratitudo, fidelitas, aliter materiam respiciunt, & requirunt: neque enim ad eas requiritur, aut respicitur quòd materia sit Deo utilis, quam offerimus, vel damnosa, quam vitamus, sed ipsi grata, vel ingrata, & æstimabilis aliundè: ergo similiter justitia. Quòd si propter calamum Aristotelis requiri debet utilitas, vel nocumentum ad æstimationem propriam materiæ cadentis in justitiam, aut injustitiam, cur non etiam ad æstimationem materiæ cadentis in amicitiam, fidelitatem, & gratitudinem: quo facilè hæ virtutes à nobis erga Deum relegabuntur. Est ergo injustitia, violatio voluntatis Domini, sive noceat, sive non noceat. *Aristoteles*

195 Propositio tertia: Homo reipsà exercet strictam injustitiam cõtra Deum in omni peccato, per se loquendo. Dico *per se loquendo*, ut occurram casibus illis, in quibus vel cum probabilitate opinionis oppositæ, vel sine advertentiâ, etiam interpretativâ, suæ obligationis à jure divino manãtis, quis peccaret: quibus de casibus loquar apertiùs *à num.* 218. Ducor in hanc sententiam primò: quia conformior est *Sacræ Scripturæ, Sactorum Patrum, & communi* apprehensioni Fidelium. De quibus videri debet Doctor Eximius *tom. 9. de Gratiâ lib. 7. cap.* 14. *à num.* 48. Adeò multa rem in hanc disputans, ut vix quidquam opportunè superaddi possit. *Infrà à nu.* 218. *P. Suarez.*

197 Ducor secundò: quia Deus habet dominium perfectissimum, à quo dimanant omnia jura, & homo non habet aliud jus in creaturas, vel actiones suas, quam quod ei à Deo conceditur. Non autem videtur rationi, aut Sapientiæ Divinæ consonum voluisse dare homini *jus* in creaturas, & actiones, quas ipse prohibuit: ratio: quia cùm Deus curet viis innumeris arcere hominem à peccando, congruum est ei minuisse titulos ad peccandi licentiam, quale esset dominium in eas creaturas, & actiones alioqui prohibitas: sciret enim homo, licèt alioquin sibi forent illicitæ, tamen non esse sibi illicitum earũ usum titulo dominii, seu ex defectu dominii. Nunc sic: ergo omne peccatum est usus, & contrectatio rei alienę, invito simpliciter vero Domino. Atqui contrectatio rei alienæ, invito simpliciter Domino, est injustitia stricta: ergo omne peccatum est injustitia stricta.

198 Ducor principaliter tertiò: quia Deus, verè, *ex Propheta*, Dominus, & Legifer noster, ex utroque *jure*, Legislatoris, & Domini, præcipit, & prohibet: ergo omnis transgressio legis est indivisim transgressio, & violatio juris supremi, & stricti: ergo qua necessitate peccatum omne est transgressio legis: est in præsenti providentiâ præceptiva transgressio, & violatio juris: ergo & stricta injustitia. Consequentiæ benè descendunt ex antecedente: quod probo primò: quia Deus præcipit, & prohibet nobis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis, ut servis, & interponendo titulum servitutis nostræ: sic enim colligitur apertè ex Scripturis, ex quibus diserte apud Sanctum Thomam *in Catena* Cyprianus: *Deus*, inquit, *à nobis petit famulatum jure servitutis*: sed servitus est relativa ad dominium proprietatis, ut tale: ergo Deus præcipit, & prohibet, ut Dominus proprietatis.

S. Thom. Cyprianus.

199 Probo secundò: quia vix in Scriptura inducitur Deus præcipiens, & prohibens, nisi interposito jure *Domini*, per hæc, aut similia: *Ego Dominus, & Deus vester: Hæc dicit Dominus*, viderique possunt iterata tertio quoque verbo in promulgatione legis, *Deuteronom.* 4 & 5 Nec est credibile Scripturam solùm loqui de dominio jurisdictionis, cùm vox *Dominus* simpliciter, & absolutè sumatur pro Domino dominio proprietatis. Adde hoc etiam dominium satis contradistingui ab Scriptura, cùm in ipsa promulgatione legis contraponat servitutem, quam debet populus Domino præcipienti, in obediendo, illi servituti à qua Populum suum eduxerat in *manu forti, & brachio excelso*: unde mihi videtur ita Scriptura rem in hanc loqui, ut casu quo Deus exigeret actiones præceptas ex jure suo proprietatis, non deberet aliter loqui.

Deuteron. 4 & 5.

200 Probo tertiò: Deus interponens jus supremi Dominii, dum præcipit, ut reverà interponit, de eo dominio intelligi debet vi cujus major horror incuteretur hominibus, ne transgrederentur præcepta Domini: & vi cujus manerent homines magis obstricti Deo, & cum horrore majori ad transgressionem: hæc enim certè videtur causa cur toties Deus in præcipiendo, & prohibendo se Dominum, & Deum appellet. At inter homines major horror incutitur ex jure servitutis, & ex dominio proprietatis, quàm ex præciso dominio jurisdictionis: horrere enim incipimus id unde timere justè possumus: ergo intelligendus est Deus loqui de suo dominio proprietatis, dum interponit, in præcipiendo, aut prohibendo, Dominium.

201 Ducor principaliter quartò, & specialiter de peccato mortali; omne peccatum mortale est vilipensio Divinæ Authoritatis, & Majestatis, contemptus ipsius, & actus, quo Deus postponitur non Deo; atqui vilipensio Divinæ Authoritatis, & Majestatis, contemptus ipsius, & posthabitio est stricta injuria, & injustitia: ergo omne peccatum mortale est stricta injuria, & injustitia. Major ex triplici capite est evidens, tùm quia Deus interponit suam authoritatem in præceptis, vult enim ea servari: quia ipsi placent. Tùm quia intuente Deo, transgressio fit, & à vilissimo mancipio. Tùm demùm: quia præfertur bonum infimum summo. Minor ostenditur primò: quia talis vilipensio, contemptus, & posthabitio nequit fieri sine apertà, & formali *factura* honoris Divini: consistit enim honor in testimonio excellentiæ alienæ; atqui nequit committi jactura honoris alieni sine injustitiâ strictâ: ergo. Secundò: quia Deus habet jus proprietatis ut præferatur omni non-Deo, ne vilipendatur, & contemnatur: ergo omnis actus, quo vilipenditur, & contemnitur, & quo posthabetur alicui non Deo Deus, est necessariò contra jus proprietatis Divinum: ergo necessariò est stricta injustitia.

202 Confirmatur primò: omnis contumeliosa, indigna, & probrosa Personæ dignæ tractatio est strictè injuriosa: munus enim justitiæ est, ut quævis persona tractetur, ut digna est, & sine probro, & contumelia. Atqui omne peccatum est contumeliosa, indigna, & probrosa tractatio Dei infinitè dignæ: nam ejus authoritas, & dignitas alioquin summa, in ejus oculis vilipenditur: ergo est stricta injuria omne peccatum. Confirmatur secundò: omnis positiva irreverentia est contra honorem illius contra quem fit: & omnis actio contra honorem alterius est stricta injuria: atqui omne peccatum est positiva irreverentia Dei: defertur enim lex Dei, pro cujus observatione interponit Deus Majestatem suam, & voluntatem, & deferitur cùm contumeliâ, nempè ipso inspectante.

203 Confirmatur tertiò: quia omnis actio, quæ continet crimen læsæ majestatis, est strictè injuriosa Principi in humanis: omnis autem actio contra legem, pro cujus observatione interponitur Dignitas Regia, continet crimen læsæ majestatis, præsertim, si in præsentiâ Regis fiat: Atqui Deus pro omnis legis à se latæ, & per synderesim promulgatæ observatione interponit suam dignitatem: legum enim omnium, quas Deus fert, finis est Deus, & Dei dignitas: imò legis transgressio eatenus est mala, quatenus Deo mala, id est, Deo displicens; & eatenus vitiat, & maculat transgressorem, quatenus per ipsam fit aversus à Deo volente rem præceptam, & in eâ sibi complacenti, dignoque cui placendum sit in eo quod vult: ergo

go omnis actio contra legem Dei latam, & promulgatam per synderesim, & conscientiam uniuscujusque est, & continet crimen læsæ Majestatis Divinæ: ergo est strictè injuriosa Deo.

204 Confirmatur quartò: ideò rapina addit malitiæ, & injustitiæ furti, specialem malitiam injustitiæ, quia injustitiæ furti addit rationem contumeliæ, nempè quòd, in oculis Domini, violenter res auferatur: quod est contra honorem ipsius, & in ejus contemptum: usque adeò ut plerumque in genere furti actio sit levis, & in ratione contumeliæ sit gravis injustitia, vel econversò: atqui omnis actio peccaminosa est usus rei invito Domino, & ipso inspectante: ergo est contra honorem ipsius, & in specie contumeliæ: ergo & in specie strictæ injustitiæ.

205 Propositio quata: Homo, dum peccat, indispensabiliter per se exercet strictam injustitiam contra Deum. Unde omne peccatum essentialiter per se, & ex genere suo est stricta injuria, & injustitia contra Deum. Illatio benè sequitur ex *facta* propositione, quam probo primò: quia fieri nequit, ne homo, dum peccat, faciat id quod displicet Deo, & id, quod ne fieret, interposita est ejus dignitas, & authoritas; idque ipso Deo inspectante: ergo fieri nequit, ne Deus inhonoretur ab homine peccante: ergo fieri nequit, ne committat injustitiam.

206 Secundò: *jus* illud de quo *nu.* 201. quod habet Deus, ut placendum ipsi sit in eo quod velit, nevè indignè tractetur, tale est, ut ipsi nequeat Deus cedere, vel quasi cedere respectu creaturæ: ergo omne peccatum est indispensabiliter cõtra jus Divinum: ergo & stricta injustitia. Antecedens ostenditur. Tùm quia ea quasi cessio esset quædam prodigalitas irrationalis. Tùm etiam: quia *jus*, ne malè, & indignè existimetur de Deo, est indispensabile: quidni pariter jus ne fiat in ejus oculis, quod ipsi displicet? Tùm etiam: quia voluntas, quâ Dominus tollit obligationem, est voluntas faciendi alteri licitum usum rei, quasi ipse non esset Dominus, ita ut rei usus maneat licitus pro arbitrio ejus cui tollit obligationem: atqui Deus nequit ulli creaturæ facere usum irreverentiæ, & inhonorationis Divinæ licitum, quasi Deus non esset honoris sui Dominus.

207 Dices: at potest facere ne talis usus sit illicitus titulo sui juris, & dominii. Contra: quia non potest facere ne sit contra ejus honorem: quomodo enim Princeps, faciat, ne fiat contra suum honorem ab eo qui in suis oculis parvipendit leges quibus annexa est Dignitas Regia? ergo nequit facere ne lædatur ejus honor, & jus ad ipsum. Tùm etiam: quia posse id facere, esset prodigere irrationabiliter jus Divinum.

§. II.

OBIECTIONES IN OPPOSITVM.

208 Objicies primò: ut actio sit injuriosa Deo, non sufficit quòd sit contra Dei præceptum, sed necessariò debet esse contra ipsum Deum utentem in præcipiendo, vel prohibendo, suo speciali dominio proprietatis: qui enim transgreditur præceptum Prætoris mandantis ornari vias publicas non est injustus, sed inobediens: nempè qui a Prætor non dominio proprietatis, sed jurisdictionis utitur præcipiendo. Unde ergo constat Deum, dum præcipit, aut prohibet, uti Dominio proprietatis?

209 Confirmatur: quia peccatum, veniale præsertim, non est cur dicatur injuria Dei. Tùm quia qui venialiter peccat, pluris æstimat Dei amicitiam, quàm cætera omnia: cùm nihilominus paratus sit omnia contemnere, ne faciat actionem dissolutivam amicitiæ. Tùm etiam: quia non attingit lineam contemptus, inhonorationis, aut contumeliæ contra Deum: Nam Regis legem etiam in ejus oculis violare in re modicâ, & vix evitabili, quis censeat Regis contumeliam, inhonorationem, aut contemptum? Tùm quia aliter vix veniale poterit excusari a linea gravis inordinationis & malitiæ. Tùm demùm: quia actio quæ componi potest cum amicitia, imò & cum amore Dei super omnia, non potest esse talis, ut mereatur nomen injuriæ, & injustitiæ: esset enim genus inimicitiæ: quod repugnat ex ipsis terminis.

210 Respondeo ad argumẽtum: Primò, *fam constare a num.* 198. Deum suo dominio proprietatis uti dum præcipit in præsenti Providentia. Secundò: ex *nu.* 201. constare, quòd licèt Deus non præcipiat, aut prohibeat ex jure proprietatis circa rem prohibitam, vel præceptam; tamen rei præceptæ, vel prohibitæ observatio fiat, ex conditione præcepti, vel prohibitionis, materia *juris* divini Proprietatis indispensabiliter. Tertiò, disparitas de transgressione præcepti Divini ad transgressionem humani est: quia illa necessariò est contra Dignitatem præci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pientis, cui tanquam fini, obligatio potissimùm servit: ista necessariò non est contra dignitatem præcipientis, plerumque intendentis alios fines in imponendâ obligatione distinctos à suæ Dignitatis, & Authoritatis amplificatione, & tuitione: illa necessario est fugienda, quia præcipienti displicet: ista necessariò non est ideò fugienda, quia displiceat præcipienti: illa necessariò continet crimen læsæ Majestatis: non ista. Adde Patrem Martinon *in* 1. *p. disp.*16. *sect.*4. *num* 34. in omnis præcepti transgressione fateri rationem *injuriæ*, quia omnis transgressio adversatur *juri*, quod superior habet ad utendum suo dominio *jurisdictionis*; atqueadeò quatenus adversatur huic juri erit injurius, qui præcepta transgreditur; & quatenus non defert honorem debitum præceptis, erit inobediens.

Martinon.

211 Ad confirmationem, fateor mihi videri valde probabile, quòd Veniale peccatum non sit injuria, & offensa, nisi abusivè, & secundùm quid. Nihilominùs dico esse de genere offensæ, & injustitiæ levis: quia leviter opponitur Voluntati & arbitrio Veri Domini *jus* habentis, ut sibi placeamus in omni quod vult. Non tamen dicerem, venialia peccata esse in linea contumeliæ, inhonorationis, & contemptûs: quia istæ species vix patiuntur respectu Dei parvitatem materiæ: Tùm etiam quia status amicitiæ obstat, ne actio, quæ cum ipsâ componi potest, censeri debeat moraliter contumeliosa, inhonorativa, & contemptiva illius, cujus reipsa amicus es, & esse desideras; licèt non obstet, ne aliqua actio fiat ab amico aberrans à voluntate alterius amici, ipsique contraria, atque adeò leviter injusta, & injuriosa. Ex quibus patet ad ea quæ præsertim ex Aldrete objecta sunt. Quòd si horror non sit in levi contumelia, levi inhonoratione, & levi contemptu Dei, facilior erit, & aperta solutio.

Aldrete.

212 Objicies secundò: Nam si peccata sunt in specie injustitiæ, quia Deus præcipit, aut prohibet ex dominio proprietatis, juxta doctrinam *à nu* 198. omnis observatio præcepti Divini, omnisque peccati evitatio exigetur à Deo in præsenti providentia ex suo dominio proprietatis: eruntq; proinde actiones Deo aliundè debitæ, tanquam Domino proprietatis, ut servi actiones sunt debitæ domino. Id autem manifestè repugnare Doctrinis supra jactis ostendo: nam exinde plures, & ferè innumeræ actiones nostræ meritoriæ erunt hujusmodi; per eas enim & præcepta servamus, & peccata vitamus: ergo per eas obligare non possumus ex Justitiâ Deum ad remunerationem in ratione dati, & accepti.

213 Consequentia patet: nam ut homo Deum obliget ex justitiâ in ratione *dati*, & *accepti* per actiones meritorias, se debet in illis gerere tanquam servus manumissus, & Filius major, habereque dominium in illas, tanquam in actiones suas, liberas ab omni obligatione justitiæ. Id enim sequitur ex *supra* positis. Atqui Deus remunerat ex justitiâ obligatus à nobis per actiones meritorias in ratione dati, & accepti, ut ex Scriptura, & Patribus supra colligebamus: ergo vel pugnantia loquimur, vel Deus res præceptas non exigit ex dominio proprietatis.

*Supra à nu.*107.

214 Respondeo primò: aperuisse nos viam *nu.* 201. quâ defendi possit omne peccatum esse injustitiam, licèt Deus non præcipiat, aut prohibeat ex jure proprietatis; utens enim solo *jure* jurisdictionis, facere potest evitationem peccati materiam Domini divini proprietatis: juxta quam doctrinam dici potest, imprimis, præcisam evitationem peccati, quæ nempe secundùm se præscindit, & plerumque poni potest seorsim à ratione obsequii (potest enim evitari peccatum per actum naturalem, vel saltem per actum ex objecto non cadenti in præceptum) esse debitam Deo ex justitiâ: rationem verò obsequii, & actûs honesti meritorii manere homini liberam ad omni obligatione justitiæ. Unde actiones meritoriæ manent aptæ, ut etiam in ratione dati & accepti possint obligare Deum ex justitiâ. Deinde dici potest, eas actiones, quæ ut meritoriæ requiruntur determinatè ad evitationem peccati, esse ratissimas, nam præcepta, quæ limitent intensionem, & objectum formale, rarissima sunt: de eisque dicetur quod in tertia solutione.

215 Respondeo secundò: Licèt Deus præcipiat, aut prohibeat ex directo dominio proprietatis, adhuc tamen actiones, ut offeruntur à creatura, manere liberas ab obligatione justitiæ: unde interveniente pacto potest per eas obligare Creatura Deum in ratione dati, & accepti. Ratio est: quia neque Deus exigit in tempore determinato, neque in determinata intensione; neque ex determinato motivo: unde subest dominio Creaturæ, actio, quæ offertur, ut talis est.

216 Respondeo tertiò: quod licèt actiones

nes meritoriæ, quas ex præcepto damus, sint aliunde debitæ ex justitia, tamen possent obligare Deum ex justitiâ ad remunerationem, interveniente pacto & promissione, nõ ratione dati & accepti continente contractũ mutuum, & utrique parti onerosum, sed ratione pacti, & promissionis, dicentis contractum, seu quasi contractum non mutuum Dei volentis dare jus creaturæ, quin ipsa debeat ponere aliquid aliunde nõ debitum ex *justitiâ*, sed aliunde debitum. Unde argumentum multipliciter solvi potest. Adde merito condigno contingentem esse obligationem ex *justitiâ*, ut communis opinio fert.

217 Objicies tertiò: Potest quis peccare cum ignorantia invincibili circunstantiæ, quade loquimur, nempe *injustitiæ* contra Deum, aut ex opinione probabili, quòd peccata non sint stricta *injuria*, vel injustitia contra Deum: quæ opinio cùm probabilis sit & multorum, necesse est excuset multos qui peccant à labe injustitiæ: non enim est credibile eos, qui contra nos opinantur in præsenti, dum peccant, nolle uti suâ opinione: ergo multa peccata sunt quæ non sunt stricta injustitia contra Deum: imò contingere potest, ut nullum imbibat labem strictæ injustitiæ.

218 Respondeo primò, hos casus esse peraccidens, nec obstare veritati Asserti nostri, dicentis peccata per se continere rationem *injustitiæ*. Respondeo secundò: hunc discursum assequi ad summum, siquid assequitur, ne omnia peccata sint formalis injustitia contra Deum: non verò, ne materialis injustitia sint, quod veritati propositionis assertæ sufficere, censet Martinon, & Ripalda.

Martinon. Ripalda.

219 Respondeo tertiò: negando imprimis posse quem peccare cum invincibili ignorantia de eo quòd contra Deum injustitiam committat. Ratio est: quia nemo peccare potest sine advertentia circa tria. Primum, se operari sponte & liberè contra dictamen rationis, & Deum. Secundum, se contrariari, & opponi Deo Displicenti, & invito, & videnti. Tertium, Deum esse cunctis anteferendum ratione suæ dignitatis, & *juris*; seque vel seipsum, vel aliquid præferre ipsi Deo: qui autem sponte, & liberè operatur contra alium invitum, cujus dignitatem, & jura scit, se operando sic, vilipendere, necessariò videt se injuriam, & injustitiam committere: unde ratio malitiæ moralis impræscindi nequit à ratione injuriæ contra Deum. *Deinde* nego illam opinionem esse *practicè probabilem*: ratio est, quia est cognitio quæ in praxi relinquit omnes alias cognitiones, quibuscum impossibile est non committi injuriam: nam neque qui sic opinantur, possunt in eo, qui peccat, negare advertentiam ad tria, quæ dixi.

220 Neque excusat dicere, ea tria non sufficere ad contrahendam malitiam *injustitiæ*, vel saltem id esse probabile. Non, inquam, excusat: quia aliud est, si ea sufficiant, nihilominus esse probabile, non committi injustitiam: & hoc est falsum: aliud est, esse probabile ea non sufficere: & hæc opinatio non obstat, ne contrahatur tota malitia, quæ ex illis advertentiis derivatur: atqueadeò est opinatio impertinens, & Deo injuriosa, cum velit excusare à labe *injustitiæ* illum, quem fatetur agere sponte contra Dominum invitum, ejusque dignitatem & jura, non minus ac si vellet excusare à labe inobedientiæ, quem fateretur agere sponte contra præceptum cognitum superioris.

221 Objicies quartò: *Scienti, & Volenti non fit injuria*, ex Regula 27. *Juris in sexto* unde sumitur communis Theologorum, & Jurisprudentium sententia, quòd fieri non possit injuria, nisi ubi Dominus est simpliciter invitus, & patitur. Atqui Deus non est invitus simpliciter in actu peccati. Primò: quia potens facilè impedire, non impedit. Secundò: quia ultrò, & sponte confert concursum ad illud. Neque satis est dicere, Deum per affectum inefficacem nolle peccata committi: Nam affectus inefficax non obstat perfecto voluntario.

Reg. 27. *Iurisin* 6.

222 Confirmatur: Quod fit ex libero, decenti, & spontaneo permissu alicujus Personæ, nequit esse offensa contra ipsam; atqui quævis actio creaturæ, quantumvis prava, fit ex libero, decenti, & spontaneo permissu Dei, aliter implicans fieri: ergo nequit esse offensa contra ipsum. Minor est evidens. Major ostenditur: Primò; quia si Rex ex optimo regiminis consilio permitteret, quòd subditi contumelias in illum inferrent, nullã diceretur injuriam pati: id quod est evidens in Scurtis, & Parasitis, quorum contumeliosis alioqui verbis Rex non offenditur. Secundò: quia implicare videtur in ipsis terminis, quòd quis injuriam inferat Personæ: & quòd hæc Persona non patiatur actionem, per quam illi infertur injuria: nec minùs implicare videtur, quòd Persona

Universidad de Deusto
Biblioteca

patiatur actionem, quàm sponte, & liberè permittit, & quam permittere, est magna laus ipsius. Hæc objectio *non* videtur *digna Catholico*: eâdem enim vi contendi posset, meque peccatum esse inobedientiam, neque pœnâ tam gravi dignum.

223 Respondeo primò: Deum circa peccatum nullam habere volitionem, neque ullũ affectum, qui non sit detestativus ipsius: unde non sit peccatum, Deo sciente, & volente; sed Deo sciente, & simpliciter invito. Respondeo secundò: negando etiam minorem: licèt enim Deus non sit invitus simpliciter, voluptate beneplaciti, quia nempe non habet voluntatem efficaciter impeditivam peccati; est tamen simpliciter invitus voluntate signi, quatenus nempe vult in actu exercito, & intimat obligationem, & præceptum fugiendi peccatum. Id autem sufficere, ut quis patiatur injuriam, patet in Domino, qui volentem coram se usurpare aliquid suum, non vult impedire, cùm possit: intimare contentus voluntatem obligantem ad non usurpandum, id est, non cedentem jure suo.

224 Ad confirmationem, dico actionem posse esse injuriosam Personæ alioquin liberè, decenter, & spontaneè permittenti, quoties permissio conjungitur cum voluntate sufficienti, ut dicatur invita, qualis est illa voluntas signi, quam explicui. Nec probationes sunt ad rem: Rex enim, qui ita permitteret, si simul intimaret præceptum, & voluntatem obligantem in oppositum, pateretur injuriam: illud autem de scurris, & parasitis non salvatur per solam permissionem: habent enim ea hominum ludicra Reges, animi gratiâ, nec permittunt modò, sed gaudent in urbanis ipsorum officiis: ubi satis apparet voluntas cedendi jure suo.

225 Objicies quintò: Eatenus potest alicui fieri injuria, quatenus lædi jus ejus potest; atqui jus Dei lædi nequit à nobis: ergo neque potest à nobis fieri injuria Deo. Minor patet: quia jus, quòd impediri non potest ab usu rei prò habentis arbitrio, lædi non potest; sed jus Dei in nos, & in nostra impediri non potest, ne ipsis utatur pro arbitrio suo: magis enim sunt in potestate Dei nostræ voluntates, quàm in nostrâ, atque adeò potest ab ipsis quomodocumque & quascumque velit actiones elicere. Omissis solutionibus, quas bene impugnat Ripalda, *respondeo*, ne sit æquivocatio, distinguendo majorem: quatenus lædi potest, læsione solùm damnificâ, nego: læsione saltem contraventionis arbitrii & voluntatis Domini, qua talis, concedo. Iam nego minorem. Ad probationem distinguo majorem: non potest lædi jus, quod impediri non potest ab usu rei, factis novis impensis ne impediatur ab usu rei, nego: rebus ut sic manentibus, & quin Dominus cogatur ad novas expensas, transeat.

Ripalda.

226 Explico me. Potest contingere, ut aliquis Dominus non impediatur ab usu rei per attentatam usurpationem rei: & tunc reipsâ non læditur moraliter *jus* Dominii, quia nulli ejus arbitrio fit contraventio: at contingere potest, ut hic & nunc impediatur ab usu, ad quem *jus* habet, nullis etiam superadditis impensis, quas si vellet superaddere, non impediretur ab usu rei: & tunc manifestè læditur jus dominii, non quia auferatur à Domino potestas faciendi ne impediretur ab usu rei, sed quia reipsa negatur ipsi quod ipsi debetur, & fit manifesta contraventio arbitrio Domini, quà talis. Sic autem contingit in nobis respectu Dei. Licèt enim cùm nos peccamus, vel omittimus actum præceptum, sub hac numero libertate, quâ fruimur, non desit Deo potestas faciendi, superaddendo novas vires, & motiva, ut sit actus; tamen, habet jus ne peccetur, neve omittatur actus à nobis, sub hac numerò libertate: etiamsi nolit per auxilia nova rem aliter disponere: unde necesse est, quòd peccando nos impediamus Deo usum rei; (sub hac enim libertate est Deo debitus, nec aliter possibilis nisi volentibus nobis:) atque adeò contraveniamus arbitrio Dei, quà Domini, lædamusque jus ejus, quantùm requiritur ad injuriam.

227 Objicies sextò: Nam exinde in quovis peccato, præter malitiam specificam desumptam ex objecto virtutis, cui contrariatur, v.g. temperantiæ, assignanda erit, & agnoscenda specialis malitia injustitiæ, mutans speciem, & necessariò aperienda in confessione: quod est absurdum, inauditum, & contra praxim. Respondent aliqui cum Martinon non esse absurdum: nam ea injustitia non, est necessariò formalis, sed materialis: omitti tamen in confessione vel ex probabilitate opinionis oppositæ, ut vult Delugo; vel quia est malitia transcendens omne peccatum, ut alii volunt: quales sunt malitiæ per se imbibitæ in omni peccato, irreligiositatis, inobedientiæ, inimicitiæ & aliæ similes.

Martinon.

Card. de Lugo.

228 Respondent alii secundò, litem esse de voce: an ea malitia sit dicenda specialis, an transcendens & generalis: quomodo enim cumque dicatur, salvari potest esse peccatum omne formalem injuriam Dei. Videatur Aldrete, qui speciali *disp.* 16. contendit illam malitiam injustitiæ non debere dici specialem. Cujus de Doctrinâ erit loquendum alibi. Respondeo tertiò, cum Eximio Doctore *disp.* 15. *de Pœnit. sect.* 2. *fine*. Concedendo in quovis peccato, præsertim mortali, debere agnosci specialem illam malitiam strictæ injuriæ eo modo quo agnoscitur ratio peccati Theologici: nam omne peccatum in quacumque materia sit, constituitur specialiter in esse peccati Theologici per hanc rationem injustitiæ, & injuriæ: unde etiam satis exprimitur in confessione dum quis fatetur & dicit se Deum offendisse peccato intemperantiæ, vel injustitiæ contra Proximũ: eo enim ipso manent expressæ duæ rationes malitiæ: & desumptæ ex objecto specialis virtutis, contra quam est actio: & desumptæ ex læsione Divinæ voluntatis, & juris.

Aldrete.

P. Suarez.

§. III.

ALIA OBIECTIO: VBI CVR NON SIT IN Peccante obligatio statim pœnitendi?

229 OBjicies septimò: Peccatum strictæ injustitiæ relinquit obligationem statim restituendi, & satisfaciendi, reparando jus læsum, & compensando injuriam; atqui peccator non manet cum obligatione statim restituendi, & satisfaciendi: ergo non peccat peccatum injustitiæ strictæ. Major est evidens in homine alium hominem injuriante. Minor est Doctrina communis Theologorum. Consequentia exinde fit evidens, quòd si ex numine violato nõ maneret obligatio restituendi statim, & satisfaciendi, cur maneret ex violato jure proximi, quod infinitè inferius est? Hæc objectio diu exercuit ingenia Theologorum. Omissâ enim opinatione aliquorum veterum, qui obligationem compensandi, & pœnitendi statim, ac peccatum comissum est, utpote durâ, & laqueos conscientiis parante, & improbabili: negatur jam à communi Theologia in homine peccante ea obligatio, & assumpta paritas à lædente *jus* Proximi. Vide pro Verâ Sententiâ, novissimè disputantem Reverendum admodùm Patrem Thyrsum *tom.* 3. *disp.* 34. Sed est difficultas in assignandâ ratione.

R. Adm. Thyrsus.

230 Dat rationem *Cardinalis de Lugo*: quia homo non potest restituere actũ omissum in individuo: dare autem æquivalens, licèt possit, non tenetur ex justitiâ: quia Deus *jam* habet in bonis suis moraliter: potest enim facere, prout voluerit, ut voluntas nostra ponat. Sic non teneor compensare damnum illarum Petro, qui curam habet mearum facultatum, & ipse pro libito meis sumptibus potest sibi compensationem damni facere. Sed

Card. de Lugo.

231 Contra primò: quia eundem actum in individuo potest restituere, si eadé principia maneant: cur ergo non tenetur ex justitiâ? Secundò: quia licèt æquivalens habeat Deus sub suâ potestate, si velit uti impensis extraordinariis; at si iis nolit uti, relinquendo creaturam cum auxiliis, & impensis ordinariis, cur sub ipsis nõ tenetur creatura dare æquivalens Deo ex justitiâ pro actu injustè omisso? Et ratio est: quia Deus non tenetur eas impensas extraordinarias facere, cùm ipse possim per ordinarias dare æquivalens. Sit exemplum in Petro, cui damnum intuli: certè non me excusat à restitutione rei ablatæ, vel æquivalentis, quòd Petrus expensis extraordinariis, & pretiosioribus, quã necessarium est pro rei suæ conservatione, possit etiam è meis bonis rem sibi suam recuperare.

232 Contra tertiò: quia licèt Deus potestate suâ antecedenti habeat æquivalentem honorem, & nolit: non impedit ne velit, & quidem ex Iustitiâ, honorem individuum, qui in hoc instanti habet in suâ potestate creatura, & omittit committendo injustitiam: ergo nec impedit, ne velit, & exigat in satisfactionem honorem æquivalentem, qui in secundo instanti sub his, aut illis auxiliis habet creatura in suâ potestate.

233 Lubet tamen altiùs introspicere discursum Eminentissimi, & gradu, & ingenio, Authoris. Tria supponit. Primum: cùm res nequit restitui in individuo, obligationem esse ad æquivalens. In nostro autem casu res individua non solũ est actus ad quem ipse tenebar in individuo, sed actus individuus in instanti determinato: unde si semel omissus est, impossibile est quòd Deo detur res alioquin debita in individuo: & necessariò premit obligatio ad æquivalens.

Laus Card. de Lugo.

234 Secundum: tunc dari ex obligatione restitutionis obligationem ad æquivalens, quando creditor non habet jam moraliter ex bonis debitoris, unde sibi recompenset: si enim habet, quænam est obligatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

tio restituendi? Hinc colligit, Deum ex bonis hominis jam habere moraliter æquivalens actui omisso, quin ullus fiat recursus ad expensas extraordinarias Dei, & per auxilia ordinaria: quod ut ostendat, supponit

235 Tertium: Nempe hominem non posse moraliter resistere omnibus auxiliis, quæ sibi conferantur à Deo, etiam ordinariis: unde ex necessitate morali habet Deus Scientiam mediam de eo, quòd si det homini hæc, aut illa auxilia ex ordinariis, homo obsequetur Deo. Ea autem quæ præstat homo ex necessitate morali, & ex impossibilitate morali in oppositum, præstat quasi non potens non præstare: atque adeò Deus non potest moraliter impediri, ne habeat sub libito suo, & quomodo voluerit, actus æquivalentes illi quem homo omisit: quia homini est impossibile moraliter resistere collectioni omnium auxiliorum, quæ possunt ipsi dari à Deo etiam ex ordinariis: Quare sine expensis extraordinariis, & quasi independenter ab homine, potest Deus ex bonis hominis sibi recuperare honorem æquivalentem omisso: atque adeò jam moraliter habet in bonis suis: unde homo non obligatur restituere.

Lugo.

236 Hæc est mens Cardinalis de Lugo, si jungas ea quæ docet *disp. 3. de Incarnatione sect. 3.* cum his quæ *sect. 8.* respondet, & spargit: ex quibus patet, non difficilè evasurum Discursum Cardinalis ab his, quæ *à num* 231. cum Modernis objecimus ex Ripaldà: & aliter excutiendum.

Ripalda. Impugnatio Card. de Lugo.

237 Primò: quia habere creditorem moraliter in bonis suis rem æquivalentem ablatæ, & consumptæ per furtum ex bonis furis, quatenus id sonat moralem necessitatem habendi si velit exigere ex morali impossibilitate negandi quam fur habeat, non excusat furem à restitutione: hoc enim solùm est esse moraliter certum Dominum de restitutione, si exigat, & posse habere sine difficultate: at ipse jus habet ut sibi restituatur res aut æquivalens, etiam si expressè non exigat, & quidem reipsà; ut est evidens: atqui Deus ex illà necessitate morali hominis ad non resistendum omnibus auxiliis etiam ordinariis, non habet aliter in bonis honorem æquivalentem omisso: ergo non excusat hominem à restitutione.

238 Secundò: quia obligatio hominis non solùm est, ut restituat æquivalens actui omisso, sed æquivalens injuriæ, quæ commissa est in omissione; vel certè non est: at-

qui injuriæ commissæ non est æquivalens hic aut ille actus: cùm pro offensa Dei non possit à creaturâ reddi æquivalens. *Dices*, hinc fieri non dari obligationem, quia non datur æquivalens. Contra: Tùm quia id *jam* est recurrere ad alterâ solutionem. Tùm etiam quia: ergo non habet ex bonis offensoris in suis bonis offensus æquivalens. Tùm insuper: quia eòipsò quòd non possit offensus dare quid æquivalens, debet omnia quæ potest, ob criminis atrocitatem, ut *mox* dicetur.

Habes ad p.p. tract. 3

239 Tertiò: illa necessitas moralis fingitur in homine gratis, esse aliquid in rebus contra secus statuta à nobis disputando *de necessitate Gratiæ* in simili. Quartò: quia adhuc admissà eà necessitate, nunquam homo dum operatur in individuo, eam patitur: est enim necessitas omninò vaga, quæ solùm extrinsecè, sine læsione facultatum operatricum, devolvitur ad unum. Mitto alia.

Aldrete. Hurtadus.

240 Dat rationem *Aldrete* cum aliis, quos *jam*diù deseruerat *Pater Hurtadus*: nempè quia purus homo nequit satisfacere ad æqualitatem pro offensâ. Restitutio autem tendit ad resarciendam inæqualitatem natam ex injuriâ, si non ex integro, saltem ex parte, prout debitor potsit; cùm autem eòipsò quòd offensa sit simpliciter irreparabilis per bona unius generis, factâ quacumque eorum oblatione, tota maneat; neque ex integro, neque ex parte potest per illud genus bonorum fieri reparatio; atque adeò qui nullum aliud genus boni habet, aut habere potest, excusatur ab obligatione restituendi. Sic autem est homo, cujus actiones talis generis sunt, ut eorum factâ quacumque oblatione, offensa tota maneat, & ipse maneat æquè debitor. Hic discursus est valdè probabilis.

241 Rejicit Hurtadus primò: quia licèt homo nequeat per suos actus satisfacere pro injuria; potest tamen se per illos disponere, ut tollatur inæqualitas orta ex injuria: ergo saltem tenebitur ex justitiâ eos præstare: ad eum modum quo teneretur quis extendere manum pro pecuniâ comparandâ, si aliter non posset restituere. *Respondetur*: ut tollatur inæqualitas per gratuitam cessionem, quam faciat creditor, concedo: per adhibitam satisfactionem, nego antecedens, & consequētiam: quia Justitia tribuit alteri, quod suum est: qui autem petit condonationem, aut facit actus disponentes ad illam, tam abest à reddendo alteri *jus* suum, ut potius velit Creditorem manere sine jure, quod habet vel ad rem ipsam, vel ad æquivalentem.

242 Rejicit secundò: quia saltem quando alter oblaturus est satisfactionem æqualem pro injuria meâ, si ego conditionem apponam; teneor ex justitia conditionem apponere, ne, quantùm est ex me, desit offenso reparatio sui juris: atqui Christus Dominus offert satisfactionem æqualem, si ipse conditionem meæ dispositionis apponam: ergo teneor ex justitiâ eam apponere. *Respōdetur*: Doctrinam *majoris* esse veram, quando pendet à meâ conditione quòd ab altero præstetur offenso satisfactio: non verò quando ea satisfactio jam supponitur, solùmque exigitur meæ operationis conditio, nō, ut sit satisfactio, sed *ejus* fructus, qui est in præsenti condonatio: sic autem accidit in casu minoris.

243 Rejicit tertiò: quia saltem pro veniali peccato potest à creatura exhiberi æqualis satisfactio *Respondetur*, facilè negari peccatum veniale esse offensam, & injuriam Dei. Rejicit quartò: quia exinde fieret, neque hominem teneri restituere Deo, resarcireque jus divinum, cùm læsum est per pravam existimationem ingeneratam aliis: quod est crimen detractionis famæ: id quod negatur ab omnibus. *Respondetur*, in eo casu dari obligationem restituendi famam: quia potest homo ingeneratam in aliis pravam de Deo existimationem obliterare. Malè tamen confunditur honor cum fama. Fama restituitur, & infamia tollitur, destruendo effectum causatum in aliis: honor restituitur, cùm præstatur æqualis inhonorationi factæ: id autem est impossibile homini respectu Dei, quia peccatum est major inhonoratio, quàm sit honor Dei, omnis actio puræ creaturæ: non illud.

244 Nihilominus ea ratio displicet primò: quia peccatum veniale diximus supra esse strictè injuriam, & offensam Dei. Secundò: quia non video cur licèt homo non possit in integrum satisfacere, neque ex parte quatenus per ejus actus remittatur aliqua pars debiti, non debeat ex justitiâ facere quantum possit, & in se, licèt non in finem compensationis æqualis, & condignæ, saltem in finem compensationis congruæ? Durum enim est, pati creditorem læsionem juris, & nullum jus acquirere in offendentis bona titulo injuriæ. Tertiò: quia creditor offensus eòipsò quòd titulo injuriæ, & offensæ posset exigere satisfactionem, si possibilis esset offensori, videtur saltem novum jus dominii in quæcumque bona offensoris acquirere, ad eum modum, quo propter atrocitatem criminis Hæretici, & rei læsæ Majestatis, aliique, quorum bona ipso *jure* publicantur, amittunt suorum bonorum dominium, & transit in fiscum à die commissi criminis, ut multi tenent apud Sanchez *lib. 2 Summ. cap. 22. dubium. 1.* debebit ergo homo ex justitiâ quicquid potest.

Sanchez.

245 Quartò: quia licèt præstante homine aliquem actum pro jure læso, maneat totum debitum culpæ, & maneat æquè debitor, si attendamus ad culpam, & ad justum titulum odii; tamen non manet æquè debitor, si attendamus ad bona quæ Deus ab offensore potest exigere in satisfactionem aliqualem offensæ: nam post hunc actum, quem *jam* feciſti, nō sunt tot actus, quos debes: quare etiam remittitur aliqua pars debiti. Quintò: quia offenso non solùm videtur ex justitiâ deberi destructio effectiva injuriæ, sed affectiva: imò eòipsò quòd debeas effectivam, debes etiam & affectivam: quæ consistit in aliquali pœnitentiâ de injuriâ illatâ, & inductâ per illâ læsione juris: ergo quando manet impossibilis effectiva destructio ex magnitudine injuriæ, manet debitum aliud pœnitentiæ: ergo saltem ex justitiâ tenebitur homo pœnitere ex justitiâ.

Ripalda.

246 Dat rationem *Ripalda*: quia licèt ex peccato, & ratione injustitiæ in eo imbibitę naturaliter oriatur in Deo jus exigendi satisfactionē, & in nobis obligatio restituēdi, & satisfaciendi; impediri tamen ex eo quòd Deus cesserit penès id jure suo, nolens nos obligare, ut poterat, ad onus incomportabile festinæ compensationis: id quod arguimus: Tùm quia nullibi tale præceptum extat. Tùm etiam: quia sic sentire videtur Ecclesia. Tùm demum: quia id est Divinæ misericordiæ magis consonum. Quòd si similiter inter homines, offensi cederent, nulla maneret obligatio restituendi: extat tamen: quia nolunt cedere jure suo. In hanc rationem coeunt Aldrete, Prudentius, & tandem relabuntur Arriaga, & Thyrsus: ille *tom. de Incarnatione disp* 11. *sect.* 4. *num.* 59. *fine*. Iste *tom.* 3. *disp.* 34. *num.* 7. eâque jam dudum usus est, terminis parùm diversis, Medina apud Suarez *de Pœnitentiâ disp.* 15. *sect.* 5. *num.* 6.

Aldrete. Prudent. Arriaga. Thyrsus. Medina. Suarez.

247 Ex quo sic contra illum arguo primò: quia paritas, quâ Ripalda nititur, nempè, quòd nullos alios actus præcipiat Deus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in præsenti providentiâ ex dominio proprietatis, fallum assumit ex *num.* 198.

Suprà à nu.198.

Secundò: quia eòipso quòd peccatum sit *in*justitia, constat de naturali onere restituendi, & satisfaciendi statim, non verò constat de cessione Divini *juris*. Quòd enim Deus non expressè declaraverit, & exegerit, non est voluisse cedere suo jure: præcipiens enim ex lege naturali justitiæ satisfactionem injuriæ, si suam non excipit, potiùs præsumendus est velle nõ cedere suo *jure*: at hæc exceptio nullibi est: Nunc sic: quando constat de naturali obligatione, nec de dispensatione constat: imo juxta regulas generales potiùs constat de oppositio, possessio stat pro jure alterius: sic inter homines, si constet de onere restituendi, & non constet de cessione juris à Domino factâ, præsumitur velle restitutionem. ergo similiter in præsenti.

248 Tertiò: quia illud de Ecclesiæ sensu salvari potest juxta probabilitatem opinionis oppositæ: quicquòd nihil in Scriptura, aut Ecclesiæ vocibus frequentius est, quam accusare mortalium tarditatem in pœnitendo? Pendantur communia illa Ecclesiastici verba 5. quæ videtur habere vim legis: *non tardes converti ad Deum, & ne differas de die in diem.* Quartò: quia similiter, qui Deum suo modo infamasset, non teneretur Deo restituere famam: quod hi Authores negant. sicut ergo in hoc casu non præsumitur cessisse Deus, cur præsumendus in aliis: cùm regula generalis est eadem?

Eccles.iast. 5.

249 Do ego *rationem*, quam, opinor, tetigit Magnus Suarez, & postmodùm diversis parum terminis reipsà sunt usi Hurtadus, Arriaga, Sfortia, & Antonius Perez. Eam instituo sic: Justitia eatenus obligat ad faciendam statim restitutionem, & satisfactionem, quatenus ex deffectu restitutionis, & satisfactionis sequitur in eo, qui passus est injuriam, novum malum, aut damnum, aut reipsà displicens, distinctum à malo, seu damno, vel objecto displicente quod passus est in ipsà ratione injuriæ. Hujus principii ratio est triplex.

Vera ratio ex P.Suarez. Hurtad. Arriaga. Sfortia. Ant. Per.

251 Prima: quia sicut justitia obligat ne Domino fiat *in*juriæ malum; ita obligat ne fiat novum malum: ideòque obligat ad restituendum. Secunda: quia restitutio non tollit *in*juriam factam esse, sed ne sit effectus injuriæ, nempè ne sit malum perseverans post factam injuriam. Tertia: quia eatenus justitia præcipit restitutionem, quatenus vult servare indemne jus alterius, ita ut Dominus, præciso injuriæ malo jam præterito, maneat in statu antiquo cum rebus suis: quarum possessione carere est malum novum, deque novo displicens, nec evitabile nisi fiat festina restitutio. Vnde si posit injuriam, nullum est malum, aut objectum displicens de novo perseverans distinctum ab ipsà injuriâ, non est materia restitutionis, aut satisfactionis, quam *justitia* precipit: quia nihil est quod impedire possit restitutio*, aut satisfactio, quod sit *jam* contra arbitrium Domini.

251 Cùm ergo in injuriis humanis, maneat ex positione injuriæ effectus novi mali, & objecti displicentis arbitrio Domini, nempe negatio possessionis suarum rerum, justitia quæ obligat ne fiat injuria, obligat etiam ne nova fiat non restituendo. At in *in*juriis, quæ contra Deum fiunt, præter malum ipsum injuriæ, quod dici potest malum divinum, quatenus ipsi displicens, & ipsi contrarium, nullum aliud novum malũ remanet, aut nihil superadditur Deo de novo displicens ratione injuriæ: quicquid enim superadditur, est Deo placens ex suppositione culpæ præteritæ: atque adeò non habet locum restitutio, & satisfactio, ad quas obligat justitia: quid ergo mirum, quòd homo, licèt peccando committat injustitiam, non obligetur ad festinam restitutionem, aut satisfactionem.

252 Dices: ergo neque facere debet restitutionem, qui Deum infamavit. Distinguo: Deo, concedo consequentiam: aliis, quibus injuriam injustæ deceptionis intulit, nego. Distingue igitur in eo & similibus peccatis duo, malũ culpæ: & effectũ culpę, qui est error ingeneratus in aliorum mentibus. Malum culpæ est malum quasi Divinum, id est Deo displicens, & contrarium: effectus culpæ, non est displicens novâ displicentiâ, secùs ac contingit in nobis: unde restitutio non debet Deo fieri, sed illis, quorum malum est error, & quos injustè decepi: ad eum modum quo, qui furatur calices, debet restitutionem non ratione injuriæ factæ Deo, sed factæ Ecclesiæ, cujus erant. Negari etiam posset consequentia: quia hîc assignari posset malum seu quasi malum distinctum à malo injuriæ, & ipsâ transacta etiam perseverans.

253 Dices iterum: ergo neque qui peccat, tenebitur ex justitiâ pœnitere. Respondeo, eum teneri pati pœnas injuriæ; atque adeò pœnitere., si offensus quasi in pœnam, pœnitentiam velit. Deinde dico, quòd quamvis ex *justitiâ* non teneatur pœnitere, potest tamen velle ex justitiâ pœnitere. Sed de his *mox*.

§. IV.

VLTIMA OBIECTIO: VBI AN VIRTVS Pœnitentiæ sit specialis Iustitia?

254 OBjicies ultimò: si enim peccatum est injustitia, assignanda erit in homine specialis virtus justitiæ, respectivè ad Deum, quæ moderetur hominis actus, & præcaveat *in*justitiam, vel eliciat actus detestativos talis *in*justitiæ. At, in admittendâ tali virtute speciali, multiplex occurrit difficultas. *Prima*: nam videtur otiosa: si enim omne peccatum est ex genere suo injustitia, non egemus novâ & speciali virtute ad præcavendum: Virtutes enim aliæ, in suâ quævis materiâ, cum vitent peccatum, vitabunt hanc rationem *in*justitiæ. *Secunda*: nam hæc virtus videtur esse pœnitentia: aliunde tamen à Pœnitentia differt, quia pœnitentia est habitus purè emendativus, & deletivus offensæ Divinæ, & habet pro objecto vel actiones ut Deo placentes, *juxta* Hurtadum; vel bonum pacis cum Deo, juxta Lugum; vel indemnitatem à peccato, juxta Ripaldam, vel bonum divinæ condonationis, quatenus est non esse peccati: certè videtur non habere pro objecto formali compensationem *in*juriæ, aut reparationem juris læsi, ut oportebat ad *justitiam*, quia talis compensatio, & reparatio est impossibilis homini.

P.Hurtad. Card. Lug. P. Ripald.

255 *Tertia*: quia vel hæc justitia, pertinet ad commutativam, vel ad distributivam: utrumque enim videtur difficile. *Quarta*: vel hæc virtus specialis justitiæ differt à justitiâ, quæ inter homines exercetur? vel non? Neutrum videtur esse dicendum: non primum: quia jura sunt diversissima. Non secundum: quia utraque tendit ad servandam indemnitatem juris alieni. Perstrinxi dubia, quæ expensiùs agitant Hurtadus *disp.12. sect.11. nu.* 138. Arriaga *hic disp.13. sect.4. & 5. & tom.1. in p. p. disp.31. sect.4. à nu.*50. Ripalda *disp.84. sect.6.* Aldrete *disp. 15. sect.5.* Godoy *disp.6. à §.6.* & M. Thyrsus *tom.3. disp.32.* apud ipsos videnda. Ipse bevi me expedio, ut à negotio, quod rei presenti ferè importunum est.

Hurtad. Arriaga. Ripalda. Aldrete. Godoy. Thyrsus.

256 Respondeo igitur, concedendo majorem, & negando minorem. Circa primam difficultatem, censeo, eam virtutem esse diversam ab aliis: quia motivum servandi illæsum jus Divinum est motivum omninò speciale ab his, quæ virtutes cæteræ respiciunt, ut ostendit Ripalda *citatus*, & facilè patebit expendenti.

257 Circa secundam, censeo primò: eam virtutè posse indistingui à pœnitentiâ: censeo secundò: distingui posse.

Ratio prioris est: quia licèt justitia nostra non possit habere pro motivo compensationem, aut reparationem *juris* læsi, potest ex motivo æqualitatis debitæ elicere actus qui præcaveant inæqualitatem, eamque vituperent, deque eâ *jam* inductâ, doleant. Nec refert quòd Pœnitentia dicatur habitus purè deletivus: fit enim præcisio sub hoc nomine, sumiturque *justitia* non secundùm omnes respectus, sed præcisè secundùm illum ex quò dicitur pœnitentia: quod non arguit diversitatem habitûs, sed denominationum in habitu.

Ratio posterioris est, quia aliquod ex suprà enumeratis motivis videtur sufficiens ad specificandam virtutem pœnitentiæ, & ea singula sunt diversa à motivo *justitiæ*.

258 Ad tertiam: censeo: eam *justitiam* esse de specie commutativæ. Tùm quia est similis *illi*, quam exercet servus respectu Domini inter nos. Tùm quia respicit strictum jus.

Ad quartam: censeo utrumque probabile: inclinant tamen moderni communiter in eam opinationem, ut dicant eam justitiam esse distinctam à virtute justitiæ quæ inter homines exercetur: tùm ab exemplo Religionis: diversa enim censetur ea, quâ Deum colimus cultu latriæ, ab ea, quâ Sanctos, cultu duliæ. Tùm à ratione: quia jus divinum altius, & excellentius est jure omni humano, atque adeò fundare potest specialem honestatem in actionum æqualitate cum ipso: si autem potest, non est cur non fundet, & faciat virtutem specialem: siquidem nulla nobis alia suppetit ratio specificandi virtutes, nisi quia invenimus specialem honestatem motivorum. Oppositum docet acriter Ragusa *disp.20.* Vide citatos: & aliquid *sect. ultimâ* dabimus, quod hæc aliquantò magis elucidet.

Ragusa. Infrà à nu. 344. & à num. 353.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO VII.

NVLLA STRICTÆ IVSTITIÆ CONDITIO adjuit Satisfactioni Christi Domini.

§. I.

IVSTITIÆ CONDITIONES.

259 NOvem conditiones ad exercitium strictæ justitiæ, præsertim commutativæ, hinc inde colligunt Adversarii contra Nos. *Prima* est: ut sit ad alterum re, & jure. Ratio: quia nemo sibi satisfacit ex justitiâ: sui enim ad se non est satisfactio: unde inter Filium, & Patrem, servum & dominum negat Aristoteles, ex defectu alteritatis in jure, strictæ justitiæ exercitium. *Aristot.*
Secunda est: quòd satisfactio vel solutio non fundetur in Gratia Creditoris. Ratio: quia miscetur aperta remissio consistens in eâ gratiâ, à quâ habet satisfactio valorem.

260 *Tertia*: quòd fiat ex aliis indebitis. Ratio: quia unica solutio non sufficit pro duplici debito: & alioquin nihil de novo, titulo injuriæ daretur offenso. *Quarta*: ut fiat ex bonis satisfacientis. Ratio: quia debet aliquid dare & amittere de suo.

261 *Quinta*: ut non fiat ex bonis Creditoris. Ratio: quia sic æquè Creditor maneret in statu deteriori propter offensam. *Sexta*: ut fiat ab ipso offensore: Ratio: quia offensus, ac Creditor habet ex offensa jus contra Personam. *Septima*: ut sit debita ab ipso exhibente. Ratio: quia quod non debetur, non redditur ex justitia. *Octava*: aut non possit non acceptari, ita ut per sui exhibitionem extinguat debitum Creditoris, etiam inviti, & nolentis. Ratio: quia qui satisfacit ex justitiâ, non tenetur ad amplius, definitque esse debitor.

262 *Nona*: ut detur arithmetica æqualitas inter Solutionem, & Debitum. Ratio: quia hujusmodi æqualitas est objectum commutativæ justitiæ. Ex his, totidem argumenta formant Adversarii, contendentes ex defectu Conditionum hujusmodi, defecisse Christi satisfactionem à rigore justitiæ.

263 Sed mihi jamdiù sedet, & perplacet judicium P. Esparzæ *quæst. 12. de Incarnatione Corp. art. 3.* quod etiam à Godoy *disp. 5 § 1. num. 5. fin.* jure approbatum video: Nempe, per hæc molimina contra Christi Domini satisfactionis rigorem ex justitiâ, si quid præfati Authores probant, probare, eâdem simul vi, Christum neque veram, neque propriam obtulisse satisfactionem, neque perfectè condignam, contra seipsos, & certum dogma Fidei. *Esparzæ. Godoy. & Authoris mens.*

264 Ratio est: Quia repugnat verus conceptus veræ restitutionis, aut satisfactionis; aut sui ad se; aut sine debito præcedenti extinguendo per ipsam; aut sine obligatione exhibentis, vel in se, vel in alio; aut sine melioratione juriũ creditoris, atque adeò quæ non contineat gratiâ remissionis, aut fiat ex bonis, quę independèter ab injuriâ jam erant debita creditori; aut sine ratione liberalis supererogationis ultra rationem debiti, & mensuram puri pretii: Id quod prædictarum conditionum rationes brevi insinuatas expendenti planũ fiet: ergo ex earum defectu æquè Christi satisfactionis deficit veritas, condignitas, & proprietas satisfactionis, (quod negare debemus omnes,) ac rigor ex strictâ justitiâ. Omnes ergo tenemur solvere difficultates, quæ ex prædictis conditionibus hic emergunt. Et quidem

§. II.

IVDICIVM DE PRIMA.

265 *Prima* conditio videtur deficere. Quia Christus nec re, nec jure est alter ab eo, cui satisfit. Non re: quia satisfit Deo: & Christus, cùm sit Deus, non est alter à Deo. Tùm quia satisfactio non solùm fit æterno Patri, & Spiritui Sancto (ut aliqui improbabiliter existimarunt), sed etiam Verbo: Nam tota Trinitas offenditur per peccatum: & totius est remittere, vel non remittere, cùm voluntas sit communis: planèque esset absurdum, Primam, & Tertiam Personam remisisse ex justitia debitum: Secundam verò, gratis, & ex Misericordiâ. Non jure: quia mihi habere potest Humanitas, quod non sit sub dominio Dei: cùm ipsa sit magis Dei, quàm sui.

266 Confirmatur primò: quia alteritas jurium, dicit eorum independentiam, ita ut, quod est sub unius dominio, non sit sub dominio simultaneo alterius: Quod repugnat Christo respectu Dei. Confirmatur secundò: quia inter Filium, saltem non emancipatum, nec habentem bona Castrensia, & inter Patrem non est alteritas juris; nec item inter servum non manumissum, nec habentem bona patrimonialia, & inter Dominum: nępe quia Filius est aliquid Patris, & servus, res Domini: atqui Christus est magis Dei, quàm Filius, Patris, & servus, Domini: & Christi Humanitas magis etiam est Dei, & aliunde est naturaliter serva, & sub titulo strictissimæ Filiationis: Cui repugnat omne genus emancipationis, & manumissionis: neque enim titulus servitutis, aut potestatis patriæ est, ut inter homines, contingens, accidentalis, & legalis, atque adeò per similem emancipationem, aut manumissionem extinguibilis, sed essentialis, & indispensabilis: ergo inter Christum, ejusve Humanitatem, & inter Deum non potest esse alteritas jurium.

267 Tertiò: quia Christus satisfecit ut homo: sed Christus ut homo est Filius naturalis: ergo satisfecit ut Filius naturalis; sed Filius ut Filius non est alter à Patre in jure: ergo neque Christus, ut satisfecit: ergo non satisfecit ex justitia, ex defectu primæ conditionis.

268 Respondeo: & *Assero* non defecisse Christi satisfactioni primam conditionem, quæ alteritas est: Nam Christus, & *re*, & *jure* fuit alter ab eo cui fit satisfactio, quantum ad justitiæ requiritur exercitium. *Re*: quia datur realis alteritas Naturarum, voluntatum, & libertatum: quæ præsertim attenditur in exercitio justitiæ: nec certè major requiritur ad exercitium obedientiæ, cultûs, & satisfactionis, pro quibus constat in Christo fuisse sufficientem alteritatem à Deo. Dices: quomodo satisfecit sibi pro injuriis factis Humanitati, nempè pro alapâ, crucifixione, &c? Dico: satisfecisse Deo, & Humanitatem condonasse: neque enim pro injuriis factis Baptistæ, Petro, aut Paulo, putandus est Christus voluisse satisfacere Baptistæ, Petro, aut Paulo, sed Deo, & sibi, ut Deus est. *Mens nostra.*

269 *Jure*: quia licèt in Christo respectu Dei non sit alteritas jurium, destructiva, & contrarietatis, id est, quæ privativè rem adjudicet uni ut soli Domino (qualis inter creaturas esse solet;) at est alteritas jurium consistens in distinctione, quæ nempè faciat, ut Humanitas Christi habeat verum dominium circa multa, donatum à Deo, & Deum alioquin dominum obligans. Undè licèt nihil habere possit, quod non sit sub dominio Dei; multa habet, quæ non sunt privativè sub dominio Dei; sed quę sunt sub suo etiam imò quæ sunt sub suo quasi privativè: dono enim ipso Divinitatis elevatur ad speciale dominium, volente Deo per unum specialè usum sui dominii, gerere se cum Humanitate quoad alios usus, impediendo eos sibi, & expediendo ipsos arbitrio Humanitatis. Quę omnia fusè explicui: *Tùm disput. 2. sect. 3. tùm disp. 3. num. 200.* & deinde *hac disp. 4. sect. 1. & 2. præsertim à num. 69. adusque 97. & à num. 103. adusque 113. exclusivè.* *Suprà in hoc lib. disp. 2 sect. 3 & disp. 3. nu. 200. & in hac disp. à nu. 69. & à num. 103. Suprà à nu. 75. & à nu. 105. & à nu. 110.*

270 Ad primam confirmationem negatur assumptum ex *num. 75. & 76. & 105.* denuò revendis. Ad secundam, feci jam facis supra *num. 110.* Addo hic tria, in quæ nolunt Adversarii seriùs mentem intendere. *Primum*: Humanitatem, & Christum magis esse Dei, quàm Domini, servum: & Filium, Patris; quoad entitativam identitatem: non verò quoad rationem juris, & dominii. Hæc enim servo, & Filio, ut talibus, negantur à lege. *Alterum*: Eam identitatem, aut naturalẽ dependentiam, quæ inter Filiũ, & Patrẽ est, & inter servum, & Dominũ, non obstare alteritati jurium, sed legem: nam intercedente, vel emancipatione, vel manumissione, vel peculio, sive fit castrense, sive patrimoniale, manent res eodẽ modo physicè, & datur alteritas. *Tertium*: Eam Humanitatis elevationem in jure non esse qualis est emancipatio, & manumissio inter homines cum multa imperfectione translationis, diminutionis, & limitationis inter dominia, sed consistere in pacto, seu dono habente vim pacti, quò Deus se Humanitati obligat, ipsam inquere liberam, quoad usum suarum actionum; & se cum ipsa sic gerere, ut sibi liberè præimpediat arbitrarios in posterum usus suæ libertatis, & facultatum: cui privilegio specialissimi dominii non obstat essẽtialis dependentia Humanitatis à Deo, ut rursus tetigi *disp. 2. sect. 3. num. 86.* *Suprà disp. 2. à nu. 86.*

271 Ad tertiam confirmationem, admissa majori juxta sensum explicatum *disputatione citatâ num. 99.* & minori, distinguo consequens: satisfacit ut filius naturalis, *dignificativè*, id est, se habente dignitate Filii naturalis, ut formâ, seu quasi formâ condignificante satisfactionem, concedo. *Elicitivè*, id est, se habente, ut principio proximo, & *quo* eliciendi entitatem satisfactionis, nego. Et distinguo subsumptam minorem: Filius ut Filius non est alter in re vel in jure, si Filiatio non importet in se Dignitatem juris, & bona quasi castrensia, concedo: si importet, nego: & talis est quæ Humanitati Christi conceditur: est enim dignitas per se immunis ab omni debito, & quantum potest, reddit *Eadẽ disp. 2. à nu. 99.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Humanitatem immunem à debito, perfectiùs quàm apud Iustinianum Dignitas Consularis, aut Regia Filios emancipat inter nos. Et hæc, (per quæ multis occurrimos, & præfert im Patribus Bernal & Amico, quorũ doctrinã bene uti video, Modernos non paucos,) *de primâ conditione* justitiæ.

Bernal. Amic.

§. III.

IVDICIVM DE SECVNDA CONDITIONE.

272 *Secunda* videtur omninò deficere: quia tota satisfactio Christi fundatur in Gratiâ Creditoris, seu Dei. Primò: quia satisfactio Christi fundatur in dono Hypostaticæ Vnionis, quæ est maxima Gratia: imò totus valor satisfactorius sumitur ex Dignitate Personæ increatæ, quæ est omnium maxima Gratia, quæ facta est Humanitati: quid ergo dat Deo Humanitas pro satisfactione, nisi id ipsum quod accepit, & ipsissimam gratiam ipsi factam? Secundò: quia ipse concursus actualis, ipsa auxilia ad actum satisfactorium, & ipse actus satisfactorius sunt specialis Gratia, quam facit Deus Humanitati: ergo non potest non fundari Christi satisfactio in Gratiâ Creditoris. Id autem obesse rigori justitiæ patet exemplis, & ratione.

273 Eorum primum sit: sit Petrus, qui debeat Titio equum furto sublatum: si Titius det ipsi Petro pretium equi, quo sibi satisfaciat, certè Petrus non satisfacit ex *justitiâ*; sed potiùs accipit condonationem & remissionem à Titio. Ratio est: quia Titius æquè manet deterior in bonis ratione furti, factâ satisfactione, ac antè, idque quia ipse voluit: quid autem hoc est aliud, quàm remittere, & nolle satisfactionem? Secundùm sit: sit Petrus qui debeat Regi summam: non fit solvendo: si Rex sigillum Regium, quo monetam cudat in quacumque materiâ, donet, ex quâ paret sibi solutionem, certè remittit virtualiter debitum: dat enim unde valor sufficiens desumatur.

274 Ratio autem à priori est: quia satisfactio, quæ fundatur in Gratia, habet imbibitam remissionem debiti: ergo non est ex rigore justitiæ: ergo ex defectu secundæ conditionis deficit evidenter satisfactio Christi à rigore *justitiæ*. *Verum* hæc, eàdem etiam vi, probant defecisse à rigore condignæ satisfactionis; nobisque esse impossibilem condignam satisfactionem pro Veniali, quod negant, qui contra nos sic argumentantur. Omissis variis dicendi, & opinandi viis apud Suarez, Delugo, Aldretum, & Godoy, eas & se mutuò rejicientes

Suarez. Delugo. Aldrete. Godoy. Mens nostra.

275 Respondeo: & *assero* non defecisse Christi satisfactioni secundam conditionem, quantùm requiritur ad rigorem justitiæ. Ratio est: quia eatenus interventio Gratiæ ex parte Creditoris obstat rigori justitiæ, quatenus vel ex parte, vel ex toto imbibit condonationem aliquam tacitam vel expressam debiti, pro quo satisfit: si enim ea Gratia nullam imbibat, ut contingit in Gratia quam facit venditor emptori in eo quòd velit rem vendere, non impedit rigorem justitiæ. Tunc autem imbibit tacitam vel expressam condonationem: Primò: quando ea Gratia fit, ut satisfactio alioquin inæqualis, perveniat ad ratam debiti. Secundò: quando ea gratia fit, ex eo solùm fine, & primariò, ut per ipsam debitor liberetur ab onere.

276 Tertiò: quando valor ex ea Gratia resultans non manet ita proprius illius, cui Gratia fit, ut verè sit illius Dominus, & cum jure ad utendum ut libeat, adeò ut nec Creditori, nec alii ex hoc aut alio titulo sit, & maneat talis valor debitus ex justitia. Si enim Gratia facta, non fit, ut satisfactio alioquin inæqualis, reddatur æqualis, nec ex eo præcisè fine, ut debitor solvatur ab onere; valorque inde resultans maneat ita proprius illius, cui Gratia facta est, ut & ipse maneat verè Dominus, & ille valor indebitus ex justitia: satisfactio, quæ fundetur in tali Gratia, nullã dicit remissionem debiti: & se habet omninò, ut Gratia, quam facit Pater, Filio in anticipandâ hæreditate: & Genero, socer in dote assignandâ: quæ Gratiæ non obstant, ne postmodùm Filius, aut Gener cum Patre aut Socero contrahant ex justitiâ cum illis bonis gratuitò anticipatis.

277 Sic autem se habet respectu Humanitatis Gratia Vnionis: nam primò satisfactio est per se condigna infinitè, nec eget ullo supplemento, gratuito valoris. Secundò nec facta est debitori, nec ex solo præcisè fine, ut satisfaceret, sed ex alio primario omninò independenti. Tertiò: valor inde resultans ita manet proprius, ut Deus se obligaverit non exigere ex alio titulo stricto, aut ex jure proprietatis: idque est impræscindibile à tali gratiâ, ut diximus *disp. 2. sect. 3.* Vnde patet ad rationes objectas.

Suprà disp. 2. sect. 3. à nu. 75.

278 Ad primam, fateor satisfactionem fundari in Gratia unionis, sed modo, quo jam

jam explicui. Addo, satisfactionem non fieri reddendo præcisè ipsam Gratiam, sed actiones ab ipsâ valoratas, valore ita proprio Christi Domini, ut nulli debeat, stricto genere debiti. Ad secundam: nego concursum actualem, auxilia, & actum satisfactorium esse specialem Gratiam respectu Christi, ut sunt respectu nostri: debentur enim Humanitati titulo Vnionis, ut dixi pluries, & constat ex *lib. 1. disp. 3.*

Ex lib. 1. disp. 3.

279 Ad exempla, fateor in ipsis deficere rigorem, non solùm *justitiæ*, sed etiam satisfactionis: imbibunt enim condonationem paliatam, & virtualem debiti, ex doctrinâ numeri præcedentis. Idque in primo agnosco potiùs quàm in secundo. Ratio est, quia inter homines (quod notari maximè vellem pro deponendis multis æquivocationibus facilè obviis) tunc censetur misceri remissio, & condonatio, quando Creditor ita se vult gerere cum debitore, ut non maneat ditior, sed æquè detrerioratus in bonis, ac si nulla sibi fieret restitutio: quia homines pensamus æstimationem rerum, & actionum ex deterioratione, vel melioratione statûs illius, qui eas res donat, aut actiones exercet. Cum ergo in primo exemplo talis sit Gratia Creditoris, ut se cum debitore velit gerere, quasi non esset Creditor: vult enim manere æquè deterioratus in bonis, inde est misceri apertam condonationem.

280 At in secundo Regis dantis sigillum magna est diversitas: ex pretio enim materiæ posset haberi æqualis satisfactio. Verùm si solùm permittatur uti sigillo regio, ut Regi satisfaciat, sine speciali dominio in materiam valorandam & valorem exinde resultantem, est solùm permitti uti Regis sigillo, ut Regi monetam acquirat: quod est ipsi condonari proprium debitum pro labore imprimendi siggillum. Verùm in Gratia quæ fit Humanitati, longè aliter res contingit, ut expendenti, & penetranti, quæ dixi, planum faciè fiet. Non ergo defecit Christi satisfactioni justitiæ rigor ex defectu secundæ conditionis.

§. IV.

IVDICIVM DE TERTIA.

281 *Tertia* Conditio magis videtur deficere: unde Pater Martinon ex ejus defectu, cogitur dicere Christum non satisfecisse ex toto rigore *justitiæ*, licèt ex rigore justitiæ satisfecerit. Nam Christi opera erant

Martinon.

aliunde strictè Deo debita, vel esse poterant. Erant: quia reipsâ titulo religionis, subjectionis, gratitudinis, & obedientiæ debebat Christus Deo. Poterant: quia Deus ex supremo dominio poterat exigere ex solo alio titulo: quòd autem non exegerit, fuit remissio, & cessio *juris*, & specialis Gratia opposita rigori justitiæ. Quod ostendo sic: primò: sit Petrus qui debeat Titio Equum ex titulo Commodati; & Titius ex titulo Mutui. Certè per sola centum non satisfacit pro debito utroque.

282 Secundò & aptiùs: sit ipse Petrus qui debeat totum honorem, quem exhibere potest, Titio titulo feudi: offendat Titium, certè nihil habet quo satisfacere possit pro debito superveniente titulo injuriæ: quia nihil habet, quod non sit antecedenter debitum Titio, titulo feudi.

283 Tertiò: estque prima ratio à priori: quia unicâ solutione continente valorem pro unico debito, non potest satisfieri duplici. Quartò, & est secunda ratio à priori: quia nequit fieri satisfactio ex justitia per illud quod non explet jura Creditoris; atqui quando bona sunt aliunde debita, & supervenit novum, bona aliunde debita non explent jura Creditoris: nam solum explent jura antecedentia, jus illud de novo superveniens. Quinto, & est tertia ratio à priori: quia satisfactio ex justitiâ talis esse debet, ut Creditor non maneat æquè deterioratus in jure, ac si facta non fuisset; atqui si Creditori fieret satis per bona antecedenter debita, æquè maneret deterioratus in jure, ac si facta non fuisset satisfactio: ea enim bona jam sibi aliunde debebantur: ergo.

284 Nec refert primò dicere cum Suarez, eam conditionem debere intelligi de bonis aliàs indebitis titulo justitiæ: unde licèt aliàs illa bona sint debita ex aliis titulis, potest per ipsa satisfieri ex *justitiâ* pro debito superveniente. Non, *inquam*, refert. Primò: Quia vel tituli, ex quibus oritur obligatio debiti, sunt inter se subordinati, caduntque in eandem rem: vel non? Si secundum: ergo sive sint tituli ex justitiâ, sive non, multiplicant materiam debiti, nec duplici potest satisfieri per unicam solutionem ex se requisitam ad unum. Patet consequentia in his casibus. Voveat Petrus Ecclesiæ Calicem: en debet titulo Religionis. Vendit postmodùm, accepto pretio, eidem Ecclesiæ Calicem: en debet titulo *justitiæ*: Vtrique autem, licèt uterque non sit justitiæ, non fit satis per

Suarez.

unum

Universidad de Deusto
Biblioteca

unum Calicem. Si primum: sive tituli sint ex justitiâ, sive non: non multiplicant materiam debiti, & utrique per unicam solutionem satisfieri potest. Patet consequentia in casu, quo Titius promittat Annæ, ipsam ducere in uxorem, idemque postmodum Patri promittat: ea duplicem titulum ex justitiâ, cui sic satis per unicam solutionem Regula ergo data, vera non est. Adde, in casu nostro titulos debiti, aut fuisse, aut esse potuisse ex justitiâ: nam debitum ortum ex peccato est ex justitiâ: debitum antecedens, quo Christus debebat omnia Deo, pariter erat ex jure supremo dominii Divini, atque adeò ex justitiâ.

285 Nec secundò refert ob hæc dicere cum eodem, & Godoy, & aliis Modernis, posse fieri satis duplici debito per unicam solutionem quando debitum, aut titulus debiti non multiplicat materiam debiti, sed titulum debendi eandem: tunc enim per bona aliàs debita satisfacis obligationi supervenienti. Sic autem contingere in Christo Domino: nam titulus supervenientis obligationis cadit supra rem aliàs debitam; nequit enim cadere nisi in actiones, quæ sunt essentialiter Deo aliundè debitæ: non est ergo titulus multiplicans materiam debiti. *Godoy. Mumiessa.*

286 Non, *inquam*, refert: imò miror sic quietari viros doctos. Primò: quia contendo hunc titulum debèdi actiones ex delicto, seu ex fidejussione esse impossibilem ex defectu materiæ: omnis enim materia est aliàs debita: & ipse debet esse titulus faciendi debitam Domino rem distinctam ab, omni antecedenter jam suâ: & respondetur bene componi, quia non potest cadere nisi in rem quæ antecedenter sit debita: hoc autem est, quod dico in terminis repugnare, & manifestè excludere præfactam conditionem justitiæ. Secundò: quia licèt, quando tituli sunt subordinati, & non multiplicant materiam debiti, possit multis per unicam solutionem satisfieri, jamdiu desidero regulam aliquam ad cognoscendum, quando tituli multiplicant materiam debiti, quando non: ut ex ipsâ decidatur, an titulus superveniens in præsenti sit de illis, qui multiplicat materiam debiti: atque adeò sit impossibilis ex defectu materiæ.

287 Regula hæc mihi occurrit: quando titulus superveniens est talis, ut habenti, det jus ad exigenda bona, independenter ab eo quòd cètum sint aliundè debita, imò etiam si nullum ad cètum præsupponeretur; atque adeò jus dat, quo Creditor quasi ditior fiat, quàm cū juribus præcedentibus: tunc manifestè titulus supervenies multiplicat materiâ debiti: nec potest huic, & alii titulo satisfieri per unicam solutionē. Quando verò titulus superveniens nec dat jus ad exigenda bona, nisi jam debita, aut casu quo sint aliàs debita, nec dat jus quo, & ut sit ditior Persona quàm cum juribus præcedentibus; non multiplicat materiâ debiti: unde titulus iste communitet respicit materiam, ut aliàs debitam: sicut quando quis vovet restituere rem furto ablatam. Non autem sic se habet titulus nascens ex offensa; sed necessariò est ex illis, qui multiplicant materiam debiti. Dat enim jus ad bona quo possit offensus ea exigere etiamsi ex nullo alio capite deberētur, imò exigens facere ea primò debita. Ratio est, quia titulus iste dat jus ad bona, quibus offensus in levamen injuriæ potiatur nō potiturus, si non esset offensus: (si enim æquè potiturus esset, quod esset levaminis genus?) & quibus careat in pœnam offensor, aliàs non privandus.

288 Unde brevius præfata Regula elogi posset dicendo: tunc titulos non augere materiam debiti, quando in ipsis non est ratio cur Creditor non debeat esse rationabiliter contentus, etiamsi pro solutione non fiat additio materiæ supra debitam: augere verò, si tales sint, ut dent rationem ne contentus rationabiliter maneat, nisi pro solutione fiat additio materiæ supra debitam. Ex quibus manifestò fit, titulum, quo Christus satisfacere debuit, necessariò multiplicare materiam debiti: atque adeò non posse satisfacere per bona aliàs debita.

289 Nec tertiò refert dicere cum Suarez eodem, & maximè cum Ragusa, & Tannero, eam conditionem intelligi de bonis aliàs indebitis, quando bona sunt finiti valoris: non verò quando sunt valoris simpliciter infiniti, ut accidit in præsenti. Ratio est: quia valor simpliciter infinitus, utpote dicens in se omnem rationem valoris, sufficit ad omne debitum possibile: alioquin si debitum posset excedere valorem, valor nō esset summus. Adde, rationem debiti supervenientis non posse augere simpliciter debitum, quod supponitur: nam debitum, quod supponitur, est simpliciter infinitum in ratione debiti: unde valor exæquans debitum quod supponitur, necessariò debet exæquare debitum ipsum etiam ut conjunctum cum supervenienti. Quidquòd debitum supervenies, *Suarez. Ragusa. Tannerus.*

niens, cùm sit finitum, non potest facere, quòd debitum præcedens ex ipsius additione superet valorem infinitum.

290 Non, *inquam*, refert, licèt solutio habeat multum acuminis. Primò: quia vel ille valor bonorum, secundùm totam suam infinitatem, & æquivalentiam debetur ex titulo antecedenti creditori, vèl non? Si secundum: non est quæstio. Si primum: ergo titulus antecedens est æqualis toti valori, nec ipsi potest satisfieri, nisi per totam infinitatem valoris: ergo præcisim à titulo superveniente haberet creditor in bonis totam illam infinitatem valoris: ergo ex titulo supervenienti nihil habet, quod præcisim ab ipso non haberet: ergo manet creditor, ac si non haberet supervenientem titulum: ergo in casu injuriæ, manet offensus, ac si ipsi non adderetur quicquam pro injuriâ: ergo necessariò se habet, si condonat, ac si gratis condonaret: ergo titulo supervenienti non fit satis per bona aliàs debita, etiamsi sint infiniti valoris.

291 Secundò: quia tunc per bona aliàs debita potest satisfieri Creditori pro debito antecedenti, & subsequenti, quando ratione tituli subsequentis non crescit simpliciter in jure, atque adeò debet manere rationabiliter contentus, etiam si in solutione nulla fiat additio materiæ supra alias debitam; atqui in casu injuriæ crescit creditor simpliciter in jure, nec debet rationabiliter esse contentus, nisi fiat pro satisfactione additio materiæ supra aliàs debitam: ergo per bona alias debita, etiam si sint infiniti valoris, non potest satisfieri juri per injuriam acquisito.

292 Tertiò: quia tunc per bona infiniti valoris, licèt alias debita, potest pro pluribus titulis satisfieri, quando tituli vel sunt finiti, vel ordinis inferioris. Dicis: Christus per eadem bona, quia valoris infiniti, satisfecit titulis alioquin infinitæ obligationis, puta, Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, & supremi Dominii. Dico hos titulos esse adinvicem inseparabiles, & subordinatos, ut in Deo sunt perfectiones, & jura, in quibus fundantur. Secus accidit in præsenti.

293 Nec quartò refert dicere cum eodem Suarez, eam conditionem solùm requiri in restitutione pecuniæ; non verò in satisfactione offensæ. Ratio discriminis est: quia in restitutione pecuniæ requiritur translatio Dominii, vel quòd Persona, cui fit restitutio, acquirat dominium, & usum rei pro damno: hoc autem fieri nequit ratione bonorum, quæ antecedenter *jam* sunt ipsius: at in satisfactione solùm requiritur, quòd Personæ offensæ reddatur tantundem reverentiæ, & honoris, quantùm injuriæ passa est, sive id fiat cum translatione, sive sine translatione alicujus dominii. *Suarez.*

294 Non, *inquam*, refert. Quia ideò in restitutione requiritur ne fiat ex aliàs indebitis: quia alioquin æquè maneret creditor deterioratus, facta, ac non facta restitutione: quare necessariò deberet intervenire remissio debiti; atqui si satisfactio fiat ex aliàs debitis, æquè etiam manet offensus deterioratus, facta, ac non facta satisfactione: necessariòque debet intervenire remissio: ergo nullum inter utramque discrimen est quoad præsentem conditionem.

295 Nec quintò refert dicere cum Oviedo, Lugo, Prudentio, Aldrete, & aliis modernis: eam conditionem sic debere intelligi, quòd bona, per quæ fit satisfactio, vel restitutio, non sint aliàs debita proximè, licèt radicaliter, & remotè sint debita. Esse debita proximè, est, a/unt, ita deberi, ut exigantur à Domino: esse debita remotè, est, ita deberi, ut possint exigi à Domino, non tamen exigantur: vel quia Dominus non vult exigere; vel quia quasi cessit jure exigendi, obligando se ad ea non exigenda ex alio titulo. Sicque asserunt accidisse cum Christo Domino. *Ovied. Lugo. Prudent. Aldrete.*

296 Non, *inquam*, refert, licèt hæc ratio sit *jam* valdè plausibilis. Primò: quia non exigi potest componi cum proximè deberi. Pono casum, in quo quis habeat jus ad pecuniam titulo mutui, aut commodati. Certè licèt non exigat, debetur ipsi proximè pecunia: ratio est, quia potest ex justitiâ exigere; nec isti creditori potest fieri satis pro titulo commodati, & titulo supervenienti venditionis per solam pecuniam, quæ licèt non exigatur, potest exigi titulo solo commodati. Secundò: Si Christi opera exigerentur à Deo titulo supremi dominii, ut fatemini posse, essentque Deo proximè debita: rogo: vel posset per illa Christus satisfacere pro injuriâ, vel non posset? Si primum: ergo impertinens est distinctio, nullaque haberi debet ratio tertiæ conditionis. Si secundum: ergo contingere potest, quòd Christus per sua opera nequeat satisfacere pro peccatis: quod mihi est maximè durum. Deinde: ergo necesse est, ut Christus satisfacere possit, quòd Deus quasi cedat juri

plus

Universidad de Deusto
Biblioteca

plus valenti, quàm offensa. Atqui hoc opponitur rigori satisfactionis, & justitiæ.

297 Minor ostenditur primò: quia necessariò intervenit gratia, ut obsequium aliàs inæquale debito, extendatur ad illud, ut ponderabam *disp. 2. sect. 3. à num. 76.* Secundò: quia qui cedit juri, ut sibi satisfiat pro altero superveniente, est moraliter dare debitori, quo sibi satisfaciat; atqui dare debitori, quo sibi satisfaciat, est moraliter remittere debitum gratis: Tunc enim dicitur creditor remittere debitum, quando se gerit cum debitore, quoad propria bona, & jus ad illa, quasi sibi non fieret satisfactio, manetque contentus eo modo se gerere. Sed qui ex propriis bonis plus amittit, ut sibi satisfiat pro debito consequenti, quàm sit jus ipsum consequens, manet contentus se gerere cum debitore, ac si nulla sibi fieret satisfactio: ergo gratis remittit. Vide quæ diximus *loc. citat.* & quæ tetigi *à num. 281.* pro ratione dubitandi.

Suprà disp. 2. à nu. 76.

Suprà à nu. 281.

298 Nec sextò refert dicere cum Arriaga, & Antonio Perez, tunc, esse rem debitam ex alio titulo, obstare, ne per ipsam fiat satisfactio pro titulo superveniente, quando componi hæc duo non possunt, nempè rem esse debitam ex alio titulo, & manere sub dominio debitoris, ratione cujus possit exigere aliquid pro re suâ. Si enim, non obstante ratione aliàs debiti, manet in debitore dominium, & jus ad exigendam retributionem pro re, quam donat Domino, potest per ipsam pacisci, licèt aliàs debitam: v. g. sit homo dives extremè indigens panc: teneris succurrere ex misericordiâ dando panem: non tamen teneris dare gratis: quia facis rem retributione dignam, & ipse, cùm sit dives, potest retribuere. Et ratio videtur esse: quia licèt qui sic dat Domino rem aliàs suam, non augeat positivè *jura* Domini; auget negativè, faciendo per privationem quam inducit sui dominii, ut solus ille sit Dominus; sic autem cõtingit in Christo, qui habebat speciale dominium in actus suos, non impeditum à Dei dominio circa eosdem.

Arriaga. Ant. Per.

299 Non, *inquam*, refert, licèt hæc acutè dicantur. Primò: quia eatenus requiritur ad satisfactionem, saltem ex rigore *justitiæ*, quòd non fiat ex aliàs debitis, quatenus opus est, ne ille, cui fit satisfactio, maneat æquè deterioratus, factâ, ac non factâ satisfactione; atqui eòipsò quòd fiat per bona aliàs debita, licèt sint etiam debitoris, manet creditor æquè minùs habens, ac si non fieret satisfactio: nam ea omnia, simul cum abdicatione dominii ex parte debitoris factâ, debebantur independenter à novo titulo superveniente: ergo, &c. Secundò: eatenus ad summum qui habet *jus* ad bona aliàs debita, potest per illa pacisci cum eo cui sunt aliundè debita, quatenus vel non æquè debet abdicationem dominii quam facit, vel quatenus facit magis Dominum, vel quatenus *jura* ad rem, & res sunt eòipsò illi, cui aliàs debebantur, majoris æstimationis, ac erant ut sub dominio cadebant: si enim nihil horum sit, certè per bona aliàs debita non video quomodo Dominus possit ex justitiâ obligari; atqui à Christo in Deum, nihil horum intervenire potest: ergo.

300 Tertiò: quia vel illa bona aliàs debita absorbentur ex primo titulo ex quo debebantur, vel non? Si secundum: ergo non sunt omninò aliàs debita. Si primum: ergo alter titulus superveniens manet sine satisfactione. Quartò: quia exempla, quibus hæc ratio se munit, non veniunt ad rem. Tùm quia ille dives non potest dici extremè indigens, cùm habeat, unde panem emat. Tùm etiam: quia aliud est posse exigere retributionem, positâ promissione; aliud, eâ non positâ. Ex quibus omnibus facilè colligetur Christum non satisfecisse ex rigore justitiæ ex defectu tertiæ conditionis.

301 Respondeo, & *assero* non defecisse Christi satisfactioni tertiam conditionem, nempe, quòd sit ex indebitis aliunde. Ratio: Opera Christi Domini nec erant, nec esse poterant aliunde debita, de quo multa *disp. 2. dedimus sect. 3.* Addo nunc authoritatem Anselmi *lib. 2. cur Deus homo cap. 19. med.* quam *ibi* omisi: & sic se habet: *Dominus Iesus non debuit facere, quod fecit, quia non ex debito. Nempe, quoniam ipse idem est Deus, & homo: secundùm humanam, ex quâ fuit homo, sic accepit à Divina Natura, quæ alia est ab humana, esse suum quod habebat, ut nihil deberet dare, nisi quod volebat. Secundùm Personam verò, sic à seipso habebat, quod habebat, & sic perfectè sibi sufficiens erat, ut nec alii quicquam retribuere deberet, nec, ut sibi retribueretur, dare indigeret.*

Nostra mens.

Suprà disp. 2. sect. 3. Latè à nu. 75.

Anselmus.

302 Quod verò opponit Bernal *disp. 7. sect. 5. nu. 78.* de servitute Christi per textus, ubi Deus appellat *servum*, & *se Dominum*: ex quò infert Deum exegisse à Christo opera ex dominio proprietatis, solvit Aldrete dicendo verificari, quia Deus præcipiebat Christo non ex dominio proprietatis, sed attendens ad ipsum tanquam in id, unde oritur dominium jurisdictionis. Ego dissolvo negans rigerem sensûs in illis vocibus, ut *infrà cum de servitute Christi* disputetur. Maneat nunc Christ. satisfactionem non defecisse ex summo rigore justitiæ ex defectu tertiæ conditionis.

Bernal.

Aldrete.

Lib. 1. disp. 5. à nu 3.

§. V.

IVDICIVM DE QVARTA, ET QVINTA Conditione.

203 QVarta Conditio videtur deficere: quia valor operum, per quæ Christus satisfaciebat, non erat ipsius satisfacientis proprius: nec item entitas actuum, super quos cadebat ille valor: ergo satisfactio Christi esse non potuit ex bonis propriis satisfacientis. Antecedens ostenditur, quoad primam partem: nam valor erat ipse Creditor, nempe Deus: quoad secundam: nam illa entitas actuum erat ens creatum. Vrgetur primò: nam si valor operum esset proprius Christi, esset proprius voluntatis creatæ: sed valor ille est ipsa Dignitas verbi: ergo ipsa dignitas verbi esset quasi subjecta voluntati creatæ. Quis hoc asserat? Vrgetur secundò: Christus Dominus non habebat sub suo dominio actum, vel non habebat in bonis suis actum, pro priori ad ipsius elicientiam: quia non erat, pro priori, talis actus: sed neque pro posteriori: nam eoipso quòd sit, fit à Deo, & manet Dei, Deusque solus habet facultatem utendi illo ente pro libito, & non Christus: ergo nullo modo erant in bonis propriis Christi.

304 Dices cum communi recursu Recentium: libertatem, quam negare Christo non possumus, esse aliquale dominium, vi cujus fiebat, ut actus inciperet esse sub dominio Dei: quod sufficit ad rem præsentem. Contra: quia libertas ponendi, vel non ponendi rem non est dominium speciale, quode loquimur, cùm de *justitiâ* loquimur. Nam & servus habet hanc physicam libertatem in actiones serviles sine dominio: unde quicquid operatur, quia eoipso quòd sit, est Domini, non potest dici proprium servi. Sed de his statim.

305 Respondeo, & *assero* non defecisse Christi satisfactionem à rigore justitiæ ex defectu quartæ conditionis. Christus enim habebat strictum, & speciale dominium in suâ opera, & valorem ipsorum, ita ut obligare Deum posset, per eorum exhibitionem, ut ex multis hucusque dictis constare potest: & explicabo *mox ad quintam conditionem.* Nec obest, quòd ipsa Dignitas Dei sit, unde valor sumitur; ne dicatur proprius Humanitatis: sicut neque obstat, ne sit Titii v. g. valor resultans in monetâ ex voluntate Principis; aut ne offensa, quâ peccator Deum offendit, & quam in Sententia Thomistarum gravificat ipsa Dignitas Dei, sit & dicatur propria peccatis, quantùm oportet ad rationem injuriæ: & ratio pro re præsenti est: quia ea dignitas eatenus est valor operum, quatenus impenditur in opere: quòd autem impendatur, proprium est Voluntatis creatæ Christi Domini. Nec item obest, quòd materiæ valoratæ entitas sit ens creatum: *jam suprà de* hoc decidimus *disp. 2. nu 33. & disp. 3. nu 23.*

Suprà disp. 3. à nu 184. & mox à nu. 314.

Suprà disp. 2. nu. 33. & disp. 3. à nu. 23.

306 Ad primam confirmationem, dico eam dignitatem esse voluntatis creatæ, non quidem, absolutè, & secundùm se, sed in exercitio valorâdi. Ad secundam, dico, Christum Dominum habere in suis bonis moraliter actus suos, antequàm sint: quia habet jus ex quo venire solùm hîc, & nunc potest, ut sint, aut non sint; & physicè, dum sunt: quia licèt ex jure naturali communi, omne, quod est, est Dei, potestate expeditâ faciendi & utendi pro libito; tamen ex jure speciali liberè dato Humanitati, & naturali Christo, non omne, quod est à Christo, est Dei potestate expeditâ utendi pro libito, nisi accedat voluntas ipsius Christi, cui Deus, ex prævio usu sui Dominii obligavit usus rei, & se ad non impediendum, ut *supra*, & *sæpè* dictum, & *mox* inculcabitur: non ergo deficit Christi satisfactioni justitiæ rigor ex defectu quartæ conditionis.

Suprà loc. cit. & alib. Vide P. Martinon. tom 1. disp. 17 sect. 3. nu. 24.

307 Quinta conditio, ne scilicet satisfactio fiat ex bonis Creditoris, seu ex bonis, quæ simul sint sub dominio Creditoris, videtur apertè deficere. Ratio est, quia nihil assignari potest quod sub dominio Dei non sit. Eo autem ipso, Deus æquè manet minus habens positâ satisfactione, ac præcisim ab ipsa: quomodo ergo satisfit ex rigore justitiæ? explicatur difficultas: sit Titius, qui habeat titulo depositi centum Pauli; & furetur alia centum ab ipso: quis censeat satisfacturum Titium eo præcisè quòd Paulo restituat centum, quæ titulo depositi habet? Et ratio videtur esse, quia ut fiat satisfactio ex rigore justitiæ, requiritur, quod is, cui fit satisfactio, aliquid incipiat habere in bonis suis

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod, nisi facta satisfactione non haberet: atqui omnia, quæ quisque jam supponitur habere sub suo dominio tam physico, quàm morali, non potest plùs in bonis habere: ergo necessariò Christi satisfactio deficere debuit à rigore justitiæ ex defectu quintæ conditionis.

Suarez. 308 Huic difficultati responderi solet à multis cum Suarez, eam conditionem requiri cum satisfactio fit per modum restitutionis, non verò, cùm fit per modum puræ satisfactionis. Ratio discriminis sumitur ex eo quod inter Restitutionem, & Satisfactionem intervenit. Restitutio enim, quia tendit ad reparandum damnum in rebus, necessariò exigit non fieri per bona, quæ jam sint sub dominio morali, & physico Domini, cui fit restitutio: nam sic, semper Dominus maneret cum damno æquali. At satisfactio, quia versatur in actionibus, & solùm intendit impendere tantum obsequii, quantùm inhonorationis fuit in offensâ, solum videtur exigere quod sufficit, ut actio sit obsequiosa: quicquid sit an eòipsò quòd sit, debeat cedere Creditori, nullaque proinde fieri possit translatio jurium. Cùm autem ut actio sit obsequiosa, sufficiat dominium libertatis in operante, quo certè non caruit Christus: inde est per actiones illas potuisse Christum satisfacere Deo, quamvis actiones essent sub Dei dominio: quia Dei Dominium non obstabat illi speciali Dominio libertatis, quod Christus habebat ad suas actiones.

Doctor. Eximius. 309 Addunt (id quod satis advertit Eximius Doctor,) actiones Christi esse subjectas speciali Dominio ipsius Christi: Christi enim erat illas elicere, vel non elicere: Deum verò habere dominium in ipsas, quasi remotè, & in actu primo, dum non erant; proximè, & in actu secundo, dum erant: cùm ergo Christi Domini esset, eas ponere, vel non ponere, Christus liberè ponebat eas sub actuali dominio Dei, sub quo, nisi Christus vellet, non essent. Id autem sufficit pro rigore prædictæ Conditionis.

310 Incipio ab hoc additamento, quo Moderni se tutos putant: & arguo primò sic: ergo actiones Christi, eòipsò quòd essent, necessariò erant Dei, ut Domini, non minùs, ac fructus arboris sunt Domini, cujus est arbor, eòipsò quòd sint, & opera servi sunt Domini cujus est servus eòipsò quòd sint. Videtur enim id concedi. Nunc sic: ergo sicut Domino nequit fieri satisfactio pro debito, per fructus suæ arboris, vel per opera servi sui; ita neque Deo pro offensæ debito per actiones Christi. Deinde rogo: vel Christus debet ex justitiâ ponere eas actiones, quæ eòipsò quòd sint, sunt Domini, vel non? Si non debet: erit nostra solutio: plùs enim habet quàm dominium naturale libertatis. Si debet: ergo non aliter se habet, ac servus in elicitia suorum operum: atqui servus per ea, quantumvis in manu ejus sit ponere vel non ponere (ut certè est) non potest satisfacere Domino pro injuriâ: ergo neque Christus.

311 Unde Arguo sic: esse alicui liberum ponere actionem, vel non ponere, non est esse Dominum actionis, dominio, quod requiritur ad exercitium justitiæ: licèt ex eo exercitio libertatis pendeat, quòd alteri quasi augeatur dominium actuale, seu in actu secundo: Patet in servo, & aliis exemplis, quæ doctè accumulat P. Bernal *disp. 7. sect. 3. §. 2.* ergo quòd Christus fuerit liber in ponendis actionibus, quæ alioquin eòipsò quòd essent, erant sub dominio Creditoris nempe Dei, nihil lenit præsentem difficultatem. Adde dominium Dei in actus nostros liberos non pendere à nostræ libertatis exercitio tanquam à causa dante jus, sed tanquam à merâ conditione, quâ positâ, Deus ex se habet jus in illos, tùm ex dominio quod habet in causam, tùm ex actuali concursu: ad eum modum, quo Dominus arboris est Dominus fructuum, positâ eorum productione, factâ ab arbore, non tanquam à dante jus, sed puram conditionem, quâ jus arboris extenditur in fructus. *Bernal.*

312 Iam illud discrimen restitutionis à satisfactione non videtur ad rem ex *nu.* 294. Addo, & arguo sic: aliud est, obsequium habere conditiones obsequii; & aliud, habere conditiones justitiæ. Ratio est: quia obsequium si debeatur titulo feudi, certè pro offensa non potest rationabiliter offerri tanquam jus, ut offensus deponat jus acquisitum ex offensa: cujus ulterior ratio est, quia sic cogeretur offensus manere sine ullo quasi levamine doloris, & quasi nullâ factâ satisfactione condonare: ergo non quidquid sufficit ut actio maneat obsequiosa, sufficit, ut sit satisfactoria, saltem ex rigore justitiæ.

313 Confirmatur. Ideo restitutio fieri nequit per bona Creditoris, quia Creditor cogeretur manere, quasi nulla esset: sed si satisfactio fiat per bona Creditoris, etiam cogitur manere, quasi nulla fieret satisfactio: ergo penès hoc nullum discrimen est inter satisfactionem, & Restitutionem. Illud tamen placet advertere, quod ex ista solutione nascitur, estque verissimum: nempè distinguendum valde inter dominium circa res manu tractabiles, & dominium inter res, quæ sunt actiones, & quasi usus, & usu transeunt, quales sunt omnes actiones nostræ obsequiosæ, & similes, quæ bene comparantur illis rebus, quæ dicuntur usu consumi. Penès istas (nam de dominio circa illas non est cur quicquam hîc notem) dominium specialiter consistit eo quòd ponas, aut non ponas, hac, aut illâ intentione, ad hunc vel ad illum finem pro arbitrio tuo, nullis aliorum juribus ligato. Nolle enim ponere, est eas tibi retinere moraliter: velle illas ponere ex hoc vel illo fine est illas expendere, & alteri dare. Nunc

314 Respondeo, & *assero* non deficere Christi satisfactioni quintam conditionem, quantùm requiritur ad rigorem justitiæ. Ratio, quia eatenus ad rigorem justitiæ pro satisfactione præstandâ requiritur ne fiat ex bonis creditoris, quatenus ita sint sub dominio Creditoris, ut debitor ea ipsa debeat Creditori; si enim Debitor ita habet in suis bonis, ut ea non debeat dare ex ullo stricto debito Creditori, bene potest per ipsa illi satisfieri: quia licèt sit eorum Dominus, habet (ut cum multis loquitur Pater Aldrete *disp 12. sect.4 nu.7*) dominium impeditum, & ligatum quoad usus rei, geritque se habiliter, quoad fines contrahendi: illaque bona quoad eorum usum se habent in dominio debitoris ex pacto ea nec exigendi, nec ultra impediendi, quasi privilegiata à dominio Creditoris: cui proinde, cùm pro suo libito possit expedire dominium debitor; dando ea, se gerit quasi moraliter dando Dominium. *Aldrete. Legatur specialiter P. Martin. de Deo disp 17. sect. 3. nu.24.*

Supra nu. 109. 315 Exinde diximus *nu.* 109. posse eum qui habet equum Titii ad usus per annum obligatos sibi ex contractu, solvere Titio debitum valentem tantùm, quantùm usus equi per annum, restituendo post contractum celebratum ipsi Titio rem suam. Cùm ergo Christus ita habeat sub dominio suo actiones suas, ut neque Deo debeat, neque Deus possit eas exigere, solùmque sint, ex suppositione gratiæ liberè factæ, sub dominio Dei per usum non exigendi eas, nec impediendi circa eas Christo Domino, quos velit usus; atque adeò sint sub dominio Dei cum pacto non obligandi Christum, ut eas ponat, aut sibi reddat; potest ipsi per illas ex toto rigore justitiæ satisfacere sine defectu quintæ conditionis.

§. VI.

IVDICIVM DE RELIQVIS CONDITIONIBUS

316 Sexta conditio erat, ut satisfactio fieret ab ipso offensore: hæc autem apertè deficit. *Dicit* Ragusa, non deficere: quia sumus moraliter nos in Christo, & repræsentamur in ipso tanquam in Capite. *Dicit* Suarez, eam conditionem ad rigorem justitiæ commutativæ, de quâ hic loquimur, non requiri: intendit enim æquare jura Creditoris, quæ sive per actiones offensoris, sive per alterius æquantur, positâ satisfactione condignâ. *Dicit* Aldrete, eam conditionem non requiri, si creditor malit sibi per alium satisfieri, aut præsumitur malle, quia exinde fiet ipsi copiosior satisfactio: aut certè non requiri, quando offensor est impotens satisfacere per seipsum, & vult per alium satisfieri ad æqualitatem offensæ: quod utrumque ait contingere in Christi satisfactione. *Ragusa.* *Suarez.* *Aldrete.*

Primum: quia Deus maluit satisfieri sibi à Christo. Alterum: quia per aliquam alligationem nostrarum voluntatum ad voluntatem Christi, in Christo volente satisfacere pro Peccatis nostris, volebamus & ipsi: tanquam Pupillus dicitur velle, quod Tutor facit. Hæc *alii*, quæ suam probabilitatem habent.

317 Dico ipsè, (quod video esse moraliter certum,) eam conditionem eatenus requiri, quatenus ex ejus defectu debuisset in satisfactione misceri aliqua Gratia ex parte Creditoris, & offensi, quæ minuere videtur rigorem justitiæ: & hæc gratia consistit in eo quòd offensus posset non acceptare satisfactionem oblatam ab alio. Cùm verò satisfactionem Christi, Deus non posset non acceptare, nulla miscetur Gratia, neque minui potest justitiæ rigor, ex eo quòd satisfactio non sit ab ipso qui offendit. Quare respondeo, & *assero* Christi satisfactioni non defecisse rigorem justitiæ ex defectu sextæ conditionis. Ratio est, quam insinuavi, de quâ *mox*, & ex professo diximus *disp 3. sect.4. à num.*184. *Mox à nu. 321. & supra disp. 3. à nu.*184.

318 Septima conditio pariter videtur deficere: nempe quòd satisfactio debita sit ab exhibente. Ratio conditionis est evidens: quia quod non debetur, non redditur ex justitiâ, sed erogatur ex liberalitate, vel aliâ simili virtute. Ratio, cur deficiat, est: quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus Dominus satisfaciens neque reddit, quod ipse debet, ut patet: neque quod nos debebamus: quod enim nobis erat impossibile, nó poteramus debere. Contendere quis posset ex Patre Suarez, juxta doctrinam exhibitam *nu.* 180. doctè explicatam à Mariano Doctore *disp. illà celebri de Incarn. 4. sect. 5. § secunda difficultas*, posse exerceri actum strictæ justitiæ, sine prævia obligatione faciente rem antecedenter debitam: quam juvare se dicit Godoy *disp 6. §. 4. à nu. 81. & 82.* sed juvat ipsâ manu Magni Suarez. Omissis his tamen: Dici potest imprimis: licèt satisfactio Christi non sit debita ex nostro peccato, quia nobis, qui manemus ex ipso debitores, est impossibilis: tamen positâ Fidejussione ratione peccati, facta jam est debita, quantùm sufficit, ut eam exhibeat ex obligatione justitiæ.

P. Suarez.

Godoy.

319 Nec obstat instantia facta ab acuto Moderno, nempe quòd tunc non debetur satisfactio ex nostro peccato, sed ex propriâ obligatione: oportet autem ad satisfactionem ex justitiâ, quòd satisfactio debeatur ex injuriâ. Nec obstat alia communis: quia Fidejussor debere nequit quod non potest debere principalis, cui fidejubet. Non, inquam, obstat prima: nam ad satisfactionem ex justitiâ sufficit deberi ex obligatione contractâ ratione injuriæ, & pro injuriâ tollendâ nomine illius qui commisit. Non secunda: quia fidejussor debere potest, quod principalis unicè debere desinit ex propriâ impotsibilitate, & pauperie, vel saltem æquivalenter debet.

P. Anton. Vson.

320 Unde dico secundò, sufficere ad solutionem, & satisfactionem ex justitiâ, quod debeatur vel formaliter, vel æquivalenter; determinatè vel disjunctivè, vel saltem conditionatè: aliquo autem modo ex his jam erat debitum à nobis satisfactionis onus, quod in se Christus transtulit: nam saltem conditionatè, vel æquivalenter in satispassione debebamus: tenebamur enim ratione peccati vel ad satisfactionem, vel satispassionem: & ad istam determinatè, nisi intercessisset Christi satisfactio, succedens loco satispassionis à nobis debitæ, & illi superabundanter æquivalens. Quare respondeo, & *assero* ex dictis, neque defecisse Christi satisfactionem à rigore justitiæ ex defectu septimæ conditionis.

321 Octava conditio videtur multis omninò deficere, nempe quòd satisfactio posit non acceptari à Creditore: Nam Christi satisfactio potuit non acceptari. Responsio communis ex Patre Suarez, de quâ videndi sunt specialiter ipse, & Pater Ragusa *totâ disp. 21. & 22.* & Pater Martinon *disp. 2 sect. 10. à nu. 108* est, eam conditionem eatenus requiri quatenus ea libertas non acceptandi nascitur ex defectu valoris, & æqualitatis ad debitum: si verò ea gratia acceptationis non requiritur, ut det æqualitatem, & valorem sufficientem satisfactioni, sed ut pretium alioqui cõdignum applicet in actu secundo, ajunt, non requiri, quia ea gratia, quæ non remittit de rigore pretii, & solutionis, non remittit rigorem justitiæ: ut patet in contractu emptionis, & venditionis, & in contractu quo justo ptetio captivum redimis: in quibus servatur justitiæ rigor, quamvis necessaria sit acceptatio libera ex parte illius, qui vendit, aut qui est Captivi dominus. Cùm autem acceptatio ex parte Dei supponat summam æqualitatem cum debito in Christi satisfactione, sit eam necessitatem liberæ acceptationis non officere rigori justitiæ.

Suarez. Ragusa. Martinon.

322 Quòd si *instes*, Rigorem satisfactionis ex justitiâ, imitari Restitutionem, quæ non requirit consensum creditoris, ut eâ præcisè posità cesset debitum. *Respondent*, imitari Restitutionem, non quæ sit per rem individuam v.g. furto ablatam, sed per æquivalentem, quæ necessariò requirit consensum creditoris.

323 Quòd si *instes* iterum, cur requiratur ad satisfactionem hujusmodi consensus creditoris, cùm non requiratur ad Restitutionem secundùm se?

Respondent primò: quia talis satisfactio fit per modum contractûs, quo quasi emitur captivi libertas, & remissio injuriæ: fit enim per modum meriti. Secundò: quia cùm satisfactio respiciat inhonorationem Personæ, quam intendit reparare: & cùm sæpè pertineat ad honorem Personæ, ut eligere possit hanc aut illam satisfactionem, aut potiùs pœnam loco illius, necessariò debet dari libertas in acceptandâ hac determinatâ satisfactione: non tamen ob id remittitur quicquam de rigore pretii, atque adeò neque de rigore justitiæ. Fateor probabilitatem solutionis: quâ tamen ipse non egeo, qui *disp. 3. à num.* 184. latè defendi Christi satisfactionem non posse non acceptari à Deo. Præter multa, quæ *ibi* discussi, & fusè promovi.

Suprà disp. 3. à nu. 184

324 Addo ulteriorem authoritatem, & rationem: Authoritas est Patris Quirós *disp.*

P. Quirós.

In 1. 2. Tract. 3. 63. *de Voluntate Dei sect. 3.* ubi disputat de objecto divinæ condonationis extrinsecæ, (si sit possibilis; quod plenè nego,) & divinæ dispensationis, & præcepti, singulariter opinantis in gloriâ Christi Domini, objectu voluntatis divinæ condonativæ, dispensativæ, & præceptivæ: imò connotatum, quo voluntas necessaria Dei constituitur in liberâ denominatione volentis condonare, dispensare, vel præcipere, esse actus similes Christi Domini: ita ut velle Christum dispensare, condonare, & præcipere impræscindibile sit ab eo quòd Deus eo modo velit condonare, præcipere, & dispensare: quòd certè sine nostrâ doctrinâ stare nequit.

325 Ratio nunc mihi ulterior est: quia Christus titulo Filiationis naturalis est universalis hæres Dei; atque adeò Deus ex justitiâ tenetur, & obligatur Humanitati suppositi Hypostaticâ Unione, quæ vinculum est filiationis naturalis Dei, dare quicquid ipsa simpliciter, & efficaciter velit: quia nihil potest petere, quod titulo hæreditatis sibi ex justitiâ debitæ, sibi non correspondeat. Quare respondeo, & *assero* Christi satisfactionem non defuisse à rigore justitiæ ex defectu octavæ conditionis.

326 Nona, & ultima conditio, de æqualitate arithmeticâ inter datum, & acceptum: inter satisfactionem, & injuriam, & inter ablatum, & restitutum, quæ necessario intenditur à justitiâ commutativâ, manifestè deficere videtur Christi satisfactioni: ut inter alios sponderat Pater Bernal *disp. 7. tota sect. 6.* Nam Christi satisfactio fuit infinitissimè major injuriis, & infinitè superabundans.

Bernal.

327 Respondeo, justitiam non tam respicere æqualitatem arithmeticam rerum, quàm jurium, ita ut positâ actione justitiæ neque creditor posset exigere quid plus, neque rationabiliter debeat esse contentus, dante debitore quid minus: sive id, quo plus nequit exigere creditor, & quo minus nequit offerre debitor ad satisfactionem, sit aliundè superexcedens offensam, sive solùm æquale: quomodo enim cumque se habeat, si obsequii pretium tale est, ut nec plus ipso, nec minus dari debeat, invenit in ejus exhibitione justitia totam suam æqualitatem arithmeticam, & primarium finem ipsius, qui est, ut neutri parti quicquam juris superfit ad amplius.

328 Cùm ergo satisfactio Christi licèt alioqui superexcedens offensam, tota necessaria sit, ne quid minùs accipiat offensus, & creditor, & iste eâ datâ, non possit exigere plus, titulo offensæ: patet in ipsâ inveniri totam illam arithmeticam æqualitatem, quam intendit justitiæ rigor. Quare neque ex defectu hujus ultimæ conditionis deficere debuit Christi satisfactio à summo rigore justitiæ. Videatur de materiâ argumenti Godoy parùm aliter solvens *disp. 6. §. 4. à num. 67.* Nobis hæc de conditionibus strictæ justitiæ, deque ejus rigore in Christi satisfactione sint satis.

Godoy.

SECTIO VIII.

RESOLVITUR CONTROVERSIA CAPITALIS: ubi de speciali rigore justitiæ in Christi satisfactione.

329 Conclusio sit: Christi Domini satisfactio fuit secundùm summum rigorem justitiæ, seu ex toto rigore justitiæ. Hic per tot difficultatum ambages iter erat. Ostenditur primò authoritate. Et eam imprimis sumo *ab Scripturâ.* Nam passim Christi Domini satisfactio significatur per voces *Emptionis, Solutionis, pretii magni, & justitia inundantis*, dicturque ab Apostolo facta, vel *disposita* à Deo *ad ostensionem justitiæ suæ*: quæ voces manifestè sonant rigorem strictæ justitiæ, & adeò claræ sunt, ut jure dixerit Salvianus *lib. 4. de Providentiâ* loqueus de Mysterio Incarnationis: *in illo, in justitiæ speciem ipsa magnitudo justitiæ habere videtur.* Mitto expendere loca, quia frequentia, & obvia sunt.

Salvianus.

330 Deinde sumo à Sanctis Patribus, quorum primus sit Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus qui *tomo 6. Concil.* nempe *Concilii Ephesini cap. 7.* disertè ait: *Exactum debitum ad justitiæ amussim* (seu rigorem) *exæquatum esse in Christi satisfactione.* Habes ejus verba *disp. 2. num. 9.* Succedat Basilius Seleuciensis, qui *orat. 1. de Incarnatione* ait: *Per Christum Dominum omnem justitiæ rationem expletam fuisse.* Legi possunt insuper Anselmus *lib. 2. cur Deus homo cap. 20.* Sanctus Thomas 4. *contra Gent. cap. 54. num. 6.* Mitto alios, & ad ea videnda apud Suarez *disp. 4. sect. 2. 3. & 6.* qui jure dicit cõvinci per hæc se de veritate sententiæ nostræ: nam ubi Patres, & Scriptura conspirant in voces significantes rigorem justitiæ in Christi satisfactione servatum, non debet eas alienare Theologus, nisi cùm materia

Proclus. *Basilius.* *Anselmus.* *Thomas.* *Suarez.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

teria cogit, aut evidentia absurdi.

331 Ostenditur secundò ratione: Nam ex nullo capite potuit deficere Christi satisfactioni justitiæ rigor. Vel enim, quia Deus obligari nequit ex strictâ justitiâ: & hoc est falsum ostendimus *sect.* 2. & 3. vel quia nos peccando non committimus *in justitiam*; & hoc non officere vidimus *num.* 14. & omnino falsum *sect.* 4. à *num.* 183. Vel quia in Christi satisfactione servatæ non sunt conditiones strictæ justitiæ: & hoc etiam esse falsum vidimus *sect.* 7. à *num.* 259. Nullum autem aliud restat caput, ex quo præsumi possit ille defectus à rigore justitiæ: ergo in Christi satisfactione servatus est summus justitiæ rigor.

Supra sect. 2. & 3. & nu. 14 & sect. 4 à num. 183. Et rursus sect. 7. à nu 259.

332 Sed, quando hic sumus, juvat assignare modum specialem, quo juxta doctrinas nostras possit exponi rigor justitiæ in Christi satisfactione, & obligatio justitiæ in Christi satisfactione, & obligatio justitiæ ex parte Dei erga Christum. Quem modum ut explicemus, *notanda* sunt *quatuor*.

333 *Primum*: Deus Personis purè creatis, in ordine supernaturali (de hoc enim specialiter loquimur, ut omittamus speciem illam *justitiæ*, quam in ordine naturali, dando unitui quod ratione exigentiæ, vel inclinationis ad certum finem videtur suum, servare Deus dicitur à Magno Dionysio passim *lib. de Divinis Nominibus*) obligari non potest ex justitiâ, nisi ex suâ promissione, consistente in proposito rem faciendi imposterum nobis sub aliquâ conditione nostri operis, notificatâ nobis ipsis: vel ex infusione alicujus accidentis superni, quod habet vim cujusdam promissionis qualis est probabiliter apud me infusio Gratiæ habitualis, vi cujus, si eam homo peccato non abjiciat, vult Deus debere gloriam ex justitiâ. Ratio notationis datur latè, & eximiè à Patre Suarez *Opuscul. de Iustitiâ & opusc. de libertate Divinâ*: & est Augustini, nempè *quia Deus nulli debet, nisi volens.*

Dionys.

Suarez. Augustin.

334 *Secundum*: Hæc obligatio, quâ Deus dicitur aliquid debere puræ creaturæ, multum recedit ab obligatione naturali, seu juris naturalis, solumque manet in lineâ obligationis positivæ, vel juris positivi. Ratio est: quia obligatio naturalis, seu juris naturalis non fundatur in aliquo contingenti, & quasi supervenienti substantiis, & naturis rerum v. g. obligatio justitiæ, quâ teneris non occidere Proximum, vel non infamare, non fundatur in aliquo superveniente tuæ, & alterius substantiæ. Omnis autem promissio, & supernum accidens, etiam cum conditione ex parte nostri operis conjuncti, superveniunt substantiæ nostræ valdè contingenter.

335 *Tertium*: Obligatio naturalis, seu juris naturalis est illa, quæ non pendet à designatione merè positivâ juridicâ, sed fundatur in ipsâ substantiâ, & Naturâ rerum, respectu quarum est, seu in titulo illis impræscindibiliter, & indispensabiliter annexo: unde quia naturam necessariò comitatur, aut consequitur, dicitur naturalis. Ad quod genus obligationis videtur accedere debitum illud, quo Deus in ordine naturali, seu, ut ajunt alii, tanquâ Author naturæ dispensat unicuique rei connaturalia bona, providetque Naturis singulis juxta dignitatem, aut capacitatem cujusque; sed deficit à rigore obligationis, quia obligatio, quæ moralis dicitur, debet esse inter Personas.

336 *Quartum*: Id habet specialissimum Christus Dominus, comparativè ad omnes Personas purè creatas, quo Deum erga se obligatum habeat ex *justitiâ*, nempè *jus*, quo Deum obligat, non esse ipsi superveniens, sed ab ipso impræscindibile, ipsiusque constitutionem necessariò consequens. Ratio est ex doctrinis *disp.* 2. *sect.* 3. & *disp.* 3. *sect.* 4. fusè traditis: quia tale jus est ipsamet Hypostatica Vnio, vi cujus manet Deus ita obligatus Christo, dare quicquid ipse efficaciter per actum voluntatis creatæ petierit, ut non possit Deus non annuere. Vnde præcisim ab omni promissione, & accidenti supervenienti substantiæ Christi, & sine ullâ novâ liberalitate ultra libertatem producendi Vnionem Hypostaticam, resultat, & est in Humanitate Christi dignitas juris Dei obligans ex justitiâ. Ex quibus, omisso etiam nunc discursu, quem insinuavi *sect.* 1. *num.* 15. ad adstruendam in Deo respectu Christi obligationem ex strictâ justitiâ, licet respectu puræ creaturæ foret ipsi impossibilis,

Suprà disp. 2. sect. 3. & disp. 3. sect. 4.

Sup. nu. 15.

237 Dicendum videtur, eum fuisse rigorem, quo ex justitiâ Deus est obligatus Christo Domino, ut ea obligatio non fuerit ex jure merè positivo, sed ex jure naturali, quæ Deo respectu omnis puræ creaturæ repugnat. Pater assertio ex dictis, & ex hac & illis apparet modus omnino mirabilis, quo Redemptionem Humani generis operata est Sapientia Dei. Cùm enim ejus sit & *attingere omnia fortiter*, & *disponere omnia suaviter*, illud pro Redemptione mediorum ele-

eligit, eligendo Incarnationem, in quo ejus executionem redderet infallibilem, id est, fortissimam, obligatio strictæ justitiæ, eamque obligationis naturalitas redderet suavissimam.

338 Oppones: obligatio juris naturalis non expectat consensum obligati, ut obliget; at Deus non potuit obligari Christo citra suum consensum: liberè enim produxit Hypostaticam Vnionem, quâ se voluit obligare: ergo hujusmodi obligatio non est juris naturalis, sed positivi. Respondeo, obligationem naturalem non excludere consensum producendi subsistiam rei, in quâ fundatur, sed consensum illi supervenientem: quod patet in obligatione Patris humani respectu Filii, quæ est juris naturalis, licèt Pater ullus sit suâ libertate in eo gignendo: & ratio est: quia ut resultet talis obligatio non requiritur ullus novus consensus superveniens. Similiter ergo dicimus Deum posito semel consensu circa positionem Incarnationis, quem liberè posuit, & habet, manere deinceps obligatum sine novâ libertate respectu Christi: quare ea obligatio est & dici debet obligatio juris, non solùm positivi, sed naturalis.

SECTIO IX.

QVÆSTIONES ANNEXÆ PRO TOTIVS Luce, & Coronide Controversiæ.

§. I.

EX QVA VIRTVTE CHRISTVS OBTVlerit satisfactionem: & ex quâ Deus acceptaverit?

339 QVæstio prima: an Christus suam satisfactionem obtulerit ex speciali virtute Iustitiæ? Videbitur alicui post adeò acrem disputationem de rigore justitiæ otiosa hæc quæstio. Sed certè non est: nam aliud est satisfactionem Christi esse ex se materiam aptam rigori justitiæ, servatumque hunc esse in eâ; quod hucusque discussimus: & aliud: an ea satisfactio vel elicitivè, vel regulativè seu imperativè fuerit ex virtute justitiæ. Quare, ut stemus in sensu quæstionis,

340 Certum est primò: non omnes actus Christi, per quos satisfecit reipsâ pro nobis, fuisse actus justitiæ: nam fuerunt actus Religionis, obedientiæ, Charitatis &c. Qui elicitivè non pertinent ad virtutem justitiæ, sed ad suam specialem unusquisque virtutem. Certum est secundò: actus, per quos Christus reipsâ satisfecit non imperatos fuisse solùm, aut solùm imperari potuisse à virtute speciali justitiæ, sed ab aliis. Constat enim ex Paulo factum obedientem usque ad mortem, & ex motivo obedientiæ voluisse mori.

Quæstionis sensus.

341 Quæstio igitur solùm est: an in Christo sit assignanda virtus specialis satisfactiva, quæ sit justitiæ, mediante quâ dirigantur actus satisfactorii, & habeatur propositum Deo satisfaciendi per eos, ex motivo speciali, nempe exæquandi jus Dei offensum: ad eum modum, quo licèt nos per actus omnium Virtutum satisfacere Deo dicamur imperfectè pro peccatis, assignatur in nobis ipsis specialis virtus, quæ pœnitentia dici solet, cujus est, ex motivo speciali, regulare vel imperare actus aliarũ virtutum, ad hunc finem satisfaciendi Deo.

Dicendi modi. P. Vazq. P. Merat.

342 Pater Vazquez censuit Christum non obtulisse satisfactionem ex speciali virtute, sed hoc fuisse negotium singulare. Id expositione nostræ Sententiæ refelletur. P. Meratus censuit esse oblatam à Christo satisfactionem ex virtute Religionis. Contra: quia Religio respicit cultum Dei, ut debitum ipsi ratione propriæ excellentiæ, & dominii Vitæ, & Mortis: Motivum autem valdè diversum respicere debet virtus ista, quâ de loquimur. *Nec obest*, quòd Deo debeamus ex virtute Religionis, quod interposita promissione, & voto debemus, & quòd Christus satisfactionem debuit interposito contractu voti cujusdam: non *inquam*, obest: Tum quia aliud est, rem deberi ex virtute Religionis: aliud, impleri debitũ ex eadem virtute: plerumque enim debemus ex obedientia quod ex aliis, vel ex nulla virtute reddimus. Tùm etiam quia honestas exæquandi jus Dei præscindit ab ullâ promissione, & voto, & à motivo speciali Religionis.

P. Bernal.

343 Pater Bernal censuit id esse opus virtutis specialissimæ, quæ solùm in Christo potest esse, & est inter innominatas: id quod tetigit Doctor Eximius *disp.* 4. & *sect.* 5. & impugnavit ex eo, quòd nulla virtus est in Christo possibilis, cujus non sit capax purus homo, cùm ejusdem Gratiæ, quæ radix est virtutum, sit capax. Ipse Pater Suarez censuit, esse satisfactionem in Christo directam ab illâ virtute, quæ in nobis pœnitentia dicitur. Videantur Ragusa, & Godoy multa de hac re acutè disputantes: ille *disp* 20. hic *disp.*

P. Ragusa. Ill. Godoy.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mens no stra circa istiti Tranantiato. Primum.

disp. 6. Ipse

344 Censeo primò: assignandam in Christo specialem virtutem, quæ dicatur satisfactiva, & ex quâ Christus obtulit Deo satisfactionem pro peccatis nostris. Ratio est: quia honestas satisfaciendi Deo & constituendi perfectam æqualitatem inter satisfactionem, & offensam, & reparâdi jus offensum, est honestas specialis, potens dare speciem virtutis: cùm autem assignari potest honestas specialis sufficiens ad speciem virtutis, non est cur negari possit, aut debeat specialis Virtus: alioqui facilè negarentur multæ virtutes tum infusæ, tùm acquisitæ, quas communis Theologia colligit ex diversitate, & specialitate motivi sufficientis ad speciem actuum, & virtutum.

345 Nec obest primò: quòd Christus per actus omnium virtutum satisfecerit; nec ad satisfactionem est opus speciali virtute. Non obest, inquam, sicut neque obest, ne assignetur in nobis virtus specialis obedientiæ, quamvis per actus omnium aliarum virtutum præceptos obediamus Deo, quodque ut præstemus, necessè non sit velle operari ex motivo obedientiæ. Ratio est, quia aliud est satisfacere materialiter, id est, offerre materiam satisfactionis: & aliud, formaliter satisfacere, id est, velle satisfacere ex motivo speciali satisfaciendi Deo. Ad illud, non est necessaria virtus specialis: ad hoc, est necessaria: & hoc ipsum, ut Christus satisfaceret, erat necessarium necessitate connaturalitatis, & modi perfectissimi in operando.

346 Nec obest secundò, quòd in homine justo non assignetur virtus specialis ad regulandos actus meritorios ex motivo merendi. Ratio enim discriminis est primò: quia honestas satisfaciendi offenso est ratio pr mariò, & per se capax intendi à satisfaciente, & aliundè sufficiens dare speciem actûs, & virtutis: illud enim quod primariò mover, si speciale sit, specificat actum: at respectu meretis nequit assignari ratio specialis primariò intenta, dum meretur: primariò enim intendit obsequi Præmiaturo, cujus est ponere æqualitatem præmii cum obsequio. Secundò dici posset, æqualitatem, quæ per operationem constituitur, tunc specificare virtutem distinctam, cùm alioqui conjungitur cum debito eam constituendi: quod deest justis; non, Christo.

Secundum. 347 Censeo secundò, eam specialem virtutem, quæ in Christo debet assignari, ut ex quâ satisfactionem obtulit Deo, esse virtutem justitiæ commutativæ. Ratio est: quia specialis honestas, quæ juxta *numeros præcedentes* cogit ad specialitatem virtutis, est honestas exequandi *jus* offensum Dei, constituendo talem æqualitatem inter offensum, & illius jura, & inter offensorem, ejusque debitum, ut neque ratione injuriæ debeat offerri quid minùs, nec exigi possit quid plus: atqui hæc honestas est, quæ primariò intenditur à justitiâ commutativâ: ergo virtus eam intendens est commutativa justitia.

348 Firmatur primò: quia hæc virtus neque ex defectu rationis formalis, neque ex defectu materiæ, neque ex defectu potentiæ, differre debet à justitiâ commutativâ: non ergo differt. Antecedens patet: nam ostendimus Christum esse capacem justitiæ formalis erga Deum: ejusque satisfactionem esse materiam aptam rigori *justitiæ*: Quòd verò ratio formalis *justitiæ* commutativæ non desit hîc, est evidens, nam respicit hæc virtus *jus* divinum, ejusque perfectam exæquationem intendit, & assequitur, prout requiritur ad rigorem *justitiæ ex dictis à numero 29.* *Suprà à nu 29*

349 Firmatur secundò contra Bernal: quia fateri semel necessitatem specialis virtutis, & recurrere ad speciem incognitam, & innominatam, est fingere victutes, earumque motiva: Adde negari non posse à Bernal, ab hac suâ virtute, quam innominatam vocat, intendi compensationem injuriæ, non inferiorem, nec æqualem injuriæ, aut juri per offensam acquisito: quis autem hoc neget objectum primarium, & primariò intentum commutativæ justitiæ? *P. Bernal.*

350 Nec obest primò: quòd exinde sequatur Christum satisfeciss Deo, ut æqualem: quippè justitia commutativa exerceri non potest, nisi inter æquales, ex Philosopho. Non, inquam, obest: constat enim de mente Philosophi ex *num.* 118. & quâ ratione dicendus sit satisfeciss Christus ex *num.* 268. Nec obest secundò: quòd virtus satisfactiva Christi non eliciat, & det actioni satisfactoriæ Christi, æqualitatem cum offensa, & cum debito, quod videtur esse de ratione actûs, qui sit Iustitiæ Commutativæ. Nego enim id esse de ratione justitiæ: de ratione justitiæ est intendere primariò illam æqualitatem; non est dare valorem materiæ satisfactionis, ex quo resultat æqualitas. *Aristotel.* *Suprà à nu.* 118. *& num.* 268.

351 Nec obest tertiò: quòd actio Christi satisfactoria, secundùm illam æqualitatem valoris, non sit libera, & imperabilis: nam dignitas verbi, in quâ valor consistit, non est subjecta creatæ voluntatis arbitrio. Non, *inquam*, obest, quia licèt Dignitas verbi nõ sit voluntati subjecta, quoad esse; quoad usum suæ condignificationis, & valorationis, est, quatenus ipsi voluntati est liberum, quòd sit materia valoranda per Verbum: & hoc sufficit, ut voluntas imperare possit ex motivo æqualitatis constituendæ cum offensâ actionem, quæ eò ipsò quòd à se fiat liberè, manet ex dignitate Verbi cum sufficienti valore ad illam æqualitatem.

Suprà à nu.327.

352 Nec obest quattò: quòd illa virtus esse deberet Theologica: nam specificaretur ex æqualitate satisfactionis ad offensam: hæc autem æqualitas constituitur per dignitatem Increatam Verbi: ergo & illa virtus deberet primariò intendere dignitatem Increatam, & ex illâ specificari. Non, *inquam*, obest: nam illa virtus non specificatur formaliter ex aliquâ ratione Divinâ, prout opus est ad virtutem Theologicam, sed ex æqualitate satisfactionis: unde non intendit tanquam formalem rationem movendi dignitatem Increatam, sed æqualitatem actionis per ipsam valoratæ: quæ sunt diversissima *Nec obest* quintò: quòd ea satisfactio non sit arithmeticè æqualis, per excessum. Non, *inquam*, obest ex *nu.* 327. Adde æqualitatem primò intentam à justitiâ Commutativâ esse arithmeticâ, negativè, ideſt, non minorem debito: vel æquivalenter, aut formaliter: quod est perinde.

Tertium.

353 Censeo tertiò: Virtus hæc justitiæ non differt specificè ab omni, quæ est in puro homine: atque adeò nec à Iustitia Commutativâ infusâ, quam purus homo exercere erga Deum potest: sive hæc nostra justitia indistinguatur etiam in nobis à Pœnitentiæ virtute, sive à virtute Iustitiæ, quam exercent adinvicem homines inter se: quæ duo, modò non decido: primum verò dici potest satis probabiliter ex dictis à *nu.* 254. Alterum defenditur à Patre Ragusa, & ferè sequitur ex ratione nostræ assertionis. Hæc est: quia ea, quę de materiali, se habent ab objectum primariò intentum & formale Virtutum, non inducunt in ipsas specificam distinctionem: sed ratio specialis materiæ debitæ, aut ratio specialis juris, facientis rem hanc aut illam debitam, se habent de materiali ad rationem formalem, & primariam justitiæ: ergo non inducunt specificam distinctionem in virtute justitiæ. Minor patet: nam justitia respicit æqualitatem juris alterius: quòd autem hoc jus sit excellentius, aut si non potest exæquari nisi per certam materiam, hoc peraccidens est. Et ratio est: quia quòd jus sit excellentius, non facit rem magis suam, nec magis debitam, nec quòd materia sit specialis, facit quòd sit magis debita juri, aut magis æqualis, suo juri, seu juri ad ipsam, quam altera suo: atqui justitia solùm respicit rationem juris, ut facientis rem, ad quam est, suam: in quo omnia jura sunt formaliter æqualia: ergo. *Suprà à nu.254. Ragusa.*

354 Confirmatur primò: quia alioquin ex qualibet diversitate jurium, intra lineam stricti juris pertinentis ad commutativam justitiam, liceret diversificare virtutes Iustitiæ. Secundò: quia exinde, cur etiam Religio, quæ est in Christo, non esset diversificanda formaliter ab eâ, quæ in nobis est? nam certè cultus, qui exhibetur à Christo, utpote theandricus, & infinitus, est omnium maximus, qui Deo deberi potest: si ergo quia justitia Christi respicit æqualitatem juris divini constitutam specialiter per actiones theandricas, debet esse diversa à nostra justitiâ: non video cur eadem ratio non sit de virtute Religionis: quicquid conetur in oppositum Godoy magnus assertor contra riæ assertionis. *Ill. Godoy.*

355 Tertiò: quia lex naturalis, & positiva, Humana, & divina, certè differunt notabiliter: cur ergo obedientiæ virtutes non specificant singulæ, & diversificant? Quartò: si justitia non solùm, in ratione talis, sed in lineâ formali justitiæ, non solùm respicit jus, & rationem juris, sed speciem subjectivam juris: non video cur Theologica non sit, virtus ista satisfactiva Christi? Quintò: quia etiam gratitudo, quâ Christus gratias Deo obtulit pro beneficiis, diversa esse deberet ab eâ, quâ nos gratias reddimus: nam Christus potuit condignas gratias agere: nos non possumus: abireque possemus per omnes alias virtutes.

356 Sextò: nam semper apud me est magni ponderis illa ratio Patris Suarez, nempe, quòd quando radix immediata virtutum eadem est speciè in duplici subjecto, non est cur virtutes intra eandem lineam objecti formalis secundùm se existimentur esse diversæ: at hæc radix est Gratia, quæ in Christo & in nobis est eadem, specie. *P. Suarez.*

357 Nec obest primò: quòd virtus reddens Deo cultum sit diversa ab eâ, quâ reddimus cultum Sanctis: illaque sit Latria; hæc Dulia: & quòd virtus, ex quâ reddimus Deo pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissa, sit diversa ab eâ, ex quâ hominibus promissa reddimus: illaque sit Religio: hæc, fidelitas. Non, inquam, obest. Tùm quia sicut, licèt illæ virtutes sint diversæ interse, non tamen sunt diversæ in Christo, & in nobis: ita similiter in Christo, & in nobis debet eadem esse virtus justitiæ respicientis indemnitatem juris divini. Tùm etiam quia est disparitas: quia Virtus ex quâ reddimus alteri cultum, ut est protestativa Excellentiæ alienæ Personalis, per actus suos, per se respicit Personas, secundùm rationem personalem earundem; atqueadeò ex diversitate specificâ Personarum, cùm eoipso sit specificè diversa & major aut minor excellentia, quam protestari debet, manet specificè diversa: at virtus, quâ alteri reddimus, quod suum est, non attendit ad differentiam personalem jurium, solùmque per se respicit rationem juris, ut facit rem debitam, & æqualitatem rerum cum eo jure, ut jus est: unde ex diversitate subjectiva jurium non est cur speciem sumat.

Suprà à nu.176. Thecphil. Raynaud.

358 Nec obest secundò, exinde fieri justitiam legalem ex respectu ad jus altum, non differre specie à justitiâ particulari. Non, inquam, obest: tùm quia ex *num.* 176. est mihi probabilius, legalem justitiam solùm differre materialiter à justitiâ particulari: id quod Raynaudus promovet *in opere de Virtutibus*. Tum etiâ quia multi putant legalem nõ esse speciem strictæ justitiæ, ut videre licet in Lessio. Tùm demum: quia si ex justitiæ differunt, differre debent ex formali discrimine jurium.

Leornard. Lessius.

359 Nec obest tertiò: quòd justitia nostra erga Deum non potest offerre Deo satisfactionem condignam. Non, inquam, obest: quia licèt pro mortali non posit; potest pro veniali. Tùm etiam: quia potest exercere actus aliquos principales strictæ justitiæ absolutos: & de ipsâ reparatione vel positâ, vel ponendâ gaudere ex suo objecto formali: imò & conditionatos affectus elicere. Non autem opus est, ut habenti virtutem sint eòipsò possibiles omnes affectus, qui imperari possunt ab ipsâ: potest enim aliundè deesse potestas.

Altera Quæstio. Vazquez.

360 Quæstio secunda: ex quâ virtute Deus Christi satisfactionem acceptavit? P. Vazquez quem imitati sunt multi, censuit acceptasse Deum ex virtute Gratitudinis, ex quâ etiam justorum merita remuneratur. Contra: nam hæc virtus est Deo impossibilis, ut ostendit multis, & apertè Suarez vi-

Suarez.

dendus *lib.12. de Gratia cap 30.* Nam ex suo conceptu versatur in recompensatione beneficii accepti: respicitque alterum, ut benefactorem.

361 Censuerunt alii, acceptasse ex fidelitate. Contra: quia virtus fidelitatis, & obligatio ex illâ non inducit debitum excludens à dono, quod ex fidelitate datur, rationem gratuiti, & gratiæ, ut patet in gratiâ justificationis, quæ subsequitur, ex Divinâ promissione, contritionem: atqui remissio peccati respectivè ad Christi satisfactionem datur ex debito excludente rationem gratuiti: neque enim datur ex debito, quod sit inferius eo, ex quo nobis dantur præmia: ergo.

Bernal.

Pater Bernal censuit acceptasse ex specialissimâ virtute innominatâ. Contra: quia sic liceret quæstiones dissolvere facilè, recurrendo ad ignorantiam nostram: quod non est promovere quæstiones, sed confundere.

362 Censeo igitur Deum acceptasse Christi satisfactionem ex strictâ, & speciali justitiâ. Ratio est: Tùm quia Deus ex dictis suprà justorum merita ex strictâ justitiâ remuneratur. Tùm etiam: quia in Christo est jus strictum, & specialissimum, ne sibi negentur, quæ efficaciter postulat: & in Deo non repugnat obligatio ex strictâ justitiâ. Videatur ultrà Godoy *disp.* 7

Godoy. Tertia Quæstio.

363 Quæstio tertia: an Deus ex justitiâ commutativâ, Christi satisfactionem acceptaverit? Affirmandum censeo: Ratio est: quia Deo non repugnat obligatio ex strictâ justitiâ commutativâ, ut suprà constitit. Tumquia ex eâ justitiâ remuneratur etiam Deus justorum merita. *Nec obest* quòd si Deus acceptaret Christi satisfactionem ex justitiâ commutativâ, non potuisset exigere tot quot exegit actiones Christi, cùm una sufficeret: justitia autem præsertim commutativa obligat ne creditor exigat à debitore, vel Fidejussore plus quàm est debitum. Non, *inquam*, obest: quia eas actiones voluit Christus offerre, quæ, licèt singulæ pro Debito sufficerent, voluit, ne in actu secundo obtinerent effectum satisfactionis, nisi simul oblatæ, & acceptatæ: his tamen positis, Deus obligatus est ex justitiâ, nihil ultra exigere titulo juris acquisiti per peccatum.

§. II.

§. II.

ALIÆ QVÆSTIONES.

Quæstio quarta.

364 Quæstio quarta: an Deus respectivè ad merita Christi exercuerit actu justitiæ Distributivæ? Sensus est: an ratione meritorum Christi Deus maneat obligatus ex justitiâ distributivâ dare præmia justis pro dignitate meritorum? Qui censent in eandem actionẽ posse concurrere obligationem justitiæ Commutativæ, & Distributivæ, juraque quæ singulæ respiciunt, non se excludere mutuò, affirmant, sed suppositio mihi est planè difficilis ex insinuatis *sect. 5. à num. 169.* Censeo tamen manisse Christo Deum ex justitiâ commutativâ obligatum ad exercitium distributivæ penès ea bona, circa quæ loco citato *num.* 170. dixi posse Deum exercere nobilem, ut membris Christi & Ecclesiæ, justitiam propriè distributivã. Videatur Aldrete *disp* 13.

Decidiur.

Suprà à nu.169.

Et àn.170.

Aldrete.

Quæstio quinta.

365 Quæstio quinta: an Christus Dominus satisfecerit pro peccatis nostris ex rigore justitiæ vindicativæ? Nonnulla circa hujus justitiæ speciem tetigi *suprà nu* 180. quæ revidenda sunt. Negant multi post Bernal, & Delugo, qui tamen *disp 3. sect.10.nu 143.* affirmat, positâ Dei acceptatione, posse dici quòd Christus satisfecerit ex rigore justitiæ punitivæ: quia opera Christi sunt sufficiẽtissima, ut extinguãt jus, quod acquisivit per offensam Deus ad puniendum peccatorem. Quodsi *redarguas*, hinc fieri, Deum ex Christi meritis obligari ex justitiâ strictâ (quam ipse negat in Deo) ne ultra puniat hominem; faceret enim injustè, si puniret. *Respondet*, quòd licèt neganda sit Deo justitia Cõmutativa, non est neganda justitia vindex: quia illa negatur Deo, quòd respiciat jus in Creatura contra Deum. *Addit num.*144. & fatetur Deum facturum injustè, si puniret hominem, pro quo Christus satisfecisset: at hoc non est, inquit, quia ageret contra jus Christi, aut Hominis, sed quia faceret sine jure: nam licèt satisfactio Christi non acquirat jus, aut ratione illius, homo: tamen extinguit jus in Deo ad puniendum. Subscribit huic doctrinæ solutionis per omnia Pater Aldrete *disp* 14. *sect.* 2. *à nu* 7. opinans tamen longè aliter in puncto principali.

Decidunt Bernal. Delugo.

P. Aldret.

Nonbene.

366 Mihi tota Doctrina est summè difficilis: quia implicat fieri injustè: & non fieri injustitiam: fieri autem injustitiam est fieri contra jus alterius: neque enim sufficit operari sine jure, si non sit jus alterius impeditivum actionis, quam sine jure ipse præstet: ergo si Deus ratione meritorum Christi ita manet obligatus, ut injustè faceret, puniens; necessariò debet *Lugus* admittere jus in Christo, aut in nobis contra Deum. Satiùs fuisset dicere cum *Sfortia*, Deum non posse deinceps punire, non quia foret injustus, sed mendax. Rationem dat: quia judex ipso actu designandi pœnam, & puniendi significat, punitum habere crimen, ratione cujus sit prudenter visibile, authoritate publica, ut ei malum inferatur ex eo quòd ejus mali executio, vel designatio sit, vel fuerit utilis ad arcendos punitum & alios à delictis. Quod significari à Deo, postquam crimen remisit, implicat quia diceret falsum. Quicquid tamẽ sit de his dicendi modis

Card. Lug.

Card. Sfort

Mens nostra.

367 Censeo: Christum Dominum satisfecisse Deo ex toto rigore justitiæ punitivæ: Ratio est: quia Christi passio fuit omninò superabundans, & procedebat à Deo punien te in ipso tanquam in Capite, delicta membrorum, qui sumus nos: verè enim dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portavit.

368 Nec obest primò: quod Deus posset non acceptare: id enim est falsum, & suprà constitit de probabili ratione, cur necessitas gratuitæ acceptationis non obstet rigori justitiæ. *Nec obest* secundò: quòd punitio, quam exigit rigor justitiæ punitivæ, sumi debeat in persona delinquentis. Non obest, *inquam*: Tùm quia id exigitur, quando in substitutione alterius, ut ferat pœnam, miscetur aliqua Gratia judicis, potentis recusare substitutionem: Tùm etiam quia sufficit, ut punitio fiat moraliter in ipso delinquẽte; quod tunc accidit, cùm Persona, quæ patitur, est æquè chara offensori, & habẽti debitum pœnę, ac ipse est sibi, aut cùm offensor est moraliter unus cum eo qui patitur: quæ duo jam interveniunt in casu nostro: nam Christus est Persona jure charior nobis, quam ipsi nobis, & nos sumus unum cum Christo, tanquam membra Corporis, cujus ipse est Caput: unde nõ fuit parvum sed magnus justitiæ rigor, abscissum esse nobis pro peccato per mortem Christi tam pretiosum Caput.

Sexta Quæstio.

369 Quæstio sexta: an saltem purus homo satisfacere posset Iustitiæ Vindicativæ Dei pro peccato suo? Multus est in hac quæstione Pater Aldrete *à sect.3. disp* 14. negans ex infinitate, quam suspicatur, & contendit

P. Aldret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in peccato, in genere demeriti. Ipse etiam
Efus decisio. Suprà lib. 2. disp 3. nego: Ratio tamen eadem esse debet, ac quam *lib.2* dedimus pro impossibilitate puræ Creaturæ ad Deo condignè satisfaciendū: quia omne genus satisfactionis, quod à pura Creatura præstari potest, minus est vi demeritiva peccati: minúsque Deo placens, quàm offensa displiceat: Videantur, quæ *ibi latissimè disp 3.*

§. III.

VLTIMA QVÆSTIO: QVID SIT DEVM obligare se moraliter?

Pulcra, & utilis Quæstio.

370 QVæstio septima, & ultima: in quo consistat obligatio moralis Dei? quid sit Deum obligare se, seu obligari? & demùm quid sit specialiter obligare se ex justitiâ? Pendet enim ex horum terminorum usu, & intelligētiâ, tota doctrina Disputationis: & ex triplici isto principio contra totam nascitur magna difficultas. Imprimis obligatio moralis in Deo, videtur inexplicabilis: ille enim dicitur moraliter obligari, qui potest operari ex obligatione morali: ille autem operatur ex obligatione morali, qui ex eâ cognitâ, liberè movetur ad operandum: unde dici solet quod obligatio moralis non limitat physicum in oppositum: limitat verò moralem. Deinde, velle rem facere, non est obligare se, vel rem velle facere ex obligatione: quid autem plus est unquam in Deo, quā rem velle facere, si facturus est? Demum obligari ex justitiâ opus est ut addat aliquid simplici promissioni. Quid istud est? adde posse Deum velle facere rem sub conditione onerosâ, quin se velit obligare ex justitiâ: quid ergo est obligare se Deū ex justitiâ?

371 Istæ difficultates æquè feriunt omnes, valde sollicitos in investigando objecto vel legis obligantis, vel promissionis, quâ se dominus obligat ex justitiâ, vel voluntatis jus transferentis: de quâ quæstione, quam gravissimam censent, subtiliter, & fusè disputant se mutuò pungentes, & impugnantes,
Card. de Lugo. Arriaga. Ripalda. Esparza. Cardinalis de Lugo *disp. 3. de Incarnatione sect.5.* Arriaga *disp 2. torà de legib.* Ripalda *tom.2 de supernaturalitate. disp 83. sect.16.* Esparza *lib.3. quæst.22.* Certè vix in ipsis inveno in quo quiescat animus: velientque in hac difficultate generali & omnes ferè tractatus Theologicos transcendenti, ne quod communibus terminis satis capimus, per subtiles discursus evanescceret in dēlas umbras: omnes enim satis capimus, quid sit *obligare*, quid *præcipere*, quid *esse dominum*: & ab iis notis terminis cogimur abscedere, discussuri subtiliter, quid absondat unusquisque sub his terminis dum *præcipit*, dum *se obligat*, dum *alteri dat*, quod negare poterat. Dicendum tamen & conandum nonnihil:

Necessitas decidendi.

Et difficultas apud Authores.

372 Imprimis Authores ipsi ferè conveniunt in eo, quòd velle rem, aut rei executionem non sit velle obligationem: neque velle se obligare, sit velle rem exequi. Id ita statuunt: Id quod mihi est planè difficile, & vix capio, quod serius animus obligandi se præscindi possit à volitione circa rem ad quam ipse te obligas.

373 Deinde displicent omnes illæ explicationes, quæ recurrunt ad voluntates hypothecas de objecto impossibili, ut per ipsas in actu exercito constituatur obligatio. Tùm quia hæ voluntates sunt contra experientiam, & prudentiæ regulam: tùm quia componi possunt cum absolutâ nolitione se obligandi.

374 Tertiò displicent illę explicationes, quæ recurrunt unicè ad modum inexplicabilem actûs: habentis ex suâ energia, & tendendi modo, præstare in actu exercito hos aut illos effectus. Id enim est, negare explicationem, quæ quærebatur, & rem relinquere æquè ignotam. Quartò displicent illæ explicationes, quæ recurrunt ad quandam potestatem quâ hic aut ille homo potest honestare pro arbitrio suo actiones alterius. Nam id (præterquàm quòd peccat contra privativam excellentiam Dei, cujus est, utpote primæ regulæ omnis honestatis, honestare vel non honestare aliorum actiones) non explicat speciales obligationes. Dicamus ipsi de nobis primùm. Et exinde ascendamus ad Deum.

Decisio nostra prima.

375 Censeo primò: valde mihi probabile videri, omnem obligationem immediatè consistere in actu Divinæ voluntatis intimato, & significato nobis in hunc modum: *Deo displicet quòd hic & nunc ametur, aut odio habeatur istud objectum* v. gr. unde resultat quòd mihi scienti talem Dei displicentiam, non sint ultrà possibiles circa tale objectum ulli affectus vel prosecutivi vel aversivi (ut displicentia fuerit) qui fugiendi non sint, quia sunt mali: & hoc est *obligari me moraliter*. Ratio hujus doctrinæ est, quia obligatio debet constitui in eo prædicato, quæ est Regula boni, & mali.

376 Quod principium si verum sit: facilè colli-

De principio latè in tract. de Bon. & Mal.

colligentur multa Doctrinæ reconditæ. Primò: objectum voluntatis obligantis esse obligationem; & hanc perinde displicentiam. Secundò: objectum voluntatis specialiter obligantis esse specialem Dei displicentiam, facilè explicabilem pro diversitate materiæ in quâ est. Tertiò: neminem nisi Deum posse alium obligare immediatè: quia solus est Deus qui hanc displicentiam habet regulativam omnis honesti. Quartò: eos qui jurisdictionem habent, seu dominium inducendi obligationem in alios, aut facultatem inducendi obligationem in se, eatenus, cùm volunt, inducere, quatenus Deus, tanquam gubernator moralis omnium, ad eorum quasi preces, aut quasi exigentiam consistentem in affectu voluntatis, qui apud nos censetur sufficiens ad obligandum, ponit obligationem: quare se habent ut causæ physicæ motivæ, quæ suarum exigentiarum interpositâ prece, movent Causam primam ad inductionem hujus aut illius Proprietatis, Formæ, aut Effectûs.

Altera decisio.

377 Censeo secundò: quicquid sit de præcedenti discursu, qui videbitur fortè difficilis, dici satis verosimiliter posse, actum illum reipsà obligare in actu exercito, & eatenus obligati, qui & quatenus alligat, vel vult fieri pendentē vel omninò, vel ex parte, vel simpliciter, vel secundùm quid, plus, minùsve, juxta qualitatē obligationis, felicitatē Personæ, ejusque finem ultimum ab actione rei, ad quam dicitur obligare.

378 Hoc objectum qui habeat, necessariò habet actum reipsa obligantem: & hujusmodi est, ut sub his, aut aliis terminis æquivalentibus nemo eorum, qui se obligant, aut sciunt se obligari, negare possit à se nosci, & reipsà intendi. Solùm potest esse difficultas in explicando & applicando discursum ad varias species obligationum: sed hæc facilè vincitur. Ille enim se obligat, aut obligatur ex obedientiâ, qui vult aut videt sui felicitatem & finem ultimum pendentem fieri ab actione hac, ratione jurisdictionis in hoc aut illo. Ille se obligat, aut obligatur ex justitiâ, qui vult, aut videt ratione juris alieni fieri sui felicitatem, aut ultimum finem pendentem ab omissione, vel positione hujus actionis vel nocivæ, aut inhonorativæ, vel favorabilis, lucrosæ, aut obsequiosæ: unde facile est in alias obligationum species excurrere: & exinde colligere quid detur homini cùm datur Authoritas jurisdictionis, aut dominii, aut quando cedit quis jure suo, ut alter utatur re suâ: quæ singula *satis accuratè* percurrit de Lugo, & satis verè ex præjactis nostris doctrinis quisque resolvet.

Explicatur.

Card. de Lugo.

379 Iam ad quæstionem respondeo, diversimodè sentiendum, & loquendum de Creaturis, & Deo, cùm utrisque obligationes, & actiones virtutum attribuimus: quippè ex non factâ istâ distinctione nascitur tota difficultas. Ratio resolutionis est: quia in nobis distinguuntur hæc quatuor, & quidem separabiliter *Obligatio, notitia obligationis, recta ratio* suadens adimpletionem, & *actus* adimplendi: ex quâ separabilitate, & distinctione nascitur tota nostra imperfectio in operando, & labendi periculum. In Deo obligatio constituitur ipsâ voluntate, à quâ neque distinguitur notitia obligationis, neque actus implendi obligationem, & quidem liberè: nam cùm sit ipsissimus actus, actus se obligandi, & actus, quo vult implere id ad quod obligare se vult, ex ipsâ libertate quâ se obligat, vult exequi, potens nō velle exequi nolendo se pariter obligare. Vnde talis obligatio cùm sit exercitium potestatis Divinæ tam physicæ quàm moralis, non potest esse limitativa potestatis neque physicæ, neque moralis. Ex quibus

Discrimen Nostri à Deo quoad hoc.

Decisio quæstionis quoad Deū

380 Dicatur primò: Deum obligare se quatenus ex honestate virtutis, de qui est obligatio, vult sibi hîc, & nunc, id est, tota æternitate, impossibilem omnem actum oppositum prædictæ volitioni, quàm ex motivo hujus, aut illius virtutis habere vult. Obligatio enim est necessitas operandi ex motivo virtutis, aut in materiâ virtutis. *Dicatur* secundò: operari ex istâ obligatione nihil aliud esse quàm velle rem exequi ex motivo specialis virtutis, & quia talem obligationem habet: ad quod non requiritur cognitionem præcedere genere præcessionis strictiori, quàm purè directivò.

381 Dicatur tertiò: Deum obligare se ex justitiâ, nihil aliud esse quàm velle ratione promissionis, & pacti intimati, & significati de re imposterùm faciēdâ, atque adeò conferentis creaturæ jus in rei executione ratione pacti, & conventionis interpositæ, sibi fieri impossibiles omnes actus oppositos volitioni exequendi rem, & favendi creaturæ ratione juris moraliter existentis in ipsâ. *Dicatur* quartò: Promissionem eatenus conferre jus quatenus in creaturâ ponit necessitatem, ratione cujus res exinde sequatur: vel quatenus interposito pacto, aut aliquo dono habente vim pacti, manet creatura

Universidad de Deusto
Biblioteca

tura potens uti re à Deo datà pro libito ; & Deus necessitatus non impedire, ne res, ad quam est jus, serviat usibus creaturæ. *Dicatur* quintò : Deum operari ex justitiâ, quatenus ratione juris creaturæ collati vult rem exequi, ad quam ipsa creatura jus habet ex Dei ipsius beneficio. Per quæ satis noscitur discrimen inter modum, quo Deus dicitur obligari, & modum quo nos obligari possumus ; totaque doctrina de rigore justitiæ in Christi satisfactione intervenientis facilè, & diluci dè finem habet.

DISPVTATIO V.

CHRISTI DOMINI SATISFACTIONIS, ET Redemptionis obligatio, Vi præcepti.

Ad Philip. 2. 8.

1 CHRISTVS *factus obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis*, teste Paulo ad Philipp. 2. 8. Redemisse nos videtur ex obedientiâ; atque adeò ex obligatione præcepti: sine quâ stricte obedientiæ actio exerceri non potest. Verùm, quia quæstio hæc, cardo est multarum, quæ in hoc tractatu putantur celeberrimę, & habet annexas alias, quæ Christi Domini subjectionem ad Patrem attingunt, oportet eâ uti methodo disputandi, ut nihil omittatur eorum, quæ hùc faciunt; & de qualitate præcepti, cujus Christus aliunde sit capax, & cujus ex obligatione mortem, & in ipsâ Redemptionis munus obierit, sine terminorũ obscuritate, aut Authorum omissâ varietate discurrendi, veritatis, quam inquirimus, splendor appareat. Ea placet Methodus, quam subiexo.

SECTIO I.

PRÆVIA AD CONTROVERSIAM: ET Iudicia Theologorum.

§. I.

PRÆMITTENDA.

Hurtad. 2 PONO primò : Quicquid sit de vatiâ acceptione Præcepti (quâ de videri poterit Pater Hurtadus *disp.77. sect.1.*) *Præceptum* ex conceptu suo differre à *Consilio*:

PP. & TT. est communis sensus Patrum, & Theologorum. Idque respectu Nostri est omninò certum : respectu Christi, dubium est, & apud aliquos, etiam verosimilius. In ratione discriminis non est unus Omnium sensus. *Communis* ratio est: quòd Præceptum obligationem imponat: secùs Consilium: unde præcepto resistere sine peccato non possumus: Consilio, possumus. Quæ ratio sumi videtur

Hieronym. ex Scripturis, & ex Hieronymo *lib.2. contra Iovinian.* Augustin. *lib de Sancta Virginit. cap.* 14. & ex Gratiano *dist. 4. fin.* dicente: *Decretum necessitatem facit : exhortatio liberam voluntatem excitat.* Sed hæc ratio supponit esse de ratione veri præcepti, ut à Consilio contradistincti, obligare in Conscientiâ: quod alii negant.

Augustin. Gratianus.

3 Ratio aliorum est : quia Præceptum est per modum legis reddentis illicitam omissionem rei præceptæ: Consilium verò non est lex, sed insinuatio majoris beneplaciti in uno objecto, quam in alio. Sic discurrit Hurtadus *disputatione citatâ sect.* 2. Sed termini sunt diversi ; non, ratio.

Pet.Hurt.

Aliorum est: quia præceptũ est voluntas insinuata Superioris, explicabilis per verba, *fac hoc*, per quæ Superior vi suæ jurisdictionis intendit extorquere à subdito rem præceptam : Consilium verò solùm est voluntas explicativa beneplaciti, sine intentione extorquendi à subdito, quod mavult: unde nec est similiter explicabilis, & manet subdito libertas omnimoda. Sic Oxea discriminat

Pet.Oxea.

in manuscriptis de Incarn.

4 Aliorum est : quia præceptum est voluntas Superioris circa rem aliquam intimata subdito sub aliquo onere, nempè vel culpæ, vel pœnæ, vel alterius mali, vel in se, vel in aliis, eidem conjunctis, secuturi: Cõsilium verò solùm est præcisa insinuatio rei melioris, suadentique placentioris: sic colligit ex

Esparza. communi locutione Pater Esparza *de Incarnatione quæst. 22. art. 12. & 13.* Quæ rationes id habent verosimiliorís sensûs, quòd universaliùs rem explicant, sinuntque locum quæstioni: an omne præceptum obligare debeat in conscientiâ?

P. Suarez. Ex Amb. 5 Verosimilior tamen mihi est discriminis ratio, quam Doctor Eximus *libro 1. de leg. cap.* 14. insinuat, ex Ambrosio *lib. de Vid. prope finem* dicente: *Præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur.* Vnde consilium erit voluntas Superioris manifestantis illam circa rem aliquam, non quà Superior est, & ex titulo jurisdictionis, sed perinde ac si Privatus esset. Præceptum verò est voluntas Superioris, ut Superior est, & interponentis circa rem aliquam, suam jurisdictionem. Quod discri-

Card. Sfort men aptè explicatum video ab Sfortia Cardinali *lib. 5. Assert. cap. 8. num. 139.* & explicabitur uberius *in seqq.*

6 Pono secundò: Præcepti, ut à consilio contradistincti, multiplex esse genus, cujus indistincta confusionem, & varietatem opinandi peperit in præsenti. Imprimis præceptum potest, & dici solet *Coactivum* : vel *Directivum.* Sed in hac divisione explicandâ video discrepantes Authores. Alii com-

Suarez. muniter cum Suarez *disp. 43. de Incarnatione sect. 1. & 4.* censent utrumque afferre obligationem in conscientia, & sub peccato, & ex eo discriminant, quòd coactivum dicat interminationem culpæ, & pœnæ: Directivum præscindit à comminatione culpæ, vel pœnæ, solamque affert obligationem in conscientiâ; quatenus rem præceptam facit necessariam ad rectitudinem, & honestatem virtutis, ut inquit ipse Suarez; vel quatenus præcisè reddit illicitam omissionem rei præceptæ : adduntque illam interminationem culpæ, seu pœnæ, non esse de conceptu primario præcepti, sed quasi effectum ejus secundarium; à quo pro subjecti, cui fit, statu separari potest. Et pro hac explicatione, ut

Aldrete. quam necessariam videt in præsenti, laborat maximè Pater Aldrete *disp. 73. sect. 8. à num. 2.*

7 Alii rectiùs, & conformiùs ad Sanctum Thomam à quo sumpta est distinctio, explicant, asserendo præceptum coactivum esse illud, quod obligat sub peccato, & in conscientiâ : ab eoque impræscindi non posse comminationem culpæ, vel pœnæ. Purè verò Directivum esse, quod reipsà non obligat in conscientiâ, nec sub peccato, adinstar plurium ordinationum, & præceptionum, imò & legum purè pœnalium, quæ licèt propriè, & sine metaphora sint præceptivæ, & leges ; juxta multos, non obligant in conscientiâ: unde earum transgressio ne venialiter quidem est prava ratione legis, & secundùm se.

S. Thom.

8 Deinde utrumque præceptum, prout attinet ad rem præsentem, subdividi potest in *positivum*, seu in *purè Divinum* : & in *naturale*, seu ex aliquâ virtute procedens. Illiusmodi erit, si præcisim, aut indepẽdẽter ab eo, quòd ex aliquâ virtute teneatur Christus satisfacere pro nobis, & mori, immediatè præceptum de his à Deo accipiat. Erit hujusmodi, si ex lege charitatis, aut aliâ virtute tenetur Christus satisfacere, & mori præcisim ab ulteriori, & novo præcepto: ut ex virtute charitatis tenemur Proximo graviter afflicto succurrere, si commodè possumus.

9 Præterea præceptum mortis potest esse vel *mediatum*, vel *immediatum.* Hoc, si directè mors præcipiatur (modo nempè quo præcipi immediatè mors potest) independenter, seu præcisim ab eo quòd præcipiatur aliquid, quod erit occasio mortis. Illud, si solùm præcipiatur id, quod, si fiat, prævidetur fore mortis occasio. Si nempè Christi præciperetur Evangelizare Iudæis, eisque palàm in os regerere cænum improbæ, & degeneris vitæ, suamque ipsis divinitatem miraculorum luce detegere : unde ob malitiâ, & invidiam prævidebatur Christus quærendus ad necem : & hoc præceptum vocari potest præceptum mortis indirectum. Adde præceptum immediatum, & directum mortis posse considerari, vel *affirmativum*, vel *negativum.* Esset affirmativum: si juberetur Christus directè provocare judæos ad necem sui, vel aliquid simile efficere, quod suæ neci proximè, & directè serviret. At hoc præceptum impossibile est. Esset negativum, si juberetur neque Ministros fugere, neque terrere pro morte impedienda, sed gerere se ad instar hominis, qui Magistratûs vim effugere nequeat.

10 Denique præceptum considerari potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

teſt impoſitum Chriſto Domino, vel *Conditionatum*, vel *Abſolutum*. Abſolutum, ſi imponatur independenter ab aliquâ conditione à Chriſto Domino liberè apponendâ: nam licèt imponatur dependenter ab alia, & alterius generis conditione, non obeſt, quominùs reſpectu Chriſti maneat præceptum ſimpliciter abſolutum. Conditionatum, ſi præceptum fiat pendens ab aliquâ conditione, quæ ex Chriſti libertate dependeat: ut ſi Deus præciperet Chriſto mortem, ſi ipſe mortalem vitam eligeret, quam liberè Chriſtum eligiſſe, data inter utramque optione, volunt aliqui ſatis piè. Videbimus *infrà*, an ſatis ſolidè. Et hæc pro re præſenti de præceptorum varietate, quæ poteſt eſſe ſeges multarum opinationum. *Infrà diſp. 6. à nu. 2.*

11 Pono tertiò: ut Chriſto Domino dicatur Mors præcipi à Deo, non ſatis eſſe, quòd ipſi præcipiatur Evangelizare Iudæis, eorum vitia palam carpere, miracula edere, & alia facere, unde quæratur ad necem, niſi ulterius ipſi præciperetur, ne Iudæos impediret, quominùs mortem exequerentur. Ratio eſt, quia Chriſtus Dominus potuiſſet mille viis mortem effugere, & Iudæorum invidiam & conatus eludere, quamvis Chriſti Domini prædicatio foret ipſis Iudæis occaſio, ut Chriſto mortem molirentur: non ergo obinde etiam ex ſuppoſitione prædicationis, & miraculorum, & exortæ ex his invidiæ Iudæorum deſinebat eſſe in Chriſti poteſtate omninò libera, mors ipſius: ergo licèt illæ circunſtantiæ præceptę fuiſſent, non deò debet intelligi mors præcepta. Quod enim præcepto tenemur exequi, aut pati, non dicitur eſſe communiter in noſtrâ omninò manu, & omninò liberâ poteſtate.

12 Pono quartò: Vt ſalvetur obedientia perfectiſſima, non requiri præceptum rigoroſum & obligans in conſcientia. Hanc theſim, quam inter alios obſtrmatè negat Pater Bernal *diſp. 57 ſect. 3.* ita manifeſtè traditam, & poſitam video à Sancto Thoma 2. 2 *quæſt.* 104. *art. 2. O, & art. 5. ad 3.* à S. Bernardo *lib. de præcepto, & diſpenſat. cap. 9.* à Hieronymo *in Regul. Monach. cap. 10.* à Sanctiſsimo Noſtro Patriarcha tùm *in aurea Epiſt. de Obedientia*: tùm *part. 6. Conſtit. cap. 1.* §. 1. & ab aliis videndis apud noſtrum Velazquez *in Epiſt. ad Philipp. cap. 2. verſ. 8. à num. 15.* ut de ea dubitare non poſsim. Placet ſolum adtexere verba SS. Parentis noſtri: *Omnes obedientiam plurimùm obſervare, & in eâ excellere ſtudeant, non ſolùm in rebus obligatoriis. ſed etiam in aliis, licèt nihil aliud, quàm ſignum voluntatis Superioris, ſine ullo expreſſo præcepto videretur*: quæ eſt apertiſsima doctrina pro noſtra Theſi, & ipſiſsima Sancti Thomæ loco citato vocantis eam *obedientiâ perfectiſsimam*. *Bernal. S. Thomas. Bernard. Hieronym. S. P. N. Ignatius. Velazq.*

13 Ratio autem eſt. Tùm honeſtas ſpecialis obedientiæ, quæ eſt revereri intellectũ, & voluntatem Superioris, tanquam regulam proprii intellectûs, & voluntatis. Quod nec eget impoſitâ neceſsitate peccandi & perfectiùs fit, ſi conformet ſe ſubditus voluntati ſui ſuperioris non imponenti obligationem in conſcientia, & neceſsitatem peccati. Tùm quia velle ſubditum conformare ſe voluntati ſui Superioris; eamque ſufficienter intimatam, licèt citra ullam obligationem in conſcientiâ, implere velle quia eſt ſui legitimi Superioris, non poteſt non eſſe actus quo ſubditus ſe gerit ut ſubditum & reſpicit Superiorem, ut talem; atque adeò non poteſt non eſſe obedientia, tantò promptior, quantùm expreſſum præceptum obediendo prævenit, voluntate tamen Superioris intellectâ, ut inquit Sanctus Thomas *quæſt. cit. art. 2.* *S. Thomas.* Ex quibus patet ſine ulla æquivocatione cum Conſilio juxta *nu 5* poſſe conſiderari propriè, & ſine metaphorâ præceptum ſine ullâ impoſitione obligationis in conſcientia: nam movere per rationem, & voluntatem eſt præcipere, ut idem Angelicus Doctor habet *art. 1. citatæ quæſt.*

14 Pono quintò: quomodocumque defendatur, præceptam eſſe Chriſto Domino paſsionem, & mortem, ipſumque ex obedientia paſſum, & mortuum eſſe; Vnum maximè ſalvandum foret, nempe Chriſtum Dominum ita fuiſſe paſſum, & mortuum, ut pro libito ſit paſſus, & mortuus, potueritque licitè nec pati, nec mori, ſi voluiſſet. Id (in quo tùrpiter erravit Vviclephus teſte Vvaldenſi apud Ruiz de Scientia Dei *diſp. 47 ſect. 1. nu. 27.*) ita citra ſpeciem diſputandi pono, quia tam apertè teſtatum video in Scripturis, & Patribus, ut mihi certum omninò ſit. Teſtantur imprimis *Scriptura*. Chriſtus de ſe ſic loquitur: *Ioannis* 10. 18. *Nemo tollit animam meam a me, ſed ego pono eam à me ipſo: poteſtatem habeo ponendi eam.* Quæ verba omnimodam neceſsitatem excludunt, ut expendit acutè Patèr Eſparza *quæſt 36. art. 1.* Deinde de Chriſto Iſaias *cap. 53. 7.* dixerat: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*: quæ cauſalis omnimodam libertatem ſignificat. *Vvaldenſ. Montoya. Ioann. 10. Eſparza. Iſaiæ. 53.*

15 Teſtantur Patres: Chryſoſtomus ſic inquit *ad Hebræos* 10. *hom. 28. licebat Chriſto, nihil pati ſi voluiſſet.* Et infrà: *erat arbitrii illius non venire ad Crucem ſi voluiſſet.* Et alib. frequentiſsimè: præſertim *ad hom. 15. hom. 57.* Cyprianus: *non te, ut patereris, coegit neceſsitas*, inquit *Serm. 1. de paſſ. Dom.* Hieronymus in illud Iſaiæ: *oblatus eſt, quia ipſe voluit, non neceſsitate* inquit, *ſed voluntate Crucem ſubiit.* Auguſtinus *lib. 4. de Trinitate cap. 13. & tract. 19. in Ioann.* apertè pronunciat *Chriſtum mortuum, quia, & quando voluit.* Similia habes apud Gregorium *lib. 24. Moral. cap. 2.* Anſelmum *lib. 2. cur Deus homo cap 19* Rupertum *lib. 9. in Ioan. ad fin.* Originem *tract. 35.* Lyra, Hugon. Cardin. & Theophil. ad verba *Ioannis cap. 10.* Ratio autem eſt, quia Paſsio, & Mors Chriſti ita debuit eſſe facta pro nobis, ut nos neceſſariò adſtringeret Chriſto ſpecialiſsimo debito gratitudinis: quo ergo gratitudinis debito premeremur, ſi ipſi Chriſto neceſſaria fuiſſet, & non omninò libera? Quibus ita poſitis *Cyprian. Hieronym. Auguſtin. Gregor. Anſelm. Rupert. Origin. Lyra. Hug. Card. Theophil.*

§. II.

OPINANDI VARIETAS.

16 PRima Sententia generaliter aſſerit Chriſtum Dominum, non ſolùm quà Deum (ſic enim omnibus Catholicis certum eſt) ſed etiam quà hominem eſſe eſſentialiter incapacem præcepti coactivi, & obligantis in conſcientia, ſolumque putat reſpectu Chriſti poſsibilia Præcepta purè directiva: quæ tamen juxta Doctrinas *diſp. 4. num. 229. & diſp. præf. num. 6.* exiſtimat dici poſſe vera, & ſine metaphorâ præcepta, ſeu mandata, ut contradiſtincta à conſilio. Sic ex parte, nempè quoad excluſionem vis coactivæ, & coercitivæ, ſentiunt multi: omninò ſic ſentire videntur quotquot pro ſecundâ ſententiâ referam. Sicque reipsâ ſentiunt, & loquuntur, citatis pro ſe Sancto Thomâ, Chryſoſtomo, & Alberto Magno, Nazianz. *orat. 42.* Chryſoſt. *Hom. 59. 68. 84. in Ioann. & hom. 3. ad Philipp. 2.* Baſilio *lib. de Spiritu Sancto cap. 8.* Theophilact. & Euthimio 15. *Ioann.* omnium expreſsiſsimè Anſelmo *lib. de Med. Redemp. Gen hum. cap. 4.* ubi totam noſtram ſententiam, & modum, quo explicabitur *ſect. 5. & diſp. ſeq.* diluciùs tractat, & præaſſerit. *Et lib. 1. cur Deus homo cap. 9.* Pater Martinus Eſparza *quæſt. 22.* Cardinalis Sfortia *lib. 5. Theolog. Aſſert. Aranda de Incarnatione.* *Prima Sententia. Suprà diſp. 4. nu. 329. & in præf. nu. 6. S. Thom. Chryſoſtom Albert. Magn. Baſil. Theoph. Euthim. Anſelm. Eſparza. Card. Sfort*

cap. 8. à num. 134. Pater Petrus Oxea *in Doctiſsimis manuſcriptis de Incarnatione diſp. 8. cap 3.* quam ſuam mentem ſatis inſinuavit *tractatu de Charitate diſp 4 ſect. 4. num. 50. & 53.* *Pet. Oxea.*

17 Secunda Sententia peculiariter aſſerit nullum defacto fuiſſe Chriſto impoſitum à Deo Præceptum ſtrictum, & obligans in conſcientiâ, præſertim in negotio Redemptionis, & Mortis, atque adeò neque Redemptionem, neque mortem fuiſſe ſtrictè præceptas, ita, ut peccatum foret, nolle mori. Non tamen perinde negat hæc opinio rationem mandati, & præcepti ſufficientis ad exercitium obedientiæ juxta doctrinam *nu. 12.* & hanc, præter ſuprà *numero præcedenti* citatos, tenuiſſe Patres Græcos cum Chryſoſtomo, & Nazianzeno teſtatur Cardinalis Tolerus *in Ioann. cap. 10. annot. 14.* Tenuere Dionyſius Ciſtercienſis, Paludanus, Magnus Albertus, Victoria apud Medinam, Pater Ludovicus de Roa apud Hurtadum Salmaticenſem, & Ribera ad 10. *Ioannis* ad illa verba *hoc mandatum accepi.* Docent acerrimè Magiſter Lorca *diſp 63.* aggeſtis Patrum, & Theologorum teſtimoniis, Pater Ioannes Antonius Velazquez *in Epiſt ad Philipp. cap. 2. ver. 8. à num. 15.* & qui *nu. præced.* inclinant, & tantùm non relabuntur in ipſam, ſine multâ laude conſequentiæ Gamachæus, & Bernal. Applaudit, & illuſtrat *in Theologiâ Fundamentali* Caramuel *à num. 286* eamque probabilem judicant Medina, Delugo, & Bernal. *Secunda Sententia. PP. Græci Chryſoſtom Nazianz. Card. Tol. Dionyſ. Paludan. M. Albert. Victoria. Roa. Ribera. Lorca. Velazq. Gamach. Bernal. Caramuel.*

18 Tertia ſententia, quæ communis eſt inter Theologos præſertim Modernos, non ſolùm affirmat reſpectu Chriſti poſsibilia Præcepta, quæ reipsà obligent in conſcientia, ſed etiam aſſerunt de facto impoſitum Chriſto præceptum hujuſmodi de morte ſubeundâ. Ita ſupra relatos cæteri. Verùm ut horum Authorum varietas probè noſcatur in aſſerendo, & formando præcepto, placet eos in aliquas claſſes dividere pro diverſitate diſcurſuum, quos vel inſinuant, vel efformant. *Sententia communis diverſimodè.*

19 Prima claſsis eſt eorum, qui adeò ſtrictum putant hoc præceptum in Chriſto, ut exiſtiment naturale, & ex lege charitatis, ex quâ ajunt Chriſtum independenter à novo, & poſitivo præcepto obligatum nos redimere, & mori pro nobis. Diſcurſum inſinuavit Eximius Doctor *diſp. 46. ſect. 3. §. Quæri verò non immeritò poteſt*, & attipuere mox Pater Raguſa 2. *part. diſp. 14. propè med.* *Prima claſsis. Suarez. Raguſa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Barradas Koninch. Bernal.

med. Barradas *tom. 4. lib. 4. cap. 6. fin.* Koninch *disp. 22. dub. 2. num. 11.* & limitavit Pater Bernal *disp. 57. sect. 4. asserens §. 2.* eũ discursum esse verum, casu quo Deus decreviſſet non aliter reconciliari mundo, niſi per Christi paſsionem, & mortem. Tunc enim teneretur Christus & pati, & mori ex obligatione naturali. Cui discursui se offirmatè opponit inter alios Pater Aldrete *disp. 74. per totam.*

Aldrete.

Secunda classis.

20 Altera Classis est eorum, qui præceptum Dei circa Christum, adeò putant universale circa singulas actiones, earumque substantiam, & circunstantias tam internas, quàm externas, ut nihil à Christo gestum sit præsertim in negotio Redemptionis, & Mortis, quod non ceciderit in præceptum. Ita sentiunt, & firmant Cardinalis Toletus *in Ioann. cap 10. vers 18. annot. 16. & cap. 12. vers 49.* Maldonatus *ibidem*, & Alvarez Dominicanus *de Auxil. lib. 12 disp. 22. nu. 18. & de Incarnatione disp. 46. nu. 12.* propendente satis Patre Suarez *disp. 37. sect. 3. §. hæc responsio*: ubi pronuntiat eos, qui id negant, divinare. Et reclamantibus fortiter in oppositum Bernalio, & Hurtado: hoc *disp. 77. sect. 6.* illo *disp 57. sect. 5.* latissimè.

Card. Tol.

Maldonat. Alvarez.

Suarez.

Bernal. Hurtad.

Tertia classis

21 Tertia classis est eorum, qui præceptum de morte subeundâ Christo Domino impositum defendunt simpliciter absolutum, & quoad vim obligandi non pendens ab ullâ conditione per Christi libertatem apponendâ: sic sentire videntur communiter Authores, qui defendunt strictum præceptum in Christo, sed cum aliquali discrimine: nam alii censent illud præceptum purè negativum juxta doctrinam *num. 9.* Alii etiam affirmativum existimant, ut ex eorum contextu quisque facilè colliget.

Authores communiter.

Quarta classis.

22 Quarta classis est eorum, qui præceptum fuisse negant absolutum, sed tantùm conditionatum quoad vim obligandi. Qui discursus colligi videtur ex Magistro Cabrera: sed potest esse magna varietas in qualitate conditionis. Nam imprimis potest excogitari fuisse præceptum conditionatum, ita ut conditio sit ipse actus, quo subditus velit rem præceptam exequi, non secùs ac si Prælatus præciperet subdito audire Sacrum, si Sacrum audiret, aut vellet audire. Et in hanc viam inclinat Cabrera citatus. Secundò: ita ut conditio, sit acceptatio libera subditi, non secùs ac si Prælatus præciperet subdito, vellet que obligare, si subditus vellet acceptare præceptum, & obligationem. Et hùc inclinant, & relabuntur Prudentius, Bernal, & Moderni nonnulli.

Ex Mag. Cabrera.

Prudent. Bernard. Modern.

23 Tertiò, & verosimiliùs: ita ut conditio fuerit actus, quo Christus Dominus vellet humanum genus redimere, subireque munus Fidejussoris, & Redemptoris: ac si Deus Christo dixisset: si vis Genus humanum redimere, subireque onus Fidejussoris, & gaudere titulo Redemptoris (quod in tuâ est manu, perque me licet) præcipio tibi paſsionem, & mortem, tanquam medium Redemptionis: Quod præceptum est revera strictum, & simile illi quo Prælatus subditũ ligaret ad tale, vel tale munus, si vellet habitare Cæsar-Augustæ v. g. vel si mavis econtrà, ita ut conditio fuerit actus quo Christus vellet mori: ac si Deus Christo dixisset: si vis pati, & mori, quod per me licet, præcipio, ut ea præstes in finem Redimendi mundum.

Author infrà à nu. 192.

Quinta classis infrà.

24 Quinta classis est eorum, qui volunt fuisse Christo impositum præceptum disjunctivum, nempè vel ut moreretur, vel non redimeret Genus humanum, Sic enim videtur servari libertas in morte, & sufficiens titulus obedientiæ.

Sexta classis ex Anselmo.

25 Vltima classis est eorum, qui præceptum Christi solummodò existimant indirectum mortis, quatenus Christo impositum à Patre est onus Evangelizandi Iudæis, eisque manifestandi per miracula Divinitatem suam, cui mandato tam obediens fuit, ut fuerit obediens usque ad mortem, mortẽ autem Crucis, non quia præcepta sit mors, sed quia præcepta res est, quam peregit adusque mortem, & morte contempta: quam discurrendi vim sumi posse video à Sancto Anselmo *lib. 1. cur Deus homo cap. 9.* ubi eam Sanctus Doctor acutè deducit, & illustrat. Hucusque Doctorum varietas in opinando.

SECTIO II.

ETSI RESPECTV CHRISTI FVISSET possibile præceptum obligans in Conscientia: Præceptum de Redimendo genere humano, & subeundâ morte, non fuisset naturale, aut ex lege naturali.

26 OStenditur primò à posteriori. Tùm quia alioquin tale præceptum esset indispensabile, neque unquam componi posset in Christo cum potestate omninò liberâ non moriendi: sicut præceptum naturale non mentiendi componi nunquam potest in Chri-

Christo cum potestate liberâ mentiendi ratione impeccabilitatis intrinsecæ: sed illa potestas omninò libera non moriendi negari Christo non potest juxta doctrinam *nu. 14.* imò juxta Anselmum *lib. 2. cur Deus homo cap. 19* potestas omninò libera neque tunc, cùm mortuus est, neque unquam moriendi: ut videas præclusum à Patribus recursum ad circunstantiam temporis, in quâ multos lati-

Anselmus.

tare securos video. Audiatur Anselmus: *Nullus, unquam moriendo homo, præter illum, Deo dedit quod aliquando necessitate perditurus non erat. Ille verò sponte obtulit, quod nulla necessitate unquam amissurus erat.* Ibidemque docet: *Christum vitam suam aeternaliter servare potuisse, suumque fuisse, & pati, & mori.*

27 Tùm etiã quia si Christus lege charitatis teneretur satisfacere, & mori pro nobis: eadem vi legis teneretur offerre pro singulis efficaciter satisfactionem, & Redemptionem, singulisque efficacia ad salutem æternam auxilia suis meritis obtinere: quod est falsum, & contra dogma Fidei. Ratio autem sequelæ est, quia lex charitatis æquè singulos homines respicit.

28 Ostenditur secũdò, & à priori. Deus contulit Christo Domino potestatem, & gubernationem Humani generis in ordine ad salutem, similem potestati, & gubernationi, quam Deus habet ex se circa Genus Humanum: ergo Christus non tenetur ex lege charitatis, aut ullo præcepto naturali redimere Genus Humanum, aut pro eo redimendo mori. Consequentia est evidens: nam eòipsò collata fuisset Christo Domino potestas permittendi peccata, & damnandi homines propter ipsa: permisione, & damnatione refusis in Dei gloriam: qui ergo habet potestatem se gerendi cum Genere Humano eo dominio, quo se gerit Deus, cum facultate permittendi peccata, & damnandi propter ipsa, Divinæ simili: quomodo lege naturali prohiberi potest ne peccata permittat, neve damnet ob ipsa? Qui autem obligatione naturali non ligatur ne peccata permittat, aut propter ipsa damnet, quomodo cogi eá ipsà obligatione naturali potest ad mortem, ne peccata sint, aut ne puniantur?

29 Antecedens autem suadetur primò ex illo *Matth. 28. data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terrà*: quæ distributio necessariò significat quod asserimus. Secundò ex illo *Ioann. 17. dedisti ei* (nempè Filio) *potestatem omnis carnis.* Tertiò ex Dignitate, & Gloria Christi Domini maximâ, quæ exinde resultat. Quartò demum ex summâ dilectione Dei erga Christum, ex quâ, sicut, teste ipso Domino, omnia ded t Pater in manus, negari non debet voluisse dare quicquid maximè Christi ipsius Dignitatem, & gloriam decet.

Matth. 28.

Ioann. 17.

30 Ostenditur tertiò & iterùm à priori: Lex naturalis non obligat ad procuranda Proximo bona, quæ supra ipsum omninò sunt, & quorum participatio ipsi nulla ratione debetur: nec obligat ad avertenda Proximo mala, quorum ipsi debetur inflictio: Atqui Humano Generi secundùm se, & præcisim à Christi meritis, nullâ ratione debetur bonorum supernaturalium participatio, eidéque pro statu peccati, & ratione ipsius debetur eorundem bonorum privatio, & inflictio mali contrarii: ergo lex naturalis obligare nequit Christum Dominum ad sua merita sic applicanda, ut vel ipsi Generi humano elevationem ad supernaturalia bona obtineret, vel eadem per peccatum amissa recuperaret: quantò autem minùs obligare desinet lex naturalis, ut alterutrum Christus acerbissimâ morte præstaret?

31 Ex quibus corruit discursus Patris Bernal *num. 19.* perstrictus loco *inibi* citato tria docere visi. Primum: Christum lege naturali teneri mundum redimere. Alterum: non eoipso teneri lege naturali ad subeundam mortem: quia Christus ex primariâ intentione Dei venit ad finem Redemptionis, aliter non venturus; dataque est ipsi optio vitæ passibilis, vel impassibilis: quare, ne Decretum frustretur, debuit Christus liberè posse exequi finem ipsius Decreti, nempe Redemptionem, etiam citra mortem. Tertium: si nõ aliter redimendus foret mundus nisi Christo moriente, teneri tunc Christum ex lege naturali mori pro nobis.

Bernal.

32 Totus, inquam, discursus corruit, trahente sui, cæterorumque omnium asserto primo, quo totus nititur. Secundum falsò supponit, inconsequentiâ peccat, & malè colligit. Falsò supponit: nam juxta me veniſſet Christus nec Adamo peccante, nec alio, de quo *lib. 3. disp. 2.* Peccat inconsequentia; nam quâ ratione Decretus est Christus aptus optare, si primò juxta Bernal *disp. 18. sect. 2.* decretus est patiens? Malè colligit: nam & optio, & finis Redemptionis componi possunt, asserendo, prædecretum Christum ad finem Redemptionis exæquen-

Supra lib. 3. disp. 2. Bernal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæ per mortem, dependenter ab electione Christi volentis sic exequi: ut acutè notavit Aldrete *disp 74 sect.3. nu* 12.

Aldrete.

33 Tertium gratis assumit, non alligasse Deum Redemptionem humani generis, suo decreto, Passioni, & morti Christi Domini, aliterque redimendum, etiam non interveniente morte Christi, aut ipso nolente mori contra communem sensum DD. ad illud Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam: & ad illud Ioann.* 12. *nisi granum frumenti: & contra apertum sensum* Anselmi *lib.1. cur Deus homo cap 9 &* 10. Cyrilli *lib. priori de recta fide ad Reginas,* Procli Ciziceni *in Concil. Ephesin. part 6. cap.6.* Leonis *in homil. de Transfig. & Serm. 1. de Passion.* Quorum mens clarior est, quàm ut ad suam, aut nisi contra suam explicari valeat à Bernal, ut expendit Aldrete *disp. 74. sect. 3.* apud quos vide, bene jam impugnatas aliorum rationes pro Sententia nostra: contra quam tamen

DD. ad Isai. 53. Ioann. 12. Anselmus. Cyrillus. Proclus. Leon.

Aldrete.

34 Objicies primò: Lex naturalis obligat ad subveniendum proximo in extremâ necessitate constituto; sed Genus Humanum ratione peccati erat in extremâ necessitate constitutum; utpote obnoxium æternæ morti, & æternæ miseriæ, eratque Proximus respectu Christi valentis facilè subvenire: ergo lex naturalis obligat Christum subvenire Generi humano. Quòd si ex decreto Dei occlusa est alia subveniendi via, vel ratio, quàm per mortem, obligat Christum Humano Generi subvenire per mortem.

35 Confirmatur primò: quia Christus, ut homo, non erat exemptus à lege naturali: sed lex naturalis obligat, ut homo hominem liberet ab extremâ miseriâ, si potest: ergo & obligat, ut Christus, inquantùm homo, hominem liberet ab extremâ miseriâ, cùm possit. Confirmatur secundò: quia ex unanimi consensu Doctorum, unusquisque lege naturali tenetur vitam temporalem prodigere pro salute spirituali proximorum, maximè totius Reipublicæ infallibiliter interituræ: ergo potiori jure Christus pro toto mundo aliàs infallibiliter perituro morte temporali, & æternâ, spirituali, & temporali.

36 Confirmatur tertiò, & impugnatur ratio secunda nostra: est intrinsecè malum, quòd homo hominem liberare valens à summâ, & æternâ miseriâ, non eum liberet: ergo dispensare Deus nequit, ut homo id faciat: ergo neque ut facit Christus: est enim homo: ergo quàvis datâ Christo facultate judicandi, & damnandi, non potest Deus conferre Christo facultatem, ut damnet, & puniat per carentiam Redemptionis; sicut neque ut judicet contra dictamen rationis. Utrumque enim est intrinsecè malum. Antecedens autem ex eo patet, quod in Deo ratione supremi dominii credimus, idque fide subnixi, quòd possit peccata impedire, & contracta abigere, & non teneatur: quomodo ergo concessam à Deo talem potestatem homini credamus?

37 Respondeo ad argumentum primò: ex *nu.* 28. Christum Dominum non habere rationem Proximi respectu Generis Humani penès ea, de quibus loquimur, ob concessam ipsi circa idem Genus humanum à Deo potestatem suæ similem. Respondeo secundò: distinguo majorem ex *num.* 30. si subventio fieri debet per bona, quorum participatio Proximo nullâ ratione debetur, & quorum privatio aliunde debetur, & inflictio mali contrarii, nego. Si subventio fieri debet per bona conditionis alterius, concedo.

38 Et notandum est, ut probè dignosci possit, unde oriatur obligatio naturalis inter homines ad sibi mutuò subveniendum, aliam omninò rationem esse de mutuâ eorum obligatione naturali sibi subveniendi, suppositâ jam, & restauratâ elevatione totius humanæ communitatis ad supremum finem. Eà enim factâ, per Christi merita, singuli lege naturali tenentur, ut se juvent invicem ad finem communitati præscriptum, cujus singuli membra sunt. Nec ulla cujusquam seorsim considerati indignitas aufert privilegiũ communitatis, & resultans exinde jus in singulos, quatenus ejus membra, ut juventur à cæteris in ordine ad finem singulis communem, comparandumque per Dei Gratiã, mutuo aliorum in alios juvamine, & ministerio: Id enim onus mutuum est singulis hominibus valde utile, ac maximè desiderabile. At hæc ratio Christum non tangit: qui nec eget juvamine cæterorum, perque singularem Dei circa ipsum dispositionem erat elevatus, & collocatus in tuto. Iam

39 Ad primam confirmationem, omisso, quòd Christus sit subjectus legi naturali, de quo *infrà*, nego suppositum: nempe in præsenti esse materiam legis naturalis, respectu Christi, ut jam diximus. Adde legem naturalem ligare puros homines, non verò Deum hominem, cui connaturalis est potestas circa Genus humanum Divinæ similis. Ad secundam, jam dixi in quo fundetur illa obligatio naturalis, ex quâ sibi mutuò subvenire homi-

Infrà nu. 153. & sect. 6. à nu. 198.

nes debeant, & occurrere malo Reipublicæ totius, cujus membra sunt, per privati boni, etiam consistentis in vitâ propriâ, amissionem. Ad tertiam, admitto antecedens de puro homine, nego verò de Deo homine propter rationes dictas, neque mirari debemus Deum operatum in Christo, cui fateri debemus, dedisse Patrem in manus omnia, eam facultatem, & potestatem, quæ solius Dei propria est, & quam alioqui fide subnixi in Deo credimus.

40 Objicies secundò: si Christus, quatenus homo, sciret fore, ut ipso vel non moriente, vel non impediente, homines gravia scelera committerent; ex lege misericordiæ, exque lege charitatis erga Proximum, & ex lege justitiæ erga Deum naturaliter obligaretur etiam ad mortem, ne homines ad tartara ruerent, pessumdarent amicitiam Dei, divinumque jus violarent: ergo posità ruinà mundi totius, ex triplici illà lege naturaliter adevertenda, & reparanda hæc mala obligabitur, licèt mortè sit opus. Nec refert dicere (id quod noviss imè post alios inculcat Vvadingus *disp. 9. dub.* 5. §. 2.) nempe Vitam Christi esse æstimabiliorem, quàm sit salus omnium hominum: præceptum autem naturale obligare non posse cum tãto dispendio, utque homo pro minùs præstantibus, altioris ordinis bona prodigat.

Vvading.

41 Non, *inquam* refert. Primò: quia hæc ratio non militat, si morte non sit opus ad Redemptionem. Secundò: quia alioquin ne unicam quidem eleemosynam operis meritorii teneretur Christus ex lege naturali erogare pro Redemptione totius mundi: nam quodvis opus meritorium Christi est simpliciter infinitum. Tertiò: quia eatenus præceptum naturale non obligat ad prodigenda pro minùs præstantibus bona præstantiora, quatenus obligare non potest cum damno majori, quam sit bonum, quod intenditur: hæc enim pensanda non sunt ex magnitudine rei, quæ impenditur, sed ex incommodo, & damno impendentis; atqui damnum, quod Christus subiret, etiam morieus pro Genere humano aliàs irreparabili, esset facile, & brevî, ac juxta me necessariò reparandum, atque adeò nec ingens, nec præponderans malo Generis Humani: ergo licèt Christi vita sit magis æstimabilis, quam salus omniũ hominum, tenebitur Christus ex lege naturali eam ad breve tempus profundere pro salute hominum, si alia via non sit.

42 Et urgetur id ipsum primò: quia si mors Christi per triduum esset ipsi majus incommodum, quàm est mundo æterna damnatio, lege charitatis naturaliter prohiberetur Christus mortem subire per triduum: lex enim naturalis obligat servare quod majoris æstimationis est, si aliud minùs æstimabile deperdi debet. Vrgetur secundò: quia possessor pretiosissimę margaritę tenetur eã ex obligatione naturali deponere per duos saltem dies, ut minùs pretiosam, ex quâ pendet ne sit in extrema necessitate, Proximus, recuperet: ergo similiter in casu nostro: in quo non immeritò quæri posset: an habere Vnionem Hypostaticam per duos, aut tres dies præcisè sit magis æstimabile quàm habere Gratiam & Gloriam per totam æternitatem. Respondeo igitur negando antecedens argumenti ex doctrinâ præcedentis solutionis.

43 Objicies tertiò: quia in negotio Redemptionis, non agebatur solùm de avertendis nostris incommodis, commodisque procurandis, sed de Dei, propriàque Christi ipsius gloriâ promovendâ: quæ nempe per Christi mortem erat augenda maximè: ergo cùm Christus sine ingenti suo incommodo posset utrumque præstare, non est cur ad id ex lege naturali obligatus non fuerit. Confirmatur; & finge Christum cognoscere, ut medium necessarium ad acquirendam sui Corporis Resurrectionem, & gloriam, suique exaltationem nominis, sustinere passionem, & mortem: tenebitur ex lege propriæ charitatis ad id oneris sustinendum: ergo similiter ex lege charitatis erga Proximum, & ex lege charitatis erga Deum naturaliter obligabitur ad sustinendam passionem, & mortem, pro Dei extrinsecâ Gloriâ promovendâ, injuriis avertendis, & procurandâ æternâ gloriâ animarum.

44 Respondeo, ex argumẽto sequi obligationẽ naturalem in Christo ad efficaciter avertendas omnes & singulas injurias Dei, secùs ac dici debet juxta *num.* 27. fine. Deinde negetur consequentia ob illam potestatem concessam Christo, ipsique connaturalem de quâ *num.* 28. Ad confirmationem omisso antecedente, nego consequentiam: ratio discriminis est, quia ficto casu antecedentis esset Christus in casu quasi meliorandæ fortunæ suæ per mortem suam & in necessitate honorandæ compartis in labore; cui non aliter facere satis poterat, quàm prodigendo vitam cum fœnore, brevî, recuperandam: at in casu cõsequentis ipsa collata

Suprà nu. 27. & 28.

dig-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignitas à Deo facit, quoad rem præsentem, supra omnem legem naturalem. Adde, ex supra insinuatis, esse multa in quibus Christus erga Deũ ostẽdere valeat magnũ amorem, & quantus in una voluntate finitâ haberi potest, quin exinde cogatur eum ostendere in avertendis, aut reparandis injuriis: alioquin teneretur eum amorem ostendere in avertendis efficaciter omnibus, & singulis hominum singulorum.

Matth.16. 45 Objicies quartò ex Verbis *Matthæi* 16. 42. *Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Vbi significatur necessitas mortis à Christo subeundæ orta ex objecto, & ex naturâ rerum, supposito quòd ex Decreto Dei non sit alia Redimendi mundi via, nisi per Christi mortem. Et consonat Hilarius *can.31. in Matth. ideò Calix transire non potest, quia reparari, nisi ex ejus passione, non possumus.* Confirmatur primò: quia Christus necessariò est Bonus Pastor; certè non potest esse malus, aut non bonus: ergo non potest non ponere animam pro ovibus suis: Nam *Bonus Pastor dat animam suam pro ovibus suis. Ioannis* 10. 11. Confirmatur secundò: quia Pater non potest non diligere Christum: ergo neque potest deficere ratio cur diligit. Sed hæc ratio est ipsa mors Christi, dicentis per *Ioannem* 10. 17. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*: ergo.

Hilarius. *Ioann.* 10. *Ibid.*

46 Respondeo, ex verbis Matthæi non colligi nisi necessitatem vel consequentem ex Prædefinitione, & ordinatione Divinâ, vel necessitatem ex suppositione finis nostræ Redemptionis intentæ per passionem & mortem Christi, dependenter ab ejus liberâ potestate. Ad primam confirmationem dico Christum non posse esse Pastorem malum, seu non bonum: posse tamen simpliciter non esse Pastorem. Suscepit enim liberè onus officii, cùm potuisset Iudicis Personam sumere: Nam oves vitio suo jam mortuæ, indignæ erant Pastore eas regenerante in vitam æternam. Ad secundam confirmationem: dico, sensum textûs esse, etiam Christum à Patre diligi, quòd animam suam ponere pro suis ovibus vellet: intendebat enim suadere Iudæis, se liberè suscepisse tantum onus officii, Patre approbante: & non per malè consiliatam, quam exprobrabant Iudæi, temeritatem.

SECTIO III.

ETSI CHRISTVS FORET CAPAX PRÆcepti obligantis in conscientia, tali præcepto, saltem absoluto, non est ipsi præcepta Mors.

§. I.

ASSERTI PROBATIO POTISSIMA AB Authoritate, & à jactura libertatis.

47 DE conditionato colligetur *infrà*, quod sentio. Ostendo nunc conclusionem primò. Præceptum, quo non obstante actio, & omissio actionis, quæ præcipitur, manet licita, & in morali potestate illius, cui præcipitur, non est Præceptum obligans in conscientiâ, ut est ex terminis nota propositio: Atqui Mors, & ejus omissio, non obstante præcepto mortis, mansit Christo Domino licita, & in ejus potestate morali: ergo præceptum mortis impositum Christo Domino, etiam alioquin præcepti in conscientiâ obligantis capaci, non fuit obligans in conscientiâ. Consequentia est legitima. Et minor ex *num.* 14. mihi certa juxta sensum literalem Scripturarum, & PP. quibusde *inibi*

Infrà ànu. 192. *Suprà nu.* 14.

48 Iuvat iterum repræsentare verba ipsius Christi Domini. *Ioannis* 10. 18. *Nemo tollit* (& juxta lectionem Anselmi præclusuri recursum fieri solitum ad differentiam temporis, *nemo tollet*) *animam meam à me: sed ego pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* En audis à Christo mandatum Patris, & vides, descriptam ab ipso, mandati qualitatem. Nam cum ipso mandato ponendi animam, dicit Christus componi tria. *Primum*: se *ex indifferentia* mori: *nemo* enim *tollit. Alterum*: *se non determinari aliundè*, & extrinsecè ad mortem, sed *à se ipso*: morique, quia vult mori. *Tertium*: habere se *in potestate mori, & non mori*: quod est utrumlibet esse sibi licitum, & possibile. Quid pro minori nostrâ clarius? Certè Præceptum solùm interpretamur ex ipso ore veritatis, qui Christus est: nec est fingendum quale Scripturæ non ponunt.

Ioann. 10. Anselmus.

49 Ostendo Secundò: esse rem absolutè præceptam, præcepto obligante in conscientiâ, respectu subjecti essentialiter impeccabilis, est esse rem absolutè necessariam, ejusque omissionem simpliciter impossibilem: eo modo necessaria est à peccato puritas, & impossibile omne peccatum ded Christus est essentialiter impeccabilis, ut suppono: ergo mortem esse Christo præceptam, præcepto absoluto obligante in conscientia est esse Christo mortem absolutè necessariam, ejusque omissionem simpliciter impossibilem. Sed actio, cujus omissio est agenti simpliciter impossibilis, non est ipsi libera, nec potest esse meritoria: ergo neque mors Christi est ipsi libera, aut meritoria contra manifestam reclamationem Scripturæ, & Patrum asserentium, morte, & obedientiâ Christi usque ad mortem nos esse Redemptos, mortuumque esse Christum, cum potestate non moriendi, & quia voluit mori.

50 Tetigimus arduam difficultatem, in quâ Doctores desudant maximè pro componendis libertate moriendi cum impeccabilitate Christi Domini, & impositio absoluto præcepto obligante aliàs in conscientiâ. Videamus pro firmitate nostræ conclusionis, & probationum, quinam sit exitus Solemniorum solutionum.

§. II.

THOMISTICA SOLVTIO.

Thomistæ Alvarez. Godoy. 51 PRima solutio est Thomistarum ajẽtium post Didacum Alvarez *disp. 46. de Incarnatione num.* 8. & novissimè cum Petro Godoy *disp.* 40. §. 8. hæc omnia à Prædeterminatistis benè componi, eodem modo quo Prædeterminatio cum libertate componitur: Nam licèt Christus non habeat facultatem non moriendi *in sensu composito præcepti*; habet tamen expeditam facultatem non moriẽdi *in sensu diviso*: quod ad libertatem sufficit.

Tom. in 1. p. latissimè

52 Imprimis hæc solutio non occurrit præcipuæ difficultati, sed cedit. Fatetur enim in casu præcepti, & in sensu composito illius esse Christo impossibilem evitationem mortis contra Doctrinam ipsius Christi Domini *numero* 14. & 47. satis expensam. Deinde malæ causæ pejus patrocinium à Prædeterminatione quæritur: id enim est *lapidem lapide velle mollire*, ut benè Thomista Prudentius. Tertiò: demus cum libertate componi posse physicam Prædeterminationem, secùs ac multipliciter contra Thomistas, & ipsum Godoy demonstratum est *disputando de auxiliis totâ disputatione* 8. adhuc in præsenti arguo sic.

M. Prudẽt

53 Ideò prædeterminatio cum libertate componitur per vos, quia est necessitas consequens, non requisita ad posse, sed ad actum, & relinquens in voluntate facultatem ad oppositum; atqui Præceptum, ejusque necessitas, se habet ex parte actûs primi, atque adeò non relinquit in Christo facultatem ad oppositum: Nam Voluntas Christi prout in actu primo dicit necessitatem non peccandi, & cognitionem præcepti obligantis, atque adeò nullam dicit indifferentiam ad objectum prout in actu primo propositum; alioquin diceret indifferentiam ad peccandum: ergo. Quartò sic arguo: vel Deus paratum habet concursum Christo ad nolendam mortem in casu præcepti, ut habet in casu prædeterminationis, nam, saltem ore, non negatis auxilium sufficiens, vel non? Si secundum: non manet Christus liber, & est major difficultas in componenda libertate cum præcepto, ac cum prædeterminatione. Si primum: ergo Deus paratus est concurrere cũ Christo ad actum qui hic, & nunc foret peccaminosus: quomodo ergo Christus est essentialiter impeccabilis?

54 Quintò sic arguo: Qui necessitatus est vel ad nõ operandum vel ad peccandum: eâ omninò necessitate, quâ necessitatus est ad non peccandum, necessitatus est ad non operandum: Sed Christus ratione impeccabilitatis, & præcepti est antecedenter, inevitabiliter, & eâ necessitate, quâ necessitatus est esse Filius Dei, necessitatus vel ad peccandum, vel ad non evitandam mortem: ergo eâ omninò necessitate, quâ necessitatus est ad non peccandum, necessitatus est ad non evitandam mortem. Sed antecedenter, inevitabiliter, & eâ necessitate quâ est necessitatus esse Filius Dei, est necessitatus ad non peccandum: ergo eâdem omninò, necessitatus est ad non evitandam mortem: sed qui antecedenter inevitabiliter, & summâ necessitate necessitatus est ad non evitandam mortem, non evitat liberè: & qui non liberè desinit evitare mortem, non liberè moritur: ergo Christus in casu præcepti non liberè mortuus est.

55 Sextò sic arguo: Per vos, Christus non habet potentiam non moriendi, aut nolendi mori in sensu composito præcepti; sed neque in diviso: nam nequit à se excutere præceptum, & facere divisionem: nam vel face-

Universidad de Deusto
Biblioteca

faceret per inobedientiam: & hoc pugnat in terminis; nam inobedientia est actus oppositus, & compositus cum præcepto: vel facere per actum præscindentem a præcepto: & hoc est omninò dissonum; quisenim præscindat à præcepto quod intendit evitare?

Godoy. 56 Dicere novissimè cum Godoy, posse Christum non mori in sensu diviso, non *positivè*, sed *præcisivè*, id est, habere potentiam ad actum, qui neque componi potest cum præcepto, neque potest tollere præceptum, sed qui secundùm se præscindit à præcepto, est omninò, & plusquàm absurdum. Primò nam cum omni necessitate invenitur hoc posse: & non invenitur cum omni necessitate libertas. Secundò: nam hoc diversis terminis est recurrere ad potentiam remotam Calvini, & Baii. Tertiò: nam præscindere à præcepto, & posse, & actum secundùm se non tollit, & actum cadere sub præcepto, & illud posse inextricabiliter præcepto reddi prorsus inutile ad actum, eodem omninò modo, ac si reipsà non esset posse. Quartò: quia potentia constituta per notitiam præcepti nequit dici præscindens à præcepto, licèt considerata aliter ac est, & ut ipsa pro libito suo non potest poni, consideretur præscindens. Solutio ergo Thomistica magis auget, quàm emollit difficultatem.

§. III.

SOLVTIO PATRIS SVAREZ.

Suarez. 57 SEcunda solutio est Patris Suarez *disp. 37 sect. 3.* quam post alios sequitur novissimè Pater Avendaño *disp 7. de Scientiâ Dei cap. 2. §. 8.* licèt aliter explicet, nisi fallor: nam Suarez fassus apertè suppositionem præcepti non pendere à Voluntate Christi, tria supponit in quibus fundat solutionem suam.

Avendaño

58 *Primum*: Christi impeccabilitatem formaliter non consistere in aliquâ necessitate physicâ immutante modum intrinsecum operandi Voluntatis ipsius, sed In extrinseco regimine quo Deus ratione unionis tenetur eam regere dispensando semper, & penès singulas actiones ea auxilia secundùm se indifferentia, quæ per Scientiam Mediam prævidet efficacia fore. *Secundum*: suppositionem præcepti esse etiam suppositionem extrinsecam, non immutantem Voluntatem Christi. *Tertium*: Voluntatem, à nullâ suppositione connexionis, posse lædi in suâ libertate, nisi immutet physicum, & intrinsecum modum, quem habet voluntas in operando. Ex his colligit, Christum & esse impeccabilem: quia semper instructus est auxiliis efficacibus: & esse intrinsecè impeccabilem, quia tale regimen debetur unioni, & est ad exigentiam ipsius: & non obstante præcepto, liberè exequi rem præceptam, quia solùm exequitur per media indifferentia, per quæ prævisus est liberè operari, cum potestate non operandi. Hæc est solutio P. Suarez.

P. Avendaño. 59 Pater Avendaño cum Recentibus aliter explicat, dicendo actum præceptivum Dei, & præceptum haberi à Deo dependenter à Scientia Media; ita ut, sicut suppositio Scientiæ Mediæ est evitabilis à Christo Domino, ita pariter sit evitabilis actus præceptivus, & præceptum: & sicut suppositio Scientiæ Mediæ non tollit potestatem ad actum oppositum illi, quem videt sub hypothesi, ita neque suppositio præcepti de morte subeunda tollit potestatem non moriendi: nec tamen eoipso conjungitur cum potestate peccandi: nam potestas peccandi non est utcumque potestas non moriendi, sed potestas non moriendi, quæ non sit evitativa præcepti.

R adm. P. Thyrsus P Carrèro apud Muniessa. 60 Hùc recidit solutio, quam illustrat Reverendissimus Noster Thyrsus *tom. 3. disp. 30. & quam ex Recentiori Romano* latè refert Pater Thomas Muniessa, *disp. 16. de Incarnatione sect. 3. 4. & 5.* per imitationem Prædefinitionum essentialiter præexigentiù Scientiam Mediam, asserendo Vnionem Hypostaticam ex se essentialiter præsupponere Scientiam Mediam, quâ Deus præscit rectum se gerendi modum in Humanitate, sub conditione præcepti, & auxilii indifferentis. Hac enim præstitutâ conditione in Vnione Hypostatica, center uterque, salvari libertatem Christi Domini ex favore Scientiæ Mediæ: nam suppositio unionis, manet suppositio evitabilis ex libito ipsius Humanitatis; non minùs ac asseritur evitabilis, suppositio Prædefinitionis dependentis essentialiter à Scientia Media. Hæc subtilia sunt, sed contra Mentem Doctoris Eximii legendi *disp. & sect cit. §. ultimò ergo respondeo.* Quicquid tamen de his sit

Suarez. 61 Tota Doctrina solutionis est summè difficilis. Arguo primò contra ipsam ut propositam à *Suarez*: suppositio præcepti obligatis in conscientiâ cum necessitate intrinseca non

non peccandi est suppositio cognitionis constituentis Voluntatem in actu primo, eamque sic reddentis incompossibilem cum omissione rei præceptæ, ut erit notum terminos expendenti: ergo suppositio præcepti non est extrinseca, ut est prædefinitio, sed intrinseca & immutativa potentiæ: ergo tota doctrina nititur falso fundamento. Quid quòd Christi Voluntas in operando præscindere non potuit à cognitione suæ dignitatis, Visione Beatificâ, & amore necessariò determinante ad fugam omnis objecti displicentis Deo, qualis in casu prædicto esset mortis omissio?

62 Arguo secundò: Vel Christi voluntas erat potens indifferenter & proximè ad omissionem mortis, etiamsi præceptæ, vel non? Si secundum: quænam ergo fuit Christi libertas in subeundâ morte? subiit enim, non potens eam omittere, & evitare. Si primum: ergo erat potens indifferenter, & proximè peccare: quare Deus paratus esset cum ipsâ concurrere ad actum peccaminosum, & ipsam odisse. Quænam hæc Christi dignitas, & impeccabilitas? Arguo tertiò: Vel unio est necessitas indispensabilis, ut si operetur voluntas Christi, benè operetur, vel non? Si secundum: Christus, ut homo, non manet intrinsecè impeccabilis. Si primum: ergo est necessitas indispensabilis Christo cognita, atque adeò Voluntati ipsius intrinseca, necessariò prædeterminans, ne operetur nisi juxta præceptum: quomodo ergo manet indifferens ad actionem præcepto oppositam?

63 Arguo quartò: Non est alia libertas in Christo per te ad omittendam mortem, quàm quæ prævisa est per Scientiam Mediam liberè se determinans ad electionem mortis: hæc est doctrina solutionis; atqui libertas hęc prævisa per Scientiam Mediâ in Christo non est. Nam libertas prævisa per Scientiam Mediam est libertas sejuncta à casu unionis, & præcepti: libertas autem Christi est constituta per cognitionem unionis, & præcepti. Eventus per eam Scientiam Mediam cognitus non est eventus obedientiæ, nec eventus prævisus omitti est eventus inobedientiæ; sed actus omninò præscindentes, & distincti ab obedientia, & inobedientia. Quid ergo ad hæc facit recursus ad Scientiam Mediam? Hinc

Avendaño & RR. 64 Arguo quintò: contra eadem Solutionem, ut à Modernis comptam, & ab Avendaño propositam. Non est utilis Scientia Media pro tuenda libertate arbitrii, nisi retineatur in statu absoluto eadem constitutio libertatis, & hypothesis, quæ conditionatè prævisa est; ut erit evidens serio rerum æstimatori; atqui voluntas intrinsecè informata per cognitionem præcepti & unionis incompossibilem eoipso cum omissione mortis, non est eadem libertas, ac hypothesis, quæ conditionatè prævisa est per Scientiam Mediam, ut est evidens: ergo Scientia Media non est utilis pro tuenda libertate, de quâ loquimur, nempe Christi.

65 Arguo sextò: quia juxta Suarez, ut *suprà*, præceptum mortis est naturale, atque adeò inimpedibile & indispensabile: ergo tota solutio pugnat cum ipso Suarez. *Dicit* Avendaño: in eo casu præceptum esse indirectè impedibile, quia est impedibilis Vnio Hypostatica, quà non stante, non staret. Sed hæc solutio, in causâ Patris Suarez, non tenet: quis enim asserat esse in manu Humanitatis Christi, evitare sublimem dignitatem, in quâ est? *Suprà nu. 19.*

Arguo septimò: Præceptum est impedibile? ergo non obligat: ergo tandem non est præceptum, ut patet. Probo primam consequentiam. Præceptum istud non est impedibile per actum, quo ipsi satisfiat, ut est evidens: ergo solùm est impedibile per actum non exequentem, rem quę præcipitur. Sed potest Christi voluntas velle impedire per te; nec obligatur ad non impediendum: ergo potest pro libito non exequi, nec obligatur ad exequendum. Vide quò tandem ventum est?

66 Firmantur hæc primò: Christi voluntas ut proximè potens obedire, constituitur in actu primo per cognitionem præcepti. Rogo nunc; vel Christus libere desinens obedire, maneret potens obedire? vel non? Si secundum: quomodo ergo liberè desinit obedire? Si primum: quomodo manet potens obedire, si evitat principium, ad posse obedire, necessarium, quæ est cognitio urgętis præcepti, quæ vitato præcepto vitatur. Quod dico contra Modernos hæc, & similia nimis horrentes in influxu Gratiæ ad actum pro instâti determinato præceptum: & modò hæc singula Suarez appingentes. Firmantur secundò: vel præceptum reddit illicitam aliquam actionem moralem, sive illa sit omissiva, sive positiva, vel non? Si secundum: ad quid obligat in conscientiâ? Si primum: ergo ea actio illicita manet simpliciter in possibilis, Personæ essentialiter impeccabili.

Universidad de Deusto
Biblioteca

67 Arguo demùm sextò contra solutionem hujusmodi ut propositam à Thyrso, & à Carenio. Nam imprimis Scientia Media inutilis est Scientia pro tuenda libertate actuum, non retentâ eadem hypothesi, sed planè mutatâ, sub quâ actus per Scientiam Mediam prævisus est liber, ut contra Avendañum monui: atqui in casu Vnionis, planè deificantis Humanitatem, eamque quoad omnes potentias, necessariâ consequentiâ, meliorantis, & mutantis, & reddentis incompossibilem cum peccato, retineri non potest eadem hypothesis Scientiæ Mediæ: ergo.

Thyrsus. Carrcño.

68 Deinde, ut suppositio dependens à Scientia Media, sit evitabilis, evitabilitate sufficiente ad libertatem, debet esse evitabilis, à potestate evitativâ cum ipsa conjungibili: si enim potestas evitativa non est conjungibilis cum ea suppositione, potest dici suppositio impedibilis, sed non à libertatè, seu potestate, quæ nunc est: sic si prædeterminatio singatur dependens à Scientia Media, ea quidem existere non poterit sine Scientia alioquin evitabili, sed non evitabili à potestate constitutâ, vel coexistente cum tali prædeterminatione: de quo discursu dixi multa *disputando de Divinis prædefinitionibus*: atqui in hoc discursu, Vnio, quamvis singatur pendens à Scientia Media, non est conjungibilis cum potestate proximè evitativâ talis Vnionis: nam Potestas proximè evitativa Vnionis, est Proxima peccandi Potestas: quam repugnare cum Vnione, dicemus, adversus hos, & alios Authores *lib. 5. disp. 2. à nu. 9. & à nu. 41.* ergo.

Latè in 1. p. Tract 2. & infrà lib. 5. disp. 3. à nu. 86.

Lib. 5. disp. 2. à nu. 9. & à nu. 41.

69 Tertiò: nam hæc dependentia gratis singitur: & alioqui repugnat: nam in Vnione, seu Rectitudine ex se afferente connexionem cum actu, & vires habente, ut actus fiat, quamvis alioquin independenter ab ipsâ nõ esset extiturus: undenam exigentia, ut actus alioquin extiturus sit? Vis enim per se sufficiens ad existẽtiam alicujus; & ita sufficiens, ut per se determinata sit eam ponere, per se non eget, quòd alioquin existat: ergo per se repugnat identitati talis egentiæ, seu exigentiæ. Quartò: nam inde fit, Naturam quę alioquin prævisa sit, independenter ab Vnione, peccare, si produceretur, esse inassumptibilem à Verbo: eique esse impossibile, donum Vnionis, ex defectibus conditionatè prævisis independenter ab ipsâ: quod nimis durum est, & prorsus impertinens. Alia latè Pater Munièssa, quibus ipse non ego, satis videns, neque sic, neque aliter occurri posse, per Eximii Doctoris Solutionem, præsenti difficultati.

P. Thomas Munièssa.

§. IV.

SOLVTIONES PRVDENTII, ET BERNAL: Granadi, & Herize.

70 TErtia Solutio contendit hæc omnia conciliare, dicendo, præceptum non aliter impositum, aut extitisse, quam Christo petére, aut acceptâte liberè; cũ ergo Christus liberè petierit, aut acceptaverit: sequitur pro libito subiisse obligationem, atque adeò pro libito posuisse rem præceptam. Ita ex Cabrera discurrunt Prudentius, & ex parte Bernal. Et coincidit cum hujusmodi Solutione, alia, quam ex *Anonymo Hispano* recitat Haunoldus, & ex ipso Pater Munièssa, Authorem ex conjecturâ nominans P. Nicolaum Martinez *disp citat. sect 7.* per obediẽtiam affectivam planè liberam contendens compositionem libertatis & Præcepti, sic discurrendo: ut primò Christus, ardentissimè optaverit obedire per omnia, Patri; & quidem in morte, si præciperetur ab ipso. Secundò, cognoscens præceptum; quasi purificatâ jam conditione illius primi efficacis desiderii, necessitatus est mori ex vi illius. Ecce Christum morientem ex obedientia: & quidem ex obedientia liberâ: nam illud desiderium libere habuit, & fuit affectiva obedientia: & ecce negotium libertatis cum incõpossibilitate compositum. *Aliter ego legi* hujusmodi solutionem in alio Recentiore, docente, Christum, loco illius desiderii, votum nuncupasse moriendi, si opus esset ex præcepto Patris: unde colligebat ex libertate vovendi, libertatem mortis, etiam præceptæ, saltem in causâ.

Cabrera. Prudent. Bernal. Haunold. Nicolaus Martinez. P. Munièss.

71 Sed contra principalem Solutionem est primò: nam licèt hæc Solutio aliquomodò salvet, Christum potuisse non mori, si voluisset in instanti Conceptionis non petere, vel non acceptare præceptum: nec salvat nec potest, quòd tempore passionis haberet Christus in manu suâ, & in suâ potestate non mori, secùs ac ipse Christus affirmavit ut patet ex *nu.* 14.

72 Contra secundò: nam hic modus discurrendi manifestè contradicit principiis, ex quibus hi Authores colligunt respectu Christi præcepta obligantia in conscientia: nempè titulo jurisdictionis in Deo, & titulo servitutis in Christo, quorum utrique titulo non congruit ut præceptorum obligatio, si stricta alioqui sit, debeat ab aliâ pendere voluntate, quam Superioris.

73 Contra tertiò: quia necessitas consequens unum actum nostræ libertatis, nõ ideò est consequens respectu alterius valdè distãtis & diversi: ergo licèt præceptum sit necessitas consequens respectu actûs, quo petatur, vel acceptetur, non est consequens respectu actûs præcepti: ergo si vi præcepti res præcepta manet simpliciter inomissibilis, non manet libera: ergo Christus non liberè mortuus est. Contra quartò: quia Christo non est uteumque præcepta mors, sed mors libera, & meritoria. Deinde quintò: nam Christus habuisset etiam præceptum vel petendi, vel acceptandi præceptum. Omitto plurima.

Haunold.

74 Deinde contra Solutionem, ut ex *Anonymo* proponitur ab Haunoldo facit imprimis, unanimis Theologorum & Fidelium sensus, firmâ persuasione, tenentium actum Christi Domini quo ex obedientiâ mori voluit, & mortuus est, habitum ex notitiâ suæ oppigerationis in Redemptorem, per mortem suam: Imò tenentium, Christum Dominum in primo suæ existentiæ puncto, præceptum & agnovisse, & acceptasse. Secundò: Illud desiderium efficax quasi conditionatum, vel mansit in Christo Domino, continuarumque liberè est, posito jam præcepto; vel non? Si secundum: quid facit ejus libertas pro libertate actionum subsequentium simpliciter ex circunstantiâ præcepti inevitabilium? Si primum: dura dicuntur & impossibilia: nam posito præcepto impossibilis est nolitio moriendi in Christo Domino: ergo necessarius est absolutus affectus efficax moriendi, prout præcipitur mori. Tertiò: quia vel cum notitiâ præcepti potest componi à Christo, mortis omissio, vel nolitio mortis, aut non? Si primum: ergo & peccatum: quod est omninò implicans: & exinde manet omninò vanus ille recursus ad primum desiderium. Si secundum: ergo necessitas moriendi non venit ab illo desiderio, sed ab impossibilitate conjungendi notitiam de urgẽte præcepto, & omissionem præceptæ mortis. Ad quid ergo recursus ad desiderium primum?

75 Denique contra speciem hujus Solutionis innixam obligatione voluntariâ voti, est primò: quòd modus iste solùm est modus ligandi magis, quàm solvendi difficultatem. Secundò: quia materia voti est materia cadens in libertatem: at contendimus, mortem sub conditione præcepti, jam non cadere posse in Christi libertatem: ergo neque potest esse materia voti. Tertiò: nam exinde, si quæ esset in Christo libertas, esset libertas ex virtute Religionis, & non ex virtute obedientiæ: atqui libertas, quæ defendi debet in Christo juxta tenorem Scripturarum & Patrum, est libertas ex obedientiâ: ergo per recursum ad votum non expeditur difficultas hujusmodi, sed impeditur magis.

76 Quarta Solutio est Patris Granado, Philippi Moncæi, Herize, & Araujo, asserentium, eatenus Christum fuisse liberum in acceptanda morte, quatenus potuit acceptare per hunc, aut illum actum æqualis obsequii, & perfectionis. Nam licèt ex præcepto Patris, fuerit, & manserit Christus necessitatus & determinatus ad Mortem in genere, & ad aliquã acceptationem perfectissimam, vagè sumptam, & quidem pro determinato tempore, loco, & modo mortis; mansit indifferens, & sine præcepto quoad determinationem inter hanc aut illam acceptationem internam mortis: quo mirificè tota difficultas solvitur; & Christi libertas in moriendo cum ejus impeccabilitate, & summâ perfectione morali componitur.

Granad. Moncæus. Herize. & Araujo.

77 Nec inde fit, *inquiunt*, Christum nec meruisse, nec redemisse nos per mortem quoad substantiam, simpliciter, sed quoad circunstantiam. Nam Mors sumi debet, & potest vel in *esse physico* pro separatione reali partium, vel in *esse morali*, pro liberâ voluntate moriendi. *Primo* modo nec quoad substantiam, neque quoad circunstantias externas, est, aut esse debuit meritoria formaliter, sed objectivè: unde Martyres meritoriè moriuntur, licèt morte physicè sumptam evitare non possint, quia nempè liberè volunt mortem pati. *Secundò* modo sumpta mors, est formaliter meritoria etiam quoad substantiam, quia totam substantiam actûs moralis, seu acceptationis, quam habuit, potuit Christus omittere. Quæ doctrina etiã & magis quadrat quintæ, & sextæ solutionibus *mox* apponendis.

Mox à nu. 79. & 89.

78 Quicquid sit de veritate doctrinæ, in quâ nititur tota solutio; & quæ communiter judicari solet ardua, & insufficiens ad conceptum laudabilitatis, & meriti, quode me *infrà* videbo: imprimis faciunt contra solutionem omnia, quæ contra sequentes acriter expẽdentur. Deinde hi Authores extra chorũ saltare vidẽtur, & discurrere extra quæ-

Infrà lib. 5. disp 4. sect. 1. à nu. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstionem. Nemo enim dubitat Christum fuisse liberum circa ea, quæ sub præcepto non cadunt: & quæstio est, an cum præcepto componi possit libertas omittendi rem præceptam: cui difficultati manifestè cedunt. Tertiò: videntur resistere Authoritati Patrum & Scripturæ tribuentium Christo Domino plenam indifferentiam, & meritum, non solùm circa aliquid præter mortem, dum moritur, sed etiam circa ipsam mortem, & passionem secundùm se, ita ut nec pati, nec mori, licitè, & omninò liberè pro libito potuisset: ut patet ex *num.* 14 & 47. Quæ solutio hujusmodi, præsenti difficultati non occurrit.

Suprà nu. 14. & à nu. 47.

§. V.

SOLVTIO PATRIS GABRIELIS Vazquez.

Vazquez. Valentia. Meratius. & satis communiter.

79 QVinta solutio est Patris Vazquez, Valentiæ, Meratii, satisque celebris, & communis inter Modernos Authores: qui, censentes requiri ad victoriam præsentis difficultatis, ultra libertatem ad actus æquales: addunt, Christo præcepram esse mortem, & acceptationem ipsius, non verò circumstantias motivi, intensionis, & loci; atque adeò licèt non potuerit non acceptare mortem, fuisse tamen indifferentem ad ipsam acceptandam ex hoc, aut illo motivo, hac vel illa intensione, hoc, aut illo loco (nam de circumstantia temporis, dicam specialiter *infra*:) quod sufficit ut tota substantia actus, quo Christus mortem acceptavit, utpote indistincta ab intensione actus, & ab specificatione motivi, fuerit in Christo libera, & meritoria. Hæc solutio, (ad quam tandem refugit Pater Thomas Mu-niessa *disp. 16 sect. 9.* eam ex discursu tertiæ & quartæ sufficiens,) jam fatetur, præceptum derogare libertati, quoad executionem rei, ut præcepta est: unde, si cum substantia mortis, præceptæ fuissent singulæ circumstantiæ, succumbit oneri, fateturque libertatem Christi esse inconciliabilem cum præcepto, Iam ergo

Infrà à nu. 89.

P. Thomas Munie ssa.

80 Contra sic argumentor primò: Per vos, si singulæ circunstantiæ mortis, & operum tam internæ, quàm externæ præceptæ fuissent Christo Domino, præcepto obligante in conscientiâ, libertas ejus omninò rueret: atqui stando rationi, & Scripturæ, præceptum ejusdem omninò rationis habuit Christus Dominus circa singula opera, eorumque singulas circunstantias etiam minimas, præsertim in negotio Redemptionis; atque adeò si circa mortem habuit præceptum obligans in conscientiâ, etiam circa singula habuit: ergo libertas Christi omninò ruit. Minor est Toleti, Maldonati, Alvarez, Suarez, & Godoii: unde non potest non esse probabilis: & patet, quàm ad dubia, & incerta principia reducatur Christi libertas, aliòquin certa de fide.

Toletus. Maldonat. Alvarez. Suarez. Godoy.

81 Deinde ostenditur ex Scripturâ: *Ioan. 12. Quia ego (inquit Christus) ex me ipso locutus sum nihil: Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Ioannis 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ioannis 6. *quia descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatis ejus, qui misit me.* Deuteronom. 18. De Christo venturo, juxta communem sensum Catholicorum, loquens Deus, *Ponam*, ait, *verba mea in ore ejus, & loquetur, quæ præceperoti.* Quò etiam Suarez accommodat illud Dei dictum ad Moysem *Exod. 26. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Certè pro præcepto rigoroso de morte subeundâ, non dabunt urgentiora contrarii. *Demum* ostenditur ratione ad homines. Tum quia per factam obedientiam per vos respicit præceptum strictum, & perfectum: perfectior autem obedientia est quæ supponit opus esse præceptu quoad substantiam, & circunstantias singulas, sicut & præceptum, quòd non solùm præscribit operis substantiam, sed etiam circunstantias, perfectius est: ergo. Tum etiam, quia, res erat omninò gravissima Redemptio Generis humani, & omnium seculorum negotium: quis autem in re tam gravi non decrevisse Deum velit, & significasse Christo Domino omnes, & singulas circunstantias æterni consilii sui, & operis exequendi? Quæ dum meditor, parum curo, quæ confidenter objicit Pater Bernal *disp 57 sect 5. . 1. à num 136.*

Toletus. Maldonat. Alvarez. Suarez. Godoy. Ioann. 12. & 14 & iterum 6. Deuteron. 18. Exod. 26. P. Bernal.

82 Argumentor secundò: quia tota Doctrina solutionis repugnare videtur veritati Scripturarum, & Patrum ajentium Christum ita mortuum, ut simpliciter potuerit nunquam mori. Relege quæ *num 14. & 47.* Et urgetur hæc ratio, nisi fallor, efficacissimè. Eòipsò quòd libertas Christi solùm fuerit penès circunstantias motivi, & intensionis, Victoria illius horroris, & difficultatis naturalis in admittenda morte, quæ maxima est, & maximè æstimabilis, ut quæ ferè summa, præ-

Suprà nu. 14. & 47.

præsertim, si fiat atrociter, ut consummata Christi mors est, fuisset Christo Domino ita necessaria, ut fuerit ipsi omninò impossibilis nolitio, quâ excluderet hunc actum: *volo pati, & mori.*

83 Pater hæc veritas: nam difficultas & horror in acceptandâ morte non sumitur ex motivo, neque ex loco, neque ex tempore, sed ex ipsâ acceptatione mortis: unde si Christo fuit omninò illicitus, & impossibilis actus, qui excluderet volitionem acceptandi mortem: volitio, quâ vincitur tota difficultas, & horror mortis, atque adeò ea ipsa formalis victoria mortis est sub quovis motivo, & sub quavis intensione inamissibilis, & necessaria, ut volitio mortis est: ergo ut volitio mortis est, & ut est victoria mortis, & communis horroris in morte non est Christo libera, & imputabilis: ergo neque digna gratiarum actione: ergo neque nos obligati sumus referre Gratias Christo quòd mortuus sit pro nobis, utpote non redempti meritoriè per ipsam acceptationem mortis.

84 Nec refert dicere: ipsum actum: quo Christus accepravit pro nobis mortem fuisse Christo imputabilem, & meritorium. Nam distinguo moraliter in ipso rationem acceptationis, & talis: nempè ex hoc motivo, vel ex intensione: & arguo sic: Per vos, qui moraliter operatur, solùm in eo meretur laudem, quod etiam æquivalenter in actu à quo cessare non potest, posset omittere; atqui Christus Dominus non posset omittere volitionem acceptandi mortem, in actu à quo cessare non potest, vi præcepti: ergo neque meretur laudem in acceptando mortem.

85 Argumentor tertiò: nam ex Apostolo Christus *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, &c.* Vnde fit manifestè, Redemptos nos esse, Christumque meruisse sui nominis exaltationem per actum obedientiæ formaliter: ergo obedientia Christi Domini fuit sub conceptu formali obedientiæ, meritoria. Nunc sic: atqui si sola fuit Christo libertas quoad circunstantias non præceptas, non esset illi meritorius, actus sub conceptu formalis obedientiæ. Quod ostendo; nam formalis obedientia est executio rei præceptæ, ut talis, & volitio exequendi rem præceptam ut talem, & in nostro casu acceptatio mortis, & volitio acceptandi mortem: res enim, prout non cadit in præceptum, non est materia obedientiæ formalis, sed materialis; nec volitio, quæ prout urget præceptum, non est moraliter necessaria ratione ipsius præcepti, non est obedientia formalis; atqui executio rei præceptæ, ut talis, & in nostro casu acceptatio mortis, ut acceptatio mortis est, non est libera Christo, aliòqui Christus posset non acceptare: ergo formalis obedientia non est Christo libera, & meritoria.

Philipp. 2.

86 Confirmatur. Qui necessitatus est amare Deum, & totum indifferens ad amandum hoc vel illo affectu, non dicitur operati liberè, & mereri, quia Deum amat: similiter qui coactus, & necessitatus est velle mortem furcæ, & solùm indifferens ad acceptandam ex hoc, aut illo motivo, non dicitur liberè mori, & mereri, quia moritur. Demùm qui necessitatus est alicubi esse, & solùm indifferens esse in hoc, aut illo loco, non dicitur esse liberè in loco: ergo pari passu.

87 Argumentor quartò. Hæc propositio catholicè negari non potest: *quia Christus sustinuit Crucem, meruit Redemptionem hominum*; atqui juxta doctrinam solutionis, hæc non est vera: ergo ipsa vera non est. Maior constat ex illo Pauli *ad Philipp. suprà* citato, & clarius ex illo *Isaiæ 52. si posueris pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, id est, si mortem pro hominibus sustinuerit; illos à peccato redimet: quæ propositio, cum conditionalis sit, & quidem condirione causali, & meritoriè inferente consequens in illâ contentum, transit in causalem absolutam, purificatâ conditione: atqui conditio quæ est Christi mors, purificata est: ergo transit in hanc, quia posuit pro peccato animam suam, seu quia sustinuit Crucem, homines à peccato redemit.

Philipp. 2. Isaiæ 52.

88 Minor autem ostenditur: primò: quia sustinere Crucem, non est circunstantia mortis in Cruce, sed ipsa mors, Christo per vos nec libera, nec meritoria. Secundò: quia qui necessitatus esset ad sustinendam mortem, & solùm indifferens ad motivum hoc, vel illud, nò diceretur mori quia vult, atque adeò neque liberè, neque meritoriè, quoad præcisè mori. Tertiò: qui sibi imperat efficaciter abscisionem brachii, relictâ in posterum sibi solâ indifferentiâ motivi, solum per vos est immediatè liber quoad motivum, non verò quoad abscisionem. Quartò: quia mereri Incarnationem quoad aliquas circùstantias, non est mereri substantiam Incarnationis. Adde Authores relapsuros necessariò

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in solutionem præcedentem; quæ solam libertatem ad actus æquales requirebat ad meritum: nã victoria, & acceptatio mortis in Christo non redditur magis obsequiosa, & æstimabilis ex hoc, aut ex illo motivo.

§. VI.

SOLVTIO PATRVM AMICI, ET Arriagæ.

Amicus. 89 SExta Solutio est etiam præcedentium Authorum, & specialiter P. Amici *post relatas, & refellas decem, & novas septem* tuendi suam, *disp. 25. sect. 3.* & Patris *Arriaga. Aldrete.* Arriaga *disp 42. sect. 2. subsect. ultima* eaque censetur valdè probabilis ab Aldrete *disp. 76. sect. 5.* Concilians nempe hæc omnia per circunstantiam temporis. Asserit itaque Christum Dominum vi præcepti mansisse necessitatum ad aliquando mori: sui tamen juris, & electionis fuisse mortem hoc vel illo tempore subire, quod sufficit ut omninò liberè dicatur mortem subiisse: quia & mortem ejusque acceptationem sic executus est, ut potuerit non exequi: sic Martyres, licèt necessitati alioquin sint ex suâ mortali conditione ad aliquando mori, merentur tamen per voluntariam acceptationem mortis hoc ipso tempore, quo Tyrannus urget. *P. Arriag.* *Nec est unde cogamur*, ait Arriaga, *majorem libertatem in acceptandâ morte concedere Christo Domino, quàm Martyribus concedit Ecclesia.*

Imaginatio Recentioris. 90 Audivi nonneminem, qui ut expeditiùs in re se hac ageret, cum plausu gloriabatur invenisse jam se modum facillimæ cõcordiæ, dicendo, præceptum impositum Christo de morte subeundâ, nullum instans determinatè respexisse, sed omnia vagè, unde nullum poterat assignari in quo premeret obligatio, & ultra quod Christus non posset differre mortis subitionem, etiam per totam æternitatem.

Supprimitur. 91 Imprimis iste appendix discursus non videtur curare Scripturas, aut Patres in re gravissimâ: in quâ non licèt Theologo hæc & similia dicere sine Authore, aut gravi ratione. Deinde quis asserat habuisse Christum præceptum moriendi, & quidem violentâ morte, potuisseque differre pro libito post finem sæculorum quando nullus esset qui mortem inferret, & ex meritis Christi morientis decretus est exitus eorum, qui ad finem mundi judicandi sunt? Tertiò: quis ferat posse dici Christum in æternum potuisse differre Redemptionem mundi, nempe cum mundus jam non esset? Quartò: quomodo hic discursus convenit cum *illâ siti* laborum, quâ Christus ardebat ex communi calamo Patrum, si tamdiu accelleravit mortem suam? Patrum sensus longè alter est. Quintò: sciebat Christus adusque quod instans duraturus mundus foret; sciebat Resurrectionem suam futuram tali instanti determinato, imò & mortem: hæc omnia sciebat Christus quomodo ergo differre poterat per totam æternitatem mortem suam?

92 Sextò: vel præceptum erat Christo de non impediendis Iudæis ab inferendâ nece, vel non? Si primum: ergo tunc urgebat præceptum sebeundi mortem à Iudæis illatam. Secundum sine fundamento dicitur, & contra Scripturam. Tùm *Ioannis* 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum.* Pende, *hunc calicem* non esse alium, quam *mortem à Iudæis illatam*: & *hunc Calicem ex mandato bibi: dedit enim Pater.* Tùm Ioannis ipsius 14. *sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio.* Confer modò, hoc *dedit* cum illo *dedit*, & *hoc mandatum* cum illo *Calice*. Luc. 22. *Filius hominis vadit, secundùm quod definitũ est de illo.* Ioann. 13. *sciens Iesus quia venit hora ejus.* Omitto plura, & PP. enarrationes ad hæc. Septimò: quodnam hoc præceptum, pro cujus impletione nullum potest assignari tempus, aut instans determinatum? Certè hoc solum dici potest abusivè præceptum, ut in simili ostendi *lib. 2. disp 1. sect. 2. in septimâ probatione* secundæ conclusionis. Emersus tandem ex his,

Ioann. 18. & 14. *Luc. 22.* *Ioann. 13.* *Suprà lib. 2. disp. 2. sect. 2. à nu. 52.*

93 Argumentor primò: contra sextam Solutionem, quia adhuc salvare non potest meritum in obedientia formaliter, ut tali, ut contra præcedentem solutionẽ *latè* diximus. Nec est quid simile illud de Martyribus: nam non est alia via, quà dici possint liberè mori, quàm per voluntariam acceptationem acceleratæ mortis. Certè si ex præcepto subeundi mortem violentam esset in illis necessitas, cui resistere non possent, eadem est omninò difficultas, nec dicerentur mereri per formalem obedientiam, nec acceptationem mortis præcisè, ut acceptatio mortis est. Secundò: quia nec adhuc valet salvare, quòd Christus ita sit mortuus, ut potuerit non mori, aut nunquam mori, quod ex Patribus & Scripturâ posuimus *nu. 14. & nn. 47.* Tertiò arguo ex locis, & ratione numero præcedente insinuatis. Nam manifestè colligitur Christum habuisse præceptum non impe-

Propè à nu. 80. *Suprà nu. 14. & 47.*

diendi Iudæos, & mortem ab ipsis illatam, utpote Calicem, quem dedit Pater ut illum biberet: ergo manifestè colligitur præcepta differentia temporis pro Calice bibendo, & subeundâ nece. Quartò: quia Christus sciebat mortem præceptam, à Iudæis inferendam fuisse, & definitam à Patre Resurrectionem tertio die: quomodo ergo non est definita circunstantia temporis?

94 Argumentor sic quintò: ergo si Christus Dominus venisset ad ultimum instans, non meritoriè moreretur: & aliunde non posset implere præceptum. Prima pars consequentis patet: quia tunc nulla esset indifferentia neque quoad substantiam, neque quoad circunstantiam temporis. Secunda, non patet minùs: quia præceptum non est utcumque de morte, sed de morte meritoriè obitâ, per quam nos meritoriè redimeret. *Dices*: ideò mortuum esse Christum Dominum ante ultimum instans. Contra: nam hoc dicitur sine Authore, & ex propr.o cerebro. Quicquòd oppositum insinuant allatæ Scripturæ, & congrua ratio: nempe quæ sumitur ex ardenti siti laborum, quâ Christus ardebat, & ex quâ satis prudenter colligitur ipsum eousque passum pro nobis esse quousque potuit.

95 Deinde quicquid de his sit: arguo demum in hunc modum: ergo quia præcepta est Christo Domino mors non utcumque sed meritoria, ex vi præcepti differre mortem non potuit adusque ultimum instans nam in illo impleri non posset: ergo penultimum instans esset necessariò terminus peremptorius, quo præceptum obligaret; atque adeò eoipso desineret esse, & retrotrahetur obligatio peremptoria ad instans: immediatum penultimo, & ex eo ad illud in quo mortuus est: & eodem arguendi genere convincetur, debuisse Christũ in eo instanti mori, & ideo in eo instanti non potuisse implere præceptum. Non ergo satisfacit difficultati *sexta* Solutio.

§. VIII.

COMMVNIOR SOLVTIO: VBI DE FACVLtate petendi dispensationem.

96 SEptima Solutio nunc temporis valde celebris inter Modernos Scriptores sumitur ex facultate petendi, & obtinendi dispensationem præcepti. Et hanc insinuatam à Cabrera, nullo ferè interse discri-

Cabrera.

mine admittunt Hurtadus Salmanticensis, Cardinalis de Lugo, Martinonus, Bernalius, & Aldrete, qui omnium optimè explicuit, & aptavit, & *ex ipso non laudato*, Pater Borrull *disp 10 de Scientiâ Mediâ sect. 8.*

Hurtadus. Card. Lug. Martinon. Bernal. Aldrete. Borrull.

97 Asserit ergo ista solutio, quam & approbant, & novissimè illustrant, *loc. sup. citat.* Muniessa, & Thyrsus, potuisse Christũ liberè petere, & obtinere dispensationem præcepti impositi, juxta illud Matthæi 26. 53. *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum*: atque adeò potuisse Christum liberè evadere, petitâ, & obtentâ dispensatione, præcepti obligationem. Ex quo principio cuncta videtur aptè componere. *Primò* componit, Christum pro ibito potuisse non mori; atque adeò liberè mortuum. *Secundò* componit, Christum, etiam nolendo mori, non potuisse peccare: quia solùm petitâ, & obtentâ dispensatione, noluisset mori. *Tertiò* componit, Christum subiisse mortem ex obedientiâ perfectiss.mâ: quia nolendo petere dispensationem se voluit conformare præcepto, & mori.

Muniessa. Thyrsus. Matthæus 26. 53.

98 Quòd si *instes* primò, mortem Christi ex hoc discursu non videri immediatè liberam, sed mediatè, & conditionatè, nempè in actu, quo noluit petere dispensationem. *Respondent* docti quidam Moderni apud Arriagam satisfaventem *subsect. 7.* concedendo sequelam, & non ultrà requiri. Eos tamen efficacissimè rejiciunt Lugo, Aldrete, & Sfortia: quia si volitio mortis, seu non impediendi mortẽ solùm est mediatè libera in actu nolendi dispensationem: ergo etiam præceptus est actus ipse nolendi dispensationem. Quod genus argumenti debet notari contra multas opiniones in præsenti. Probo consequentiam: nam præceptum non est utcumque de morte, sed de morte liberâ, & meritoriâ; sed non est libera, & meritoria, nisi ex actu nolendi dispensationem: ergo.

Arriaga. Lugo. Aldrete. Sfortia.

99 Respondet Delugo, si fortè Christus veniat ad ultimum instans, pro quo præceptum urget, tunc Christum liberè mori, & obedire: quia præceptum est disjunctivum vel de morte subeundâ, vel de petendâ dispensatione. Contra manifestè: nam sic per solam petitionem dispensationis, etiam sine morte, & sine cruce, æquè præcepto obedivisset, ac per Crucem, & mortem. Deinde, ad quid ergo petitio dispensationis, si ipsa est præcepti observatio? Dispensatio enim, aut petitio dispensationis tendit ad evasionem

Card. de Lugo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem præcepti.

P. Bernal 100 Respondet Bernal, priorem esse in Christo actū, quo vult obedire, quàm actum quo decernit non petere dispensationem. Sed hoc dicitur omninò gratis: ad quid enim nolitio dispensationis, si præcepto obeditum jam est? Meliùs responderetur vel actum illum volendi mortem esse immediatè liberum, licèt pendeat ab actu nolendi dispensationem, ut de actu imperato defendo: Vel actum ipsum volendi mori ex obedientiâ esse nolitionem dispensationis.

101 Quòd si *instes* secundò: quomodo in ultimo instanti quo urget præceptum, & quo prævidetur urgere præceptum, est possibilis dispensatio? Nam forma, & carentia formæ non sibi conveniunt. *Respondet* Aldrete: Præceptum toto instanti manere cum vi eadem: nam, virtute, conditionatum est: nempè, nisi dispensetur, atque adeò vim habet reddendi illicitam operationem, quæ non subsequatur ad petitionem dispensationis: benè autem componitur vis reddens illicitam operationem non subsequutam ad petitionem dispensationis, & dispensatio, vi cujus, non obstante vi præcepti, reddatur operatio licita

Aldrete.

102 Quòd si denique *instes*: hinc videri tale præceptum conditionatum; præceptum autem conditionatum, non obligare, nisi posità conditione: unde ipsa petitio dispensationis esset illusoria, cùm ante ipsam nullum præceptum extitisset. *Respondet* Aldrete, & ex illo Borrull: hujusmodi conditionem, nisi dispensêris, esse imbibitam in omni præcepto, quantumvis absoluto, & esse conditionem non suspensivam obligationis, ut est, & accidit in præcepto simpliciter conditionato, sed evasivam obligationis jam contractæ. Hucusque probabilitas hujus solutionis: quæ tamen mihi, omnium maximè displicet.

Aldrete. Borrull.

103 Argumentor contra sic primò: quia totus discursus nititur principio valde dubio apud hos authores, nec apparenter probato. Textus enim ille *Matth.* quo unicè nituntur, licèt manifestè cõvincat fuisse in Christi potestate non mori, ne apparenter quidem, insinuat fuisse in Christi potestate petere, & obtinere dispensationem præcepti obligantis in conscientiâ: nisi *Legiones* sint ipsa *dispensatio*, vel causa illius: quod est omninò devium. Confirmatur. Nam si standum sit Scripturæ, majus est fundamentum ut âsseratur, non potuisse Christum obtinere dispensationem: imò ipsi præceptam esse nolitionem dispensationis: *Tùm ex locis supra citatis*, ubi singulæ res dicuntur præceptę Christo Domino; tùm specialiter ex ipsius *Matthæi 26. Pater si possibile est, transeat à me calix iste*: quo alio modo poterat Christus petere liberationem à præcepto, nisi novisset in suâ non fuisse manu dispensationis obtentionem? Unde sic arguo: vel dispensatio sequi deberet ad quancumque Christi petitionem, & voluntatem etiam inefficacem, vel non? Si primum: ergo reipsâ secuta est: Nam voluntas inefficax Christi jam intervênit. Si secundum: præterquamquòd liberè diceretur, quomodo Christus efficaciter velle potuit, quod sciebat efficaciter Deum velle, ne vellet?

Matth.26. *Ibid.*

104 Argumentor secundò: Vel eòipsò quòd Christus peteret dispensationem, ita tenebatur, & necessitabatur Deus ad concedendâ Christo dispensationem, ut non posset negare: vel non? Si secundum: ergo Christus non erat liber ad non moriendum, licèt posset petere: & obtinere dispensationem. Probo consequentiam: eòipsò quòd Deus posset negare dispensationem, licèt posit eam petere, solùm habet circa illam posse habere quasi passivè: neque enim potest pro libito suo sibi acquirere dispensationem: atqui posse obtinere quasi passivè dispensationem, sine vi sibi ipsam pro libito acquirendi, non potest reddere liberam cessationem præcepti, ut patet in communi discursu, quê contra Thomistas facimus: nempè satis nõ esse ut Petrus dicatur liber ad amandum, quòd posit petere, & obtinere Prædeterminationem, si illud posse sit merè passivum, & sine vi eam inducendi pro libito. Si ergo dicatur primum, quod videtur unicè dici posse,

105 Rogo ulteriùs, vel Deum negare non posse dispensationem Christo petenti, provenit solùm ex decreto Dei, vi cujus paratus est, & decrevit dispensare, si Christus petat: vel provenit ex vi petitionis Christi, ita ut neque de potentiâ absolutâ posit Deus Christo petenti negare dispensationem?

Si hoc secundum: imprimis manifestè contradicit principiis horum Doctorum negantium contra nos voluntatem efficacem Christi inducere necessitatem rei, quam vult. Deinde: ergo Deus nequit habere voluntatem reddendi Christo illicitam omissionem mortis, nisi casu quo Christus non velit non mori. Nam eòipsò quòd Christus nolit mori, eòipsò virtualiter petit dispensationem, & pro tali casu non potuit Deus velle obligare Christum ad moriendum: quæ est ergo vis hujus præcepti? & quæuam hæc subordinatio voluntatis Christi ad Divinam, ex quâ tam acriter arguunt contra nos Adversarii? Certè superior, qui præceptum imponit, non ultra obligans, quàm ad nutum subditi, otiosè præcipere dicitur tanto rigore: & subditus, qui pro nutu habet, quòd actio, quæ dicitur prohibita, non sit illicita, abusivè ligari dicitur. Si ergo primum: imprimis recurrit eadem otiositas præcipiendi, relinquens subdito liberam facultatem evadendi præceptum, idque cum obligatione ex parte superioris.

Vide P. Manriesa disp. 15. sect.4.

106 Deinde implicat, quòd decernat Deus præceptum, & simul dispensationem, si peratur, quin eo ipso decreto velit, quòd, casu quo petat, nulla sit obligatio: ergo quin velit, quòd nulla sit obligatio pro libito Christi: ergo quando velit Christus, nulla erit obligatio: cujus ergo rei dispensationem quærit? Vel, quando nescit se obligatum? Nam eòipsò quòd se nescit obligatum, in eo ipso instanti non potest esse petitio dispensationis, ut *mox* urgebo. Demùm: manifestè contradicit prudentię superioris præcipere cum obligatione in conscientiâ, & esse paratum tam placere in omissione rei, quam præcipit, quàm in executione rei præceptæ. Hinc

107 Argumentor tertiò: Decrevit Deus redimere mundum, nec est credibile tam Deo placere Mundum non redimi, quàm mundum redimi: id videtur per se notum. Deinde decrevit mundum non aliter redimere quàm per Christi mortem: nec est item credibile æquè placere Deo oppositum. Insuper hæc omnia noscebat Christus Dominus. Nunc sic primò: Deus decernens mundum redimi, & redimi per Christi mortem, idque interveniente præcepto, ut Adversarii volunt, necessariò debet velle ne mundus desinat redimi, idque per mortem Christo præceptam: ergo necessariò debet velle ne desinat esse præceptum, atque adeò mors ex obedientiâ: sed Deus hæc volens nequit simul velle dispensationem, ut est evidens: ergo neque Christus petere eam potest efficaciter. Secundò juxta *aliquos* ex Adversariis, tam est Christus incapax discedendi à majori beneplacito Dei, quàm à præcepto: sed eòipsò quòd sit præceptum, & definita mors ex obedientiâ, non potest Christus non noscere obtentionem dispensationis, non esse de majori beneplacito Dei: ergo non potest non reddi incapax eam efficaciter petendi.

108 Argumentor quartò: esse Christo præceptam in conscientiâ mortem est ipsi esse illicitam omissionem ipsius, atque adeò impossibilem: ergo solùm est possibilis, & licita, quatenus præcepta non est: ergo omissio mortis earenus Christo est libera, quatenus est conjuncta cum obtentione dispensationis: nam solùm eo modo, & casu est Christo possibilis: sed mors solùm est libera quatenus est possibilis omissio mortis: ergo solùm est libera quatenus dicit contradictorium illius, ratione cujus est libera, & possibilis omissio mortis: ergo solùm est libera, quatenus dicit, & includit non petitionem dispensationis, sive antecedenter, sive consequenter, sive concomitanter, de quo nolo disputare. Nunc sic: atqui Christo Domino non est præcepta, utcumque mors, sed mors quatenus libera; & meritoria: præcepta enim est juxta officium, & nomen Salvatoris, ut ipsâ meritoriè nos redimeret: ergo præcepta est, quatenus dicit, & includit non petitio dispensationis fuit ipsi immediatè præcepta, adeòque non libera.

109 Adde, quicquid sit de efficaciâ argumenti, (quam video esse maximam), non posse negari ab his, qui hujusmodi utuntur solutione, totam libertatem, quam in Christo admittunt ad non moriendum esse de per accidens, & indirectè: quippè omninò per accidens est ad obligationem præcepti, quòd superior sit paratus dare dispensationem, quotiescumque petatur à subdito. Deinde dispensatio cùm sit actus jurisdictionis in superiore, non potest esse in manu impetrantis directè, & immediatè. Demùm tota Christi libertas exercenda priùs naturâ est circa revocationem præcepti, quàm circa rem præceptam: unde tota ratio formalis meriti, & libertatis non reducetur ad formalem obedientiam, secùs ac fieri, juxta Apostolum, debet ex *num.* 1.

Suprà nu.1

110 Argumentor quintò: contra acumina Aldreti, & Borrull. Nulla est dispensatio legis, quæ non sit suspensiva obligationis & legis respectu illius, & pro casu, cui datur dispensatio: quæ doctrina negari solùm potest ab eis qui non advertunt, in eo distingui revocationem, & relaxationem legis à dis-

P.Borrull. P.Aldret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dispensatione, quòd relaxatio legis fit universaliter, quin maneat lex aut quoad alias Personas, aut alios casus; dispensatio verò sit abrogando particulariter legè vel quoad Personam, vel quoad hunc casum particularem, in suo tamen vigore manentem quoad alias Personas, vel casus: unde dicitur non cessare penitùs legem. At si præceptum est Personale, & quoad unum casum particularem non video posse distingui omnimodam abrogationem a dispensatione. Id quod in Christo clarius patet: nam cum præceptum sit necessitas metaphysica operandi, & dispensatio sit facultas operandi, sit pro eodem instanti, chymericam esse conjunctionem præcepti, & dispensationis in Christo, imò conditionem dispensationis esse omninò abrogativam obligationis.

111 Nunc sic: ergo contrà conatum ingeniosum Aldreti, & Borrulli, imperceptibile est, quòd in Christo pro eodem instanti sit præceptum & dispensatio; atque adeò volitio petendi dispensationem efficax; & capacitas obediendi. Deinde non est minùs imperceptibile, quòd si Christus veniat ad ultimum instans, in quo noscat præceptum premere, possit petere dispensationem ejusdem, aut meritoriè mori: cùm autem præceptum sit de moriendo meritoriè, necessariò erit retrottahenda obligatio peremptoria ad penultimum instans, de quo recurret difficultas eadem, eademq; de aliis. Demùm nō est minùs imperceptibile, hujusmodi præceptum non esse strictè conditionatum, & quidem conditione vel omninò abrogante, vel impediente præceptum: quo fiet ut evanida sit, & omnimodo illusoria petitio dispensationis, ut dicebatur *nu.* 101. Ratio autem est: quia Præceptum Christo impositum est volitio obligandi Christū ipsi intimata, & acceptata; *nisi dispensetur*, & volitio dispensandi, & non obligandi, si petatur ne obliget præceptum: hæc autem volitio sic complexa resolvitur necessariò in volitionem obligandi nisi petatur à Christo ne obliget: quod est esse conditionatum.

112 Ex quibus hucusque discussis patet *P. Martin. Esparza.* verè intulisse Patrem Esparzam *quæst 36. ad 4 art.2.* præceptum, saltem absolutum, obligans in conscientia, licèt in Christo ex nullo alio capite repugnaret, negandum fore specialiter respectu mortis, ob duo. *Primum*: ut maneat in Christo prorsus illæsa libertas & indifferentia ad mortem, qualis certè adstruitur in Evangelio. *Alterum*: ut, si præceptum sit statuendum, sit unius, ejusdemque rationis in Christo penès omnia, quæ gesit in corpore mortali, eorumque singulas circunstantias: quod itidem est conformius Evangelio, ut dictum *nu* 80. & 81. *Suprà nu.* 80. & 81.

113 Nec sunt momenti, quæ solent specialiter objici contra superius assertum: *Duo* enim maximè sunt. *Alterum*: quòd Christus non posset dici propriè ex obedientiâ mortuus. Sed constat ex *nn.*12. & 13. propriam, imò & perfectissimam, qualis in Christo debet adstrui, obedientiam non egere stricto præcepto, nec minùs in conscientiâ obligante, ad exercitium sui. *Alterum*, Inculcata toties de præcepto mentio in Scripturis, seriò, severèque, quando nulla est absurditas, interpretandis. Eas tamen Nos *à nu.*47. solidè sumus interpretati, & quidem non ex mente, aut cerebro nostro, neque ex alicujus Doctoris ore, sed Christi, *qui Veritas ipsa est*: recurrentque hæc ipsa in *seq. sect.* ubi expensiùs illustrabuntur. *Et nu.*13. *& seqq.* *Et à nu.*47

SECTIO IV.

CHRISTVS DOMINVS, ETIAM VT HOMO, non fuit capax Præcepti obligantis in conscientiâ.

§. I.

PROBATIONES ASSERTI; ET PRIMA, à priori.

114 OStendo primò: & argumentor sic: Præceptum obligans in conscientiâ est præceptū reddens illicitam, Deo displicentem, & invisam omissionem rei præceptæ; atqui respectu Christi implicat præceptum reddens illicitam, Deoque displicentem, & invisam omissionem rei præceptæ: ergo & obligans in conscientiâ: ergo Christus incapax est præcepti obligantis in conscientiâ. Major videtur ex terminis nota, nec pervia distinctioni Recentium inter præcepta coactiva, & purè directiva (de quâ *mox*:) nam imperceptibile est præceptum, qualecumque hoc sit, si vim habet obligandi in conscientiâ; vim eo ipso non habere reddendi omissionem rei præceptæ, ex solo hoc capite impossibilem, quia reddit illicitam, Deoque displicentem, & invisam. Consequentiæ legitimè deducuntur. *Mox ànn.* 129.

115 Minor, in quâ solâ est difficultas, probatur in hunc modum: Præceptum reddens

dens alicui illicitam, Deoque displicentem, & invisam, aliquam actionem, est voluntas superioris intimata subdito, vel absolutè statuens, & significans subdito: *Mihi eris displicens, operans hoc modo*: vel conditionatè: *si hoc modo opereris, mihi displicebis*; vel disjunctivè volens, *quòd hoc facias: vel displiceat & peccet*. Atqui respectu Christi implicat volūtas hujusmodi: quod ostendo: quia esse Christum & esse omninò placentem Deo, & essentialiter incapacem peccandi, & displicendi sunt omninò synonima, & necessariò convertibilia: ergo ex parte subditi, cui dirigitur intimatio præcepti, servatur necessitas Deo placendi, & impossibilitas peccandi, & displicendi sub omni operatione: vel non importatur Christus Dominus, de quo est unicè quæstio: ergo velle, quòd Christus displiceat, hoc modo operans, aut si operetur hoc modo: aut quòd hoc faciat, vel peccet, & displiceat, est irrefragabiliter velle, quòd non displicens sit displicens: & lux, tenebræ: & Christus non sit Christus, sed non Christus: sed omninò dissonum est ponere in Deo volitiones hujusmodi, & quidem animò serio, obligandi ad chymericas istas hypotheses: ergo omninò dissonum est ponere in Deo respectu Christi volitiones obligantes ipsum in conscientiâ.

116 Confirmatur & illustratur argumenti vis primò à pari: sit homo essentialiter immortalis, & quòd peccare sit mori, & reddi Leonem. Sic argumentor: eòipso quòd velis, ut talis homo non currat sub obligatione peccati, seu sub necessitate reddenti omissionem cursûs illicitam, & peccaminosam, convinceris velle quòd non currat sub necessitate reddente illum Leonem, & faciente mori; atque adeò convinceris velle, quòd moriatur, & non moriatur, & quòd sit Leo, & non sit Leo, si currit; quod est non currere:

117 Ratio est: quia supponitur volita immortalitas & humanitas ex parte subjecti cui fit intimatio præcepti: deinde supponitur quòd velis ipsum mori, & reddi Leonem, si currat: qui cursus necessariò est suppositio in quâ desiit esse cursus, quia non desinit esse homo, atque adeò nec Leo nec mortalis. Quis autem similes volitiones in Deo fingat? Atqui obligare Christum in conscientiâ est velle similiter, nempe, quòd faciat aliquid sub obligatione, vel necessitate quòd desinat esse Christus, quod alioqui videt supponi chymeram, & non factum ex vi præcepti intimati Christo: ergo.

118 Confirmatur & illustratur argumēti vis secundò: operari Christum & non displicere in operando est æquè necessarium, ac est impossibile Christum operari, & simul Christum non operari: ergo Christum displicere in operando est hypothesis omninò impossibilis, adeòque importans in se Christum operantem, & Christum non operantem: ergo velle hanc hypothesim, aut velle sub hac hypothesi est velle omninò insipienter, & est, id, quod velle diceris, velle simul & nolle. Est velle omninò insipienter: quia conaris in aliquid quod tibi notum est esse impossibile, atque adeò non nisi ineptiendo diligibile. Est velle simul, & nolle: quia velle aliquid sub aliqua conditione, & nolle si ea non sit; necessariò est velle simul & nolle si conditio est non esse ipsius conditionis, sub quâ vis; atqui conditio importans duo contradictoria est suppositio negantis conditionem ipsam, quæ fit: ergo.

119 Nunc sic: atqui Deus præcipiens Christo, præcepto obligante in conscientiâ, solùm vellet hujusmodi Hypothesim, vel sub hypothesi hujusmodi: vellet enim vel quòd Christus esset displicens in operando, si sic operaretur, vel vellet quòd aut displiceret, aut hoc faceret, quod est omninò idē ac velle quòd sit chymera, si Christus sic operetur, vel quòd hóc faciat aut ponatur à parte rei Chymera: Chymera enim est, Deum aversari Dominum Christum operantem.

120 Confirmatur tertiò: & detegitur radix, unde sumitur tota argumenti vis. Implicat præceptum obligans in conscientiâ, ubi implicat effectus præcepti, seu id, quod causari dicitur à præcepto, dum fit, & imponitur. *Volo dicere*: necessariò repugnare voluntatem præcipientem in conscientiâ, ubi implicat habere illud objectum, quod necessariò debet habere, ut obliget in conscientiâ: hoc mihi patet in terminis. Atqui respectu Christi omninò est inintelligibile, & prorsus implicat illud objectum, quod necessariò debet habere volūtas præcipiens, ut obliget in conscientiâ: ergo necessariò repugnat voluntas præcipiens & obligans in conscientiâ. Major, ut dixi, est evidens. Minor etiam mihi est evidens si recolantur, quę dixi *disp. præcedenti sect. 9. §. 3.* Nam dixi obligationem in conscientiâ tum oriri, cùm statuitur, quòd operans sub actione displiceat Deo, vel quòd ejus felicitas pendeat ab hujusmodi actione. Certè nisi per explica- *Suprà disp. 4. à nu. 375*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones *suprà* traditas in argumento res est inintelligibilis. *Nec valet* dicere: voluntatem eatenus esse obligativam in conscientiâ respectu Christi, quatenus actionem alioqui licitam, reddit illicitam. Non *inquam*, valet: nam solùm reddit illicitam Christo, eritque solùm illicita, prout facta a Christo contra præceptum: revolvimur ergo necessariò ad illas conditionales, & disjunctivas, de quibus *Nu.* 115. *suprà*.

§. II.

ALTERA PROBATIO A PRIORI.

121 OStendo secundò, & argumentor sic: Præceptum obligans in conscientia eo ipso reddit ita necessariam operationem præceptam, ut oppositam, seu omissionem illius reddat illicitam: ergo si Persona, cui fit, imponiturque præceptum, est omninò incapax essentialiter operationis illicitæ præceptum ipsi impositum de re faciendâ, reddit omissionem rei præceptæ ut talis, simpliciter impossibilem. Hæc evidentia sunt. Atqui Præceptum respectu Christi Domini nequit reddere ita necessariam actionem præceptam, ut ejus omissio vi præcepti maneat simpliciter impossibilis: ergo nequit ita reddere necessariam rem præceptam, ut omissio illius, vi præcepti maneat illicita: ergo repugnat respectu Christi præceptum obligans in conscientiâ. Difficultas est in minori subsumptâ, quam probo multipliciter.

122 Primò: quia Christus Dominus eo ipso maneret inutiliter veluti ligatus, & sub pejori conditione, quàm nos. Ratio est quia præceptum in nobis dat materiam obsequii novi per formalem obedientiam: unde *onus est leve, & dulce jugum*: quippe præponderat oneri utilitas: at respectu Christi tam abest à dando materiam obsequii novi per formalem obedientiam, ut potiùs materiam obedientiæ reddat ipsi inutilem obsequio: tollit enim fundamentum obsequii, quod est libertas, reddendo ipsi impossibilem omissionem rei præceptæ.

123 Secundò: quia eo ipso quòd omissio rei præceptæ fieret simpliciter impossibilis Christo Domino non solùm utitur Deus Dominio jurisdictionis, sed necessariò etiam utitur Dominio proprietatis; promissionemque ipso unionis dono factam, & firmatam Humanitati, juxta doctrinas notas *disp.* 2. & 3. stabilitas, de reliquendis actionibus ad usus Humanitati benè visos, manifestè rescindit: nam qui suo præcepto reddit actionem simpliciter necessariam, & simpliciter inomissibilem, manifestè extinguit omne jus in eam actionem, quod operans posset habere, facitque penes ipsum pejoris conditionis & servitii durioris servũ, quàm inter nos faciunt suos servos Domini penès actiones quas exigunt jure dominii. Quæ singula me maximè movent, utpote derogantia Christi Domini dignitati, ac juribus, & diminuentia summam Dei dilectionem erga Filium, quocum iste rigor est alienus à Patre, qui scit Filium non egere tanto gravamine, nec mereri, ut urgebo *in ultima probatione*. *Suprà latè disp.* 2. & 3. *lib. hui.* 4. *Anu.* 133.

124 Tertiò, & generaliùs ex illâ ratione, quâ utitur frequentissimè Augustinus præsertim *lib. de Gratia & lib. Arb.* nempe quia præceptũ est manifesta probatio libertatis in partem utramque: ergo præceptum nequit esse necessitas rei præceptæ: atque adeò neque impossibilitas omissionis. Patet consequentia: nam eo ipsò quod præceptum esset metaphysica necessitas rei præceptæ, non posset esse probatio libertatis, deluderetur que fac illimè Augustini ratio, si præceptum obligans in conscientiâ, ex conceptu suo nò connotaret libertatem faciendi rem, & non faciendi, obediendi, & non obediendi. Cujus discursus, ne forte cum Augustino deludamur à Modernis aliquibus facilè contemnentibus argumenta PP. nisi rationis nervo teneantur; do rationem, meo judicio, efficacem; & *Augustin.*

125 Probo quartò minorem, quàm subsumpsi. Qui præcipit, & obligat in conscientiâ aliquem, eo ipso significat, & facit suppositionem, se scire, illum, quem obligat, esse indifferentem ad peccandum, aut non peccandum: unde quia planè scimus omnes, causas naturales non posse peccare, ridieremus eum qui eas vellet obligare ad aliquid sub peccato: ergo præceptum obligans in conscientiâ, necessariò connotat in eo, quem obligat, posse liberum ad executionem, vel omissionem rei præceptæ, proindeque est efficax ratio Augustini pro scopo suo, & Nostra pro nostro.

126 Probatur antecedens, ex quo cætera pendent; Qui præcipit, & obligat in conscientiâ, eo ipso significat velle se, ut ille, quem obligat, peccet, si non oret v. g. aut quòd necessarium sit ipsum vel orare, vel peccare. Nunc sic: atqui qui tale significat, manifestò significat, scire se, eum quem obligat, posse peccare, vel non peccare: nam si certò sciret, eum, quem obligat, non posse peccare, significaret velle se, quòd si rem præceptam non faciat, fiat chymera: quod est omninò ineptum ad obligandum. Unde si Christum obligare Deus vellet in conscientiâ, vel significaret se scire, quòd Christus peccare posset, & falleretur: vel significaret se ineptire in volendo: quod æquè repugnat.

§. III.

PROBATIONES COMMVNES urgentur.

127 OStendo tertiò, & argumentor sic: Omne præceptum obligans in conscientiâ est comminatorium, movensque ad rei præceptæ executionem per modum timoris: ergo cui repugnat præceptum comminatorium, movensque per modum timoris, repugnat etiam præceptum obligans in conscientiâ. Consequentia est bona. Atqui Christo Domino repugnat præceptum comminatorium, & movens per modum timoris. Cui enim repugnat metus mali nascentis ex culpâ, aut incidendi in culpam, repugnat seria comminatio vel culpæ, vel pœnæ: metus autem mali nascentis ex culpâ, aut metus in ipsam incidendi, necessariò dicit potestatem incidendi: neque enim timentur impossibilia: unde Christo necessariò repugnat hujusmodi metus, atque adeò comminatio, utpote essentialiter impeccabili.

128 Antecedens autem, ex quo cætera constant, ostenditur primò ex communi apprehensione. Secundò ex Authoritate S. Thomæ passim *locis* apud Esparzam, & *suprà* citatis *nu* 6. promiscuè & convertibiliter sumentis vim obligatoriam præcepti pro vi coactivâ, comminatoriâ, & perterrente. Tertiò: ex impossibilitate obligandi in conscientiâ in præceptis, quæ sibi fingunt Adversarii, & vocant purè directiva, per apertam terminorum implicationem. Quartò & à priori, quia præceptum obligans in conscientiâ, eatenus obligat, quatenus est necessitas vel faciendi rem præceptam, vel peccandi: aut necessitas operandi, ut evitetur culpa, vel ne sit culpa in omissione: atqui nequit imponi hæc necessitas, nec cognosci, quin eo ipso fiat & cognoscatur præceptum comminatorium, movensque per modum timoris: ergo. *S. Thomas. Esparza. & suprà nu.6.*

129 Aegerrimè fert inter alios Modernos Aldrete hæc adeò prætidenter dicta & *duo* pronuntiat *disp.73. sect.8. nu.2. Primum*: confundere nos perperam præcepta purè directiva cũ coactivis: neque horũ ratione esse solummodò vim comminatoriam, & perterrentem: quæ per accidens se habet ad conceptum præcepti obligantis in conscientiâ: nec usquam à nobis probari oppositum: sed supponi, cùm apertum alioqui discrimen sit. *Alterum*: peccare nos maximè, dum contendimus esse communem existimationẽ, quòd præceptum obligans in conscientiâ dicat impræscindibiliter vim comminatoriã, quæ solùm est de ratione præcepti coactivi: cùm alioqui communis sensus sit separari posse in præceptis vim directivam & coactivam. *P. Aldret.*

130 Nam imprimis communis opinio fert, Principem tam Ecclesiasticum quam civilem teneri observare suas Leges, quando materia communis est, & ejusdem rationis in ipso. Deinde *in cap. Iustum est, distinct. 9.* dicitur Principem teneri suis Legibus. Et *in cap. non liceat Papæ 12. quæst. 1.* Pontifex Legem fert, quæ expressè ipsum comprehendit, & obligat in conscientia: At nulla lex obligat Principem quoad vim Coactivã, ut docet Sanctus Thomas 1. 2. *quæst 96. art. 5. ad 3.* & ita exponit Legem *Trinceps ff. de legib.* ubi Princeps dicitur esse solutus legibus: quia licèt ipse legem ferat voluntariè, nequit sibi imponere pœnam: pœna enim fertur in invitum. Quare nemo potest ambigere, quin vis directiva præcepti, sufficiens ad obligationem in conscientiâ, sit separabilis à vi coactivâ, atqueadeò à comminatoriâ, & perterrente. *Cap. Iustũ est. & c. p. Non liceat. S. Thomas.*

131 Imprimis non sunt ad rem exempla: si enim illæ Leges obligant Principem in conscientiâ, necessariò secum afferunt vim coactivam, comminatoriam & perterrentem, cui Princeps, per obligationem in conscientiâ, subjiciunt, non quidem respectivè ad seipsos, vel ad Iudicem Humanum, sed ad Iudicem fori interni, eorumque quæ subjacent obligationi in conscientiâ, qui Deus est & à cujus est obligationes in conscientiâ imponere, vel immediatè per se, vel mediatè per eos, quibus jurisdictionis authoritatem in alios confert. Deinde nos non negamus in præceptis vim directivã distingui à Coactivâ: quod negamus est, vim obligandi in conscientiâ posse dici purè directivam, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aldrete.

à coactivâ distinguì : quòd si distinctio tam evidens visa est Aldreto, debuisset eam non tacere: nam ea, quam exhibet eâdem *disp. sect.5. num. 7.* & obscurissima est, & insufficiens.

132 Instauro igitur ex his argumentationem meam: Impræscindibilis est vis coactiva, comminatoria, movensque per modum timoris à præcepto obligante in conscientiâ. Tùm quia aliter non est explicabilis in præcepto vis obligandi in conscientiâ, tùm quia obligatio in conscientiâ est intimata necessitas vel disjunctiva, nempe aut operandi sic, aut peccandi; vel conditionata, nempe, operandi si vult evitare culpam, aut ne displiceat Deo aliter operando: vel absoluta, displicendi per omnes operationes huic Personæ possibiles circa hoc objectum; quæ sine interminatione culpæ nequeunt intelligi; atqui Christo Domino repugnat omne Genus comminationis culpæ, & displicentiæ, utpote cui repugnat omnis hujusmodi timor peccandi, & displicendi: ergo & repugnat præceptum obligans in conscientiâ.

135 Ostendo demum, & argumentor à congruenti. Quippe nec congruere, nec decere videtur summam Christi Dignitatem, & Apicem Filii naturalis, ut eodem legum genere prematur, quibus premuntur Adoptivi, potentes agere vitam omninò degenerem, & rebellare contrà Patrem, renuntiareque juri Filiationis: at his imponitur præceptum obligans in conscientiâ, per idque genus Legũ maximè diriguntur, & tenentur: ergo Filio Naturali solùm debet competere mitius genus directionis, & præceptorum.

134 Ratio autem in quâ discursus nititur, est primò: summa disparilitas Servorum à Filio Dei. Secundò: quia timor, & minæ non decent statum summæ cognationis cum Deo. Tertiò: quia Filius naturalis ab intrinseco jam est determinatus, ut nihil inhonestum, nihil Deo displicens possit agere, optimèque est dispositus, ut Patri per omnes suos actus placeat, quantùm possit. Ad quid ergo præcepti obligantis in conscientiâ jugum?

S.Thomas. 135 Ex quibus videtur Sanctus Thomas
Rom. 8. adductus, ut diceret super illud *ad Rom.* 8. 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum. Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari, & pati statuendo, & humanæ ejus voluntati inspirando charitatis affectum qua passionem spontaneus subiret.* Et clarius super *illud*
Ioann. 14. *Ioannis* 14. 31. Sicut *mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, explicando præceptum mortis (de quo major est Theologorum, aut ferè tota quæstio) *Mandatum dedit, in quantùm ejus animæ inspirabit, necessarium esse humanæ saluti, ut in naturâ humanâ moreretur.* Certè si præcepti obligantis in conscientiâ capacem agnovisset Christum Dominum Angelicus Doctor, non negasset, ubi maximè adstruitur à Theologis At negat contentus interpretari præceptum, de quo maximè loquuntur Scripturæ, per simplex mandatum, & inspirationem Paternæ voluntatis.

§. IV.

ARGVMENTA IN OPPOSITVM dilauntur.

136 Objicies primò authoritatè Scripturæ, Patrum, & Theologorum, quam addensat Aldrete *sect.* 1. & 2. *P. Aldret.* appellantium simpliciter, & sine addito diminuente *Mandatum, Præceptum, & Legem*, illam voluntatem, quâ Deus habuit, & intimavit Domino Christo, ut pro Redemptione hominum moreretur. Mandatum verò, Præceptum, & Lex, nisi detorqueatur vox à proprio sensu, planè significant obligationem in conscientiâ. Quis autem Scripturæ, & Ecclesiæ passim ita loquentis verba à proprietate suæ significationis, sine insuperabili fundamento detorqueat? Cum ergo *ex actu* benè valeat *ad Posse* consequentia, testante Scripturâ Christum habuisse præceptũ obligans in conscientiâ, saltem circa mortem, negari non potest, Christum esse capacem præcepti obligantis in conscientiâ.

137 Confirmatur primò: quia Christo, ac nobis ejusdem omninò rationis, & energiæ præcepta sunt imposita à Deo, ut apertè convincit illa uniformis comparatio facta ab ipso Christo Domino inter præcepta sibi imposita, & imposita nobis, *Ioann.* 15.10. *Ioann. 15.* *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*: Præcepta autem, quæ nobis imposita sunt, obligant nos in conscientiâ.

138 Confirmatur secundò. Præceptum, & Lex eò differunt à consilio, quòd illa obligant in conscientiâ; hoc, non: unde consilium neque potest dici Præceptum, neque lex, nisi latissimè, & abusivè. Sed Christus non solùm fuit capax Consilii, sed Legis, & præcepti, ut contradistincti à consilio: conspirantibus in id Scripturis, Patribus, & Conciliis: ergo capax fuit præcepti obligantis in conscientiâ. Confirmatur tertiò: quia Christus capax fuit obedientiæ simpliciter, & propriè talis: id quod, dicente Apostolo, *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*, nonnisi temerè, & impiè negaretur: At obedientia simpliciter, & propriè talis est correlativa præcepti strictè, & propriè talis, quod est obligans in conscientiâ. *Philipp. 2.*

139 Respondeo ad argumentum: quod attinet ad authoritatem Patrum, & Theologorum, non posse sententiam, affirmantem de facto impositum fuisse Christo præceptum obligans in conscientiâ, nostræ præferri, tùm ex Theologis sint pro nostrâ præstantissimi, quos dedimus *num.* 16. & 17. alii ita ferè loquantur, ut ferè sint nostri, ut patet ex *eodem numero, & ex totâ sectione præcedente*: ex Patribus sint nostri certissimè omnes Græci, & aliqui Latini: alii verò nunquam exprimant nisi vim præcepti sufficientis, ut asseratur in Christo perfectissima obedientia: quod non requiritur esse obligans in conscientiâ. Quod attinet ad authoritatem Scripturæ, constant ex *num.* 14 & 47. duo per quę Sacram Scripturam explicamus ipsi juxta proprietatem præcepti, mandati, & legis, sub quâ ipsa vult, & debet intelligi. *Primum ex num.* 14. mandatum, & præceptum Christo impositũ tale esse, ut eo etiam stante licitum Christo fuerit non exequirem quæ præcepta dicitur: sic enim explicuit Christus ipse præceptum, de quo est quæstio, & quod proinde nequit poni obligans in conscientiâ, stando rigori Scripturarum. *Alterum*: insinuationem voluntatis superioris, quâ talis, præsertim cum aliquo onere subeundo, propriè dici mandatum, & præceptum, & legem purè directivam: neque per aliud genus strictioris præcepti explicat eas voces Angelicus Doctor ex dictis à *num.* 12. nec explicare cogimur: cùm in hoc sensu retineatur sufficiens proprietas Scripturæ ad intentum ostendendæ perfectissimæ obedientiæ in Christo respectu Patris. *Suprà à nn. 16. & à nu. 47.* *Et à nu. 14 & 47.* *Et à nu. 12.*

140 Ad primam confirmationem nego antecedens, quod ne leviter quidem insinuat adducta comparatio Christi: ad primâ enim sufficit quædam generica, & analogica convenientia rerum inter quas comparatio ducitur, ut patet ex illâ, quam ipse Christus fecit *Ioann.* 20. 21. *Sicut misit me Pater, ego mitto vos.* Nec strictioris convenientiæ *Ioan. 20.*

defectus, tollit, aut minuit vim intentam comparationis: imò juvat: nam ex observantiâ præceptorum, quæ minùs obligant, urgentiùs suadetur adhortatio, ut debeant observari, quæ magis obligant.

141 Ad secundam confirmationem, dico datum *suprà num.* 2. discrimen multiplex *Suprà à nu. 2.* inter præceptum, & consilium, rejecto communi, quod arguens assumit, & quod hîc induci uis posset, sine petitione principii. Videatur Esparza *quæst.* 32. *ad tertium* ubi benè *Esparza.* notat, quòd, licet apud omnes Votum propriè, & strictè sumptum differat à sacrificio, & à simplici proposito: sicut licuit S. Thomæ *S.Thomas.* intelligere cũ communi sententiâ de Christo illud *Psalm.* 21. 26. *Vota mea reddam*; simul- *Psalm. 21.* que negare Christo 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. *ad* 3. Votum strictè tale, solùmque admittere Votum, intellecto sub eâ voce simplici proposito, vel sacrificio; cur nobis ita non liceat in præsenti, negare Christo præceptum obligans in conscientiâ; & Scripturæ verba, quæ præceptum, & legem de Christo loquuntur, interpretari de præcepto purè directivo, simplicique mandato: à quibus minùs distat præcepti obligantis internè conditio, quàm conditio voti à Sacrificio, simplicique proposito?

142 Ad tertiam constat affatim ex *num.* 17. obedientiam, & quidem perfectissimam, qualis in Christo debet adstrui, non niti præcepto obligatorio: quare ut hi, & textus similes de genere obedientiæ perfectissimæ intelligantur, satius est negare Christo Domino præceptum obligans in conscientiâ.

143 Instabis primò: Nam Augustinus *Augustin.* inter alios *tom.* 4. *lib.* 2. *de serm. Domini in monte*, in expositione tertiæ petitionis ex oratione Dominica, *fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra*, docet dupliciter exponi posse: nempe: de observantia Consiliorum, & de observantia præceptorum: ubi manifestè contradistinguit ad impletionem Divini beneplaciti, & ad impletionem strictioris obligationis, nempe præcepti obligantis in conscientiâ. Et secundam expositionem de præceptorum observantia, probat ex illis Christi verbis: *Cibus meus est ut faciam voluntatem ejus*: quæ probatio fuisset omninò ridicula, nisi Christus foret capax rigorosi præcepti: ergo ex mente Augustini Christus asserendus est capax præcepti obligantis in conscientiâ.

144 Respondeo primò: locum Augustini, si quicquam probat, probare contra Adversarios,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ejusmem contra P. Aldrete.

farios, & maximè Aldretum; qui sic arguit minùs animosè *sect.1. à num.* 4. Christum habuisse præceptum de omnibus, & singulis, quæ gessit: eandem enim expositionem firmat Augustinus ex illis Christi verbis: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*: quæ verba verificantur in omnibus, & singulis Christi actionibus. Respondeo secundò: licèt Augustinus ibi contradistinxisset consilia à præceptis, non ex eo fieri posse quod præceptum secundum totam suam latitudinem, & prout contradistinguitur à consiliis, obliget in conscientia.

Augustin. Masan explicatio.

145 Respondeo tertiò: Adversarios maximè decipi in Augustini intelligentiâ. Augustinus enim in ea duplici expositione nunquam, aut nusquam contradistinxit præceptum à consilio, ita ut primam instituerit de observantia consiliorum, alteram de præceptorum observantia. Nam in prima sumit Voluntatem Dei pro pace, & tranquillitate animi, quam ad instar Beatarum mentium, Viatores debere à Deo petere docet: in secunda sumit voluntatem Dei, pro directione nostra, ejusque præceptis, non contradistinctè à simplicibus mandatis, & consiliis (ut fiet evidens evolenti Augustinū, ejusque scopum, & probationes intuenti) sed juxta totam harum vocum amplitudinem, ut alii etiam SS. PP. & Scripturæ loquuntur.

Agatho Papa in VI. Synod.

146 Instabis secundò: ex Agathone Papa *in Epistola ad Imperatores colum.* 5. apud *VI. Synod. act.* 4. ubi asseritur Christi obedientia ad Patrem: & addit: in confirmationem hæc Verba: *Unde & obediens Parentibus intimatur quam quidem obedientiam ejus voluntariam, non secundum Divinitatem, quâ omnium dominatur, pium est intelligere: sed secundum Humanitatem, qua sponte se Parentibus subdidit.* Inquibus verbis unum notat

P. Bernal. P. Aldret.

Bernal *disp.* 57 *sect.* 3. *num.* 36. & alterum Aldrete *disp. cit. sect.* 2. *nu.* 8. *Illud est*, Obedientiam Christi ad Parentes vocari à Concilio voluntariam, quia non fuit propria obedientia, ut fuit obedientia ad Patrem. *Hoc est*, illam obedientiam ita vocari, quia nulla petita dispensatione, potuit absque culpa omitti: secus obedientia ad Patrem.

147 Imprimis miror hos Theologos tam sine fundamento interpretari verba Agathonis, prout libet: quādo nec ullam fecit comparationem Pontifex: nec sensus esse potest ambiguus: nam vox obedientiæ voluntariæ, sonat plenam libertatem, & nihil aliud. Deinde eadem Synodus *act.* 8. manifestè sequitur Chrysostomum *de spontaneitate Christi* in subeundâ morte, & constat Chrysostomum negasse Christo præceptum obligans in conscientiâ. Insuper ex obedientiâ Christi, quam exponit Agatho, non arguitur præceptum obligans, ut dictum est nuper. Demum Synodus eo loci, eodem modo, eodemque contextu sermonis loquitur de Christi obedientia circa præceptum Patris, ac circa præcepta Parentum; & hæc constat non fuisse obligatoria in conscientiâ. Iuvat ergo potiùs quam nocet citatæ Synodi textus.

Chrysost.

VI. Synodi sensus.

148 Objicies secundò: Christus Dominus est servus Dei, Deusque est ejus Dominus, dominio non solum proprietatis, sed etiam jurisdictionis: quæ veritas supponi debet potiùs, quam disputari. Exinde arguitur primò: Dominus jure proprietatis potest exigere à servo operas, ea obligationis vi, ut servus negare eas nequeat Domino sine peccato: ergo & Deus à Christo: ergo Deus potest imponere Christo obligationem in conscientiâ, reddendo ex jure proprietatis illicitum, atque adeò impossibilem, usū alicujus actionis: cur ergo non possit præceptum imponere obligans in conscientiâ? Arguitur secundò: Non minùs est Christi Dominus, attento jure jurisdictionis, quàm attento jure Proprietatis; sed quâ Dominus proprietatis potest imponere obligationem in conscientiâ: ergo etiam quâ Dominus jurisdictionis. Id autem est formaliter præcipere sub obligatione peccati. Arguitur tertiò: Dominium jurisdictionis separari non potest à potestate præcipiendi, & prohibendi, & quidem impositâ obligatione in conscientiâ; atqui Deo negari non potest respectu Christi Dominium jurisdictionis: ergo neque potestas præcipiendi, & prohibendi sub obligatione in conscientiâ.

149 Respondeo primò, negato quod assumitur *de Christi servitute* respectu Dei, quo de me videro *libro sequente*: unde tota argumenti machina ruit. Interim, Respondeo secundò permisso quod assumitur de servitute Christi, *qua hominis*, & dico Deum esse verissimum Dominum Christi, habereque se Christum, ut servum respectu Dei, non quidem servitute vel turpi, vel legali, sed prorsus ingenuâ, quatenus servitus ex definitione Philosophi 1. *Politic. cap.* 3. quæ est *organum animatum separatum alterius, homo existens*, sonat dispositionem vi cujus substantia Rationalis est vertibilis, & præordinabilis efficaciter ad omnia, quæ alter

Lib.5. disp. 5. à nu. 3.

Aristot.

ter pro libito voluerit, adusque mortem inclusivè. Quæ ratio servitutis omninò præscindit à peccabilitate, atque adeò à capacitate consequenti passivæ obligationis in conscientiâ.

150 Deinde dico, Deum vi dignitatis Humanitati collatæ, ita voluisse, uti dominio proprietatis circa ipsam ut ipsi reliquerit omnes ejus operas, obligaveritque se, nō exigere de inceps ex jure proprietatis, ut

Supra disp. 2. & 3.

suprà vidimus: unde penès hunc usum exigendi à Christo actiones, reddendique earum negationem illicitam, habet Deus dominium impeditū, seque liberè gerere vult, quasi non esset Dominus.

151 Dico demum: Deum habere circa Christum, ut hominem, dominium jurisdictionis, sed respectivè ad usus, quorum est capax dignitas Christi, aut servitus ex parte Christi correspondens: usus autem præcipiendi, & prohibendi, sicut & permittendi peccata exercere Deus potest ubi supponitur peccabilitas saltem intrinseca: non verò ubi ea conditio deest. Ex his patet, infirmas esse rationes à servitute Christi, Dominioque Dei petitas in repræsenti. Ad primam dicatur id esse verū de Domino solùm respectu servi ignobilis, & legalis, & quasi non manumissi. Ad secundam, negetur minor in casu nostro. Ad tertiam, denique, dici potest Dominium jurisdictionis separari non posse à potestate præcipiendi, & prohibendi in conscientiâ, vel antecedente, vel consequente, expeditâ, vel impeditâ: in casu nostro datur ex parte Humanitatis ea dignitas ex Dei dono, ut Deo impediat facultatem consequentem, & expeditam ad præcipiendum, & prohibendum in conscientiâ.

152 Objicies secundò: Præcepta legis naturalis obligabant, & obligant Christum: neque enim erat Christo licitum, mentiri, odisse Deum, pejerare, inhonorate Parentes, innocentes infamare, & occidere; atqui præcepta hujusmodi obligant in conscientiâ: ergo Christus est capax præcepti obligantis in conscientiâ. Urgetur primò: stat benè, quòd Christus subsit præcepto naturali, reddenti ipsi illicitum usum alicujus actionis: ergo stat benè, quòd subsit præcepto positivo, reddenti ipsi illicitam, *verbi grat.* mortis omissionem. Urgetur secundò: Vel reddi Christo Domino illicitum mendacium ex præcepto naturali, v. g. est teneri præcepto cōminatorio culpæ, & pœnæ, vel non? Si secundum: ergo potest dari præceptum obligans in conscientiâ, sine ullâ comminatione culpæ, vel pœnæ: quo nostræ assertionis fundamenta diruuntur. Si primum: ergo Christus non ex eo desinit esse capax præcepti obligantis in conscientiâ, quòd sit incapax præcepti comminatorii, cùm sit capax naturalis præcepti. Urgetur tertiò: si Deus mentiretur, peccaret: ergo & Christus. Ergo Christus tenetur non mentiri, ne peccet: ergo potest teneri ad mortem, ne peccet: hoc autem est obligari per præceptum mortis in conscientiâ. Hoc argumentum valde commendatur inter alios ab Aldrete *sect.* 5. ut in quo, ait, infringuntur rationes nostræ, & earum falsitas apertè convincitur.

153 Respondeo facilè: Præcepta legis naturalis comprehendere, & obligare Christum (quod abusivè dicimus,) eo modo quo comprehendunt, & obligant Deum, & modo omninò diverso, quo nos comprehendunt, & obligant. Vt ergo dicunt comprehendere Deum, non quia reddant respectu Dei actiones licitas, vel illicitas, aut respectu Dei exerceant vim legis, & præcepti, sed quia actiones jure, & lege naturali præscriptæ nobis, manent Deo vel necessariæ, vel impossibiles ex dictamine Divinæ sapientiæ eas repræsentante vel connexas, vel incompossibiles cum amore summi Boni, qui ipse est: ita Christum comprehendunt, quia eas actiones manent Christo necessariæ, vel impossibiles ex dictamine repræsentante eas vel connexas, vel incompossibiles cum amore summi Boni ad quem est essentialiter necessitatus.

154 Dices: ergo Christus non exercuit actum obedientiæ, dum præstitit, quæ præscribūtur à lege naturali. Respondeo imprimis: certum est non exercuisse actum formalis obedientiæ laudabilis, & meritoriæ. Deinde: nulla est absurditas in negādo eum exercuisse actum obedientiæ. Demùm dici potest eum exercuisse, non quia suberat strictè, & propriè legi naturali, nempè ut habenti vim legis respectu illius, sed quia ea necessitas, aut impossibilitas faciendi, vel non faciendi eas actiones versabatur circa res à suo superiore præceptas, eaque primitùs veniebat ex dictamine, & voluntati sui superioris: nec alio modo dici Christus debet subesse, aut obligari præceptis legis naturalis.

155 Ad primam confirmationem, nego antecedens: non enim objectum legis naturalis prohibentis redditur Christo illicitum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex præcepto naturali : Illicitum enim est objectum, quòd si Persona amplecteretur, peccaret, & displiceret Deo in operando: Christus autem, si tale objectum amplecteretur per impossibile, solùm per impossibile peccaret, quod est non peccare simpliciter. Ad secundam, jam dixi reddi illicitum alicui objectum, esse ipsum teneri præcepto comminatorio culpæ, vel pœnæ: & nego suppositum. Ad tertiam, quæ secundùm singulas illationes instatur in Deo, cum evidentia absurditatis: dici potest cum gravissimis Theologis, quibus subscribit Sfortia Cardinalis *lib. 1. Assert. Theolog. cap. 14. num. 167.* Deum, si conciperetur mentiri, non sequi immediatè, quòd peccaret, sed quòd se redderet indignum fide, privaretque se physicâ perfectione; quod cum necessariò foret contra charitatem Dei, id est, sui, necessariò foret malùm, & peccaminosum. Ego ex alio capite universaliùs, & aptiùs ad rem præsentem, nego antecedens: Nam id, quod fit ab essentialiter impeccabili non est peccatum. Sicut id, quod fit ab essentialiter impotente videre, non potest esse visio. Proinde suppositio est suppositio peccati, & non peccati, quæ non potest esse peccatum.

Card. Sfort.

156 Objicies quartò: Nam Christus Dominus est potens, & capax promissionis, juramenti, & voti: ergo & præcepti obligantis in conscientiâ. Antecedens videtur innegabile: quis enim asserat Christum, quà hominem, non posse aliquid aut homini, aut Angelo, aut Matri promittere; promissionemque juramento firmare? aut quis admittens posse Christum aliquid homini promittere, neget promittere posse quidquâ Deo, quod est, vovere? Probo igitur consequentiam. Primò: quia factis promissione, juramento, vel voto premit Divina lex circa singula, & quidem in conscientiâ. Secundò: promissio, juramentum, & votum sunt quædam privatæ Leges, quas quisque sibi imponit in conscientiâ: qui autem potest sibi imponere Legem, seu quasi legem obligantem in conscientiâ, cur non potest subire à suo superiore Legem patiter in conscientiâ obligantem? Quid si totâ obligatio, quæ mediante promissione, juramento, vel voto pullulat in Personâ, nascitur immediatè à Deo, obligante tunc in conscientiâ, juxta discursum à nobis vel factum, vel saltem approbatum *disp. præced.* 4. *à n.* 375 *à nu.* 375.

Suprà disp. 4. *à n.* 375

157 Respondeo: Deum etiam esse capacem promissionis, & juramenti, licèt non voti (quod etiam negat Christo possibile cum multis Sanctus Thomas, ubi *suprà*:) nihilo tamen minùs esse omninò incapacem præcepti ullius, aut obligationis reddentis ipsi aliquam actionem illicitam, quod est obligare in conscientiâ, ut *suprà* dixi. Quare admisso gratis toto antecedente, nego consequentiam: Nam vis Promissionis, juramenti, & voti in Christo non est existimanda, qualis in nobis. In eo enim solùm est necessitas quædam metaphysica exequendi, quod ratione hujus, vel illius motivi vult exequi ad eum modum, quo dicere penès hæc de Deo solemus; cum hoc tamen discrimine, quòd in Deo est necessitas indistincta ab actu, quo semel rem exequi voluit: nam semper idem manet: in Christo est necessitas indistincta ab actu, dum actus est, & dum abest, est scientia ejusdem actûs semper manens, & æquivalens actui, quasi semper maneret: unde in neutro, nempe Christo, & Deo, afferunt hæc, obligationem in conscientiâ, quod est reddere aliquid ipsis illicitum, aut non evitabile nisi peccando. Ad primam consequentiæ probationem constat ex doctrinâ ad superius argumentum, quâ ratione Christus dici possit subesse legi naturali. Ad secundam concedo antecedens, de subjectis inquibus est prærequisita conditio ad passivam obligationem in conscientiâ, quæ est intrinseca peccabilitas; nego verò de his, ubi ea deest: ex quo patet ad ea, quæ super adduntur ex discursu citato.

S. Thomas.

Suprà nu. 141.

Suprà disp. 4. *à n.* 380

158 Objicies quintò: quia licèt Humanitas Christi sit ex accessu ad verbum intrinsecè impeccabilis, retinet essentialem capacitatem peccandi, utpote indistinctam ab ipsâ: cujus conditionem naturalem, & essentialem, licèt ornaverit accessus ad Verbum, non destruxit: ergo retinet nihilominùs capacitatem naturalem, & essentialem incidendi in culpam, & consequentis cominationis culpæ, & pœnæ, & demum timoris utriusque: ergo attentâ hujusmodi capacitate poterit Humanitati Præceptum imponi, comminatorium culpæ, & pœnæ.

159 Confirmatur: Primò: quia Christus, ut homo, est capax timoris ob eminentiam potestatis in Deo residentis super omnem Naturam finitam: ergo & terreri potest commination alicujus mali: quis enim timeat eum à quo sibi nihil imminere mali potest? ergo potest ei imponi obligatio alicujus operis sub ea commination. Confirmatur secundò: quia ex todo nostro discursu fieri debet Beatos, utpote impeccabiles &(quod durius est,) Beatam Virginem, quæ à multis tam piè defenditur impeccabilis, (*etiam physicè*, si nonnullos audias) fortè incapaces passivæ obligationis in conscientiâ, atque adeò præceptorum tam de ordine naturali, quàm positivo. Quod quis asseruit unquam, aut denuò asserat?

160 Respondeo ad argumentum, negãdo consequentiam. Nam comminatio actualis requirit proximam capacitatem peccandi, & timendi: ea enim remota capacitas, est quasi non esset in Humanitate, quoad usum, aut abusum ipsius. Ad primam confirmationem dico Christum solùm fuisse capacem timoris reverentialis, & Filialis, non verò servilis, qui solus potest esse culpæ timor, aut pœnæ.

161 Ad secundam, dici potest imprimis discursum nostrum niti in essentiali, & quasi naturali impeccabilitate, quæ nec Beatis competit, neque Beatissimæ Virgini, nec ulli Creaturæ competere potest: istæ enim solùm possunt reddi impeccabiles ab extrinseco.

162 Secundò dico, nullum absurdum apparere in eo quòd quis asserat Beatos ratione statûs fieri incapaces præcepti, & passivæ obligationis in conscientiâ: neque enim ex eo plus ipsis licet, sed perfectiùs subordinantur Voluntati Dei dirigentis, discurrique in ipsis posse, sicut de Christo Domino sumus hucusque philosophati.

163 Tertiò dico de Beatissimâ Virgine, eam, si ab instanti Conceptionis jugiter vidit Deum, (quæ opinio mihi olim placuit, & exposita est primùm à me, & publicè defensa, confessu satis plaudente, nec reluctante) comparandam penès hæc, Filio, & Beatis: neque absurda videri debet hæc uniformitas, si rationis, unde ea ducitur, identitas non censetur absurda.

164 Quartò dico, licèt Virgo Beata & Mater Domini nostri, meritò jam communiter impeccabilis asseratur à Theologis, item esse valde gravem, quo modo sit asserenda hæc impeccabilitas. Nam si solùm sit ex speciali extrinsecâ protectione, qualis asseritur à Vazquez, Suarez, & novissimè à Vega videndo *in Theolog. Marian. Palast. 16. certam. 11. a num.* 1190. hoc genus privilegii non obstat proximæ capacitati præcepti obligantis in conscientiâ. Si verò sit ex physicâ impotentiâ peccandi, qualis adstruitur ab aliis, & novissimè ab Aldrete, qui hæc nobis objicit *disp. cit. 73. sect. 7. & 4.* vel non debent putari absurdæ consequentiæ exinde deductæ: quarum una, & principalis à me putatur incapacitas passivæ obligationis in conscientiâ: qui enim dat formam, dat consequentia ad formam: vel negari debet cum præcitatis in Beata Virgine illud impeccabilitatis genuine: de quo nos *alibi*.

Vazquez. *Suarez.* *Vega.*

P. Aldret.

165 Objicies sextò: Deus respectu Christi Domini non minùs est ultimus finis, quàm primum principium: ergo sicut ex prærogativâ principii primi, potest ipsum annihilare, non minùs quam aliam puram Creaturam, ita ex prærogativâ ultimi finis, potest ipsum obligare in conscientiâ, non minùs, quam aliam puram creaturam. Consequentia patet, quia moralitas actuum, nempe bonitas, & malitia pendent ab ultimo fine, sicut effectus physici à primo principio. Tùm quia hæc ipsa ratio primi principii fundat æquale dominium in ordine ad moraliter obligandũ, ac in ordine ad physicè destruendum, vel conservandum.

166 Imprimis, si arguenti videtur bona ex uno ad aliud consequentia, pro nobis ratio militat, qui *lib. 1. disp. 3.* Christi indestructibilitatem tutati sumus: unde nego suppositum consequentis. Respondeo secundò: latiùs in Creaturis patêre potentiam passivam, quàm activam, unde ex latitudine illius non potest sumi ratio pro istius æquali latitudine: annihilationi autẽ correspondet potentia solùm passiva: obligationi verò, activa potentia respectu actûs ad quem imponitur obligatio.

Lib. 1. disp. 3.

167 Respondeo tertiò: Dei, ut primi Principii, & ut ultimi finis, ejusdemque ut physicè operantis, & ut operantis moraliter, sive ut Domini proprietatis, & ut Domini jurisdictionis, eundem omninò esse ambitum, quin sit opus comparationem fieri cum diversis effectibus, aut quasi effectibus, sed cum eisdem: ut bene notavit Esparza *ad 7.* Quia Deus nequit esse principium physicè cooperans Christo ad actum timoris culpæ, vel pœnæ, neque ad actum ullum honestum rejectivum alicujus actûs sui inhonesti, sicut diximus esse non posse causam moralem, ut actus aliquis Christi Domini sit necessariò rejicibilis, quia illicitus, & inhonestus.

P. Esparza

* * * * * * * * * * * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO V.

EXPLICATUR CHRISTI PRÆCEPTUM, circa Redemptionem, & mortem: ubi de Theologorum judiciis suprà relatis jud. cium nostrum.

§. I.

MULTIPLICI PROPOSITIONE EXPLIcatur vera Sententia.

168 PRima Propositio: Potest dari Præceptum, verum, & citra metaphoram tale, quin obliget in conscientiâ. Probatur primò: ex hucusque discussis: ex quibus *duo* necesse est fiant: *Alterum*, respectu Christi repugnare præceptum obligans in conscientia. *Alterum*: non repugnare respectu Christi veritatè Scripturarum: quæ tamen Christo præceptum attribuunt. Secundò: quia potest dari ratio formalis, & perfectissimæ obedientiæ sine præcepto inducente obligationem in conscientia, ut liquet ex *nu.* 12. At sine præcepto dari non potest ratio formalis obedientiæ, ut habetur ex Sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 2. *O.* ergo ratio veri præcepti, & citra metaphoram talis non est inducere obligationem in conscientiâ.

Suprà à nu 12. *S. Thomas.*

169 Tertiò & à priori: quia intimatio voluntatis Superioris, ut talis per verba *fac hæc*, vel similia, sufficit ad rationem veri præcepti: in ea enim se gerit Superior respectu subditi, ut Superior est, & subditus respicit in actu, quo talem voluntatem exequitur, Superiorem ut talem; atqui talis intimatio voluntatis non est per se inductiva obligationis in conscientiâ: ergo Quartò & à pari Regularum, & ordinationum, quæ in aliquibus familiis Religiosis sunt, sine inducta obligatione in conscientiâ: legumque purè pœnalium, quæ, juxta multos, nullam inducunt obligationem in conscientiâ: Nihilominus singulæ, cùm participent rationem legis veræ, & citra metaphoram talis, necesse est, pari gradu, participent rationem veri præcepti, & citra metaphoram talis: nam una ratio est imprætermittibilis ab aliâ

170 Secunda Propositio: Ad rationem veri præcepti, & citra metaphoram talis, sufficit ordinatio Superiotis, insinuatitia ipsius beneplaciti, factaque ab ipso, ut Superior est. Probatur primo ex rationibus, quas pro præcedenti confecimus, præsertim secundâ & quartâ. Probatur secundò: quia talis ordinatio, & mandatum simplex, appellatur ab Scripturis sine addito diminuente, Præceptum. Sumo in specimen textus duos. Alter est Ecclesiastici 15. ubi sic: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua.* Quæ verba ita intelligit Doctissimus P. Ruiz de Montoya *disp.* 39. *de Scientia Dei, sect.* 4. ut sub voce præcepti, & mandati, sumantur etiam, & veniant Exhortationes, & Consilia. Alter est *ex* 3. *Reg.* 17. ubi dicitur ad Eliam: *Surge, & vade in Sarephta Sydoniorum & manebis ibi: præcepi enim mulieri viduæ ibi*, ut *pascat Te.* Quæ verba de præcepto facto viduæ sic intelligit idem Author *tract.* 2. *de Provid. disp.* 9. *sect.* 7. *nu.* 15 ut solùm appellet *Præceptum Prædefiniens*, & præordinans, ipsum contradistinguendo à præcepto obligante in conscientiâ.

Ecclesiast. *P. Ruiz de Montoya.* *3. Reg. 17.*

171 Probatur tertiò; quia nihil in novo Testamento frequentius, quàm Præceptum impositum Christo: & tamen Sanctus Thomas locis suprà *nu* 12. & 139. citatis, explicat ipsum per inspirationem, & ordinationem Christo factam à Deo. Nec refert, quod opponit Oxea *tract de Charit. disp.* 4. *sect.* 4. *nu* 59. quòd præceptum est quædam quasi ligatura, & vinculum; atque adeò non possit intelligi quin inducat aliquam necessitatem: quæ sit vel necessitas culpæ, vel alicujus pœnæ. Non, *inquam*, refert: nam licet hæc ratio necessitatis transcendat communiter præcepta, quæ vel imponimus, vel imponuntur nobis: tamen peraccidens est ad rationem præcepti: quod eatenus ex concepto suo est quædam quasi ligatura, quia aliter de per se agimus contra vel præter mores congruos bono subdito.

S. Thomas. *Suprà a nu.* 12. & 139. *P. Oxea.*

172 Nec item refert, ex ipso *nu.* 58. quod vix in nobis esset opus præcisè consultum; & omnia caderent sub præcepto. Non, *inquam*, refert: nam respectu nostri, strictiùs venit, & sonat præcepti vox: nempe quatenus obligat in conscientiâ, & differt à simplici mandato: & in hoc sensu, qui nobis est vulgaris, & communis, bene dicimus non omnia esse præcepta ex his, quæ gerimus, sed alia præcepta; consulta, alia.

173 Tertia Propositio: Ordinatio, & dispositio Superioris circa aliquid, adjuncta (nisi res fiat) oneri carendi bono aliquo, vel sustinendi aliquod malum vel in seipso, vel in aliis aliquomodò conjunctis, cum majori rigore participat rationem, & conceptum

tum veri Præcepti. Probatur primò: quia talis onerosa ordinatio magis accedit ad Regulas, & Constitutiones Religionum, quæ licèt non obligent in conscientiâ, sunt veræ leges. Secundò à paritate Legum purè pœnalium: quibus aisimiletur hæc ordinatio; unde ex communi usu loquendi nemo recusat ipsam dicere Mandatum, Præceptum, & Legem.

174 Tertiò: & à priori: quia hujusmodi ordinatio contradistinguitur sufficienter à puro Consilio in eo, quod non est purè, & præcisè insinuatio facta subdito circa opus, ut præcisè melius, & placitarum magis Superiori. Nec ob hæc cum nonnullis, qui nobiscum Christo negant præceptu obligans in conscientia, vocarem hujusmodi Præceptum, purè pœnale. Ratio mihi est: quia Pœna, si aliqualis rigor servetur in voce, non cadit, nisi ubi culpa, vel saltem dignitas ad aliquâ reprehensionem præcedit. In Christo autem procul abest omne culpæ genus, & reprehensib licatis in operando.

175 Quarta Propositio: Circa omnia, & singula, quæ Christus gesit in vita mortali, habuit à Deo Præceptum verum, & citra ullam metaphoram tale, & ad minus consistens in mandato simplici prædefiniente, ut loquebatur suprà Pater Montoya, vel in simplici ordinatione notificante beneplacitum Dei. Probatur ex his quæ à *nu.* 80. diximus: ex quibus repeto solùm illud Ioannis 12. 49. *Ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Vbi fatetur de seipso Christus accepisse se mandatum à Patre de omnibus iudiscriminatim, & singulis suis actibus adusque *minimum jota*, ne excepta quidem unius vocalæ enuntiatione. Audiatur Sapientissimus Pater Ioannes Maldonatus *in hunc locum nu* 102. *fin. Illud*, opinor, *dignus observatione est: manifesto argumento, hoc in loco, quorundam Theologorum opinionem confutari, qui existimant, Christum non omnia, quæ in hâc vita fecit, ex Patris præcepto fecisse. Cùm enim docet, nihil se loqui nisi ex præcepto Patris, significat, nihil etiam nisi ex ejus præcepto facere, ex minori majus intelligens.* Hucusque Maldonatus.

Suprà à nu. 80. *Ioann.* 12. *P. Ioann. Maldonat.*

176 Quinta Propositio: Præceptum, quod habuit à Patre Christus Dominus, de morte subeunda pro redimendo Genere humano, non utcumque fuit simplex ordinatio, & dispositio Prædefiniens, sed *ordinatio onerosa*, nempe *carendi glorioso Titulo Redemptoris, & sustinendi* multi boni *factum in nobis*, tanquam in membris sibi conjunctis. Probatur primò ex Scriptura, in quâ asserta veritas videtur certò contineri. Imprimis ex illo Ioannis 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Per quæ manifestò significat Christus Dominus, se, nisi moriendo, non allaturum Generi Humano, fructum Gratiæ Redemptivæ. Deinde ex illo Isaiæ 53. 9. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longevum.* Vbi etiam manifestè insinuatur dependentia nostræ Redemptionis à morte Christi, ex beneplacito Patris, & Christi Domini voluntate, non aliter volentis titulum & gloriam Redemptoris. Probatur primò: quia per hoc genus præcepti cum majori proprietate salvamus rigorem Scripturarum, quæ circa mortem specialiter insinuant præceptum, & obedientiam Christi Domini.

Ioann. 12. *Isaiæ* 53.

177 Dices: Christus Dominus exequens hæc præcepta Patris, fuit verè, & perfectissimè obediens: ergo si non exequeretur foret inobediens. Atqui Christus non potest esse inobediens: nam inobedire superiori vel malum est, vel moralis imperfectio: ergo non potuit Christus non exequi præcepta hujusmodi: ergo non habuit libertatem. Est ergo nobis eadem difficultas, quæ supra objecta est admittentibus præceptum obligans in conscientiâ.

178 Si Christus foret capax moralis imperfectionis (ut nonnulli tenent) vel (ut censent alii) possit non exequi magis placitum Deo, licèt incapax sit imperfectionis moralis, nulla est difficultas: diceretur enim tunc Christus, non quidem simpliciter inobediens (quod sonat transgressionem turpem, aut inordinatam præcepti) sed non obediens, vel cum aliqua imperfectione morali, quam alioqui non teneretur evitare, vel sine ullâ imperfectione morali juxta insinuatos modos discurrendi, de quibus *infrà*.

Infrà à nu. nu 183. *& ex professo lib.* 5. *disp.* 2 *à nu.* 88.

179 Interim aliter, & magis piè respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam hoc præceptum, quod admittimus, est præceptum prædefiniens, & omninò dependens à Scientiâ Mediâ, imò conjunctum in Christo cum Sciétia, se æquè approbandum à Patre, si aliter vellet: quia ita voluit, quia præscivit, ipsum Christum ita, & non aliter decreturum operari: quòd si aliter operaretur, esset respectu Christi altera Providentia præceptiva. Quæ ut intelligantur, sit

Sex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

180 Sexta Propositio: Omnium horum præceptorum existentia, & conservatio pendebat à Voluntate Christi Domini, quatenus Deus ex directione Scientiæ suæ Mediæ voluit, & prædefinivit & rem, & intimationem ipsius eo simpliciter omninò modo, quo Christus Dominus prævisus est velle. Objectum, & tendentia Scientiæ hujus Mediæ sic à me concipiuntur: *Si Christus sciat meum beneplacitum, ut sic operetur, cum simultaneâ notitia de eo, quòd aquè sim approbaturus oppositum, si velit aliter operari: sic & non aliter volet operari, & sibi significari quòd operetur.*

181 Probatio Propositionis ad tria reducitur. *Primum*: quia ejus veritas longè commendat Dei dilectionem erga Christum: & hujus maximam dignitatem. *Alterum*: quia hoc unico modo salvari potest summa perfectio moralis in Christo. & summa concordia cum Divino beneplacito. *Tertium*, & potissimum, quia Doctrina, quam supponit, & in quâ tota Propositio nititur, nempè quòd Deus decreverit ratum habere, quicquid Christus vellet, verissima est, & probanda, & inculcanda *infrà*. Videatur interim Pater Bernal *disp.* 54.

Latè disp. 6. à nu. 15. P. Bernal. Summa Doctrinæ.

182 Per hæc explicata manet, & omninò dilucida Nostra Mens de Christi Præcepto, & Obedientiâ perfectissima: & insimul elucescit manifesta concordia Christi libertatis, & præcepti cum impeccabilitate ipsius, & summâ perfectione morali. Cum impeccabilitate quidem: quia hæc præcepta non obligant in conscientia, nec eorum inobservatio esse potuit Christo Domino illicita, aut peccaminosa, atque adeò nec ex hoc latere impossibilis. Cum summâ perfectione moralis: licèt Christus posset operari secùs ac ista præcepta præscribebat, nò eo ipso poterat actus facere minus Deo placentes, Divinæque Voluntati minus conformes: Nam si secùs operari vellet, nunquam extitissent hujusmodi Præcepta, & scit Patrem æquè approbaturum, & complaciturum in oppositâ operatione, quam vellet: unde non aliter modò manet impotens operari aliter, ac præcepta disponunt, nisi prout est impotens operari aliter, ac operari liberè vult: scit enim Christus Patrem ita velle, quia Pater præscivit fore, ut Christus liberrimè vellet. Sed de his dicemus *infrà*, quæ dictis lucem afferant, fundando Doctrinas, quibus, ut hæc asseramus, innitimur.

Disp. 6.

§. II.

QVID DE OPPOSITIS SENTENTIIS?

183 Restat pro coronide controversiæ ferre judicium de judiciis Theologorum relatis *à num.* 19. & aliquas quæstiones annexas brevi resolvere ex more nostro. Hoc præstabimus *sequenti sectione*: hic, illud. Igitur circa sententiam affirmantem de Christo præceptum obligans in conscientiâ, & circa sex illas classes opinandi in ejus defensione,

184 Censeo primò: sententiam affirmantem reipsâ niti falsâ suppositione, nempè quòd Christus sit capax præcepti obligantis in conscientia. Deinde, datâ eâ capacitate, niti circa rem præsentem intelligentia parùm solida Scripturarum. Utrumque confecimus. Primum *sect.* 4. Alterum *sect.* 3. *Sect 4 & sect. 3.*

185 Censeo secundò, de primâ opinantium classe circa qualitatem præcepti, eos niti falsâ suppositione. & fallis insuper principiis, unde colligunt obligationem Christi naturalem circa mortem. Primum patet ex *sect.* 4. Alterum ex *sect.* 2. *Sect. 2. & sect. 4.*

186 Censeo tertiò: de secundâ opinantium classe circa Universalitatem Præcepti Christo Domino impositi, eos verè, & ex solido Scripturarum fundamento discurrere: verùm in ea sententia, quæ præceptum obligans in conscientia ponit, defendi non posse universalitatem hujusmodi: nam alioqui Christus Dominus nulla libertate potiretur. Præceptum enim hujusmodi in Christo, utpotè essentialiter impeccabili est metaphysica necessitas rei præceptæ. Primum patet *ex num.* 80. 81. & 112. Alterum *ex sect* 3. & 4. *Suprà à nu. 80. & à nu. 112. & sect. 3. & 4*

187 Censeo quartò de tertiâ opinantium classe circa præceptum absolutum, eos specialiter circa præceptum mortis, quode hic est principalis quæstio, decipi, & repugnare Scripturis, Conciliis, & Patribus. Id quod patet *ex num.* 14 & ex *tota sectione* 3. *Suprà à na. 14. & sect 3.*

188 Censeo quintò de quartâ classe opinantium præceptum fuisse conditionatum, eos in eo decipi, quòd Christum faciant capacem præcepti obligantis in conscientiâ. Deinde, ut aptè censere possimus, explicanda est diversitas Authorum in eadem classe discurrentium. Nam conditio sub quâ præceptû imponitur, vel est ipsemet actus subditi volentis rem exequi: vel secundò est postulatio libera, vel libera acceptatio subditi: vel tertio, est ipsa volitio mortis, & passionis, & obligatio solùm sit de applicatione in finem Redemptionis: vel quartò est ipsa volitio redimendi mundum, & acceptatio muneris Fidejussoris, ita ut obligatio sit de medio mortis, & passionis, si velit Christus illum finem. Hæc enim insinuavimus *nu.* 22. & 23. *Suprà n. 22. & 23*

189 Et imprimis, si conditio sit ipse actus subditi volentis rem exequi, ut insinuat Cabrera, patet præceptum fore dissonum, & omninò inutile. Nam ex vi præcepti nulla est in Christo obligatio operandi, & actio quæ præcipi dicitur, æquè maneret Christo physicè, & moraliter libera, sine ullâ necessitate. Præceptum autem, & quidem obligans in conscientiâ, quod ita formatur, omninò fictitium est, & absonum. Deinde, quomodo actio foret ex obedientiâ, si scit Christus, se pro priori ad operationem, nullo præcepto teneri?

190 Secundò, si conditio sit vel libera postulatio subditi, vel acceptatio, (præterquam quòd hic modus discurrendi male componitur cum principiis ex quibus adversarii colligunt in Christo Domino capacitatem præcepti obligantis in conscientiâ, & in Deo vim hujusmodi præceptivam) est in contrarium ingens difficultas, primò: quia sic non salvatur, nec potest, meritum obediêtiæ, nec libertas in morte. Nâ licèt Christus sit liber in acceptando præcepto, vel in postulando, eò tamen posito, non est liber in acceptanda morte; nec enim libertas ad unum, quod nisi peteretur, non esset aliud, eoipso est libertas manens ad istud aliud: *Veluti siquis peteret, aut peteretur sibi linguam abscindi; quis diceret eum, viginti ab illinc annis ab abscissâ linguâ, tacere liberè?* Secundò: quia mors Christo Domino, non utcumque præcepta est, sed ut meritoria, & quidem merito ex virtute obedientiæ: ergo præcepta est libera, & juxta ea omnia, quæ necesse est sint, ut ea sit libera, & meritoria, & merito ex obedientiâ: perquæ manifestè occluditur Adversariis via tergiversandi.

191 Tertiò, si conditio sit ipsa volitio mortis, ita ut in ipsam nulla cadat obligatio, ut Recentes apud Arriagam *disp.* 42. *sect.* 2. *subsect.* 7. *nu.* 34. volunt, in contrarium est primò: nam id reipsâ est negare nobiscum præceptum obligans in conscientiâ. Secundò: quia sic nò potuisset esse in Christo mors ex obedientiâ, contra manifestam expressionem Scripturarum. Tertiò: quia in ipsis Scripturis manifestè asseritur præceptum de morte: imò potiùs de morte, quàm de ipsa Redemptione, si expendantur textus adducti *nu.* 76. & *à nu.* 79. Nec valet dicere, quòd si detur in humanis lex de non vendendo tritico, nisi ex pretio taxato, Mercator, etsi vi legis non teneatur vendere, tamen vendens ex pretio taxato, legem adimplet: atque adeò sic poterit explicari obedientia Christi. Non, *inquam*, valet: quia secùs Scripturæ loquuntur. *Recentes apud Arriagam.* *Suprà à n. 76. & 79.*

192 Quartò demùm, si conditio sit ipsa volitio redimendi mundum, & acceptatio muneris Fidejussoris, discursus est verosimilior, & mihi placere non semel cæpit. Primò, quia fundamentum habet in Scripturis, & quidem primâ specie non leve. Pende textus *num.* 176. citatos. Secundò: quia etiam insinuatur à Patribus ad illud Pauli ad *Hebræos* 12. *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* *Suprà num. 176.* *Hebræor. 12.*

193 Tertiò: quia hic discursus benè videtur componere rigorem Scripturarum de Præcepto Christi, & simul indifferentiam, & libertatem ad moriendum, & non moriendum. Ratio prioris est, quia ponit strictum præceptum, licèt conditionatum. Ratio posterioris: quia qui est liber ad finem, eòipsò est liber ad medium, etsi unicum: imò eadem omninò libertate qua exercet intentionem ad finem, intelligitur velle medium, licèt unicum. Cùm ergo Christus Dominus eatenus necessitaretur vi præcepti ad mortem, quatenus liberè vellet Redemptionem: quippè Deus suo decreto, & præcepto fecisset mortem, medium unicum ad hunc finem, sequitur Christum liberè mortuum, quia liberè intendit hunc finem. Deinde in nullo instanti, in quo sit liber ad volendum, aut nolendum hunc finem, potest esse liber ad moriendum, & non moriendum. Quare cùm Christus pro omnibus, & singulis instantibus suæ vitæ, liber extiterit ad volendam, vel nolendam Redemptionem, proque omnibus, & singulis instantibus liberè perseveraverit in intentione Redimendi homines, & in retinendo munere Fidejussoris, pro omnibus, & singulis instantibus liberè potuit mori, vel non mori.

194 Quartò, quia etiam hic discursus optimè componit impeccabilitatem Christi. Ratio est: quia ex hoc discursu repugnat Christo violare præceptum, etiam si alioqui ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

haberet oblatum cōcursum ad actus malos. Ostenditur: nam, vel intendit efficaciter finem Redemptionis, vel non? Si primum: nō potest non velle mortem, quæ facta est ex præcepto medium unicum. Si secundum: nō premit obligatio præcepti, cùm hoc supponamus conditionatum. Ex quibus patet, hùc discursum in re præsenti esse omnium maximè probabilem. Vide quæ in oppositum dici possent, & pro probabilitate istius opinionis, ex P. Aldrete *tom. 1. disput. 18. sect. 4. à n. 7.*

P. Aldrete

195 Nihilominùs re meliùs inspectâ displicet. Primò, quia ponit præceptum obligans in conscientia: cujus possibilitatem respectu Christi negavimus. Secundò, quia dumū mihi omnino est dicere non esse Christo Domino determinatè mandatam à Patre Redemptionē humani Generis. Video enim apud PP. & Scholasticos id esse omninò novum, & inauditum. Tertiò, quia utut fuerit Christo libera intentio Redemptionis, & acceptatio muneris fidejussorii, certè in primo instanti voluit, & acceptavit: & vel ex virtute Religionis ratione voti, juxta illud: *vota mea reddā*: & illud: *Dixi: Deū meus volui, & lex tua in medio cordis mei*: vel ex virtute Constantiæ, non poterat deinceps nolle, & non acceptare. Iam sic: quæ ergo mansit in Christo libertas non moriendi post triginta annos à posità conditione, quā redditum est votum absolutum? Quartò, quia ut ex his proximè dictis fit, imperari non potuit Christo mors libera, & meritoria: at talis esse debet Christi mors, & tali modo præcepta. Mitto alia.

196 Censeo sextò de quintā classe opinantium, eos reipsa relabi in præcedentem, & præcedentis impugnationem. Deinde *durum* mihi est dicere mortem, & Redemptionem non esse determinatè mandatas Christo. Secundò, Durius mihi est dicere, Christum æquè adimpleturum præceptum mortis impositum, moriendo, ac non moriendo: nam si disjunctivum est, per utramlibet partem impleret. Tertiò, quia illusorium videtur præceptum obligans in conscientia, ita disjunctivum, vt sub alterā parte disjuncti includat aliquid physicè necessarium illi cui mandatur, v. g. ut vel peragam opera injuncta, vel non lucrer indulgentiam. Ratio est: nā non est in potestate mādatarii, lucrari indulgentias, si non faciat opera injuncta: unde mandare hoc, est mandare, quòd non lucretur indulgentias, si non facit opera, quod est illusorium. Atqui si Christus voluisset remedimere mundum, sine morte, peccaret: nam hæc est vis præcepti, atque adeò non redemisset: ergo non potuit illi injungi, vt non redimeret, si nollet mori, aut quòd moreretur, quod per inde est.

197 Censeo septimò de ultima classe opinantium, eos reipsa repugnare Scripturis: ubi pluſquam insinuatitiè traditur præceptum de morte, & obedientia in exequutione mortis in Cruce. Deinde, vel hoc præceptum fuit etiam de non impediendis judæis, ne mortem inferrent, vel non? Si secundum: neque fuit indirectè præcepta mors, ut patet ex *n. 92.* Si primum: ergo fuit ipsi mandata acceptatio mortis, atque adeò recurrit eadem difficultas, ac in precedentes modos opinandi. De mente S. Anselmi fateor S. Doctorem inclinare loco citato in eam discurrendi viam: si verò legatur *lib. 2. cur Deus homo cap. 19.* verisimilius est neque Anselmum admisisse præceptum obligans in cōscientia, neque aliud genus præcepti, quam nos.

S. Anselm.

SECTIO VI.

RESOLVVNTVR QVÆSTIONES ANnexæ Controversiæ.

198 PRima est: an & quomodo Christus Dominus fuerit subjectus legi naturali, ejusque præceptis? Resolutio petenda est ex *n. 153.* unde constat non aliter dici debere, Christum Dominum subesse legi naturali, quàm intelligendo, Christo Domino reipsa esse impossibiles, vel necessarias actiones à lege, vel præscriptas, vel prohibitas ex dictamine eas judicante connexas, vel incompossibiles cum amore summi Boni. Indidem patet, quā ratione dici possit Christus exercuisse obedientiam in earum rerum, vel amplexu, vel fuga. Hi tamen affectus in Christo, ut præcisè sunt amplexus boni à lege naturali prætripti, vel fuga mali ab ea prohibiti, non sunt nec esse possunt meritorij, nec laudabiles. Quis enim laudet Christum in eo, quòd nō blasphemaverit? *Dices*: lex naturalis, vel indistinguitur à Natura ipsa, vel est proprietas necessariò consequens ad Naturam: sed in Christo erat eadē Natura, quæ in nobis: ergo, & eadē lex naturalis. Resp. in Christo esse naturam, quæ in nobis, sed longè aliter, ac in nobis, atque adeò sine peccabilitate quæ est in Natura conditio, vt teneri possit lege obligante in conscientia, sed-

Suprà à num. 153.

reddenteque Naturæ operationes illicitas, & turpes. Vide quæ *suprà*.

199 Secunda est: an & quomodò Christus Dominus fuerit subjectus legi humanæ, ejusque præceptis? Respondeo negativè. Ratio est, quia lex à subdito lata non ligat Principem, utpote altioris Dominii, & juris suprà omnes subditos per potestatem excellētiæ. At Christus Dūus habuit dominium in omnes infra se, omnesq; infra se erant subditi ipsius: unde nullo modo fuit Christus subjectus aut esse debuit Regibus temporalibus; vt definisse dicitur Ioannes XXII. *contra Marsilium Patauinum. Dices*: ergo neque Christus tenebatur obedire Matri. Concedo consequentiā, attento jure, & rigore: unde cū dicitur: *Et erat subditus illis*, intelligendum de spontanea subjectione: qua & Matri, & Ioseph se voluit subdere. *Dices* iterum: ergo neque tenebatur Matrem colere. Nego consequentiam in eo sensu, quo negari debet Christum non teneri, ne mendacium diceret, & similia, quæ sunt de lege naturali; non tamen eo rigore, ac modo obligationis, quo nos & terremur, & premimur, sed modo suprà explicato.

Ioannes XXII.

Lucæ 2.

A nu. 153.

200 Tertia est: an potuerit esse subjectus legi Humanæ, ejusque præceptis, etiam attento rigore juris. Aliqui affirmant cum Suarez. Mihi verosimilior est pars negativa: Ratio est, tùm quia sicut dignitas Christi necessariò supereminet omnes finitas, necessariò sibi subjecit omnes, & ipsa est suprā: ergo repugnat attento jure subjectio Christi ad potestatem humanam. Tùm etiam, quia de tali dignitate est proprietas inseparabilis jus, & dominium super omnia infrā se. Tùm demum, quia si nullā strictā lege Patris obligari potuit, quomodò obligaretur lege humanā? Nec video quo fundamento Doctor Eximius ierit in nonrepugnātiam istius subjectionis.

Suarez.

201 Quarta est: an Christus Dominus fuerit subjectus legi Divinæ positivæ Veteri, vel Novæ? Resp. etiam negativè. Ratio pro lege novâ est, quia ipse Christus fuit ejus legis, & Lator, & Author. Dices: quandoque in humanis leges à Principe latæ ligant ipsum. Resp. rationem esse valde disparem: id enim contingit in humanis, vel quia sub hac conditione datur Principi potestas legislativa: vel quia lex naturalis eos subjicit, ut sunt rationis ejusdē cū subditis: vel quia verſatur in materia æquè ad Principem, ac ad Subditos pertinente. Sed hæ rationes respectu Christi non militant: Ejus enim leges sunt sicut illa Principum quæ respicit subditos ut subditos, v. g. lex solvendi tributa: quæ Principem ligare non potest.

202 Ratio pro lege Veteri, & Mosaicâ, de quâ senserunt oppositum, Ioan. Medina, & alii, est, quia lex illa solùm posita est pro Iudæis, qui per seminalem generationem descenderent ex Abraham. *Rogas*: cur ergo servavit, si nō tenebatur? *Dico* plures ab causas. Prima est, ut nobis esset exēplo. Secunda, ut suo facto approbaret tamquam Sanctam, & à Deo latam. Tertia, ne daret Pharisæis occasionem calumniandi.

Ioan. Medina.

203 Oppones Apostolum *ad Galat. 4.* misit Deus Filium suum factum sub lege. Respondeo loqui Apostolum de facto, non de jure. Vnde Anselmus ibid. *subjectus est legi, non quia ipse Legi quicquam deberet, sed ut nos redimeret.* Et Athanasius *in disp. cum Ario* dicit Christum fuisse liberum, & subditum legi: *Subditum, quoad observationē: liberum, quoad obligationem. Oppones* iterum. Omnes circuncisi tenebantur lege Moysis: *Respondeo* id esse verum de circuncisis ob obnoxietatem peccati. Alia quæ subjectionem Christi, ejusque minoritatem concernunt, addentur, cùm *lib. seq. de servitute Christi* sit sermo:

Ad Galat. 4.

Anselmus.

Athanas.

Lib. 5. disp. 5. sect. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO VI.

CHRISTI DOMINI SATISFACTIONIS, ET Redemptionis libertas cum Impeccabilitate, Perfectione Morali, & Præcepto conjuncta.

Concordiæ difficultas.

1 ANXIOS semper habuit hujus ævi Theologos concordia libertatis Christi in moriendo, & redimendo nos cum impecabilitate, & Præcepto. Ea tamen nobis est omninò facilis Nam præceptum, quod in Christo posibile admisimus, non potest obligare in Conscientiâ. Nec ideò difficultatem evasimus. Nam aliunde triplex exoritur. In primis enim si Christus sit incapax moralis imperfectionis (ut modo suppono) omnes ejus actus debent esse æquè placentes Deo, atque adeò æquales: quomodò ergo est in Christo libertas sufficiens ad merendum? Deinde licèt præceptum non obliget in conscientia, est signum majoris beneplaciti Divini: si ergo Christus necesitatur non discedere à majori beneplacito Dei, (nam ex hoc pendet moralis perfectio, vel imperfectio:) quomodò manet indifferens ad moriendum, vel non moriendum, & ad alias actiones, ut suprà? Tertiò si Christus habet prædominium à Deo datum in omnes, & singulas suas actiones, cur non habeat circa statum Pasibilis, vel impasibilis, ita, ut non solùm oblatus fuerit, quia voluit, sed etiam, quia voluit, positus fuerit in statu, in quo se posset offerre, si vellet? Ex triplici ista difficultate, *Primam exagitabo lib. Seq. cùm de Merito Christi Domini. Duas* hic, ventilando duo. *Primum*: an data sit Christo optio Vitæ pasibilis, vel impasibilis? *Alterum*: an etiam cum præcepto, quale in Christo defendimus componi posit, quòd ipsi data sit optio eligendi ex Actionibus, quas vellet. Ex quibus facilè deducetur vera concordia libertatis, & præcepti Christi Domini cum summis ejus prærogativis, & tota controversia de indifferentia Christi in redimendo nos, & moriendo per utilissima corollaria diluceset.

Multiplex & vrgetur.

Vnde pendeat?

SECTIO I.

DATA EST CHRISTO DOMINO OPTIO Vitæ Pasibilis, vel impasibilis: sumu que redimendi, vel non redimendi mundum.

Velazquez Bernal. Aldrete. Mens nostra, exponitur.

2 ITa sentio cum Patre Ioanne Antonio de Velazquez *tom 1. in Epistola ad Philipp. cap. 2. ver 7. à nu. 16.* cum Patre Augustino Bernal *disp. 52. sect. 2.* & Patre Bernardo de Aldrete *disp. 18. de Incarnatione*, qui alios citant, nec omninò placent in modo defensionis. Explico rem parùm aliter ipse. Considero imprimis Christum Dominum in instanti conceptionis cum notitiâ quadruplici. Prima est: habere se jus ad gloriam Corporis, & impasibilitatem inde consequentè. Secunda est, hoc jus datum Humanitati, à Deo, ac proinde Deum nolle frustrari, neque velle negare terminum juris, nisi Christus velit. Tertia est, ita se à Deo diligi, ut velit, sitque paratus velle, quæ Christus velit: omnia ponens in ejus manus. Quarta est, nihil omnibus velle Deum, paratum nempè æquè placere in oppositò, quod perinde est, ac si Christus velit, quod eligat vitam pasibilem, & per molestias ejus, & mortem mundum redimat.

3 Christus ergo præventus hac notitiâ quadruplici eligit vitam pasibilem, cedit jure

jure ad gloriam corporis, & vult morte redimere Mundum per actus vitæ pasibilis. Deinde ex parte Dei considero Deum per Scientiam suam Mediam, cognoscere sub hypothesi descriptâ velle Christum, quæ dixi, sine ullâ confusione: & Deus præ:entus hac noticiâ Scientiæ suæ Mediæ prædefinit electionem Christi conditionatè prævisam, & simul hypothesim.

Duo asserit.

4 Hæc est optio, quam in Christo admitto, quæ omninò sufficit, ut dicatur Christus liberè elegisse statum vitæ pasibilis, & redimere mundum, potens pro libito neutrum velle, & quæ salvat omnia principia quæ de Divinis Decretis, & Prædefinitionibus salvare oportet. In quo mihi maximè displicèt supracitati Authores, & qui eos sequuntur, Moderni: Nam hanc optionem ita fingunt, ut faciant Deum quasi statuentem Christum in hoc, aut illo instanti, & manere quasi suspensum in decernendo statu Christi quousque adveniat notitia de actu, quo Christus hanc vel illam partem determinatè eligit, quasi Christus decernatur per unum decretum, & ex vi illius jam existens sit in statu in quo paciscì, & verba miscere cum Patre suo possit, ad hoc, ut decernat qualiter, & quali vestitu donorum processurus sit Christus in uterum Virginis, & in orbem terratum. Hæc mihi iudicra videntur inter seriâ: & obnoxia semper fore magnis difficultatibus.

Probatur 1. pars ex Scripturis. Hebr. 12. lxx.

5 Modo tamen explicato, sententia facilior est, & habet partes duas. Primam: datam Christo optionem Vitæ pasibilis, & impasibilis, & ipsum liberè elegisse vitam pasibilem; & Deum ipsû prædefinisse Pasibilem dependenter ab ejus consensu. Alteram, eodem modo datam optionem ad Redimendum mundum, vel non redimendum.

6 Ostendo primam primò ex Scripturis. Ducat Agmen Apostolus, qui *cap. 12.* ad Hebræos de Christo sic loquitur: *aspicientes in Authorem Fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta.* Græci codices: *pro proposito sibi gaudio.* Quorum verborum sensus omninò litteralis videtur esse, Christum Dominum, vice gaudii, vitæque omninò gloriosæ, & impasibilis, suo juri connaturalis, & sibi propositi, elegisse molestias vitæ pasibilis, & inter ipsas mortem Crucis. Et hæc expositio communis est inter Recentes expositores, secutos Chrysostomum, Theodoretum, Theophilactum, Oecumenium, & Rupertum.

Cryſost. Theodor. Theophyl. Oecumen.

Rupert.

7 Firmaturque primò: Nam sensus hujus loci nequit esse, quòd Christus voluerit pati, proposito sibi in præmium gaudio suæ exaltationis. Ratio est: quia Paulus *toto cap. 11.* excurrit in eorum facta veterum Patrum qui ex fine præmii non recusavere certamina; & quasi emersurus in lucem evangelicæ perfectionis, cujus Authorem, & Consummatorem vocat Iesum, incipit aliter exhortari *cap. 12.* per exemplum Christi, qui non solùm spe præmii, sed etiam contempto, seu posthabito jure gaudii voluit pro nobis Crucem sustinere. Itaque Paulus altius quiddam, & dignius de Christo dicere, & voluit, & debuit. Tùm etiam: quia maximus videtur rigor, voluisse Deum necesitare Christum ad Crucem, pro gaudio, quod sibi erat omninò connaturale. Secundò: quia à Paulo fit antithesis pulchra inter Christum, & nos, ut nos planè convincat: quasi diceret: Nobis est connaturale certamen, non gaudium; secùs Christo: quid ergo reluctamur certamen, alioquin nobis connaturale, si Christus pro gaudio sibi connaturali dignatus est non reluctari certamen, præferens istud illi, ut nos doceret? Tertiò: quia illa particula textûs Græci *pro* manifestè sonat subrogationem, & commutationem, ut acutè notat, & doctè fitmant Velazquius, & Bernalius.

Hebr.12.

Velazquez & Bernal. Psalm.39. Hebr.10.

8 Succedat locus Psalm. *39. Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; holocaustum, & propeccato non postulasti: tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui.* Vbi Christus inducitur *ingrediens in orbem terræ*, ut interpretatur Apostolus ad Hebræos 10. Seu *in Orbem Mariæ*, ut inquit Sedulius, & quasi cum ipso paciscens, & loquens, seque illi conferans, & devovens in statu pasibili, quasi renuncians pro tunc juri, quod habebat ad gloriam, & immortalitatem, & impasibilitatem: volensque Deo obsequi per molestias vitæ pasibilis: quem sensum satis firmat hebræa lectio: *Aures autem perforasti mihi*: ubi fit juxta Salmeronem, Riberam, & Iustinianum nostrum *in Epist. ad Hebræos*, alluso ad illum legis ritum, de quo *Exod. 21.* cum servo Hebræo post septem annos servitutis, ea optio dabatur, ut vel liber abiret, vel, si manere vellet in antiquâ servitute, perforarentur ipsi aures, in signum perpetuæ servitutis: quasi Christus in primo suæ conceptionis instanti potens liber abire, & frui suis

Sedulius.

Hebr.lect. Salmer. Riber. Iustinian. Exod.21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

juribus, voluerit quasi servus eligere speciem servi, & statum vitæ passibilis.

2. Probat. ex PP. Chrysost. apud Velazq. Ambros. Anselm.

9 Ostendo secundò ex Patribus. Ducat Agmen Chrysostomus *suprà* relatus: *liceb at illi nihil pati, si voluisset.* Et in hunc sensum loquuntur innumeri, quos cum mirâ eruditione dabit Pater Velazquez *loc. cit. tota Annot. 5. literal.* Succedant Ambrosius, qui *lib. de Fide Resurrectionis* sic ait: *Quid plura? Unius morte Mundus redemptus est: potuit tamen Christus non mori, si voluisset.* Anselmus *lib. 2. cur Deus homo cap 19 sum erat, & pati, & non pati.* Hæc ex innumeris sufficiant quibus satisfieri nequit nisi per assertionem optionis datæ Christo Domino circa vitam passibilem & impassibilem.

3. Probat. ratione multiplici.

10 Ostendo tertiò ex rationibus. *Prima* sit: Nam Christo Domino inerat ius, & quidem datum à Deo per donum, omnium, maximum, & ex summa dilectione, ad gloriam corporis, & impassibilitatem: ergo non est credibile, nec verosimile, Deum velle dare jus istud ex summo amore, & per ipsâ collationem juris voluisse frustrari, non accedente consensu Christi Domini. Quæ ratio mihi efficacissima, non solùm probat necessitatem facti, sed juris indispensabilis.

11 *Secunda* sit: quia Christus Dominus eo ipso dono unionis, ut suprà firmatum, accepit à Patre quasi per tacitam promissionem, jus disponendi de suis actionibus, ut vellet, atque adeo, & redimere mundum per quodvis genus actionum: ergo nequivit necessariò poni in statu in quo manifestè degeneret sic, aut aliter velle id enim esset neque Deum stare promissis, & manifestè derogare dominio Christi jam firmato per donum, & dignitatem filiationis.

12 *Tertia* est: quia negari Christo nequit facultas, & potestas non moriendi, pro quocumque tempore: ergo neque libertas optandi vitam impassibilem. Antecedens constat ex supra dictis, & ulterior ratio est: quia Christus est Sacerdos, ut homo, suique obtulit sacrificium cruentum in morte: ergo aliquomodo debuit causare mutationē hostiæ, & victimæ: nam id Sacerdotis, & sacrificanti, est. Quomodò ergo causaret? nam neque physicè neque moraliter mactationem fecit, si in eo non fuit potestas, & libertas nō moriendi. &, ut Anselmus loquitur, servandi æternaliter vitam suam, etiam ex suppositione lethalis vulneris, & causæ sufficientis ad necem? si verò Christus sit ita liber, datur intelligi, quomodò sui sacrificium obtulerit: *Anselm.*

nam cum recusare posset mortem etiam posità causâ sufficienti: aut impedire actionem exteriorem crucifigentium, etiam ex suppositione actûs interni pessimi, voluit nō solùm permissivè mortem (nam actio permissa, non dicitur moraliter nostra, & debet esse Sacerdotis actio, mors victimæ) sed voluit ne impediretur actio exterior ex suppositione actus interni crucifigentium, & voluit mortem sequi ex suppositione causæ sufficientis. *Quarta* est: quia in oppositum, si stemus explicationi nostræ, neque ulla ratio, aut authoritas alicujus momenti militat. Et hæc de prima parte.

13 Ostendo secundam, & primò ex locis Patrum *nuper* adductis. Secundo ex illis, ubi dicitur in Evangelio frequenter: *omnem potestatem datam esse Christo: omnia ipsi esse tradita: Patrem dedisse ipsi omnia in manus:* quę verba, cùm nullam exceptionem faciant, non est cur pati debeant apud nos. Tertiò: quia ex sæpè dictis, datum est Christo Domino tale prædominium in actiones suas, ut ipsis uti pro libitu posset: eaque Patris condescensio, si ita licet loqui, est inseparabilis à dignitate Filii Dei naturalis: ergo non poterat esse necessitatus ad sic, vel aliter utendum, nisi necessitate consequenti, nempe dependenter ab ipsius Christi Domini consensu conditionatè prævio. *2. Pars probatur.*

14 Unde duo fiunt. *Primum*; verum esse quod Patres asserunt, mundum non redemptum fuisse, nisi per mortem Christi: nempe quia statutum est sic à Patre, accedente voluntate Christi nolentis aliter applicare merita sua pro effectu Redemptionis. *Alterum*: Christum, ut verè habuit optionem vitæ passibilis, & impassibilis, atque adeo, & redimendi, vel non redimendi mundum, ita potuisse liberè, potestate antecedente, redimere Mundum per alios actus, aut per actus vitæ impassibilis. Id quod docent Repertus apud Cornelium in Epistola ad Hebræos *cap.* 12. *vers.* 2. ipse Cornelius, Pater Iustinianus *ibidem*, & Bernal *disp. & sect.* citatis; neque quod objicit Pater Aldrete *disputatione ea 8 sect. 4. à num. 3.* probat ultrà id quod sponte, dedimus in primâ illatione. *Ad Hebr. 12. Rupertus. Cornel. Iustinian. Bernal. Aldret.*

* * * * * * * * * * * *

SEC-

SECTIO II.

DATA EST CHRISTO DOMINO OPTIO quomodolibet eligendi inter operationes sibi possibiles.

Mens nostra.

15 SEnsus est: Dignitatem Christi Domini tantam esse; tantamque vim esse Amoris, quo, dando Divinitatem, Humanitatem Deus amplexus est, ut voluerit approbare, & ratam habere quamcumque electionem Christus mallet, paratus æquè in singulis placere, & nolens quicquam ab ipso exoriquere, nisi quod vellet, & dependenter ab eo quòd præsciret fore ut Christus vellet. Ita ut Christus operaretur cum necessitate nusquā, & nunquam discedendi à summo Dei beneplacito circa se, & cum notitiâ, se in eo quòd vellet, semper velle, quod Deus reipsâ plus vellet fieri, eòipsò quòd Christus vellet, non quidem faciendo regulam Honestatis ipsam Christi operantis voluntatem, sed relinquēdo ipsius Christi arbitrio in tanta cum Deo cognatione constituto liberam applicationem primæ Regulæ, nempè ut quòd Christus eligeret, esset materia majoris beneplaciti Patris.

Tenent Bernal. Oxea. Hurtadus. Ripalda. Muniessa. discrepant Aldrete. Godoy.

16 Tenent hanc Doctrinam, licèt parum aliter explicent Pater Bernal *disp.* 54. *sect.* 5. Pater Oxea *in manuscriptis de Incarnatione*, & novissimè Pater Thomas Muniessa *disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 49. & 54 Insinuant Hurtadus, & Ripalda: fovent Moderni Doctissimi: & specialiter impugnant Pater Aldrete *disp.* 77. *sect.* 1. & Godoy *disp.* 49. §. 6. *à num.* 156. repetens omninò quæ jam dixerat *disp.* 43. *a num.* 39. Quomodò ea stet cùm præceptis supra admissis constabit *sect.* 3. Interim eam excellentiam, quæ respectu Christi est omnium, quæ possunt excogitari, maximā, & simùl positam assertionem

17 Suadeo mihi Primò ex Scripturis. Ducant agmen illæ, ubi Christus dicitur, accepisse *omnia in manibus: Patrem omnia dedisse in manus: datam esse Christo omnem potestatem in cœlo, & in terra: omnia esse tradita Christo à Patre suo: quoniam sic fuit placitum*, ut aliter habet *Matthæus* 11. 26. Ex quibus sic argumentor primò: si non esset Christo data potestas eligendi, quod vellet, ita ut esset materia majoris beneplaciti Divini, quæ cumque electio à Christo facta, certè non omnis potestas, & penès omnia data esset Christo: quod repugnat his Scripturis. Secundò: quia ubi particulæ sine ulla exceptione comprehendunt omnia signa Divini amoris, & divinæ quasi condescendentiæ, non est cur in scripturis coarctetur, cùm sermo est de Patre ad Filium. Tertiò: quia si hæc optio negaretur, quænam est illa omnis, & penes omnia potestas, & traditio omnium facta Christo? quippe necesse est, circa multa, & ferè omnia, ut ex ipsis scripturis fit, habuisse Christum expressam voluntatem Patris: unde, nisi recurratur ad istum discursum, vel esset Christus in onere recedendi à beneplacito Patris, (quòd onus Amico, & Filio, talique amico, & filio foret incomportabile,) vel ea potestas utendi esset maximè diminuta.

Matth. 11.

18 Dicere verò esse moraliter illud incomportabile, atque adeò Christo moraliter intrinsecè necessarium sequi dictum Paternæ voluntatis, licèt non physicè (ut aliqui dicunt) est dare Christo potestatem omnem, & circa omnia, quæ vix potest dici potestas. Nam Potestas ad impossibile moraliter, non debet æstimari potestas. *Quod* respondet Godoy (ea loca loqui de divinitate Christo concessâ, vel de potestate judiciariâ,) certè non est ad rem, si cuncta loca conferantur, & expendantur, ut debent. Quare ut ipsa suam vim habeant, negari Christo nequit assertæ facultas eligendi, quod vellet. *Godoy.*

Isaiæ 53.

19 Succedat ille locus Isaiæ 53. *& in manu ejus voluntas Domini dirigetur*, ubi de Christo Propheta loquitur, & asserit: Voluntatem Dei, dirigendam in manu Christi, quasi diceret: omnia, ad quæ Christus extenderet manū arbitrii, ita necessariò fore conformia Voluntati Dei, ut necessarium est fore opera illius, qui habet in sua manu Voluntatem Dei, nempe securitatem, ut, quidquid ipse velit, velit & Deus. Confero deinde hunc locum cum suprà citatis, & arguo sic: *Christo Domino data est omnis potestas, & data sunt omnia in manus*, ut ipse loquitur, quod apud Prophetam est, *datam in manu directionem*, & Regulam, quæ est voluntas Dei: ergo sicut ex illis necesse est colligi datam esse Christo libertatem operandi, prout vellet, circa omnia: sic ex hoc necesse est colligi datam esse Christo libertatem volendi circa omnia pro libito juxta beneplacitum Dei. *Ex Ioann. & Isaia.*

20 Nec absonat his D. Anselmus legendus attentè *lib. 2 cur Deus homo cap* 19. imò Anselmus id asserit manifestò, & totam nostram doctrinam de modo præcepti. *lib. de med.* *Anselmus clarè.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

med. Red. cap. 4 legatur etiam ibi cap. 3. Nec obstat illa conditionalis, quâ Propheta ulus est in verbis immediatè præeuntibus, nempe: *Si posuerit pro peccato animam suam*, quasi ibi voluerit significare voluntatem Dei non efficaram, nec habitâ dependenter a Christi voluntate. Non, inquam, obest: nam illa conditionalis vera omninò esse potest, licèt voluntatem Deus habuerit cum respectu, & dependentia à Scientia media, quâ Christus prævisus est idem velle, ut patet.

21 Suadeo mihi secundò ex rationibus, & congruentiis non infirmis. *Primam* sumo ex necessitate, quam Christus habebat operandi semper, quæ placita erant Patri: & formo sic: Christ. Dominus in eo erat apice dignitatis, ut quicquid eligeret, deberet esse ita Deo placens, ut magis esse non posset: ergo non est credibile, quòd ipsi non sit data optio eligendi, quod mallet, & quòd Deus non sit omnino paratus æquè velle, quæcumque. Christus velit. Consequentia ostenditur: nam supposito, de cujus dignitate est, ita operari, ut quomodocumque operetur, æquè placeat Deo, frustra limitatur libertas: limitatio enim libertatis venit ex eo quod operans possit magis, aut minus placere dirigenti in operando.

Deinde ex terminis videtur repugnare, quòd Christus in ea sit necessitate placendi Deo, ut per omnes operationes æquè placeat, & quòd Deus non sit paratus æquè velle, quod Christus eligat: est enim paratus non æquè velle, quod necesse est ut æquè placeat, atque adeò quod æquè velit. Antecedens autem probatur, quia quodvis extremum electionis a Christo factæ non tam pensandum est ex honestate virtuosâ, quam ex dignitate operantis, vi cujus omnes, & singulæ operationes Christi sunt æquè dignæ divina complacentia, cùm sint omnino pares in ratione obsequii, ut fusè probavimus *disp. 3.*

22 *Secundam* sumo ex dignitate Christi Domini, & formo sic: Dignitas Christi Domini talis, & tanta est, ut nulla possit in Natura creata considerari major, atque adeò est Donum omnium, quæ possunt excogitari, maximum, & signum amoris, quo majorem Deus erga creaturâ exercere non potest: ergo tali dignitati est omninò connaturalis optio eligendi quod malit, cum securitate quòd ea singula, quæ malit eligere, æquè sint de Divino beneplacito. *Suprà disp. 2. & 3.*

23 Antecedens est evidens: & probo consequentiam. Quippe non repugnat, quòd superior respectu subditi sic se gerere velit, quando est certus de perfectione subditi, ut approbare velit, quicquid subditus elegerit: neque repugnat quòd Deus creaturæ det quasi pro consilio quod ipsa malit, paratus æquè approbare, quod ipsa eligat, & illud ratum habere juxta regulam sui beneplaciti, quod ipsa in obsequium Dei voluerit. In his enim non video repugnantiam.

24 Adde inter maximè Amicos, & alios qui conjunctissimi sunt, id esse valde consonum: si ergo non repugnat summa Dei cognatio in Creatura, ut data est humanitati, cui similis hæc de qua loquimur, prærogativa repugnet? Nunc sic: eo ipso, quòd non repugnet, ex necessitate maximi doni, & maximi amoris, est istam prærogativam secum afferre: alioquin aliquid majus dari Christo potuisset, & cogitari posset excellentior, & major amor, contra dictum ipsius Christi: *Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est.*

25 *Tertiam* sumo ex eadem Christi Dignitate, & formo sic: Majus est dari Humanitati Christi Divinitatem, eamque constituere in eo apice dignitatis, ut dicere potuerit, & appellare eam Nazianzenus, Omotheon, id est, simul-deum, quàm ipsi dari prærogativam, qua de loquimur: ergo non est cur si Deus concesserit id quod est maximum recusemus dicere negatum id quod est minus: cùm alioqui id quod est minus videatur decens proprietas ejus quod est Maximum, & datum esse timor. Ratio consequentis est: quia amor in aliquem collativus doni, quod est maximum, rectè colligit dari, quod minus est. Antecedens autem patet ex ipsis terminis: nam Divinitas est res omnium, quæ cogitari possunt, maxima. *Nazianz.*

26 *Quartam* sumo ex dominio, & potestate Christo concessa: & formo sic: id genus Dominii, & potestatis datum est Christo a Deo ut sit Divino dominio, & potestati simillimum, ut constat *ex disp. 5. n. 28.* & ex ipsis Scripturis, ubi fatetur Christus accepisse se in manus omnia, & omne genus potestatis a Patre: ergo negari Christo nequit ista libera facultas eligendi quod vellet, cum securitate de Divino beneplacito in eo quod vellet, eo ipso præcisè quod vellet. Probatur consequentia. Nam potestatis Divinæ summa excellentia est, eligere perfectius, me quod eligit: ergo ut Christi potestas sit Divinæ simillima, ut decet eum, qui est in summo gradu naturalis cognationis cum ipso Deo, debet habere prærogativam eligendi perfectissimè in linea sui, quod eligit, id est eligendi quod eo ipso quòd eligat sit quantùm potest esse placitum Deo, & magis conforme Divino beneplacito. *Suprà disp. 5. n. 28.*

27 *Quintam* sumo ex regulâ discurrendi circa Christi prærogativas, & insimul ex difficultate aliter explicandi concordiam libertatis Christi cum summâ, quæ ipsum decet, morali perfectione, & ex nullitate rationum, quæ in oppositum adducuntur. Nam id genus privilegii, quod Christi Dignitatem maximè decet, & alioqui viderur necessarium pro tuendis cum decore, & dignitate aliis excellentiis, quas negare Christo non possumus, nisi appareat evidenti ratione, aut argumento multum difficili absurdum, & repugnans, negari Christo non debet: cui nempè omnia tradita sunt à Patre suo: atqui hoc genus Privilegii, quod loquimur, illas conditiones habet, & caret his malis: ergo Christo neque debet negari, neque potest.

28 Objicies primò: hanc doctrinam esse novam, neque posse componi cum præceptis Christo impositis. Deinde resist. Scripturis, ubi Christus (*Ioannis 6. 38.*) dicitur *descendisse de Cœlo, non ut faceret voluntatem suam, sed Patris*, & frequenter orasse: quid oraret ille cujus esset tam ampla potestas, qualem ipsi describimus? Respondeo, & fateor, eam doctrinam difficulter componi posse cum præceptis obligantibus in conscientiâ: ideò dixi *disp. 5. num. 17.* Patrem Bernal sine laude consequentiæ ex istâ doctrinâ relapsurum in nostras, per quas Christo negamus hujusmodi præcepta. Cum admissis aperiam Doctrinæ concordiam *sect. seqq.* *Ioann. 6.* *Suprà disp. 5. nu. 17.* *Mox à nu. 35.*

29 De Novitate non curo, si Doctrina est vera: ea certè conformis est Scripturis, & Sanctis Patribus qui negant Christo præceptum obligans in conscientiâ: & hi multi sunt. Deinde locus ille Scripturæ optimè cõveniet cum Doctrinâ nostrâ: quippè Christus Dominus ita eligebat, quæcumque volebat exigere, ex optione eligendi quod vellet, ut faceret, & vellet eligere in omnibus, quod volebat Pater, æternâ prædefinitione commensus omnia, & singula opera, quæ Christus prævisus est velle se conformans cum Patris beneplacito, licèt sciret beneplacitum ipsi intimatum non esse tale, ut Deus non sibi æquè placeret in opposito, si Christus oppositum vellet eligere. Demum sicut amplissimæ potestati Christo concessæ non contradicit, quòd Christus oraret, ita neque hujusmodi potestati Ratio est: quia Christus, vel orabat, ut nos doceret exemplo suo; vel orabat, quia volebat per hoc medium assequi à Patre quod intendebat assequi.

30 Objicies secundò ex Petro Godoy: Præceptum, & consilium ex conceptu suo respicit, & determinat aliquod eligibile in particulari: quis enim nisi inept. simè diceretur aut ferre præceptum, aut dare consilium, dicendo, petenti, aut subdito, quòd faceret, quicquid vellet: ergo vel dicendũ est Christum non esse capacem præcepti neque consilii: vel negandũ est, præceptum, aut consilium in Christo non fuisse de aliquo particulari, sed de eo quod ipse mallet eligere. *Ill. Godoy.*

31 Confirmatur pr mò: quia implicat præceptum, à quo ex terminis, & ex modo præcipiendi repugnet recedere: ergo & implicat consilium, cui ex terminis, & ex modo consiliandi repugnet non conformari. Confirmatur secundo: quæ Deo sunt gratiora, de necesse cadunt sub consilio: sed necesse est quòd actus charitatis sit gratior Deo, quã obedientiæ: ergo necesse est quòd actus charitatis cadat sub consilio. Id quòd etiam respectu Christi verum esse debet: ergo nequit dici, quòd datũ Christo sit pro consilio eligere quod mallet.

32 Respondeo ad argumentum, omisso antecedente (nam & consilium, & præceptum sub disjunctione fieri, cur repugnet?) nego consequentiam: sicut enim hæc optio non tollit quominus Deus particulariter prædefiniat actiones Christi, ita neque tollit quòd ex actu prædefiniente derivet significationem sui beneplaciti, & volitionis circa rem aliquam specialiter habitæ dependenter ab ipso consensu Christi, qui operabatur sciens Patrem id velle, paratum tamen non velle, si Christus aliter electurus foret, nec casu quo Christus aliter electurus foret, id ipsum, & eodem modo voliturus, aut significaturus. Hæc nobis videntur difficilia, quia metimur res cum nostrâ improvidentiâ, & ignorantiâ.

33 Ad primam confirmationem, nego utrumque paritatis extremum: nam præceptum tale esse potest, & similiter Consilium (loquor de præcepto non obligante in conscientiâ,) ut non fieret, nisi dependenter ab eo, quod subditus prævideatur consensurus, si ejus notitiâ, vel simili præveniretur. Et vis, si aliqua esse potest in objectione, tota summi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

spirut ex apprehensionibus nostris assuetis ad Præcepta, & ad Consilia, quibus vel ligamur, vel ordinamur ad finem.

34 Ad secundam confirmationem dico imprimis: quæ sunt perfectiora, eoipso esse gratiora Deo, quia cadunt sub consilio, significante quod Deo magis placet, quòd per ea hic & nunc operemur. Arguens confundit objecta & actus, quæ respectu nostri dicuntur ex se esse materia perfectionis moralis, ex objecto perfectiori, ex quo nos venamur majus Dei beneplacitum, cum materia perfectionis moralis. Ideò illi actus sunt respectu nostri materia perfectionis moralis, & gratiora Deo in nobis, & per ipsa nos Deo gratiores, quia Deus vult, ut ea prælig amus; & ad hoc adhortatur nos: materia autem perfectionis moralis est res ut substans majori beneplacito Dei: unde fieri potest, ut res, quæ à nobis esse dicitur Deo gratior ex objecto, sit minus grata Deo, atque adeò moralis imperfectio nostra, si in oppositum significet Deus suam voluntatem, ut potest.

SECTIO III.

CONCORDIA PRÆCEDENTIS DOCTRINÆ cum Præceptis Christi: & horum cum summa Christi libertate, & Perfectione Morali.

35 ET imprimis concordia Doctrinarum præcedentium cũ Præceptis Christi in eo ita est: Primò: quòd ista præcepta, licèt vere & propriè præcepta fuerint, (ut *Supra* confecimus) nullam in Christo obligationem operandi pepererint in conscientiâ. *Sup. disp. 5.* Secundò: quòd licèt determinata fuerint, & circa particulare agibile, & eligibile intimata, utpote orta ex actu Divinæ voluntatis Prædefinientis, & præordinantis actiones singulas Christi in particulari, tamen ea non existebant nisi dependenter ab ipsâ operatione conditionatâ prævisa Christi, planè scientis se posse quomodolibet eligere, salva summa conformitate cum Divino majori beneplacito.

36 Nam, licèt ipsi significaretur hoc potiùs, quàm illud, non id fiebat a Deo, quasi imponente necessitatem sic operandi, ut sibi placeret, sed parato æquè approbare quicquid Christus elegisset, & in qualibet ejus operatione æquè placere, si Christus eligere voluisset: fiebat autem solùm a Deo, quasi significante suum beneplacitum in eo quòd Christus ita vellet, quia sciebat fore, ut ita vellet, gaudens offerre in materiam obedientiæ eas ipsas operationes, quas Christus previsus est liberè elegisse conformando se Patri dicenti, aut se gerenti quasi diceret. *Mea voluntas est, ut hæc facias, sed ut ita facias ut æquè approbarem, & sim approbare paratus, si oppositum velis eligere; sed quia video te nolle, ratifico meam voluntatem ad hoc particulare, quod eliges, ut penes hoc ipsum particulare exerceas obsequium obedientiæ ergà me.* Ex una parte Præcepta, qualium esse capacem Christum diximus: ex alia parte, summam libertatem, & optionem eligendi quòd mallet, securus de Divino Beneplacito Patris.

37 Deinde Concordia libertatis Christi, & præceptorum cum summa perfectione morali in eo sita est primò, quòd materia perfectionis moralis respectu voluntatis creatæ est materia magis conformis Divino beneplacito, utpote quod nobis est signum, seu applicatio Primæ Regulæ totius honestatis. Vode eatenus ea, quæ sunt ex objecto honestiora apud nos, & ea quæ intensius fiunt in linea virtutis, censentur nobis esse materia perfectionis moralis, quatenus eo ipso censentur esse magis conformia divino beneplacito.

38 Secundò: quòd eòipsò quòd Christo Domino data sit optio eligendi quod mallet cum pienâ securitate de Divino beneplacito circa ea, quæ quomodòlibet, eligere vellet, assignata est materia perfectionis moralis, omnis sphæra operationum sibi potsibilium: cùm enim per earum quamlibet sciret, se æquè Deo placiturum, & earum quamlibet, si ab ipso eligeretur, æquè à Deo approbandam, & æquè fore de Divino placito, ut Christum Dominum ex eâ optione data, quacum benè componi posse præcepta, seu mandata simplicia vidimus, necessariò debere, quiomodocumquè vellet operari, operari perfectissimè moraliter, & summè procul ab omni morali imperfectione. Ratio est evidens, quia ea optione datâ, quodcumque vellet, eòipsò quòd vellet, esse ita conforme Divino Beneplacito, ut nulla operatio, ex his, quas quomodocumque operando, omitteret, esse posset magis conformis beneplacito Divino. Ex quibus patet & summa Christi Domini in operando libertas etiam cum præcepto, cujus capax est ille, conjuncta, & summa necessitas operãdi sine ullâ imperfectione morali.

LIBER

LIBER QVINTVS
DE TOTO EX INCARNATIONE COALESCENTE,
NEMPE IESV CHRISTO: DE QVE EIVS PERFECTIONIBVS, MORIBVSQVE.

SVMVS tandem in Apice, & Scopo Tractationis Theologicæ nostræ, qui Christus est: Totum omnino mirabile ex Incarnatione coalescens, Homo-Deus. Perpensis enim, & hucusque discussis Incarnationis Substantiâ, Proprietatibus, Necessitate, Causis, & Effectibus: quid ultra restat, quàm ut ipsam contemplemur in Toto, reducendo tandem totius Theologicæ disputationis lineas in centrum suum: & Totius omninò mirabilis, id est, Christi, Perfectiones & Mores (siquidem datus à Patre nobis est in exemplum, ut sequamur vestigia ejus) Mentis oculis collustremus, & adumbrante exteriùs calamo, Imitationis manu transferamus interiùs in tabulas Animorum! Quòd si Christi Domini Sanctitatem, & Sanctitatis excellentiam, ejusque Scientiam: ad hæc, Potentiam, Orationem, & Meritum; denique ejus Officia erga nos exercita, jus Filiationis erga Deum, & dignitatem Adorationis, depinxerimus, manebit suis absoluta numeris, & Imago Christi Domini, quam conamur, & nostra de ipso Dissertatio, quam aggredimur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO I.

CHRISTI DOMINI SANCTITAS.

1 VB *Gratiæ* nomine solet communiter institui Controversia. Et quidem *Sanctitatis* vox est universalior; strictior, *Gratiæ* vox. Vtraque in Christo duplex, *Substantialis*, & *Accidentalis*: Increata, & Creata. Sensus distinctionis est pervius. Sed nota discrimen inter has voces, *Gratia*, & *Sanctitas*. Sanctitatis capax est Christus & *ut Deus*, & *ut homo*: Gratiæ capax est *ut homo*, non *ut Deus*. Neque enim Divinitati fit Gratia, sed Humanitati. Et Humanitati inter has Gratias, Increata, & Substantialis, (quæ est Persona Verbi Divini ei per Vnionem Hypostaticam communicata physicè, & substantialiter,) & Gratia est, & Gratia summa, & adeò summa, ut nulla major excogitari possit, & ipsa sit fons, & scaturigo reliquarum: imò jus ad omnia Dei dona, & quo posito nec ulla possit humanitati fieri nova Gratia simpliciter: nec infra Deum possit excogitari ens Humanitate majus, & altius in gradu honoris, & perfectionis; Nam per hujusmodi Vnionis Gratiam transivit Humanitas ad moralem quandam identitatem cum ipsâ Deitate: quæ singula anticipavimus, & fusè dedimus in summam Christi gloriam, & excellentiam Vnionis *lib.*1. *disp.*3. *sect* 1. & 2.

Suprà lib. 1. disp. 3. sect.1. & 2

2 Sed vides Gratiam in hoc sensu sumi pro Dono gratuito, & Beneficio; & hìc sumi debere pro Forma, seu Perfectione gratum faciente, seu Sanctificante, seu ut Sanctitas est: quâ voce Disputationem Inscripsi: & restat investigare, à quâ perfectione sanctificetur Christus *ut homo*, seu Christi anima? Nam potest esse *de triplici* difficultas: *de Perfectione Increata*: *de Creata Vnionis*: & de *Accidentali Gratiæ Habitualis*. Quanta sit necessitas, & quænam ratio petendi ab his quasi formis, vel àb earum qualibet, effectum formalem Sanctitatis? Quænam sit hujus Sanctificationis quantitas, & quanta excellentia? Quod denique sit hujusce Sanctitatis in Christo Virtutum, Donorumque supernaturalium Satellitium? Vtar methodo plurima paucis comprehensurâ, remisso strepitu citationum, & opinionum, quas quisque dabit.

SECTIO I.

A QVA PERFECTIONE SANCTIFICEtur Humanitas Christi?

§. I.

Prima Conclusio.

HVMANITAS CHRISTI DOMINI VERE, & formaliter Sanctificatur ab Increata Perfectione Personæ Divinæ.

3 SVb his terminis certa mihi est & communis: & ostenditur primò ex locis innumeris Scripturæ, Conciliorum, & Patrum videndis apud Suarez *disp.* 15. & 18. Vazquez *disp.* 41. Ragusam *disp.* 47. Aldretum *disp.* 45. & maximè Meratium *disp.* 23. *sect* 1. aliosque passim, in quibus Christi Domini Humanitas dicitur *Divinitate delibuta*, & *Vncta*, ac *Deificata*: quæ Vnctio, & deificatio necessariò tonat Sanctificationem: cùm vi illius maneat Humanitas objectum Deo placens, genere dilectionis plusquàm amicabilis, omninò peccato repugnans, & ditata omni genere donorum supernaturalium.

Suarez. Vazquez. aguja. *Aldretus. Meratius.*

4 Ostenditur secundò: Humanitas Christi Domini ratione perfectionis Increatæ Personæ Divinæ sibi intrinsecè unitæ, atque physicè suæ, manet impeccabilis, & cum jure ad omnia Dei dona: ergo manet sancta formaliter. Consequentia patet ex ipso cóceptu

Suprà lib.1 disp 3 sect. 2. an.130. veræ, & formalis Sanctitatis, *lib.* 1. *disp.* 3. *sect* 2. proposito: & ab invincibili exemplo aliarum formarum, quæ communiter censentur esse formalis Sanctitas. Antecedens quoad secundam partem probatû manet *loc. cit.* Quoad primam probabitur *infra*. Et urgetur nunc primò: quia Homo ex humanitate, & Personâ Divinâ unitâ, ratione perfectionis Increatæ Personæ Divinæ est Filius; atque adeò peccare non potest: nam Filius Dei eòipsò quòd sit Filius Dei, non potest

Infrà disp. 2. sect. 1. à nu. 4.

1. Ioann.3 peccare *ex Ioann. Epist.1. cap. 3. v. 9.* ergo Christus, eòipsò quòd Christus sit, peccare non potest, ratione perfectionis Increatæ. Atqui si peccaret Humanitas unita Personæ Divinæ, homo iste, nempe Christus, peccaret: ergo sicut Christus est impeccabilis, ita manet Humanitas impeccabilis, ratione perfectionis Increatæ sibi unitæ.

5 Vrgetur secundò: quia ex eodem

2. Ioann. Ioanne *loc. cit.* & insuper *Epist.* 2. qui peccat, eòipsò fit, & dici debet *Filius Diaboli*, & *esse in tenebris*; atqui Christus, lux vera, & Filius Dei naturalis, non potest esse Diaboli Filius, neque in tenebris esse: ergo neque peccare: ergo neque ratione intrinsecæ perfectionis, Humanitas. Tertiò: quia peccatum non est minùs contrariû Deo, quàm Vitæ, Mors: Lux, tenebris: Deus enim animæ est specialis Lux, & Vita: peccatum, tenebræ, & mors: ergo sicut coexistere eidem subjecto nequeunt, Lux, & tenebræ; Vita, & Mors; ita neque peccatum simul, & ipsa Divinitas. Quartò: quia imperceptibile est quòd Deus non faciat sibi placens, & gratum subjectum cui se communicat, quantùm physicè potest. Quintò: quia nullum esset peccatum, cujus, ratione suæ dignitatis talis homo non mereretur veniam, aut cujus pœna esset cum eâ dignitate compatibilis: ergo si peccare posset, puniri non posset, neque posset non amari: quod in terminis implicat.

6 Ostenditur tertiò: Christus etiam *ut homo* est Filius Dei, non quidem adoptivus,

Infrà disp. 5. sect. 2. & 3. sed proprius, & Naturalis, ut *infrà* dicetur; idque præcisim à Gratiâ habituali, & unicè ratione perfectionis increatæ: ergo etiam *ut homo* manet formaliter impeccabilis, & Sanctus præcisim à Gratiâ habituali, & unicè ratione perfectionis increatæ: ergo & Humanitas: cui ea perfectio manet physicè intrinseca, & intima. Ratio discursûs est: quia ratio Filiationis Divinæ nequit à Sanctitate præscindi. Confirmatur primò: jus ad Beatitudinem & hæreditatem Divinam stare non potest sine Divinâ Filiatione, & Sanctitate formali; atqui Humanitas ratione perfectionis increatæ, præcisim à Gratiâ habituali, habet proprium, & intrinsecum jus ad Beatitudinem, & Divinam hæreditatem: ergo. Confirmatur secundò: quia non est ratio cur humanitas ratione perfectionis increatæ habeat jus ad omnia Dei dona, & quòd non habeat jus ad Divinam benevolentiam, & amicitiam. Confirmatur tertiò: quia ratione perfectionis increatæ magis habet, & magis intimè participat Divinam Naturam Humanitas, quàm homo ratione Gratiæ Habitualis: cur ergo iste participandi modus sit Sanctitas: & non magis ille?

Suprà lib.1 disp. 3. à nu. 91. & à nu. 110.

7 Ostenditur quartò: quia ex dictis *lib.* 1. *disp.* 3. Humanitas ratione perfectionis increatæ manet intrinsecè incontemptibilis, & necessariò Deo placens in futurum, & in æternum: ergo & Sancta formaliter. Consequentia patet: quia implicat manere Humanitatem ratione intrinsecæ perfectionis incontemptibilem, quin eòipsò maneat procul ab omni occasione contemptûs, quæ est culpa, vel imperfectio, & cum jure positivo ad affectum oppositum contemptui, qui necessariò est affectus plusquam amicabilis. Demum semper est mihi ex terminis imperceptibile quòd Divina Perfectio per intimam sui communicationem perficiat animam, & non sanctificet: siquidem per moralem sui communicationem, & quasi in sui substituto perficere nequit animam, quin sanctificet, ut patet in Gratiâ Habituali. Adde quòd sicut Personæ Dignitas valorat actiones, & quasi sanctificat, & reddit infinitè placentes Deo, non est cur physicè communicata Humanitati, eam non faciat Deo placentem quantùm potest, atque adeò sanctificet.

8 Dices primò: effectus alicujus formæ præstari non potest ab aliâ formâ diversæ speciei, neque potente gerere vices formæ; atqui effectus sanctificandi est proprius Gratiæ habitualis, à quâ, specie, differt increata Perfectio, alioquin impotens gerere vicem accidentis, & formæ. Confirmatur: quia Sanctitas est vita animæ: vita autem est illa quæ petit esse intrinsecam illi cujus est vita; atqui Increata Perfectio non petit esse intrinsecam Animæ: ergo neque potest esse vita ipsius: ergo nec Sanctitas.

9 Respondeo ad argumentum primò: effectum formalem sanctitatis in genere non

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse proprium in quarto modo formæ accidentalis, & habitualis. Secundò: effectum, qui à perfectione increatâ tribuitur Humanitati in genere Sanctitatis, esse excellentiorem illo, qui tribuitur a Gratiâ habituali: quare non idem omninò formalis effectus ab utraque perfectione tribuitur. Quod additur de manere Formæ, *Tria* hîc noto. *Primum*: Divinam Perfectionem non posse dici formam, quantumvis suppleat, & excellentiùs præstet denominationem, quæ ab aliis formis venire solet. Rationem dedimus *lib.* 1. *Alterum*: dum dicimus Humanitatem sanctificari formaliter, nolle nos dicere sanctificari à perfectione increatâ, gerente vim formæ, aut informante (ut ab Schotistis accipi video, ideò, & in eo sensu negantibus nostram assertionem sine discrimine sensûs, & vocis;) sed sanctificari à perfectione increatâ, præstante perfectissimè denominationem veræ, & propriæ sanctitatis, ut contradistinguitur à causali, metaphoricâ, morali, & extrinsecâ. *Tertium*: ut ab aliquâ perfectione præstetur denominatio Sancti, & placentis Deo, non requiri informationem, ut neque requiritur ad denominationem subsistentis. Ad confirmationem dico, Gratiam non esse vitam animæ in genere physico, sed morali, quo pacto etiam Increata perfectio est vita Humanitatis, quatenus ratione illius debetur Humanitati Operatio æternæ Vitæ consistentis in Visione beatâ.

Lib. 1. disp. 1. à nu. 22.

Schotistæ.

10 Dices secundò: Christi Humanitas ab Increatâ perfectione sibi unitâ physicè, non minus ipsi communicanti vi unionis perfectionem Intellectionis, Volitionis, Omnipotentiæ, Immensitatis, & Aeternitatis, quàm Sanctitatis; nec denominari potest Intelligens, neque volens, neque Omnipotens, neque immensa, neque æterna: &, estò posset, de facto non denominatur: ergo nec Sancta.

11 Laborant pro disparitate plurimùm plurimi; sed in eo mihi singuli videntur deficere, quòd vel respondeant per quæstionem: vel licèt per discursus hinc, & inde deductos assequantur Attributa hęc non denominare, nec posse Humanitatem, eo modo, quo Deum; non tamen assequuntur, an saltem modo diverso per unumquodque in suâ linea posit denominari v.g. ab Immensitate, respondens contingenter mille spatiis; ab Omnipotentia, potens alia à se: ab æternitate, durans &c. quod sufficit ad argumenti difficultatem. Nam neque subsistentia, neque Sanctitas Divina denominant Humanitatem in genere Sancti, & subsistentis, eo modo, quo Deum. Video alios vacillare *cum M. Lumbier* in eo quòd cum hac limitatione possint hæc Attributa denominare Humanitatem.

M. Lumb. Infrà disp. 7. sect. 1. à nu. 13.

12 Solus Cardinalis de Lugo, cujus solutio multis displicet, rem discussit universaliter, factâ divisione inter denominationes virales, quales sunt intelligendi, & volendi; & non vitales, quales sunt immensi, æterni, potentis: & dixit, Eas vitales denominationes, præstari non posse Humanitati ab Increatâ perfectione, quia exigunt immanentiam consistentem, vel in identitate, vel in egressu intrinseco ab ipso, cui datur denominatio. Non vitales verò, quia Humanitas quoad denominationes hujusmodi nõ est incompleta substantialiter, sed accidentaliter: unde à perfectione substantiali perfici nequit in eo genere. Quòd si *instes*; neque Humanitatem esse substantialiter incompletam in genere Sanctitatis: *respondet* sufficere, quòd sit substantialiter incompleta quantùm sufficit, ut perficiatur substantialiter à Verbo: nam eo ipso unitur substantialiter Deo, quod est Sanctificari. Insurgit adversus hæc operosè P. Aldrete *disp. 47. sect. 47* Solutio tamen acuta est, & valde probabilis. Eà tamen ipse non egeo.

Card. de Lugo.

P. Aldret.

13 Rem quippe tetigi *lib. 1. disp. 1. sect. 3. & disp 5. sect. 2.* decidique non uno modo. Solidiorem, & universaliorem videtur *ibi.* Vtar alio, de quo videndus erit Aldrete *disp. cit. à sect. 4. adusque 8. per totas.* Summa sit: quia denominatio Sancti à Sanctitate increatâ, nihil involvit Creaturæ repugnans, aut indecorum Deo: secùs aliæ. Ratio est discurrendo per singulas: quia denominatio intelligentis, & volentis involvit immanentiam, quæ quoad nos consistit in physico egressu à potentia, inhibente connaturalem dependentiam intrinsecam ab ipsâ.

Suprà lib. 1 disp. 1 à num. 61. & disp. 5 sect. 2. §. 4.

P. Aldret.

14 Denominatio Immensi, & Æterni, quia sumitur à perfectione, quæ non potest dimidiare suum formalem effectum, si alioqui subjectum sit capax. Humanitas autem non est capax existendi immutabiliter, & indeffectibiliter in omni loco, vel tempore, sed neque in aliquo: & alio qui capax est existendi mutabiliter & contingenter in omni; atque adeò si Immensitas, & Æternitas denominare possent specialiter Humanitatem, neque denominarent suo speciali effectu formali (qui ex relatis est prior) & necessariò ubicaret & durantem facerent in omni loco, & spatio: quod, duo, inter alia, habebit incommoda. *Primum*: unionem, media quâ eæ perfectiones communicarentur, necessariò forè immensam & æternam essentialiter, quod creaturæ repugnat. *Alterum*: non manere, quasi de privativo jure Divinitatis, in quovis genere non solum intensivè, sed etiâ extensivè, ut oporter, specialem denominationem: nam esse Vbique & semper, quæ est in genere existendi maxima extensio, convenire posset creaturę.

15 Denominatio Omnipotentis, quia & dicit posse connaturaliter omnia facere, & sine subordinatione ad alterum: quod creaturę repugnat ex terminis. Denominatio potentis aliqua: Tùm quia forma indivisim communicata non dimidiat ex alieno arbitrio effectus suos. Tùm etiam quia Virtus, quæ ex suâ naturâ non agit, nisi ex imperio voluntatis, non denominat, nisi à quo potest imperari: Omnipotentia autem hujusmodi est: nec imperari nisi a Deo potest. Adde nullibi in Creaturis denominari subjectum à virtute unitâ potens, nisi quando juvare potest, ut patet in aere sustentante lucem, ut luceat.

16 At cur, *inquies*, istæ perfectiones, quandoquidem se ipsis nequeunt dare Humanitati effectus formales potentis, durantis, ubicatæ, quasi in actu secundo per se ipsas, non dabunt in actu primo, id est, exigendo, ut habeant per formas proportionatas: sicut & Perfectio increata non solùm sanctificat in actu secundo, sed etiam in actu primo respectivè ad formas creatas sanctitatis, quas exigit?

17 Respondeo primò, simul & aliter rogans, cur si hæ perfectiones non sunt aptæ dare suos effectus formales Creaturæ, exigant alias formas, per quas similes effectus habeat Creatura? Non enim video rationem dubitandi: ut neque est in eo qui rogaret: cur si intellectio mea unita Paulo non potest ipsum denominare, saltem non exigit, ut detur illi alia, per quam denominetur intelligens? Respondeo secundò: rationem esse, quia illæ perfectiones non uniuntur ratione sui specialis numeris; atque adeò non est cur ex earum unione debeant argui ipsarum formalis effectus neque in genere, neque in specie. Et pro insinuatâ paritate disparitas est: quia Sanctitas increata nequit denominare, quin eòipsò Humanitas maneat caput omnis Gratiæ, & cum jure ad omnia Dei supernaturalia dona, quæ est Vnio Hypostatica.

§. II.

HVMANITAS CHRISTI DOMINI, etiam præcisim ab ullo dono sanctitatis accidentalis, sanctificatur formaliter ab increatâ Perfectione. — *Secunda Conclusio.*

18 OStenditur primò: quia Sanctificatio consistit in quadam excellenti Deificatione Naturæ Rationalis; at nulla potest excogitari major, & excellentior Deificatio, quàm quæ fit per communicationem Hypostaticam Personæ Divinæ, præcisim ab ullo dono sanctitatis accidentalis: ergo. Secundò: quia Hominem esse natum ex Spiritu Sancto, & esse Sanctum, idem omninò sunt. Atqui Christus ratione perfectionis increatæ, præcisim ab ullo dono accidentali est homo natus ex Deo: ergo & Sanctus. Tertiò: quia Humanitas pro priori ad omne genus Doni habitualis, & accidentalis manet ratione perfectionis Increatæ Deificata, & Vncta, non operatione, sed naturâ; non accidenti, sed totius *Vngentis*, id est, *Divinitatis* præsentiâ, ut loquitur Nazianzenus, & habens plenitudinem Divinitatis corporaliter inhabitantis, ut Paulus loquitur: ergo sancta formaliter.

Nazianzenus.

19 Dices: Sanctitas non utcumque est puritas ab omni labe peccati, sed etiam perfecta puritas, nempè morum rectitudo contraria obliquitati vitiorum, & peccati; atque adeò Perfectio, quâ homo, qui per eam sanctus redditur, maneat perfectus in moribus, scilicet humilis, fortis, castus, prudens, &c. Atqui increata perfectio, licèt sit puritas ab omni labe peccati, non est hujusmodi perfecta puritas: quippè non est Humanitati humilitas, castitas, Prudentia, &c. ergo nec sanctitas.

20 Imprimis de conceptu sanctitatis in genere solùm est ea magnitudo perfectionis, ut vi ejus Anima maneat pura ab omni labe peccati; quod jam conceditur increatæ perfectioni respectu Humanitatis. Deinde licèt de conceptu sanctitatis sit etiam morum rectitudo, seu esse radicem omnis honestatis moralis, non requiritur ut ipsa forma, seu quasi forma sanctificans sit actu, & formaliter morum rectitudo, vel omnis honestas, sed exigitivè, jure, vel habitu, ita ut sit animæ, quam sanctificat, jus vel physicum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum, vel morale ad eam rectitudinem moralem, & ad virtutes ad omne genus honestatis requisitas, ut patet in Gratia habituali quæ quidem seipsa est forma Sanctificans, non tamen seipsa est formaliter, & actu Castitas, Charitas, Fortitudo, sed jure, & habitu, habendo se adinstar radicis vel physicæ, vel moralis Habituũ ad operationes honestas, & istarum: quo in sensu negari non potest Increatæ Perfectioni conceptus radicis, & rectitudinis morum.

21 Præterea dico, strictiùs convenire, respectu Humanitatis, Increatæ Perfectioni conceptum perfectę Puritatis, & Rectitudinis morum, quam respectu animæ nostræ, Gratiæ habituali. Ratio est: quia Persona Verbi physicè unita Humanitati facit ipsi intimam & intrinsecam Dei virtutem, quæ quoad influxum in operationes honestas prævalet omni satellitio supernaturalium habituum, quos offert habitualis Gratia, distinctos à seipsa. Quare eadem ipsa Increata perfectio, quæ Sanctificat Humanitatem, seipsa est non solùm radix, & causa habituum, quibus Anima dici solet habitualiter humilis, casta, & moribus perfecta, sed etiam virtus excellentiùs præcontinens vires habituum, eisque non indigens, ut Humanitas, ad eum modum quo de auxilio specialis extrinsecæ assistentiæ discurrere solemus in Scholà nostrà, sit potens ad omne genus honestatis.

22 An verò Increata perfectio eòipsò debeat dici Humanitatis Humilitas, Castitas Prudentia, & omne genus virtutis moralis, lis erit de voce. Certè, licèt Gratia sit Sanctitas, eas denominationes actu non subit, neque formaliter, sed in radice, in jure, & in habitu. Tamen, ut quod sentio dicam, noto, has virtutes sumi posse dupliciter: primò pro habitibus: & hæc significatio est stricta, & communis; & juxta eam certum est, Increatam perfectionem non esse Humanitatis morales virtutes.

23 Secundò: pro sufficienti, & perfecto principio operationis honestæ: & in hac significatione, quæ latior est, non tamen impropria, Gratia habitualis non est formaliter omnis virtus moralis animæ justæ: & in eà, fateor Perfectionem Increatam Sanctificantem Humanitatem dici posse omnem virtutem moralem ipsius: Quare præstantiùs, & excellentiùs, quàm Animæ hominis justi sit rectitudo morum, Habitualis Gratia; est humanitati omnigena rectitudo moralis, Perfectio increata Sanctificans, non quasi sit omnis actualis operatio virtutis, neque omnis actualis habitualis, sed quia est omnis virtus, ut ita loquar, superhabitualis, nempe perfectius elevans, & disponens Humanitatem Christi ad omne genus virtutis heroicæ, quàm ulli habitus supernaturales infusi.

§. III.

Tertia Conclusio:

HVMANITAS CHRISTI DOMINI etiam formaliter physicè Sanctificatur à Deitate, præcisim à Personalitate verbi. Si tamen Deitas immediatione terminationis, non unitur Humanitati, eam neque physicè Sanctificat, neque moraliter.

24 TRes partes habet Assertio. Primã absoluram: duas alias in hypothesi mihi falsà, & impossibili ex 1. *lib. disp. 4. sect. 1.* Prima est communis. Secunda defenditur à Vazquez, Araujo, Vvadingo, & Arriaga. Tertia demum à Lorca, & Hurtado Salmanticensi.

Lib 1. disp. 4. sect. 1. à nu. 18.
Vazquez.
Araujo.
Vvading.
Arriaga.
Lorca.
Hurtad.

25 Primam ostendo primò ex illis locis apud Concilia, & Patres passim obviis, ubi Humanitas dicitur *uncta*, & *delibuta* ipsà Divinitate: unde Paulus dixit *inhabitare plenitudinem Divinitatis in Christo corporaliter*. Secundò: quia Humanitas dicitur, & est *Deificata*: deificari autem formaliter fit à Divinitate: Atqui Deificatio est formalis Sanctificatio: ergo & formaliter Sanctificatur à Divinitate. Tertiò & efficaciùs: quia ipsa Divinitas immediatè & physicè, immediatione terminationis, unitur Humanitati Christi non minùs, quàm ipsa Personalitas Verbi: ergo non minùs perficit, & Sanctificat. Consequentiam negaret nemo, si de antecedente constaret: ejus tamen veritas ostensa est, & firmata multis *loc. cit.*

Vbi suprà.

26 Confirmatur: quia imperceptibile est, quòd Humanitas habeat Divinitatem sibi intimam & intrinsecam, & quòd vi ejus non sit in jure & titulo ad amorem Dei plusquàm amicabilem, ut ex ipsis terminis patet: ergo imperceptibile est quòd Humanitas non maneat Sanctificata formaliter ab ipsà Divinitate, etiam factà præcisione inter ipsam & Verbi Personalitatem. Ex quibus infertur Humanitatem Christi Domini etiã Sanctificari formaliter physicè ab Spiratione Activà, cùm æquè intrinseca sit, & uniatur Humanitati, ac Divinitas: nec minùs possit Sanctificare, quàm Personalitas, quà de affirmabimus *concluſ. seq.*

27 Secundã partem, nempe Humanitatem non Sanctificari physicè à Deitate, nisi uniatur, *immediatione terminationis*, ostendo primò: quia ex dictis *lib.1. disp.4* Deitas, nisi immediatè saltem immediatione terminationis uniatur ad Humanitatem, vi unionis eam neque physicè perficit, neque physicè tangit, & ad summum purè denominativè se habet ad illam, & purè extrinsecè: at effectus formalis Sancti dicit intimam perfectionem, & pulcritudinem ab unione physicã promanantem. Secundò & efficacius, si beneficio virtualis distinctionis Natura Divina non terminat immediatè unionem cum Humanitate, non magis est unita per eam Vnionem Humanitati, quam per productionem Filiationis producta; neque aliter se habet ad denominationem physicè uniti, quàm ad denominationem producti; atqui simpliciter neque producta est per productionem Filiationis, neque simpliciter & physicè subit denominationem productę: ergo neque simpliciter est unita, seque habet, quasi non esset idem cum Personalitate quoad denominationem unitæ: ergo vi unionis non est physicè in Humanitate, nec ipsam physicè perficit, seque habet quasi non esset idem cum Personalitate respectivè ad unionem: ergo physicè non Sanctificat Humanitatem. Consequentia est mihi bona: nam perfectio, quæ physicè non est intima, nec habetur à subjecto, nequit ipsum perficere physicè: effectus autem physicè Sanctificati, est effectus physicè perfecti.

Lib.1. disp. 4. à nu.33.

Loc. cit.

Lat è in 1. 2. Tract. de Supern.

28 Tertiam partem, nempè humanitatem neque moraliter sanctificari à Deitate, si beneficio virtualis distinctionis, non uniatur ipsi, saltem immediatione terminationis, ostendo sic primò: quia respectivè ad Vnionem in eà hypothesi non aliter se habet Natura Divina, ac si realiter distingueretur à Personalitate Verbi; atqui si realiter distingueretur à Personalitate Verbi, ne moraliter quidem sanctificaret Humanitatem: sicut neque sanctificaret Gratia Personæ justæ, cujus per subsistentiam per impossibile compleretur: ergo, &c.

29 Secundò: ab absurdo communiter objici solito, quod ita specialiter propono: sicut Vnio hypostatica in eà hypothesi ita respicit unice Filiationem, aut Personalitatem Verbi, ut eà manente, deficientibus per impossibile Personalitatibus Patris, & Spiritûs Sancti, maneret, neque ex præciso defectu termini deficeret; ita Personalitatem Verbi unicè respicit, ut eà manente, & deficiente per impossibile Naturã, non deficeret ex defectu termini, sed maneret. Deinde sicut necesse est, quòd unita Humanitati Personalitate Verbi, sit identicè, & moraliter in ipsà Humanitate Divinitas, non intrinsecè virtualiter physicè, & ratione Vnionis, sed ratione identitatis cum Personalitate; ita est necesse quòd unitã Humanitati Personalitate Verbi sit *circuminsessivè, & moraliter* in eà Humanitate tota Trinitas, non quidem physicè ratione Vnionis, sed ratione uniratis, & circuminsessionis: ergo si nihilominùs Natura Divina sanctificat moraliter Humanitatem, etiam moraliter sanctificabit tota Trinitas. Nec certè video quid desit moralitati, respectu totius Trinitatis, si semel admittis has morales, & extrinsecas sanctificationes, quas quisque pro libito format.

30 Neque dicas primò: cur sanctificare debeat Gratia habitualis, quæ solùm est moralis mediata unio cum Divinitate, si mediata unio physica cum ipsà Divinitate non sanctificat? Dico enim rationem esse, quia Gratia est sanctitas, & subjecto capaci communicatur eo modo quo sufficit ad præstandum effectum. Neque dicas secundò: Divinitatem Deificare Humanitatem, & dici incarnatam. Dico enim hæc dici in hypothesi verâ immediatæ Vnionis inter Humanitatem, & Deitatem.

31 Neque dicas tertiò, Divinitatem esse intrinsecam Humanitati: nec mediare quidquam inter ipsam & Humanitatem præter unionem, atque adeò immediatè uniri. Dico enim: imprimis eo modo, quo, non obstante identitate inter Naturam, & Personalitatem, salvant adversarii uniri hanc, & non illam, ita salvari posse & debere illam non esse intrinsecam Humanitati, & hanc esse: quia hîc uniri, & esse intrinsecum est perinde. Deinde, licèt nihil physicè distinctum mediet inter Humanitatem, & Divinitatem, mediare aliquid virtualiter distinctum, quod ad impediendum effectum uniti, & intrinseci, perinde est, ut dictum est alibi.

Suprà lib. 1. disp. 4.

32 Neque dicas quartò (id in quo vim maximam facit Arriaga) nempè actiones Christi moraliter dignificari, reddique objectum Deo placens, à Personã Verbi solùm mediatè communicatã: cur ergo saltem

P. Arriag.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem moraliter non sanctificabitur Humanitas, redderturque objectum Deo gratum à Naturâ Divinâ solùm mediatè communicatâ? Imprimis enim præsto erit instantia ex probatione secundâ nostrâ. Deinde disparitas est, quia actiones dignificari moraliter, solùm est indistingui quoad æstimationem ab æstimatione Personæ: ad quod sufficit quòd Persona eas respiciat, ut propriè suas: at sanctificari moraliter non est utcumque terminari ad id quod est sanctitas, sed terminari ad illud, ut sui perfectivum, & pulcritudinem moraliter suam ex vi unionis, & respectûs ad ipsam: cùm ergo actiones Christi verè sint Personæ infinitæ se impendentis in ipsas, & respicientis ut suas: Humanitas verò vi unionis in hypothesi facti non respiciat Divinitatem, ut Perfectionem suam: nihil mirum, quòd hæc non possit ab illâ sanctificari moraliter, proprio genere sanctitatis, de quo loquimur; & actiones à dignitate infinitæ Personæ infinitè dignificentur.

Lib.4.disp. 2.à nu.63.

§. IV.

Quarta Conclusio. *HVMANITAS CHRISTI DOMINI etiam sanctificatur formaliter physicè à Personalitate Verbi, præcisim à Naturâ Divinâ.*

33 Est communis Nostrorum contra Vazquez, & Thomistas. Et ostenditur primò à fundamento contrario: quia Personalitas Verbi secundùm se, & contradistinctâ virtualiter à Naturâ Divinâ est Perfectio, & Sanctitas: quo de principio videndus est specialiter Pater Aldrete *disp. 46. sect. 2. 3. & 10.* & dicetur *alibi* contra Thomistas: ergo communicatâ physicè Humanitati, eam physicè, & formaliter perficit, atque sanctificat. Ostenditur secundò: quia Humanitas, præcisè concepta cum unione intrinsecâ ad Personalitatem Verbi, manet incompossibilis cum omni peccato, & cum jure ad omnia Dei dona: ergo & sanctificata formaliter. Antecedens patet: quia Divina Personalitas seipsa est repugnantia cum omni objecto displicenti Deo, & ratio omninò sufficiens, ut ratione ipsius Deus plusquàm amicabiliter amet, & det dona, quæ potest, omnia. Consequentia probatur: quia Perfectio, quæ *ratione suæ magnitudinis* est puritas ab omni labe peccati, & habilitas, atque jus ad Dei consortium, & amorem, imò ad omnia Dei dona est Sanctitas formalis, ut patet ex communi definitione Sanctitatis, quæ sumitur ex Dionysio. Dixi *ratione suæ magnitudinis*: quia fateor, non sufficere ad Sanctitatem quodcumque genus incompossibilitatis cum peccato, sed eam, quæ ex magnitudine perfectionis nascitur, ita, ut nulla sit perfectio tantæ, vel majoris magnitudinis, quæ cum peccato non pugnet.

Vazquez. cum Thomistis.

P. Aldret. & Nos in Tract. de Trinit.

Dionys.

34 Ostenditur tertiò: quia Personalitas Verbi ratione sui, & ut contradistincta Virtualiter à Deitate, est specialis ratio cur ex Humanitate, & ex ipsâ resultet Filius Dei Naturalis: item est jus intrinsecum Humanitati ad hæreditatem Filiorum Dei, & excellentia intrinseca, quâ redditur adorabilis supremo cultu latriæ: ergo est etiam formalis Sanctitas respectu ipsius Humanitatis. Consequentia probatur. Tùm quia ex minori participatione horum munerum colligitur in Gratia habituali munus Sanctificandi formaliter. Tum etiam quia Imperceptibile est quod Humanitas eoipso non maneat plus amabilis Deo, quam reddi possit amabilis ab ullo dono purè creato: atque adeò amabilis amore amicitiæ.

35 Dices primò: Relationes Divinæ, ut contradistinctæ virtualiter ab essentia Divinâ, & ratione sui expliciti nec sunt Perfectio, nec Sanctitas. Imprimis assumitur falsum. Deinde licèt respectivè ad Naturam Divinam non essent Perfectio, nec Sanctitas, utrumque munus exercere possent respectu Humanitatis, cui Verbi personalitas est ratio puritatis ab omni peccato, & jus ad omne genus boni honesti, & divinæ hæreditatis.

Latè in tract. de Trinit.

36 Dices secundò: ad rationem Sanctitatis, non sufficit quòd aliqua perfectio sit puritas à peccato, & radix omnis honestatis, sed quòd sit prima radix: quod Personalitati non convenit, cùm supponat Naturam Divinam, quæ Humanitati debet esse radix prima totius honestatis. Dico ad rationem Sanctitatis non requiri, quòd perfectio sit prima radix morum & felicitatis, sed quòd sit puritas perfecta, & perfecta mundities ab omni labe peccati: nempe perfectio ratione suæ magnitudinis mundans animam, & ei tribuens rectitudinem morum. Dico deinde Verbi Personalitatem jam esse Humanitati primam radicem moralem videndi Deum, & omnis honesti, quia æquè primò communicatur Humanitati, ac Divinitas, immediatione terminationis, in quâ neutra

supponitur ad alterutram, & utraque æquè primò perficit Naturam humanam, cui æquè primò unitur: licèt immediatione rationis prius uniatur Personalitas, quam Divinitas, ut dictum est *lib.1. disp.4 sect.1.*

Lib.1. disp. 4 sect. 1.

§. V.

Quinta Conclusio. *HVMANITAS CHRISTI ETIAM PHYsicè formaliter, & ut quod Sanctificatur ab Vnione Hypostatica.*

37 Ostenditur: quia Vnio hypostatica formaliter, & *ut quod* est Sanctitas: ergo formaliter, & *ut quod* sanctificat Humanitatem. Consequentia patet ex terminis. Tum quia nullibi posset exercere munus formalis sanctitatis, nisi eam formaliter sanctificaret. Antecedentis, de cujus veritate pendet assertio, dedimus Authores, & rationes *lib.1. disp.3.*

Lib.1. disp. 3. à nu.171

38 Et hic miror, usque adeò exiliter de Vnione hypostatica existimare Theologos, qui passim aliis dignitatibus purè extrinsecis, qualis est Maternitas Dei, & amor divinus terminatus ad hominem, ex purâ decentia terminorum tribuunt munus sanctificandi, & obfirmatè negant Hypostaticæ Vnioni, quasi major esset dignitas, dignitas Matris, aut terminantis affectum Divinum, quam dignitas intrinseca, & perfectiva hypostaticè uniti, quæ eoipso impræscindibiliter est dignitas summè cognati Deo, non moraliter & imitativè ut contingit in Gratia habituali, sed physicè, & realiter. Sed de his latè dictum *loc. cit.*

Ibidem à nu.52.

P. Dominicus Navasquès.

39 Video tamen Ingeniosum Commagistrum qui enixè se nobis opponit quoad hoc punctum, nixus in eo, quòd *Nullus* in Vnione Hypostaticâ luceat *Titulus* ad sanctificandum, *ut quod*. Assumptum hoc probare contendit, objiciens sibi latissimè & solvens Rationes pro Nostra Conclusione, inter quas non invenio, quæ me moverunt *loc. cit.* unde non est cur hîc immorati nos faciat Impugnatio alioquin bene docta, cùm adhuc extra ejus impetum nos simus. Nec esset difficile, communes rationes ab Instantiis & solutionibus ingeniosi Calami reddere immunes.

40 Duo tamen dissimulare non possum. Primum est, quod hinc, & inde spargit, comparando Gratiam, & Vnionem. Imprimis censet, Vnionem habere in se aliquam entitativam Perfectionem, & censet optimè. Tùm ex dictis *lib.1. disp.3. sect.1. à nu. 52.* Tùm quia est ens subitantiale, & quidem jus, quo dato, cætera debentur. Censet secundò, Vnionem, secundùm se acceptam, & præcisim à Termino Divino, (si sic sumi potest, inquit) esse in perfectione minorem, quam est Gratia Habitualis. Hoc non dicitur bene.

Lib.1. disp. 3. à nu.52.

41 Imprimis non video cur de possibilitate præcisionis hujusmodi dubitet: cum præcisio non debeat mente fieri, sed æstimatione; neque cognitione, sed pondere entitativo. Deinde, si Gratia est Vnionis Proprietas, ut patet *disp.3. à num. 9.* quomodo præponderet Vnioni? Tertiò: si Vnio est jus, quo dato cætera dona sunt debita, & nihil respectivè magnum, ut inibi ostensum est: qui locus manet comparationi? Quartò: Vel Vnio ratione sui, & *ut quod* est Perfectio, vel non? Si secundum: non datur locus comparationi: & manet oppositum latè probatum contra Perez *lib.1. disp. 3. à nu. 52.* Si ergo primum: quænam erit hujus Perfectionis in quantitate taxa? Quintò: si factâ præcisione, manet Humanitas digna majori cultu, ratione Vnionis, quam ratione Gratiæ, ut constabit cum Suarez *disp.ultim. sect.2. à nu.44.* quomodo Vnioni præponderat Gratia? Et constat *ex lib. 4.* quantus valor operibus Christi venire possit ab Vnione, præcisim sumptâ.

Ibidem à nu.52.

Infrà disp. 6. ultim. sect. 2. à nu.44.

42 Magis autem displicent motiva sic sentiendi. Ait enim primo: Vnionem esse de genere eorum entium, quæ non sunt bona ratione sui. De hoc motivo vide me latè *lib. 1. disp.4. sect.1. §.3. à nu.53.* contra Patrem Antonium Perez. Quare nego, quod assumit, & supponit. Ait secundò, casu impossibili, quo daretur Hypostatica Vnio sine Verbo, quid prodesset Humanitati? Respondeo: in casu impossibili, nihil: quia esset nihil, & chymera. Sed dato possibili, quod est impossibile, prodesset Humanitati, quantùm prodest jus ad omnia Dei dona, qualis est ea Vnio.

Suprà lib. 4. disp 8. à nu.94.

Lib.1. disp. 4. à nu.53. Ant. Per.

43 Ait tertiò: Ponamus quòd Vnio Hypostatica uniatur alteri Naturæ puti Hominis per Vnionem superadditam. Quid in hoc casu? Nonne plus valeret Gratia, tali homini, quàm Vnio? ergo plus in se valet. Et utitur hoc dilemmate præfidentissimè. Vel in hoc casu Hypostatica Vnio per superaddi tam adjuncta Naturæ alteri, eam sanctificat, vel non? Si secundum: ergo non est Sanctitas *ut quod*. Neque valet dicere, Vnionem so-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tolùm esse sanctitatem respectu Naturæ, quam unit: nam contra est id enim est fateri, esse, tolùm Sanctitatem *ut quo*. Secundò, si ea Vnio sic unita modificaret, & substantificaret Naturam, quidni sanctificaret si sanctitas esset *ut quod*? Si ergo primum: imprimis non apparet ullus titulus. Deinde quantùm sanctificaret, & ad quanta dona dignificaret? Satius est ergo dicere, non esse Sanctitatem, *ut quod*.

44 Respondeo: & permitto casum unionis ex multiplici capite repugnantis, scilicet ex manifesta otiositate, accidentalitate, & impertinentia: quæ tria, circa rem adeò excellentem qualis est Vnio ad suppositum Divinum, faciunt impossibilem illum nexum ad aliud. In casu permisso, nego quòd plus illi homini valeret Gratia, quam Vnio: valeret enim Vnio pro jure ad Gratiam, & ad alia, quantumvis unio respectivè non esset sanctitas. Ita de Maternitate Dei sentio, licèt non sit forma Sanctificans. Est enim excellens Reliquia, Hypostatica Vnio. Deinde licèt, respectivè, plus homini valeret Gratia, quàm Vnio quoad effectus intrinsecos; non benè infertur, exinde, Gratiam plus valere. Quod patet exemplo jam appositio Maternitatis.

45 Dilemma est quod urget minùs. Imprimis quis unquam, dato quòd actus Charitatis sit forma sanctificans, inferre negativam ausit eò quòd actus ille unitus reflexè alteri non viventi per illum, non sanctificaret? Idemque sit de Visione, de Maternitate, deque quovis alio ente, dante denominationem suo subjecto, ex essentiali respectu ad ipsum. Admittenda est ergo secunda pars dilemmatis, ex quâ non infertur defectus Sanctitatis, *ut quod*, sed specialitas sanctitatis *ut quod* exigentis sic, vel aliter communicari ad denominationem. Quod additur de denominatione substantificandi, & modificandi, additur sine examine. Quomodo modificaret, si respectivè non esset modus? Quomodò substantificaret, si totum resultans necessariò foret totum peraccidens?

46 Quid si admitterem primam partem dilemmatis, fatererque sanctificandam ab Vnione sic superadditâ animam? De Titulo non est cur ita cures: Titulus est excellentia, quam secum affert: & minùs est curandum de taxa donorum, & sanctificationis: scit enim benè Deus, in quo gradu maneret iste sanctificandi modus, ut scit in quo gradu sit Sanctificatio à Maternitate proveniens apud vos.

47 Altetum, quod dissimulare non possum, est, quod addit de Adoratione Humanitatis ratione Vnionis. Ait primò, sibi esse valde difficilem præcisionem. Ego quidem nullam invenio difficultatem, ut constabit *lib. hoc* 5. *disp.* 8 *sect.* 2. *à nn.* 44. Et ratio est quia hæc præcisio non fit mente, sed æstimatione, neque fit cognitione, sed motivo. Ait secundò, adorandam Humanitatem ratione Vnionis, eo modo quo dicimus adorari Lignum Crucis, ratione contactûs. Hoc non bene dicitur. Nam in ligno, contactus, non est lignum, at contactus in Vnione est Vnio. Vnde sic argumentor. Contactus extrinsecus ad rem Vnitam Divinitati, facit rem dignam adoratione propriâ Divinitatis: ergo contactus immediatus ad ipsam Divinitatem est ratione sui adorabilis magis: ergo si, ratione sui, contactus est, ratione sui habet specialissimam excellentiam essendi. Sed Vnio, ratione sui, contactus est: ergo. Sed diu jam immoror inter ista.

Infrà disp. 8. sect. 44. à nu 44.
Infrà disp. 8. à nu 37. præsertim num. 39.

§. VI.

HVMANITAS CHRISTI DOMINI etiam Sanctificatur à Gratia Habituali formaliter.

Sexta Conclusio.

48 Circa hujusmodi Conclusionem, ut ejus veritas magis pateat, ostendenda sunt quinque. *Primum*: Existentia Gratiæ habitualis in Christo. *Alterum*, ejus existentiæ ratio. *Tertium*, ejus munus in Christi anima. *Quartum*, ejus certitudo. *Quintum*, ejus causæ, species, tempus infusionis, & modus se habêdi ad Vnionem hypostaticam: quod *infrà*, subjectis quibusdam difficultatibus, dilucidè peragetur. Et imprimis

Infrà à nu. 59.

49 Circa *Primum*, & *Secundum*, existentia Gratiæ habitualis in Christo negari non potest ab eo qui velit esse in albo Theologorum, & in via SS. PP. Et ejus ratio à multis Thomistis, & communiter ab Schotistis sumitur, quia Gratiam habitualem in Christo necessariam putant, ut Humanitas Christi sit Sancta; & Christus possit condignè mereri Gratiam & gloriam. Sed malè & insufficienter. Tùm quia excellentiùs habet Humanitas effectum formalem Sanctitatis aliundè. Tùm quia valor meritorum Christi nobiliorem agnoscit originem. Quæ singula pa-

Schotistæ.

Suprà lib. 4. disp. 2. & 3. Bernal. Esparza.

parent ex *latè* discussis. Sumitur alia ratio à Bernal, & Esparza ex indistinctione Gratiæ habitualis ab habitu Charitatis, quem Christo negare non licet. Sed etiam insufficiè ter, Tùm quia ea suppositio non est communis: Tùm quia est maximè dubia: nec debet certitudo sententiæ fundari in principiis alioquin incertis. His ergo omissis

50 Prima ratio sit. Quia cui datur esse, datur in ipso jus ad ea omnia, quæ à tali esse connaturaliter consequuntur: id autem connaturaliter consequitur ad cujusdam formæ, seu quasi formæ, quod ab ipso est connaturaliter promanabile in subjectum, quod illa perficit, tanquam operatio, & proprietas de ordine talis formæ, quæque decet ipsum subjectum eòipsò, quòd gaudeat tali forma, vel quasi forma. Quo principio nihil notius esse potest tam in ordine superno, quàm naturali. Atqui Gratia habitualis est connaturaliter promanabilis à Deitate Vnitâ, *tanquam splendor ad solem*, ut loquitur Sanctus Thomas, & tanquam operatio, & proprietas ipsius: quæ enim alia proprietas potest assignari Deitati unitæ, ut ponderatum est *lib.*1. *disp.*3. *sect.* 1. ergo connaturaliter sequitur in Humanitate Deitatem unitam: vel ergo Vnita Deitas non est in statu connaturali, (quod quis asserat?) vel datur in Christo Gratia habitualis.

S. Thomas.

Suprà lib. 1. disp. 3. sect. 1.

51 Secunda ratio sit: Quia Habitus supernaturales infusi naturaliter radicantur & fluunt à Gratia habituali, quam respiciunt ut naturam substitutam; & immediatam ad ipsos: habetque se Gratia ad illos aliquomodo, ut sententia satis communis fert Accidentia respicere primum, nempe quantitatem, mediâ quâ subjectantur, & subordinantur, & insunt materiæ: ergo licèt totus ordo donorum supernaturalium vel physicè vel moraliter fluat à dono Vnionis tanquam à Capite, tamen fluere postulat ordinato modo, præcedente Gratiâ, quam Vnio pro radice substituit, & mediâ quâ causat, & sibi subordinat: ergo vel habitus supernaturales infusi non sunt in Christo connaturaliter, quod nemo dicet, vel est Gratia habitualis in Christo Domino.

Gratia cur Adoptio in Nobis?

52 Tertia ratio sit: si enim Gratia habitualis asseratur proprietas Christi Domini, ipsi soli connaturalis, rectè intelligitur participatio Divinæ Naturæ, cognatioque nostri cum Deo, mediante Christo, constituenda. Ratio est: quia sicut lux hæc corporea constituit quandam cognitionem inter cælestia, & sublunaria corpora, & inter solem, tanquam fontem lucis: quia eadem qualitas reperitur in omnibus, à sole derivata, & habita quasi precariò: nec enim est alia qualitas in quâ communicent præter lucem: ita dicere possumus & oportet Gratiam habitualem esse radium quendam, & splendorem Deitatis unitæ, constituentem Christum in fontem omnis lucis, à quo derivatur in justos, reddítos exinde cohæredes Christi, hæredes Dei, & Deo cognatos, quia participes *& consortes Divinæ Naturæ*, ut *Petrus* loquitur, non quidem in substantia Divinitatis, sed in qualitate propria Divinitatis.

53 Quarta ratio sit: quia si Gratia habitualis non constituatur Christo connaturalis & quasi debita tanquam hæreditas maximè propria Filii naturalis, non potest rectè explicari, quâ ratione per gratiam adoptemur à Deo in Filios. Ratio est: quia omnis adoptio in Filium hoc dat, ut extraneus assumatur loco Filii ad bona Paterna, quæ jure hæreditario debebantur Filio naturali: ergo necesse est fateri, ideo homines justos esse Filios adoptivos Dei, quia vocantur ad dona propria Christi, qui est Filius naturalis: ergo quia datur ipsis jus ad bona Paterna, quod est unicè proprium Christi. Atqui hoc jus est Gratia habitualis: ergo quia datur ipsis Gratia, quæ est unicè propria Christi. Confirmatur: quia Filius adoptivus non est solùm similis naturali in ipsâ possessione hæreditatis, sed etiam in jure, & communicatione cum Deo: atqui hoc jus & communicatio consistit in Gratia habituali: ergo Gratia habitualis est Christo, justisque communis.

Major explicatio.

54 Quinta, & ultima ratio sit similitudo Christi & Justorum passim in Scripturis celebrata per innumera exempla: quorum *Octodecim* studiosè colligit, & ingeniosissimè explicat Pater Antonius Perez *de Perfect. Christi part.*1. *disp.*3. *cap.*1. *à nu.*9. Illa præcipua sunt: *Solis, & stellarum*: quæ similitudo fundatur in communicatione ejusdem qualitatis, nempe lucis: *Vnitatis Filii cum Patre Divino*: quæ fundatur in communicatione ejusdem Naturæ. *Participationis ejusdem Spiritûs, & Gratiæ*, tanquam membra cum capite, quarum similitudinum vis & energia salvari non potest, nisi eadem lux Gratiæ, & Natura Divina participata, & idem vigor spiritualis animarum sit communis Justis & Christo, illis ut regeneratis à Christo; & Christo, ut communicante se

Antonius Perez.

Universidad de Deusto
Biblioteca

justis per emanationem Gratiæ sibi connaturalis. Vnde merito dixit Apostolus per Gratiam Christum formari in nobis, & in nobis vivere, quippe est vita spiritualis solius Christi connaturalis; ex quo dicis etiam Gratiam ex se reddere nos Christianos, id est Christo similes, & de ordine ipsius.

Vvading. 55 Circa tertium de munere Gratiæ habitualis in Christo censuit specialiter P. Vvadingus *disp 5. dub. 3.* Gratiam habitualem esse in Christo, ut ornamentum animæ, non verò cum munere sanctificandi. Movetur: quia per sanctitatem increatam sanctificatur Humanitas, quantum creatura potest sanctificari: ergo non manet in humanitate capacitas, ut ultra, vel per aliam formam sanctificetur. Confirmat: quia Gratia eatenus sanctificat, quatenus dat jus ad gloriam, & hanc facit debitam; atqui Christo non potest dare jus ad gloriam, quia Gloria jam est ipsi debita, quantum deberi potest: si autem obligatio ex uno titulo est infinita, non potest titulus superveniens parere obligationem, ut patet in eo qui votum Deo emit, cujus obligatio non crescit, facta quacumque additione promissionum: quippe exhausta jam est potentia moralis subjecti.

56 Hæc ratio insufficiens est: quia licèt Humanitas per sanctitatem increatam sanctificetur quantùm potest intensivè, non verò extensivè: extensivè ergo sanctificari potest, sicut & ornari, licèt per increatam perfectionem ornata sit quantùm potest. Adde, si hæc ratio valeret, probandum ex eâ, neque Christum intelligere per scientiâ experimentalem, aut infusam, cùm per beatam jam satis sciat: neque Deum habere scientiam de creaturis in seipsis, aut de se in creaturis, cùm aliunde comprehensionem omnium habeat. Et ratio est, quia formæ subordinatæ non se impediunt quoad formales effectus. Ad confirmationem omisso quod assumitur, nego per gratiam non fieri novo titulo debitam Christo Gloriam, saltem extensivè. Illud autem de voto non venit ad rem: quia materia non est capax nisi unius obligationis, quando obligationes sunt rationis ejusdem. Quare

57 Censeo Gratiam habitualem in Christo inter alia, exercuisse duo munera. *Primum*, Radicis connaturalis, & immediatè habitum infusorum, ut nempe esset in Christo connaturale principium ordinis supernaturalis, cujus Vnio hypostatica est caput. *Alterum*, sanctificandi: Tum ut & in hoc genere Sanctificaretur Humanitas, quod asserunt Bernardus *hom. 4. super missus est.* Tum etiam ut eodè genere Sanctificaremur Christus & nos; nosque essemus similes Christo in genere sanctitatis, ut innuunt, & tantum non convincunt Scripturæ relatæ. Tum demum quia imperceptibile est formam unitâ subjecto alioquin capaci, ipsum non denominare specialiter juxta genus suum.

Bernard.

Num. 54.

58 Circa quartum. Negant jam communiter Moderni post Vazquez, existentiam Gratiæ habitualis in Christo esse de Fide: contenti dicere, non posse sine temeritate negari. Ratio prioris: quia ad id requiritur expressa Scriptura, vel definitio Pontificis, vel certa traditio Ecclesiæ ab omnibus recepta: quorum singula desunt in præsenti. Ratio posterioris est inconcussa communis Authoritas Theologorum. Affirmant esse de Fide Suarez, & Ragusa inter alios, quibus fere subscribo cum Antonio Perez, quo cum affero duo. *Primum*: esse de Fide, Christo & nobis esse commune aliquod donum supernaturale. Id enim evincunt probationes nostræ, maximè quinta. *Alterum*: negare Gratiam habitualem Christo, esse errorem in Fide, & proximum hæresi: quia aliter intelligi nequit veritas de Fide, nempe Infantem Baptizatum v. gr. induere Christum, & formari Christum in ipso, participando cum Christo in eodem spiritu, & Gratia, ut loquuntur Scripturæ latè videndæ apud citatum Perez *loco etiam citato.*

Vazquez.

Suarez. Ragusa. Ant. Per.

§. VII.

CONCERNENTIA AD GRATIAM HABITUALEM Christi Domini.

59 CIrca quintum & ultimum: Prima difficultas: à quo tempore infusa fuerit Humanitati Gratia habitualis, & quomodo sine suo effectu primario, qui est reddere Filium Adoptivum? Respondeo ad primam partem difficultatis, infusam ab ipso instanti Conceptionis. Nec aliter fieri potuisse. Ratio prioris: ex tunc enim erat debita jure Vnionis, & Deitatis unitæ. Quod si Christus dicitur profecisse in Gratia coram Deo & hominibus, intelligendum est de profectu indiciativè, non formaliter: quatenus ætate crescente dabat majora indicia Sapientiæ, & Gratiæ sibi jamdiu infusæ, utique se conformans tenuitati Naturæ nostræ, quam gerebat.

Ra-

Vide infrà disp. 3. sect. 2. à num. 49.

60 Ratio posterioris: quia major vis est in dono unionis ad inclinandum Deum, ut Gratiam conferat, quàm in igne, ut calorem: quo certè major est titulus inclinandi; sed tanta vis est in igne, ut ab ipso suæ creationis instanti connaturaliter comitari debeat calor: ergo major erit in dono unionis, atque adeò, ut neque divinitùs. Tùm quia non apparet titulus ex quo prudenter asseri possit in Deo potestas removendi Gratiam à Christo Domino. Tùm demum quia, ex *sæpè* insinuatis, ipsius doni hypostatici collatio est obligatio passiva Dei dandi Christo dona supernaturalia, quæ illum deceant, neque negandi, nisi interveniente Christi beneplacito in obsequium ipsius Dei; atqui Christo repugnat tale beneplacitum, utpote imprudens, ut certè foret nolle Gratiam, ex cujus defectu nullus fructus sperari posset: ergo.

Passim lib. 4. disp. 3. & 4.

61 Respondeo jam ad alteram partem difficultatis, & assero, primarium effectum Gratiæ habitualis in fonte suo, & in statu suæ connaturalitatis, qui est unita Deitas, non esse adoptare in Filium: quia adoptio requirit extraneitatem: esse tamen in nobis, & ideò esse, quia in suo primario connaturali statu non adoptat, sed est proprietas Filii naturalis Dei.

62 Secunda difficultas: quenam in Christo sit causa physica Gratiæ habitualis? Nam de morali, deque motivâ non est dubium ex *lib. 1.* eam esse Deitatem unitam, & hypostaticam Vnionem. Dicere posset aliquis cum Abrâ de Raconis, Gratiam habitualem specialiter fluere ab ipsâ Verbi Personalitate. Sed hoc non posse dici vidimus contra ipsum *lib. 1. sect. 3.* Diceret aliquis cum Granado (putante, Christi humanitatem elevari, ut in aliis humanitatibus produceret Gratiam habitualem, imò referente Authores, qui putent eam ipsam Humanitatem jam, antequam existeret, elevatam, ut omnia tam de ordine naturali, quàm supernaturali produceret ab initio mundi) productam obedientialiter Gratiam ab Humanitate Christi in se ipsâ. Sed hæc doctrina deficit in fundamento, valdeque extendit sphæram potentiæ obedientialis: nec est ad rem: quia Gratia non est proprietas Humanitatis, sed Deitatis unitæ. *Infrà* latiùs de discursu, cùm *de Potentiâ Christi.*

Sup. lib. 1. & ibidem disp. 3. sect. 7.

Racon.

Granadi singularis opinatio.

Infr. disp. 7.

63 Dicunt alii cum ipso Granado, & Vincentio; Gratiam in Christo fluere ab ipsâ hypostaticâ Vnione; Nam si Sanctus Thomas ait, quòd Gratia sequitur ad Vnionem, ut *splendor ad Solem, & calor ad formam ignis.* Hæc habet *3. part. quæst. 7. art. 13.* & hùc ego inclino, & assero Deitatem unitam efficere Gratiam in Christo, ut proprietatem maximè propriam, vel mediâ omnipotentiâ (quod est communius) vel mediâ ipsâ Vnione hypostaticâ. Nec obstat quòd Modi non soleant esse activi: Tùm quia non ita id solet, ut multi non sint. Tùm quia Modus iste est supra naturam modorum omnium; & quidem entitatis, & perfectionis longè majoris, quàm sit ulla Gratia, ut constat ex supra dictis *lib. 1.* Adde sic posse dari rationem congruam pro determinatione Gratiæ, si alioquin infinita non sit. Nec quæ *disp. 49.* objicit Pater Aldrete *sect. 3.* momenti sunt contra nos post stabilita principia *lib. 1.*

Vincent. Granad. S. Thom.

Suprà lib. 1. disp. 4. sect. 1.

64 Tertia difficultas: an Gratia habitualis Christi fuerit ejusdem speciei cum nostrâ? Respondeo affirmativè. Ratio mihi est ex eisdem argumentis, quibus ejus existentia approbata in Christo est. Accedit communis calculus Theologorum, & Patrum præsertim Cyrilli *tom. 5. Concil. Ephes. cap. 1. ad primum Anathematismum*: Augustini *lib. 15. de Trinitate cap. 26.* Athanasii *serm. 2 contra Arianos*; Macarii senioris Aegiptii *hom. 44* Vide loca apud Aldretum *disp. 51. sect. 10. num 7.* Ex quâ sententiâ communi infert necessitatem resolutionis Pater Antonius Perez asserendo nullam aliam esse possibilem speciem Gratiæ, quæ perfectior sit, eâ quâ de facto justificamur: cui illationi præluxere Joannes Vincentius *Select. de Gratiâ Christi quæst. 1.* Zumel *1. 2. art. 1. disp.* Curiel *1. 2. quæst. 112. dub. 2. §. 2 fin.* Pater Torres *opusc. 3. disp. 1. &*, quod caput est, Doctor Eximius *tract. de Gratia cap. 3. num 10.* ex hac ratione potissimùm: quia ordo Gratiæ, in quo sumus per Christum, constitui perfectus debet, conferendo justis primam, & quasi radicalem istius ordinis. Tùm quia in his qualitatibus supernis, quarum una ab alia fit, aut fieri potest, non est infinitè procedendum, sed standum in aliquâ primâ: Quod, si ita est, non est cur ista, ultra quam procedi non possit in speciebus perfectiores, non sit ea ipsa Gratia Christo, & Justis, ab ipso communis. Ita etiam planè sentio.

Cyrillus. Augustin. Athanas. Macar. Sen. Aldretus. Ant. Per. Vincent. Zumel. Curiel. Turrianus. P. Suarez.

65 Ratio est satis perspicua. Sic enim argumentor: Gratia Christi, & justorum est ejusdem speciei, ut oportet ad fundandam, &

Gratia Christi, nulla est possibilis specie perfectior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& explicandam similitudinem inter Christum, & justos, quam utique adeo celebrant Scripturæ. Vel ergo ultra Gratiam Christo, & justis communem, sunt aliæ Gratiæ possibiles perfectiores secundum speciem? vel non? Si secundum: intentum assequimur. Si primum: ulteriùs rogo vel istæ possibiles sunt finitæ numero, vel infinitæ? & neutrum dici potest. Non primum. Quo enim fundamento sistitur in octavâ v. g. tanquam in ultimâ? Adeò improbabiliter negari ultimam Christo: imò & nobis, quibus, teste Apostolo, *donavit in Christo Deus omnia*: & ratio est: quia omnes, & singulæ sunt Christo debitæ, nec est cur nos limitare velimus amorem Dei erga Christum, *in quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*, teste eodem Apostolo: *& cui dedit majus his omnibus*, nempè Divinitatem. Non secundum: quia vel Christus habet eas omnes, vel nullam earum. Secundum dicetur improbabiliter, si potest habere: cùm singulæ sint debitæ, & æquè connaturales. Dicere autem, non posse eas habere simul, est etiam æquè improbabile, cùm sit fingere Naturam cum jure ad proprietates, quas non possit habere: quippè omnes illæ Gratiæ sunt, ut ajebam, æquè connaturales: neque cumulus superat dignitatem ipsius. Si autem dicatur primum: quænam erit similitudo inter Christum, & justos ratione gratiæ, cùm ratione gratiæ necessaria sit ferè immensa dissimilitudo: ergo fit de primo ad ultimum repugnare Gratiam, quæ secundum speciem sit perfectior, ea quam Christus habet, & quâ ipsi propter ipsum justificamur.

66 Neque juvat recursus pro adinveniendâ possibilitate specificæ diversitatis ad specialem alligationem Gratiæ cum Hypostatica Vnione, vel ad specialem incompossibilitatem cum venialibus. Tùm quia prima differentia est purè materialis in ratione gratiæ; Tùm quia est impossibilis: alioquin ex solâ formâ natâ ex se cum aptitudine ad adoptandum colligi posset in eodem subjecto jus ad unionem. Tùm insuper, quia secunda differentia mihi etiam est impossibilis ad conceptum gratiæ adoptantis, vel sufficientis adoptare, qua is esse debet omnis possibilis. Ratio est: quia adoptio ex terminis suis petit non cogere amicum nisi intra amicitiæ foros, & jura, & ad id, quod repugnat amicitiæ: identificare autem sibi dependentiam ab opere, cujus omissio vel positio venialis inter amicos est, est gravare amicum eo ipso jure amicitiæ, quo favor illi præstatur. Hæc autem ex terminis incontenientia sunt.

67 Dices: quid si Gratia identificaret sibi impeccabilitatem. Dico, eam Gratiam à me hucusque impugnatam: & addo impossibilitatè venire solùm posse vel ex cognitione necessitante ad amorem, vel ex perfectione Gratiæ necessitante Deum, ut non permittat, quòd inter amicos ex jure amicitiæ possibile est, vel ex præd. caro excludente libertatem subjecti, cui datur. Primum repugnat qualitati emortuæ, de quâ loquimur. Secundum, juri, & limitationi adoptionis. Tertium, gratis fingitur, cùm adoptio exigat posse obsequi adoptanti, & illi subesse quoad præcepta, & mandata, quibus necessario est annexa potentia defectuosa. De his tamen expeditiùs alibi: ubi curabimus rationem Doctrinæ à priori deducere. *Tom. in in 1. 2.*

68 Quarta difficultas: quo respectu se habeat ad Vnionem Hypostat. eam Gratia habitualis? Et ratio dubitandi est maxima. Nam si Gratia se habet ut proprietas ad Deitatem unitam: vel Deitas unita maneret violenta sine gratiâ, sicut ignis sine calore, vel gratia esset violenta sine Hypostaticâ Vnione, atque adeò in nobis; sicut calor sine igne: quæ singula sunt absurdissima.

69 Præclusi jam hæc *lib 1. disp. 3 sect. 1.* & respondeo Gratiam se habere adinstar proprietatis respectu Deitatis unitæ, quod fit ex tota Doctrinâ conclusionis. Nota verò Gratiam, licèt strictissimè imitetur proprietates alias in titulo consequentiæ ad Deitatem unitam, eas non imitari in connexione inseparabilitatis ab ipsâ. Ratio est: quia ex ipsâ consecutione ad Deitatem unitam habet pro munere, fundare connaturaliter adoptionem in aliis subjectis; unde connaturaliter in illis est, præstando effectum sibi proportionatum, & connaturalem, & implendo unum ex finibus ad quos est nata, licèt sejungatur à Verbo. Fateor tamen decentiùs esse in divino suppposito, quàm in extraneo. Hæc latiùs *ibi*, & latissimè Pater Quirós super hac difficultate videndus *disp. 19. de Visione Dei sect. 2. & 3.* ex quibus patet ad rationem dubitandi. *Lib. 1. disp. 3. sect. 1. à num. 9.* *P. Quirós.*

*** *** *** *** ***

SEC-

SECTIO II.

QVANTVM SANCTIFICETVR HVMANITAS à Sanctitate Increatâ.

70 QVadruplex hìc intervenit quæstio. *Prima*: an Humanitas Christi Domini usque adeò sanctificetur ab increatâ Sanctitate, ut ratione istius maneat æquè sancta, & amabilis ac Deus ipse. Quod negant Theologi communiter: & specialiter affirmant graves etiam Theologi secuti *Meratius. disp. 6. sect. 6.* Valentiam *disp. de Incarnatione q. 7. punct. 1.* & Vvadingum *disp. 5. dub. 2. num. 11. & disp. 10. dub. 4. num. 37.* *Secunda*: an nihilominùs dici possit Humanitas sine addito ratione sanctitatis increatæ simpliciter infinitè sancta. Quod tenerit Petrus Hurtado *disp. 47. sect. 4.* & Raymundus Lumbier *à num. 980.* *Tertia*: an saltem cum addito, & in genere sanctitatis communicatæ dici possit, & debeat ratione sanctitatis Increatæ Christi Humanitas simpliciter infinitè sancta? Et affirmans videtur communis opinio. *Quarta*: an Christi Humanitas plus per Divinitatem sanctificetur, quàm per Verbi personalitatem? Quod vix attingitur. Notetur ante omnia cum Lumberio, loqui nos hìc, de sanctificatione physicâ: nam de morali, quæ consistit in quadam condignificatione Humanitatis factâ à Divinitate unitâ, certum mihi est eam esse, dicique posse simpliciter infinitam: cùm ex præjactis toto ferè tractatu Doctrinis transeat Humanitas in quandam moralem identitatem cum ipsâ Divinitate. Iam pro resolutione quatuor quæstionum, & luce totius controversiæ, accipe totidem conclusiones, ordine tamen respondendi retrogrado.

Vvading. *Pet. Hurt.* *M. Lumb.* *Communis opinio.* *Specialis quæstio.* *Lib. 1 disp. 3. & lib 4. disp. 3. & 4.*

§. I.

Prima Conclusio. *ÆQVE SANCTIFICATVR HVMANITAS per Verbi Personalitatem, ac per ipsam Divinitatem.*

71 OStenditur primò: quia licèt Divinitas, & Personalitas forent inæquales in perfectione, ut condistinctæ virtualiter; tamen respectivè ad Humanitatem sunt omninò æquales quoad munus perficiendi, & sanctificandi: ergo æquè per utramque perficitur, & sanctificatur. Consequentia est evidens. Probatur antecedens: quia Humanitas quomodocumque sanctificetur, ùó potest sanctificari, & perfici, tantùm quantùm est Sanctus, & perfectus Deus juxta sententiam communiorem, nec tantùm quantùm est sancta, & perfecta Personalitas Verbi v. g. ergo Personalitas Verbi major est in ratione sanctitatis, quàm sit sanctificatio, cujus est capax Humanitas: ergo æquè per utramlibet perfectionem sanctificari, & perfici potest Humanitas, quantùm potest: ergo respectivè ad Humanitatem Divinitas, & Personalitas sunt æquales: quicquid sit de earundem inæqualitate in ordine ad se. Probo istam consequentiam. Quando duæ formæ, vel quasi formæ sic comparantur in ordine ad subjectum, ut unaquæque sufficiat ad effectum formalem, quantùm capax est subjectum, sunt omninò æquales quoad illud munus denominandi: ut patebit expendenti: ergo similiter in casu nostro.

72 Ostenditur secundò: quia ex dicendis; & firmandis *alibi* juxta veriora mihi principia, omnia prædicata Divina, ratione identitatis cum omni perfectione simpliciter simplici, à quâ præscindi non possunt, si concipiantur cum differentiâ prædicati Divini, & ut Divina, sunt æqualis omninò perfectionis; atque adeò etiam Relationes sunt tantæ perfectionis, quantæ Divinitas est. Ex quo principio multa facilè componentur in tractatu de Essentiâ, & Attributis, ubi firmabitur, & in tractatu de Trinitate, ubi ejus aperietur utilitas: ergo non potest Humanitas magis à Divinitate perfici, quàm a Personalitate Verbi, nec econtra. Consequentia patet: quia quando summa est inter formas, seu quasi formas æqualitas, non est unde vi earum colligi possit inæqualitas formalis effectûs. *Tom. in 1. p. tract. de Deo scibile.* *P. Muñiess de Attrib. disp 3 sect. 3. & 7.*

§. II.

Secunda Conclusio. *IN GENERE SANCTITATIS COMMVnicatæ, & Creaturæ perfectibilis, Humanitas Christi perficitur, & sanctificatur infinitè simpliciter ab increatâ Perfectione.*

73 OStenditur primò: quia Sanctificatio Humanitatis à Verbo est supra quam in lineâ creaturæ perfectibilis, & sanctificabilis major esse non possit, & quæ in se cõtinet omnem perfectionem suæ speciei: ita ut Humanitas maneat usque adeò per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfecta, & sancta, ut perfectior, & sanctior excogitari non possit intensivè, facti quacumque accessione donorum, & sanctitatis: ergo in linea creaturæ perfectibilis, & sanctitatis communicatæ perficitur, & sanctificatur Humanitas infinitè simpliciter. Consequentia patet: tùm ex definitione infiniti. Tùm quia alioquin, facta additione, simpliciter creseret sanctificationis effectus.

74 Antecedens autem probatur primò: quia Humanitate Deificata nihil creatum potest excogitari dignius, & excellentius. Secundò: quia si Humanitas se haberet melius cum aliis donis comitantibus unionem, quàm cum ipsâ unione præcisè, & donum unionis simul cum aliis donis esset simpliciter majus bonum Humanitati, quàm præcisè secundùm se: Humanitas secundùm se foret indignior complexo ex unione, & aliis donis, quàm Vnione secundùm se: quod non videtur posse dici. Tertiò: quia quantitas perfectionis, & sanctificationis in creatura æstimari debet ex quantitate conjunctionis cum Deo: hæc autem in Humanitate Deificata est summa.

75 Ostenditur secundò: quia si ob aliquam rationem conclusio à veritate deficeret maximè quia Deus sanctior est: at hic excessus non obstat veritati conclusionis: quod probo primò: quia licèt in eadem linea non possit esse unum infinitum simpliciter alio majus, non est cur repugnet in diversâ: at sanctitas per essentiam, in quâ sanctus est Deus, & sanctitas per communicationem, in qua sancta est Humanitas, sunt lineæ diversissimæ, licèt sub eodem genere sanctitatis. Secundò: quia actus morales Dei sunt majoris dignitatis, quàm actus Theandrici Christi Domini; nec id obstat, quomodus isti sint dignitatis simpliciter infinitæ in genere valoris, & meriti.

§. III.

Tertia Conclusio. *SI HVMANITAS CHRISTI RATIONE sanctitatis increatæ non manet æquè sancta, ac est Deus, nequit absolutè dici, sanctificari simpliciter infinitè.*

76 OStenditur. Quia Sanctificatio simpliciter infinita est quâ major excogitari non potest: eò enim ipsò quòd excogitari possit major, jam manet excessa, atque adeò cum defectu perfectionis, quâ ipsam intra propriùm genus major excedit: ergo intra suum proprium genus habet limitem perfectionis ulterioris, qui est ipse defectus, qui necessariò excludi potest per accessum perfectionis deficientis, quo ultra perfici, & meliorari posset intra proprium genus: ergo non est infinita simpliciter. Tota hujus principii veritas nititur in definitione simpliciter infiniti: de cujus ratione est ita *continere omnem perfectionem suæ lineæ, suique generis, ut majus excogitari non possit*: ideò Deum dicimus esse eius simpliciter infinitè perfectum: ideò negamus lineam infinitæ longitudinis non esse quantitatem simpliciter infinitam: quæ singula expendimus *lib.* 2. cùm *de infinitate peccati*: unde constat infinitum simpliciter esse in suo genere summum. Nunc sic: Atqui sanctificatio Humanitatis non est quâ major excogitari non possit, si non sit æquè sancta, ac est Deus, ut patet: ergo non est infinita simpliciter. *Lib.2.disp. 3. à nu.71.*

77 Opponunt Hurtadus, & Lumberius primò: falsò assumi, esse de conceptu simpliciter infiniti summitatem. Secundò: Quidquid se habet ad instar formæ, (licèt revera non sit) reddit subjectum tantum, quanta est ipsa, atque adeò tam sanctum, quanta in se est ipsa sancta: debet enim subjectum reddere bonum in eo gradu in quo ipsa est bona: quod patet exemplo vulgari Albedinis, & speciali Gratiæ: Albedo enim ut quatuor reddit subjectum album, ut quatuor: Gratia, ut octo, gratum ut octo: nempè quia forma communicat *ut quod*, quantam perfectionem habet, *ut quo*. Atqui sanctitas increata est infinita simpliciter: ergo non reddit Humanitatem simpliciter infinitè sanctam. *Hurtad. Lumber.*

78 Tertiò: tota Humanitatis capacitas obedientialis repletur per Verbum intrinsecè: atqui hæc est infinita simpliciter: ergo completur simpliciter infinitè: ergo neque ex parte formæ, neque ex parte modi, neque ex parte capacitatis potest denominatio sancti deficere ab infinitate simpliciter. Quartò: quia si Scientia Dei, vel Omnipotentia uniretur, quâta est, Humanitati, prout oportet ad dandam denominationem potentis, & scientis, redderent eam simpliciter infinitè scientem, & potentem: id quod de aliis etiam Attributis, dici posset: sed tota sanctitas quanta est Dei, unitur Humanitati, prout oportet ad dandam denominationem sanctæ, & amabilis: ergo reddit Humanitatem simpliciter infinitè sanctam, & amabilem. Sed hæc momenti non sunt: & ultra probant, quàm hi Authores vellent: Probant enim, quod ipsi benè negant, Humanitatem summè sanctificari, & æquè ac Deum, cùm sanctitas sit *ut quo* summa, & ipsissima Dei.

79 Respondeo igitur: & ad primum puto me evidenter ostendisse, esse, de ratione simpliciter infiniti, summitatem. Ad secundum, quo maximè fidit Hurtadus, & Magister Complutensis: distinguo majorem: quanta forma est in se, vel respectu alterius subjecti magis capacis, nego. Quanta est respectivè ad subjectum quod perficit, attenta hujus capacitate, concedo. Probandum est autem, sanctitatem increatam esse simpliciter infinitam quoad munus sanctificandi simpliciter infinitè Humanitatem, & hanc esse capacem talis effectûs. Doctrina verò solutionis omninò patet multis exemplis. *Primum* est: Vnio, licèt sanctitas, diversimodè denominat Animam, ac Corpus Christi, & tamen est eadem in utroque. *Secundum* est: Infinita perfectio in omni genere communicatur Humanitati, eamque perficit: cur ergo nõ perficit simpliciter infinitè in omni genere, facitque ens æquè perfectum, ac Deus est. *Tertium* est, ex suppositione mihi impossibili in quâ detur substantia intellectiva non volitiva, infundatur huic actus qui indivisibiliter sit intellectio, & volitio: non amabit, sed purè intelliget. Mitto alia.

In 1.2. Tract. de Actib.

M.Lumb.

80 Ad tertium, quo nititur Lumbier, & quod niti videtur vulgaritate vacuitatum, quarum impletio postulat tantum quanta est ipsa vacui capacitas, permissâ majori, (quæ falsa est: nam exinde non esset jam capacitas obedientialis ad alia dona) distinguo minorem: terminativè, concedo: entitativè, denominativè, & quoad usum, nego minorem. Ad quartum etiam Lumberii: nego consequentiam, imprimis: Ratio est: quia suppositio aptitudinis: ut sanctitas exerceat munus sanctificandi, non est suppositio Deitatis essentialis in Humanitate, atque adeò non est suppositio quæ non relinquat intra genus sancti aliquid majus Humanitate Deificatâ: at suppositio aptitudinis, ut intellectio, vel Omnipotentia denominent, est suppositio Divinitatis essentialis Humanitati: quippe soli Divinitati potest esse immanens Intellectio, & soli potest quòad imperiũ respõdere Omnipotẽtia: quæ requiruntur ex *supradictis* ut intellectio, & Omnipotentia dent suas denominationes: & hæc suppositio non relinquit ut sit aliud ens magis sciens, aut magis potens. Deinde cum multis nego majorem. Iuxta aliquos enim adhuc Humanitas non comprehenderet. Iuxta alios non esset sui productiva. Ratio solida est, quia magis scit, qui à se, & necessariò scit, & magis potest qui à se, & independenter ab alio potest omnia.

Suprà à num.13.

§. IV.

Quarta Conclusio. *HVMANITAS CHRISTI DOMINI RATIONE Sanctitatis infinitæ non redditur tam amabilis, placens, & Sancta, quam Deus est.*

81 EXaminemus aliorum fundamenta, ut solidè procedamus. Ratio Magistri Prudentii est: Eò Persona sanctior est, quò jus habet ad perfectiorem beatitudinem, & ad majora bona: quia cùm sanctitas sit jus ad Beatitudinem, necesse est quòd Beatitudo crescat, crescente sanctitate: unde discis, quo jure Theologi ex majori, vel minori Beatitudine rectè colligant statum sanctitatis in Personâ: Atqui Humanitas ratione sanctitatis increatæ non habet jus ad Beatitudinem æqualem Divinæ: nam Divina Beatitudo est infinita comprehensio Deitatis, & identitas secum ipsâ: quæ Humanitati repugnant: ergo nec redditur æquè sancta, & amabilis, ac est Deus. *M.Prudẽt*

82 Hæc ratio specjosa est, sed fallax. Primò: quia si gradus sanctitatis commensurari debet cum Beatitudine ad quam est jus, Sanctificatio Humanitatis facta per increatam sanctitatem non esset altioris ordinis, quàm nostra, facta per gratiam: cùm Beatitudo ejusdem omninò rationis sit; & tota Christi cadere posit in jura Gratiæ habitualis. Deinde neque Christi Humanitas esset plus sancta, quàm per Gratiam habitualem infinitam, fieri posset. Demùm neque esset infinitè sancta genere sanctitatis participatæ. Secundò: quia licèt eò sit perfectior Beatitudo, quò Persona est sanctior, quando ipsi est possibilis perfectior Beatitudo; non tamen quando ex speciali repugnantiâ est ipsi impossibilis perfectior Beatitudo, & non ex defectu sanctitatis: sic enim responderet Adversarius ad instantias nostras. Mensura ergo sanctitatis non tam sumenda est ex termino juris, quàm ex nobilitate ipsius juris, quod necessè est crescat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

creſcente ſanctitate : quòd ſi jus ad Beatitudinem ſibi poſsibilem, eſt in Humanitate tantum, & tam æſtimabile, quàm eſt in Deo jus ad Beatitudinem ſibi poſsibilem, contendent Humanitatem æquè manere Sanctam, ac Deus eſt.

83 Ratio communis eſt. Increata ſanctitas non communicatur infinitè ſimpliciter Humanitati, neque tantumdem, ac Deo: quod eſt evidens : Atqui denominatio, & effectus formalis ſancti, & amabilis non ſolùm ſumitur ex ſanctitate communicatâ; ſed ex modo communicationis : ergo licèt ſanctitas infinita ſimpliciter, quæ eſt in Deo, ſit eadem in Humanitate, denominatio tamen & effectus formalis erit prorſus inæqualis. Conſequentia eſt evidens, & minor probatur: quia forma eò magis ſubjectum perficit, quo magis eſt intima. Tùm & ſpecialiter quia ſanctitas eſt participatio Divinitatis: ergo quò ſtrictior ſit modus participandi, erit nobilior, & major ſanctitas. Videtur iſte diſcurſus ſatis ſolidus, eoque non ſemel uſus ego ipſe ſum in præcedentibus.

84 Contra tamen occurit unus aut alter ſcrupulus. Primò : quia ſic tollitur ſuppoſitio, quæ eſt communicati Humanitati, ſanctitatem ſimpliciter infinitam : ſi enim modus identicus facit ſanctitatem ſimpliciter infinitam : cùm iſte modus identicus habēdi non communicetur Humanitati, neque in Humanitate erit forma ſanctitatis ſimpliciter infinitæ. Quæſtio autem erat, an ſi forma ſit infinita ſanctitas, eoipſo infinitè ſimpliciter ſanctificaret? Secundò: quia defectus identitatis non tollit quominus perfectio non æquè denominet, ac per identitatem. Finge enim Gratiam ut duo identificari cum ſubſtantia animæ *A*, non reddit magis gratam quàm Gratia ut duo reddit animam *B* diſtinctam: finge Angelum identificari cum intellectione perfecta ut quatuor ; non magis intelliget, quàm alter per diſtinctam cognitionem perfectam, ut quatuor: & quidem *P. Eſparz.* in Sententiâ Patris Eſparzæ, qui hanc rationem ſpecialiter adhiber, Intellectio creata ſi poſſet Humanitatem reddere intelligentem, redderet comprehendentem : & juxta omnes, peccatum, ſubjectum facit æquè malum & odibile Deo, ac ipſum eſt. Neque eſt recurrere ad ſpecialitatem denominationis : quia licèt ſanctitas ſit participatio Dei, & què major participatio eſt, eſt major ſanctitas: in Chriſto non ſolùm eſt ſanctitas Humanitatis, participatio, quæ eſt unio, ſed ipſa Divinitas. Tertiò : quia juxta ſatis probabilem doctrinam, & maximè utilem *in tract. de Trinitate* de quâ Pater Aldrete *Aldrete. diſp.48. ſect. 2. a nu.7.* & R. N. P. Thyrſus *Thyrſus, tom.2. ſelect. tract. de Trin. diſp. 12. ſect.8.* & *Noſin §.5.* Relatio Filiationis Divinæ æquè perfi- *Tract. de* cit Patrem, ac ipſum Filium : & tamen à *Trinitat.* Patre diſtinguitur, & non à Filio.

85 Ratio P. Aldreti, quam inter alias *Ratio P.* maximè exaggerat *ſect. 1. & 2.* eſt : quia ſi *Aldrete.* Humanitas æquè ſancta maneret, ac eſt Deus, & æquè amabilis, ac eſt Deus, non poſſet Deus impedire talem ſanctificationem : & neceſsitaretur Deus eam velle ponere à parte rei : objectum enim quod repræſentatur dignum amore ſummo, ita amatur à Deo, ut ſi ſit in poteſtate Dei, illud ponere, neceſsariò ponat; Atqui Deus non eſt neceſsitatus ad non impediendam eam ſanctificationem; alioqui neceſsitaretur ad Incarnationem ponendam : ergo ea ſanctificatio tanta non eſt, ut per ipſam maneat æquè ſancta Humanitas, ac eſt Deus. Confirmatur primò: quia ideò eſſentia Divina, & per eam Pater Æternus cognoſcens pro priori originis Relationes Filii, & Spiritûs Sancti, eas neceſsariò amat, & exiſtentiam earum, quia ſunt ſummè amabiles, & ſummè bonæ, & ſummè ſanctæ. Confirmatur ſecundò : quia exinde cur non æquè maneret Humanitas indefectibilis, ac manet ſancta?

86 Hæc ratio ſimilis eſt alteri, quam nos contra offenſæ infinitatem objecimus ; unde nobis diſplicere non debet. Ea tamen habet Solutionem.

Dici enim poſſet eam ſanctificationem *Non ſolida* eſſe impedibilem, ratione ſubjecti, quod omninò eſt impedibile. *Dici* ſecundò poſſet, objectum illud repræſentari dignum amore ſummo, ſuppoſito beneficio maximo Dei erga Creaturam, atque adeò non extiturum, niſi ſuppoſito exercitio Divinæ beneficentiæ ; ac per conſequens impedibile forè. *Dici* tertiò poſſet, illud objectum eſſe dignum ſummo amore ex ſuppoſitione quod ſit, quia eſt objectum rei contingenter habentis talem ſanctificationem. Ex quo patet ad primam confirmationem, quia bonum illud eſt objectum rei ex naturâ ſuâ ſimpliciter infinitæ. Ad ſecundam dicetur, repugnare eòipsò quòd creata ſit, nam eoipſo fit à potente non facere, & ceſſare à faciendo. Dicetur deinde Humanitatem jam manere indefectibilem quoad corpus & animam in æternum. Demum valebit hic diſparitas,

quam

quam adverſarii ipſi aſsignant : cur nempe denominari ſancta poſsit Humanitas : non verò immenſa, æterna? &c.

Motiva Noſtra, & Primum. 87 Ratio igitur prima quâ moveor in hanc partem, ferè jam impulſus in alteram ex defecta ſolidi fundamenti, eſt à paritate, cui ſubnectam etiam rationem à priori. Sic argumentor : licèt Forma, vel quaſi forma, quæ ſit perfectio in omnium genere entis, communicetur intrinſecè Humanitati, non reddit eam ſummè perfectam in omni genere, atque adeò neque tam perfectam, quàm eſt: ergo licèt forma, vel quaſi forma, quæ ſit ſanctitas infinita ſimpliciter, & quâ Deus eſt ſanctus, & placens ſibi, communicetur intrinſecè Humanitati, non reddet eam æquè ſanctam, & amabilem, ac eſt Deus. Antecedens mihi videtur eſſe de Fide, quia quod non eſt Deus non poteſt eſſe tam perfectum, quàm Deus, nam hoc ipſiſsimum eſt eſſe Dei. Conſequentia probatur: tùm à rigore paritatis. Tùm etiam quia tota ratio antecedentis reduci debet ad incapacitatem Naturæ finitæ reſpectivè ad denominationē illiuſmodi; ſed æquè Natura finita eſt incapax denominationis, quà dici poſsit æquè ſancta & amabilis ac eſt Deus.

88 Quod oſtendo : nam ideò Natura finita cenſeri debet incapax ut denominetur ſummè perfecta in omni genere, quia ſeipſa eſt non Deus, & quid infinitè minùs Deo ; atque adeò eſt ſuppoſitio manifeſtè contradicens : quippe id quod eſt non eſſe Deum, & quo res manet infra Deum neceſsariò eſt defectus perfectionis ; atqui ſimiliter id quod eſt non eſſe Deum, & quo res manet infra Deum eſt defectus amabilitatis, & ſanctitatis : nam eoipſo eſt ratio quà res manet ex ſe contemptibilis, & ſecundùm ſe peccabilis: ergo pariter eſt incapax ut denominetur æquè ſancta, & amabilis ac eſt Deus: ergo licèt tota Dei ſanctitas communicetur, non æquè denominabit ac Deum, ob incapacitatem ſubjecti. Confirmatur. Major eſt ſanctitas, quo minùs ſecum compatitur ratio nem diſplicendi, & poteſtatem peccandi; atqui Divina ſanctitas in Humanitate ſecum compatitur rationem, quæ ſecundùm ſe diſplicere poteſt, & peccare : in ſe non compatitur: ergo in ſe major eſt ſanctitas, quàm in Humanitate.

Secundum. 89 Ratio ſecunda, quà moveor, eſt: quia Deo, utpote infinitè, & omnimodè excedenti finitudinem creaturæ, & omnem ejus capacitatem, non ſolùm convenire debent prædicata Dei ſolius propria, ſed in quovis genere, denominationes, quæ creaturæ repugnent, ſuperentque omnem capacitatem illius. Id quod ex terminis videtur notum, & extra quæſtionem inductione convinci poteſt : ergo ſimiliter in genere ſancti & amabilis, convenire debent denominationes, quæ ſuperent omnem capacitatem creaturæ: ergo in genere ſancti, & amabilis non poteſt creatura reddi tam ſancta, & amabilis, ac Deus eſt, quacumque factâ ſuppoſitione poſsibili. Confirmatur: quia in genere amabilis, & ſancti, ita Deo convenit poſſe amari, & coli ſuper omnia à ſe diſtincta, ut nulli creaturæ, & enti non Deo convenire poſsit : ergo factâ quacumque ſuppoſitione poſsibili non poteſt creatura reddi tam ſancta, & amabilis, ac eſt Deus.

90 Ratio tertia, quà moveor, eſt : quia *Tertium.* ſi ratione ſanctitatis increatæ maneret Humanitas tam ſancta, quàm eſt Deus, Humanitas eſſet magis ſancta, quam Deus, ſaltem extenſivè; ſed hoc ex terminis eſt abſurdiſſimum : ergo & id ex quo ſequitur. Major conſtat, quia Humanitas ſanctificari etiam poteſt à Gratia habituali, & aliis formis per quas nequit Deus ſanctificari. Vltima ratio, *Quartum.* quà moveor, eſt : quia Humanitas non ita ſanctificatur à Verbo, ut ipſa ratione talis ſanctificationis maneat capax æqualis adorationis, quà Deus adoratur, nempe latriâ perfectâ, & eximiâ, quà Deus adoratur ut Deus, & ſuper omnia : ut videre eſt apud Suarez *diſp. 53. ſect. 3.* & Aldretum *diſp.48.* *Suarez. Aldrete.* *ſect.1. à nu 6.* ex Damaſceno, & S. Thoma, *Damaſc.* noſque *infrà* explicabimus *diſp.ult.* ergo non *S. Thom.* æquè ſanctificatur ac Deus. *Infrà Nos diſp. 8.*

91 Objicies primò : Bonitas ut octo facit ſubjectum amabile, ut octo: ergo ſanctitas & bonitas ſimpliciter infinita reddet ſubjectum, cui ſecundùm ſe totam communicatur, ſanctum, & amabile ſimpliciter infinitè : neque enim eſt minùs apta ad præſtandum hunc effectum, quàm ad ſuum, Bonitas ut octo.

92 Confirmatur argumentum ab ingenioſo Complutenſi, primò: licèt Anima juſti non reddatur grata per eſſentiam ex acceſſu Gratiæ, redditur à Gratia, tam ſancta, quàm ipſa Gratia eſt ſanctitas, & tam amabilis, & placens Deo, quàm eſt Deo amabilis & placet ipſa Gratia : ergo licèt Humanitas non reddatur per Deitatem Dea, redditur tamē tam ſancta, quàm ipſa Deitas ſanctitas eſt, & tam amabilis, & placens Deo, quàm Deo eſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

amabilis, & placet ipsa Deitas.

93 Secundò: per rationem à priori discursus, quia ea amabilitate amatur aliquid, quâ est amabilis ratio formalis movens ad amorem ipsius: atqui Ratio movens ad amorem Humanitatis, ut sanctæ per Deitatem, est æquè amabilis, ac Deus: ergo Humanitas ut sancta per Deitatē est amabilis amabilitate, quâ amabilis est ratio æquè amabilis, ac Deus: ergo redditur amabilis æquè ac Deus. Minor patet: quia illa ratio movens est ipsa Divinitas.

94 Tertiò notādo duo. Primū: componi posse, quòd unū cōcretū entitativè sit alio ignobilius: & sit æquè nobile quoad aliquā rationē formalē. Patet in cōcretis Parietis, & hominis eidē albedini subiātiū: ecce Paries, entitativè est ignobilior homine, & æquè bonus in ratione albi: seu æquè alb'. Secundū: compositum amari dupliciter posse. Primò ita ut utraque pars moveat ad amorem. Secundò: ita una pars ametur propter se, & sit ratio alteram amandi: discrimen est, quòd in secundo casu pars movens est taxa amoris erga alteram, atque adeò reddit eam amabilem, quantùm ipsa est amabilis; non obstante quavis imperfectione entitativâ, quæ impertinens est ad taxam amoris. Nunc sic: ergo si ratio movens est infinitè amabilis, & æquè ac Deus, objectum, quod propter ipsam amatur, non obstante qua is entitativâ imperfectione, erit æquè amabile, ac Deus: ergo & Humanitas.

95 Responderi posset ad argumentum primò ex discursu *nu.* 84. Sanctitatem simpliciter infinitam, & patem bonitatem, dicere in hac abstractione formæ, seu quasi formæ identitatem sui cum denominato: cùm verò Humanitati non detur identitas cum perfectione Divina: neque datur bonitas, & sanctitas infinita simpliciter respectivè ad ipsam, sed quæ solùm respectu Dei, & in se est bonitas, & sanctitas infinita: quo facilè confirmationes eluderentur. *Supra nu.* 84.

96 Respondeo secundò omissis instantiis, quæ *ex num.* 84. peti possent, negando consequentiam ob incapacitatem subjecti: quare defectus illius denominationis non provenit à defectu formæ, sed subjecti. Vide quæ *supra nu.* 88. & 89. Ad primam confirmationem, nego etiam consequentiam. Ratio disparitatis sumitur ex capacitate ad unum, & non ad aliud. Et aliunde quòd Gratia sit forma nata ad id muneris, atque adeò continens hunc effectum respectivè ad Animam: Non ita Divinitas. *Et retorsus nn.* 88. & 89.

97 Ad secundam imprimis tota ejus doctrina est vera, si supponatur capacitas in objecto materiali ad totam amabilitatem objecti formalis: quam capacitatem hîc nego. Deinde distinguo majorem; quâ est amabilis ratio movens, secundùm se, & in se, nego: quâ est amabilis respectivè ad objectum materiale, concedo: est dicere, tantùm esse amabile, quantùm bonificatur à ratione formali, & quantum ratio formalis bonificat ipsum objectum materiale. Quod est certissimum, & restat adversariis totum onus quæstionis.

98 Ad tertiam dico totam doctrinam notationum & illationis explicatam, ut nuper, esse veram, nisi ipsa entitativa inæqualitas sit ratio formaliter vel illativè obstans æqualitati denominationis, ut contingere puto in casu nostro. Formaliter: quia ratio æquè amabilis, ac Deus, dicit exclusionem distinctionis à Deo, & inferioritatis ad Deū. Illativè, quia arguit incapacitatem ad denominationes privativè Divinas.

99 Objicies secundò: quia si Deus non amaret simpliciter infinitè Humanitatem ratione Deitatis unitæ, plus amaret Humanitatem triplici divina hypostasi subsistentem, quàm Christi Humanitatem; sicut magis amat justum ut sex, quàm justum ut duo. Deinde illa Humanitas sanctior esset Christi Humanitate. Demum, non est unde colligi possit infinitas operum Christi, negatâ sanctificatione Humanitatis simpliciter infinitâ: nam mediâ sanctificatione transfunditur valor in opera. Respondeo negando simul tres sequelas: quia Humanitas licèt non sanctificetur, & perficiatur à Deitate, quantùm Deus est perfectus, & sanctus, sanctificatur, & perficitur quantùm intensivè potest, juxta secundā Conclusionē. De infinitudine operū Christi, & valoris origine satis dicta sunt *lib. præced. disp.* 2. & 3. etiam oculis intentis ad hæc quæ modò dicimus. *Lib. 4. disp. 2. & 3.*

100 Objicies tertiò: licèt Humanitas secundùm se non sit adorabilis cultu latriæ, prout cum Verbo conjuncta terminat eandem, & æqualem adorationem latriæ, quâ Verbum adoratur: ut tenet communis opinio cum Suarez, & Vazquez: ergo licèt Humanitas secundùm se sit finitè amabilis, prout sancta per Deitatem, erit amabilis, quantùm ipsa Deitas. Probat Consequentiam Complutensis *supra* laudatus. Sicut Divina Bonitas reddit Deum infinitè bonum, *Suarez. Vazquez. P. Vson.*

num, & dignum summo amore, ita excellētia Divina reddit ipsum infinitè excellentem, & dignum supremo cultu latriæ; atqui Divina excellentia, conjuncta Humanitati, licèt non per identitatem, sed per solam unionem, reddit eam adorabilem supremo cultu latriæ propter ipsam excellentiam: ergo & Divina bonitas, conjuncta Humanitati, licèt non per identitatem, sed per solam unionem, reddet eam amabilem summo amore. Confirmat: Non minùs Deus est adorabilis, quia est idem cum sua excellentia; & est excellens per essentiam, quàm sit amabilis, quia est idem cum sua bonitate, & bonus per essentiam, atqui Divina excellentia, licèt Humanitatem non faciat excellentem per essentiam, facit adorabilem eodem cultus genere, quo Deus est: ergo Divina sanctitas & bonitas, licèt Humanitatem non faciat Deam, & bonam per essentiam, reddet amabilem, æquè ac Deus est.

Infrà disp. 8. à nu. 35.

101 Responderi primò potest, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia cultus omnis, quantumvis latriæ, finitus est, atque adeò qui cadere posset in capacitatem creaturæ habentis intrinsecè titulum in quo fundatur, quæ est Divina excellentia; at vero amor appretiativus, quo major cogitari non possit, est simpliciter infinitus, atque adeò qui cadere nequit in capacitatem creaturæ eoipso dicentis rationem sufficientem despectionis. Respondeo secundò: licèt Humanitas deificata adoretur cultu latriæ, non tamen esse adorabilem cultu latriæ, eximiæ, & omninò perfectæ, quâ Deus adoratur: id enim est adorari super omnia, quod non minùs repugnat creaturæ, quàm super omnia amari.

102 Quæ ut intelligas, præscinde, & suppone dupliciter adorari posse Humanitatem cultu latriæ. Primò si eodem indivisibili actu supremæ latriæ adoretur Humanitas & Verbum. Secundò: ita ut Humanitas adoretur cultu latriæ propter Deificationem, tendente adoratione in Sanctitatem Increatam tanquam rationem formalem adorandi, non tanquam in id cui summittimur, sed tanquam in id propter quod summittimur: quæ singula benè explicat P. Aldrete *disp. cit. sect. 3. à nu. 9* Si primo modo fiat adoratio, ea est summæ latriæ, & adoratio super omnia, non tamen respectu Humanitatis, sed Verbi: Verbi quidem quia est excellentiæ super omnia præferibilis, omninò suæ: non tamen respectu Humanitatis, quia est propter excellentiam adventitiam & alienam. Si adoratio fiat secundo modo, ea quidem est adoratio latriæ, sed inferioris ea, quam perfectam, & eximiam dicimus, solique Deo debitam. Ex quibus satis patet ad formam argumenti, & adjunctæ confirmationis. *P. Aldret.*

103 Objicies quartò: Humanitas ratione Deitatis non est minùs impeccabilis ac Deus: ergo nec minùs amabilis, nec sancta minùs. Antecedens patet: quia æquè est impossibile peccatum Christo ac Deo. Consequentia probatur. Tùm quia positiva impeccabilitas orta ex perfectione nequit non esse sanctitas. Tùm etiam quia si semel non repugnat, quòd Deus non excedat creaturam in impeccabilitate, cur repugnet quòd neque in amabilitate, neque in sanctitate excedat?

104 Responderi primò potest, omisso antecedente nego consequentiam. Ad primam probationem dico quòd licèt positiva impeccabilitas sit sanctitas, non eo gradu quo est impeccabilitas, debet sanctitas esse: quia carentia potest induci per formam magis & minùs perfectam: eque tamen terminus excluditur, sive ab hac, sive ab illâ forma ponatur carentia: non verò æquè perficitur subjectum in quo carentia ponitur. Vnde semper erit summum discrimen inter Deum, & creaturam, quia licèt quoad exclusionem peccati pares sint, impares infinitè sunt in ratione formali excludendi peccatum: Nam in Deo est summa perfectio, & summa sanctitas: in creatura solùm potest esse perfectio finitè participata. Et exinde patet discrimen sanctitatis & impeccabilitatis: nam quāmvis Humanitas ratione Deitatis unitæ summè repugnet peccato, non usque adeò perficitur, ut operationes habeat tam honestas, & laudabiles, quàm Deus.

105 Respondeo secundò: negando antecedens: minùs enim impeccabilis est, qui contingenter est impeccabilis, & habet in se peccabilitatem naturalem, quàm qui per essentiam est impeccabilis & nullam habet in se peccabilitatis rimulam, neque saporem. Hic est Deus, & Humanitas, illa. Minùsque est impeccabilis, & minùs perfectè, qui solum est impeccabilis per mediatam, & physicam repugnantiam cum peccato, qualis est Humanitas, quàm qui est impeccabilis per immediatam, & logicam repugnantiā cum peccato qualis est Deus. Videatur Amicus *disp. 16. sect. 5. à nu. 149.* *Amicus.*

Obji-

Universidad de Deusto
Biblioteca

106 Objicies quintò: Nam Deus, actu, quo dat Humanitati, Donum unionis, eam amat infinitè simpliciter: dat enim bonum infinitum simpliciter, & tantum quantum Pater Æternus dat Filio: ergo Humanitas manet amata infinitè simpliciter, adeòque summè sancta. Respondeo primò: eo affectu non amari adhuc Humanitatem à Deo amicabiliter: quippè affectus amicabilis supponit potiùs sanctificationem, quàm præcedit. Respondeo secundò: distinguo antecedens: amat infinitè simpliciter amore appretiationis, nego: amore beneficientiæ, concedo: dat enim bonum, quod in ratione beneficii est maximum. Exinde tamen non fit quòd illud bonum, quod Deus dat Humanitati, sit tantum bonum respectivè ad Humanitatem, quantum est in se, & in ordine ad se; nec tantum dari Humanitati, quantum accipit Filius à Patre: Filius enim accipit identitatem cum summo bono, quâ Humanitas non potest accipere.

SECTIO III.

QVANTVM SANCTIFICETVR HVMANITAS à Sanctitate creatâ? Vbi de plenitudine Gratiæ, & an hæc in Christo augeri posset?

107 ESt quæstio de quantitate Gratiæ habitualis in Christo, & in ipsâ reperio quinque discurrendi vias. *Prima* est: Gratiam habitualem in Christo non esse intensam infinitè; quia non potuit esse: putat enim repugnare infinitudinem intensionis in actu. Ita Thomistæ communiter, & ex nostris non pauci, nec ignobiles. *Secunda* est: eam esse infinitè intensam, si sit possibilis in actu. Ita Suarez, Delugo, Vazquez, & Moderni communiter. *Tertia* est: eam esse infinitè intensam: ita plures apud Ioannem de Cardenas *de Gemino Sydere disp. 2. cap. 27.* qui eam infinitudinem extendit ad habitualem Gratiam Virginis. *Quarta* est: eam usque adeò fuisse infinitam, ut etiam fuerit omnis possibilis, quæ fieri à Deo potest, ita ut omnis Gratia, quæ in hominibus, & Angelis est, fuit, & erit, simul in Christo sit: ita Meratius. *Quinta*: eam, licèt foret alioqui possibile, de facto non fuisse infinitè intensam: ita Gaspar Hurtadus, & Aldretus acerrimè *disp. 51. sect. 5.*

Thomistæ communiter. *Suarez.* *Lugo.* *Vazquez.* *Cardenas.* *Meratius.* *Gasp. Hurt.* *Aldrete.*

108 Quòd si eos, qui negant infinitudinem vel actualem, vel possibilem, roges quanta fuerit Gratia Christi? Variè respondent. Antonius Perez fuisse moraliter infinitam, non physicè: nempè ex vicinitate ad Verbum, & ejus dignitatem. Deinde fuisse summam, non physicè, & attentâ potentiâ extraordinariâ, sed proportionaliter, & attentâ potentiâ ordinariâ. Aldrete, fuisse æquivalenter infinitam, quia ex sui perfectione individuali excedebat cumulú etiam infinitum Gratię inferioris. Ceteri recurrunt ad illam summatem potentiæ ordinariæ. Quòd si roges iterum: unde taxanda hæc summitas? *Dicit* Martinon, ex decenti correspondentiâ ad statum Humanitatis, attentâ ejus capacitate. *Dicit* Lumbier, ex lege Dei, quæ constituit providentiam ordinariam: & juxta quam, inter omnes à Deo taxatas, Gratia Christi est summa. Perez, & Quirós, ex Vnione Hypostaticâ, seu ex Deitate unitâ, designante sibi mediâ unione proportionem proprietatum.

Ant. Per. *Aldrete.* *Martinon.* *Lumbier.* *P. Quirós.* *Ant. Per.*

§. I.

SI POSSIBILIS SIT IN ACTV GRATIA habitualis infinitè intensa, concessa est Humanitati Christi Domini.

Prima Conclusio.

109 OStenditur primò conclusio: quia tota infinitudo Gratiæ est quid minus Dignitate Humanitatis, & decenter cadens in ejus jura: non ergo est cur negari debeat. Consequentia patet: quia ineptè putaremus Deum summè liberalem erga humanitatem, in eo quod maximum est, & valdè parcum in eo quod est minus, & decet habentem alioqui maximum. Antecedens probatur: quia nulla potest assignari dimensio Gratiæ, ultra quâ additio fieri non possit in infinitum; sed nulla fieri potest additio etiam in infinitum, quâ non sit major Dignitas Humanitatis, & ad quam non habet jus, si possibile donum sit: ergo, &c.

110 Confirmatur hæc ratio primò: major est dilectio Dei erga Humanitatem, quàm sufficiat in Deo, ad impertiendam Gratiam infinitam, si possibilis sit: ergo si quidem ex hoc amore rectè colligitur infusio Gratiæ, rectè etiam colligi debet infusio Gratiæ infinitæ. Confirmatur secundò: quia Gratia est ornamentum Humanitatis Deificatæ connaturale ratione dignitatis; sed dignitas est infinitè supra infinitudinem Gratiæ: ergo infinita Gratia debet esse connaturale ornamentum Humanitatis Deificatæ, si possibilis sit talis Gratia.

111 Ostenditur secundò: quia si Christus applicaret merita pro acquirendâ Gratia, si possibilis esset infinita, tota infinitudo caderet de condigno in ejus merita connaturaliter; nec adhuc eorum valorem æquaret; atqui Christus non habet Gratiam ratione suę dignitatis minus intensam, quàm haberet ratione meritorum: ergo & habet Gratiam intensam infinitè, si possibilis est. Major est evidens, & probatur minor. Tùm quia alioquin melius fuisset Christo obtinuisse per merita Gratiam, quàm sine meritis & ratione Deitatis unitæ: quod ego non sentiam: cur enim careret Christus hac pulcritudine ex defectu applicationis, si alioquin ipsi non foret debita? Tùm etiam quia non minus præponderat dignitas physica Humanitatis respectivè ad totam infinitudinem Gratiæ, quàm dignitas moralis meritorum: ergo non manet debita minùs, ut proprietas connaturalis ratione illius, quàm ratione istius deberetur, ut præmium.

112 Dices primò obstare huic infinitudini finitam capacitatē Humanitatis. Contra: quia major est sanctificatio per Deitatem, & ipsius est capax Humanitas. Tùm quia licèt capacitas naturalis Humanitatis sit finitā: obedientialis, præsertim passiva, interminata est: nam est perfectibilis ad perfectivum & quò quis est magis distans à perfectione, magis est ejus indigens, & perfectibile magis.

113 Dices secundò: exinde debere concedi etiam Humanitati Christi infinitam intensionem habituum, & actuum moralium, quod admitti non potest: quia ad id est necessarius infinitus conatus, qui repugnat virtuti finitæ. Nego Virtutem Humanitatis Christi finitam esse; esset enim infinitata, & complexivè infinita; atque adeò posse conatum impendere infinitæ operationis: unde concedo sequelam, quam nego absurdam esse, sed planè connaturalem.

An in Christo omnis Gratia Possibilis.

114 Dices tertiò: cur ergo non esset in Christo omnis Gratia possibilis, ea etiam quæ est, fuit, & erit in hominibus, & Angelis? Respondeo: si intensio fiat per gradus heterogeneos, habuisse intensionem summam possibilem, ita ut augeri non posset: cùm autem una intensio facta per hujusmodi gradus, non possit fieri major etiam adveniente aliâ intensione per gradus item heterogeneos, qualis in nobis fit, non est ratio cur nostra Gratia ponatur in Christo, cùm defectus ipsius non possit facere ne Christus habeat intensionem summam possibilem. si vero intensio fiat per gradus homogeneos, non displicet Pater Meratius dicens esse in Christo omnem Gratiam possibilem, ne defectus ejus Gratiæ, quæ in nobis est, possit facere ne Christus habeat intensionem summam possibilem: sic etiam optimè intelligetur: *de ejus plenitudine omnes nos accepisse*, ut inquit Ioannes. Nec exinde tam facilè sequitur absurdum objectum ab Aldrete *sect. 5. num. 3.* quòd nempè ratione unionis indistare debeat Anima Christi ab Animabus in quibus bilocatur ejus Gratia. Negabit enim facilè Meratius hanc necessitatem esse de naturâ Vnionis; ut novissimè negant Salmăticenses Magistri ex nostris secuti Meratium.

Meratius. *Ioann. 1.* *Aldrete.* *Meratius.* *P. M. Xavier.*

§. II.

HABITVALIS GRATIA CHRISTI Domini non est infinitè intensa.

Secunda conclusio.

115 PRobatio conclusionis unicè peti debet, juxta præcedētem, ex ostensâ repugnantiâ de eo quòd actu sit dabilis infinita intensio Gratiæ. Quam probationem ita disponam, ut insimul, & in genere primùm ostendam repugnare infinitum in actu, sive quoad multitudinem, sive quoad extensionem, sive quoad intensionem: Deinde specialiter repugnare infinitudinem intensionis in ipsâ Gratiâ, de quâ potissimùm quæstio est. Video me regredi ad Philosophiam, sed eam solummodò salutabimus cum bonâ venià Theologiæ, cui ancillari & nos, & ipsam oportet.

116 Ergo ostenditur primò repugnantia infinitatis in actu. Cui ostensioni præmitto quinque. *Primum*: Infinitum non posse claudi duobus terminis intrinsecis. Ratio est: quia eòipsò haberet primum, & ultimum: quod est contra essentiam infiniti. *Secundum*: si Deus potest producere infinitam multitudinem Angelorum v. g. eam posse in diversis spatiis producere. Ratio est: quia sicut est infinitū possibile locabilium, ita & est possibile infinitum locorum. *Tertium*: eam multitudinem positam in diversis locis posse à Deo moveri, si producatur. Ratio est: potest enim Angelorum linea incipere ab Angelo *A*, & hic retrotrahi ad punctū spatii sibi immediati, & Angelus *B*, ad spatium Angeli *A*, & sic in infinitum; si destruat

Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus Angelum *A*, & ad ejus spatium transferatur Angelus *B*, & sic de aliis: si enim Deus producere potest Angelum in hoc determinato loco, cur non possit conservare in loco determinatè immediato? *Quartum*: si non posset Deus producere infinitam multitudinem in diversis spatiis, neque poterit in eodem. Ratio: quia si non repugnat infinitum locorum in actu, tota repugnantiæ ratio libera omninò est: atque adeò solida sumi deberet ex repugnantiâ infinitatis actualis in spatiis: quæ tamen infinitas negari nequit, admissâ semel possibilitate infinitatis in actu. *Quintum*: Eòipsò quòd possibile sit infinitū in actu, possibile esse quòd infinitum claudatur terminis intrinsecis. Ratio est: quia si moveretur infinita multitudo, quod ponimus debere esse possibile, posset assignari primum, & ultimum, nempe punctum loci quod incipit in motu occupare Angelus *A*, & punctum loci quod antea, occupabatur, & modo desinit occupari post omnes Angelos: neque enim restat nisi unicum punctum spatii.

117 Iam sic argumentor. Eòipsò quòd infinitum in actu possibile sit, possibile est quòd infinitum non sit infinitum: sed hæc est aperta repugnantia: ergo. Major ostenditur: nam possibile est modo dicto moveri, & videri primum, & ultimum: ergo infinitum non esset infinitum: ergo de ratione entium sibi coexistentium est non esse infinita. Confirmatur, possibile est moveri infinitos Angelos ita ut quilibet versùs orientem, circa quem finita est linea, solùm acquirat unum spatii punctum: rogo modò, quantum spatii, quod antea occupabatur, desinit occupari? Non infinitum: alioqui unusquisque acquisivisset infinitum spatium: ergo finitum: ergo intra hoc finitum, & aliud à quo incipit linea versùs orientem est spatium intra duos terminos clausum. Hoc autem est contra naturam infiniti.

118 Ostenditur secundò repugnantia infinitatis in actu. Nequit Deus producere infinitos numeros, quorum unus finitè excedat alium: ergo neque numeros infinitos. Probatur antecedens. Quia nequit dari infinitum quin detur excessus infinitus unius numeri ad alium. Consequentia probatur: quia quotiescumque producitur infinitum, opus est, ut fieri possit combinatio numeri finitè excedentis alium numerum. Confirmatur: Nequit Deus producere omnes numeros, quos videt esse finitos in se: ergo neque infinitos: qui enim majus possit, cur non poterit minus? Probatur antecedens: quia eòipsò quòd Deus produceret omnes numeros quos videt finitè se excedentes, & esse finitos, additio cujuslibet numeri faceret infinitum.

119 Confirmatur secundò: quia si produceretur numerus infinitus, eoipso numerus transiret in infinitudinem per unitates finitas; atqui repugnat quòd numerus finitus transeat in infinitum per unitates finitas: quod ostendo, nequit numerus finitus transire in infinitum nisi crescēdo per additionem unitatis: sed implicat quòd per additionem unitatis finitæ crescat in infinitum: ergo. Confirmatur tertiò: repugnat manifestè quòd ponatur à parte rei omnis quantitas, quam Deus videt finitam: nam accessu unius palmi fieret infinita: ergo, &c. Confirmatur quartò: fiat combinatio numerorum, ita ut in loco *A* sit unitas, in loco *B* binarium: ternarium in *C*, & sic in infinitum. Rogo vel productum est infinitum, vel non? Si secundum: ergo quia non est possibile in actu. Si primum: Deus scit quo loco sit infinitum. Rogo quotâ unitate excedit immediatam sibi combinationem? Si unicâ: unica facit infinitum. Si infinitis: peccatur contra suppositionem.

120 Ostenditur tertiò repugnantia infinitatis in actu, & suppono, quòd sit una infinita collectio hominum albornm, & nigrorum. Arguo primò sic: ordinentur sic ut unus albus incipiat, sequatur niger, & alternativè in infinitum: & rogo: Vel sunt æquales albi, nigris, vel non? Si primum, quod videtur dicendum, quia nullus est albus cui non respondeat niger: ergo sublato albo, erunt inæquales: quia æqualia per subtractionē modi quo erant æqualia, fiunt inæqualia. Sed hoc est falsum: quia nullus est niger cui non respondeat albus: ergo dicitis contradictoria. Si secūdum? ergo addito nigro, reddentur æqualia, & redibit argumentum & contradictio. Arguo secundò: separando collectionem alborum à Nigrorum collectione, utraque erit infinita. Reveletur ergo Petrum esse in una earum: & æquè credibile esset, rebus secūdùm se inspectis eum esse in collectione ista, ac in illa. Fingamus demùm ex albis nigrescere plurimos, ita tamen ut maneant adhuc infiniti albi: & rogo: an etiam adhuc ex parte rerum, & objecti sit æquè credibile Petrum esse inter albos, ac inter nigros. Negas? Contra est quia adhuc

adhuc remanet infinitum alborum: quæ ratio antè faciebat æqualitatem probabilitatis. Affirmas? Contra: quia nunc per multò pauciora individua verificari potest quòd Petrus sit inter albos, quam inter nigros, cùm plures albi debeant esse. Neque ergo negari potest, neque affirmari: quod est impossibile.

121 Ostenditur quartò, & specialiter repugnantia infinitæ intensionis in Gratiâ, de quâ specialiter est quæstio. Nam vel intensio Gratiæ fieri debet per gradus subordinatos, & hætorogeneos, vel per disparatos, & homogeneos? Si primum: quod videtur probabilius: Contra sic

122 Arguo primò: ergo quilibet gradus excedit magis, & magis alios, quo magis intenditur Gratia: ergo datur gradus excedens infinitos, & quidem gradus, determinatus, & assignabilis. Patet hæc consequentia: quia crescere est dari gradum tot excedentem, quot gradibus intensio crescit: ergo repugnat quòd intensio sit, & crescat in infinitum, si non sit positus gradus qui infinitos excedat. Nunc sic: ergo gradum illum inter, & primum, qui sunt duo termini intrinseci, clauditur infinitum.

123 Arguo secundò: quia in ea collectione est primus qui non excedit, & excedi tur: & nullus est qui non excedatur. Rogo ergo: quot sunt plures: excedentes, vel excelsi? Neutrum dici posse video. Non potest dici, pares esse: nam lumine naturæ notum est, ubi est excessus, & non excedens, & omnes sunt excelsi, nec sunt omnes excedentes, necesse esse, ut plures sint excelsi quā excedentes. Nec potest dici esse impares: quia nullus est excedens, cui nō correspō deat excessus: ergo non potest esse imparilitas. Adde quòd si impares sint, dempto primo, fore ut sint pares: tunc autem redibit argumentum suprà factum.

124 Fiat ergo per gradus similares intensio: & Arguo primò eisdem rationibus quibus impugnata est supra infinitudo Numeri, & Multitudinis in actu. Arguo secundò: quia Gratia se ipsa est semen ulterioris gratiæ, & gloriæ: ergo repugnat quòd sit tota simul, quā positā nulla sit alia, quæ produci posset. Prob. consequentia: quia eoipso illa creatura, quæ esset cum tota illa Gratia, esset cum semine Gratiæ: & quidem produci gratia ultra non posset: quod manifestè repugnat: sicut & in aliis qualitatibus, & substantiis sui multiplicativis, v.g. igne: quis enim asserat posse produci totum ignem possibilem? nam si illi igni approximetur stupa, & alia materia bene disposita, non deficeret combustio; atque adeò augmentum ignis. Nunc sic: ergo repugnat quòd gratia sit in actu infinita: nam si tota non potest esse: quomodò infinita sit: Vrgetur: vel productā infinitā gratiā ponitur gradus, qui nō sit gravidus alio, seu semen alterius, vel non? primum tam implicat, quam poni hominem, qui non sit Animal rationale. Si secundum: ergo in illa collectione est aliquid eminenter, quod adhuc non est formaliter, sed in virtute, nempe in semine: ergo non est posita tota gratia possibilis: ergo neque infinita. Videatur Quirós *disp.63 Physicæ. sect.3.* *P. Quirós*

125 Confirmatur tota hæc probatio de repugnātia infinitæ intensionis in Gratia habituali. Nam repugnat in actu Gratia, cui non correspondeat visio proportionata, atqui repugnat infinita intensio Visionis: ergo & infinita intensio Gratiæ. Minor hæc probari solet ab aliis, ut opinor, insufficienter: eam sic probo. Visio, utpote qualitas intentionalis non intenditur per gradus, sed eò dicitur magis intensa, quò magis in se perfecta. Ratio hujus doctrinæ, quam defendunt Salas, Vvadingus, Quiros, Sforcia, Esparça, Aldrete, & Lynze, est: quia hic nulla militat experientia, ex quâ intensionē per gradus venamur in aliis qualitatibus. Tùm quia unus actus circa objectum *A* non potest esse intensio alterius æquè tendentis in idem objectum *A*. Nunc sic: atqui non potest esse visio entitativè infinitè perfecta: ergo neque infinitè intensa. *Salas.* *Vvading.* *Quiros.* *Sforcia.* *Esparza.* *Aldrete.* *Lynze.*

126 Oppones: Deus potest actu facere, quicquid est possibile: atqui est possibile infinitum Gratiæ, vel gradus Gratiæ possibiles sunt infiniti: ergo potest Deus actu producere: nam ex possibili posito in actu, nulla sequitur implicantia: alioqui nō esset possibile. Resp. dubitari à nonnullis, an Creaturæ possibiles sint re ipsâ infinitæ: de quo videndi Arriaga, & novissimè Mag. Dionysius *in Philosophia.* Deinde, distinguo majorē: Deus potest actu facere simul, & conjunctim, quod est possibile fieri simul, & conjunctim, concedo: quod est simul, & conjunctim possibile, fieri solùm divisim, nego. Natura autem numeri talis est, ut ex essentia sua petat ita produci, ut supra ipsum semper aliquid sine fine possit addi. Quare repugnat quòd in Christo sit infinita Gratia, eoipso titulo quo repugnat eum actu simul existere. Alia *Arriaga.* *Dio. Blasco*

Universidad de Deusto
Biblioteca

In 1. Part. Tract 1. P. Sylvester Mauri.

quæ hic desiderari possent, expensa jam sunt disputando *de Scientia Dei*: Legeturque cum fructu P. Sylvester Mauri *in Physica quæst. 34. & 35.*

§. III.

Tertia conclusio.

SI NON SIT POSSIBILIS IN ACTV Gratia physicè summa; Gratia Christi debet esse summa moraliter, id est, tanta, ut de potentiâ ordinaria nec deberet, nec posset esse major in Christo.

127 OStenditur primò: Humanitati Christi ratione Deitatis unitæ debita est Habitualis Gratia tanquam proprietas: ergo debita est in gradu determinato: ergo debita est tanta, ut de potentiâ ordinaria nec posset, nec deberet esse major in Christo. Antecedens, & ultima consequentia patent. Probo primam. Tùm quia in omni naturâ respiciente tanquam proprietatē qualitatē ex his, in quibus in infinitū potest abiri, designatur certus gradus sub quo illa qualitas exigatur ut proprietas, & sub quo negari sine violentiâ nequeat, & sine recursu ad potentiam extraordinariam: ergo similiter in casu nostro.

Suprà à n. 50. & lib. 1. disp. 3. à nu. 10.

128 Tùm etiam: (& est ratio à priori) quia sic institui debent exigentiæ, ut compleri possint; alioqui liberari non possent à violentiâ; & frustra essent appetitus innati: atqui in his in quibus abiri potest in infinitum, si exigentiæ non complerentur per gradum determinatum, nùquam compleri possent: nam infinitudo in actu supponitur impossibilis: ergo. Quare sicut aliquæ naturæ dicuntur habere certas qualitates in summo, & tantas, ut de potentiâ ordinariâ nec possint, nec debeant esse majores, ita pariter dicendum de Christo est respectu Gratiæ habitualis.

129 Ostenditur secundò: siquidem Gratia infinitè intensa est in actu impossibilis, ea nō potest esse proprietas Deitatis unitę. Dein de Deitatis unitæ non debet censeri proprietas nisi Gratia tanta, quâ minor produci non possit à Deo de potentiâ ordinaria, & quâ nec major possit: ergo Gratia Christi est summa moraliter, & tanta, ut de potentiâ ordinariâ, nec debeat, nec possit esse major. Antecedentis prima pars liquet. Probo secundam primò: quia non alia Gratia potest esse decens ad tantam dignitatem, quanta est Christi. Secundò: quia absurdum videtur, non habere tantum lucis spiritualis solem justitiæ, quantum lucis corporeæ habet Sol materialis. Tertiò: quia Christo connaturaliter debetur esse Caput justorum, & quidem notabiliter differentium, & magnum Regnum Gratiæ: aliunde debetur Capiti excellens excessus, ad quem ex naturâ rerum pertingere non possint alia membra, & subditi, quantumvis multiplicentur: ergo debetur Christo tanta Gratia, ut ex naturâ rerum, & inspectâ potentiâ ordinariâ nec minor, nec major produci à Deo possit. Id quod intelligo tàm divisivè, quàm collectivè.

§. IV.

Quarta Conclusio.

TAXA VNDE DETERMINANDA EST summitas Gratiæ Habitualis in Christo, non debet esse utcumque lex Dei, sed Dignitas Deitatis unitæ, prout talis, seu Hypostatica Vnio.

130 OStenditur primò: quia determinatio proprietatum sumi debet ex exigentia naturarum, ad quas ipsę consequuntur, ut determinatio lucis ad exigentiâ solis: sed existētiaGratię habitualis consequitur in Christo tanquam proprietas Deitatis Vnitæ: ergo illius determinatio sumi debet ex illius exigentia. Confirmatur. Vel Gratia habitualis est proprietas Deitatis hypostaticè unitæ, *præcisè*, quoad conceptum Gratiæ, secundùm se; vel etiam quoad gradum determinatum Gratiæ? si primum: ergo minor est Gratia Christo debita, tanquam proprietas, quàm debita puro homini justo ratione meriti: quod quis patienter ferat? Si secundum: cùm Deitas, se ipsâ, infinita sit, limitare physicè nequit gradum Graciæ, nisi mediâ proportione finitâ, quæ est Vnio hypostatica: ergo taxa Gratiæ Habitualis in Christo non debet esse utcunque lex Dei, sed dignitas Deitatis unitæ prout talis. Dixi, *præcisè*, ob discursum anticipatum *lib. 1. disp. 3. à n.* 11.

Suprà loc. cit.

Lib. 1. disp. 3. à nu. 11.

131 Ostenditur secundò: quia quando sola Lex Dei in rebus supernis, & quæ per se pertinent ad potentiam absolutam Dei sumitur pro taxa earum, non dicitur deus operari concedendo, vel negando ex potestate ordinaria, cùm ipsa lex Dei sit usus potentiæ extraordinariæ, & juxta quam jam ali-

aliter operati non potest, si semel ita voluit: & æquè liberè potuisset aliter operari, si voluisset: ergo si sola Dei lex est taxa Gratiæ Habitualis in Christo, ineptè dicitur Gratiam esse quâ major esse non possit ex potentia ordinaria: cùm nulla sit extra beneplacitum Dei ratio, cui se conformet, aut cui contradicere possit in productione talis, vel talis Gratiæ.

132 Confirmatur primò: quia inspectâ dignitate Christi non potest sumi ratio, cur Gratia non debeat esse major, si sola taxa sit divina lex: ergo nulla est ratio cur Deus supperaddens Gratiam, diceretur operari, ex potestate extraordinaria. Probatur consequentia: quia Deus superaddens ulteriorem Gratiam, se conformaret dignitati Christi, nec daret ultra ejus exigentiā, imò neque contra, vel supra legem statutam, nam vel eo ipso non esset talis lex, vel talis additio non foret exclusa à tali lege. Confirmatur secundò: quia si sola Dei lex est taxa Gratię habitualis in Christo: ergo Christus solùm caret ulteriori ornamento Gratiæ, quia Deus vult eum eo carere: quis autem id colligere, vel componere possit cum eo amore ex quo Christo dedit majus his omnibus, & omnia? ergo dicendum est taxā unicè sumi debere ex determinata exigentia Deitatis unitæ, eamque simul esse exigentiam ne Deus connaturaliter producere possit majorem Gratiam, quàm sit ea quæ Christo debetur. *Dices*: ergo Christi Gratia potuit esse minor, si nempe vnio hypostatica foret minùs perfecta, quam est. Torquetur hac instantiā P. Quiros *disp. 20. de Visione sect. 3. n.* 58. Ipse nihil: quia nego suppositum *ex lib. 1. Disp. 3.*

P. Quiròs.

133 Sed rogas, quanta hęc erit, si infinita non sit? Respondeo primò: id à nobis determinari non posse: quorum nempe captum superat dignitas Hypostaticæ Vnionis. Resp. secundò: eam valde magnam fore, & simpliciter magnam: quia dignitas, cui moraliter proportionari debet, est summa. Respondeo tertiò: eam esse tā simpliciter magnam, ut sit, & dici debeat infinita moraliter: nempe tanta, ut æstimari debeat, vel quasi infinita, & à nulla creaturæ Gratiā, vel divisivè, vel collectivè sumptā, ex natura rerum exæquabilis, & quasi cæteræ Gratiæ reputandæ sint quasi nihil; aut quid valde exiguum. Ratio est, quia debet proportionari dignitati, quæ summa est. Resp. quartò eam Gratiæ habitualis Christi magnitudinem esse, ut ad eam nulla pura Creatura possit ex natura rei pertingere, & quidem magno intervallo. Ratio imprimis est ipse excessus dignitatis, in quo fundatur prænicta exigentia Gratiæ. Deinde, quia singuli, & omnes justi tam divisivè, quam collectivè ex natura rei postulant Christum in Caput connaturaliter in eos Gratiam influens: major autem Gratia ex natura rerum esse debet in Capite, quàm in Membris.

134 Infertur ex his primò: quā ratione, si cèt Gratia Christi non fuerit infinita, dici possit Christū juxta scripturas & PP. *Plenus Gratiā, & habuisse plenitudinem Gratiæ*? Nempe non solùm, quia habuit abundantissimam, & totam, quam debuit habere, sed etiam, quia habuit omnem intensionem ex natura rei possibilem actu, ita ut major esse non potuerit ex potentia ordinaria. Infertur secundò: quā ratione dici debeat plenitudinem Gratiæ esse propriam Christi? Nempe, quia licèt aliqui sancti, & inter eos Beatissima Virgo, habuerint totā gratiam, quam unusquisque, pro suæ gradu dignitatis debebat habere, tamen explicatam plenitudinem nullus ex debito habuit, nec habere potuit præter Christum. An autem ex privilegio tantam mater habuerit, quantam filius, dicetur *alibi*.

135 Infertur tertiò, quo sensu verum sit, quod PP. asserunt: Christi Gratiam augeri non posse: nec Christum fieri posse justiorem? Dicēdū enim est, Christum ex potestate ordinaria, & ex natura rerum, & gratię non potuisse in Gratia crescere, nec debuisse ex absoluta. Prima pars liquet ex præcedentibus. Secunda probatur: quia augmentum Gratiæ ordinatur ex se, ut approximet creaturā Rationalem ad centrū ejus, & suū, nempe Gratiæ, quæ est *unio* cum Deo: cum ergo Humanitas sit jam, quantùm creatura potest, unita Deo, atque adeò in centro gratiæ, non est cur augeri in Christi Humanitate debeat. Vnde bene verebantur PP. asserere Christum factum esse justiorem in dies, ne putaretur purus homo.

136 Inferes quartò: totam hanc plenitudinem in Christo, fuisse jam ab instanti Conceptionis, tum ob rationem proximè factam: tùm quia ex tunc fuit cum jure ad ipsam. Nota in calce, dū diximus, eam gratiā ita debitam, ut de potentia ordinaria augeri nō posset, noluisse nos dicere facturū Deum supra dignitatē Christi, si aliquid Gratiæ augeret ex potestate extraordinaria: quia dig-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitas Christi major est quàm omnis intensio Gratiæ, quæ potest excogitari.

SECTIO IV.

DE GRATIA CHRISTI, VT CAPITIS.

137 TRIA hîc supponenda: & ventilanda quinque? Suppono primò Christum esse Caput totius Ecclesiæ tàm Militantis, quàm Triumphantis. Idque de fide ex Apostolo *ad Ephes.*1. dicente: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Sumit aptè rationem hic Angelicus Doctor ex ordine, ex perfectione, & ex influxu.

Ephes.1.
S. Thomas.

138 Suppono secundò, jure Christum dici potius *Caput*, quia *Cor* Ecclesiæ: Tùm quia ex S. Thoma, *Cor habet in membra influentiam occultam nec visibilem; caput* verò habet visibilè eminentiâ: unde *Cor Ecclesiæ* dici solet Spiritus Sanctus; *Caput*, Christus. Tùm aptiùs ex Alensi: quia Caput est origo operationum vitalium, quæ voluntati perfectè subjacent, scilicet animalium: Cor operationum vitalium, quæ non subjacent voluntati, scilicet vegetantium: Christus autem influit in mysticam Ecclesiæ membraper voluntariam, non verò per naturalem susceptionem influxûs Gratiæ.

Alensis

139 Suppono tertiò, Christum ita esse Caput Ecclesiæ, ut neque sit, neque dici debeat membrum ipsius. Ratio est, quia ratio membri dicit dependètiâ a reliquis: nullâ autem Christus dicit: neque de ratione Capitis est nisi eminentia, & influxus in membra: per quod differt, intra analogiâ capitis, à capite corporis naturalis. Video aliquos aliter loqui cum S. Thoma ex illo Pauli ad Corint. 1. 12. *vos estis Corpus, & membra de membro*: id est, Christo. Sed sensus Pauli alius est: nempe ut vel se intelligat, juxta Anselmum: vel juxta Oecumenium, ly ex membro sonet ex parte, quasi dixerit: *Vos estis corpus Christi, & membra, sed non omnia.* His suppositis

S. Thom. Corinth. 1. Anselm. Œcumen.

140 Prima difficultas est: An Christus sit caput Ecclesiæ, secundùm naturam Humanam, an solummodò secundùm Divinam? Resp. Christum secundùm Humanitatem, atque adeò quà hominem esse Caput tàm Angelorum, quàm hominum: & horum non modò, quoad animas, sed etiam quoad corpora. Tres partes habet resolutio. Primam respectu Angelorum, quam existimo Theologicè certam, licèt non de fide, sic ostendo: ex Angelis, & hominibus constituitur una Ecclesia: unius autem Ecclesiæ, unum esse debet Caput: atqui Christus, qua homo, est caput Hominum: ergo & Angelorum.

141 Minor est secunda pars, quam de fide censeo, ex Apostol. *ad Ephes.*2. & ex hac ratione: quia non alio modo dicitur Christus Caput Ecclesiæ, quàm per influxum meritorium Gratiæ, & Gloriæ in membra, sibi mysticè conjuncta, & colligata ex Trid. *sess. 6. cap.*16. sed Christus est principium meritorium respectu hominum in ordine ad salutem æternam, non ratione Divinæ Naturæ, sed ratione Naturæ humanæ subsistentis in Personâ Divina, ut est de fide: ergo similiter est caput. Tertia pars ostenditur: Nam homines sunt membra Christi, prout constant corpore, & anima: Tùm quia Christus non solùm dicitur Salvator animarum, sed etiam corporum: Tùm demum, quia non solùm influit in animas, sed in corpora dona supernatural a; nâ influit in corpora gloriosa dotes consequentes ad gloriâ animæ: deinde in corpora Viatorum influit mediante animâ, frænando, & moderando eorum inordinatas concupiscentias circa objecta sensibilia.

Ephes.2.

Tridrent.

142 Secunda difficultas est: an Christus etiam ut homo sit caput Angelorum secundùm sive, quoad influxum supernaturalis vitæ Gratiæ, & Gloriæ essentialis: an quo ad externam dumtaxat gubernationem, & accidentales illuminationes? Respodeo cum communi: Christum Dominû non solùm esse caput Angelorum quoad externam dumtaxat gubernationem, & accidentales illuminationes, sed quoad supernaturalem vitam Gratiæ, & Gloriæ essentialis. Ratio est: quia circa Angelos non solùm habuit Christus potestatem dominativam, & capitalem principatum (qualè habet circa omnes res universi) sed etiam capitalem influxum omnis generis Gratię, quà fruuntur: ex Christi enim meritis est, & fuit, & erit in omni Creatura Rationali, quicquid est supernaturalis doni, ut ex *doctrinis lib. 3. præfactis* apertè consequitur.

Lib.3. disp. 2.

143 Rogas hîc: an titulus iste dominatûs circa omnes res, etiam irrationales, & inanimes sufficiat ut Christus dicatur Caput ipsorum: & an titulus finis, propter quem facta sunt omnia; atque adeò propter quem habuerunt Angeli, & homines vitam etiam naturalem, sufficiat, ut Christus dicatur Caput eorum quoad hanc vitam? Respondeo: primum titulum non sufficere, ut Christus dicatur Caput eo sensu, quo hîc Caput sumimus. Nam hæc ratio Capitis dicit ordinem ad Corpus morale, seu mysticum, unione voluntatum cõpactum ex capite, & ex membris apris participare influxum quasi vitalem capitis: quale corpus ex Christo, & ex rebus irrationabilibus non dicitur componi. Respondeo deinde, neque secundum titulum sufficere. Tùm quia alioquin Christus diceretur, & esset Caput morale damnatorum, & insensibilium. Tùm quia influxus capitis in membra, est in præsenti, ultra purè finalem, saltem meritorius, ut colligitur ex Tridentino *sess. 6. cap.* 7.

Tridentin.

144 Tertia difficultas est: Quorum hominum, & Angelorum sit Christus Dominus Caput? An omnium? An Angelorum malorum? An hominum solùm justorum? An etiam damnatorum, vel saltem Hæreticorum, & Infidelium? Video plures resolvendi modos: & tota varietas nascitur ex decisione dubii: quid requiratur, ad mysticum Christi membrum? Pater Bernal præ aliis hæc accuratè meditatus, sic definit: *Persona creata Christo Theologicè conjuncta, potens influxum ab illo recipere in ordine ad proprium bonum supernaturale.* Alii aliter. Quid apud me sit, ex ipsà resolutione constabit. Videantur nihilominus Bernal, & Lumbier; ille *disp.* 32. *sect.* 1. iste *quæst.* 26. *à numero* 1195.

P. Bernal.

M. Lumb.

145 Respondeo primò: non esse caput Angelorum malorum, neque hominum Damnatorum. Ratio est: quia neque ullo modo mysticè sunt conjuncti Christo Domino; neque ullum in eos quasi vitalem supernaturalis directionis, & vitæ influxum præstat. *Dices*: in Damnatis manet aliquis habitus supernus, & saltem supernaturalis character: quæ haberi non potuerunt in præsenti providentiâ sine influxu Christi merentis. Imprimis nullus habitus supernaturalis manet in Damnatis: deinde, estò maneant, sicuti & character, non manent ex influxu Christi, neque prout à tali influxu: neque enim manent operativi in finem habentis, sed in notam, & dedecus malè exercitę libertatis, & potestatis. Adde nullatenus eos talia dona retinere (si fortè retinent) ex conjunctione cum Christo.

146 Respondeo secundò, esse caput Angelorum malorum, dum fuerunt in viâ. Ratio est: quia Gratiam, & alia dona supernaturalia habuerunt ex influxu Christi merentis. Nec obest quòd jam tunc non extiterit Christus: Tùm quia hæc temporis distantia inter Christum, & Angelos prout in viâ, non obest influxui ejusdem in ipsos: Tùm quia neque obstat insufficienti conjunctioni capitis mystici ad hujusmodi membra.

147 Respondeo tertiò: esse caput omnium hominum, & pro omni statu, citra damnationem, tàm Viatorum, quàm Beatorum omnium; tam Purgantium, quàm Fruentium; tàm Hæreticorum, quàm Infidelium. Ita Amicus, Arriaga, Coninch, qui dicit esse sententiam communiorem. Ratio universalis est: quia omnibus his est mysticè conjunctus Christus, tanquam caput cum membris, & in singulos influit succum vitæ supernaturalis, plus, minusve. Cum Beatis conjunctus est per gratiam consummatam, & in ipsos influit actum vitæ gloriosæ. Cum justis viatoribus, & purgantibus, per gratiam viatricem: & in ipsos influit vitam supernaturalem charitatis. Cum peccatoribus Fidelibus, per habitum Fidei infusæ: & in ipsos influit motus supernaturales Fidei, & spei. Cum Hæreticis, & Gentilibus per elevationem ad finem supernaturalem, & per potentiam ad actum reducibilem: & in ipsos influit motus gratiæ excitantis, ut de propriâ sa ute, & fine cogitent: cum Parvulis per eandem elevationem, potestatem, & Parentes eorum.

Amicus. Arriaga. Koninch.

148 Dices primò: Hæretici, & Gentiles nullo pacto colligantur mysticè cum Christo ut capite. Dico, verum esse, quòd non colligentur actu, sed potentiâ ad actum reducibili: colligari tamen sufficienter ad mysticam conjunctionem membrorum cum capite mystico, & in ipsos influente. Hoc autem differt inter caput mysticum, & naturale: quòd hoc non habet rationem capitis respectu membri aridi, vel abscisi: illud autem habet, quamdiù membrum habet aptitudinem, & potentiam ad viram. Ratio discriminis est: quia caput naturale non habet vim progignendi sibi membra, sed tantùm conservandi, & influendi vitaliter in ipsâ, dum sibi actu conjuncta: Caput verò mysticum non solùm habet virtutem conservandi membra sibi actu conjuncta, sed etiam procreandi sibi, & conjungendi alia membra, elevatione, & potentiâ sibi tantùm conjuncta.

149 Dices secundò: Christus est caput An-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Angelorum, & hominum, ut est caput Ecclesiæ; ergo solùm est caput eorum, qui sunt Ecclesiæ membra: Atqui Hæretici, & Gentiles non sunt Ecclesiæ membra: ergo. Dico verum esse antecedens: & consequens in eo sensu ut Christus solùm sit caput eorum, qui vel actualiter vel potestativè sunt Ecclesiæ membra. Neque enim influxus Christi ut Capitis sit unicè in eos, qui actu sunt membra Ecclesiæ, sed in eos, qui apti sunt esse, ex ratione nuper attactâ.

150 Dices tertiò: esse membrum Christi, & esse membrum Diaboli, incompatibilia sunt: sed Hæretici, & Gentiles sunt membra Diaboli: ergo. Dico ad id tria. *Primum*: exinde etiâ fieri Peccatores non fore membra Ecclesiæ, aut Christi: quia sunt membra Diaboli ratione peccati. *Alterum*: incompatibilia esse, membrum Christi influentis in ipsum vitam Gratiæ, vel Gloriæ, & membrum Diaboli: non verò membrum Christi influêtis motum ad vitam, necdum ipsi perfectè conjunctum, & membrum Diaboli. *Tertium*: licèt Christus sit caput respectu omnium hominum, citra damnatos; ex majori, vel conjunctione, & influxu esse, & dici perfectiùs vel minùs perfectè caput eorum; & eos, ejus membra. Unde respectu Beatorum est perfectissimum caput: perfectum respectu justorum: minùs perfectum respectu peccatorum: & multò minùs perfectum respectu Hæreticorum, & Gentilium ex disparilitate conjunctionis eorum ad Christum, & Christi, ut capitis influxus in eos: unde membrum Christi genericè dicetur: *Persona creata Christo mysticè conjuncta potens ab eo recipere quasi vitaliter influxum in ordine supernaturalis vitæ.*

151 Quarta difficultas est: Per quam Gratiam, substantialemne, an accidentalem sit, & constituatur Christus, Caput Ecclesiæ? Respondeo cum Suarez, & Vazquez, quos contra Thomistas, & Schotistas communiter secuti sunt Nostri, Gratiam Capitalem in Christo primariò, & per se esse Gratiam Unionis; secundariò, & elicitivè, & quasi *quo* formalis assimilationis membrorum ad caput, esse Gratiam accidentalem. Secunda pars, quam Thomistis damus, patet: quia Gratia Habitualis se habet in Christo tanquam principium elicitivum operationum, per quas in nos influit, & tanquam id quo nos assimilamur capiti nostro, ut supra diximus.

Suarez. Vazquez. Nostri. cõt. Thomist. & Schotistas.

152 Ostenditur prima: quia illa Gratia debet esse Capitalis in Christo, per quam constituitur Redemptor, & Sanctificator; atqui per Gratiam Unionis constituitur Redemptor, & Sanctificator: ergo & illa debet esse Gratia Capitalis in Christo. Consequentia benè sequitur. Minor patet: Nam per Gratiam Unionis redditur fons omnis Gratiæ, & manet Dominus naturalis omnis justificationis, & sanctificationis, & cum jure hæc dona aliis dispensandi: nam per eam Gratiam manet perfectus, & legitimus Hæres bonorum omnium Patris. Exponitur autem major: Gratia enim Capitalis nihil aliud potest, aut debet significare, quàm Gratiam quâ Christus redditur potens influere omne genus perfectionis, & sanctificationis in alios. Quòdsi Sanctus Thomas, & alii antiqui Theologi, videntur aliter loqui, explicandi sunt per exhibitam distinctionem resolutionis.

S. Thom.

153 Quinta difficultas est: an Gratia capitalis sit ita propria Christi, ut nulli puræ creaturæ possit convenire? & quo genere ordinis Capitalis habuerit, aut habere potuit Adamus in Posteros? Respondeo ad primam partem difficultatis, affirmativè: quod est evidens ex præcedenti resolutione. Quòd si in statu innocentiæ fuisset Adam caput morale posterorum quoad Gratiam & habitus infusos, longè imperfectius fuisset: Nam neque fuisset quoad Gratiam remissivam peccati, sed merè quoad primam Gratiam supernaturaliter generativam, cum naturali generatione transfundendam: ille enim alius influxus erat ipsi impossibilis. Neque *fortè* potuit esse Capitalis causa primæ Gratiæ aliis infundendæ per meritum de condigno, juxta principia *tract. de justific. & Merito* examinanda.

Latè in 1. 2. Tract. de Bon. & malor.

154 Respondeo ad alteram: Adamum (quicquid sit de ratione Capitis respectu posterorum quoad internas illuminationes, & motus Gratiæ, quæ probabiliùs negatur ipsi) habiturum in statu innocentiæ rationem capitis respectu eorundem posterorum quoad externâ gubernationẽ tã politicã, quàm spirtualẽ. Ratio est: Tùm quia similis cõmunicata est Angelo Princip., juxta multos in ordine ad Rempublicam Angelicam. Tùm quia hæc communicatur Vicario Christi in terris, nec videtur neganda primo homini. Tùm demum, quia nullus alius esse posset, qui efficaciùs, & majori cum authoritate posset in illo statu hæc præstare, quàm homo, qui per utramque generationem, & naturalem, & supernaturalem, constituebatur à Deo Caput Humani Generis. Deus autem (quæ ejus est suavitas providentiæ,) semper res creatas, quantùm decet, & potest per Ministros idoneos gubernat, & ad fines suos dirigit. Hæc tamen non tollunt, quominus pro illo etiam statu innocentiæ Primarium Caput Humani Generis esset Christus Dominus, juxta *lib. 3. disp. 2.* venturus nullâ factâ suppositione peccati. Et hactenus de Gratia Capitali: quâ de qui plura volet; vel hæc latiùs diffusa: legat Petrum Godoy de Grati Christiâ ut Capitis per *tres disputationes* bene longas nempe 28. 29. 30. toto *tract. 6. de Incarn.* fuso, quo solet omnia, calamo disputantem.

Lib. 3. disp. 2.

Ill. Godoy.

SECTIO V.

DE VIRTVTIBVS, ET ALIIS DONIS, Christi Gratiam Comitantibus.

§. I.

QVÆ CERTA, PRÆMITTVNTVR.

155 ADeò multus est in præsenti Pater Aldrete totâ *controv. 10.* id est, à *disp. 52. adusque 60.* (quem pro genio temporum secuti sunt aliqui Iuniores) ut occasione Virtutum & Donorum Christi Gratiã comitantium, importunè transtulerit isthuc totam ferè *secundam secundæ* Sancti Thomæ. Mihi, quæ hùc faciunt, brevissimè posse exponi videntur.

P. Aldret.

156 Imprimis certum, & indubitatum mihi est, fuisse in Christo cum Habituali Gratia omnes Virtutes, & dona, quæ decent ipsum: id est, quæ Gratiam in perfecto statu, & quasi in fonte suo sequuntur: & hæc sunt omnia, quæ cum statu Beatitudinis, aut Filiationis Naturalis incompossibilia non sunt. Ratio est primò: quia Gratia in perfecto statu stare non posset sine omnibus illis virtutibus, & proprietatibus donorum, quas ea respicit ut Natura in ordine superno. Secũdò: quia non minùs debuit habere connaturales vires in omni genere honestatis Christus, quàm necessitatem ad honestè agendum: unde bene à Psalmista dicitur: *Dominus virtutum, &c.*

Psalm. 23.

157 Certum & indubitatum mihi est secundò: non satis obstare, quominùs aliquam virtutem, & donum ex his quæ sunt individuæ comites Gratiæ, adstruamus in Christo, quòd aliquis actus talis virtutis, aut doni, exerceri non potuerit à Christo Domino: nec minùs obstare, quòd nullum actum exerceret, si poterat. Ratio secundæ partis est: quia Christus constitui debet cum omni prædominio supernaturalitatis, & omni ornatu, qui deceat ipsum. Ratio primæ partis est: quia Virtus particularis habet plures actus, ad quos requiritur connaturalitate principii: non ergo desinit esse connaturaliter necessaria: quòd hîc & nunc aliquis actus impossibilis sit. Tùm etiam quia non ideò negatur Christo habitus Charitatis eò quòd non possit ab ipso haberi actus potens haberi ex ipso eodem habitu à Sancto Petro v.g. qualis est actus absolutus se conformandi cum voluntate Divina circa privationem Hypostaticæ Unionis.

158 Certum, & indubitatum mihi est tertiò: Virtutes in Christo esse ejusdem speciei cum nostris, exercuisseque per actus nostris similes, & aliquando per dissimiles, & sublimiores nostris. Ratio primæ partis est: quia sequuntur Naturam Gratiæ, quàm *supra* specificè eandem in Christo, ac in nobis agnovimus. Ratio secundæ partis est: quia à tantâ virtutum similitudine non potuit non oriri magna effectuum similitudo. Ratio tertiæ partis est: quia actus virtutum in Christo, v. gr. temperantia, non solùm respiciebant bonum honestum temperantiæ, ut decens hominem elevatum ad ordinem supernaturalem, sed etiam ut decens Deum-hominem.

Suprà à nu. 64.

159 Certum, & indubitatum mihi est quartò, esse ponendas in Christo, cum Virtutibus per se infusis, per se acquiribiles, cujuscumque sint ordinis, naturales, & supernas, si hæ ponantur possibiles. Ratio est: de supernaturalibus acquisitis: quia sunt de ornatu, & integrali decõre statûs Gratiæ: de Naturalibus, quia sive Christus elicuerit, sive non, actus naturales virtutum, ipsæ virtutes sunt perfectio Naturę Rationalis. Christo autem concedi debent omnes illæ virtutes, & dona tam in ordine supernaturali, quàm naturali, quorum accessus præponderat defectui quoad decõrem & pulcritudinem Naturæ Rationalis in utroque ordine.

160 Certum & indubitatum mihi est quintò, eas omnes virtutes, & dona, quæ Christo permanenter conceduntur, infundi debuisse ab ipso Conceptionis instanti cum Gratia habituali: quia extunc erat illi jus ad hæc omnia: nec erat ulla ratio cur fieret in infusione dilatio. Ex quibus sequitur Christo negari non debere virtutem ullam, aut do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

donum, nisi vel quia ex Scriptura constet, vel quia repugnans ejus statui, vel quia ex naturâ rei non sequitur Gratiam aut perfectionem Naturæ Rationalis in statu perfecto. Iis ita discussis in universum,& statutis ex specialibus de unaquaque Virtute tractatibus decidendum erat: an hæc vel illa neganda sit Christo, nec ne? & ferè otiosum aliquid superaddere. Nihilominùs descendemus ad aliquas difficultates, quæ communiter immisceri hîc solent.

§. II.

QVID DE FIDE?

Fides. 161 PRima difficultas: an Christus habuerit Fidem? Loquimur hîc de Fide, non prout significat Fidelitatem, quâ Promissis stamus, sed Catholicam Fidem, quâ credimus à Deo revelata: neque prout actum (nam hunc vel quia cum Visione incompossibilem, vel quia imperfectum ex obscuritate tendentiæ, negant omnes Christo,) sed habitum? Respondeo, cum communi Sententia, negativè. Ratio, quam inventu difficilem putat Lumberius, *M. Lumb.* est meo videri facilis. Non solùm ob otiositatem ipsius, siquidem erat in Christo impossibilis actus Fidei: sed etiam & potissimùm ob duo. Primum est: Fidem non esse necessariam proprietatem Gratiæ. Alterum: statum Gratiæ per accessum Fidei esse quasi violentum, & simpliciter imperfectum: ex quibus, si probentur, manifestè sequitur veritas responsionis.

162 Primum ostendo: quia Fides neque pendet naturaliter, neque naturaliter fluit à Gratia habituali: ergo non est necessaria istius proprietas. Non pendet: alioqui, non maneret in peccatore sine novo miraculo, & sine violentia. Non fluit: alioqui sine fide non esset connaturaliter Gratia, quod est perquàm falsum: implicat enim in terminis non esse Gratiam connaturaliter in Beatis, ubi est sine fide. Confirmatur primò: Nullius Naturæ est naturalis proprietas, quod opponitur suæ ipsius operationi perfectissimæ, ut ex terminis patet; atqui perfectissima operatio Gratiæ est visio, cui opponitur Fides: ergo Fides non potest esse proprietas Gratiæ. Confirmatur secundò: quia Gratia solùm radicat, & exigit habitus propter actus: ergo pro statu, cui repugnat actus, neque radicat neque exigit habitum.

163 Ostendo secundum: Fides addita Gratiæ, illam ponit in statu viali, & procul à possessione Dei ad quam ex intrinsecis ordinatur: ergo ponit illam in statu imperfecto, & quasi ejus dignitati violento. Confirmatur: Gratia cum Fide est Gratia tendentis ad Deum longè à se positum: ergo est Gratia tendentis ad centrum, nondum habitum, ipsius Gratiæ: ergo impeditur à Fide Gratia ne sit in centro suo: ergo est in statu imperfecto, si sit conjuncta cum Fide.

164 Oppones primò: habitus Fidei manet in Beatis: quidni in Christo? Secundò: quia non differt ab speciebus impressis credibilium: quæ negari Christo non possunt. Tertiò: quia juxta plures, quibus favet Franciscus Cartagena *lib. de triplici lum. & lib. de Prædestin. discurs. 8. ad 7.* habitus Fidei non differt ab habitu Luminis Gloriæ. Imò juxta Rubionem & alios apud Arimiuensem ipse actus Fidei transit in Visionem beatificam. Respondeo &

Cartagena.

Rubio. Arimin.

165 Ad primum, negetur assumptum. Eo deinde permisso posset assignari disparitas: nam in Beatis esset titulus, cur maneret in Insigne Victoriæ, quam media Fide referunt Viatores de Diabolo: posset autem existimari congrua ratio, ut habitus ille, medio quo Beati suam Beatitudinem assecuti sunt, & de Diabolo triumphaverunt, reservetur, non ad operandum in statu Beatitudinis, sed in trophęum, & in insigne victoriæ: at respectu Christi nullus hujusmodi titulus excogitari valet.

166 Ad secundum: in quod, nonnemo, sine ullo duce, solo pondere existimatæ paritatis ex doctrina circa habitus naturales, impegit, nego similiter assumptum: & illud nego, quale proponitur, ut *temerariò* assumptum. Primò: quia juxta communem Theologiam de qua Ripalda *disp. 54. de supernaturalit. sect. 1. & 2.* species quibus utimur ad assensum Fidei, non sunt supernaturales, & infusæ, sed naturales: habitus autem Fidei supernaturalis est. Secundò: quia habitus Fidei necessariò est habitus actuum obscurorum: species verò non ita se habent. Tertiò: vel species, in quibus ponis habitum Fidei, sunt, species objectorum credibilium, ut credibilium: vel species eorum objectorum specificativè: vel species Authoritatis Divinæ, & Revelationis? Non primæ: quia sic infunderentur cum Gratia baptismatis: unde baptizati non egerent instructione ad credendum: instructio enim non requiritur nisi ad

Alia opinatio

P. Ioannes Ripalda.

ad acquirendas species objectorum. Non secundæ: quia alioquin de omni objecto, de quo haberemus speciem impressam, haberemus Fidem. Non ultimæ: quia istæ species, cujus relevationis species sunt? si nullius determinatę, quomodo determinatè continent assensum hujus, & illius revelationis? si omnium determinatè: quomodo sit instructionis novæ necessitas?

167 Quartò: species credibilium manent in Hæretico, & præcedunt Gratiam in infideli, quin tamen in utroque vel maneat, vel præcedat habitus Fidei. Quintò: quia si paritas à naturalibus valet aliquid, cur non extenditur ad habitus infusos voluntatis, eosque sicut & naturales, non ponis in speciebus, & cognitionibus. *Dicis*, quia cognitiones non influunt efficienter in actus: ut opus erat ad rationem habitûs infusi. Contra primò: ergo si influerent, poni habitus infusi possent in cognitionibus, & auxiliis actualibus: sed probabilius est Gratiam auxiliantè, efficienter influere: ergo à pari probabilius esse debet quòd non dentur habitus infusi à cognitionibus distincti: quod judico proximum errori. Secundò: quia non est necesse quòd habitus efficienter influant: poterit enim Deus aliter elevare in genere physico potentias nostras.

168 Ad tertium nego etiam assumptum quoad partem utramque. Subdi posset, quod à nonnemine audivi, posse Fidem & reliquas virtutes in Christo & etiam in Deo aliquomodo agnosci: nulla enim est cujus aliquis actus non possit haberi à Christo, imò & à Deo. A Christo simul, & à Deo, quia potuit uterque dicere: datur Incarnatio, quia ego revelavi: Ex mea revelatione benè deducitur existentia rei revelatæ. Circa alias virtutes potuit uterque complacere in hoc statu speciali Humilitatis, Temperantiæ, Castitatis, &c. Imò Deus potest habere in Persona Patris v.g. hunc aut similem actum: si unitus essem Naturæ Rationali nexu hypostatico, vellem adorare Deum, obedire, &c.

169 Miror hæc à Theologis potuisse dici. Imprimis quicquid sit de affectibus purè conditionatis in subjecto, in quo non repugnat absolutus: certum mihi est, eos affectus, in subjecto, cui repugnat absolutus, esse impertinentissimos & inutiles, atque adeò non egere habitu elicitivo. Deinde mera complacentia in eo quòd alii casti sunt aut in speciali honestate castitatis v. gr. non est ratio sufficiens ad ponendum habitum, & virtutem Castitatis; nam oriri potest ex inclinatione ad honestum, & ex rectitudine voluntatis placentis in omni eo quod honestum videt. Tertiò: assensus Fidei, & actus illius est assensus nitens testimonio Dei loquentis, quomodo ergo pertinere potest ad Fidem reflexio supra connexionem, & veritatem divinæ revelationis? & quid est, dari mysterium, quia Deus revelavit? si causaliter dicatur, est falsum, & nihil theologicè dictum. Vltimò: quinam effectus sunt illi, quos Deo tribuis pro casu unionis? Personane, Deum adorat & se? sibi obedit, aut Deo? an Humanitas? quòd autem Deus id velit, quid habet singularitatis, cùm etiam velit quod & ego obediam, & ego adorem, nisi velis aliquos affectus ponere in Patre, qui non sint in Filio, aut Spiritu Sancto? Sed in Theologiâ, hæc mihi non placent.

§. III.

QVID DE SPE, ET PÆNITENTIA.

Spes. 170 SEcunda difficultas: an Christus habeat spem Theologicam quoad actũ, & Habitum? Noto virtutes sumi posse dupliciter: entitativè, seu quoad substantiam habitûs; & Denominativè, sed quoad ethimologiam vocis. Entitativè, seu quoad substantiam sumitur Virtus, quando præcisim ab actibus, & voce, quâ communiter ob eos significari solet, sumitur entitas habitûs. Denominativè, seu quoad ethimologiam sumitur virtus, quando sumitur, & explicatur per ordinem ad eos actus, a quibus denominatur, & accipit appellationem. Est discrimen, quòd si dicatur esse in aliquo virtus ethimologicè, videmur significare in subjecto aptitudinem, ut in illo virtus exerceat actus à quibus sumpsit appellationem. Si verò solùm dicatur esse in aliquo virtus entitativè, significamus esse substantiam habitûs, & præscindimus ab illâ, quam dixi nuper, aptitudine.

Ant. Per. 171 Respondet communis sententia negativè: pro quâ stat novissimè Pater Antonius Perez, nixus in *tribus. Primum* est: quia sicut datur virtus in intellectu, de cujus ratione sit tendere in Deum nondum visum, quæ Fides est; non est cur in Voluntate non comitetur congener virtus, de cujus ratione sit tendere in Deum, qui nondum habetur: unde infert Fidem, & Spem

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, & consti uere statum hominis habentis Deum in expectatione, & in ænigmate & ex se esse apparatum viatoriam exclusivum profunde quieris, in qui via desinit. *Alterum* est: quia spes essential ter pender à Fide: est enim de ratione spei, desiderare vel formaliter, vel virtualiter Deum. *Tertium*: quia objectum formale spei non est utcumque Deus quà bonus nobis, sed Deus quà bonus nobis, nobilque promissus: unde nascitur expectatio. Satis probabiliter hæc dicuntur. Nihilominùs

P. Suarez. 172 Respondeo cum Patre Suarez affirmativè quoad habitum entitativè: & quoad plures actus: non tamen quoad habitum ethimologicè, neque quoad actum præcipuum à quo sumitur ethimologia spei. *Tres* partes habet resolutio. *Tertia* patet: quia actus præcipuus spei est expectatio summi boni nondum possessi; & hæc Christo repugnat, atque adeò & habitui, prout in ipso, apellatio, quam sortitur in nobis. Secunda probatur: tùm quia Gaudium de bono quod cadere ex se potest in desiderium virtutis, pertinet ad virtutem eandem, ut proprius actus. Tùm etiam: quia & alios strictiores actus expectationis, & fiduciæ habere potuit Christus circa Gloriam Corporis, & alia bona à Deo ipsi promissa, vel imposterum concedenda. Video Patrem Aldretum maximè repugnantem huic

P. Aldret. *P. Ripald.* Doctrinæ; ea verò post Ripaldam communis est. Tùm demùm quia juxta plures etiam est actus proprius spei, ille quo quis, alteri optat, & desiderat Beatitudinem & hic actus erga nos Christo non defuit. Iam *Prima* pars evidenter infertur: siquidem ubi habitus habet aptitudinem, ut aliquos suos actus exerceat: non est cur aliundè quæratur virtus ad eos, & ipse negetur.

Pœnitētia. 173 Tertia difficultas: an Christus habeat inter virtutes morales Pœnitentiam?

P. Suarez. Respondeo cum Suarez affirmativè de habitu Pœnitentiæ, quoad entitatem sumpto: nò verò sub eà appellatione significante aptitudinem ad actum à quo sumitur appellatio. Ratio communis pro secundâ parte est perbrevis, & perquàm vera. Nempè: quia actus præcipuus, à quo dicitur in nobis hic habitus, habitus Pœnitentiæ, est pœnitere de culpâ propriâ, & à nobis commissâ: qui actus repugnat impeccabili. Pro primâ parte ratio aliquorum est: quia Christus potuit habere actus conditionatos ex objecto formali pœnitentiæ.

174 Verùm jam dixi *num.* 169. hos actus in subjecto, cui repugnant absoluti, & absolutè conditio sub, qua tendunt esse ut plurimum imprudentes, & otiosè confictos: quis enim cogitet Christum cogitare quid faceret casu quo ipse desineret esse purificatio autè conditionis destrueret statū presentē de quo loquimur. Deinde dixi, & repeto eos actus conditionatos, si ita fingantur, spectare ad specialem virtutem, distinctam ab eà, quæ ex se respicit absolutos. Alioqui ex ordine ad similes actus liceret Angelis, & substantiis impeccabilibus dare virtutes sequativas passionum: quod solùm dici potest ex pressurâ principii inconsultò jacti. Ratio aliorum est, quia potest vel complacere Christus in honestate Pœnitentiæ: vel in eo quòd nos exerceamus actus Pœnitentiæ. Hæc ratio laborat simili absurdo. Deinde jàm eo *numero* 169. dixi etiam hos actus solùm elicitivè pertinere ad rectitudinem voluntatis, & ad inclinationem rendentem in omne genus honestatis. *Suprà nu.* 169.

175 Ratio ergo solida resolutionis dupliciter formari potest. Primò juxta principia mihi valde probabilia Patris suarez opinantis Virtutem Pœnitentiæ non distingui reipsa, & entitati è a supernaturali justitiâ nostri ad Deum, & sub respectu ad specialem actum dici Pœnitentiam: & juxtà hæc, ratio est omnino facilis: nam Christus habuit habitum supernaturalem justitiæ erga Deum & exercuit, & exercere potuit multis modis. Secundò juxta communiora principia distinguentium à reliquis virtutibus particularibus habitum Pœnitentiæ. Nam etiam in Christo habitus pœnitentiæ, licèt elicere non posset actus fugæ circa malum culpæ, potuit elicere actus prosecutionis circa bonum quod intendit Pœnitentia: neque enim quicquid velit Esparza, est habitus ita aversivus, & deletivus mali, ut nullius boni intentivus sit: Malum enim cupimus fugere propter bonum *ut latè dictum ad* 1. 2. Deinde non solùm est actus proprius pœnitentiæ ut aversivæ, fugere mala culpæ propriæ, sed alienæ: non est

P. Suarez & suprà lib. 4. disp. 4. a n. 254.

P. Esparza

Latè in 1. 2. Tract. de Actib. Hum.

ergo, cur non ponatur in Christo
virtus entitativa moralis
Pœnitentiæ.

*** *** *** *** ***

§. IV.

§. IV.

QVID DE ALIIS VIRTVTIBVS, ET Donis?

Alia Virtutes morales. 176 QVarta difficultas: an Christus etiam inter virtutes morales habuerit Liberalitatē, & Munificētiam, Temperantiam, & Castitatem? Videntur illæ negandæ: nec istæ concedendæ: illæ, ex defectu materiæ: nam materia liberalitatis est pecunia vel aliquid æquivalens: caruit his Christus; atque adeò neque liberalis esse potuit, minusque potuit esse munificus. Istæ, quia tendunt ad frænandas passiones ex sensuum delectatione oriundas, quibus Christus caruit.

177 Respondeo affirmativè quoad singulas: quoad liberalitatem, & munificentiam, Tùm quia falsò restringitur a Vazquez materia harum virtutum ad pecuniam, cùm extendi possit ad omne genus utilis: unde non potuit non esse liberalis Christus circa ea quæ præstitit commoda hominibus per miracula, & quidem munificus, cùm sumptus miraculorum magnos fecerit. Quidquòd, & pecuniam precariò habitam dabat, & quinque millia hominum pavit in deserto, magno sumptu miraculi. Quoad temperantiam, & castitatem: nam licèt Christus non exerceret actus frænativos passionum, exercere poterat alios ad hujusmodi virtutes pertinentes tam quoad moderationem cibi, & potûs, quàm quoad usum sensuum; & demum complacendo sibi in fomite extincto, & animi quiete ex harum virtutum amore, & honestate. Et hæc præcipua de Virtutibus.

P. Vazq.

178 Quinta difficultas: an Christus habuerit Spiritûs Sancti Dona? Respondeo affirmativè: Idque plures de Fide putant ex illo Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Ratio autem est: tùm quia talia dona sunt proprietates Gratiæ, neque Spiritus Sanctus sine eorum infusione intelligitur perfectè communicatus animæ. Tùm etiam quia verosimile est ea dona non distingui entitativè à virtutibus infusis, sed esse easdem virtutes infusas, prout aptę sunt operati supra regulas ordinarias, & per vehementiorem, & extraordinarium Spiritûs Sancti impulsum.

Spiritûs S. Dona. Isaiæ 11.

179 Dices: ideò modus operandi qui attribuitur his donis, non videtur Christum decere; nam qui sic operatur, potiùs agi dicitur ab Spiritu Sancto, quàm agere, quin percipiat ob modum extraordinarium, & insolitum motionis, quomodo, aut quâ ratione moveatur. Respondeo id in nobis oriri ex imperfectione intellectûs qui per fidē ambulat, & in ænigmate, nec satis capit Spiritûs Sancti Numen cum majori quadam vehementia irruentis in animam & tantum non cogentis. Quæ imperfectio licèt abesset Christo, non ideò deesse debuit operari & excitari supra communem modum & regulas ordinarias ex pleno quasi impulsu Spiritûs: ut visus est operari, cùm ductus est ad desertum ab Spiritu: cum Zeli flammâ correptus ejecit è Templo Nummulariorum mensas & hujusmodi alia. Est tamen specialis &

180 Sexta difficultas: an Christus inter Septem Spiritûs Sancti dona habuerit donum Timoris? Respondeo multiplicem posse cogitari timorem. *Primus* sit reverentialis, quo quis alterum propter ejus supereminētem potestatem, & majestatis amplitudinē, vel terribilitatem justitiæ ita reveretur, ut coram ipso mutire vix audeat. *Alter*, filialis quo quis averlatur malum ut imminens vel in se, vel in aliis Filiis. *Tertius*, Admirativus, quo quis affectu ex admiratione, & timore mixto vix audet hiscere suspiciens potentiā magnam alterius. *Quartus*, cautionis, quo quis cavet mala vel culpæ vel pœnæ, propter honestatem subjectionis ad alterum, eliciens actus virtutum, vel per quos impediat in se hæc mala hic & nunc, vel quibus si non essent aliunde impedita, impediret, & impedire vellet. *Quintus*, trepidationis, & anxietatis, quo quis luctatur contra malum imminens.

Dona Timoris.

181 His positis, dico, Christum habuisse donum timoris, potuisseque exercere se per *quatuor* prima genera timoris: non verò per *quintum*, quia ea anxietas, & trepidatio non potest cum tranquillitate componi. Hæc dico circa malum culpæ, & pœnæ: nam circa tormenta, & alia mala, quæ propter nos sustinuit, exercere potuit, & exercuit timorem, ut habetur in Evangelio.

182 Septima difficultas: an Christus habuerit Gratias gratis datas, seu, quæ sic appellari solent: nam respectu Christi ex suppositione primarii doni, omnia deinceps consequuntur ex jure. Respondeo affirmativè de omnibus novem, quas Paulus enumerat *ad Corinth.* 12. 8. Ratio est illa gene-

Gratiæ gratis datæ.

Corinth. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis, quòd Christus sit Caput & exemplar omnis Gratiæ: atque adeo sicut in Capite residunt omnes sensus, ita in Capite omnis Gratiæ Christo, residere debent omnes Gratiæ: quod est Augustini *in Epistola ad Dardanum*: ut de *ejus plenitudine* omnes accipiant. *Dices* primò: ad quid Gratia linguarum, si ea Christus nunquam est usus? Respondeo, ut si vellet, posset uti pro libito; quicquòd non constat, ea Christum non usum, vel in Ægypto cum peregrinaretur, vel cum Gentibus, quæ veniebant ad se.

Augustin. Ioann. 1.

Abulens.

183 *Dices* secundò ex Abulensi: Prophetiam dicere imperfectionem obscuritatis, atque adeo negandam esse Christo. Adde in Beatis non admitti. Respondeo imprimis negari non posse Christo vim cognoscendi occulta, & futura tanquam ipsi debitam; deinde negari non posse libertatem, & potestatè ea manifestàdi prout vellet. Si semel de his constet, cætera lis erit sola de voce: quare dico, eâ imperfectionem obscuritatis contingere in nobis, unde dixit Paulus propheriam evacuâdam in Patria; non verò esse essentialè prophetiæ; nâ ejus rationi essentiali sufficit, futura, & arcana prædicere supernaturali, & extraordinariâ vi. Non est ergo cur Christo negetur.

184 Adde, in Beatis negari, quia Propheta est ille, qui potest ex divino afflatu aliis cum ipso vitam communem degentibus arcana prædicere, & occulta quæ ex sola Dei revelatione cognoscuntur: & Prophetia est ipsa facultas prædicendi: unde vides esse de ratione Prophetæ, & Prophetiæ statum viatoris, qui nobis est communis; qui status, non obstante statu comprehensoris, Christo non defuit; Beatis deest: & in hoc sensu potest aptè Paulus intelligi.

§. V.

QVID DE GRATIA AVXILIANTE AD operandum Supernè?

Gratiæ Auxiliantes

185 Octava difficultas: an Christus habuerit, vel habere debuerit ad supernaturaliter operandum, & merendum Gratiam auxiliantem? Thomistæ, qui disputando de Auxiliis Gratiam actualem, & auxiliantem, non quidem in illustrationibus, & affectionibus ponunt, ut nos, sed in qualitatibus emortuis, & fluidis; ita ut auxilium efficax constitat in qualitate prædeterminante; sufficiens verò in qualitate fluidâ, & ex se transeunte, & inconnexa cum opere: dicunt hîc cum Godoy *disp.* 23. §. 8. Christum non eguisse auxilio sufficienti; nam ejus munere, satis abundè fungerentur Virtutes infusæ; eguisse verò indispensabiliter efficaci. Tota hæc doctrina nititur principiis omninò falsis, & abundè rejectis disputando *de Scientia Dei, & de Auxiliis disp.* 2. & 8. ubi aliter de Actuali Gratiâ discurrendum esse monstravimus.

Ill. Godoy.

Latè tom. 1. P. Tract. de Scientie, & Auxiliante Deo.

186 Respondeo ergo primò: Ad actus supernaturales virtutum eguisse Christum auxiliis Divinæ Gratiæ Actualis. Ratio est primò: quia Humanitas Christi Domini secundùm se est ejusdem conditionis cum nostrâ: atque adeò æquè indigens ad supernaturales actus auxilio superno: Nam Vnio præstare non potest vicem auxilii, ut ex Doctrinis nostris *in tract. de Auxiliis* liquidò fit. Secundò: quia Hypostatica Vnio non adimit Humanitati necessitatem habituum, aut aliarum virium supernarum in genere physico: ergo neque necessitatem auxilii in genere illustrationis & tractionis intentionalis. Tertiò: quia ex fusè inculcatis, cùm de Gratiæ necessitate, adeò necessaria est prælucentia supernaturalis auxilii ad affectus supernos ex istorum excellentiâ, ut pertingat ad metaphysicam usque necessitatem, & omninò indispensabilem.

187 Respondeo secundò: cùm duo sint Auxiliantis, & Actualis Gratiæ genera: alterum illustrationum: affectionum indeliberatarum alterum, dico, hoc secundo genere auxilii nec Christum eguisse, nec usum. Ratio: quia ex ibidem expensis, affectio hujusmodi indeliberata solùm est in his, qui imperfectè concipiunt, & in deliberatione pigrescunt ex imperfectione potentiæ, & notitiarum. Respondeo tertiò: si Christus habuit, aut habere potuit actus naturales virtutum moralium, & in re honestos, non eguit auxilio actuali superno ad merendum: nâ per hos actus mereri posset: ad quos necessitas supernaturalis auxilii nulla est. Vide quæ diximus *lib.* 4. *disp.* 2. *sect. ultim.* contra quâ doctrinam nunc video totis viribus insurgere Godoy *disp* 23. *à nu.* 82. Sed hæ tenues sunt; & omninò fortiores quas pro ipsâ sibi objicit *à nu.* 105. *adusque* 135. nec satis frangit. Addo nunc pro ea, ex nostris, unum instar omnium, Patrem Suarez *disp.* 39. *sect.* 2. *concluf.* 4. & ex Thomistis Illustrissimum Araujum hîc.

Suprà lib. 4. disp. 2. nu. 69.

Godoy.

Suarez.

Araujo.

188 Nona difficultas: In quo genere Actuum

Cujusmodi Gratia Auxilians in Anima Christi?

Actuum constiterit in Christo Auxilians actualis Gratia, quam necessariam diximus? Respondeo vel constitisse in Visione ipsa Beatifica, vel in Scientiâ infusâ: quicquòd cùm in Christo sit adeò multiplex Scientia, & cognitio de genere superno, potest assignari multiplex constitutivum istius auxilii. Neque enim, ut nos, egebat Christus ulteriori cognitione ad operandum, præter eas, quæ comitabantur statum ipsius. Dices: cognitio illa, in quâ ponatur auxilium, debet esse practica. Verùm hæc ratio practici sumitur à conjunctione cum opere, ut *alibi* dixi cum Herize: unde omnis speculatio fieri potest, si velis per ipsam operari, practica.

Latè in log. Rursus tract. de Scient. Herize.

189 Decima, & ultima difficultas: an fuerint in Christo aliqua auxilia Gratiæ Actualis, quæ non fuerint efficacia, sed manserint merè sufficientia, & inefficacia? Ratio dubitandi, & affirmandi est gravis. Eaque duplex: Prima: quia illa Gratia non erat prædeterminans, ut neque nostra: ergo manere potuit sine opere, & merè sufficiens. Secunda: Nam Christi libertas non erat indifferens ad bonum, & malum, sed ad extrema bona: ergo constituebatur per duas cognitiones, quarum una suadebat unum, & alterum altera: utraque autem erat Actualis Auxilians Gratia, & utramque impleri, æquè erat impossibile ac poni simul utrumque extremum, respectu quorum erat indifferentia: ergo alterutra Gratia debuit manere merè sufficiens; si altera erat efficax.

190 Nihilominùs placet discursus Patris Ripaldæ *disp.* 111. *sect.* 2. *à num.* 122. docentis, auxilia dispensata Christi Humanitati, utpote omninò perfectiora his, quæ nobis dispensari solent, fuisse simpliciora, & indivisibiliter suasisse alterum è duobus extremis honestis, ut eligeret Voluntas Christi quod mallet. Quæ Doctrina mirificè consonat his quæ præfeci *lib.* 4. *disp.* 6. *sect.* 2. cum Patre Bernal de optione datâ Christo eligendi in singulis quæ mallet: Vnde fit nullam Gratiam auxiliantem in Christo potuisse esse inefficacem; nam suasioni disjunctivæ, æquè satisfit per alterutrum ex extremis. Fit deinde adeò perfectum fuisse Christum in operando, ut nullam illustrationem, aut impulsum Spiritûs Sancti vel rejecerit, vel non impleverit, quantùm poterat impleri.

P. Ripald.

Suprà lib. 4 disp. 6. sect. 2. P. Bernal.

191 Dices: ergo auxilia Christi erant intrinsecè efficacia. Distinguo; positivè, nego: negativè, concedo, id est non poterant esse inefficacia: non tamen voluntatem Christi præoccupabant in jure se determinandi: nam cum impotentia frustrandi auxilium, cõponebatur optimè indifferentia ad quodlibet extremorum. Videatur Ripalda citatus: & hæc nobis sufficiant *de Sanctitate, & Gratia Christi.*

DISPVTATIO II.

DE PRÆROGATIVIS SANCTITATIS IN Voluntate Creata Christi.

1 CHRISTI Gratiam, & Sanctitatem, quæ planè deificant Christi ipsius animam, & voluntatem, expendimus. Videamus, quas in eâdem Christi voluntatem prærogativas inducant. *Tres* potissimùm video: easque maximas. Et sunt *Impeccabilitas, incapacitas moralis Imperfectionis, & Summa cum Divina voluntate Concordia.* In quarum explicatione se offerunt gravissimæ Controversiæ. Accedet excursus ad eos defectus, qui passiones animi dici solent, & videbimus, quousque vel impediverit vel permiserit in Christo Domino tanta plenitudo Gratiæ, & Sanctitatis: per quæ tota res hæc, suis omninò numeris absolvetur.

Opor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Varii errores.

2 Oportet autem ante omnia præmittere contra *Manichæos*, qui veram in Christo voluntatem negarunt; & contra *Apollinaristas*, qui negarunt in Christo Animam Rationalem, atque potentias; & contra *Euthychianos*, qui negarunt veram humanitatem; & contra *Monophysitas*, qui unam solùmmodò Naturam agnoscebant in Christo; & maximè contra *Monothelitas*, qui magis expressè negarunt in Christo dualitatem voluntatum, & volitionum, seu operationum; admissis tamen duabus naturis, & pertinaciter rejectâ creatâ voluntate, seu volitione, seu operatione; præmittere inquam oportet in Christo, sicut & duas naturas, sic & duas voluntates, & operationes, alteram Divinam; creatam, Alteram, omninò fuisse. Id quod de fide est, & apertè expressum in Scripturis, & clarè definitum à Conciliis, & summis PP. præsertim à VI. Synodo *act.4. & 8.* Cujus hæc verba sunt: *Confitemur in Christo omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas ejus prædicamus, & unamquamque proprietates naturales habere confitemur: Divinam omnia, quæ Divina; Humanam, omnia, quæ humana sunt, absque ullo peccato.*

VI. Synodi Verba contra ipsos.

3 Videndi super hac veritate, & præsertim super Monotheleos, cui opponitur, intelligentiâ, Pater Vazquez *disp.* 73. Cardinalis Baronius *tom.* 8. *ad ann.* 654. *& in app. ad tomum eundem.* Sed ante alios eruditissimus P. Augustinus Bernal *disp.* 48. 49. *&* 50. Nos, ex polemicâ salutatâ, transeamus ad Scholam.

P. Vazq. Card. Bar. P. Bernal.

SECTIO I.

STATVITVR, ET OSTENDITVR IMpeccabilitas Christi Domini.

§. I.

CERTA, IN CONTROVERSIA: EIVS status: & Opiniones.

4 TRia hîc omnibus certa, & indubitanter admissa & supponenda. Primum: Christum nunquam peccasse, nec in peccato fuisse. Idque est certum ex Fide: Tùm ex illo Luc.1 *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Tum ex 1. Petri 2. 22. *Qui* (nempe Christus,) *peccatũ non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Videantur inter alios Moncæus *disp.9 cap.*1. & Godoy *disp.*41. §.1.

Luc. 1. *1. Pet. 2.* *Moncæus. Godoy.*

5 Secundùm: Christum Dominum consideratum prout de facto, & simul cum omnibus donis, quæ de facto habuit, & quæ ratione unionis habere debuit, esse de facto impeccabilem. Ratio est primò: ex Visione Beatificâ, quam ex instanti Conceptionis habuit. Secundò ex plenitudine omnis gratiæ, quam supra vidimus. Tertiò ex exclusione omnis ignorantiæ; omnis autem peccans est aliquomodò ignorans.

6 Tertium: ex vi unionis Hypostaticæ reddi Humanitatem saltem ex naturâ rei, & mediatè impeccabilem. Ratio est primò: quia ratione unionis Hypostaticæ saltem ex naturâ rei debitus est ipsi status quem habuit. Secundò: quia etiam debita fuit exclusio omnis ignorantiæ. Tertiò: quia ut sæpè diximus, etiam ratione unionis habuit Humanitas jus ad omnia dona sibi possibilia, quorum unum est, elongatio ob omni peccato, & peccandi periculo.

7 Quæstio ergo superest: an Humanitas Christi Domini ex vi unionis, factâ vel per impossibile, vel de absolutâ potentiâ, vel quo nodolibet exclusione Donorum, quæ comitantur Vnionem, nempè Visionis, & Gratiarum accidentalium, vel facta ad summum donorum eorundem præcisione, solùmque retenta suppositione Vnionis, & Gratiæ substantialis, maneat immediatè impeccabilis adeò ut neque de potentiâ absoluta Dei peccare possit, aut existimari potens peccare, non solùm per immediatam, & formalem incompossibilitatem Doni unionis cum omni genere peccati, sed etiam cum potestate peccandi, vel destructivâ unionis, vel saltem ipsius evitativa per actum peccaminosum.

8 Video quinque sententias. *Prima* est Durandi, & Schoti, quos, excepto Pitigiano reclamante pro Schoto, sequuntur Recentes Schotistæ; & asserit Humanitatem Christi, si cum solâ Vnione, & Gratiâ substantiali consideretur, aut ponatur, peccare posse, quidem peccato compossibili cum ipsa unione. Hanc opinionem gravissimis censuris cæteri Theologi feriunt, quas apud ipsos facile est legere.

Durand. Schotus. Pitigian.

Pet. Hurt. Roder. Arriaga.

9 Secunda est Petri Hurtado *disp.* 59. & 60. & Roderici de Arriaga *disp.* 35. & asserit Humanitatem Christi, sic consideratam, peccare posse, peccato destruente ipsam Vnionem. Tertia est aliorum Recentium, quibus satis favet Aldrete *disp.* 72. *sect.* 4. *num.* 6. & asserit Humanitatem Christi non usque adeò esse impeccabilem ratione Vnionis, ut Volo componi non possit cum potestate antecedenter evitativa ipsius per peccatum. In quem dicendi modum pro defendendâ libertate Christi Domini cum præcepto, relapsi sunt Authores *lib.* 4. *disp.* 5. *num.* 57. *& num.* 60. citati, quos protegit Reverendissimus Pater Generalis N. M. Thyrsus *tom.* 3. *disp.* 30. non plus assequente, nec intendente Magistro Lumbier *quæst.* 32. *&* 33. *de Incarnatione*, per illam proximam peccandi potentiam, quam admittit in Christo Domino, conjunctam cum impossibilitate peccati à *Remotis*, ut ait, scilicet ab Vnione, proveniente. Ita constat ex earum Quæstionum epilogo à *num.* 1881. quem ipse, Authoris jussu, concinnavi. *Quarta* est aliorum, pro quibus stat apertè Pater Koninch *disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 34 & asserit: Christi Humanitatem manere quidem ex præcisâ Vnionis Dono simpliciter impeccabilem, non tamen physicè, sed moraliter. *Quinta* est communis inter Vetetes, & Modernos Scriptores, & asserit Christi Humanitatem ex vi Vnionis præcisè manere simpliciter, immediatè, & undequaque impeccabilem.

P. Aldret. *Thyrsus. M. Lumb.* *P. Koninc.* *Sententia Communis*

§. II.

Prima conclusio.

HVMANITAS CHRISTI RATIONE Vnionis præcisè, manet immediatè impeccabilis tam pro sensu composito, quam diviso, saltem ex naturâ rei, & de potentia ordinaria.

10 ID saltem negari non potest ab Scholasticis: nam id saltem evincunt Concilia, Constantinopolitanum, Florentinum, & Francofurtense, & alii Patres: dum ab his uno ore definiunt impeccabilitas Humanitatis ratione Deificationis à Verbo, ratione suppositi, in cujus unitate manet: ubi nullus recursus fit ad dona Vnionem consequentia. Videantur *loca* apud Suarez, Vazquez, Moncæum; Bernal, & Aldretum. Nequit autem asseri Natura impeccabilis ratione doni, quocum potest componere vel peccatum, vel potentiam peccati destructuri existentiam talis doni, ut acutè notarunt Meratius, & Moncæus: & patet in Homine justo, qui licèt componere cum Gratiâ peccatum nequeat, saltem ex Naturâ rei, quia tamen peccando potest Gratiam à se dividere, non dicitur manere impeccabilis, ratione Gratiæ. Iam verò, à ratione, posita Veritas

Concil. Constantinopolit. Florent. Francofor.

Suarez. Vazquez. Moncaus. Bernal. Aldrete. Meratius.

11 Ostenditur primò: quia Humanitas vi Vnionis, & Divinitatis unitæ habet jus ad omnia dona sibi possibilia, inter quæ necessariò sunt Gratia, Visio, & defectus omnis peccati, & indifferentiæ proximæ ad illud, & omnis ignorantiæ ergo saltem ex naturâ rei peccare non potest vel peccato compossibili cum tali unione, vel destructivo talis unionis. Antecedens patet ex passim obviis in toto *tractatu*, præsertim *lib.*1 *disp.* 3. Consequentia probatur, tùm quia nequit esse Vnita Divinitas, Humanitati tale jus, quin consequenter sit ipsi connaturalis necessitas carendi contradictoriis, quæ à talibus donis excluduntur; sed inter ipsa contradictoria est peccatum, & indifferentia ad peccandum: ergo quin ipsi Humanitati sit connaturalis saltem necessitas carendi peccato, & indifferentia ad ipsum. Tùm etiam quia id, ratione cujus manet debita subjecto forma immediatè incompossibilis cum aliâ formâ, necessariò præcedit cum immediatâ incompossibilitate ad talem formam. Ratio est: quia necessariò connectitur cum ablentia talis formæ, quippè connectitur cum existentia formæ incompossibilis. Sed Visio, Gratia, & defectus ignorantiæ, & peccati debentur Humanitati ratione unionis: ergo, &c. Quòd autem Vnio saltem ex naturâ rei sit etiam exclusiva peccati, quo ipsa dissolveretur, patet quia est status, ex naturâ rei saltem perpetuus; cùm fundet proprietates, de quarum ratione est esse perpetuas.

Suprà lib. 1. disp. 3.

12 Ostenditur secundò: quia non solùm Divinitas unita, sed ipsa unio est quasi forma sanctificans Humanitatem, ipsamque reddens Deo placentem, & amicam, & quidem vi sanctificandi saltem ex naturâ rei perpetuâ, & indestructibili: quæ omnia ex antecedenter disputatis sunt evidentia: ergo necessariò manet Humanitas ratione Divi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Divinitatis unitæ immediatè impeccabilis cum in sensu composito, quam diviso. Consequentia patet quoad primam partem: quia omne genus sanctitatis, est saltem de potentiâ ordinariâ status incompossibilis cum peccato. Quoad secundam partem ostenditur: nam implicat perpetuitas formæ, quæ ipsa excludat ex intrinsecis omne contrarium, quo posset destrui: ergo si status Deificationis, seu Deitatis unitæ est saltem ex naturâ rei perpetuus, implicat quòd non excludat ex intrinsecis id quocum incompossibile est: ergo &c.

13 Ostenditur tertiò: Ratione Divinitatis unitæ accedit formaliter Humanitas ad gradum Filiationis naturalis Dei, & Amicitiæ omnium, quæ inter Creaturas, & Deum sunt, & possunt excogitari possibiles, summæ: ergo manet Humanitas quantùm potest impeccabilis tam in sensu composito, quàm diviso. Antecedens patet ex *disputatione præcedenti sect.* 1. *&* 2. Et est mihi notum ex ipsis terminis: nam Humanitas manet in unitate Divini suppositi, summè cognata Deo, & quantum creatura potest amari, amata.

Suprà in hoc. lib. disp. 1. *sect.* 1. *&* 2.

Probo consequentiam. Quia quilibet accessus ad Deum, & quævis amicitia constituit aliquam impeccabilitatem, pro gradu suo: quod placet explicare, & ostendere: nam amicitia, quam habet Deus cum viatoribus est in genere amicitiæ Dei, minima: unde aliquam impeccabilitatem includit, & alias non includit: includit impeccabilitatem in sensu composito, juxta *illud* Ioannis: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare. Epist.* 1 *cap* 3. *v.* 9. Multas præ sui imperfectione non includit: nam & conjungitur cum potestate peccandi, peccato ipsius amicitiæ destructivo; atque adeò est amicitia dissolubilis pro tempore futuro; Deinde conjung. potest cum offensione levi; atque adeo non est amicitia incompossibilis cum omni imperfectione amicitiæ. Demum non est adeò perfecta amicitia, ut non agnoscat Deum indifferentem ad non habendum illum hominem, qui eà gaudet, pro amico, si homo peccare velit.

1. *Ioann.* 3. 9.

14 At amicitia, quam Deus habet cum Beatis, quia perfectior est, & simpliciter perfecta in genere amicitiæ, jam addit alios gradus impeccabilitatis: Nam imprimis indissolubilis est pro tempore futuro: Nã amicus vult efficaciter, quantum potest, durare semper in amicitiâ. Deinde excludit omne genus offensionis etiam levis. Demum non compatitur quòd amicus maneat indifferens, aut habeat voluntatem indifferentem ad habendum vel non habendum alium pro amico, quantum est ex se. Vnde status Beatitudinis est status amicitiæ, non qualiscumque, sed perfectæ, id est, æternæ, & indefectibilis, fundantisque impeccabilitatem in quovis peccati genere tam in sensu composito, quam diviso. Repugnat enim felicitati Beatorum, obnoxios esse Magnæ miseriæ, qualis est videre Deum ita dispositum, ut si ipsi vellent esse inimici, non deficeret ex parte Dei concursus indifferens ad recedendum à Deo.

15 Nunc sic: atqui status Hypostaticæ Sanctificationis est status majoris amicitiæ, & sanctitatis: est enim status Divinitatis non quidem quasi in substituto communicatæ, sed reipsâ, & in se, & status Filiationis: ergo constituit perfectionem gradum impeccabilitatis, atque adeò negantis, & excludentis omne genus peccati, non utcumque, sed prorsus exclusâ simultate potentiæ ad peccandum cum ipsâ unione: ergo constituit impeccabilitatem tam in sensu composito, quàm diviso. Video per hæc decisam Impeccabilitatem absolutam, & metaphysicam, atque adeò totam finitam esse controversiam in limine. Nec me pœnitet.

16 Dices: ex vi unionis præcisè nec Humanitati sunt actæ vires, nec diminutæ: nam neque Verbum est communicatum ipsi quatenus activum; neque per Vnionem ablatum est quicquam de connaturalibus accidentibus, atque adeò de connaturali activitate: ergo præcisè ratione Vnionis neque reddita est Humanitas valentior ad resistendum peccato; neque debilior ad operandũ quomodocumq; naturaliter posset, & vellet: ergo mansit quasi non haberet unionem, quoad utendum, ut vellet, suis nativis viribus. Confirmatur: nam ex *Synodo VI. generali* constat esse in Christo duas voluntates, sicut & duas naturas; & unamquamque suas habere naturales proprietates, una autem ex proprietatibus Humanæ Naturæ, & Voluntatis est peccabilitas, seu defectibilitas moralis.

VI. Synod. General.

17 Respondeo Humanitatem redditam impeccabilem ratione unionis, non quidem auctã, vel diminutâ entitativâ, & essentiali activitate, sed impeditâ per genus sanctificationis incompossibile cum omni actu peccaminoso, & cum his, per quę proximè completur Humanitas ad ipsum. Vnde quoad entitativam activitatem mansit Humanitas, non obstante unione, atque adeò cum peccabilitate remotâ, quæ indistinguitur ab ipsâ naturâ Rationali creatâ, non verò quoad expeditam & proximâ potẽtiam nisi quoad actus statui hypostatico conformes. Ex quo patet ad Synodum Generalem, importunè allegatam, cùm ipsa peccatum excipiat.

Synod. Generalis.

18 Sed rogas: nonne proxima peccabilitas est proprietas Humanæ Naturæ? quomodo ergo dicitur Verbum conservasse naturalia, si hanc interemit. Sic arguebant Apollinaristæ. Et ego cum PP. & ex eorum calamo *apud Euthym tit.* 13. *Panop.* Respondeo Verbum conservasse in Humanitate omnes illas naturales perfectiones, quæ perfectiones sunt Naturæ Humanæ, quatenus talis, ipsique ubique consentaneæ: at peccatum & proxima peccabilitas, sicut & potestas proxima se judicandi puram creaturam, non sunt perfectiones, aut proprietates naturales Humanitatis secundùm se, & pro quovis statu, & supposito, sed sunt imperfectiones ipsius prout in proprio, & purè creato supposito.

Apollinistarum argutia, à SS. PP. dissipata.

19 Dices secundò: Vnio hypostatica per seipsam immediatè non est inductiva bonorum operum in Humanitate: id enim est negotium cognitionum, & affectuum: ergo neque est impeditiva malorum: cùm per id ipsum impediantur opera mala, per quod bona inducuntur. Ratio à priori est: quia immediata vel inclinatio vel determinatio voluntatis ad aliquid fieri nequit nisi per cognitionem, & appendices complacentias, ut fusè diximus *disputando de Auxiliis*: ergo si fiat exclusio Visionis, & aliorum donorum, maneatque Humanitas cum sola unione, & cum cognitione ex se indifferenti ad peccatum, qualis est nostra, non minùs peccare poterit, & deficere, quàm Nos.

Tom. 1. *in* 1. *p. tract. de Auxil. Deo.*

20 Respondeo concessio antecedente, negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia ad impediendam existentiam alicujus rei omninò sufficit quævis altera res incompossibilis cum illa; at verò ad inducendam existentiam rei, non sufficit quæcũque connexio cum ipsâ, sed requiruntur ea omnia, ex quibus ejus causa immediata coalescit, ut patet ex terminis. Ad rationem adjunctam, fateor, per nihil merè physicum posse voluntatem immediatè inclinari ad actum sive bonum, sive malum; nego tamen

ipsam non posse involuntariè determinari ad carendum quovis actu aliàs suo per quid merè physicum: quia per quid merè physicum potest ipsi auferri id sine quo implicat operari sive benè, sive malè. Potuit ergo vi unionis determinari sic Humanitas ne peccaret; impeditâ nempè per unionem potentiâ proximâ peccandi. Quare casus, qui in argumento fingitur, de compositâ cum unione cognitione indifferenti ad peccandum, & non peccandum, est omninò Chymæricus.

§. III.

HVMANITAS CHRISTI DOMINI præcisè ex vi unionis manet formaliter, & immediatè incompossibilis etiam Divinitùs, cum omni genere peccati.

21 ATque adeò manet etiam Divinitùs impeccabilis, peccato cum Vnione compossibili. Quæ veritas mihi videtur certa Thesis Conciliorũ Generalium, & omnium Patrum. Et omissis his quæ *disp. præced. sect.* 1. tetigi *num.* 4 Rursus ostenditur. Primò quidem. Quia ex ipsis terminis patet summa oppositio inter FiliumDei, & Filium Diaboli, inter substantialiter felicem, & reipsâ miserum; inter summè honorabilem, & reipsa dignum inhonoratione; inter placentem magis, quam omnes inimici displicent, & displicentem æquè ac displicent inimici. Atqui Humanitas ratione Vnionis manet intrinsecè in supposito Filii Dei; est substantialiter felix; summè honorabilis, & plus placens, quàm omnes inimici displicent: ratione verò peccati fit Humanitas Filia Diaboli; dignoa inhonoratione; reipsà misera, & pro gradu peccati æquè displicens, ac inimici displicent: ergo ex ipsis terminis inter Humanitatem unitam Hypostaticè, & Humanitatem peccato infectam est summa oppositio: ergo.

SS. PP. & Conc. Suprà disp. 1. *à nu.* 4.

22 Secundò ostenditur. Nam Humanitas jure præciso, & ratione Vnionis manet Deo simpliciter incontemptibilis, ex fusè discussis *lib.* 1. *disp.* 3. *sect.* 1. *in* 5. *concluſ.* & iterum inculcatis *disp. præcedenti sect.* 1. *num.* 7. ergo eoipso manet incompossibilis cum peccato. Ratio consequentis est evidens: nam peccatum est potissima origo, & causa justi cõtemptus: implicat autem, quòd ratio formalis, quæ reddit Humanitatem

Suprà lib. 1. *disp.* 3. *à nu.* 91. *& lib. hoc* 5. *disp.* 1. *à num.* 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simpliciter incontemptibilem, non eòipsò sit summa elongatio Humanitatis ab omni genere peccati. Confirmatur hæc ratio, & ostenditur posita veritas

23 Tertiò: Deus dans Humanitati Divinitatem, summo modo quo potest dare Creaturæ, necessariò amat, & dat per amorem, quo Humanitas manet à Deo dilecta, quantùm potest, & Deus quantùm potest, placens in Humanitate: ergo eoipso manet Deus necessitatus ex vi sui amoris ad excludendum omne genus odii respectu Humanitatis, & omnis indifferentiæ ad odio habendum: ergo eoipso manet ex vi amoris necessitatus ad excludendum ab Humanitate omne peccati genus, & omne genus proximæ potestatis ad peccandum. Nam alioqui neque amor Dei esset, quantus erga creaturam esse posset, & maneret Deus indifferens ad habendam odio Humanitatè: nam peccatum est jus in Deo ad odium peccatoris: & proxima peccabilitas necessariò dicit in Deo indifferentiam ad acquitendum hoc jus.

24 Modò sic: ergo ipsa Unio Hypostatica ex ratione suâ est incompossibilis cum omni peccato, & potestate peccandi. Probo consequentiàm: implicat enim quòd ens exigat poni à Decreto essentialiter incompossibili cum alio ente, quin in se sit passiva obligatio Dei, de non existentia alterius entis, & ejus entitava & essentialis exclusio: ut quid enim exigeret in decreto talem incompossibilitatem, nisi quia ea incompossibilitas est sua ipsius Natura?

25 Quartò ostenditur: quia Humanitas vi Divinitatis unitæ, manet Deo grata, & Sancta quantùm creatura potest, atque adeò in genere Sanctitatis participatæ, infinitè simpliciter: ergo manet quantùm creatura potest, impeccabilis, & procul à peccato: nam hæc sequuntur Sanctitatem suo, & pari gradu. Atqui creaturæ non repugnat ex beneficio impeccabilitas, & omnis elongatio à peccato, ergo ita manet impeccabilis ratione Unionis, immediatè, & formaliter. Confirmatur: quia Sanctificatio Humanitatis excedit intra genus sanctitatis participatæ, Sanctificationem quæ fit per gratiam, & alias formas ordinis purè finiti, simpliciter infinitè: ergo excedit simpliciter infinitè in oppositione cum peccato: ergo manet vi ejus Humanitas, quantùm intra genus Sanctificationis participatæ potest, incompossibilis cum omni peccato, imò & cum potestate proxima peccandi.

Quid Moderni censeant de miraculosa Conjunctione Gratiæ cum peccato?

26 Quintò ostenditur ratione, quâ post alios utitur Pater Esparza, sic: Humanitas vi solius Unionis manet impeccabilis saltem ex naturâ rei, ex *superiori Conclusione*: ergo etiam Divinitùs. Negant Moderni consequentiam. Primò: quia ajunt ita posse discurri de oppositione Gratiæ cum peccato: specialiorem autem hîc titulum requiri. Secundò: quia non ex eo foret Deus causa peccati: nã vel poterat exercere miraculum non circa conservationem aut existentiam peccati, sed circa conservationem, & existentiam formæ Sanctificantis: vel pro posteriori ad peccatum poterat exercere miraculum circa productionem formæ Sanctificantis: quo casu productio formæ Sanctificantis non poterat pro eo instanti excludere peccatũ, cùm supponeret ipsũ naturaliter, & sine concursu Dei speciali factum. *Ego* verò censeo, & consequentiam specialiter in *præsenti casu* valere, & eam *pro casu Gratiæ* non esse malam. Verumque brevi ostendo: & *primum* imprimis, &

Mens Authoris.

27 Probo consequentiam. Primò: quia si Divinitùs fieret conjunctio Deitatis unitæ cum peccato, foret interveniente miraculo, & operatione speciali Divinitatis ejusdem; atqui repugnat quòd ipsa Divinitas operetur miraculum, ut fiat sui conjunctio cum peccato: tùm quia tale miraculum utpote ordinatum ad existentiam peccati non esset decens, neque promotivum Naturæ: atque adeò neque miraculum esset. Tùm etiam quia ipsa Divinitas non potest operari contra exigentiam sui. Tùm demum quia omnis finis miraculi est ostensio Divinæ majestatis, atqui hîc non posset esse miraculum ostensio Divinæ majestatis, cùm ex se repugnaret eidem: ergo neque est possibile miraculum.

Repugnat tale miraculum specialiter hîc.

28 Secundò: quia si per miraculum fieri posset conjunctio Deitatis unitæ cum peccato, Incarnatio secundùm se non esset maximum opus Divinæ Omnipotentiæ, & miraculum summum; & posset aliquid assignari respectu cujus esset magis indigna Humanitas, quàm respectu assumptionis hypostaticæ: quod est contra communem sensum, & Patres: & est evidens: nam majus miraculum esset productio unionis simul cum peccato, quàm sola Unionis productio. Aliunde autem patet, minùs Humanitati faveri per primum, quàm per secundum. Tertiò: quia quando exigentia est perfectissima, atque adeò summa dignitas ad terminum quem exigit, & alioqui privatio termini est incompensabilis, neque miraculum est possibile, neque cohonestabile. Adde si ipsa Divinitas est dignitas ne sit tale miraculum, quomodo miraculum est possibile? Iam *generaliùs* & pro altero casu

Et circa omnem formam Sanctificativã

29 Probo iterum consequentiam. Primò: quò validiùs conservatur forma contraria, eo fit invincibilior naturaliter: ergo quò fortiùs per miraculum cõservatur in subjecto forma sanctificans, eò magis fit naturaliter impossibile peccatum ipsi contrarium. Quis ergo ponit peccatum? Dicis, Voluntatem. Contra: Voluntas solùm potest peccatum ponere ut naturaliter possibile, atque adeò peccatum ut divisum à consortio formæ sanctificantis, quomodocumque existat: nam quæcumque existentia, & productio formæ sanctificantis, quamvis miraculosa, est contraria peccato exigenti ne fiat tale miraculum: ergo peccatum, ut in casu suppositionis ponitur, non continetur in potentiâ Voluntatis: ergo fit ab alio Agente, nempè Deo: Deus ergo erit causa peccati.

30 Dicis: peccatum jam supponi pro priori, & pro posteriori ponitur Gratia à solo Deo: unde peccatum à sola voluntate fit. Contra primò: quia forma pro toto suo instanti excludens potestatem peccandi, non potest secum compati talem suppositionem: talis autem est Hypostatica Unio.

Secundò & probo secundò simul consequentiam. Respectu peccati contra suam exigentiam existentis non est in potentiâ naturali potentia; atqui peccatum coexistens cum forma sanctificante est existens contra sui exigentiam: ergo ut tale peccatum existat, non est in potentiâ naturali potentia: sicut ergo implicat in terminis, quòd terminus existat sine potentia sufficienti ad dandam ipsi existentiam: ita in terminis implicat, quòd existat terminus, ut naturaliter impossibilis, per solam potentiam naturalem: ergo si Deus prævidet Voluntatem peccare, prævidet sine viribus sufficientibus ad retinendum peccatum, si fiat miraculosa infusio Gratiæ: ergo si vult infundere miraculosè Gratiam, & nihilominùs videt voluntatem peccare, prævidet voluntatem miraculosè procedere: ergo videt specialiter adjutam ad peccandum à seipso.

31 Dices: oblatum esse concursum indifferentem, contra exigentiam ipsius voluntatis gratiâ instructæ, non tamen ob id esse causam specialem peccati: Contra: quia omnis effectus miraculosus, & supernaturalis est opus speciale Dei: ergo & peccatum in tali suppositione. Sed de his latiùs, cùm *de Deo justificante*.

Tom. in 1. 2.

32 Sextò ostenditur ratione, quam è Sanctis Patribus, & Conciliis benè, & acutè deductam à Magno Suarez, format jam communis Theologia ex necessitate, vel obligatione Divinà regendi actiones Humanitatis: eam ipse, ut occurram impugnationibus Moncæi, Vazquez, Meratii, & Delugo, sic formo. Unio Hypostatica est summa creaturæ cum Deo conjunctio, summa cognatio, & propinquitas, & talis accessus, ut Natura Rationalis fiat Divini suppositi, & maneat in unitate suppositi Filii Naturalis Dei: ergo est indispensabilis necessitas ne ullum Deus in Humanitate peccatum inesse permittat. Antecedens est de fide.

Suarez Ratio, contra Vazq. Moncæum. Merat. & Delugo.

33 Probo consequentiam. Primò: quia minor cognatio, propinquitas & conjunctio fundat inter Animam & Corpus, inter Patrem, & Filium, inter Virum, & Vxorem, inter Patremfamilias & subditos moralem necessitatem impediendi ipsis peccata, & præcavendi. Secundò: quia ea cognatio, & propinquitas est necessitas, ut Humanitas in operando non tam æstimetur sui, quàm Verbi, ejusque operationes censeantur suppositi, & Divini suppositi potiùs, quàm ipsius Humanitatis: ergo est necessitas, ut Humanitas non sinatur à Deo operari nisi per operationes, quæ possint attribui Divino supposito, & censeri ut actiones Divini suppositi: tale autem peccatum esse non potest.

34 Tertiò: quia ea propinquitas est necessitas sibi imposita à Deo regendi eam ipsam naturam, ut propriam Filii, & per mores suo statui congruos, & per collationem libertatis, ad quam habet ex tali propinquitate, & constitutione dignitatem: atqui Humanitas habet dignitatem ad libertatem perfectam sine ulla potestate peccandi: mores enim peccaminosi ex terminis incongruunt statui tãtæ cognationis cum Deo, & dedecent Naturam propriam Filii Dei: ergo est necessitas sibi imposita à Deo, quâ manet necessitatus non permittere in Humanitate ullum genus peccati: ergo est necessitas quâ vel Deus desinet esse Deus, vel Humanitas non sit in peccato: ergo est necessitas, quâ manet Humanitas impeccabilis.

35 Ex his benè intulit Doctor Eximius, peccante per impossibile Humanitate, dicen-

Doctor Eximius:

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum etiam Verbum, & Deum peccare, non utcumque & per solam communicationem idiomatum, sed formaliter, & in propriâ Naturâ: unde quo pacto repugnat, quòd Deus peccet; ita repugnat quòd peccet Humanitas. Ratio illationis est: peccante enim per impossibile Humanitate, Persona Divina faceret contra debitum rationis: debitum enim rationis ipsâ unione contractum, est, in Persona Divina regere Humanitatem, ut suam, non sinendo, quantùm potest, quod ea deflectat à moribus suo statu dignis, & à rationis tramite. Cujus ulterior ratio est: quia quoties duo uniuntur in eadē naturâ vel Personâ, inferius naturaliter subordinatur Superiori: & pro gradu unionis, conjunctionis, & dependentiæ tenetur Superius regere actiones, & motus inferioris sibi subordinati: quod patet exemplis Corporis, & Animæ; Viri, & Vxoris, Patris, & Filii; Domini tandem, & servorum. Videantur Amicus *disp.24. sect.1. à nu.22.* Aldretus *disp. 69. sect. 2. & 3.* Martinonus *disp 13. sect.3.* post Magnum Suarez *disp.33. sect.2.*

Amicus. Aldrete. Martinon. Suarez. Schotistæ, & Durād.

36 Oppones ex Schotistis, & Durando. Primò: quia id est constituere Christum ut hominem Primam Regulam Morum. Secundò: quia exinde Humanitas redderetur summè impeccabilis, quod ei æquè repugnat ac reddi summè amabilem. Tertiò: Privatio Vnionis hypostaticæ potest esse pœna peccati: ergo non sunt mutuò incompossibilia, peccatum, & Vnio: nā pœna nequit esse necessariò consequens existentiam peccati, sed quid pro libito punientis existens, etiam ex suppositione culpæ. Quartò: quia non repugnat Deum denominari peccantem per communicationem idiomatum: nam si Verbum assumeret naturam, quæ peccasset, dici posset, *Verbum Peccavit*. Quintò: quia non minùs repugnat *mori* in propriâ naturâ, quàm *peccare*: nihilominùs *mori* in alienâ naturâ, non repugnat: ergo neque in alienâ naturâ *peccare*.

37 Sextò: quia in Christo potest esse reatus pœnæ: ergo & culpæ. Septimò: quia impeccabilitas Christi in eo consistit, quòd Deus decreverit dare auxilia semper congrua, negando semper incongrua: sed hoc ipsum probat in Christo potestatem peccandi. Nam vel Deus decernit negare concursum ad actum pravum Humanitati, & dare semper auxilium efficax, vel non? Si secundum: ergo peccare reipsa potest Humanitas. Si primum: ergo supponit posse decernere oppositum: nam decretum liberum est in Deo. Probo consequentiam: quia ideò non dicitur Deus decernere negare lapidi concursum ad actum pravum, quia esset Chymerica volitio, utpote respectu rei non potentis peccare: ergo si Deus liberè decernit negare auxilium incongruum, & concursum ad actum pravum, maximè quia supponitur Christus potens peccare. Diffundit hæc latè Pater Aldrete *disp 69. sect.7.* sed levissima sunt.

P. Aldret.

38 Respondetur. *Ad primum* De ratione Primæ Regulæ esse indefectibilitatem, aseitatem, & necessariam independentiam ab omni alio: quare Christo ut homini repugnat. Vide quæ diximus *lib.2. disp.1. Ad secundum* responsum est *Disp. præced. à nu.* 103. quantùm necesse est. *Ad tertium*: permisso quòd privatio unionis possit esse pœna peccati, & quòd possit esse pœna peccati commissi in instanti, quo danda esset unio, nisi peccaret Humanitas (quæ duo sunt falsa, ut *mox* videbimus,) nego consequentiam: quia pœnæ non officit sequi necessariò ad delictum, si sequatur ad ipsum, ut demeritum est: eò enim ipsò peccans patitur malum, quia peccat.

Lib.2. disp. 1. & lib. 5. disp. 1. a nu.103.

Mox à nu. 45.

39 *Ad quartum*, omissa illâ non repugnantiâ, diximus *nu.99.* peccante Humanitate, peccaturum etiam in suâ Naturâ Verbum. Deinde nego assumptum: nec paritas valet: nam neque Verbum dici posset peccavisse, licèt assumeret naturam, quæ peccasset: nam denominatio concreta non potest verificari secundùm præteritum de supposito, de quo nunquam fuit vera prædicatio de ineste, & de præsenti.

40 *Ad quintum*, nego imprimis consequentiam: quia ex peccato in alienâ naturâ, sequitur peccatum in propriâ: non ita mors. Deinde donum unionis est donum ratione sui Sanctificans Humanitatem: non verò est donum faciens immortalem. Tertiò: quia ex morte Naturæ assumptæ nulla sequitur contra prærogativas Vnionis hypostaticæ inhonoratio; sequitur vero ex peccato. *Ad sextum* dicetur commodiùs *sect. seq. Ad ultimum* dico impeccabilitatem Christi consistere in ipso dono Divinitatis unitæ, quo posito non est consequenter liber ad decernenda auxilia efficacia, & negandū concursū ad actum pravum. Ipsa enim Vnio est necessitas metaphysica, quā Deus manūit necessitatus.

Infrà sect. seq.

§. IV.

§. IV.

Tertia Conclusio. *HVMANITAS CHRISTI DOMINI RATIONE Vnionis formaliter, & immediatè manet etiam Divinitùs incompossibilis cum potestate peccandi.*

41 ID est, *consequenti*, *concomitanti*, & *antecedenti*; atque adeò manet essentialiter, & simpliciter impeccabilis, non solùm peccato Vnionis dissolutivo, sed etiam peccato evitativo Vnionis, nempe dandæ Humanitati, si non peccaret: nam quomodocumque id sit, debet Vnio posse componi cum proxima potestate peccandi: quod Conclusio negat specialiter adversus Authores citatos *num. 9.* & ostenditur primò: quia Humanitas dicitur simpliciter, & sine addito à PP. & CC. *impeccabilis*, ut videre est inter alios apud Moncæum & Meratium *locis supra citatis*: ergo ratione unionis manet Humanitas simpliciter incompossibilis cum potestate peccandi. Forma enim vi cujus homo manet in sensu composito incompossibilis cum peccato, si sit cum potestate peccandi composita, vel compossibilis, non reddit hominem simpliciter impeccabilem, ut patet in Gratia. *Dicere* verò, per id solùm probari quòd Humanitas sit ex naturâ rei incompossibilis cum potestate peccandi, est liberè limitare Patrum, & Conciliorum locutiones, & velle quòd sit miraculum omninò contra dignitatem ipsius Divinitatis exigentis oppositum. *Vide* quæ diximus *num.27.*

PP. & CC. apud Monc. & Meratiū.

Suprà à nu. 27.

42 Ostenditur secundò: nam id etiam superioris Assetti probationes omninò convincunt, ut applicare volenti cōstabit. Præeo ipse breviter. *Imprimis* Incontemptibilitas, quam habet Humanitas ratione Vnionis, intelligi nequit nisi etiam exclusâ obnoxietate contemptūs, quæ est peccandi potestas. *Deinde*: Deus sic amat Humanitatem: ut vi illius affectūs non maneat indifferens ad unquam habendam odio: ergo neque Humanitas manet proximè peccabilis. *Insuper*: Deificatio Humanitatis est Sanctitas infra Divinam summa: habet ergo vim summam elongandi animam à peccato, etiam extinctâ potestate proximâ peccandi. Nam id genus sanctificandi non repugnat respectu creaturæ.

Suprà à nu. 22.

43 *Demum*: Vnio Hypostatica est necessitas metaphysica, quam Deus, & Verbum sibi imponit de regendis actionibus Humanitatis sibi substantialiter conjunctæ: quæ non modò obligat ne Verbum sinat Humanitatem exorbitare à debito rationis, dum ipsi manet unita, sed ne sinat Humanitatem turpiter deficere à tali conjunctione, exorbitando à debito rationis. Hæc enim etiam cura incumbit supposito respectu naturæ quam admisit in suam, & quam specialiter gubernat: Ad eum modum, quo Superior non tenetur solùm præcavere peccata subditi, pro statu subditi, sed per quæ subditus vellet turpiter fugere statum subditi. Sic Pater tenetur præcavere excessus Filii, quibus vult turpiter emancipari, & per quæ turpiter esset extra Patriam potestatem. Alia exempla accumulat Pater Aldrete *disp. 72. sect. 2.*

P. Aldret.

44 Ostenditur tertiò: quia status Hypostatici ordinis est simpliciter indefectibilis, ex suppositione quod semel exīstat, ex *sapè* dictis, & ex *professo* disputatis *lib. 1. disp. 3.* ergo sanctificatio Hypostatica est inamissibilis: ergo est incompossibilis cum potestate peccandi, & amittendi.

Suprà passim & lib. 1. disp. 3.

45 Ostenditur quartò: Privatio Vnionis Hypostaticæ nequit induci, aut designari in pœnam peccati: ergo Vnio Hypostatica non est negabilis, aut amissibilis propter peccatum: ergo est, se ipsā, impossibilitas peccati, ipsam demerentis, aut propter quod negetur, aut propter quod amittatur. Cætera videntur clara, si constet de veritate antecedentis, quod probo. Nam talis pœna esset omninò injusta, & crudelis: esset enim omninò gravior, quàm culpa. Cujus ea ratio est. Tùm quia plus est bonitatis in Humanitate Hypostaticè unitā, quàm sit malitiæ in quovis peccato. Tùm etiam: quia plus est dignitatis in Personā Divinā, ne vincatur à peccati malitiā, quàm sit indignitatis in peccato, ad demerendum, ne summa Divinitatis unitæ Dignitas habeat quod exigit, nempè peccati inexistentiam.

46 Ostenditur quintò, & universaliùs à priori: Quælibet potestas proxima peccandi est essentialiter incompossibilis cum verā, & substantiali felicitate, & statu continente majorem perfectionem quàm sit tota perfectio Beatitudinis formalis; Atqui Vnio Hypostatica est status veræ, & substantialis felicitatis, & continens ratione sui majorem perfectionem, quàm sit tota perfectio Beatitudinis formalis: ergo quælibet potestas proxima peccandi est essentialiter in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

incompossibilis cum Vnione Hypostaticà: ergo cuicumque datur potestas proxima peccandi, eoipso negatur pro tunc Vnio Hypostatica: & cui datur Hypostatica Vnio, pro tunc negatur potestas proxima peccandi: sicut cui datur lux, eoipso protunc negantur tenebræ, & econversò, quin valeat ullus recursus ad esse pro priori, vel pro posteriori, quia nullibi, & nullo pacto possunt sibi duo contradictoria coëxistere: ergo neque potest excludi Vnio per peccatum, neque ejus infusio, vel conservatio potest fieri pendens à liberâ evitatione peccati, quantumvis fieri pendens posset ab aliquo merito congruo Naturæ, cui datur.

47 Hæc omnia benè descendunt ex primo Syllogismo, qui legitimus alioquin est: & minor patet: Tùm quia juxta Nos ipsa Vnio Hypostatica *ex lib. 1. disp. 3. sect. 2.* est Beatitudo formalis. Tùm etiam quia ipsa utpote radix omnium donorum, & indistincta moraliter ab ipsâ Divinitate, quam physicè dat, omnibus præponderat. *Ex dictis lib 1. disp. 3. sect. 2.*

48 Major probatur: quæcumque potestas proxima peccandi eòipsò est proxima possibilitas veræ miseriæ, & proximum aliquale periculum, atque adeo materia sollicitudinis, & anxietatis, non qualiscumque sed prudentis circa veram felicitatem; atqui hæc sunt ratione sui essentialiter incompossibilia cum statu veræ, & substantialis felicitatis, altiorique quàm sit ipsa Beatitudo formalis: ergo & ipsa proxima peccandi potestas. Major patet ex ipsis terminis. Minor probatur: quia omnis materia prudentis anxietatis, & possibilitas omnis proxima veræ miseriæ ratione sui, est pars veræ miseriæ, atque adeò ratione sui incompossibilis cum verâ felicitate.

Illatio notanda. Infertur ex his: pro omni constitutione, & priori quo existimetur Humanitas indifferens ad statum hypostaticum, eoipso existimari debere indifferentem ad proximam potestatem peccandi: & pro quavis constitutione, & priori, quo existimetur potens proximè peccare, eoipso pro tunc existimari debere cum exclusione statûs hypostatici: per quæ, si benè penetrentur, ibitur obviam iis, quæ in oppositum adducunt Patres Hurtadus, & Arriaga. Adde juxta nostra principia, in quibus Vnio substantialis, quâ Corpus, & Anima complent complexum Humanitatis, est vel subsistentia creata, vel accessus ad Verbum, non posse intelligi Humanitatem operantem pro ullo priori in quo non sit vel exclusa, vel suppositа Hypostatica Vnio. *Hurtad. Arriaga.*

§. V.

HÆC IMPECCABILITAS CHRISTI Domini non est extrinseca, & ex decreto, sed essentialis; neque solùm moralis; sed etiam physica. *Quarta Conclusio.*

49 PRima pars est contra Amicum, & ostenditur primò: quia impeccabilitas ex decreto est illa, quæ rebus ut nunc, liberè ponitur à Deo: Nam decretum est de re contingenti, & libera: quis enim dicat Deum *suo decreto* impedire *existentiam chymeræ*? Atqui, *rebus ut nunc*, nempe suppositâ existentiâ Christi, impeccabilitas non ponitur liberè à Deo: ergo neque est impeccabilitas ex decreto, sed essentialis. Minor patet: quia esse Christum & esse necessitatem, ne Deus sit indifferens ad Humanitatem odio habendam est idem ex hucusque discussis. Secundò: ea est impeccabilitas essentialis, sine quâ stare non potest essentia rei, quæ dicitur impeccabilis; atqui sine impeccabilitate stare non potest essentia Christi: ergo impeccabilitas est essentialis. Minor etiam patet ex præcedentibus. *Amicus.*

50 Et urgetur, peccare Humanitatem Christi, & peccare Deum in se, Deumque deficere, sunt inseparabilia *ex dictis à num. 32. & 35.* Atqui est omninò impossibile Deum peccare in se, & deficere: ergo & peccare Humanitatem Christi: ergo Humanitas Christi non habet potentiam ad peccandum; haberet enim potentiam ad id, quo posito sequitur una chymera à parte rei: id autem ex quo Chymera sequitur, chymera est; & ad chymeram non datur posse: ergo Humanitas Christi, prout Christi manet essentialiter impeccabilis. *Suprà à nu. 32.*

51 Secunda pars contra Koninch, ostenditur primò: quia impeccabilitas moralis componi potest cum physicâ peccabilitate, & cum peccato metaphysicè: atqui Christi impeccabilitas non potest esse talis, ut cum peccabilitate componi possit, & minùs cum peccato: ergo. Secundò: impeccabilitas cõsistens in perfectione physica impediente indispensabiliter ratione sui potestatem proximam physicam ad peccandum est impeccabilitas physica; atqui Impeccabilitas Christi sic se habet, ut ex dictis constare potest: ergo. *Koninch.*

Ter-

52 Tertiò: impotentia ad id ex quo sequitur Deum deficere est simpliciter impotentia physica; atqui ex *numero* 50. impeccabilitas Christi Domini est impotentia ad id ex quo sequeretur Deum deficere: ergo. Quartò: Nulla est potentia physica proxima ad impediendam veritatem objectivam conclusionis legitimæ, si non sit potestas ad impediendam veritatem præmissarum: ergo nulla est in Christo potentia physica ad peccandum: ergo impeccabilitas Christi est non solummodò moralis, sed physica. Antecedens patet & probatur prima consequentia: *Hæ præmissæ sunt veræ: Si Deus det Humanitati Vnionem hypostaticam, non peccat Humanitas; atqui habet unionem hypostaticam:* Nunc sic: nulla est potestas in Humanitate ad impediendam veritatem harum præmissarum: ergo neque ad impediendam veritatem consequentis: & hoc est: *ergo Humanitas non peccat*: ergo. *Koninch.*

53 Dices ex *Koninch*: peccatum non est quid physicum sed morale: ergo oppositio Vnionis Hypostaticæ cum peccato non potest esse physica, sed moralis. Sed impeccabilitas consistit in eâ oppositione: ergo non est physica, sed moralis. Respondeo nego consequentiam: quia sufficit ut Vnio sit perfectio physica. *Adde* Vnionem non utcumque opponi cum peccato, sed exclusa potestate proximâ ad peccandum, quæ etiam est quid physicum. *Infero* ex his ratione Vnionis, immediatè, & formaliter manere Humanitatem incompossibilem tam in sensu compositо, quàm divisо cum omni genere peccati tam Actualis, quàm Habitualis, tam mortalis, quàm venialis, & cum omni potestate proximâ quomodolibet peccandi: & consequenter manere summè impeccabilem infra Deum.

SECTIO II.

ILLVSTRATVR IMPECCABILITAS Christi Domini decisione quæstionum affinium.

Prima Quæstio. 54 PRima est: Quam incompossibilitatem habeat Vnio Hypostatica cum peccato, & potestate peccandi? Videtur esse communis opinio, summam esse & cõsistere in eo quòd Vnio exigat decretum quo Deus velit impedire peccatum Humanitati, & nolit parare concursum ad actum pravum. *Ego* fateor esse summam. Tale verò decretum non agnosco, sicut neque agnosco decretum quo Deus velit impedire lapidi peccatum. Dico igitur consistere in perfectione ipsius unionis per se essentialiter excludentis peccatum, & potestatem peccandi, ut lux, tenebras; atque adeò non posse poni à parte rei, nisi per decretum de se essentialiter incompossibile cum omni decreto permissivo peccati, & peccato. Videatur Aldrete *disp. 72. sect. 3.* *T. Aldret*

55 *Secunda* est: an Humanitas assumenda, eoipso solo titulo, maneat antecedenter impeccabilis; atque adeò non possit assumi à Verbo Natura, quæ antecedenter peccaverit? *Respondeo* manere antecedenter impeccabilem, atque adeò sequelam esse veram. Ita Cardinalis Sfortia, & Pater Martinus Esparza. Ratio mihi est primò: quia ex terminis videtur incongruum, & maximè repugnans summæ dignitati Filii Dei, ut Deus unquam fuerit indifferens ad habendam odio Naturam, quam ab æterno dilexit, & decrevit fore Naturam Filii sui. *Secunda Quæstio.* *Cardinal. Sfortia. Martin. Esparza.*

56 Secundò: quia omnis Voluntas perfectè intentiva finis, disponit media prout expedit ad convenientem, & decentem executionem finis; atqui ad convenientem, & decentem executionem existentiæ Christi pertinet ut natura assumenda nunquam fuerit in peccato: ergo ita debet Deus ex intentione perfectâ finis disponere hoc medium. Minor patet ex communibus discursibus, quibus ad hunc modum Sancti Patres, & Theologi colligunt præservationem Beatissimæ Virginis: magis autem redundat in suppositum honor Naturæ assumendæ, quàm Matris in Filium: quippè affinitas; & conjunctio major est. Tertiò: quia non est cur repugnet quòd forma aliqua sanctitatis id exigat, ut Naturæ, cui datur, nunquam pro tempore antecedente fuerit potestas ulla peccandi, & peccati labes: si autem ex terminis id non implicat, non est cur sanctitati, & sanctificationi summæ non concedatur.

57 Oppones primò: forma nondum communicata subjecto nullum ei communicat formalem effectum. *Distinguo*: in genere causæ formalis, concedo; in genere causæ finalis, nego: sic enim mediante cognitione, & volitione Divinâ potest inducere formam, vel quasi formam, à quâ subjectum participet aliquem formalem effectum, intuitu formæ nondum habitæ, sed habendæ.

Oppo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

58 Oppones secundò: Futuritio Vnionis Hypostaticæ est extrinseca denominatio: impeccabilitas est intrinseca perfectio. *Concesso* antecedente, distinguo consequens: est perfectio intrinseca positiva, nego: negativa, concedo. Deinde non obest, quominus ista intrinseca denominatio veniat Naturæ à formâ nondum existenti, non quidem in genere causæ formalis, sed in genere causæ finalis inducentis pro tempore antecedenti aliam formam à quâ venit, uti dispositivam aliquomodo Principalis.

59 Oppones tertiò: Nulla forma impedit sui futuritione subjectum, quominus contrahat qualemcumque imperfectionem. *Imprimis* plerumque Natura intendens formam aliquam, antecedenter excludit contrarias dispositiones, ex futuritione formæ introducendæ tanquam finis, pro cujus existentia, priùs media disponuntur. *Deinde* hoc inter formam creatam, & ipsam Divinitatem communicandam discrimen intervenit, quòd creata dum non existit in subjecto, nullibi est, in quo exercere possit vim juris, & exigentiæ pro repellendâ, vel inducenda in Naturâ, cui communicanda est, contrarietate, vel decentiâ dispositionum: at Divinitas habet præsentialitatem physicam, & æternam, quæ potest exigere, & exigit, quòd si Natura sit ab ipsâ elevanda ad sui accessum, experta fuerit omnis indecentiæ.

Tertia Quæstio.

60 *Tertia* est: an Humanitas, semel assumpta, si dimitteretur, maneret nihilominus impeccabilis? Negatur communiter: & *ego* affirmandum censeo, data possibilitate conditionis, (quam omninò impossibilem esse posuimus *lib.* 1. *disp.* 3. *sect.* 3. cùm de indestructibilitate Hypostaticæ Vnionis) Primò: quia hæc Natura maneret cum jure ad adorationem maximam ex contactu: ergo maneret cum jure ne contemneretur: ergo maneret impeccabilis. Secundò: quia genuisse Deum hominem, sufficit ut censeatur Virgo Deipara impeccabilis: quidni ergo constituisse Deum hominem? Tertiò: quia Natura illa, si dimitti posset, ipsa satis sciret se posse à Persona Verbi dimitti: sciret etiam se posse assequi ne maneat peccabilis, interpositâ dignitate, quam modò habet: posset enim in id offerre opera meritoria: ergo maneret impeccabilis: quis enim putet sibi non cauturam in posterum, si facile posset? aut quis putet ipsam Personam sine hospitii remuneratione abituram?

Ex lib. 1. disp 3 sect.

61 *Quarta* est: an Humanitas bilocata, sic tamen ut in uno loco sit cum unione, & non in alio, sit æquè in utroque impeccabilis? *Affirmo*: tùm ex resolutione præcedenti: tùm quia necessitas, unde nascitur impeccabilitas Humanitatis no est alligata loco: est enim esse Naturam Divini suppositi dignitate vestitam. Tùm demum quia bilocatio facere nequit, quòd Deus eandem Naturam simul odio inimicitiæ habeat, & amore amicitiæ. *Verùm* suppositio *apud me* est impossibilis, quia Humanitas dicit in obliquo unionem vel hypostaticam, vel exclusivam ipsius. Ex *lib* 1. *disp* 2. *& 5.*

Quarta Quæstio.

Lib. 1. disp. 2 & 5.

62 *Quinta* est: an Humanitas, cui mediante solùm Personalitate creata, uniretur Divinitas, maneret impeccabilis? Casus est *apud me* impossibilis ex *lib.* 1. *disp.* 5. & dupliciter potest existimari: primo: ita ut unio Divinitatis terminetur ad subsistentiam creatam, non verò ad Naturam. Secundò: ut terminetur ad Naturam, licet aliquo terminatam creatâ subsistentiâ. Respondeo igitur in primo casu non reddi impeccabilem, reddi in secundo. Ratio prioris est: quia Divinitas sic unita non sanctificaret illam naturam, ut ex his quæ *disp.* 1. *sect.* 1. dicta sunt, clarè sequitur: aliòqui cur modò Pater, & Spiritus Sanctus non sanctificant Christi Humanitatem? Neque ista conjunctio videtur fundare necessitatem regiminis: cùm Natura non pertineat ad istud suppositum. Ratio posterioris est, quia tunc sanctificaret Humanitatem quantùm posset: atque adeò, in genere Sanctitatis communicatæ, summè. Videantur Aldretus, & Delugo.

Ex lib. 1. *disp.* 5.

Quinta Quæstio.

Et hoc lib. 5 disp. 1. sect. 1.

Aldrete. Delugo.

62 *Sexta* est: an si unio foret destructibilis non tolùm in individuo, sed etiam in specie pro libito Dei, sufficeret, ut Humanitati daretur concursus ad peccandum, decreta destructio ordine intentionis, seu ordine executionis ad intra, pro priori ad ordinem executionis ad extra, seu ad ipsam destructionem Vnionis? Videtur quòd sic: quia Vnio destruenda est quasi destructa, pro eo priori quo intelligitur destruenda; sed unio destructa non impedit in posterum dari Humanitati concursum ad peccatum, ex communi Sententia: ergo neque unio destruenda. *Nego* ipse cum Aldreto *disp.* 72. *sect.* 5. Ratio est: quia nulla forma potest secum compati sui contradictorium; & ipsa dum non intelligitur reipsâ destructa, non deest: ex quo patet ad rationem dubitandi.

Sexta Quæstio.

Aldrete.

Sep-

Septima Quæstio.

64 *Septima* est: an Impeccabilitas Christi Domini eousque perfecta sit, ut impediat in Humanitate etiam peccatum materiale, & tendentiam ab objecta rationi dissona, non solùm necessitate connaturalitatis, sed etiam incompossibilitatis essentialis, & metaphysicæ? Negant aliqui cum Delugo *disp. 26. sect.* 4. ubi multa dicit minùs consona Christi Domini dignitati. *Ego* omninò affirmandum censeo cum Suarez, & Martinono. Primò: quia saltem ex naturâ rei repugnat cum statu hypostatico peccatum materiale, & talis tendentia ex intrinsecâ indecentiâ & turpitudine: ergo etiam repugnat absolutè. Probatur consequentia, quia miraculum depressivum Divinitatis, & contra ejus exigentiam omninò repugnat. Tùm quia miraculum scienter directum ad rem ex se turpem, turpe est: ergo.

Card. de Lugo.

Suarez. Martinon.

65 Secundò: quia non videtur repugnare vis sanctificationis, cui perse repugnet compositio cum his motibus indeliberatis, alioqui turpibus: Sanctitas autem Christi Domini est inter omnes, quæ possunt excogitari, maxima, & perfectissima. Nec audiendus est Delugo, qui putat, incapacitatem ad hos motus non provenire Deo ex Sanctitate, sed à Scientia. Ratio est: quia omnis turpitudo opponitur, & contrariatur Sanctitati: unde quò perfectior est Sanctitas, eò magis excludit turpitudinem. Adde neque Christo defuisse posse scientiam excludentem indeliberationem.

Suprà à nu. 32.

66 Tertiò: quia Vnio hypostatica, ut *suprà* est necessitas, ut Verbum speciali regimine impediat in suâ humanitate quicquid inordinatum est. *Dices*: quid si divinitùs Christi Humanitas incideret in amentiam, & faceret actiones ex se turpes. *Respondeo* eam amentiam esse Christi Humanitati impossibilem. Imò & qualemcumque amentiam. *Dices* secundò: Tales actus possunt Deo placere, & esse in nobis meritorii ex conscientiâ erroneâ. *Respondeo* imprimis errorem esse Christo impossibilem, ut dicemus *disp. seq.* Deinde nego primam partem. De secundâ, negantem partem latè & ex professo promovi, cum de bonitate & malitia Humanorum Actuum disputavi.

Infrà disp. seq. Latè in 1.2

Octava Quæstio.

67 *Octava* est: an fuerit, vel esse potuerit in Christo fomes peccati, non obstante perfectione, & excellentiâ tantæ Sanctitatis, & Impeccabilitatis? Nota dupliciter sumi posse fomitem peccati. *Habitualiter*, seu *in actu primo*: *Actualiter*, & *in actu secundo*.

Aranda de Incarnatione.

Posterior est motus inordinatus appetitûs sentitivi contra rationem, eique vehementer resistens. Prior est ipse appetitus sentitivus, non utcumque sed dispositus, & expeditus ad causandos eos motus, præveniendo rationem. Hic fomes & *ligari* dicitur, & *extingui* Ligatur, quando per extrinsecam protectionem Dei removentur occasiones, ex quibus exsurgere solet ejus operatio contra rationem Extinguitur, quâdo subordinatur, & subditur rationi, ita ut nisi ex ejus imperio nô possit erumpere in actus suos: in quo verò consistat hæc vel ligatio, vel extinctio, non est hujus loci. Constat extinctum fuisse pro statu innocentiæ in Primis Parentibus, & in Beatissimâ Virgine. Vnde

68 Respondeo, in Christo nec fuisse, nec esse potuisse, ratione quidem hypostatici ordinis, fomitem peccati tam habitualiter, quàm actualiter; tam in actu primo, quàm in secundo. Ratio primæ partis negantis fuisse Christo fomitem tam in actu primo, quàm in secundo est primò, quia regula, per quam metiri debemus quos Naturæ humanæ defectus assumpserit Verbum, ex S. Thoma, est ipse finis Redemptionis; sed ad finem Redemptionis non est necesse, quòd Verbum assumeret fomitem. Videatur Esparza *quæst* 31. Secundò: quia Adamus, & Beata Virgo caruerunt fomite: ergo potiori jure Christus Dominus. Tertiò: quia affectus inordinati, & actus tendentes in objecta dissona forent in Christo peccaminosi, cùm potuisset impedire Quartò: repugnant in Christo, ut vidimus, motus rationi contrarii: ergo illis caruit, & simul appetitu dispositio, & expedito ad illos. Quintò: quia talis fomitis absentiam exigunt in Christo plenitudo Gratiæ, Visio, & dignitas summa Personæ.

S. Thomas.

P. Esparza

69 Ratio secundæ partis primò sumitur ex perfectione Sanctificationis in Christo ratione Divinitatis unitæ: de cujus ratione non est cur non sit ea subjectio appetitûs ad rationem, quæ omninò extinguat & præcaveat fomitem: quia isti sanctificationi tribui debet in lineâ sanctificandi quicquid mediantibus subsidiis communicatæ Sanctitatis præstare Deus homini potest: cùm sit genus sanctificationis intra ordinem sanctificationis communicatæ summum. Secundò sumitur ex necessitate indispensabili, quam constituit Hypostatica unio, respectu Verbi, ut specialiter dirigat actiones singulas Humanitatis suæ, prout decet. Tertiò sumitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anu. 64. ex repugnantiâ motuum inordinatorum in Christo *ex quæstione præced.* Si enim Vnio hypostatica est necessitas omninò repugnans luctæ similium motuum, necessariò excludit dispositionem, & expeditionem appetitûs in illos: ergo necessariò repugnat fomiti tam in actu primo, quàm in actu secundo.

70 Dices: Christus Dominus expertus est in horto horrorem mortis, & appetitu sensitivo appetiit non mori: sed non mori erat illicitum, ratione præcepti: ergo expertus est motum ad illicita: ergo non caruit fomite. Respondeo imprimis, nihil unquam fuisse illicitum Christo utpote impeccabili; & minùs, non mori: quia mors neque præcepta ipsi est, neque præcipi potuit in conscientiâ, ut fusè suprà.

Lib.4.disp. 5.anu.114

71 Respondeo secundò: motum illum, quem in se Christus expertus est, non esse ex fomite, neque præveniisse rationem, sed liberè admissum à Christo, circa mortem non quatenus præceptam, nec in circunstantiis præcepti, sed quatenus malû naturale: quod natu aliter horrere, & ab eò, abstrahendo à circunstantiis præcepti, refugere, & oppositum conditionatè, & inefficaciter desiderare, non erat Christo prohibitum, volenti tamen secundùm partem superiorem animæ mori, quia Pater præcipiebat. Ille autem motus exortus est ad expressionem partis inferioris, & ad danda signa veræ passibilitatis & humanitatis: cujus est naturaliter horrere malum sui, quatenus sui malum. Itaque distinguenda est in Christo, ut in nobis, duplex animæ portio: Superior & Inferior. Inferior est voluntas, quatenus ex directione intellectûs appetit aliquid juxta Naturæ commodum. Superior est ipsa voluntas, quatenus respicit rationes spirituales, & æternas.

Nona Quæstio. Suarez. Amicus Martinon. Prudent. Godoy.

72 *Nona* est: an necesse impediverit in Christo vitiosum habitum impeccabilitas? *Affirmandum* censeo cum Suarez, Amico, Martinon, Prudentio & Godoy. Primò: quia vel habitus vitiosus acquireretur à Christo per actus: & hoc est impossibile: vel acquisitus esset per actus antecedentes unionem: & hoc etiam est impossibile, juxta nos: ergo infundi deberet à Deo. Sed hoc est etiam impossibile: quia habitus est facilitas ad malum: ergo Deus facilitaret ad malum: Tùm quia esset miraculum omninò deturpativum Naturæ, & contra exigentiam Divinitatis unitæ: ergo repugnans. Tùm demum quia aliunde mihi est certum Deum non posse esse causam specialem habitûs vel vitiosi, vel erronei. Secundò: quia Sanctificatio hypostatica non modò excludit peccatum, sed etiam potestatem peccandi: ergo à fortiori facilitatem peccandi. Tertiò: quia sicut non repugnat summa Sanctitas in ordine communicatæ Sanctitatis, ita neque summa elongatio à peccato: summa autem elongatio à peccato, facilitatem excludit. *Adde* non esse cur repugnet sanctificatio, quæ essentialiter excludat vitiosos habitus, sicut apud Arriagam non repugnat quæ excludat omnes motus etiam indeliberatos, & primos: & apud Delugo, quæ excludat etiâ potestatem peccandi: si ergo non repugnat, cur ista non sit, cùm summa sit? Quartò: quia habitus vitiosus, licèt non dicat malitiam formalem in genere moris, dicit habitualè, & est per se indecens, & indecorum; necessitatur ergo repellere Deus, à Naturâ, quam intimè facit suam.

Arriaga. Delugo.

73 Dices: habitus vitiosus non est malum morale: cur ergo non possit à Deo solo causari? Deinde, non minùs inclinat ad malum appetitus sensitivus, quàm habitus; & appetitum solus Deus facit. *Demum*, tunc facilitas infusa potest denominare eum, qui eam infundit, facilitantem ad rem ad quam est facilitas, quando subjectum non supponitur incapax facilitari; at si subjectum est incapax, ut est lapis, & ex suâ perfectione Christus: cur non possit ipsi infundere habitum?

74 Respondeo, habitum esse malum morale habituale, & ex eo genere entium, quorum productio fieri nequit à solo Deo, vel saltem ab ipso, non præexigente productionem aliqua formâ particulari, cui se Deus accommodat in operando. Est enim de linea peccati, & quod haber ex naturâ suâ gigni à peccato: quæ causa suppleri nequit à Deo, quia non petitur titulo perfectionis in esse: Deus autem solum supplere potest illas causas, quarum influxus ratione perfectionis exigitur: *ut disputando de auxiliis* explicui, dando pro his, & similibus regulam generalem. *Deinde* est alia ratio de appetitu: nam appetitus per se non inclinat ad turpe, sed ad delectabilia. *Quidquòd* est pars essentialis compositi. *Demum* ex ipsâ incapacitate subjecti convincitur repugnantia, ut Deus infundat facilitatem: esset enim miraculum omninò inutile, & otiosum: quod rationi miraculi repugnat. Quicquòd incapacitas subjecti non obstat inordinationi voluntatis infun-

Tom. in 1. p. tract. de Deo Aux.

infundentis, & ipsa infusione testantis affectum in malum, quantum in se est.

Decima Quæstio.

75 *Decima* est: an saltem Divinitùs compati possit statûs hypostatici dignitas reatum pœnæ vel æternæ, vel temporalis? Hæc quæstio supponit, posse assumi Naturam quę antecedenter ad unionem peccasset: quod tamen impossibile duximus *num.55.* & quo per impossibile permisso negandum omninò censeo cum Vazquez & Amico. Ratio mihi efficax est ex *lib.1. disp. 3. sect.2.* quia Reatus pœnæ est dignitas ad pœnam, seu ad aliquod malum; & consequenter aliqua indignitas ex præteritâ culpâ ad aliquod bonum; atqui ratione Divinitatis unitæ datur Humanitati dignitas ad omne bonum excogitabile, & ad carentiam cujuscumque mali possibilis: nullaque manet indignitas: ergo ratione Divinitatis unitæ excluditur necessariò quicumque reatus ad pœnam sive æternam sive temporalem.

Suprà à num.55.

Et ex lib.1 disp.3 sect. 2.

76 Confirmatur: quia ratione Divinitatis unitæ manet Humanitas digna ut ne per momentum quidem privetur Visione Beatifica, & aliis donis: habet enim dignitatem inter omnes possibiles summam: atqui reatus pœnę est dignitas aliqua ut privetur per aliquod momentum Visione Beatifica, & aliis donis: ergo ratione Divinitatis unitæ manet excluſus omnis reatus pœnæ. Vnde si per impossibile Humanitati negaret Deus per aliqua instantia visionem, ea privatio nō posset esse pœna, nec à Deo ut à Iudice, sed ut à Domino. Videatur inter alios P. Amicus *disp.24. sect.2. à nu.56.*

P. Amic: Vndecima Quæstio.

77 *Vndecima* est: an Dignitas, & impeccabilitas Christi Domini possit impedire ne assumenda Natura seminaliter procederet ab Adamo v.g. Hæc quæstio *triplicem* potest habere sensum. *Primus* est: an absolutè repugnet assumendæ Naturæ, processio seminalis ab Adamo? *Secundus* est, an si procederet seminaliter ab Adamo, repugnet quòd in ejus capite constitueretur, & ipso peccante peccaret? *Tertius* est: an saltem cum unione possit componi debitum peccandi in Adamo, licèt reipsà contrahenda culpa non foret?

78 Respondeo ad quęstionē *in primo sensu*, resolutionem esse mihi omninò incertam, ut est quævis vergens ad decidendam possibilitatem rei nobis ignotæ: neque sufficit non apparentia contradictionis, ne lateat ipsa: ut sæpè soleo dicere. Videtur tamen hujus seminalis processionis possibilitas permittenda, quousque nulla inde absurditas inferatur. *In secundo* respondeo, repugnare. Ratio est, primò: quia voluntas ratione suæ præeminentiæ & dignitatis exigens præminere, & incapax labi secundùm ordinem inspecta, nequit submitti ad nutum alterius voluntatis inferioris, imò exponi periculo aliàs impossibili, sine magna deordinatione dirigentis, & providentis. Secundò: quia in voluntate peccabili solùm possunt poni voluntates, quæ si tunc existerent, peccare possent; at voluntas impeccabilis, qualis est Christi, etiam si tunc existeret, peccare non posset: ergo. *In tertio sensu* respondeo non solùm peccatum originale, sed etiam debitum omninò excludi à magnitudine Sanctitatis Christi Domini. Ratio, quia voluntas incapax peccare, nequit habere peccatum, sive in se, sive ratione alterius; neque capacitatem proximam incurrendi, in quâ debitum constitui debet.

Vide lib.3. disp. 2. à nu.222.

79 *Duodecima*, & ultima est: quid dicendum de physicis defectibus? Quos nempè impediverit in Christi Humanitate, quos permiserit, aut necessariò impedire debuerit, vel potuerit permittere dignitas Personalitatis unitæ? *Noto*, defectus, de quibus solet institui quæstio cum Sancto Thoma, an nempè assumpti fuerint à Verbo, id est admissi, vel permissi in Naturâ assumpta, pertinere partim ad corpus, partim ad animam, & reduci ad *triplicem* classem.

Duodecima Quæstio.

S.Thomas.

80 *Primæ* classis sunt defectus, qui directè intellectum attingunt, (quales sunt, error, ignorantia, obscuritas, & id genus alii: & hi licèt physici sint; meliùs discutientur *disputatione sequenti*, cùm de extremis oppositis Scientiæ Christi:) vel qui directè Voluntatem attingunt, quales sunt vel passiones animæ, vel vitiosi defectus; & hoc hucusque eventilavimus; illas examinabimus *sect.* 5. Vnde nunc nihil nobis cum hujusmodi classe. *Secundæ* classis sunt defectus merè physici, & generales, quales sunt, passibilitas, sitis, fames, defatigatio, & id genus alii. *Tertiæ* classis sunt etiam physici, & particulares, quales sunt, *deformitas, cæcitas, febris, gibbus*, & id genus alii. De uttiusque hujus classis defectibus erit hîc sermo.

Infrà disp. 3. à n.214.

Et hìc sect. 5.

81 Respondeo primò: ex defectibus physicis, & corporalibus, nullum à Verbo assumptum in assumptâ Naturâ ex tertiâ classe: nempè ex illis defectibus, qui sunt Humanæ Naturæ per accidens particulares,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ex defectu, vel temperamenti, vel causæ formatricis, vel aliundè proveniunt. Ratio est primò: Dignitas effectûs exigit eximi à causis in operatione deerrantibus: & aliunde habuit causam ordinatissimam ex quâ nullus defectus præ imbecillitate virtutis oriri potuit: ergo nulla est causa, ut tales defectus assumpti fuerint. Secundò: quia *S.Thomas.* juxta Sanctum Thomam, & alios Patres, Regula pro designatione defectuum, quos admisit Christus in assumptâ Naturâ, est Incarnationis, & Redemptionis finis: Vnde intulit Angelicus Doctor, nullum à Verbo permissum in Humanitate defectum Scientiæ, & Gratiæ, quia hi defectus non requirantur ad finem Redemptionis: Atqui neque ad finem Redemptionis requiritur assumptio defectuum particularium: ergo hos non assumpsit.

82 Vnde infertur primò: Christum habuisse physicam perfectionem defectibus hisce contrariam: nam hi defectus excludûntur à corpore per positivam ejus perfectionem in gradu temperamenti, & extinsecæ pulchritudinis. Infertur secundò, Christum Dominum habuisse corpus temperamenti, quo nullum posset melius excogitari: quod non videtur repugnare: nam quod qualitates disponantur ad pondus, & ad certam proportionem intra gradum optimitatis, videtur esse sphæræ determinatæ, nec posse in hoc in infinitum abiri. Sistendum enim est in debitâ proportione qualitatum ad finem determinatum.

83 Ratio autem illationis est: quia Animæ felicissimæ, & capaci operationum omninò sublimium decet dari corpus ad omne genus operationum aptissimum. Tum quia ipsa optimitas temperamenti videtur esse bonum cadens in jura Vnionis condignificantis Animam ad omne genus boni.

84 Infertur tertiò: Christum habuisse Corpus pulcherrimum in maximo gradu, attentâ decentiâ, & proportione sexûs: neque enim quicquid pro unius sexûs decentiâ pulcrum æstimatur, eòipsò æstimari debet pulcrum pro utroque sexu. Ratio illationis est, quia corpus sapere debuit matrem causæ formatricis, quæ fuit Spiritûs Sancti virtus in Vtero purissimo semper Virginis, & Magnæ Matris. Tùm etiam: quia pulcritudo sumitur ex integritate membrorum; ex debitâ eorundem inter se proportione, & ex nativo colore vi complexionis, & temperamenti optimi refluente: quæ tria in Christo fuisse in gradu summo, sequitur ex præcedentibus.

85 Respondeo secundò: assumptam esse à Verbo Naturam cum defectibus secundæ classis, nempè alioqui communibus, quantùm oportuit ad finem Redemptionis, ad ostensionem veri Corporis, & Exemplum nostrum. Hanc enim regulam assignat Angelicus Doctor: eaque est optima: sed notanda sunt *tria*. *Primum*: eos defectus à nobis contrahi: non tamen esse contractos à Christo: quia non eos habuit ex origine, ex quâ nos: trahentes eos simul cum naturâ propter peccatum. Christus enim habuit, quia voluit. *Secundum*: eos defectus in Christo, attentâ Naturâ Humanâ secundùm se, dici posse naturales; attento tamen statu hypostatico, esse omninò permissos præter exigentiam ordinis, impeditis supernaturaliter dotibus, quæ eos excluderent. *Tertium*: eos consequenter fuisse voluntarios Christo: quia pro libito admisit, & permisit, potens evitare facillimè, vel impedita causâ sitis, famis, defatigationis, vel inductâ causâ contrariæ perfectionis. *Angelic. Doctor.*

86 An verò Christus, nisi morte violentâ occidendus fuisset, senio conficeretur, & moreretur? Mihi maximè dubium est, & obscurum. Illud mihi certum, Authores solùm affirmare supponentes Christum manere, ut fuit ante mortem. Ego verò censeo non ita mansurum, nec decere ut maneret nisi morte in holocaustum obeundâ: quare præcavisset à senio, & à morte, ut facillimè poterat.

87 Respondeo tertiò: hos habuisse defectus fuisse attento hypostatico ordine, miraculosum. Ratio est: quia Vnionis Hypostaticæ dignitas vel immediatè exigebat oppositum, vel exigebat oppositas perfectiones. An verò possent in Corpore Christi permitti particulares illi defectus physici *Febris, gibbi, calvitiei*, & id genus alii, dubium mihi est etiam maximè. Certum imprimis mihi est, ex naturâ rei permitti non posse: Tùm quia est in oppositum Vnionis dignitas. Tùm quia causa ordinatissima est, & esse debet. Deinde non video utilitatem miraculi, ut Divinitùs fieri possit: neque video apertam repugnantiam. *Deus scit.*

* * * * * * * * * * *

SEC-

SECTIO III.

STATVITVR, ET EXPLICATVR INCAPACITAS Moralis imperfectionis in Christo Domino.

§. I.

QVID MORALIS IMPERFECTIO? ET ratio dubitandi.

P. Suarez. 88 HOc dubium excitavit *Doctor Eximius* in Christi gloriam: & *post ipsum* est jam communis opinio quæ defendit Christum etiam esse ratione eximiæ sanctitatis, non solùm moraliter, sed etiam physicè incapacem moralis Imperfectionis. Verùm ne ista excellentia tandem habeat in purum sonum vocis, meliùsque ut constet de summitate perfectionis moralis in Christo, statuere priùs oportet quid veniat nomine *Moralis imperfectionis*, quam exclusam vult à Christo Magnus Suarez.

P. Ripalda. 89 Notatur hic à multis ex Ripalda, minorem perfectionem moralem in operando non esse imperfectionem moralem eòipsò: ratio est: quia moralis imperfectio saltem est dignitas ad aliquam justam increpationem: non sic minor moralis perfectio: nam non eòipsò quòd quis operetur minùs perfectè, quàm alius, jam est moraliter imperfectus; nec eòipsò quòd quis operetur minùs perfectè quàm potest. Quam notationem eatenus ipse censeo veram, quatenus loquitur de minori perfectione, quasi materiali, & entitativâ; non verò formali, & desumptâ ex respectu ad Regulam omnis moralitatis. Qui enim minùs perfectè operatur, attentâ Regulâ moralis perfectionis, eòipsò facit imperfectionem moralem: non verò qui solùm minùs perfectè operatur, respectivè ad majorem perfectionem entitativâ ex quâ operari potsit: Nam cum disparilitate entitativâ potest esse summa paritas respectivè ad regulam moralitatis ex quâ sumi, debet operandi moralis perfectio, ut mox dicemus. Iam

Primus dicendi modus. 90 Imperfectio moralis à nonnullis ita explicatur, ut nomine positivè imperfectionis solùm veniat actio peccaminosa sive lethalis, sive venialis: quicquid autem extra peccatum sit, non censent esse positivam imperfectionem moralem, sed negativam, id est, defectum perfectionis, & necessitatis operandi semper optimè. Et in hoc sensu censent Christum esse incapacem moralis imperfectionis positivè, etiam metaphysicè, non verò esse incapacem moralis imperfectionis negativæ, neque necessitatum fuisse ad operandum optimè neque ad non recedendum à Divino majori beneplacito, neque moraliter, neque physicè. Ita tandem Pater Arriaga *disp. 43. sect. 2. & 3.* *P. Arriag.*

91 Sed hic modus dicendi non placet. Primò: quia apud omnes imperfectio moralis contradistinguitur à peccato etiam levi. Et ratio est: quia potest dari citra peccatum in modo operâdi justa occasio reprehensionis, & increpationis; atqui justa causa reprehensionis, & increpationis non est utcumque defectus perfectionis, sed positiva moralis imperfectio. Secundò: quia plures sunt leges vel directivæ, vel purè pœnales, quarum transgressio ne venialiter quidem est mala: quis autem asserat non esse positivam moralem imperfectionem? Tertiò: quia ex hoc discursu nihil additur excellentiæ, præter param impeccabilitatem, Christo Domino. *D isp licet.*

Secundus dicendi modus. Card. de Lugo. 92 Cardinalis de Lugo asserit Imperfectionem moralem in eo sitam esse, quòd sit operatio moralis vel recedens à consilio, & majori beneplacito Superioris, vel præcisim à consilio, & beneplacito Superioris, minùs perfecta in genere moris, quàm alia quæ hîc, & nunc, & attento suo statu posset elici ab operante. Et asserit Christum Dominum ratione suæ sanctitatis esse impotentem imperfectionis moralis, atque adeò & recedendi à consiliis, & majori beneplacito Dei, & operandi minùs perfectè quàm posset, non quidem physicâ impotentiâ, sed morali.

Displicet. 93 Imprimis iste discursus in eo deficit quòd moralem imperfectionem confundit cum perfectione minori, quasi entitativâ, & materiali: deficit deinde in eo quòd Christum solùm moraliter impotentem putat ad recessum à Divino majori beneplacito, & consiliis. Et circa primum displicet mihi primò. Eatenus minor perfectio entitativa in operando potest esse moralis imperfectio, quatenus operantem reddit reprehensibilem, & dignum justâ exprobratione: si enim nulla manet in operante dignitas exprobrationis, & reprehensionis, quomodo commisit moralem imperfectionem in operando? Atqui minor perfectio entitativa in operando est ratione sui, & secundùm se ju-

Universidad de Deusto
Biblioteca

indifferens ut pariat vel non pariat dignitatem justæ exprobrationis: nam est indifferens, ut cadat in majus beneplacitum, & consilium Dei: ergo.

94 Secundò: si minor perfectio entitativa præcisim à consilio, & Voluntate Superioris esset moralis imperfectio, esset moralis imperfectio in Religioso quoties præcisim à Constitutionibus, & Regulis, non operatur quæ majoris sunt perfectionis: unde Nos qui quotidie non abstinemus à carnibus, essemus moraliter imperfecti. Tertiò: quia ideò in nobis operari remissè est moralis imperfectio, quia supponitur beneplacitum majus Dei de operatione intensa: ut *alibi* dixisse me memini. Quartò, & à priori, quia Regula totius honestatis, & perfectionis moralis est Deus, Deique voluntas: ergo tota perfectio moralis sumenda est per ordinem ad hanc regulam.

Lib.2.disp. 1. nu.72.

95 Displicet circa secundum, & magis, primò: quia vel recedere à Divino majori beneplacito est secundùm se probrosum, & dignum justâ reprehensione, vel non? Si primum: quod videtur dicendum, & patebit infrà: ergo Christus potuit absolutè sic operari, ut probrosè operaretur, & dignus esset justâ reprehensione: quod mihi est maximè dutum. Si secundum: cur ponitur in Christo moralis necessitas ne faciat id, quod si faceret, nullâ esset, dignus reprehensione? Deinde non esset cur esset moralis imperfectio.

96 Secundò: quia ista moralis necessitas ad operandum honestissimè, explicatur difficillimè: imò juxta me disputando de Auxiliis non est in rebus, sed est intentionalis, & extrinseca. Et ratio difficultatis pro re præsenti est: quia nulla inclinatio, quantumvis vehemens, quæ neque minuat in oppositum physicam potestatem, neque perfectionem cognitionum, quæ requiruntur ad exercitium oppositum inclinationi, potest fundare moralem impossibilitatem talis oppositi, & desperationem illius omninò prudentem.

Et suprà lib. 2. disp. 2. passim.

97 Tertiò: Nam vel hæc moralis necessitas consistit in Vnione Hypostaticâ formaliter, vel exigitivè, vel in amore beatifico. Non in Vnione Hypostaticâ formaliter: nam sic se ipsâ excluderet imperfectionem moralem, seu recessum à Divinis consiliis, ut peccata excludit: ergo esset necessitas physica. Non in ipsâ exigitivè, quatenus exigit auxilia quibuscum Christus prævisus est honestissimè operariuâ & prævisa est connaturaliter jungi cum his, quibuscum prævisus est Christus minus perfectè operari. Tùm quia non potest id exigere Vnio, nisi per oppositionem cum imperfectione morali. Non in amore beatifico: quia sic neque incapacitas esset ratione sanctificationis summæ, neque esse incapacitas merè moralis, sed physica. Tùm quia amor Dei super omnia etiam moraliter imperfecta, essentialiter excludit omnia moraliter imperfecta. Tùm etiam, quia amor super omnia transformat ex vi suâ quantùm potest, amantem in voluntatem amati: ergo in non recessum ab eâ: ergo. Tùm demum quia Amor est physica connexio, si sit efficax, amantis cum objecto, quod vel formaliter, vel virtualiter amatur: si ergo amatur complacentia major respectu Dei, physicè necessitat.

98 Pater Aldrete ponit discrimen inter Regulas moralis perfectionis ad Christum, & purum hominem: & asserit: primò, Imperfectionem moralem eatenus, & tunc consistere in recessu à Divinis consiliis, majorique beneplacito Dei, quatenus & cùm iste recessus importat jacturam, vel omissionem majoris unionis cum ultimo fine, nempe Deo, per Gratiam habitualem, vel Visionem: si enim fieri possit iste recessus sine ullâ jacturâ majoris unionis cum Deo; tunc non erit moralis imperfectio: quia moralis perfectio sumitur ex majori unione cùm Deo. Vel secundò, quatenus, & cùm iste recessus fit à Persona vel carente perfectâ possessione sui ultimi finis, vel indigente stimulo reprehensionis, vel pœnæ ad rectè operandum. Vel tertiò, quatenus & cùm iste recessus minuit in operatione vim appropinquationis ad Deum, aut vim obsequii, & meriti, quorũ defectus est minor accessus, vel recessus ad minùs perfectam assecutionem finis.

Tertius dicendi modus.

99 Hinc secundò asserit, recessum à Divinis consiliis, & à majori beneplacito Dei, imò minorem perfectionem, & fervorem in operatione morali semper in nobis esse moralem imperfectionem positivam per quam digni reprehensione simus. Non autem in Beatis, & minùs in Christo Domino ob rationes jam attactas.

100 Asserit inde tertiò: Christum Dominum non solùm moraliter, sed & physicè esse incapacem moralis imperfectionis in operando, licèt possit minùs perfectè operari, imò à majori Dei beneplacito recedere.

Asse-

101 Asserit tamen, & demum quartò: Christum Dominum, licèt potuerit physicè minùs perfectè operari, & recedere à majori beneplacito Dei; tamen non potuisse moraliter. Coincidunt in hanc discurrendi viam, & in hoc acumen Sfortia Cardinalis, Pater Antonius Perez, Pater Martinus Esparza, & ferè Pater Amicus.

Sfortia Card. P. Anton. Perez. Martinus Esparza Card. P. Amic. Displicent

102 Imprimis in toto hoc discursu displicent ea omnia per quæ convenit cum præcedente Cardinalis de Lugo. Deinde potissima pars illius: nempe explicatio moralis imperfectionis. Primò: quia Regula totius honestatis, & moralitatis est una & eadem, nempe Divina Bonitas: ergo eadem, & ipsissima est respectu Christi & Nostri: ergo tota ratio nostræ moralitatis sumi debet ex conformitate, vel diformitate cum ipsa: ergo præcisim ab aliis circunstantiis una & eadem esse debet respectu omnium Regula moralis perfectionis.

103 Secundò: ideò per recessum à majori conformitate cum Divino placito fit jactura, vel amissio majoris unionis cum Deo, in eo qui capax est jacturæ, & amissionis, quia recessus ille ratione sui, & secundùm se est dignitas objurgationis, & reprehensionis: si enim ratione sui non sit hujusmodi dignitatis, non est cur fieri debeat jactura, vel amissio: ergo ubicumque sit iste recessus, erit dignitas reprehensionis, & objurgationis: ergo & moralis imperfectio. Tertiò: qui est in ultimò fine, & liberè desinit ipsi adhærere, & conformari quantùm potest, eò reprehensibilior est quò magis debet à possessione finis moveri, ne desinat ipsi adhærere, & conformari quantùm potest: quia minùs decenter recedis ab eo, quod cognoscis magis, si minùs cognoscendo, non recederes cum decentia: atqui qui est in ultimò fine, magis debet à finis possessione moveri, ne desinat ipsi magis adhærere, & conformari, quantùm potest: ergo si desinat ipsi conformari quantum potest, reprehensibilior fit: ergo major est in ipso moralis imperfectio.

104 Quartò: quia Moralis perfectio unicè debet sumi ex unione affectivâ, & affectivâ assimilatione cum Deo: quicquid enim in oppositum dicitur, parum Theologicè, & sine ratione, imò dicitur ex magna æquivocatione desumptâ ex eo quod moralis imperfectio sumitur solùm in specie, & non in genere; ex experientiâ nostri & non ex ratione: atqui qui recedit à majori beneplacito Dei, minus habet affectivæ unionis, & assimilationis: ergo. Quintò: quia perse apparet probrosum, & dignum reprehensione dissentire à voluntate Superioris: & magis probrosum, quò superior magis favet.

105 Sextò: vel recedere à Divino consilio est indecorum & reprehensibile videnti, & amanti Deum: vel non? Si secundum: quod mihi apparet absurdum ex ipsis terminis: ergo visio, & amor non necessitat ad oppositum: cur enim? Si primum: ergo excusari non potest à morali imperfectione. Adde hîc etiam duo. *Primum*, sicut vera Theologia peccata etiam venialia, præcisim à jactura explicat, cur non explicare debet etiam moralem imperfectionem. Datur enim per hæc ansa retrogrediendi, & favendi hæreticis, peccata ad specialem statum, & imputationem devolventia. *Alterum*: hinc nullum parari discrimen inter Christum & purum hominem Beatum, & utrumque pariter, & æquè fieri incapacem moralis imperfectionis: quare moralis imperfectionis exclusio non erit excellentia Sanctitatis specialis in Christo, secùs ac communiter putatur.

106 Quare, apud me, sequendo communem Theologiam in hoc principio, quod satis elucidant Hurtadus Salmanticenſis *disp. 62. §.139.* Ripald. *tom.2. de supern. disp.74. sect.4. num. 35.* Bernal *disp.54. sect.5. §.1.* Godoy *disp.43.* Imperfectio moralis, ut contradistincta à peccato (hoc enim non est utcumque imperfectum, sed malum) est quidam recessus in operando à consilio Superioris, & primæ Regulæ, seu à majori Primæ Regulæ beneplacito. Vnde, eatenus qui minùs perfectè operamur, & ex virtute inferiori, aut remissè, cum fervidè possumus, aut perfectius & ex nobiliori virtute, dicimur moraliter imperfecti; quatenus præsumitur majus Primæ Regulæ Beneplacitum circa operandi modum quem omittimus. Si enim constaret nobis de majori beneplacito Primæ Regulæ circa deambulationem v. gr. quàm circa orationem oratio esset imperfectio moralis, & moralis perfectio consisteret in amplectendo deambulationem.

Nostra mens. Hurtad. Salmant. Ripald. Bernal. Godoy.

107 Ratio à priori est: quia Vnusquisque debet mensurari in operando ex Primâ Regulâ totius honestatis, & moralitatis, qui Deus est: unde quò magis accedit, aut recedit à Regulâ, eò magis, aut minùs perfectus evadit, aut imperfectus. Receditur simpliciter à Regulâ per peccatum grave: receditur secundùm

quid,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid, per leve: receditur à majori conformitate cum ipsâ, per imperfectionem moralem: unde imperfectio moralis non est peccatum, quia retinet aliqualem conformitatem cum aliquo beneplacito: quam nullum peccatum retinere potest: est tamen dignitas justæ exprobrationis, & reprehensionis, quia reprehensibile, & exprobrabile est secundùm se non conformari Deo, quantum quis potest in operando: ut in Religionibus est exprobrabile, & reprehensibile nó conformari subditum cum illius regulis, & constitutionibus, quæ licèt non obligent in conscientiâ, significant tamen maius beneplacitum Superioris. Iam

Ratio dubitandi in puncto principali.

108 Ratio dubitandi pro præsenti controversiâ, quæ coegit ad præfatos discursus est urgentissima. Nam vel Christus Dominus potuit admittere moralem imperfectionem, vel non? Si secundum: quomodo cum tam sublimi gradu sanctitatis componi potuit dignitas reprehensibilitatis, & recessûs à majori beneplacito Dei? Si secundum: ergo non potuit Christus recedere à majori beneplacito Dei in operando: nam ut constitit, in hoc constitit carere imperfectione morali: ergo non potuit operari aliter, quàm operatus est: nam hoc fuit Dei majus beneplacitum: ergo non est liberè operatus, quoties operatus est. Quæ consequentia patet: nam qui operatur, non potens aliter operari, non operatur liberè.

Delugo. Aldrete.

109 Dicere autem cum Delugo, & Aldrete, potuisse aliter operari, potentiâ physicâ, non verò morali, est nihil dicere. Primò: quia vix potest assignari ratio in quâ fundetur ista moralis impotentia, quæ non transcendat in impotentiâ physicam. Secundò: quia moralis impotentia, si in rebus sit, & ipsis intrinseca, vel stare non potest sine physicâ diminutione libertatis, vel inexplicabilis est. Tertiò: quia quod moraliter non possumus, absolutè dicimur non posse: atque adeò perinde se habet ista moralis impotentia ad diminutionem laudis, & obsequii; ac si esset impotentia physica: nisi moralis impotentia sit merè extrinseca, qualis esse nequit in casu nostro. Nihilominùs sit

§. II.

VERA RESOLVTIO.

110 PRima conclusio: De facto Christus nullam habuit imperfectionem moralem, neque recessit à majori beneplacito Dei in operando. Est certa primo ex illo *Ioann.* 8. *Quæ placita sunt ei* (nempè Patri) *facio semper.* Secundò ex illo ejusdem *Ioannis 6. Descendi de Cælo non ut faciã voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Tertiò: quia Christo dandum est omne culmen perfectionis, utpote constituto in Regulam, & exemplar omnis perfectionis moralis: culmen autem perfectionis pro quarto gradu juxta Sanctum Thomam 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 3. 0. *& art.* 7. *ad* 1. dicit plenam conformitatem cum Divinis consiliis, & majori beneplacito Divinæ voluntatis. Quartò: quia hic est communis Fidelium sensus, & Theologorum hanc perfectionem in operando extendentium ad Beatissimam Virginem Matrem.

Ioann. 8. & 6.

S. Thomas.

111 Secunda conclusio: Christi Domini Humanitas neque physicè potuit recedere à consiliis, & majori beneplacito Divinæ Voluntatis. Ita Hurtadus, Bernal, & Moncæus sequuti Doctorem Eximium. Et in nostris principiis res est planissima, si vera sunt, ut contendimus esse, quæ jecimus *lib. 4. disp. 6. sect.* 2. Probatur ulteriùs, & primò quidem: quia Humanitas Christi Domini ratione Vnionis, & Divinitatis unitæ manet summè dilecta, & incontemptibilis: ergo manet etiam inobjurgabilis, & irreprehensibilis. Patet consequentia: quia dignitas ad objurgationem, & reprehensionem justam est occasio minoris amoris, & alicujus contemptûs: Nunc sic: atqui recessus à consiliis, & beneplacito Dei est Dignitas ad objurgationem, & reprehensionem justam: quomodo enim excusari potest à debito reprehensionis, qui à sui Superioris beneplacito recedit.

Hurtadus. Bernal. Moncæus, cũ Suarez. Suprà lib. 4. disp. 6. sect. 2.

112 Secundò: quia Christi Humanitas constituta est in Regulam, & exemplar omnis perfectionis moralis respectu nostri: quomodo ergo decet ut ista Regula, lesbia posset esse, & lubrica? Tertiò: quia summa conjunctio Dei, atque summa satisfactio id videtur importare, ut non solùm opponatur cum malitiâ, sed etiam cum omni morali imperfectione: siquidem repugnantia talis sanctitatis non est: ut *mox* dicam. Quartò: Christus recedens à majori beneplacito Patris est suppositio, quam omnes Fideles horrent: ergo ex latenti contradictione talis suppositionis. Quintò: quia amor debitus Vnioni Hypostaticæ est perfectissimus, atque adeò superans eum, qui in Beatis est super

Mox à nu. 113.

per omnia mala culpæ: ergo est etiam super omnia moraliter imperfecta. Sextò: quia negari Christo nequit aliqua impossibilitas recedendi à Divino beneplacito: eam autem debere esse physicam constat ex his, quę contra Lugum, & Aldretum posuimus.

Lugo. Aldrete.

113 Tertia conclusio: Christi Humanitas neque physicè potuit habere moralem imperfectionem. Ita præcitati quibus adde Godoy *disp.* 43. §. 2. & Prudentium *tom.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 4 *sect.* 4. & juxta *num.* 11. manifestè sequitur ex præcedenti. Probatur ulteriùs. Et primò quidem, ex conceptu moralis imperfectionis, qui est esse positivam dignitatem justæ exprobrationis, & reprehensionis. Implicat autem Christum in operando esse dignum justa exprobratione. Ratio est: quia omnis operatio Christi habet infinitam dignitatem ad omne genus boni: & singulæ operationes æquè Deo placent: carentia autem exprobrationis est aliquod bonum; ergo cadit in condignitatem cujusvis operationis Christi: ergo quævis est summè digna ne ob ipsam reprehendatur Humanitas: ergo est exclusio moralis imperfectionis.

Godoy. Prudens.

114 Secundò: ex conceptu summæ Sanctitatis communicatæ: quia talis esse debet ut nulla possit excogitari major: atqui perfectior esset, quæ non solùm cum malitia, sed etiam cum morali imperfectione physicam diceret oppositionem: nec repugnare videtur: ergo. Tertiò: quia amor beatificus Vnioni Hypostaticæ debitus videtur esse super omnia etiam moraliter imperfecta. Quartò: quia id maximè decet dignitatem, & titulum Filii Dei.

115 Dices: Deus non tenetur facere quæ meliora sunt: ergo nec Christus. Adde si Christus necessitaretur ad optimum morale in operando, posset amdari libertatem sufficientem ad laudem, obsequium, & meritum: quia eòipsò esset necessitatus ad actus æquales. Respondeo, Deum quidem necessitari non ad electionem optimi, sed ad optimam physicè, & moraliter, ut explicatum est *lib.* 2. *disp.* 1. Christum ad electionem hîc & nunc optimam non physicè, sed moraliter, id est, attentâ Regulâ practicâ moralis perfectionis, quæ est majus beneplacitum Dei, à quo dicimus non potuisse deficere Christum in operando: hoc autem beneplacitum rendere potest in actus physicè, & secundùm se non tam perfectos, quàm sint alii ad quos tendere potuisset.

Suprà lib. 2. disp. 1. à nu. 69.

Aranda de Incarnatione.

116 Vnde ad adjunctam difficultatem *de necessitate Christi ad actus æquales*, vel *dicendum est* eam inæqualitatem physicam & entitativam cum æqualitate tamen moralis perfectionis, sufficere ad rationem laudabilitatis, & meriti, ut dici solet ab adversariis sufficere inæqualitatem laudabilitatis, & bonitatis intrinsecæ, cum æqualitate dignitatis ad placendum, & bonitatis extrinsecæ, & respectivæ in Christo, in quo singuli actus ratione Personæ sunt æquales: vel *dicendum* necessitatem ad actus æquales non officere laudabilitati, & merito. *De quo* dicemus *disp.* 4. *sect.* 1.

Infrà latiſſimè disp. 4 *sect.* 1.

117 Ad rationem dubitandi positam *nu.* 108. omissis aliis respondendi viis jam intercluſis *à nu.* 90. *&* 99. & præsertim *lib. præced.* cum *de incompossibilitate libertatis Christi cum præcepto* in Conscientiâ obligatorio *sect.* 3. respondeo facilè cum Bernal, cujus Doctrinam explicui, & promovi *libr. disp* 6. *sect.* 2. admisso secundo membro dilemmatis. Ad impugnationem, concedo primam consequentiam & nego secundam: Nam licèt Christi Humanitas non posset recedere à majori Dei beneplacito in operando, poterat aliter operari, quàm operatus est: non enim sic recederet à majori beneplacito Dei, sed ipsi conformaretur: quippe ita est data optio Humanitati eligendi quod vellet, ut Deus vellet magis id quod Humanitas eligebat, eòipsò quòd ita vellet eligere Humanitas, paratus æquè approbare, & velle oppositum, si oppositum voluisset Humanitas: unde ista necessitas non recedendi à Divino beneplacito non tollit libertatem Christi in eligendo, sed ostendit summam dignitatem ipsius, summum apicem suæ perfectionis, & summam dilectionem, quâ Deus complectitur Humanitatem: quibus è capitibus loco citato probata est descendere in Humanitatem ista singularissima Prærogativa.

Lib. 4. disp. 5 *sect.* 3. *& disp.* 6. *sect.* 2.

SECTIO IV.

STATVITVR, ET EXPONITVR SVMMA Christi Creatæ Voluntatis cum Divina Voluntate concordia.

168 QVæ satis patere videbatur ex *nuper* dictis. Nihilominùs, ut obstruatur *os loquentium iniqua*, maximè Monothelitarum, eò præsertim negantium in Christo duas voluntates, seu volitiones,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Creatam,& Increatam, quod timerent inevitabiliter earundem inter se contrarietatē, & pugnam; addendum, & explicandum aliquid, ut constet quam fuit Divinæ concors in omnibus Christi Domini creata voluntas.

119 Prima Positio: Creata Christi Voluntas nihil unquam efficaciter voluit, cujus oppositum Divina voluntas efficaciter vellet.

Ioann. 8. Est certa. Tùm ex illo Ioannis: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Tùm ex Conciliis & Patribus apertè testantibus contra vanum timorem Monotheliſmi : præsertim *Synod. VI. Synod. Agatho P.* *VI. & Agathone.* Tùm ex apertâ ratione desumptâ ex Visione, & amore Beatifico, quibus nunquam caruit anima Christi: exque dignitate Sanctificationis, & Vnionis. Tùm demum ex ratione à priori: quia ea resistentia, vel conatus efficax in objectum, cujus oppositum efficaciter vellet Divina voluntas, manifestam dicit vel ignorantiam, vel imprudentiam, imò indecentiam : quarum nullâ laboravit Christus. Dicit ignorantiam, si nesciebat Deum in oppositum efficaciter vergere. Si sciebat, dicit imprudentiam, & indecentiam.

120 Secunda Positio : Non solùm nihil unquam efficaciter voluit Christi voluntas creata, cujus oppositum Divina voluntas efficaciter vellet, sed ne potuit quidem. Idque non solùm ratione Visionis, & sciens Dei voluntatem, sed ratione etiam Vnionis, & præcisim à scientiâ de eo quòd objectum esset efficaciter volitum à Deo.

121 *Tria* pono. *Primum* non potuisse Christum per actum creatæ voluntatis efficaciter velle objectū efficaciter à Divina nolitum: & ostenditur eadem ratione quâ factum negavimus, quia Christo repugnat ignorātia, & imprudētia positiva: quarū alteram sequi, necesse est. *Secundum*: repugnare id ratione Visionis, & plenitudinis in sciendo: nam sic excusari non posset à manifesta indecentia, & imprudentia: quis enim prudenter conetur efficaciter in id quod hìc, & nunc videt factu impossibile?

Tertium, id repugnare in Christo ratione dignitatis, & unionis, & præcisim à scientiâ : & ostenditur primò : Prudentia, cui in operando se debet Christus conformare, exigit ne velit absolutè quicquam, nisi facta limitatione, nempè nisi Deus oppositum efficaciter velit. Secundò : quia Dignitas Christi est necessitas sibi à Deo imposita ita regendi actiones Humanitatis, ut nihil in ipsâ permittat reipsâ indecorum, & indecens, ut ex suprà discussis constat; atqui actus efficaciter oppositus Voluntati efficaci Dei, per se est indecorus, & indecens: ergo.

122 Tertia positio: Neque habuit Christi Voluntas actum inefficacem, quo vellet, aut nollet aliquid, modo quo oppositum efficaciter Deus voluit, aut noluit; imò, quem à Christo haberi, non vellet efficaciter Deus modo quo Christus habuit. Probatur tùm ex ejusdem Christi verbis : *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Tùm ex ordinatiſs. mâ Voluntate Christi; & ex speciali directione, quâ Deus eam rexit. Ex *illâ*, incredibile est quod Christus opponeretur fini intento à Divinitate, licèt aliquomodo refugeret medium, præcisim à fine. Ex *istâ*: quia Deus ita movebat Voluntatem Christi, nihil ut in ea permitteretur insurgere, nisi quod vellet in Christo ob plures fines.

123 Vnde quando in horto; dixit: *Pater, transeat à me Calix iste*, & alia quæ videntur insinuatitia voluntatis fugientis à morte: *duo* advertenda sunt. *Primum* : Christum Dominum non habuisse actum efficacem absolutum, quo refugeret mortem, & ullum, quo refugeret Redemptionem, sed vel conditionatum, vel inefficacem quo naturaliter voluit in se experiri horrorem mortis, displicendo in ipsâ, quatenus Malo quodam naturali, volens tamen ipsam efficaciter, prout volebat Pater. *Alterum*: Deum (qui similiter displicebat in morte, quatenus præcisè disconvenienti Naturæ) voluisse, & præordinasse, ut Christus in se experiretur illum horrorem naturalem mortis, tum ut nobis præberet exemplum in victoria; tum ut exhiberet specimen veræ humanitatis: tu ut anticipatò obstrueret os monotheliſmi, & manifestò probaret actum creatæ voluntatis in Christo, ut arguit in Sexta Synodo Agatho: nam affectus, quantumvis efficax, mixtus cum anxietate & tristitia, non poterat esse nisi voluntatis creatæ.

124 Notat acutè Moncæus *disp. 9. cap. 1. pag. 712.* ea Verba Christi in horto prolata, non fuisse insinuatitia desiderii, ne moreretur, neque per modum orationis ad Patrem simpliciter, & strictè, sed per modum declarationis, quâ voluit declarare, & testari affectum inferioris partis animæ suæ. Ex quibus nascitur *P. Monc.*

125 Conclusio unica: Christi creata voluntas semper & in omnibus fuit Divinæ summè concors, atque conformis : neque Christus habuit pugnam internam voluntatum. Hæc conclusio definita est à pluribus CC. & PP. præsertim ut dixi, ab Agathone, *Agatho. VI. Synod.* & sexta Synodo Generali *Act. 4* contra vanum timorem Monotheliſtarum: & ex præcedentibus, quæ posuimus, est omninò evidens. Nam qui nullum affectum habuit efficacem in objectum, cujus oppositum efficacem Deus haberet; neque inefficacem circa modum, quo volebat Deus rem fieri, imò quem Deus non vellet ita haberi, necessariò fuit summè concors, & conformis Divinæ voluntati.

126 Quod addidi in secunda parte conclusionis de nullâ contrarietate vel pugnâ voluntatū in Christo, est manifestum etiam corollarium: Nam quæ sunt conformia uni tertio, non possunt esse inter se difformia: atqui actus voluntatis Christi, nempe quo refugebat naturaliter mortem, ut præcisè naturæ malum, & quo amplectabatur efficaciter ipsam, licèt naturæ malum, ad finē Redemptionis sunt conformes Divinæ voluntati: ergo non sunt inter se difformes. Adde pugnam internam affectuū tunc oriri, quando unus actus insurgit contra alium, nempe quando pars inferior insurgit contra superiorem, & resistit ex merâ inclinatione naturæ: at in Christo nullus affectus fuit, qui non admitteretur liberè, & ex imperio partis Superioris: unde nullus fuit contra, neque formalis resistentiæ.

127 Rogas hìc: an omnis voluntas Christi impleta sit, seu an omne quod Christus voluit voluntate suâ creatâ, impletum fuerit? *Respondeo* primò : omnem voluntatem inefficacem Christi non fuisse impletam. *Respondeo* secundò: impletam fuisse omnem voluntatem Christi efficacem. Ratio prioris est primò: quia neque omnis voluntas inefficax Dei impletur : Christus autem, quicquid inefficaciter volebat Deus, & ipse inefficaciter voluit. Secundò: quia & inefficaciter voluit non mori, & mortuus est. Ratio posterioris est: quia vel res efficaciter volita pendebat ab alio, vel non. Si secundum: ex virtute prudentiæ necessitabatur non velle efficaciter ultra quàm posset : & ex virtute constantiæ, exequi, & non deficere à semel efficaciter volito. Si primum: erat de dignitate, & majestate tantæ Naturæ, utpote in Apice Divini Suppositi collocatæ, habere assistentem Divinam omnipotentiam, & ab ipsa vires, & media ad assequendum quicquid prudenter voluisset efficaci voluntate: quare recurrit eadem vis ex virtute Prudentiæ, & constantiæ in operando. Quare *resolutionem* putat Eximius Doctor *certam* ex CC. & PP. *disp 38. sect 5.* *Doctor Eximius. Vazquez. Cajetan. Marc. 7.*

128 Dicos ex Vazquez, & Cajetano, Marc 7. dici de Christo, *voluisse latere, & non potuisse* : quod de efficaci, & absolutâ voluntate oportet intelligi. Tùm quia dicitur simpliciter non latuisse, non quia non satis voluit, sed quia non potuit. Tùm etiam quia exinde probat Agatho *in Epist. recitata* in Sextâ Synodo, actum creatæ voluntatis in Christo: quæ probatio, nisi actus esset efficax, non esset efficax: quia actum inefficacem non impleri, Divino competit: ergo saltem penès ea quæ pendebant ex alieno arbitrio, potuit Christus efficaciter velle, aut efficaciter voluit plusquam potuit: ergo saltem penès ea non est impleta omnis voluntas efficax Christi. *Agatho. VI. Synod.*

129 Respondeo Christum non voluisse latere omnino efficaciter, sed *secundum quid*, nempe sine recursu ad miracula, & quantùm latere poterat adhibendo media naturalia sibi subjecta, voleus ipsa permittere oppositum, si ea media naturalia non sufficerent, ut certè non suffecerunt, & neque suffectura vidit. Vnde verè in hoc sensu dicitur: voluisse latere, nec potuisse, stando solùm his mediis ordinariis, & communibus, attentâ possibilitate connaturali suæ naturæ ut convenientis cum nostrâ: & in hoc sensu rectè inde intulit Agatho actum creatæ voluntatis in Christo: nam si actus ille foret Divinæ voluntatis volentis applicare media sibi connaturalia, reipsâ foret assecutus effectum, cū Divinæ voluntati omnia subsint connaturali potestate juris, & facti ad faciendum quicquid vult.

SECTIO V.

QVAS, ET QVOVSQVE PERMISERIT in Anima Christi Passiones, ejus Impeccabilitas, & Sanctitas?

130 Dvplex est Animas ficarum passionum Genus. Nam aliæ sensitivæ sunt: ortæ nempe ab appetitu sensitivo, prævia cognitione sensûs. Aliæ spirituales: ortæ ab appetitu Rationali, prævia cognitione intellectûs. *Eas* dicimus communiter *Defectus animæ*: unde per hæc, adjunctis his quæ *sect. 2.* præsertim à *nu. 79.* diximus de defec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctibus Corporis, amplectemur quæ Doctor Angelicus fusè disputat *quæst.* 14. & 15. de defectibus Corporis, & Animæ assumptis à Verbo Noto verò, quod licèt Passiones Animæ (quæ sunt Amor, Odium, Desiderium, Concupiscentia, Fuga, seu Aversatio, Gaudium, Tristitia, Dolor, Spes, Desperatio, Audacia, Timor, Ira & Admiratio) communiter dici soleant animi defectus; tamen non omnes passiones esse propriè defectus Animæ, & Humanæ Naturæ: sed eas tantùm, quibus Anima malè afficitur, quales sunt dolor, tristitia, timor anxius, ira turbans, & commovens. Quæ ratio, Sancto Thomæ fuit ut de hujusmodi tantùm specialiter disputaverit *quæst.* 15. Videndi sunt de his Nostri, Suarez, Vazquez, & post ipsos Bernal *disp.* 41. & maximè Cardinalis de Lugo *disp.* 22. Nos dicemus, quantùm rei dignitas postulat, per aliquot quæstiones.

S. Thom.

Suarez. Vazquez. Bernal. Card. de Lugo.

§. I.

REGULÆ GENERALES.

131 PRima quæstio: An in Humanitate Christi sint admittendæ Passiones veræ. Quomodo vocandæ? Et quousque differant à nostris. Et de illis, an exinde concedenda sit in Christo interior pugna, & Tentationes?

132 Respondeo ad primam quæstionis partem, in Christo admitti debere verè, & formaliter affectiones, quæ passiones animi dicuntur, non solùm in appetitu sensitivo (ubi propriè, & simpliciter dicuntur Passiones,) sed etiam in appetitu Rationali. Resolutio est Fidei dogma: Tùm ex illis Scripturis, ubi proponitur Christus Dominus *contristatus, & mœstus, & factus in agonia.* Tùm ex VI. Synodo Generali *Act.* 8. Tùm ex Leone Papa *Epist.* 11. dicente: *sensus corporei vigebant sine lege peccati: & veritas affectionum sub moderamine Deitatis, & mentis.* Tùm ex ratione, quia Christus gessit veram Humanitatem, ejusque nobis experimentum, & specimen præbere voluit per affectiones hujusmodi, quæ alioquin Christum nullatenùs dedecent, sed factæ sunt specialis meriti seges, & materia.

VI. Synod. S. Leo.

133 Respondeo ad secundam quæstionis partem, eas affectiones potiùs Propassiones, ex calamo Hieronymi, quàm Passiones appellari in Christo debere: licèt Vazquez eas non refugiat dicere Passiones simpliciter, Christumque habuisse, & expertum esse Passiones: qui loquendi modus (esto posit utcumque inter veros doctos assumi, præsertim extinctâ jam secta Stoicorum, qui nomine Passionum solos pravos animi motus intelligebant) coram indoctis, & rudibus, atque adeo pro concione cavendus est. Ratio responsionis: Tùm quia Passiones vulgariter sonant affectus inordinatos, & immortificatos. Tùm etiam ob discrimina, quæ de his affectionibus *mox* assignavimus inter Christum, & nos.

Hieronym. P. Vazq.

134 Respondeo ad tertiam partem quæstionis, Passiones Christi, & nostras differre maximè ex parte principii; ex objecto; ex effecta. Quæ tria discrimina tetigit optimè Sanctus Thomas *quæst.* 15. *art.* 4. & quidem ex parte principii: quia in Christo sequebantur rationem deliberatam: in nobis plerumque præcurrunt. Ex objecto: quia in Christo tendebant semper in objectum rationi consonum, nec aliter poterant: in nobis communiùs præcipitant in dissonum, & illicitum. Ex effecto: quia per passiones plerumque in nobis ratio turbatur, impeditur, opprimitutque: Nunquam in Christo.

S. Thom.

135 Respondeo ad quartam quæstionis partem, nullam internam pugnam, ex passionibus oriundam, potuisse in Christo excitari, & cognosci. Id quod ex Conciliis, & Patribus certum est: & ratio sumitur ex VI. Synodo Generali *act.* 8. *circa med.* quia nulla potest esse pugna, ubi nulla est resistentia; sed potiùs perfecta, & plena subordinatio ex parte unius: & plena potestas, ac imperium respectu alterius. In Christo autem nullus motus animi potest agnosci, qui non subordinaretur, & caderet in imperium, & nutum ipsius Voluntatis Christi.

CC. & PP VI. Synod.

136 Respondeo ad quintam partem quæstionis, Christum Dominum non potuisse tentari à suis Passionibus, neque à Dæmone propriè, & internè, seù merè externè, & quantùm erat ex parte Dæmonis: non tamen effectu secuto propriæ tentationis. Prima pars patet: quia eatenus motus passionum dicuntur tentationes in nobis, quatenus adversando rationi nos provocant ad illicita: Christus autem provocari non poterat ad illicita, quia erat impeccabilis: neque poterant insurgere adversando rationi: nam nullus in Christo foit motus animi, qui non imperaretur, vel permitteretur à Christo liberè, ut nobis præberet specimen in victoriâ.

137 Dices: non est victoria sine luctâ antecedente. Nego tamen assumptum. Datur enim Victoria quæ supponit resistentiam, & luctam: & glorioſior, quæ impedit, cogendo ne alter venire audeat in congressum. Notat hîc Delugo *sect.* 1. *num.* 13. in Christo respectu turpium, nullum fuisse possibilem motum passionis: quod & nos ostendimus suprà, & nunc supponimus: respectu aliorum, non permissum concupiscentiæ nisi motum per modum simplicis affectûs, & æquivalenter conditionati: qui non videtur repugnare potentiæ etiam materiali, ut patet in cane affecto circa panem ostensum, & detento metu intentatæ Virgæ: potest ergo esse etiam in potentiâ materiali quidam affectus, qui non sit perfectus, & consummatus amor; & efficax objecti; sed imperfectus, & quidam quasi sponsalitius amplexus, quo appetitus amplectitur objectum, quousque consumatum, & efficacem affectum compleat.

Card. Lug.

138 Secunda pars etiam liquet: quia licèt Dæmon animo hostili, & quantum erat in se, provocandi ad lapsum, repræsentaret objecta dissona rationi, externè: internè manebat Christi mens immota, & incapax invitationis: nec subjectio, quam respectu Dæmonis nos patimur, Christum decebat, neque juxta plures nos teneret in statu innocentiæ, ut nempe immediatè Dæmon excitare posset per se passiones, & cogitationes in malum. Vnde Bernal colligit *sect.* 1. *num.* 10. neque dici debere Christum externè tentatum à Dæmone propriè, ob impossibilitatem tentationis internæ. Sed est de voce lis: & oportet ita loqui ut salvetur veritas, & rigor Scripturarum.

P. Bernal.

189 Secunda quæstio: quas passiones permiserit in anima Christi, ejus dignitas: an aliquæ, etiam cum moderatione superiùs expensâ, & dato etiam discrimine ad nostras, ex suo conceptu dedeceant? Respondeo inter passiones animi & esse, quæ ex se dicunt aliquem defectum animi ratione molestiæ, & incommodi, quæ expressiùs important; quales sunt Dolor, Tristitia, & timor, & ira; & esse quæ ex se non dicunt defectum animi: quales sunt amor, & gaudium, &c. Dico igitur de his secundi generis nullam à Theologis moveri difficultatem, quia nulla est ratio cur Christo negentur: de illis primi generis, moveri quidem, & specialiter movendam à nobis, quia videntur repugnare statui summæ Beatitudinis, & felicitatis. Eas tamen etiam admitti debere, quia Scriptura admittit, ut jam decido.

§. II.

QVID DE TRISTITIA, ET DOLORE?

Quid sit Dolor?

140 TErtia quæstio: an & quousque fuerit in Christo tristitia, & dolor? Præmittamus imprimis quid dolor: quid tristitia sit? Et quidem circa dolorem tria interveniunt. Læsio corporis tactu perceptæ: perceptio læsionis; & secuta displicentia. *Aliqui* ponunt formaliter dolorem in ipsâ læsione. Sed malè: quia læsio facta est plerumque in Martyribus & impeditus dolor. *Alii* cum Vazquez, ponunt in perceptione sensûs. Sed non benè: quia non est credibile Martyres non percepisse læsionem in se factam. *Alii* cum Suarez ponunt in secutâ displicentiâ. Amicus, cui ferè adhæret Lugus, per ea tria formaliter complet. Probabiliùs discurrit Suarez: atque ita dico, Dolorem objectivè, seu objectum doloris esse læsionem: dolorem approximativè, seu approximationem doloris esse tactivam perceptionem: dolorem formaliter, seu formam doloris esse displicentiam inde secutam. Nota, dolorem esse proprium tactûs: carere tamen nominibus nos pro explicandis molestiis, & displicentiis aliorum sensuû circa objecta unicuique dissona: discurrendum tamen in singulis pariformiter sub voce specialis displicentiæ.

Vazquez. Suarez. Amicus. Delugus.

Quid Tristitia?

141 Circa Tristitiam, dico ejus objectû esse, Disconveniens, & nocivum, vel imaginatione internâ, si tristitia materialis sit, vel ratione, si sit spiritualis, apprehensum: eamque consistere formaliter, si spiritualis, in rationali displicentia: si materialis sit, in displicentia appetitûs, molestis utrisque. Vnde duo fiunt. Primum: discrimen Tristitiæ, & doloris: nam dolor est de læsione tactu percepta. Tristitia, universalior est: tristamur enim vel de amissione pecuniæ, vel Gratiæ. Secundum: Tristitiam non solùm esse in appetitu, sed etiam in voluntate. Iam

Vera Resolutio.

142 Respondeo primo: Christum habuisse dolorem verè, & reipsâ, eo triplici genere quo dolorem sumi posse dixi. Est de Fide: Tùm ex Scripturis, ubi Christus dicitur *Vir dolorum*, & *dolores nostros portasse, & oportuisse Christum pati*: pati autem non dici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur, nisi qui sentit, & dolet. Tùm ex Sexta Synodo Generali *toties* citatâ. Opponi possunt Hilarius, & Fulgentius, visi negare Christum sensisse dolorem inter tormenta. Aliqui exultant: alii dicunt lapsos ex invincibili errore. Alii ex Guillelmo Parisiensi, addunt retractatum errorem ab Hilario in libro pòst edito, quem vidisse se testatur Guillelmus. Cæterùm error est intolerabilis, & satiùs est excusare tantos Patres, ita ut mens fuerit de Christo, ut Deus est, & in Naturâ Divinâ; vel ex necessitate sui, sed nostri.

Mens Hilarii, & Fulgentii.

143 Respondeo secundò: habuisse etiâ verè, & reipsà tristitiam tam in appetitu sensitivo, quàm in voluntate. Probatur tùm ex Scriptura, ubi dicitur Christus constristatus, & *mœstus usque ad mortem*. Tùm ex Agathone, & Sexta Synodo *Act.* 4. ex his affectibus arguenti contra Monotheliśmum proprios actus creatæ voluntatis in Christo: quod genus arguendi esset inefficax, nisi tristitia fuisset etiam in voluntate. An verò fuerit in parte Superiori, quod negat Cajetanus, est lis de voce: affirmant communiter cum Suarez alii: & meritò: nam Christus tristatus est non solùm de morte, ut incommodâ Naturæ, sed de offensis illatis Deo, de jactura Iudæorum & Iudæ, de turpi fuga discipulorum: qui actus necessariò sunt voluntatis attendentis ad rationes æternas, atque adeò secundùm portionem Superiorem.

VI. Synod. Agatho.

Cajetan.

Suarez.

144 Sed ecce difficultas ingens: quomodo status summæ delectationis, qualis est beatificus, compati secum potuit tristitiam, & dolorem vehementem? Recursus *Cajetani* ad portionem inferiorem, ubi tristitiam ponit: & ad Superiorem, ubi gaudium, intercluśus est: & insufficiens: nam illæ portiones sunt eadem ipsa voluntas. *Canus* ait, suspensum, & impeditum in Christo gaudium oriundum ex visione, tempore Passionis. Hìc recursus videtur temerarius. Deinde Christus nullam habuisset tristitiam, nisi tempore Passionis. Tertiò, inde fit, suspensum ici etiam cum Gaudio Visionem ipsam: si enim gaudium non potest secum compati tristitiam: neque visio, quæ est repræsentativa motivi omnem præcaventis tristitiam. Vnde Christi anima tempore Passionis non fuisset Beata. Adde, si unum è duobus necesse erat dimittere, nempe Gaudium beatificum, vel tristitiam; satius & rationabilius forè, impedire tristitiam. Dicunt *alii*, Dolorem, vel Tristitiam non opponi cum summo gaudio, quia sunt de diversis objectis. Contra: quia summum gaudium eatenus opponitur cum Tristitia, quatenus motivum summi gaudii destruit, vel impedit motivum tristitiæ, ne potentiam rapiat: alioqui ne naturaliter quidem opponentur.

Ingens dubium.

Cajetani,

Et Cani dicta.

Aliorum mens.

145 Dicit Delugo, dispensasse Deum, ut propriori ad motivum gaudii, exerceret vim suam motivum tristitiæ. Contra: Tùm quia id in instanti infusionis poterat contingere: destrueretur in sequentibus. Tùm etiâ: quia est inintelligibile quòd motivum tristitiæ præoccupet eum qui ab instanti conceptionis beatus est. Demum: quam prioritatem exercet tristitia respectu gaudii. *Dicit* Suarez: tristitiam, & summum gaudium solùm opponi naturaliter, non divinitùs. Contra: quia contendimus objectum summi gaudii destruere ex se, vel ex se impedire motivum tristitiæ. *Dicit* Bernal: id contingere naturaliter: quia motivum summi gaudii non sinit advertere, vel æstimari motivum tristitiæ; in Christo autem contingere utriusque motivi sufficientissimam advertentiam. Contra: ergo sicut illa advertentia utriusque erat Christo, & est naturalis: ita eorum affectuum conjunctio fuit, & nunc esset omninò naturalis.

Card. de Lugo.

P. Suarez.

P. Bernal.

146 Respondeo igitur, Tristitiam opponi cum summo gaudio posse ex titulo quadruplici. *Primus* est ratione status: nam tristitia est extra statum quietis, qui consistit in summo gaudio. *Alter* est, negatio concursûs Divini ad tristitiam ratione status beatifici id exigentis. *Tertius*: extinctio advertentiæ in motivum tristitiæ, ut in nocivum, & ut tale æstimabile. *Quartus*, & præcipuus, ratione voluntatis Divinæ volentis, ut, qui se fruuntur, sint ab omni molestia liberi, cui amantem necessariò conformat summum gaudium.

Dubii decisio.

147 Patet ex his oppositionem inter tristitiam, & summum gaudium, inspectis rebus secundùm se solùm esse naturalem ex primo, & tertio titulo, atque adeò vincibilem, & victam in Christo rationabiliter: quia erat in duplici statu, nempè, & quietis, & laboris, Viatoris, & Comprehensoris, & aliunde voluit æstimare motivum, secundùm se, ut reipsà nocivum. Patet insuper oppositionem tristitiæ, & gaudii in Beatis esse summam ex secundo, & quarto titulo: in Christo nullam: quia volebat Deus ut in eâ tristitiâ ubi placeret Christus, & præberet nobis exemplum, atque adeò noluit negare concursum attendens statui comprehensoris sed dare juxta exigentiam passibilitatis quam elegerat Christus pro statu viatoris. Non est ergo cur in Christo juxta Scripturas componi non debeat ingens tristitia cum summo gaudio.

§. III.

QVID DE TIMORE, IRA, ET Admiratione?

148 QVarta quæstio: an Christus timorem etiam expertus sit, qui pertinet ad animi passiones? Respondeo, & censeo affirmandum tanquam rē de Fide. Tùm ex Scripturâ: *capit pavere, & tædere*. Tùm ex Agathone, & VI. Synodo locis *suprà* citatis. Tùm ex ratione: quia fuga mali imminentis est timor; sicut tristitia est mali præsentis, sed Christus expertus est fugam mali imminentis. Opponitur Aristoteles, qui 2. *Rethor. cap.* 5. videtur dicere timorem esse de malo, cujus evitandi aliqua spes affulget, atque adeò nò certò futuro, & ut tali cognito. *Delugo* recurrit ad certâ prioritatem, quâ Christus timendo præoccupet certitudinem eventus mali. Sed id est fingere, & loqui pro libito, & ad pompam ingenii subtiliter laborantis. Tùm quia quâ ratione præscindat Christus à Visione Dei, & Scientiis necessariò annexis? Tùm etiam æquè præscindere debet ab spe fugæ, & evasionis: alioquin Christus fallitur: hanc autem spem requirere videtur Aristoteles. *Alii* alias dant solutiones non meliores.

Agatho, & VI. Syn.

Aristotel.

Card. Lug.

P. Suarez.

149 Pater Suarez, ut stet Aristoteli, duplicem timorem assignat: efficacē unum: alium inefficacem. Hunc admittit in Christo: non illum: quia censet efficacem esse de malo non certò futuro. Solutio probabilis, sed non ad mentem Aristotelis, qui ut benè expendit Delugo *sect.* 3. consentiente Martinono, solùm dixit non posse timere eum qui vel putat se nihil posse pati: vel mala despicit, obducto quasi callo malorum, & malis immortuus. Vnde meliùs respondet Martinon, posse dari timorem non solùm inefficacem, sed etiam efficacem mali certò imminentis.

P. Ioannes Martinon.

150 Quinta quæstio: an in Christo fuerit strictè, & propriè Ira? Affirmo cum communi Theologiâ. Est enim passio naturaliter consecuta ad Tristitiam: eamque in Christo satis ostendit eventus ille ejiciendi vendentes, & ementes ex templo, motus irà per zelum: Neque enim aliud genus iræ, nempe conantis in vindictam contra rationis ordinem, est Christo possibile. Ratio verò resolutionis est: quia affectus iræ, qui est, afferendi malum affectûs vel ex tristitia causatus, vel tristitiam cōstitutivè complectens, potest exerceri honestissimè, nec ullum per se dicit Humanæ naturæ defectum Christo repugnantem.

151 Sexta quæstio: an in Christo fuerit stricta, & propria Admiratio? Dubitandi ratio est, quia Admiratio dicere videtur ignorantiam rei, cujus inopinatò, & præter spem advenientis exsurgit affectus, quo dicimur mirati. Ob id Bernal, Lorca, & Maldonatus negant strictam, & propriam Admirationem in Christo; solùmque admittunt similitudinariam, analogicam, & impropriam, & quasi in *signo*: atque adeò cum Augustino voces illas, quæ apud Scripturam sonant Admirationem, in Christo explicant per specialis laudationis modum imitantis affectum & signa nostræ admirationis.

Bernal.

Lorca.

Maldonat.

Augustin.

152 Reliqui Theologi admittunt nihilominùs strictam admirationem in Christo: Quod ut componant cum plenitudine Sciētię in Christo, distinguunt duplex genus admirationis. Sed aliter & aliter. *Suarez sic*: ut altera sit admiratio nascens ex ignorantiâ rei inopinatæ: Altera sit nascens ex magnitudine rei, sive absolutâ, sive respectivâ, de novo cognitâ, novo saltem modo cognoscendi: & id addit ne in Deo contra communem Theologiam inferatur admiratio. Negat ergo Christo primum genus admirationis; & secundum admittit. *Vazquez sic*: ut altera nascatur præter scientiam, & expectationem admirantis; & hanc negat Christo: altera ex magnitudine rei, quæ tamen superet vires naturales Admirantis: & hanc in Christo admittit.

Suarez.

Vazquez.

153 Ego plura distinguerem genera Admirationis. *Primum* ejus, quæ simpliciter oritur ex ignorantiâ rei præoccupantis nos, & inopinatò tangentis. *Alterum* ejus, quæ præcisè sumitur ex insolito casu, & eventu rei, futuræ quidem, sed inspectis rerum vicissitudinibus, non expectandæ, & suæ præsentiæ experientia delectantis, & morantis. *Tertium* ejus, quæ nascitur ex magnitudine rei respectivè ad cognitionis tenuitatem, quâ studes rem assequi, & quo ma-

Mens Authoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

magis conaris, rem vides magis cognoscibilem, & æstimabilem, & inaccessibilem. *Quartum* ejus, quæ ita absorbeat animum in sui cognitionem, & amorem, ut generet stuporem, & quoddam insensibilitatis genus. *Quintum* ejus, quæ consistit in appretiatione rei, excitanti magnam delectationem, & exinde commendationem.

154 Quinque ista genera cognitionum, & affectuum (Nam mirabile dicitur in ordine ad intellectum, & præcipuè consistere videtur Admiratio in ipsâ Apprehensione excitanti hos aut similes affectus) dici possunt pertinere ad Admirationem, si sequamur bonos Authores, qui de his agunt, & certè licet primum genus, & quartum Christo non sit concedendum; non videntur negari posse alia tria: quorum secundum, & tertium non est cur dici non debeant vera, propria, & stricta Admiratio. Quare respondeo, fuisse in Christo propriam & strictam Admirationem: quo, majori cum rigore salvamus tenorem Scripturarum; ajentium *miratum* esse Iesum *Fidem Centurionis*, & *Cananeæ*. Videatur Pater Koninch *disp.* 17. *dub.* 7. *P. Koninch*

DISPVTATIO III.

CHRISTI DOMINI SCIENTIA.

1 QQVIMVR de Christo, quâ Homine: Nam de Scientia Christi quâ Dei, aliunde constat. Et de Christo, quâ Homine, negari nequit potentia intellectiva, seu creatus intellectus contra Apollinarem *à VI. Synodo* damnatum: & creata Scientia, contra Monothelitas. De Perfectione autem entitativa Intellectûs rectè pronuntiat Eximius Doctor, eum, licèt naturali perfectione inferior sit Angelico, tamen inter humanos à Deo creatos, omnium fuisse perspicaciss imum & optimum: ea quippe perfectio decebat Personæ Divinæ Dignitatem in assumpta Natura. De multiplicitate & perfectione scientiæ, negotium erit hic decidere. *Quadruplex* admitti solet communiter in Intellectu Christi: *Beata*; *Per se infusa*; *Acquisita*: & *Experimentalis*: quarum existentiam, Perfectionem, objecta, & Proprietates, suo gradatim ordine meditabimur, expensâ primùm controversiâ illâ, hisce annis, per Hispaniam celebri: an Christi Anima per Increatam intellexerit, vel potuerit intelligere? *VI. Synod.* *P. Suarez.*

SECTIO I.

AN PER SCIENTIAM INCREATAM intelligat, aut saltem possit Humanitas Christi?

§ I.

DECISIO QVOAD FACTVM.

2 TRiplex potest esse Quæstionis sensus. *Primus*: an Humanitas Christi sic intelligat per Scientiam increatam, ut ea sola sit Scientia in Christo. Quod affirmasse videntur Ioannes de Neapoli, Ioannes de Ripa, Hugo Victorinus, & alii Parisienses apud Aldretum *disp.* 61. *sect.* 1. *Secundus*: an saltem sic per eam intelligat, ut non excludat alias scientias creatas? *Ioann. de Neapoli.* *De Ripa.* *Hug. Vict.* *& alii apud Aldrete.*

3 *Tertius*: an saltem Humanitas Christi per Increatam Intellectionem potuerit intelligere, quicquid de facto sit. Quod affirmant Ægidius à Præsentatione *lib.* 4. *de Beatitud. quæst* 1. *art.* 2. §. 3. Bonespei *tom.* 1 *disp.* 4. *dub.* 2. & sequi videtur ex principiis Schotistarum, & aliorum Recentiorum, *Æg à Præs* *Bonaspei.*

rum, qui putant ad effectum formalem intelligendi non ultra requiri, quàm Vnionem intellectionis cum intellectu. Posibilitatem, & factum pari conatu rejicit, & hucusque censurâ perculit communis Theologia. *Theologia communis.*

4 Prima conclusio: Animam Christi Domini scire per Intellectionem Increatam, cum exclusione scientiæ creatæ: est falsa, & hæretica propositio. Ratio est: quia constat ex sextâ Synodo contra Monothelitas dari in Christo duplicem Voluntatem, & duplicem Operationem: & consequenter intellectum duplicem, & duplicem operationem. *Prima cõclus. cum VI. Synod.*

5 Secunda conclusio: Anima Christi de facto non intelligit per increatam intellectionem, quantumvis sibi unitam. De gradu certitudinis dicam *infra*. Probationi præmitto ex *Epist.* Agathonis Summi Pontificis, quæ Decretalis est, & dogmatica, habeturque, & cum summa veneratione acceptatur à *sextâ Synodo Act.* 4. Nonnulla notatu digna. *Secunda conclus.* *Infrà à nu.* 23. *Epist. Agath.*

6 *Primum*: Mentem Agathonis fuisse definire contra Monothelitas duas Naturas in Christo cum suis unamquamque naturalibus proprietatibus, & operationibus, atque adeò duas voluntates, & volitiones duas, & consequenter duos intellectus, & duplicis generis intellectiones. Quod qui neget, scripto ipso convincendus erit.

7 *Secundum*: Pontificem convincere Monothelitas velle, adductis principiis Scripturæ, Sanctorum, & Rationis: in quibus testatur esse veritatem: nam, postquam ea retulisset, præsertim ex Augustino, vocat hunc, à quo Sententiam sumit, *veritatis Prædicatorem Beatissimum*, & vera esse quæ assumit pro firmando dogmate Fidei. *Augustini magna laus.*

8 *Tertium*: Quinque præsertim principia sumi ab Agathone, in quibus testatur esse veritatem. *Primum* est: Voluntas, seu operatio, qua dicimur velle, est motus Naturæ, & à Natura, quæ dicitur per illam velle. Vnde *Secundum*: ab Angelo est voluntas Angeli; ab homine, hominis: à Deo, Dei. Inde *tertium*: sicut dicendum non est Divinitatem habuisse voluntatem Humanam, id est, quâ diceretur velle; ita neque Humanitatem, Voluntatem Divinam, nempe quâ diceretur velle. *Quartum* exinde: Reddere necesse est, quæ sunt divina, eidem ut Deo; quæ humana sunt, eidem, ut homini. Cujus propositionis sensus, omninò planus est: operationes in Christo non confundi, sicut neque naturas; ita ut Divina operatio reddatur humanæ naturæ, ut per ipsam intelligat, & amet: & humana operatio, reddatur pariformiter Divinæ Naturæ. *Quintum* & ultimum: Nec poterit Angelica Natura Divinam habere voluntatem, aut Humanam; nec Humana, Dei, vel Angeli. Nota, nomine voluntatis, venire apud Agathonem, & Synodum ipsam operationem. Et hæc sunt principia Agathonis, & Synodi, fideliter transcripta. *Aranda de Incarnatione.*

9 *Quartum*: Synodum, & Pontificem dum methodo doctrinali definit contra aliquam hæresim, non præcisè definire plerumque veritatem errori directè contradictoriam, sed alias, vel quas necessarias putant pro stabilimento Doctrinæ, vel quæ pugnant cum erroneis principiis Hæresis, ut exinde ipsis intercludatur omnis via cavillandi. Vnde non laudo regulam eorum, qui scientes finem, seu occasionem coactæ Synodi, vel Pontificiæ definitionis, fuisse aliquem errorem, eòipsò pronuntiant unicè definitam veritatem errori directè contradictoriam. Id enim procul abest à Methodo Conciliali, & Pontificia, dum procedit doctrinaliter in Definitione.

10 *Quintum*: esse notandum, maximè, & animadvertendum inter Rationes Consultationis Pontificiæ, & Concilialis; & inter Rationes annexas Definitioni Conciliali, vel Pontificiæ. Quas promiscuè video sumi à multis, & hic novissimè à Lumberio hærente nimis Turriano *in selectis*, & in *Centuriis*, & Authori libelli *de Voto Platonis* cum magno periculo parùm considerati discursus. Rationes consultationis, ut dicuntur ab hoc, vel ab illo, non sunt Rationes Concilii, nec Pontificis, neque approbatæ ab ipsis, sed sunt rationes particularium Theologorum, vel aliorum, nullâ aliâ vestitæ authoritate quàm Personæ dicentis: & aliquando sunt vel insolidæ, vel falsæ; vel erroneæ. Rationes verò annexæ Definitioni sunt Rationes Concilii, vel Pontificis: atque adeò Ecclesiæ: & plerumque sunt & manent veritates definitæ, juxta propinquitatem ad materiam certò & ex primariâ intentione definitam; semper ad minùs approbantur, ut Principia veritatis definitæ, & tanquam via, quâ Theologi tutari possint veritatem ipsam, quæ definitur. Vnde licèt de fide non sint, sunt tamen approbatæ tanquam Principia, quibus stabilitur res de fide. *Lumbier.* *Turrian* *Poza.*

11 Id quod mihi est evidens. Primò: quia quis asserat Pontificem aut Concilium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

addendo in probationem, & illustrationem veritatis quam definit, Textum Scripturæ, ipsum non benè interpretari? Secundò: quia definitiones exponerentur ludibrio hæreticorum: & inconsideratè procederent Concilia, & Pontifices immiscendo rationes definitionis: quod nefas est dicere. Tertiò: quia alioquin ratio adducta à Pontifice non haberet majorem authoritatem, quàm privati hominis: Imò plerumque minorem: unde nulla esset utilitas allegandi eas rationes, aut textus quos vel Pontifex, vel Synodus allegaverit. Quartò: quia incredibile est Deum commisisse Pontifici definitionem veritatis, & non commisisse regulam ostendendi, & firmandi veritatem, & insinuandi viam, quâ ea veritas contra Hæreticos firmanda sit? Si autem ea via potest ostendi, & approbari à Summo Pontifice, dum definit, quænam alia sit, quàm ea quam suæ definitioni annectit? His ita notatis

12 Argumentor primò, & ostendo conclusionem: quia doctrina, quæ docet Humanitatem intelligere per intellectionem increatam enervat, & excludit Doctrinam Agathonis, Synodi, & Augustini laudatam, & approbatam ab Ecclesia contra Monotheli tas: ergo non est vera. Antecedens probatur primò: quia ea docet non debere reddi quæ sunt divina, Christo solùm ut Deo: oppositum docet Agatho, & Synodus. Secundò: quia ea docet Humanam naturam habere posse operationem Divinam: oppositum docet Agatho, & Synodus. Tertiò: quia ea docet Divinam Naturam non posse habere operationem Humanam: bene tamen econtrà: Oppositum docet Agatho, & Synodus, ex impossibilitate unius, alterius impossibilitatem arguentes. Quartò: quia ea docet operationem, quâ vivere dicimur, non esse debere motum ab intrinseco illius, qui per illam vivit: oppositum docet Agatho, & Synodus.

Agatho. VI. Synod. Augustin.

13 Argumentor secundò: Christi anima non vivit & amat per amorem increatum: ergo neque per increatam intellectionem intelligit. Consequentia videtur urgens à paritate: tum etiam quia intellectio exigit proportionatũ amorem. Tùm insuper quia non apparet quo pacto Christi animæ uniatur sufficienter ad denominationem Intellectio, & non amor: si autem sufficienter unitur, cùm anima sit æquè capax amandi, ac intelligendi, cur non æquè amet, ac intelligit?

14 Antecedens autem ostenditur primò: quia id maximè videtur opponi Synodo, & Agathoni, ubi *suprà* nec ullus unquam dixit. Secundò: quia amor habetur à Voluntate ex directione: & eatenus habetur ex directione, quatenùs ex directione existit: at hæc repugnant amari increato denominanti creaturam. Tertiò: Nam vel amaret anima Christi per increatum amorem necessariò, vel liberè: non liberè: quia se haberet merè passivè, necessitata aliunde, positâ unione. Adde necessariò sequi, forè, ut per eos actus posset mereri, & meruisset? Non necessariò: quia sic non potuisset non velle multa, quæ necesse est Deus liberè velit, ut Christus sit liber: ergo Christus non esset liber: quomodo enim potuisset per amorem creatum nolle, quæ quantùm potest necessitatur velle per increatum? Alia *mox* subdemus, quæ hûc necessariò faciant.

Sup. à nu. 8

§. II.

DECISIO QVOAD POSSIBILE.

15 TErtia Conclusio: Christi Anima ne potuit quidem per increatam intellectionem intelligere. Ostenditur primò: ex *nuper* expensis: Nam Agatho, & VI. Synodus æquè negant possibilitatem, ac factum: imò factum negant, ex rei impossibilitate, ut patet *ex num. 8. & 12.* Secundò: quia datâ possibilitate, nequit negati factum, ut expendemus *seq. conclus.* Tertiò: ex communi Philosophia, datâ olim ab Augustino, & approbatâ à VI. Synodo, & Agathone ubi *suprà*, testantibus Augustinum attigisse veritatem in hoc principio philosophico: *illud* est: operationem vitalem, seu quâ vivimus esse immanentem, & ab intrinseco illius, qui vivit, seu, ut verbis Agathonis agam, esse *ab illa ipsa Natura*, quæ per illam vivit: unde deduxit Agatho, per operationem intentionalem (loquitur enim de volitione, & intellectione) unius Naturæ, non posse aliam naturam vivere: & ego jamdiù deduxi cum Ripalda Lugo, Amico, & Oviedo, & Oxea, actus intentionales essentialiter esse affixos potentiæ viventi per illos. Idque esse de ratione vitalis immanentiæ: quæ tota doctrina firmatur elogio Tridentini: eaque est apta maximè ad refutandos errores Calvini, & Lutheri. Atqui increata intellectio nequit esse ab intrinseco Humanæ Naturæ, ut per se patet: ergo neque per illam vivere potest Huma-

Suprà nu. 8 & 12. & à nu. 21.

Agatho. VI. Synod. Augustin.

Ripalda. Lugo. Amic. Ovied. Oxea. Conc. Trid.

Humana Natura. Mitto alias rationes philosophicas: *illam* insinuo: nempe esse imperceptibile, quòd anima intelligat vel amet, quin moveatur, vel ad intelligendum, ex objecto formali, vel ad amandum ex intellectûs directione: moveri autem animam, est existere vel intellectionem vel amorem dependenter ab ipsa, & ratione objecti, & directionis. Quod repugnat Actibus Increatis respectu Animæ Rationalis.

Conc. Basil. Mart. V.

16 Ostenditur quartò: rationibus Theologicis, quarum prima sit: Intellectio Increata est repræsentatio, quâ cognoscens affirmat se Deum esse: ergo intellectus, qui de se non potest affirmare se Deum esse, non potest intelligere per illam: ergo ex se est determinata, ut solùm denominet Deum. Vis est in primo enthymemate: & antecedens patet: quia Deus cognoscit cognoscentem per hujusmodi intellectionẽ esse Deum: Deus autem solùm id cognoscit per intellectionem. Consequentia patet: quia intellectio, quæ de suâ Naturâ habet repræsentare subjecto cognoscenti per ipsam, esse Deum, vel exigit solum ipsum denominare, qui de se ipso potest dicere, quòd sit Deus, vel potest esse falsa: sed hoc secundum repugnat: ergo.

17 Secunda sit: quia debet assignari Divino intellectui modus attingendi objecta, proprius intellectus Divini: sicut enim quò intellectûs est melior, eò cæteris paribus est perfectior modus cognoscendi: ita si intellectus est substantialiter melior, & infinitè melior, competit modus videndi, & intelligendi, qui superet omnem sphæram, & capacitatem intellectûs finiti: modus enim cognoscendi qui simpliciter competere potest finitæ capacitati, non est modus infiniti intellectûs. Nunc sic: ergo repugnat quòd intellectus creatus intelligat per Divinam intellectionem, quantumvis sibi unitam, ex defectu capacitatis.

18 Tertia sit: quia si anima Christi intelligeret per intellectionem increatã, æquè clarè videret Deum, & comprehenderet, ac Deus se, & omnia. Ratio est: quia cognoscere clarè, nihil est aliud quàm habere cognitionem claram: & cognitio se ipsâ est determinatio, ut qui per ipsam intelligit, tàm clarè intelligat, quàm ipsa est clara. Alioquin fieri posset, quòd per cognitionem intuitivam posset quis cognoscere abstractivè; & confusè per claram: quod est imperceptibile. Sequela autem damnata est in Concilio Basileensi *Sess.* 22. & postmodum à Martino V. *in Bullâ approbativâ* Concilii.

Conc. Basil. Mart. V.

19 Dices hoc argumentum instari manifestè in sanctitate, quæ licèt in se sit infinita, non sanctificat infinitè Humanitatem, ex diversitate modi, quo est in Deo. Contra primò: *ex disp. 1. num. 84* ubi contendi aliunde, quàm ex diversitate modi petendum, cur infinita sanctitas non sanctificet infinitè Humanitatem. Secundò: quia est clarum inter sanctitatem, & Intellectionem discrimen. Tùm quia cùm in sanctitate attendatur ad denominationis mensuram, modus appropinquandi Deo per ipsam; & dignitas resultans ad complacendum, & terminandum amorem Dei; sit pro diversitate subjectorum, & modi quo sanctitas habetur, posse, & debere resultare diversitatem quoad denominationem sanctitatis mensura denominationis quoad intelligendum, unicè sumitur ex perfectione intellectionis.

Suprà disp. 1. nu. 84.

20 Ratio est: quia cognitio refert potentiam ad objectum, secundùm claritatem quâ secundùm se repræsentat: est enim præsentia intentionalis objecti: unde sicut implicat, quòd præsentia localis nõ faciat subjectum præsens pro omni spatio, pro quo est præsentia, & quantùm est præsentia; ita implicat quòd præsentia intellectualis non faciat intellectui præsens objectum, cujus est præsentia, & quantùm est præsentia: alioqui posset quis ænigmaticè cognoscere per cognitionem claram: & per evidentem, probabiliter, quod est imperceptibile: cùm in cognitione nulla sit tendentia ænigmatica, & probabilis: quare vel intellectus non est capax intelligendi per hanc aut illam cognitionem, vel capax est intelligendi quantum per ipsam cognosci potest: atque adeò vel anima Christi non est capax intelligere per intellectionem increatam, vel capax est cognoscere Deum tantâ claritate, quâ se cognoscit Deus, & ipsum comprehendere: quod diximus esse damnatum, & patet quia Deus est simpliciter Incomprehensibilis à Creatura.

§. III.

DECISIO HYPOTHETICA: ET QVID de censura?

21 QVarta Conclusio: si possibile sit Christi animam intelligere per

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mart. Esp. P. Aldret. in Godoy.

Indeerata intellectionem, de facto sic intellexisset, non exclusâ intellectione creatâ. Ita Insinuant Esparza *quæst. 27. Corp. art. 2. circa finem.* Aldretus *disp. 61 sect. 5. nu 1.* & *absolutè* docet Godoy *disp. 31. n. 2.* & ostenditur primò: quia Intellectio sufficientissimè unitur ad præstandum effectum formalem, si posset: ergo præstat, si semel potest: nam forma communicata subjecto capaci præstat efectum formalem, quem potest.

22 Secundò: quia sic infinita sanctificatio haberet in Christo proportionatâ Visione, & gloriam: imò exigeret, ut daretur animæ Christi visio Increata. Tertiò: quia Christo Domino negari non debet quantùm ad ejus dignitatem facit, si possibile est, ex communi principio Theologorũ nec enim est, unde possit limitari dilectio, quâ Pater Filium diligit. *Dices*: ergo cùm non sit certum, aut improbabile non posse; neque certum erit neque improbabile, non ita contingere. *Dico* imprimis, eòipsò quòd ista sequela sit bona, & ex communi consensu Theologorum, & aliunde ex communi consensu Theologorum constet non contingere de facto, reddi, principium, unde benè deducitur, oppositum communi consensui Theologorum, & improbabile. *Dico* deinde & sit

23 Quinta Conclusio. Christi animam per increatam intellectionem intelligere, aut posse, non excluså creatâ Intellectione, non est Monotheliſmus, neque propositio hærerica: est tamen *quoad factum* temeraria, & fortè errori proxima: *quoad posse*, improbabilis, & parùm consona principiis Fidei. Prima pars patet, ex ipsis terminis, contra doctum Theologum: quia Monotheliſmus consistit in unitate operationum in Christo. Secunda contra multos est tantùm probabilis: & ratio est: quia non videtur esse definita de Fide: veritas opposita. Tertia pars ostenditur: quia ea Doctrina directè opponitur Rationibus, & fundamẽtis approbatis à VI. Synodo, & à Summo Pontifice Agathone; atque adeò communi consensui Ecclesiæ, & principiis veræ doctrinæ, & catholicæ. Videantur quæ *secunda conclusione* prænotavimus ex quibus hæc mihi est certa.

Fundamentum Godoy ad censurã

24 Petrus Godoy cum aliis multis eam censuit erroneam, vel errori proximam ex hoc argumento: *Propositio erronea est illa quæ contradicit illatæ ex duabus præmissis, quarum altera est de Fide altera evidens naturalis; sed hæc simili contradicit*: nam: *Beatitudo formalis est vita* Et hæc est de Fide ex Ioannis 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te.* Sed *Christus non vivit neque vivere potest per intellectionem increatam: hæc*, inquit, *est evidens naturaliter*: quia naturaliter est evidens, neminẽ posse vivere per intellectionẽ ab extrinseco habitam: ergo *Christus non est beatus per intellectionem increatam*: ergo neque per illam intelligit. Sed Adversarii fortè dubitant de majori sic propositâ; & negant absolutè meliùs.

Aliter ponitur.

Meliùs exponetur sic dignitas Theologicæ censuræ. *Per actum, quo quis manet formaliter intentionaliter beatus vivit*: hanc centeo de Fide: sed *actus, quo quis vivit, oritur ab ipso, qui per illum vivit*: hæc est Synodi, & Agathonis, ut *suprà*, atque adeò moraliter certa ex communi approbatione Concilii, & Pontificis: ergo *actus, quo Christus est beatus formaliter intentionaliter, oritur ab ipso*. Nunc sic: *Propositio* quæ contradicit illatæ ex altera de Fide, & altera approbatâ, & laudatâ ab Ecclesia, non potest non esse *temeraria, & proxima errori*; atqui sic se habet, Doctrina, qua de agimus: ergo.

25 Dices: Inquisitio Suprema Hispaniæ absolvit à censura Propositionem hujusmodi: ergo non meretur censuram. Respondeo *imprimis* ex tenore Decreti, quo demum usa est Suprema Inquisitio *anno* 1672. circa permissionem hujus propositionis, non posse neque debere colligi, eam cum aliis approbatam esse à Sancta Inquisitione, sed purè permissam cum certis explicationibus, quæ Monotheliſmi notam arcerent, ut faciè perspicuum erit Edictum meditanti: cum hoc autem stat optimè eas manere adhuc obnoxias disputationi de jure censuræ, salvâ omnimodâ reverentiâ tanti Tribunalis.

§. IV.

OBIECTIONES OPPOSITÆ.

26 OBjicies primò: Operatio, quâ Christi anima intelligit, est operatio Theandrica, seu Deivirilis, atque adeò & Humanitati, & Divinitati communis: ergo est Increata. Patet consequentia: nam operatio creata non potest esse, communis Divinitati. Hoc argumentum est Monotheliſmi. Dixi jam *lib. 4. disp. 2. sect. 2. in secunda conclusione* quid veniat nomine operationis Theandricæ, nempe communiter, operationem Deihominis: & sic omnis operatio Christi est Theandrica: vel specialiter, operationem, in quâ lucet aliquid proprium Dei, & aliquid proprium hominis: & sic actio miraculosa facta à Christo est specialiter operatio Theandrica. Vnde ergo colligis, Christi animam intelligere per creatam Intellectionem: licèt intellectio, quâ intelligit, Theandrica dici possit?

Suprà lib. 4. disp. 2. ãnu. 47.

27 Objicies secundò, Non potest uniri intellectio subjecto capaci intelligendi, quin denominet intelligentem: atqui intellectio increata unitur Animæ Christi, capaci alioquin intelligendi: ergo denominat. Confirmatur. Non minùs intimè unitur Animæ Christi increata intellectio, quàm Sanctitas: nec minùs est capax intelligere, quàm Sanctificari; sed eòipsò sanctificatur: ergo & intelligit. Respondeo ad argumentum primò distinguendo: non potest uniri sufficienter, quin denominet, concedo, nisi sufficienter uniatur, nego. Non verò quivis modus uniendi sufficit ad denominationem intelligendi, sed vel identicus, vel vitalis immanentiæ dicentis habitionem intellectionis ab intrinseco viventis: quæ singula repugnant Increatæ Intellectioni respectu Creaturæ. Secundò distinguo aliter, subjecto capaci intelligendi per ipsam, concedo: subjecto capaci intelligendi per alias generis infinitè inferioris, nego. Ad confirmationem sumitur disparitas, tum ex incapacitate Animæ, ad unum; & capacitate ad alium effectum formalem. Tùm ex naturâ denominationũ, quarum altera requirit vitalem immanentiam explicatam: non, altera.

28 Objicies tertiò: Beati vident Deum per increatam intellectionem: sed Christi Anima est Beata: ergo. Sic arguebat Ioannes de Ripa: & probatur major: Tùm quia Deus est tota nostra felicitas: felicitas autem nostra est Visio: ergo Deus est ipsa visio. Tùm quia si visio consisteret in actione Beati, Beatus se bearet. Negetur assumptum majoris omninò absurdæ. Tùm quia Beati sic necessariò essent æquales in Gloriâ. Tùm quia essent comprehensores Dei. Tùm quia manerent eòipsò adorabiles cultu Latriæ. Ad primam probationem dico, Deum esse totam nostram felicitatem objectivam, cujus possessio in visione consistens, nos simpliciter reddit felices. Ad secundam dico, Beatum se beare, quatenus concurrit, & elicit possessivum actum Boni, quo beatur: non verò, quatenus sonat ipsũ sibi esse objectum beatificans, aut de se sufficere ad operationem beatificam: & quia ea locutio unũ

Ioann. de Ripa.

ex his simpliciter sonat, rejicienda.

29 Objicies quartò: Vt intellectio denominet subjectum capax intelligendi, non requiritur, ab intrinseco haberi neque immanenter produci. Ergo non est cur physicè unita subjecto aliàs intellectivo, non denominet. Antecedens probatur primò: authoritate Schoti, & ejus Scholæ. Secundò: quia licèt id videatur exigere ratio vitæ physicę, non exigit ratio vitæ purè intentionalis. Tertiò ex multis quæ in hujus Doctrinę probabilitatem inter alios agglomerat Pater Quiròs *in philosophiâ tract. 6 qui est de Animâ disp. 94. sect. 5.* Quartò: quia Deus intelligit sine ullâ productione. Quintò: quia sic optimè intelligitur quomodo illustrationes, & inspirationes, in quibus consistunt Auxilia Gratię Actualis fiant in nobis à Deo sine nobis juxta Doctrinam Patrum, & Conciliorum.

Schola Schoti.

P. Quiròs.

30 Respondeo primò: distinguo antecedens: subjectum capax intelligendi per illam *transeat*: unicè capax intelligendi per alias infinitè inferiores, nego. Respondeo secundò, negando antecedens: id enim esse de ratione vitæ in actu secundo didicimus ex *Augustino*, & communi *Philosophia*, & sensu, quem approbat, & dicit esse verum *Sexta Synodus* cum *Agathone*. Ad primam probationem, dico prævalere Schoto, & ejus Scholæ communem sensum Philosophorum, & Theologorum, maximè innixam Augustino, Agathone & VI. Synodo. Ad secundam: fictitiam esse in nobis eam differentiam vitæ: huc enim usque nemo, dum intelligit, aut meditatur, aut amat, dictus est mente otiari, & nihil agere. Ad tertiam dico, ea satis solvi ab Aldrete *disp. 61 sect. 6.* nec esse tanti ponderis. Ad quartam dico, in Deo sine ullâ productione intelligi, quomodo intellectionem non aliundè habeat, sed ab intrinseco: in nobis, non posse. Ad quintam dictum est satis *disputando de Auxiliis*, ea fieri in nobis sine nobis, id est, liberè nos gerentibus, vel merentibus. Ea mens Patrum, & Conciliorum de quâ *ibi* fusè.

Augustin.

VI. Synod. Agatho.

Aldrete.

Habestom. in 1. p. tract. 3.

31 Objicies quintò: Potuit Anima Christi elevari, ut sibi uniret intellectionem increatam: tunc autem jam haberet ab intrinseco saltem unitivè: cur ergo non denominaretur intelligens. Respondeo primò: permissâ suppositione, ne tùm quidem denominari posse ex speciali incapacitate intelligendi per intellectionẽ propriam Divinæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

næ mentis. Secundò: ne tùm quidè animam Christi vitaliter processurâ: haberet enim se ut habet se lapis, aut se haberet etiam Corpus, in simili productione. Tertiò: ne tùm quidem possit dici, Christi Animam causare in se intellectionem, cùm intellectio sit incausabilis: idque opus est in nobis ad explicandam vitalem immanentiam. Quartò: hypothesim esse falsam: neque enim debet agnosci potentia obedientialis, nisi ad id ad quod præcedit incohata virtus in Naturâ. Quintò: consequentiam esse nullam, quia Christi Anima non est vitalis in actu primo, nisi accidentaliter. Sextò: eanè Vnio esset Hypostatica? Si non: ea est omninò fictitia: Substantialis enim Vnio inter Naturas omninò completas est omninò ficta. Si sic: esset materialis: quâ ergo ratione posset esse vita intellectualis, ut quo, de cujus ratione est spiritualis? Ex quo sumi possent aptæ confirmationes Doctrinæ *suprà* jactæ.

Infrà disp. 7. num 34.

32 Objicies sextò: Humanitas Christi est sancta per sanctitatem increatam: ergo beata per visionem increatam. Probatur consequentia primò: quia Beatitudo debet esse proportionata perfectioni, ordini, & statui sanctitatis. Secundò: quia licèt Beatitudo creata habeat proportionem connaturalitatis cum increatâ dignitate, non tamen proportionem dignitatis: sanctitas autem exigit fundare Beatitudinem sibi parem. Tertiò: quia ex capacitate ad sanctitatem rectè arguitur capacitas ad Beatitudinem: ergo ex capacitate ad increatam sanctitatem rectè arguitur capacitas ad Beatitudinem Increatam.

33 Negetur consequentia. Nam tantæ sanctitati sufficit Beatitudo physica, quæ solius Christi esse potest, & de quâ egimus *lib. 1. disp. 3. sect. 2.* & intentionalis, omnium, quæ saltem de potentiâ ordinariâ Dei possunt excogitari, maxima. Talis est ad minus, quam habet Christi Anima. Ad primam probationem affirmo talem proportionem, quanta sit possibilis. Nego verò Beatitudinem increatam esse proportionatam statui sanctificati per communicationem sanctitatis increatæ. Tùm quia proportio supponit possibilitatem, quam nego. Tùm quia ea sanctificatio non est summa: atque adeo non est cur ipsi debeat respondere Beatitudo summa. Et his patet ad secundam. Ad tertiâ, dico tàm malè argui, quàm quis ita argueret: capacitas ad subsistendum est capacitas ad operandum: ergo capacitas ad subsistendum per substantiam increatam est capacitas ad operandum per operationes increatas. Negetur igitur consequentia. Videatur Godoy *disp. 1. num. 32.*

Lib. 1. disp. 3. sect. 7. §. 7.

Ill. Godoy.

§. V.

VLTIMA OBIECTIO: VBI AN IN Christo sit aliqua Scientia Theandrica, & ipsius propria?

34 OBjicies ultimò. Christi Animæ Propriæ, & specialis concedenda est cognitio, quæ nempe competere nequeat Intelligenti purè creato; at nulla esse potest, quàm intellectio increata: ergo Christi Animæ concedenda est increata intellectio. Difficultas est in Præmissis. Oppenditur major tùm authoritate Hugonis, Ripæ, Alensis, Petri de Tarantasia, Isidori, Bonaventuræ, & aliorum quos refert, & sequitur Pater Antonius Perez *tract. 6.* qui est de *Perfectionibus Christi disp. 2. cap. 1.*

Hug. Rip. Alens. Tarant. Isid Bonav Ant. Per.

35 Tùm à congruenti, quia incredibile est Divinitatem, quæ per se est species intelligibilis sui, & omnium, quantum sine ullâ imperfectione infinitè potest, unita physicè Christi Animæ, eam non perficiat in linea intelligendi. Tùm etiam: quia Christi Anima, quò magis accedit ad Deum, oportet ut evadat Deo similior in cognoscendo. Tùm demum ratione efficaci, quia Christus experimentali evidentiâ, & quasi spirituali palpatione significatâ per pronomen *Ego*, cognoscebat se esse Deum, & Hominem, atque adeò cognitione essentialiter connexâ cum Hypostatica Vnione principii sui, non utcumque, sed ex magnitudine suæ perfectionis, & evidentiæ clarissimè experientis, & quasi palpantis objectum. Adde negari non posse Christi animæ specialissimum gaudium, de eo quòd sit ipsa in Divino supposito: negari ergo pariter nequit specialissima cognitio. Probatur jam minor: quia vix explicari potest, qualis esse debeat ea cognitio, quæ repugnet animæ non-unitæ Verbo ex sui magnitudine, nisi sit increata cognitio.

36 Tetigit hoc dubium P. Antonius Perez *loc. cit.* & *cap. 3.* recitat varia judicia Theologorum. Nam exinde *Ripa*, & *Hugo* coacti sunt dicere specialem cognitionem Christi esse Increatam: hos rejicit, & nos rejecimus. Alii cum *Gofredo* dixere esse ipsam Hypostaticam Vnionem, quâ Humanitas

Ripa, & Hugo.

Gofredus.

tas simul & physicè, & intentionaliter possideret Divinitatem in Verbo. Hos rejicit, tanquam omninò paradoxa somniantes. Alii posuerunt specialitatem cognitionis vel intensione, vel in eo quòd in Christo Theandrica sit. Hos non probat, quia minimè satisfaciunt. Alii alia dicunt quæ non satis difficultatem evacuant.

37 Ipse *tria* dicit: *Primum*: admitti debere in Christo specialissimam cognitionem quæ nempe soli intelligenti non purè creato possit convenire. Idque probat ex argumentis adductis pro majori. *Secundum*: eam non esse increatam intellectionem: esse tamen tantæ perfectionis intellectionem, ut in linea intellectionis, non possit inter producibiles ab intellectu creato perfectior excogitari. Supponit primam partem, & probat secundam: quia non repugnat cognitio pro sui magnitudine quæ sit talis unio, & tam clara præsentia Divinitatis in Anima, ut ex suo modo tendendi experiatur, & quasi palpet ipsam divinitatem, & ipsam exigat unitam intelligenti, & consequenter sibi, quantùm Divinitas Creaturæ potest uniri, atque adeò ex suâ præsentiâ intellectuali, & unione præexigat quòd Divinitas sit unita physicè intelligenti, non utcumque, sed ut tali, exercendo in ipso vim Motivi formalis, & speciei intelligibilis, & splendoris intellectualis: atqui talis cognitio necessariò debet esse sublimissima, & solius Naturæ unitæ propria, & omnium in suo genere maxima. *Tertium*: totam specialitatem, & sublimitatem talis cognitionis venire ex eo quòd ipsa Divinitas præexigitur ex magnitudine evidentiæ, quæ tali cognitioni inest, physicè existens ex parte intellectûs, quasi divinizans ipsum, & ipsam quasi constituens in ratione objecti formalis.

P. Anton. Perez.

38 Respondeo jam ad argumentum ex isto probabili discursu P. Antonii Perez omninò videndi, concessâ majori satis suadibiliter propositâ, negando minorem. Potest enim assignari cognitio sublimissima, quæ nempe ex magnitudine sua, & propinquitate, & evidentia experimentali Divinitatis excedat omnes quæ puræ creaturæ contingere possint, & ex suâ perfectione, & modo tendendi sit propria Intelligentis non purè creati.

SECTIO II.

DE SCIENTIA BEATA ANIMÆ Christi Domini.

§. I.

TERMINI QVÆSTIONIS.

39 PRæter communes illas difficultates, quæ de Visione Beatifica, ejus Supernaturalitate, Naturâ, Principiis tàm ex parte potentiæ, quàm ex parte objecti, Objectis, & Proprietatibus agitantur in *speciali Tractatu* ad Primam Partem Sancti Thomæ, & in quibus Christi, Angelorum, & Hominum Beatificæ Visiones cóveniunt, quasque huc non semel intrudit immodica ratio disputandi; sunt aliæ sine quarum explicatione vix potest Beatæ Scientiæ Christi Domini veritas, & perfectio repræsentari: quas hîc, quantâ potsimus methodo, & brevitate, complectemur.

40 Quinque prænoto. Quid nempè sit Visio, seu Beata Scientia? Quid sit comprehensio Dei? Quousque repugnet Creaturæ? Quid sit videre res in Verbo formaliter? Quid sit eas in Verbo videre causaliter? Sunt enim hi, termini sine quibus circa ista vix loquimur. Et quidem Beata Visio, seu Scientia est *clara, & immediata Divinitatis intuitio, ut est in se*, nitens *tanquam in objecto formali in ipsâ Divinitate secundùm se*, sine ullâ umbrâ aut interpositione medii imperfecti, obscurantis, aut ænigmatici.

41 Comprehensio duplex distingui à Modernis solet: alia *Extensiva*: *Intensiva*, alia. *Extensiva* dicitur clara Dei intuitio, vi cujus tibili Dei extrinsecum, aut intrinsecum latet cognoscentem. *Intensiva* est tàm plena Dei cognitio, ut totam Dei cognoscibilitatem exæquet, cognoscendo Deum, quanto merito sui est cognoscibilis: quod nisi per cognitionem, adæquantem vim cognoscitivam Dei fieri nequit ex regulâ jamdiu præstitutâ *lib. 1. disp. 3. à num. 143.* Comprehensio Dei saltem *intensiva*, (quæ *simpliciter comprehensio* est) simpliciter repugnat Creaturæ, de Fide, ex Lateran. 2. *Sub Innoc. III. cap. Firmiter de Summa Trinit.* Nam est de Fide Deum esse simpliciter incomprehensibilem. De extensivâ lis est inter Theologos.

Lib. 1. disp. 3. à num. 143.

Lateran. Sub Innoc. III.

42 Videri res *in Verbo* dicuntur, quæ per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per Visionem beatificam videntur. Et *formaliter* quidem, si per ipsam Visionem videantur formaliter, sine interventu alterius Scientiæ. *Causaliter*, si non per ipsam Visionem, sed per aliam Scientiam illi debitam, & proprietativè secutam. Sed cur *in Verbo*? Communis ratio est, quia quæ ad intellectū pertinent, specialiter attribuuntur Verbo. Alii discurrunt aliter juxta speciales discursus de Constitutione Verbi Divini, & Naturæ per formalem processionem communi-
P. Aldret. catæ. Videatur Aldrete *tom.* 1 *in* 1.*p. Tract. de Visione disp.* 6. *sect.* 8. His ita suppositis

§. II.

SCIENTIÆ BEATIFICÆ CHRISTI DOMINI Influxio, certitudo, perfectio, necessitas, & quasi quantitas.

43 PRima difficultas est: an Christi anima Beatificam Scientiam, seu Visionem habuerit? ex quo tempore? & quam certum id sit? & quo gradu necessitatis? Respondeo & *assero* primò: Animam Christi habuisse Scientiā Beatam, seu Beatificā Visionem, & quidem ab ipso Conceptionis Instanti. Probatur primò: ab absurdo, quale foret, Angelos fuisse aliquo tempore incomparabiliter sapientiores Christo, qua homine. Sapientia enim videntis Deum est incomparabiliter major eā, quam potest habere non-videns Deum. Secundò etiam ab absurdo, quale foret Christum aliquo instanti potuisse dici simpliciter ignorantem Divinorum: dici autem potuisse, si aliquo instanti caruisset intuitione immediata Dei, patet: nos enim ideo sumus ignorantissimi, quia Deum non videmus: cognitio enim, quæ de Divinis habetur à non vidente Deum, est similis illi quam habet cæcus de coloribus, & luce, quæ nunquam vidit.

45 Tertiò & à priori: quia talis beata Scientia erat omninò debita Humanitati, & cōnaturalis. Tū quia cuivis Naturę intellectivæ debetur intuitio suæ Personæ; & Naturæ Dignificatæ per Deitatem debetur intuitio suæ Dignitatis, quæ est ipsa Deitas. Tùm quia filio Naturali debetur intuitio Paterni vultūs; & perse dedecet exilium à domo sui Patris; quod exilium à Domo Dei consistit in non videre Deum. Adde dedecere perse Patrem, quòd Filium, & suæ felicitatis, & Patris sui, atque adeò simpliciter ignorantem, si sapientem generare possit, gignat.

46 Vnde quartò: quia Christo ex multā eruditione, quam vide apud Vazquez *P. Vazq.*
disp. 41. & ex purā decentiā repugnat omnis ignorantia: & certè ex dogmate Fidei contra *Agnoitas*, & novissimè contra Lutherum & Calvinum & alios Sectarios nostri temporis, non fuit ullo unquam tempore ignorantia, saltem privativa, ideſt, carentia Scientię debitæ: at hæc scientia beata erat maximè debita. Quintò: quia in Scripturā inducitur Christus, ut homo loquens de Deo, de de Trinitate & aliis & ipse *3. Ioann.* 11. testatur se loqui ut testem oculatum. Videatur *3. Ioannis* 11.
Amicus *disp.* 19. *sect.* 1. *P. Amic.*

47 Respondeo & *assero* secundò: Christi animam vidisse Deum in hac vita mortali, Est *de fide*: Vidisse semper ab instanti Cōceptionis est ita certum, ut oppositum non modo temerariū, sed & erroneum sit. Prima pars patet ex loco citato Ioannis, & aliis, quę communiter Doctores accumulant. Secunda etiam patet, quia præter communem & unanimem Theologorum & Fidelium sensum, & consensum, propositio quæ negaret pro aliquo instanti Beatificam Visionem Animę Christi contradiceret illationi deductæ ex legitimis principiis Fidei; & Rationi naturali: quod sufficit, ut erronea sit. Nec obstant vel textus aliqui visi negare Christo glorificationem; nec difficultates de componenda cum Beatifico statu Tristitiā, quam fateri debemus in Christo; nec vani demum timores, ne detur locus Merito. Nam illi loquuntur de glorificatione Corporis: istæ victæ sunt *supra disp. praced. sect.* 5. *à nu.* 144. *Suprà disp.* 2. *à n.* 144. & isti vincentur *infra disp.* 4 *sect.* 2. *& infrà disp.* 4. *à nu.* 61. *&* 70.

48 Dices. Christus meruit Gloriam animæ: ergo aliquo instanti caruit. Mala consequentia: potuisset mereri, & pśam habuisse pro præmio in instanti merendi. Alii negant assumptum. Tùm quia durum est, aspectum Paterni vultūs assignari in mercedem famulatūs Filii Naturalis: Tùm quia decentius est possidere bona, præsertim quæ sunt de linea hæreditatis, jure filiationis, quàm ritu Mercenarii laborantis. Videatur Pater Antonius Perez *tract.* 6. *disp.* 2. *p.* 2. *cap.* 2. *nu.* *P. Anton. Perez.*
4. Sed hæc melius intercipientur *conclusione sequenti*. Igitur

49 Respondeo, & *assero* tertiò: eo gradu necessitatis habuit Anima Christi Beatificam scientiam, & Visionem, ut eā, ne momento quidem, carere potuerit, ex metaphysicā, & invincibili connexione Vnionis cum Visione Beatificā. *Ita* necessè est sentiant

P. Anton. Perez. Mart. Esp. tiant Pater Antonius Perez, & Pater Esparza. Et ratio mihi est primò: quia hujusmodi inseparabilitatem essentialem Visionis ab Vnione probant quatuor argumenta, quę pro facto rei confecimus *à numero* 44. ut constabit expendenti. Secundò: ex tribus principiis ex quibus inseparabilitatē essentialem Gratiæ habitualis ab Vnione probavimus *disp* 1. *sect.* 1. §. 7. *num.* 60. Tertiò ex addendis *hic sect.* 5. *à num.* 216.

Suprà disp. 1. *à nu.* 60. *& hic à nu.* 26.

50 Et omnium ratio à priori est duplex. Prima: quia separatio Visionis a dono Vnionis, fieri nequit nisi per miraculum: atqui hoc miraculum implicat: ergo & separatio. Major est certa, nam exigentiam connaturalitatis inter utramque quis neget? Minor probatur: Tùm quia privatio rei aliis debitæ implicat, ubi implicat compensatio per
Lib 2. *disp.* 2. *à nu.* 5. æquale, vel majus, ex latè dictis *lib.* 2. *disp.* 2. *à num* 5. At in casu nostro quid dari posset Humanitati Vnitæ, æquale, vel majus, Visione quā privaretur? Tùm quia miraculum est ex se excitativum Divinæ laudis, & ostentativum Divinæ Sapientiæ, & Potentiæ: Quæ autem laus, quæ sapientia, aut quæ potentia Dei est, eruere quasi oculos Filio? Eique negare Paterni vultūs intuitionem? Secunda ratio est: quia Donum Vnionis secum necessariò affert gradum sanctitatis, infra Divinum, summum: ergo & essentialem inseparabilitatem à Visione. Probatur consequentia. Tùm quia sicut est de ratione sanctitatis aliqualis connexio cum Visione; nequit non esse, infra identicam, summa connexio cum Visione in gradu sanctitatis infra identicum summo. Tùm etiam: quia non est unde tanto gradui sanctitatis fieri possit quasi satis, repugnante æquali visione
Suprà nu. 15. ex dictis *à num* 15. præsertim *num.* 33. nisi per inseparabilitatem hujusmodi. Alia ex nostris principiis formari possunt in illustrationem præsentis veritatis.

P. Munieſſ Recētiores

51 Eam novissimè promoveri operosè cum gaudio video à Munieſſa *disp.* 13. *de Incarnatione sect.* 3. & 4. & postmodum ab Ingenioso Magistro in *Manuscriptis*. Sed utriusque fundamentis, relapsis in unum, & idem, nec fido, nec egeo. Plura numerant. Imprimis afferunt Damascenum 3. *de Fide cap.* 22. Sed Damascenus eō capite longè est abs scopo in quem hi collineant. Nam eo capite unicè Damascenus explicare contendit illud *Luc.* 2. de Christo: *& Iesus proficiebat Sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & Homines*, ut videre apud ip-
Damasceni locus. *Aranda de Incarnatione.*

sum est, nihili curantem hasce subtilitates. Agit quidem *cap.* 21. magis ad rem; ubi ne verbum quidem.

52 Moventur secundò: ex modo quo Patres ratione Vnionis excludunt ab Animā Christi ignorantiam, & requirunt aliquam saltem scientiam: quidni Beatam? Sed hanc nisi ratio reducatur ad nostras, ad summum probatur connexio connaturalitatis, & prudentis congruitatis: quorum utrumlibet impleri locutiones Sanctorum Patrum, & explicat illum gradum *decentiæ*, per quam illi se explicant. *SS. PP.*

53 Moventur tertiò: quia aliàs non apparet quomodo Donum Vnionis sit omnium, in ratione beneficii, summum. Sed præcisim ab hac quæstione, istiusmodi excellentiam in Vnione præostendimus *lib.* 1. *Suprà lib.* 1. *disp.* 3. *sect.* 2. *à num* 85. Moventur quartò, ex aliquibus sequelis, sed non timendis: quia reverā chymericis: status enim hypostaticus est inamissibilis, & est summa felicitas, ut constat ex *loco citato*. Alia laudo, quæ tandem congerunt ex vero conceptu Divinæ Potentiæ, non ostentabilis, nisi per actiones, per quas ejus sapientia irradiet, & excitetur laus operantis.

54 Secunda difficultas: quousque perfecta sit in linea intellectionis, & in modo cognoscendi, Beata Dei Visio Christo connaturalis? Dixi *in linea intellectionis*: nam de *Infrà à nu.* 59.
extensivā perfectione per extensionem ad objecta, quæ tangit, dicam *quarta, & quinta difficultate*.

55 Nunc respondeo & *assero* primò: si possibilis foret Visio infinitè clara, & intensa, talis fuisset connaturaliter in Christo. Patet ex his quæ *supra* diximus *de Gratia Christi Domini*. *Suprà disp.* 1. *à n.* 107.

Respond. *& assero* secundò: utut sit, Visio Christo Domino connaturalis, est omniū perfectissima, quæ ulli unquam Beato conceditur, (excipio Christi Matrem de quā hīc nolo disputare:) imò omnium quæ de potentia ordinaria possunt à Deo concedi, etiamsi collectivè sumantur. Patet ex his etiam, quæ de *Christi gratia* disputavimus. *Ibidem.*
Totus enim ille discursus factus *disp.* 1. *sect.* 3 *à nu.* 3. adusque 134. cadit in rem præsentem: & importunè repeteretur. Respondeo & *assero* tertiò: Visionem Beatificam Christo connaturalem esse sublimissimam, & omnium perfectissimam, quæ communicari potest à Deo. Ratio sumitur ex discursu, quem *Suprà à nu.* 34.
fecimus *sect. praced. à nu.* 34. Ea enim visio

Universidad de Deusto
Biblioteca

est experimentum Divinitatis, quantùm potest creaturæ præsentis, idque ex modo intuendi, & inuitendi in ipsâ Divinitate, necessariò præsuppositâ physicè & intentionaliter deificare animam, ut talis intuitio sit.

56 Tertia difficultas: an eousque perfecta sit, ut possit dici comprehensio Dei? Qui tenuere AnimamChristi intelligere per intellectionem increatam, addidere ex sequelâ bonâ, comprehendere etiam Deum: Id quod damnatum video in Basileensi *sess.* 22. Alii, de extensivâ comprehensione Dei affirmant: id quod pender ab alia difficultate *mox* examinanda: nempe: an Christi Anima videat omnia in Verbo? Respondeo jam & *assero*; Christi animam neque comprehendere, neque posse, Deum: unde ejus Beatifica Visio non est eousque perfecta, ut possit dici simpliciter comprehensio Dei. Id quod de Fide censeo.

Conc. Basileense. Mox à nu. 59.

Suprà à nu. 40.

57 Et ratio ex *suprà* prænotatis est evidens: quia cognitio comprehensiva Dei est cognitio, quâ Deus cognoscitur quantùm merito sui cognoscibilis est: debet enim, ad conceptum comprehensionis, exæquari objecti cognoscibilitas: tunc autem exæquatur objectum in esse cognoscibili, si sit ens cognoscitivum; quando cognoscitur, quantùm est à seipso cognoscibile: tantum enim est merito sui cognoscibile, quantùm potest se ipsum cognoscere, seu quantùm est cognoscitivum: unde cognitio comprehensiva Dei est cognitio adæquans vim Dei cognoscitivam, atque adeò tàm perfecta quàm Divina intellectio. Nunc sic: atqui cognitio Christi creata nequit esse tam perfecta, quàm Divina intellectio, nec exæquare potest vim intellectivam Dei: ergo neque potest cognoscere Deum, quantùm merito sui cognoscibilis est: ergo neque potest esse comprehensio Dei. Pendent hæc ex his, quæ tetigimus *lib.1. disp.3. sect 3.*

Et lib. 1. disp. 3 sect. 3. à n 143.

58 Dices: oppositum videri assertum ab Isidoro in *Exod. cap.41* per illa verba: *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & Humanitati Susceptæ*: quæ *comprehensionem* sonant. Respondeo: à multis cum Suarez *hic quæst. 10. in comment.* aliter Isidorum legi: nempe: *Sola sibi integrè nota est Trinitas, & Humanitas susceptæ.* Sic autem solus erit sensus: Dei solùm esse comprehendere Mysteriũ Trinitatis & Incarnationis. Aliis non placet ista solutio: quia sibi voces accommodat: & incumbunt in explicationes maximè difficiles.

Isidori mens iuxta Suarez.

Iuxta Nos. Respondeo secundò, sensum Isidori ex contextu satis colligi, & esse, plenam notitiam Trinitatis, nulli puræ creatæ intelligentiæ quantumvis elevatissimæ, esse congenitam, & connaturalem; & hujusmodi, solùm esse Deo, & Humanitati assumptæ prout talis: quod verissimum est: nec id obstat, ne inter modum, & plenitudinem, quibus Trinitas à Deo cognoscitur, & quibus cognoscitur ab ipsâ Humanitate susceptâ, non sit discrimen, quod disparilitas Naturarum importat.

§. III.

SCIENTIÆ BEATIFICÆ CHRISTI Sphæra Object. va, quoad possibilia.

59 QVarta difficultas: an Christi anima per Beatam Scientiam, seu in Verbo videat omnia, & singula possibilia, atqueadeò quicquid Deus sit per scientiam simplicis intelligentiæ? Conveniunt Authores post Doctorem Eximium, in affirmando conditionate, nempe, si possibile id sit. Negant id esse possibile multi, pro quibus novissimè militant Andrete, & Martinon: ille *disp 62. de Incarnatione*: hic *disp 8. de Deo sect 5*. *Alii* affirmant, Christi animam potuisse, atque adeo vidisse omnia possibilia non dearticulatè, & distinctè, sed in confuso. *Alii* negant potuisse videre *formaliter* in Verbo omnia: vidisse tamen in Verbo *causaliter*. *Alii* demum cum Magistro planè affirmant, vidisse Christi animam omnia in Verbo, nempe quæ Deus scit per simplicem intelligentiam.

Suarez.

Magister. Sentent.

60 Respondeo, & *assero*, Christi Animam per scientiam Beatam, seu in Verbo vidisse *formaliter* omnia possibilia clarè, dearticulatè, & distinctè, atque adeò omnia, quæ Deus scit per scientiam intelligentiæ simplicis. Ostenditur primò: ex Authoritate Hieronymi, sic allocuti Christum in articulo mortis, ut narrat Eusebius *in Epist. ad Damasum tom. 9. operum ipsius* Hieronymi: *Tua anima statim, ac inseparabiliter fuit unita Divinitati, omnia scivit, quæ scit ipsa Divinitas.* Cui concinit Paulus ad Coloss. 2. *in ipso sunt omnes Thesauri Sapientiæ Dei*: unde Chrysostomus *hom. 5.* colligit, Christum *omnia scire, & nihil ignorare.*

Hieronym. apud Euseb.

Coloss. 2. Chrysostm.

61 Secundò à congruenti: quia rerum omnium possibilium perfecta cognitio pertinet ad statum universalissimi Capitis, quale Christus est omnium. *Adde*, non decere, quòd

quòd maneat Christus in periculo errandi, & quodâ appetitu sciendi: quæ defectũ Sciẽtiæ comitari solent. Quidquòd vidisse dicemus in Verbo omnia futura, & non futura: quæ sine cognitione omnium possibiliũ stare nequeũt. *Demum* pertinet ad dignitatem, & statum Filii, nihil ignorare eorum, quæ Patris sui Potestatem, Sapientiam, & Dominium concernunt.

62 Tertiò, & à priori: quia Divina Essentia est spiritualissima facies, & continentia rerum omnium, & quoddam quasi theatrum omnis veritatis: (ut modò taceam Attributa Intelligentiæ, Omnipotentiæ, & Dominii, essentialiter, & determinatè connexa cum possibilitate rerum, imò quæ apud me sunt Possibilitas, quâ res dicuntur esse possibiles.) ergo cui se spectabilem præbeat, quantùm potest, non potest ille non videre distinctim omnia. An verò necessarium id sit cuiqumque videnti Deum: nolo modò decidere: est mihi tamen valde probabile; ut videas, quàm sim procul ab existimatâ repugnantiâ talis intuitionis. Sed id, negotium est *alterius loci*, de quo, contra Thomistas, & aliquos Recentiores ex Nostris, novissimè disputant specialiter P. M. Thyrsus *tom. 1. disp. 5.* P. Nicolaus Martinez *tract. de Deo Sciente Controv 1. disp. 5. sect. 2.* & P. Munièssa *Tomo de Essent. & Attrib.* quos vide.

Thyrsus. Martinez. Munièssa.

63 Oppones tamen primò: fore, ut Deus comprehenderetur ab Anima Christi: tunc enim comprehenditur objectum, quando totum mente quasi capitur, & tenetur, *ita ut nihil ejus lateat cognoscentem*, ex Augustino *Epist 122. ad Paulinum*. Secundò: quia ea intuitio deberet esse infinita, quæ in perfectione repugnat, & disconvenit finito intellectui. Sequela verò probatur: Tùm quia ideò Omnipotentia est infinita virtus, quia pro termino habet res numero infinitas: ideò meritum Christi est vis infinitè meritiva, quia se extendit ad infinita præmia. Tùm etiam quia Intuitio unius creaturæ v. g. dicit aliquam determinatam perfectionem in visione: majorem, intuitio duplicis: & facto sursùm ascensu calculatorio, intuitio infinitarum rerum, qualis erit necessariò intuitio omnium possibilium, necessariò erit infinita simpliciter in perfectione.

Augustin.

64 Tertiò: quia videtur esse de jure privativo Divini cognoscentis excessus essentialis in cognoscendo, non solum in modo, sed etiam in extensione, id est, non solùm *formalis, & intensivus*, sed *objectivus & extensivus*: ergo sicut est Dei solius videre res modo, quo nullus possit esse perfectior, aut æquè perfectus: ita erit Dei solius videre res extensione, qua nulla sit major nec æqualis: ergo repugnat creaturæ cognitio omnium possibilium.

65 Et ratio discursûs: quem acutè promovet Author suus P. Aldrete *disp. 62. sect. 3. à nu. 4* est, quia sicut major perfectio incognoscendo sequitur mentis perfectionem, ita major extensio: ergo sicut Divinæ mentis, quia est perfectissima, & dicit infinitum excessum ad omnes alias, est privativè proprius modus cognoscendi, ad quem nulla possit ascendere: ita est privativè propria extensio, ad quam possit nulla pertingere. Sed jam,

Aldrete.

66 Ad Primum (de quo discurrit optimè Pater Aldrete videndus omninò *disp. 62. sect 8. & 9.*) respondetur, negando quod assumitur: Nam cognitio simpliciter comprehensiva Dei non est utcumque cognitio, vicujus nihil Dei lateat cognoscentem, sed vi cujus ita nihil Dei lateat cognoscentem, ut ejus cognoscibilitatem exæquet, modo *suprà* insinuato *num 41. & 42.* & hic est Augustini sensus. Ea autem cognitio vi cujus aliquis præcisè videat Deum, & omnia, quæ in ipso continentur, dici potest comprehensio secundùm quid, & extensiva: de quà non sunt illa Dogmata *de Divinà incomprehensibilitate*.

Suprà nu. 41. & 42.

67 Ad secundum (de quo specialiter cum fructu legentur Herize *disp. 30. cap. 4. num. 57. & 68.* Moncæus *in selectis disp 2. cap. 3.* Magister Thyrsus *tom. 1. disp 5.* & P. Munièssa *hic disp. 13. sect. 7. & 10. de Attrib. disp. 17.*) non dubitant aliqui respondere cum Bernal, concedendo infinitudinem intensionis in Visione, Lumine, & Habitibus Christi. Respondetur tamen negando sequelam. Neque prima probatio à pari juvat: quia Omnipotentia non ideò est infinita virtus, quia est infinitorum, sed quia est productiva independenter ab alio: neque merita Christi ideò sunt infinitè meritiva: quia sunt circa præmium infinitum, sed quia dicunt in se dignitatem simpliciter infinitam.

Herize. Moncæus. Thyrsus. Munièssa. Bernal.

68 Neque secunda probatio quicquam probat: Tùm quia calculatio æquè probat infinitudiem in visione solius Dei, cùm Deus infinitè excedat collectionem omnium possibilium. Tùm quia augmentum perfectio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctionis in visione non crescit pari passu, quo se ob ecta excedunt, & multiplicant : neque ita crescit, ut excessus non sit capax multipliciter excedi: atque adeò non est, cur exinde timeri debeat infinita. Erit quidem infinita secundum quid, extensivè, & objectivè: & in eo sensu, quo una res dicitur habere sub se infinitas imperfectiones : hæc tamen infinitudo non obest.

69 Ad tertium respondetur, negando esse de privativo jure Divini cognoscentis videre infinita, nisi connaturaliter, vel independenter ab objectorum influxu, & ab alio coadjuvante.

P. Dominicus Navas quès.

70 Sed instat adversus hæc *operosissimè* Doctus Recentior ex triplici capite. *Primum* est : quia ea cognitio nequit non esse simpliciter infinitè clara : ergo comprehensiva Dei. Antecedens probatur primò: quia dicit formaliter Perfectiones numerò infinitas Claritatis, infinitarum Intuitionum, seu magis, & magis intra eundem ordinem excedentium in infinitum. Secundò : quia ea cognitio talis est, ut in eâ nullus sit defectus claritatis : est enim opposita omni dubio, formidini, & obscuritati circa objectum. Tertiò : quia est virtus sufficiens repræsentare terminos se se excedentes sine fine, magis, magisque perfectos : ergo est infinita simpliciter: sicut esset in genere causæ, simpliciter infinita, Virtus sufficiens adæquare Terminos in infinitum, magis, magisque perfectos. *Secundum* est : quia ea cognitio nequit non esse adæquativa Causæ, quantùm est cognoscibilis : cognoscit enim quantùm est causæ formaliter, & eminenter : neque potest magis causa cognosci, quam dum cognoscuntur omnes ejus effectus. *Tertium* est: quia in Omni linea tam Potentis, quam immensi, & æterni non solùm est de privativo gradu Divinitatis excessus in modo, sed in extensione respectivâ ad terminos: ergo similiter in lineâ cognoscendi. Hæc

P. Amic. P. Abarc.

latissimè post Amicum *tom.1. disp 9. sect.22.* cum M. P. Petro de Abarca, Ingeniosus Magister.

71 Verùm, licèt ingeniosè exaggerata hæc videam, non est cur nos morentur. Habent enim, ex his quæ presimus, solutionem. Addo tamen *quatuor* principia manifesta. *Primum* est: Cognitio non ita sequitur in perfectione mensuram objecti, ut tanta esse debeat in perfectione, quamvis sit intuitiva, quantùm est objectum: imò nisi intellectiva vis sit summa, est quid multo minus objecto suo. Hoc est evidens : unde fiunt *Duo*. Cum omnia extra Deum objecta, sint quid, perfectione simpliciter, finitum : si cognitio est quid minùs objecto, necesse est, ut cognitio omnium veritatum extra Deum sit ex hoc capite finita simpliciter. Et est *illatio prima. Altera*: si verum est, ut opinor & dixi *lib.1. disp.1. sect.1. & lib.2 disp.1. à num.13.* Complexum ex Deo, & Creaturis non esse simpliciter infinitum in ratione perfecti, necesse est, si cognitio est quid minùs objecto, quòd intuitiva cognitio Dei & omnium Creaturarum, sit finita simpliciter ex objecto.

Lib.1. disp. 1. sect. 1. & lib. 2. disp. 1. à nu. 13.

72 *Alterum*: nullum est ens, quod crescere possit usque ad infinitatem simpliciter quantum is excedat multitudinem infinitam, & per sui perfectionem ei multitudini æquivaleat, si solùm crescit excessu simpliciter superabili : tunc autem crescit excessu simpliciter superabili, quando solùm excedit infinitum secundum quid, quale est infinitum in multitudine, & per perfectionem, quâ dari possit major. Est evidens: nam excessus, dans locum, ut supra ipsum sit aliquid majus, non est luæ lineæ summus: ergo nec infinitus simpliciter. Et id æquè verum est, sive multitudo entium inferiorum, sit ejusdem, sive diversi ordinis: nam ratio, toliens infinitudinem simpliciter, utrobique æquè militat. Inde licèt Intellectus noster contineat infinitos actus : & totidem voluntas, sunt Virtutes finitæ simpliciter. Nota discursum Mauri *nu 75.*

Infrà n.75. in med.

73 *Tertium*: Circa idem objectum cum æquali extensione objectiva, potest dari magis, & minus clara cognitio ejusdem objecti. Id est tam evidens, quam est evidens dari inæquales cognoscendi modos magis, & minus perfectos, magis, & minus claros, & inæquales cognoscendi virtutes. Unde contingere potest, ut Cognitio quoad extensionem objectivam excedat, & sit minus clara, quam alia circa idem objectum. Quare *regula illa* Sancti Thomæ, nempe quod tunc magis clarè cognoscitur causa, quanto, plures cognoscuntur effectus, debet intelligi, *cæteris paribus*: nam possunt esse *cætera imparia* quoad modum, & perfectionem cognitionis : & tunc Regula tollit : ut advertit Angelicus Doctor *3. part. quæst.10. art.2. ad 3.*

S. Thomas.

74 *Quartum*, quod ex his præcedentibus sit ; omnia quæ extra Deum sunt cognoscibilia, esse quid infinitè minùs Deo: quod

quod est evidens : & inde fiunt illationes duæ paris evidentiæ. Prima est : licèt detur cognitio, quæ adæquet cognoscibilitatem omnium extra Deum, esse minorem ea, quæ Dei cognoscibilitatem adæquet. Secunda: licèt Creaturæ sint participationes Perfectionis Divinæ in infinitum, cùm totus cumulus harum participationum, sit entitate finitus simpliciter, semper in causa restare modum essendi infinitè simpliciter, simpliciter imparticipabilem : unde licèt penetrentur, etiam comprehensivè omnes effectus ad extra possibiles, restare debet in Causa modus essendi magis, & magis penetrabilis, & cognoscibilis. Ex his quatuor principiis æquè solidis, & attentâ mente inspiciendis, percurro jam instantias *nu. 70.* præloppositas.

75 Ad primam nego antecedens. Ad ejus primam probationem concedo quòd ea cognitio formaliter dicat infe quidquid est specificæ perfectionis in infinitis numerò distinctis : nego tamen exinde fieri claritatem simpliciter infinitam ex secundo principio Nostro: id quod est evidens ex terminis: nam Perfectio æquivalens cumulo simpliciter finito in perfectione, nequit ex eo infinita simpliciter evadere Et ratio est, quia non ita exinde crescere potest, ut non excedatur. Vide *nu.72. & nu.71.* Dixi *specificæ* ob discursum acutum Patris Sylvestri Mauri *in Thysica quæst. 35. Ad 3. & 4.* censentis cognitionem attingentem plura, non continere perfectè totam perfectionem cognitionum separabiliter ea plura ; imò, *nec duo*, attingentium: quia nequit ea cognitio simultanea plurium dicere in se formaliter perfectionem individualem separabiliter objectû attingendi : quæ perfectio est in infinitum multiplicabilis. Debet ergo ea complexiva cognitio dici perfectior, & alterior ordinis: infinita verò dici non potest, quia non dicit omnem perfectionem cognoscendi de linea quam excedit. Ad secundam probationem, nego antecedens : datur enim defectus *infinitæ claritatis*: nec exclusio Dubii, formidinis, & obscuritatis id probat, sicut in Sanctitate, non probat summum gradum, oppositio cum omni peccato : quia hæc oppositio per unicum gradum claritatis haberi potest. Ad removendum enim non requiritur tanta vis, quanta in ente potest esse ad perficiendum, ut patet. Ad tertiam, nulla ex Æternitate, Immensitate, & Omnipotétia est paritas ad casum nostrum: ut dicam ad instantiam ultimam, *nu.77.*

P. Sylv. Mauri.

76 Ad secundam instantiam, nego antecedens ex tertio, & quarto principio nostro. Aliud enim est cognosci quantum est in causâ, & aliud cognosci causam, quantò est cognoscibilis: sicut aliud est infinita cognoscere, & aliud infinitè cognoscere. Et ratio est: quicquid continetur in causâ, est aut esse potest infinitè minus perfectione ipsius causæ : unde etiam si cognoscas quantum eminentialiter est in causâ, restat infinita simpliciter perfectio in causâ magis, & magis cognoscibilis : ex quo patet argumentum paralogismus.

77 Ad tertiam, concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas, (de quâ latè videndus Reverèdissimus Noster Thyrsus *tom.1. disp. 5. à sect. 6.* multa disputans quibus non egemus) est facilis. Tunc enim extensio infinita quoad terminos est de jure privativo Attributi Divini, quando inevitabiliter arguit infinitudinem intensivam simpliciter in ipso Attributo : sic in Omnipotentiâ, in immensitate, in æternitate videmus : non verò sic in Scientiâ. Ratio autem est: quia terminari intellectualiter ad objectum non dicit per se aliquid majus objecto in cognoscente: sicut productio termini in causâ : idque venit ex eo quòd causa dat esse, Terminis; & non ita, cognoscens. Et certè de virtute productivâ ad cognoscitivam miror sumi paritatem posse, ut jamdiu advertit *lib.1. disp. 2. num. 86.* De Immensitate, & æternitate, clarior est disparitas, nam præcisè consistunt in necessitate nusquam, & nullibi deficiendi: Nam terminativa correspondentia contingens est. Et hæc satis pro quæstione, quæ non est *hujus loci*.

§. IV.

QVOAD FVTVRA?

78 QVinta difficultas : an per Beatam Scientiam, seu Visionem, atque adeò in Verbo videat Anima Christi omnia, quæ Deus scit per scientiam Visionis, atque adeò omnia præterita, futura, & præsentia, imò & non futura? Hæc difficultas est nimis implexa : & in ea sunt plures dicendi modi.

79 *Primus* est: Christi Animam non potuisse in Verbo videre omnia futura. *Alter* distinguit inter futura positiva, & negativa: & asserit, vidisse Christi Animam omnia

nia

Universidad de Deusto
Biblioteca

nia futura positiva, non verò negativa: sic enim vidisset in Verbo omnia possibilia. *Tertius* distinguit inter res, quæ Deus scit per scientiam Visionis: nempè res immutabiliter, & necessariò existentes: qualia sunt prædicata Dei necessaria tàm absoluta, quã Relativa: Decreta Dei libera, & ipsam Scientiam Visionis Divinæ; res quæ fuerunt, sunt, & erunt, distinctas ab omni actione liberâ tùm Christi ipsius, tùm aliorum: actiones liberas Angelorum, & hominum: actus liberos ipsius Christi, præsertim ortos ex ipsâ scientiâ Visionis; Visionem ipsam Beatificam Christi, & perpetuitatem ipsius. Hac objectorum distinctione factâ, vix Author cum Authore convenit: nam alius hoc objectum rejicit à Beatifica Visione Christi: alius, illud, & alius, aliud.

80 Respondeo, & *assero* primò, Christi Animam videre in Deo, seu in Verbo tanquam in speculo omnia, quæ Deus videt per scientiam Visionis. Ratio est ex Synodo Senonensi, ubi definitur, videri à Beatis in speculo Divinitatis *quicquid eorum interest*: & ex communi sententia Theologorum asserente videri à Beatis quicquid *ad uniuscujusque statum* pertinet. Nunc autem sic: atqui Christi status amplectitur omnia, quæ Deus scit per scientiam Visionis: est enim status Capitis, & Principis, & Iudicis omnium: ergo videt omnia Christus in speculo Divinitatis.

Synodus Senonen.

Adde, excludendam à Christi omnem ignorantiam ex summa illa dignitate, quâ fruitur; & à Deo omne genus gerendi se cum Filio, quod minùs deceat amorem Paternum, & arguat aliqualem defectum dilectionis. Nunc etiam sic: atqui si Christi Anima non sciret omnia, quæ fuerunt, sunt, & erunt, & quæ non erunt, aliquid ignoraret, gereretque se Deus cum Christo secùs ac decet Paternam dilectionem: Quis enim Pater, Filio, quem diligat, quantum potest, zelat arcana rerum, & omnia, quorum cognitio decet tanti Patris Filium? Videatur Eximius Doctor *disp. 26. sect. 4.* multa rem in hanc ingeniosè discurrens. *P. Suarez.*

81 Respondeo, & *assero* secundò: Vt dicatur Anima Christi videre omnia in Verbo, seu in Deo tanquam in speculo, non requiritur quòd ea videat in Deo tanquam in objecto viso, seu per visionem Dei formaliter, sed sufficit quòd ea videat per Visionem Dei *causaliter, & proprietativè*, id est, ut Deus Visus, sit quasi species, ipsa sui Visione, excitata, quâ Anima Christi videntis Deum determinetur ad ciaram intuitionem eorum omnium, quæ contingenter fuerunt, sunt, & erunt.

Ratio assertionis est manifesta, si attendatur modus, quo res videre dicimur in speculo: neque enim res videmus in speculo tanquam in objecto viso, ex cujus connexione cum re videndâ resiliat visus in eam, sed tanquam in re, virtute cujus species rei videndæ reflectitur in pupillam, & aptat ad visionem: sic ergo similiter dici potest, Deum, qui secundum se potest gerere vices omnium, & singulorum objectorum, atque adeo speciei perfectissimæ circa singula visum beatificè in se, quasi reflectere speciem, ita ut ipsa visio beatifica sit medium excitandi vim Divinitatis, ut gerat vicem speciei respectu omnium objectorum, & veritatum, quarum ipsa, ut est objectum primario beatificum, non est medium intentionalis diaphanitatis, & connexionis.

82 Respondeo, & *assero* tertiò: Christi Animam videre vel formaliter, vel causaliter per scientiam beatam, omnes res existentes necessario, reliquè omnes distinctas ab omni actione libera, quæ fuerunt, sunt, & erunt: illas, *formaliter*: illas, saltem *causaliter*: semper tamen tanquam in speculo, modo dicto. Ratio prioris partis est evidens: quia illæ res necessario existentes sunt objectum primarium ipsius Visionis Beatificæ: nam sunt ipsa prædicata Dei necessaria. Ratio posterioris est: quia ea scientia non est cur negetur Christo ex discursu generali primæ assertionis. Dixi *causaliter*: Nam Visio ipsa beatifica Christi, cum sit limitata per sectionis in linea intellectionis, nec detectura unquâ sit, nequit formaliter se extendere ad modum affirmandi de futuro, aut de præsenti veritates de futuro, aut de præsenti contingentes sine necessitate objectus vel in veritate, vel in esse. Quod est maximè advertendum.

83 Oppones tamen dictum à Christo Domino, Marci 13. *de die illo* (nempe judicii) *nemo scit, neque Angeli in Cœlo; neque Filius, nisi Pater*: ergo saltem de determinato die judicii nescivit Anima Christi, seu Christus *ut homo*. Id in quod nimis inclinant aliqui Patres apud Vazquez, Vrading. Martinon. *Marc. 13.*

Agnoitarum errori, & damnatus videtur à *VI. Synodo* in Themistio quodam *act.* 11. & 13. ut vult Suarez: cui non multum assentior. *Vazquez. Vrading. Martinon. VI. Synod. P. Suarez.*

aliud enim fortè fuit Themistii crimen. Quicquid sit, communis solutio est bona, nempe dixisse verè Christum, nescisse judicii diem, vel scientiâ, humanitus comparatâ; vel per scientiam, quam ut aliis communicandam accepisset, & ut *Doctor Ecclesiæ*. Nec inde multum inferas, posse sic dici, quod Angeli etiam sub secreto acceperint: nam ridiculum certè diceretur hoc secretum, Angelis omnibus publicum: unde si dixit Christus se secreto accepisse, benè via intercluditur, ne Angelis hæc notitia detur. Quod enim Filio datur, quasi non daretur ad usum; nullo modo credibile est Ministris datum.

84 Respondeo & *assero* quartò: Christi animam vidisse in verbo, seu per beatam visionem, saltem causaliter omnes actiones liberas aliorum omnium hominum, & Angelorum, & eorum omnium actus, & cordis arcana, non tamen formaliter, sed causaliter. Ratio primæ partis est, quia non est cur ista gloria negatur Christo Domino. Tùm quia id maximè pertinet ad statum summi Principis, & Capitis omnium Hominum & Angelorum.

Ratio secundæ partis sumitur communiter à Modernis ex eo quod inter actiones liberas creaturarum sunt aliquæ posteriores ad ipsam Visionem beatificam Christi: quas ideò censent non posse videri per ipsam: nam visio non potest esse visio, nisi eorum, respectu quorum est posterior: quippe visio supponit objectum, quod videt, hoc tamen fundamentum est omninò debile: nã intuitio non exigit præcedentiam objecti qui, nisi cùm hoc exercet vim physicè motivam & influxivam circa visionem, unde Intuitio, quâ Deus videt creaturas possibiles, non est ipsis posterior: nec, quâ Pater videt Filium & Spiritu, pro priori ad processiones eorum, non est ipsis origine posterior, imò prior. Quare falsum assumitur.

Ratio mihi est: quia si visio formaliter videret eas actiones pro earum variatione variari deberet, alioquin maneret exposita falsitati, imò falsa. Nam modus invariabiliter cognoscendi, veritates de præsenti, & de futuro contingentes, est *privativè Divinus*, & vix intelligibilis.

85 Respondeo, & *assero* quintò: Christi Animam vidisse etiam per scientiam beatam in Deo tanquam in speculo actus liberos suos, tàm procedentes a Visione, quàm omnes alios, non tamen *formaliter, sed causaliter*. Ratio primæ partis, *nempè quòd viderit*, est quia nihil magis ad statum uniuscujusque pertinet, quàm actus ipsius; sed Christi Anima videt quicquid pertinet ad statum ipsius: ergo & omnes actus suos.

Ratio secundæ partis *nempè quòd viderit per* Visionem Beatificam, *non formaliter*, sed *causaliter* est generalis illa, quam *num. 87. fin.* tetigi; & pro actibus ex ipsâ visione procedentibus, (si qui fuerunt) est specialis ratio: nam libertas exigit pro sui incolumitate, ut ex parte actûs primi constituentis indifferentiam dominii electivi, & præsertim ex parte notitiæ, per quam proximè constituitur electiva voluntas, nihil importetur, quod ex suâ naturâ non sit indifferens, & carens determinatâ connexione cum altero ex extremis inter quæ facienda est electio; sed si Visio Beatifica formaliter videret eos actus liberos, ad quos ipsa præditigit, ex parte actûs primi non supponeretur indifferentia judicii, & dominativæ electionis: ipsa enim Visio est essentialis connexio cum existentia sui objecti, uti repræsentatur, quia necessario vera: ergo libertas ipsa pro sui incolumitate exigit non constitui per Visionem eorum actuum, ad quos ipsa visione dirigitur: videre ergo eos debet per scientiam distinctam à Visione Beatificâ; ipsi tamen debitam.

86 Et urgetur hæc ratio. Vel potest concipi in ordine ad actus hujusmodi, qui dicuntur liberi, & alioquin pendentes à Scientiâ Beatâ ipsius Christi, Hypothesis causæ Proximè indifferentis ad partem utrâque, vel non? Si secundum: ergo nulla est hypothesis, sub quâ sit contingens affirmatio de eorum existentiâ: ergo nec ulla libertas. Implicat enim, in Schola nostrâ dari libertatem actionis, quæ non sit contingenter affirmabilis de aliquâ Hypothesi ad ipsius positionem sufficienti. Si ergo primum: ergo datur hypothesis causæ Proximæ nullã importans connexionem cum parte determinatâ. Patet consequentia: quia indifferentia æquè desinit esse per connexionem constitutivam, ac per determinationem ad unum. Modò sic. Sed visio est notitia connexa cum existentiâ objecti, quòd videt existens: ergo nequit constituere signum causæ Proximæ indifferentis ad ipsum.

87 Neque video lenimentum in paritatibus, quas doctè ad hæc accumulat pro solutione Pater Thomas Munieſſa *de Incarnatione disp. 13. num. 68.* Primò ex libertate *P. Thomas Munieſſa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

te immediatà Actûs imperati, non obstante connexione præcedentis imperii. Secundò ex libertate Actûs pro instanti determinato præcepti homini justo, non obstante concursu Gratiæ Habitualis cum ipso connexæ. Tertiò ex libertate omnium nostrorum actuum liberorum, non obstante præcedentia Scientiæ Mediæ indispensabiliter præeûntis. Non, inquam, video. Nam imprimis multi, licèt immeritò, de earum veritate dubitant. Deinde, ut ab ultimo incipiam, quæ paritas est ex præcedentiâ Scientiæ Mediæ, cùm ea nec sit principium proximum, neque constitutivum Nostræ sufficientiæ; & sumus in casu Principii Proximi, & constitutivi sufficientiæ ad operandum? Insuper Paritas à concursu Gratiæ Habitualis, ejusdem difficultatis est: & premitur pari discursu, si modus defendendi sit idem. Da enim mihi juxta tua principia hypothesim sufficientem, de quâ contingenter affirmes existentiam actûs præcepti. Præterea Paritas ab actu imperante, qui est libitum voluntatis operantis, quid facit ad casum, ubi loquimur de Principio, quod nec libitum esse potest, nec esse consequens ullo modo ad voluntatem? Demum Paritates, quo eas modo eamque sumas, sunt de Rebus à voluntate pendentibus quoad existere, aut conservari ad rem omninò independentem, & præviam. De quibus, etiam affirmatis; Veram doctrinam ipse dabo. tùm *in Tract. de Prædest.* Tùm *in Tract. de Actibus humanis*, unde constabit, quàm auxilii parum in ipsis sit ad rem præsentem.

Latè in 1. p de Prædest. & in 1. 2. de Actib.

88 Magis autè displicet ratio, qua nititur Magister præcitatus, nempe, huiusmodi Principia non obesse libertati, quia pro libito sunt evitabilia. Sic arguo. Non est pro libito evitabile respectivè quidquam ab eo, in quo implicat vis pro libito evitativa: ut est evidens. Sed casu, quo Visio sit immediata cò causa actûs affectivi, implicat vis pro libito evitativa talis visionis: ergo in eo casu talis visio non est evitabilis pro libito. Idem argumentum fit ad paritatem Gratiæ Habitualis, & ostendo minorem. Vis pro libito evitativa, non est præcisè potestas faciendi oppositum, sed potestas faciendi oppositum, habens optionem aliter operandi: ergo est potestas insimul sufficiens aliter operari: ergo est Potestas plene sufficiens ad utrumlibet: ergo est Potestas cum utrolibet conjungibilis. Sed Potestas constituta per connexionem ad unum non est conjungibilis cum utroliber: ergo non est pro libito evitativa. Latè de his, *in Tract. de Prædest.*

§. V.

QVID DE PERPETVITATE VISIONIS ipsius.

89 Respond. & *assero* sexto. Animam Christi videre formaliter in Verbo, seu per ipsam visionê, perfectionê visionis ipsius, ejus intensionem, & necessitatem non deficiendi, vel formaliter, vel in simili. Ratio primæ partis est, quia visio, cum sit subtilissima cognitio, non est cur non sit per fecta reflexio, & experientia sui: ad quod nulla requiritur relatio, nulla destructio, nulla prioritas, aut posterioritas, ut male timere cœperunt aliqui cum Petro Hurtado. Ratio secundæ partis, difficilè redditur ab his qui in actibus vitalibus defendunt intensionem gradualem: nam contendunt eorum aliqui primum gradum v. g. videre secundum: hunc, primum, & tertium: quo fiet ut sint essentialiter inseparabiles: rectiùs in hac via discurrendi diceretur, unumquemque gradum videre seipsum, quo fieret, ut visio seipsa videret totam tuam intensionem.

Suprà disp. 1. n. 125.

90 Sed mihi, cui displicet in qualitatibus vitalibus hæc gradualis intensio, facilior est ratio: nam intensio est ipsissima perfectio actus superandus, qui circa talem objectum haberi possent; sed hæc videtur formaliter per visionem: ergo, & intensio. Ratio tertiæ partis est, quia Beatitudo dicit constitutivè securitatem de possessione summi boni quo fruitur, juxta mensuram dignitatis ipsius: ergo seipsa videre debet necessitatem non deficiendi, vel in se, vel in simili: id enim ad minus exigit illa securitas.

Latè in 1. 2.

91 Respondeo, & *assero* septimo. Animâ Christi non videre formaliter per scientiam, & Visionem beatificam, perpetuitatem ipsius, aut decretum, vel scientiam Dei de tali perpetuitate, saltem *absolutè*: videre tamè *causaliter, & proprietativè*. Dixi saltem *absolutè*, propter discursum apponendum, & insinuandum *n. 99.* Ratio primæ partis non sumitur cum Bernâl, & Moncæo, ex eo quod ista objecta sint posteriora ad visionem; visio autè debeat esse posterior objectis, quorum est visio. Diximus enim *nu. 87.* allumi falso: potest quippe dari visio, & intuitio rerum, quæ consequuntur ad visionê.

Bernal. Moncæo.

Ra-

92 Ratio ergo est: quia alioquin ipsa Visio, utpote essentialiter vera, esset essentialiter indestructibilis, quod repugnat. Nec dicas, talem esse solû consequenter, & ex divino Decreto tam: & habet ex essentia sua, ut habet esse verâ; & tale decretû de non annihilandâ visione est omnino chymericû, & ridiculû, nô minus, quàm decretû de nô separanda actione à termino suo. Ratio secundæ partis est, quia videtur de connaturali, imò, & de essentiali constitutione Beatitudinis, non solùm scire, quòd numquam deficiet possessio aliqua Summi Boni, sed etiam scire, quòd neque deficiet ista numerò possessio. Quidquòd est durum dicere, quòd si rogaretur Beatus, aut Christus an duratura foret hæc numerò visio, cogeretur dicere, se nescire. Adde, quòd hæc veritas maximè pertinet ad statum Beati.

93 Dices: non vitari sic inconveniens: nam vel scit Beatus, aut Christi Anima non solùm decretum de permanentia hujus numerò visionis, & ipsam permanentiam in ærernum, sed etiam Decretum de permanentia hujus secundæ notitiæ, & ipsius permanentiam in ævum; vel non?

94 Si secundum: jam datur veritas, quam nescit Christi anima, tàm formaliter, quàm causaliter vi visionis, & in Verbo. Deinde si semel asseritur esse de conceptu Beatitudinis notitiam de ipsius perpetuitate: de bonis etiam dicere esse de conceptu Beatitudinis notitiâ de perpetuitate singulorum, per quæ Beatitudo constituitur: ergo debemus dicere esse de conceptu Beatitudinis notitiam de perpetuitate notitiæ, quâ scitur Beatitudinem fore perpetuam.

95 Si primum: rogo per quam notitiam scit Christus, non defecturam scientiam quâ de suæ visionis perpetuitate habet? si per seipsam: in scyllam incidimus pro carybdi vitandâ: nam illa notitia utpote supernaturalis, & vera manebit essentialiter indestructibilis. Si per ipsam primariam visionem: utraque indestructibilis erit: nam erût mutuò inseparabiles: & utraque alterius perpetuitatem affirmat. Si per tertiam aliquam scientiam, procedetur in infinitum. Hæc objectio est valde difficilis, exclusâ semel possibilitate creaturæ necessariò indestructibilis ex suppositione primę productionis.

96 Responderi tamen potest, & primò admittendo, quòd Christus sciat perpetuitatem suæ visionis per aliam notitiam, quę sit de constitutivo Beatitudinis, quin tamen sciat perpetuitatem illius secundæ notitiæ. Hoc componi dupliciter potest, primò, *dicendo* Christum Dominum scire sibi non defecturam hanc numerò visionem: neque certitudinem de hac veritate sive sit per hanc numerò notitiam, quam modò habet, sive per aliam omninò similem: undè scit omnem veritatem saltem æquivalenter, & moraliter. Secundò, *dicendo* hanc secundâ notitiâ variari pro diversitate temporû quibuscum comparat de præsenti existentiâ visionis beatificæ cû securitate de eo, quòd semper durabit: unde scire nô potest perpetuitatem talis secundæ notitiæ, cùm reipsa non sit perpetua.

97 Quare ad primam impugnationem hujus partis dicetur Christum nihil nescire simpliciter: quia vel scit hanc notitiam saltem moraliter permansuram in simili; vel scit eam defecturam, & successuram aliam, quam per ipsam sciet cùm sit: unde nulla erit veritas, quam nesciat, licèt non semper sciat omni modo quo scibilis est. Ad alteram, dicatur, esse de conceptu Beatitudinis inamissibilitatem ipsius quoad rectum: nam Beatitudo duo dicit: Visionem Beatificam, & securitatem de ejus permanentiâ: ita tamen ut determinatè dicat hanc numerò visionem: indeterminatè dicat hanc vel illam notitiam, quâ sciat eam numerò Visionem permansurâ. Quare sufficit ad conceptum, & unitatem Beatitudinis securitas de perpetuitate numericâ visionis, & de perpetuitate specificæ notitiæ, per quam hæc sciantur.

98 Responderi secundò potest, admittendo quòd Anima Christi sciat perpetuitatem Visionis, per secundam illam scientiam (quæ dici potest secunda ia visio, &) quæ simul videat perpetuitatem Visionis, & sui, liberè decretam à Deo, quin sequatur aut essentialis indestructibilitas, aut periculum falsitatis. Quæ ut componant Authores apud Quirôs *disp. 23. de Visione*, & apud Aldrete *hic disp. 63. sect. 4.* dicunt profectò mirabilia, *quæ non licèt homini loqui.*

Quirôs. Aldrete.

99 Mihi hæc via occurrit, quam subjicio censuræ lectorum, aliquantum hærendo Patri Quirôs *num. 22.* & dicendo: quòd illa visio, seu scientia exprimit perpetuitatem sui, & decretum de eâ liberum, non quidem modo plenè absoluto, sed imitanti conditionatum; scilicet tali modo tendendi, & dicendi se futuram, & Decretum esse, quia Decretum est, ut ex modo intel-

Authoris mens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

telligendi non exigat, quòd decretum sit: unde non potest præstare suum effectum absolutè intelligendi, quòd decretum sit, & futura sit ipsa: nisi quia decretum est, & dum est.

100 In quo modo cognoscendi non video certè repugnantiam: imò promoveri video à multis Doctrinis, quas alii docent alibi, & quas potissimùm explicat Pater Ribadeneyra *de Actib. Human. disp. 11. cap. 4. à num. 31.* Quæ si vera sunt, duo fient. *Primum*: eam scientiam, casu quo sit decretum de sui perpetuitate, videre & hâc & illud determinatè. *Secundùm*: manere secundùm se destructibilẽ & solùm ex suppositione decreti indestructibilem: illud: quia secundùm se potuit esse sine tali decreto. Hoc: quia eatenus est indestructibilis, quatenus absolutè affirmat Decretum; sed solùm hoc affirmat casu quo Deus liberè decretum ponat: ergo.

Ribadeneira.

101 Dices primò: si ipsa visio est repræsentativa Perpetuitatis sui, & decreti de ipsâ, quomodo potest intellectus illam habere, quin denominet videntem? Respondeo: quia ea intellectio sic est repræsentativa eorum objectorum, ut exigat in intellectu ad ea intelligenda per ipsam, quòd capax sit: Intellectio enim communicata subjecto incapaci, non denominat. Intellectus autem est capax quatenus in ipso non supponitur actus affirmans dari decretum de oppositio, aut potestas proxima affirmandi. Nam ex suo modo tendendi supra explicato id habet.

102 Dices secundò: ergo ista intellectio constituitur in esse absolutè intelligentis sui perpetuitatem per ipsum decretum. Nego consequentiam: absolutè enim constituitur manifestans sui perpetuitatem per communicationem subjecto capaci, id est, intellectui, dum caret actu verè affirmanti decretum de opposito, aut expeditione ad affirmandum: quæ carentia respectivè ad actum in intellectu nihil est præter actum, & intellectum: in objecto tamen, actus, & in rebus est existentia objecti; quam exigit existere, ut repræsentet intellectui: quam tamen ex se non exigit, sicut neque ipsam absolutè repræsentare.

103 Dices tertiò: ille actus est verus essentialiter, & necessariò: ergo exigit quòd sit objectum. Respondeo, eam actum esse necessariò verum, eòipsò quòd affirmet, & modo quo affirmat: nam veritas est proprietas affirmationis, aut negationis. Cùm ergo non affirmet absolutè, nisi dum, & quia decretum est, non aliter est necessatio verus. Sic autem jam connectitur cum sui perpetuitate, nempe, quia & dum decretum est.

104 Respondeo, & *assero* octavò, Christi animam per Visionem Vnioni connaturalem, nullum decretũ Dei aut scientiam liberam determinatè videre *formaliter*, saltem in essentia Dei, tanquam in medio viso: omnia tamen *causaliter*. Ratio primæ partis est: Visio enim Vnioni connaturalis est secundùm se indifferens conjungi cum omnibus, quibus est apta jungi Hypostatica unio; atqui Hypostatica unio cum nullo determinatè decreto connectitur: ergo nec visio: ergo non videt formaliter. Deinde, quia essentia Dei est ita mirabiliter independens ab omni Decreto determinatè, ut cum nullo determinatè dicat connexionem: ergo nõ potest ullũ in ipsa videri tanquã in medio viso: an tamen in ipsâ tanquam in speculo viso juxta doctrinam *nu.* 82. possint videri Deus, & omnia libera per visionem eandem, dicemus, & colligemus *mox*. Ratio secundæ partis est, quia non est credibile, ut Filio celaverit Deus arcana cordis sui, cùm effectus consiliorum non absconderit. *Dices*: ergo ea scientia, quæ decreta videat, necessariò debet videre, vel sui perpetuitatem, vel destructionem. Respondeo eam, vel non visuram decreta omni modo, quo possunt affirmari, & videri juxta *n. 96.* vel visuram modo explicato *n. 99.*

105 Respondeo & *assero* nonò: Si possibilis est in intellectione, & visione creata, modus imitans Divinam intuitionem & sine affirmatione de præterito, præsenti, & futuro, perfectissimè æquivalens nostræ affirmationi de præterito, præsenti, & futuro, nempe quo sine ulla compositione invariabiliter, & uno simplici intuitu, vel in se, vel in Verbo videat res omnes pro suâ quamque differentiâ temporis, talis censeri debet visio, quam Christo tribuimus circa veritates contingentes. Ratio est perspicua: quia talis modus intuendi, quò magis est similis Divino, magis conformis est habenti dignitatem Divinitatis.

106 Sed quid de possibilitate conditionis? Respondeo eã adstrui ab Augustino *lib. 15. de Trinit. cap. 16.* ubi de statu Beatifico loquens ait: *Fortassis volubiles non erunt cogitationes nostræ, ab aliis in alias euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Id quod *lib. 12. Confess. cap 13* omninò repetit, & asseveranter affirmat. Deinde, quia hic modus complexionis, & compositionis totus oritur ex naturali imperfectione nostrâ: non est ergo cur erutus intellectus ex his tenebris in illã lucẽ non videat sine ulla volubilitate tẽdentię rerum volubiles vicissitudines. Adde id omninò significari per nomen visionis, & intuitionis: non est ergo cur iste modus appareat intellectioni creatæ repugnans.

S. Augustin.

107 Respondeo, & *assero* decimò, juxta doctrinam *num. præced.* & præjactas suprà *nu.* 82. posse dici, & debere Christi animam videre omnia in Verbo tanquam in speculo sive per visionem eandem, quæ nempe videat Deum, & in ipso tanquam in medio omnia posibilia, & tanquam in speculo viso omnia decreta, & in ipsis futura: vel per duplicem visionem, quarum altera, quæ sit primaria, videat omnia necessaria, & altera, quæ ex prima sequatur, & secundaria sit, videat omnia contingentia: nisi ubi sit specialis repugnantia, ratione libertatis actuum ab hac, vel illa visione procedentium. Ratio est, quia nulla est contra hujusmodi doctrinam specialis difficultas, quæ victa non sit: & alioqui est maximè decens statum Animæ Verbo unitæ; magisque conformis communi Theologiæ, quæ asserit ex PP. & ex Senonensi, quæ Beati vident, videre eos ipsa in speculo Divinitatis, intuitu, quantum potest simplici, & nostras communes intelligendi imperfectiones prætervecto.

§. VI.

ALIÆ DIFFICVLTATES.

108 SExta difficultas: an Christi anima videat in verbo futura conditionata contingentia, per scientiam Beatam: scilicet, omnia, quæ Deus scit per Admirabilem suam Scientiam mediam. Vidisse aliqua, certum mihi est *ex Matth. 11.* Tùm quia ea scientia requiritur in Christo ad obeundum, & sustinendum perfectè munus supremi Iudicis, & Mediatoris. Respondeo, & *assero*, vidisse etiam omnia. Tùm quia id maximè consonũ est præjactis doctrinis. Tùm quia id exigit Dignitas Christi, potentis sic proximè inter omnia plenius eligere per quæ vellet, interpositis precibus, favere hominibus, & Angelis, quorum est Caput supremum. Alia possunt ex dictis colligi.

Matth. 11.

109 Septima difficultas: an Christi anima per scientiam Beatam, seu in Verbo cõprehensivè videat omnia objecta creata, quę tangit? nam Increata non comprehendere, nec posse patet *ex nu 42.* Respondeo, & *assero*, comprehensivè videre. Ratio mihi est facilis juxta præjacta principia: quia ea vidit modo sublimissimo, atque adeò, quantum, & magis quàm sui meritò cognoscibilia sunt. Adde comprehensionem rerum entitatis finitæ, quantumvis infinitæ sint numero, cadere posse intra limites scientiæ finitæ; nõ est ergo cur neganda sit Christo. Nec in hoc est specialis difficultas nisi orta ex diversis principiis explicandi naturam Comprehensionis, quæ nos negamus.

110 Octava difficultas. An in Christo pro scientiâ Beatâ sit assignandum speciale lumen gloriæ? Ratio dubitandi est, quia videtur omninò ociosum: & in Christo constitui satis apparenter, & probabiliter potest in ipsa Vnione, & Omnipotẽtia, dicẽdo, quòd sicut nos dicimur eleva. i posse extrinsecè ad supernaturaliter operandũ per assistentiam specialem Omnipotentiæ: sic dici posset ipsa Vnio Hypostatica specialis applicatio passiva Omnipotentiæ, & quidem intrinseca ad roborandum intellectum, & animam Christi. Et ratio congruentiæ esse posset, primò, sublimitas visionis producendę. Secundò, exigentia, quâ ipsa Vnio inclinat in Beatificam visionem: quæ unio, cùm secum Animæ adferat ipsam Omnipotentiam, quæ luminis, & speciei vices gerat, non est cur lumen emendicet ab accidenti. Discursus videbitur alicui fortè satis probabilis, & apparens.

111 Nihilominus respondeo, & *assero* assignandum in Christo accidentale lumen gloriæ. Dat rationem Aldretus *disp. 65 sect. 1.* quia lumen non solum requiritur ad productionem, sed etiam ad receptionem visionis: requiritur enim tanquam vitale principium, ne in actu sic formalitas vitalitatis, quæ in principio proportionato non resplẽdeat. Hæc tamen ratio, valde dubia est, & Theologiæ parum communis. Ratio ergo mihi est. Tùm similitudo nostri cum Christo in his quæ concernunt ad Gratiam, & principia Gloriæ. Tùm quia aliter facilè, imò eodem omninò fundamento negari possent in Christo virtutes infusæ contra communem Theologiam.

Aldretus.

112 Inferes ex hucusque discussis, Christi animam vidisse per scientiam Beatam, seu

Summa Doctrina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Verbo omnia, quæ videt Deus per suam illam triplicem scientiam, nempe simplicis Intelligentiæ, Mediam, & Visionis. *Dices*, hâc propositionem damnari in *Directorio* Inquisitorum Eymerici 2.p.q 11 pro quodam Arnaldo de Villanova Medico Tarraconensi: qui eam docebat sic: *Quam citò anima Christi fuit unita Divinitati; statim ipsa anima scivit omnia, quæ Deitas scit.* Sic arguit, & censurat Cabrera 3 *par. quæst.* 10. *art.* 2. *disp.* 3. *concluſ.* 2.

Arnaldi error qualis repræsentetur?

Cabrera.

113 Respondet Delugo *disp.* 20. *sect.* 2. *nu* 46. eam damnationem factam ab Inquisitoribus Tarracone, Pontifice inconsulto; nec eandem confirmatam ab ullo Pontifice, aut Concilio ut in eodē Directorio notatur. Respondeo secundò: Arnaldum damnatū ob rationem datam dictæ propositionis, & principia omninò erronea, quæ ex schola medica transferre voluit in Theologiam, malus Medicus, & pejor Theologus. Sic enim proponitur error in Directorio: *Secundus error: quòd quâ citò anima Christi fuit unita Divinitati, statim ipsa anima scivit omnia, quæ Deitas scit; quia alias*, ut dicebat, *non fuisset cum ea una Persona*: præcipuè quia scire est circunstantia ad suppositum individuale, & non ad naturam. Vide ergo cur damnetur, nempe, quòd dixerit non posse Naturam creatam uniri Hypostaticè Verbo Dei, nisi haberet tantam scientiam, quantam Deus. Quare primus Arnaldi error fuerat, Humanitatem assumptam, eò ipsò manifestè æqualem Deo, tamque altam, quantum Deitas est, tamque potentem. Ex quo patet nimis excelsisse Cabreram in censura. Et hæc de *Beata scientia* Christi Domini.

Qualis fuit Card. Delug.

SECTIO III.

DE SCIENTIA INFVSA ANIMÆ Christi Domini.

114 Dupliciter dicitur Scientia Infusa. *Per se*: *per accidens*: hæc, quæ proprio marte potest acquiri, & tamen præternaturaliter, & citra laborem infunditur. Illa, quæ proprio marte non potest acquiri: & est adhuc duplex. *Prima* potest dici infusa per se, *secundum quid*: & est entitate naturalis, quam nempe exercet Anima separata independenter à phantasmatibus. *Secunda* est Infusa per se *simpliciter*. De hac nunc quæstio: de aliis, pòst. Describi potest: *Scientia simpliciter superna, habens pro objecto formali veritates à Deo distinctas.* Vnde nec est tam perfecta, quàm Beata; & est perfectior, quàm ulla alia scientia. Infusa dicitur, sumpto pro significandâ specie nomine Generis; licet Beata scientia sit etiam simpliciter infusa per se: quia Beata jam habet speciale nomen. Controversia de hujusmodi scientia, *quinque*, postulat, ut explicentur: Ejus Existentia: Objecta: Principia: Vsus: Proprietates. Quæ singula, subjectis quibusdam difficultatibus, suo singula ordine decidentur.

§ I.

SCIENTIÆ INFVSÆ IN CHRISTO certitudo, & perfectio.

115 Prima difficultas: an ultra scientiam Beatam fuerit in Christo scientia supernaturalis, & per se infusa? & ex quo tempore? Negasse videntur Alexander, Almainus, Richardus, Durandus, Bonaventura: quos à censura liberat Doctor Eximius *disp.* 25. *sect.* 3. *fin.* Respondeo cum *communi* Theologia, *& assero* fuisse: & quidem ab Instanti conceptionis, saltem habitu. Ratio prioris partis est. Primò ex scriptura, ubi dicitur in Christo fuisse omnes *Thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei*: & fuisse *plenum Gratiæ, & Veritatis*: quæ plenitudo planè significat fuisse in Christo omne scientiæ genus homini possibile.

Alexand. Almain. Ricard. Durand. Bonavent. P. Suarez.

116 Secundò; quia Christo Domino negari non potest ex generali regula perfectio statui suo conformis, nisi sit impossibilis: nam habet jus ad omnem perfectionem sibi possibilem, statui suo conformem: atqui Infusa scientia supernaturalis ultra Beatam est perfectio possibilis, & statui Christi conformis: Tùm quia ea scientia est conformis statui Viatoris, in quo fuit Christus, loco supernaturalis fidei, quæ nobis est in statu viæ. Tùm etiam: quia est scientia, quâ nec Beati in Cœlo carent. Tùm insuper: quia est omninò diversa, nam Beata aliter tendit, & alio nititur objecto formali. Tùm præterea: quia decet ut Christi Anima res creatas videat quantùm sunt cognoscibiles, atque adeò in se ipsis: quod est munus Infusæ. Tùm demū: quia ea scientia est Christo necessaria, tàm ut de ipsa loqui cum Angelis possit, & eam docere sine recursu ad decreta Dei; quàm, ne sit Persona minor Christo, qui scientiam superni ordinis habeat, quales Angeli sunt; qua

quâ tamen ipse careat. Ex quo patet vanum esse timorem superfluitatis hujus scientiæ in Christo, suppositâ Visione: quo unicè deterriti sunt Authores citati.

117 Tertiò: quia in Christo nō solùm est virtus voluntatis, quâ possit amare Deum, & omnia propter Deum, sed aliæ, quibus speciales honestates amplecti propter se possit: ergo non solùm est virtus intellectualis, quâ videat Deum, & omnia in Deo, sed quâ videre possit speciales veritates in seipsis: & hæc est infusa per se. Quartò: quia fortè est Christo necessaria in supplementum visionis, si nempe visio non videat formaliter in Verbo omnia, ut probabile est: imò in comprincipium multorum actuum liberorum, juxta doctrinas *supra* innuatas.

Sect. præced nu. 85. & 86.

118 Ratio secundæ partis est, primò: quia ab instanti conceptionis fuit in Christo jus ad hanc scientiā, & ab ipso instanti militant omnes ferè rationes, quas pro ejus existentia protulimus. Secūdò: quia eę perfectiones, ad quas habet ratione Divinitatis unitæ, jus, & dignitatem, negari non possunt Christo ab instanti conceptionis, nisi earum privatio, accedente Christi ipsius beneplacito, sumatur in exemplum, & exercitium utilitatis nostræ: atqui talis privatio potiùs noceret utilitati nostræ, cùm ea scientia sit de congruenti statu Doctoris, & Magistri, cujus munus in Christo nobis est utilissimum: ergo. Dixi *saltem habitu*: nam de usu, & actu dicemus *infrà*,

Infrà à nu. 180.

119 Dices primò, superfluit scientia ex motivis minùs perfectis, quando jàm supponitur earundem rerum scientia ex motivo perfectissimo: qualis est Beata, quâ Christus videt Deum, & omnia in Deo. Secundò: Christi anima per accessum scientiæ infusæ supra Beatam neque cognoscit plura, neque meliùs, quàm per solam Beatam: ad quid ergo talis accessus? Tertiò: Vires animæ sunt limitatæ, adeò, ut impensâ virtute in effectus unius generis, minùs sufficiant ad effectus alterius generis, iuxta vulgatum illud: pluribus intentus minor est ad singula sensus: ergo multiplicatio scientiarum in Christo solùm faciet, ut neutra sit in suo genere perfecta.

120 Respondetur. Ad primum, omisso quòd Beata Visio se extendat æquè ac Infusa Scientia (id quod negant multi) dicatur, tunc, in casu scientiæ perfectioris, superfluere imperfectiorem, quando ambæ solùm differunt in intensione, non verò quando differunt quoad objecta formalia: ita ut sit in minùs perfecta specialis aliqua perfectio, quæ in perfectiori non lucet: ita autem se habent Beata Scientia, & Infusa.

121 Ad secundum, etiam omisso, quod assumitur, dicatur, quòd licèt per scientiam Infusam non potuerit Anima Christi cognoscere melius objecta, quæ videbat in Verbo per Beatā; poterat tamen videre per fectione speciali, & specificā, quæ formaliter non erat in actu scientiæ Beatæ. Vnde per scientiam infusam, licèt non augeatur status sciendi intensivè, augetur extensivè: dandusque est Christo cumulus perfectionis in omni genere maximus.

122 Ad tertium dicatur, tunc Animam impensà virtute in effectum unius generis, minùs sufficere ad alterius generis effectus, cùm circa genus utrumque debet impendere eadem formaliter vires, eandem activitatem, & continentiam perfectionis. Ideò pluribus intentus minor est ad singula sensus: quia potentiæ sensitivæ impendunt in suos actus eadem Spirituum Vitalium vires. At si Anima vires formaliter diversas applicet ad effectum unius generis, ab his quas in alterius generis impendit, tam abest, ut ex attentione in unum fiat minor ad alterum, ut potiùs juvetur. Ideò ex apprehensione juvatur ad judicium: ex præmissis, ad illationem: ex simplici complacentiā ad amorem efficacem. Inter autem nostra sic evenit: Nam in Anima vis cognoscitiva Creaturarum in Deo, & Dei in se diversa formaliter est à vi cognoscitiva Dei in creaturis, & hatum in se: diversisque principiis utitur.

123 Secunda difficultas: quo perfectionis gradu fuerit in Christo supernaturalis hæc scientia? Respondeo, & *assero*, discurrendum in hoc juxta regulas disputando de *Gratiâ Christi* præstitutas: quas frustra repeteremus. Vnde fiet ad minus, eam in Christo constituendam gradu ita perfecto, ut omnes, & singulas, quæ sui generis sunt in Angelis, excedat: Imò ut de potentiâ ordinariâ perfectior saltem, non possit infundi. Vide principia, unde hæc descendunt *loco citato*. Et hæc circa existentiam scientiæ per se infusæ in Christo. Pergo ad objecta.

Suprà disp. 1. n. 170.

(***)

§. I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. II.

OBIECTA SCIENTIÆ INFVSÆ.

124 TErtia difficultas: quodnam, & quotuplex fuerit Objectum scientiæ per se infusæ Christi Domini. Variant in resolutione Doctores: ut de objecto Beatæ vidimus. *Limitat* tamen specialiter Schotus excludens ab objecto infusæ sensibilia: quia ejusdem objecti nequeunt esse species intelligibiles diversæ. *Limitat* specialius Delugo excludens ab objecto infusæ ea objecta naturalia, quæ neque Divino Magisterio solemus discere; & æquè benè ac perfectè per naturales vires assequi possumus: quia alioquin non est cur admittatur in Christo scientia naturalis eorum: vel simul haberet scientiæ infusæ actum, & actum scientiæ naturalis circa idem objectum, solo discrimine supernaturalitatis, & naturalitatis: quod est contra experientiam, & rectam Philosophiam; imò & contra ipsam Theologiam, negantem, quòd dum elicimus actum supernum, non elicimus simul actum naturalem ejusdem tendentiæ circa idem objectum: uti & nos contra Ripaldam asseruimus *disputando de Auxiliis.*

Schotus.

Delug.

Latè Nos contra Ripaldam, tom. in 1. p. Tract. 3.

125 Uterque tamen fallitur. *Schotus*: quia negamus assumptum: possunt enim ejusdem objecti dari species intelligibiles specie diversæ, eo quòd altera contineat cognitiones objecti prout in se, & independentis à Phantasmatis: altera contineat unicè cognitiones ejusdem objecti, prout in Phantasmate apparentis. *Delugo*: quia negamus ex parte suppositum: semper enim meliùs per scientiam supernaturalem cognoscitur objectum, quàm per naturalem. Deinde: quia vitatur absurdum, dicendo non concurrere in Christo eos tam similes tendentiæ actus, sed ipsum pro libito usurum fuisse quo vellet.

126 Respondeo igitur, & *assero*, Objectum scientiæ infusæ, quam Christo concedimus, fuisse omnia supernaturalia, & naturalia: tam possibilia, quàm actualia, & futura, atque adeò omnia quæ Deus scit per triplicem suam scientiam, Intelligentiæ, Mediam, & Visionis: cum hoc tamen discrimine: quòd objecta extra Deum, cognoscit immediatè, & in se ipsis per species proprias: Divina tamen mediatè, & in alio. Ratio primæ partis de objecti universalitate est: quia ea universalitas cadit intra sphæram scientiæ finitæ, & decet dignitatem Christi, cui ex solo titulo impossibilitatis negari potest. Vide quæ *latè* rem in hanc *sect. preced.*

Sect. præc. à num. 60.

127 Confirmatur: quia sicut pertinet ad Dei perfectionem videre comprehensivè se ipsum, & in se omnia; & omnia videre in se ipsis, & se in illis; ita decet Christi dignitatem aliqualis imitatio: ut nempè Deum videat, & in ipso, quantùm possit, omnia; & omnia in se ipsis, inque illis, quantùm possit, Deum: id autem haberi non potest sine scientia infusâ tam universali. *Dices*: & unde species pro futuris, maximè parè conditionatis? *Dico*, à Deo: unde, & alias habet. Quare audiendi non sunt Ragusa, & Hurtadus, qui negant Creaturæ possibilem cognitionem futurorum in se ipsis. Videatur Aldrete *disp. 66. sect. 4.* Ratio secundæ partis de discrimine, est, discrimen supra descriptum scientiæ per se infusæ à Beatâ Scientiâ. Pro majori tamè claritate circa objectum infusæ scientiæ sit

Ragusa. Hurtadus. Aldrete.

128. Quarta difficultas: An in Christo sit distinguenda duplex infusa scientia, seu duplex portio: supernaturalis, altera, pro supernis objectis: altera, pro Naturalibus naturalis? Affirmare videntur aliqui secuti Schotum, & Durandum. Primò: quia pro naturalibus sufficit scientia similis illi, quam habet Anima separata: ea autem entitativè naturalis est. Alioquin si scientia supernaturalis extendatur ad objecta naturalia, non est cur Christo detur scientia Naturalis. Secundò: quia Scientiæ differunt ex objecto: sicut & virtutes ex fine: non est ergo unde differrent scientiæ illæ, supernaturalis, & naturalis, circa objectum omninò naturale. Tertiò: quia si scientia infusa habet pro objecto formali veritatem creatam quam attingit in se: ergo si scientia supernaturalis infusa attingeret objecta naturalia, eòipsò niteretur objecto naturali; sed hoc est, non minùs impossibile, quàm quòd scientia naturalis nitatur objecto supernaturali. Quartò: quia si circa idem objectum possunt in intellectu esse duæ cognitiones tendentiæ similis: altera supernaturalis, naturalis altera: cur similiter in voluntate non sint duo affectus tendentiæ similis, alter naturalis, supernus alter? Id autem est contra ipsam experientiam.

Schotus. Durand.

129 Hæc tamen debilia sunt. Ad primum, dico, multò perfectiorem esse scientiam

tiam supernam illâ, quam habet de eisdem objectis connaturalem Anima separata: unde non se impediunt mutuò. Adde, si quod est inconveniens in concursu duorum actuum circa idem objectum, facilè vitari dicendo, stare in manu Christi hunc vel illum actum habere. At sicut non est inconveniens quòd eadem Anima simul percipiat idem objectum, modo triplici, nempè sensu, phantasiâ, & intellectu: ita non, est ipsâ idem omninò objectum multipliciter percipere, dummodò detur inæqualitas aliqua inter ipsos modos percipiendi.

130 Ad secundum dici potest imprimis non solùm differre scientias ex objecto, sed & ex modo tendendi, & ex parte principii: quo duplici ex capite venire potest in scientiam supernaturalitas, quæ hauriri ex objecto formali non potest. Vnde, ex titulo supernaturalitatis, non est, cur timeatur. Deinde licèt scientiæ differant ex objecto, id ita est intelligendum, ut differant ex objecto, quatenus subest huic, aut illi scientiæ: sic autem objectum involvit jam relationem ad scientiam, & modum specialem, quo tangitur ab istâ potiùs quàm ab illâ: sic intelligo actus intellectûs tendere in objectum sub ratione veri, id est: quia tendit modo speciali enuntiativo, qui veritatem constituit eòipsò quòd objectum sit ipsi conforme. Vide Patrem Aldrete *disp. 66. sect. 2. num 6.*

P. Aldret.

131 Ad tertium, quicquid sit an actus naturalis possit attingere objectum formale supernum (quod communiter censetur probabilius, & videtur evidens, tùm in actu Rustici assentientis propter existimatam revelationem Dei, & in actu Hæretici, quo tendit in Divinam revelationem, & in aliis actibus) tamen negari non potest quòd actus supernaturalis possit attingere objectum formale naturale, quod patet in visione Dei, ut Authoris naturæ. Ad quartum dico, quòd vel cum actu supernaturalis scientiæ non concurret alius actus scientiæ naturalis pari tendentiâ: vel si concurrat, affectus exinde sequutus erit solummodò supernus ex doctrinâ quam contra Ripaldam expendi *disputando de auxiliis.*

Ripalda Vbi suprà.

132 Respondeo igitur, *& assero* intra sphæram ejusdem scientiæ infusæ supernaturalis cadere etiam objecta naturalia: unde nulla est pro distinctione, & differentia ordinis inter objecta, ponenda ordinis differentia in scientiâ infusâ. Ratio est: Quia possibilis est scientia supernaturalis infusa, quę nō solùm objecta supernaturalia videat, sed etiam naturalia: & hujusmodi fuisse quam in Christo concedimus, est omninò congruum, & decens: ergo necessarium. Antecedens quoad primam partem ostenditur primò à pari: nam in nobis eadem Fides infusa extendit se ad superna æquè ac ad naturalia. Diximus autem suprà, scientiam infusam esse in Christo loco Fidei nostræ pro statu viæ. Secundò etiam à pari: Nam Divina scientia, quantumvis excellentissima, naturalia tangit in se ipsis.

133 Tertiò à priori: quia ea scientia, licèt objectum naturale attingat, habet aliundè viam, quâ supernaturalis evadat, sive ex modo tendendi, sive ex parte principii, sive ratione aliorum objectorum supernaturalium. Quartò, & etiam à priori: quia lumen ordinis superioris, non solùm habet in sphæra sui objecti res superioris ordinis, sed etiam inferioris: quò enim superius est, eò est universalius: ut patet in omni genere virtutis, & causæ: Quæ enim potest, & continet majus, non est cur nequeat minus.

134 Iam quoad secundam partem exinde patet antecedens: quòd si circa naturalia Christus non haberet scientiam supernam sed similem illi quam habet Anima separata, perfectiorem de illis haberet scientiam Angelus quàm Christus: quod ego absurdum reputo, & indecens.

§. III.

AN ETIAM TRINITAS

135 QVinta difficultas: quousque Christi Anima per scientiam infusam Deum scivetit? An saltem, ut Trinum? an etiam quidditativè? *Sunt* qui asserant Deum non posse evidenter attingi quidditativè, quin videatur in se. Sic multi secuti Doctorem Eximium. *Sunt* qui Trinitatem negent evidenter posse cognosci in ullo effectu creato, quamvis ipse sit aut Visio Beatifica, aut actus Fidei, aut Hypostatica Vnio. Sic Quirós *tractatu de Trinitate disp. 25. sect. 4. & 5.* *Sunt* qui putent Trinitatem attingi posse evidenter in omni, & qualibet creatura comprehensivè cogitâ per Scientiam infusam. Sic aliqui Moderni. *Sunt* qui putent in aliquibus effectibus attingi evidenter posse, non in omnibus: sic opinio communis. Quinam autem sint hi effectus, non convenit

P. Suarez.

P. Quirós.

Moderni communis Opinio.

apud

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud omnes. Moneo, cū de objecto scientiæ infusæ cōtradistinctæ à visione loquamur, loqui nos de cognitione Dei, non intuitivâ, sed abstractivâ; non immediatâ, sed mediatâ, non in se, sed in alio.

136 Respondeo & *assero* primò, per scientiam infusam cognosci evidenter abstractivè Deum in omni effectu creato, & specialiter in aliquibus puta, in Revelatione de ipso, in Beatifica Visione. Vtraque pars est communis: & prima ostenditur: quia omnis effectus creatus non potest non ducere in Deum, si comprehensivè cognoscatur: nam est essentialis participatio Dei, connexio cum ejus existentia, & pendens ab ejus Omnipotentia. Secunda pars ostenditur: quia sunt aliqui effectus creati, (puta quos dixi, & alios similes) qui ex speciali Titulo sunt clarissima imago Divinitatis: non ergo potest in ipsis non cognosci evidenter Deus.

137 Dices: Qui videt Beatificam Visionem, eoipso videt Deum tam clarè, ac qui visionem habet, imò videt Deum in se, & quidditativè: ergo beatur: ergo actus quo Deus videtur in visione tanquam in medio, non est scientiæ Infusæ, sed Beatæ. Nego primam, & secundam partem assumpti: quia licèt videns visionem Beatificam clarè percipiat, quicquid visio Beatifica refert, & enuntiat de Deo; tamen non scit Deum nisi quasi ex relatione, & ex auditu; diversissimum autem est rem scire ex visu, & eam solùm scire ex auditu: tantum ergo differt visio Dei mediata ab immediata, quantùm visio ab auditu differt. Deus autem non beat nisi experimentaliter & formaliter visus in seipso.

138 An verò ea cognitio sit *quidditativa*, pendet ab ea quæstione: an possit dari cognitio *quidditativa* Dei, quæ *intuitiva nō sit*? Et negat communis opinio cum Suarez quia de quidditate Dei est ipsa existentia: non ergo potest videri Deus quidditativè, quin eo ipso videatur ut existens, & præsens, quod est intuitivè videri. Schotus tamē affirmat cū nonnullis Authoribus. Lis est denomine. Certè si cognitio quidditativa sit, quæ terminatur ad rem prout est in se, & independenter à medio, patet omnem cognitionem quidditativam forè intuitivam. Placet tamen P. Martinon hîc *disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 40. qui dicit ad intuitionem, seu visionem requiri, quòd sit cognitio experimentalis rei in seipsâ formaliter, & immediatè perceptæ secundùm existentiam actualem, & præsentiam ejus, ad eum modum, quo lux, & color ab oculo corporeo percipiuntur. Et *in hoc sensu* dici potest, dari cognitionem quidditativam, id est adæquatam, propriam, & germanam objecti in alio tanquam in medio, quæ proinde non sit intuitiva: talemque posse haberi de Deo Vno, & Trino per scientiam infusam Christi Domini.

P. Suarez.

Schotus.

Martinon.

139 Respondeo, & *assero* secundò: Christi Animam per scientiam infusam non potuisse Trinitatem evidenter assequi in quovis effectu creato, quantumvis is comprehensivè cognito. Ratio est: quia quantumvis res comprehensivè videatur, nequit in ipsâ videri id cujus ipsa non est cognoscibilitas: id est, quod ita non appareat in ipsâ revisâ, ut hæc sit in intellectu loco speciei determinantis ad cognitionem alterius; atqui res creatæ non sunt cognoscibilitas Mysterii Trinitatis, nec in ipsis apparet Trinitas; imò nisi ex speciali prædicato eam explicent, potiùs habent ordinem essendi omninò inversum Mysterio Trinitatis: ergo in ipsis etiam comprehensivè cognitis videri Trinitas, nequit.

140 Confirmatur: quia Res creatæ secundùm se, se habet in ordine ad Deum, ut effectus ad causam; atqui ex effectu quantumvis comprehensivè cognito nequit evidenter cognosci perfectio tota causæ, nisi quatenus opus formaliter est ad continentiam ipsius effectûs: ergo. Nunc sic: sed Trinitas non est formaliter in Deo prædicatum ex continentiâ talis creaturæ arguibile: ergo neque videri potest in ipsâ creaturâ tanquā effectu, quamvis simpliciter comprehendatur.

Suprà lib. 1. disp. 3. sect. 3.

141 Confirmatur secundò, quantumvis comprehensivè videatur actus, quo tendo in Hominem ut Animal, nequit in ipso concipi homo, ut Rationalis: ergo quantumvis comprehendantur effectus Divinæ Omnipotentiæ, nequit concipi Trinitas. Ratio est: quia sicut ille actus non est imago Rationalitatis, sed hominis, ut solùm differt à non animalibus: ita creaturæ non sunt imago Trinitatis, sed Dei ut contradistincti à non Deo: in quo conceptu non involvitur Trinitas. Pendent hæc maximè ex Doctrinâ quam dedi *lib.* 1. *disp.* 3. *sect.* 3.

142 Dices: comprehenso homine, comprehenditur, & exprimitur vis, quam habet ad Visionem Beatificam Trinitatis: ergo non potest non sequi evidentia abstractiva Trinitatis. Confirmatur universaliter. Omnis Creatura ita pendet à Deo, & ita connectitur cum Trinitate, ut deficiente Trinitate, deficeret: deficeret enim Omnipotentia: quâ saltem deficiente necesse est deficiat omnis effectus: ergo saltem vi hujus mediatæ connexionis videri potest in qualibet creaturâ Trinitas, si per supernaturale lumen res comprehendatur: nam hæc veritas sciri potest per lumen saltem supernaturale.

Aldrete.

143 Ob id Aldrete *disp.* 66. *sect.* 3. *nu.* 11. judicat per supernaturalem rerum creaturarum comprehensionem, videndam abstractivè Trinitatem, licèt non per comprehensionem naturalem: quia hæc veritas excedit naturale lumen. Verùm id vel est negare comprehensionem naturalem possibilem, vel inconsequenter dicitur.

144 Respondeo igitur, negando antecedens: in obedientiali enim potentiâ, quantumvis comprehensâ, nequit cognosci terminus potentiæ obedientialis: rationem dedi *alibi*: nempe quia termini supernaturales nō possunt videri nisi colore, quo repræsentātur in medio, scilicèt naturalitatis: hic enim est color, quo terminos suos potentia naturalis supervestit, & sub quo exprimit intellectui.

Lib. 1. disp. 3. nu. 190.

Ad confirmationem, concesso antecedente, quod negat Lugo videndus *disp.* 20. *sect.* 3. *nu.* 46. nego consequentiam: quia illa veritas solùm exprimitur physicè, quantùm sufficit ad assensum, in ipso Deo, non verò in creatura: id quod *alibi* dixi, dari connexiones purè physicas & materiales, quæ quoad inferendum assensum sunt quasi non essent; & connexiones perceptibilitatis: quibus benè penetratis non potest non percipi terminus.

Card. Lug.

Suprà loc. cit.

145 Respondeo & *assero* tertiò: Christi animam per scientiam infusam abstractivè evidenter cognoscere Trinitatem in aliquibus effectibus creatis: puta Actum Fidei nostrum de hoc Mysterio, Revelationem nobis, vel ipsi Christo factam, Visionem Beatificam, & Vnionem hypostaticam. Ratio est: quia hi effectus talem habent cum Trinitate connexionem ratione sui, & formaliter, ut nequeant in se clarè videri, & comprehendi, quin eoipso cognoscatur Trinitas; atqui hos effectus clarè videt, & comprehendit Anima Christi per scientiam infusam: ergo cognoscit evidenter in ipsis Trinitatem. Minor est certa. Probatur major, ostendendo de singulis.

146 Imprimis, Actus Fidei noster de

Trinitate ex se ita exigit existentiam Trinitatis, quam alioqui obscurè repræsentat, ut seipso sit necessitas vel non existendi dum est, vel quòd existat Trinitas: id enim est, esse Verum, quod ab intrinseco & essentialiter habet: ergo nequit in se videri quin videatur veritas, & repugnātia falsitatis; atqui veritas & repugnantia falsitatis in actu dicente esse Trinitatem, est medium, quo cognito impossibile est, ut dubitetur de existentia Trinitatis: ergo nequit videri quòd actus sit verus in se, quin eoipso cognoscatur abstractivè evidenter Trinitas.

147 Dices: Actus Fidei est obscurus: ergo non potest esse medium evidentiæ Distinguo antecedens: est obscurus exercitè, & in esse speciei expressæ, concedo: signatè, & in esse speciei cognitæ, nego. Actus enim Fidei non est medium evidentiæ, ut præcipè repræsentatio est: quo genere habet obscuritatem respectu illius cui repræsentat; sed ut est repræsentatio vera: quo genere habet evidentem vim ducendi in existentiam objecti. Quare distingui aliter, & aptiùs posset: est obscurus, ut repræsentatio formalis est, concedo: ut repræsentatio objectiva est, nego.

148 Deinde, Visio Beatifica, & clara revelatio Dei (nam de obscurâ dicendum quod *nuper* de actu Fidei) sunt ita clara expressio, & imago Trinitatis, ut omninò cogant intellectum ad assensum illius: quæ enim potest esse major vis ad evidentiam objecti, quàm clarissima imago, seipsâ conformis, & repugnans non esse veram, atque conformem.

149 Dicit primò Quirós, qui in oppositum singularis omninò est, imaginem non ducere infallibiliter in evidentiam objecti, nisi de ipso antecedenter constet: si enim antè non noveris Petrum, nulla te ipsius imago ducet in cognitionem evidentem ipsius. Verùm id solummodò potest esse verùm in Imagine, quæ non sit imago essentialis, & quidditativa rei, connexaque ex modo repræsentandi cum identitate sui objecti cum ipso Deo: quales sunt imagines extrinsecæ: at de Imagine essentiali, & quidditativè repræsentante sui objecti identitatem cum ipso Deo, neque potest esse verosimile: talis autem est visio Dei.

P. Quirós.

150 Dicit secundò, transcurari eam vim & similitudinem ab evidentia naturali de opposito, quæ est ex terminis nota. Contra primò: quia potiùs illa quæ dicitur eviden-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia naturalis, convincitur apertè falsitatis, nec sinitur exercere vim ullam, non solùm evidentiæ, sed ne suasionis quidem in oppositum. Secundò: quia lumen superius est potentius inferiori: non ergo poterit lumen naturale quod est inferius, obscurare lumen Infusæ scientiæ, quod superius est.

Suprà lib. 1. disp. 2. & 4.

151 Demum: Unio Hypostatica, qualis à nobis constituta est *lib. 1. disp. 2. & 4.* necessariò terminatur intrinsecè ad Relationem Filii *prout talis*, & ad id omne quod est Filius; atque adeò ad Naturam Divinã, & ad Relationem Spiratoris: ergo comprehendi nequit, quin eoipsò Tota Trinitas evidenter cognoscatur. Consequentia patet: quippe necessariò debet in unione cognosci terminus, qui manet formaliter unitus, qui est ipse Filius, ut refertur ad Patrem, & ad Spiritum Sanctum in eadem Natura.

152 Addo duo. *Primum*: in ea unione etiam noscendã Trinitatem, licèt non terminaretur, nisi ad solam Relationem Filii, secundùm id quod dicit de Relativo: quia necessariò deberet agnosci Filius cum Respectu ad Patrem, & cum radicali fœcunditate Spiritûs Sancti. Ratio est: quia hæc unio comprehensa necessariò debet agnosci ut quidditativè distincta ab unionibus, quibus aût Pater uniretur, aut Spiritus Sanctus: ergo ut terminata ad Filium prout talem, atque adeò prout distinctum & relatum ad Patrem, & Spiritum Sanctum: quo fit satis

P. Suarez. Patri Suarez oppositum opinanti. *Alterum.*

Amicus. Oppositum esse omninò impossibile, contra Amicum, qui censet possibilem esse unionem ad Verbum, quâ comprehensa debeat cognosci Pater: non verò Spiritus Sanctus. Ratio sumitur tùm ex principiis nostris, tùm quia non potest non agnosci fœcunditas saltem radicalis.

Quirós. 153 Dices ex Quirós: Repugnantia Trinitatis est naturaliter evidēs ex terminis: evidentia autem ex terminis fortior est, quàm ut vinci possit ab evidentiâ, quæ non sit ex ipsis terminis. Distinguo majorem, naturaliter, id est, naturæ non adjutæ consortio luminis superioris, concedo, vel transeat: adjutæ consortio luminis superioris, nego: tunc enim videt esse omninò falsam, quam putabat evidentiam.

154 Dices secundo ex eodem: omnis creatura habet modũ essendi dissimile, & inversum Mysterio Trinitatis: ergo nequit esse via noscendi Trinitatem. Et fumus habet modum dissimilem igni: & accidens, substantiæ. Distinguo: formaliter, concedo: expressivè, vel arguitivè, vel connexivè, nego. Videatur Pater Herrera *de Trinit. quæst. 3. sect. 4. à nu. 70.* nam cætera contrarius nobis est à *nu. 61.* *Herrera.*

155 Sextâ difficultas: an comprehensâ quavis causâ creatâ cognoscat Anima Christi per scientiam infusam omnia individua, quæ oriri possunt à tali causâ? & an in potentiâ obedentiali per scientiam infusam comprehensâ, cognoscat evidenter supernaturales effectus? Incipio ab hoc: & Respondeo & *assero* primò, non videre. Ratio est quam insinuavi *supra*: nam potentia obedientialis, quantumvis comprehensa, non potest esse cognoscibilitas effectuũ, nisi prout continentur in ipsâ, id est prout conveniunt cum naturalibus. Veritas autem, & modus affirmandi causas naturales elevari posse ad supernos effectus, non potest haberi ex solâ comprehensione causæ naturalis. Vide doctrinam *lib. 1.* ferìò anticipatam, & explicatam *disp. 3. sect. 3.* *Ex lib. 1. disp. 3. sect. 3. nu. 190.*

156 Respondeo, & *assero* secundò: ne comprehensâ quidem causâ creatâ cognosci posse omnia individua, quæ ab ipsâ possint oriri: benè tamen species. Ratio secundæ partis est: quia nequit haberi comprehensio causæ, nisi vi cognitionis appareat quanta, & quàm perfecta est: continentia autem specierum auget causæ perfectionem. Ratio primæ est: quia extensio individuorum non auget perfectionem causæ: non ergo convincit comprehensio, quòd visâ comprehensivè causâ, debeant videri, aut cognosci omnia individua, cùm sine eorum particulari cognitione possit apparere perfectio causæ, quanta est, atque adeò comprehendi.

157 Nota, in his locutum me ex necessitate comprehensionis præcisè: an verò vi supercomprehensionis, qualem censeo scientiam infusam Christi, plus cognosci de causis, & in causis, probabile mihi est cum Patre Aldrete. Et jam ex objecto scientiæ infusæ retrogrediamur ad *causas, & principia.* *Aldrete.*

§. IV.

PRINCIPIA, ET SPECIES AD VSVM *Scientiæ infusæ.*

158 SEptima difficultas: an habitus scientiæ infusæ distinguatur ab speciebus impressis? Negant aliqui Moderni secuti Valentiam, & Vazquez hæ qui superfluos *Valentia.* *Vazquez.*

fluos putant habitus, cùm species omninò sufficiant. Respondeo cum communi sententiâ, pro quâ certè stant Sanctus Thomas, Bonaventura, & Suarez, omninò videndus *disp. 29. sect. 2.* & *assero*, distinguo. Prima ratio sit à Priori. Nam Habitus intellectualis supernus se habet in animâ in ordine ad cognitiones supernas, loco, & vice intellectualis virtutis, quam habet formaliter anima ab intellectu in ordine ad cognitiones naturales: sicut enim potentia intellectiva Animæ in ratione potentiæ præsupponitur completa, & proportionata per intellectum, ante accessum specierum in ordine ad objecta naturalia, sic similiter debet in ipsa supplari, & æquari in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscenda, excessus ille quem habet per intellectum in ordine ad naturalia; atque adeò debet proportionari, & compleri in ratione potentiæ intellectivæ. Nunc sic: Atqui virtus illa quâ proportionatur in ordine ad naturalia præcedit ad accessum specierum, & ab speciebus virtute distinguitur: ergo & virtus, quâ proportionatur in ordine ad supernaturalia præcedit ad accessum specierum, & ab earum virtute distinguitur: ergo habitus, quo proportionatur, distinguitur ab speciebus. *SS. Thom. Bonavent. P. Suarez.*

159 Quorum omnium ratio est: quia ad cognitionem non solùm requiritur concursus objecti, qui præstatur per speciem, sed etiam potentiæ, quæ hîc debet per habitum compleri. Confirmatur ex doctrinâ tradità *disputando de Auxiliis*, licèt cognitiones sint effectivæ affectuum, requiritur ad affectus supernos in voluntate aliquid ulterioris virtutis, quæ nempè faciat vicem supernaturalis voluntatis: ergo licèt species sint effectivæ, requiritur in intellectu aliquid ulterioris virtutis, quæ faciat vicem supernaturalis intellectûs. *Habes tom. in 1. p. tract. de Deo Aux.*

160 Dices primò: cur species impressa non sit bimunis, identificando in eadem qualitate duo illa munera, nempè complendi potentiam, & concurrendi ex parte objecti? Sic enim per pauciora fit quod nos per plura facimus. Contra tamen primò: quia Intellectus, & objectum sunt duæ causæ respectu cognitionis: ergo agunt diversâ virtute: res enim quæ eadem omninò virtute operantur, non sunt duo agentia, sed unũ, ut patet in Trinitate: sunt autem duo agentia valde diversa Objectum, & Anima: ergo non est rationi consonum, quòd virtus sit omninò communis. *Ex P. Bernal disp. 33. sect. 5.*

161 Contra secundò: quia potentia intellectiva præcedit ad determinationem objecti: habet enim esse ex se universaliter amplexivam objectorũ, cum indifferentia ad hoc vel ad illud, determinandà per speciem, aut concursum objecti: ergo virtus quæ præstat munus potentiæ intellectivæ habet ex se universalitatem, & independentiam à determinatione ad hoc vel illud objectum: ergo ex se habet non identificari cum virtute speciei. Sed habitus, seu virtus, quam præstat habitus animæ, se habet loco potentiæ intellectivæ: ergo habet ex se non posse identificari cum specie impressa.

162 Contra tertiò & specialiter, quia habitus scientiæ infusæ ad instar potentiæ, se extendit ad infinita objecta indeterminatè: ergo non identificat secum determinativum ad hoc, vel ad illud: qualis est species.

163 Dices secundò: lumen gloriæ indistinguitur ab specie impressa: & habitus intellectuales ab speciebus naturalibus: ergo & habitus & lumen infusum indistinguitur ab speciebus infusis. Nego consequentiam: quia fortè species scientiæ infusæ non sunt omnes supernaturales: & est habitus. Deinde antecedens quoad primam partem laborat suppositione omninò difficili, & à multis negata posibili. Deinde est magna disparitas: quia lumen est genus habitûs omninò determinati ad hoc objectum, atque adeò videtur identificare sibi munus speciei: at lumen scientiæ infusæ est potentia ad innumera objecta, egens proinde speciali determinativo ex parte objecti. *Ex Bernal & ex Esparza.* *Thomistæ, & ex Nostris Non pauci.*

164 Altera disparitas est: quia Deus in producendis speciebus se accomodat naturis rerum, quarum species infundit: res autem non sunt productivæ specierum bimunium, sed tantùm quæ loco objecti concurrant: at Deus est objectum continens non solùm virtutem speciei, sed luminis: unde nihil mirum, quòd utrumque connaturaliter identificet. *Instas:* Ipsorum habituum infusorum habet Christus speciem: ergo erit hæc saltem, species, & habitus: est enim ab objecto habente perfectionem habitûs. Dico, habitus, cum omninò præsentes sint, non egere mediâ specie. Deinde nulla potentia est alteriùs similis productiva. Demum illud antecedens quoad secundam partem est mihi omninò falsum: & est disparitas quia jam supponitur ex parte potentiæ complementum & perfectio proportionata causæ. *Nempè: ex nu. 163.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Supra disp. 1. à nu. 166

165 Secunda ratio sit à posteriori. Tùm quia Habitus intellectualis Fidei distinctus est ex communi Theologia ab speciebus credibilium, ut ostendi *disp. 1. à nu. 166.* ergo similiter habitus infusus de quo loquimur: Paritas est summa, & urgetur: quia sicut in nobis est habitus Fidei, ita in Christo loco Fidei pro statu viæ fuit habitus scientiæ infusæ. Tùm etiam quia in Voluntate habitus infusi sunt qualitates distinctæ à cognitionibus, & aliis, quæ loco, vel quasi loco objecti concurrunt, & excitant: ergo similiter habitus infusi in intellectu.

166 Dices: omnis qualitas expressiva objecti est species: sed omnis qualitas productiva cognitionum est qualitas expressiva objecti: ergo & species: sed omnis habitus intellectualis est qualitas expressiva objecti: ergo est species. Sic arguit universaliter Esparza *quæst. 12 de Deo* Sed dico, ad speciem, non sufficere virtutem connotativam formalis expressionis objecti, necesse simul qualitatem: (id enim videtur significare hic Author per qualitatem expressivam objecti) sed ulteriùs, ut sit qualitas instituta concurrere nomine objecti, & determinativa potentiæ in actu primo præsuppositæ cum sufficientibus viribus ad cognoscendum hoc vel illud objectum, ut explicuisse me jam *alibi* memini. Patet id in tententia distinguente potentias ab Anima.

P. Esparz.

Tract. de Aux.

167 Octava difficultas: an habitus scientiæ infusæ in Christo distinguatur etiam à lumine Gloriæ? Pater Suarez maximè inclinat ad negandum *disp. 20. sect. 4.* & planè negant Pater Lessius *de Summo Bono nu. 155. & 158* *Lundai* primò Suarez: quia lumen gloriæ est sufficiens ad videndum seipsum: ergo & alia. Distinguo antecedens: in Verbo, concedo: in seipso, & extra verbum, nego *Lundai* secundò: Virtus sufficiens ad videndum objectum tale per efficientiam, sufficit ad videndum objectum tale per participationem; sicut charitas, quæ licèt primò respiciat bonitatem increatam, versari etiã potest circa bonitatem creatam, ut est Increatæ participatio. Distinguo assumptum: si objectum tale per essentiam, & tale per participationem cõveniant sub eadem ratione formali, concedo: si pertineant ad rationes formales valde distantes, nego: objectum autem formale luminis gloriæ, & infusi luminis, usque adeò distant, ut illud sit Theologicum, & summum: hoc verò non sit Theologicum, sed prorsus infrà lineam Theologicæ Virtutis. *Arguit* Lessius tertiò magis est videre res in Deo, & Deũ; quàm videre res in seipsis. Dico, plus esse, sed longè diversum: sicut & plus est posse elicere actus charitatis, quàm spei; non tamen habitus Charitatis est habitus spei *Arguit* quartò: Incredibile est, quòd qui vident Deum, cæci sint ad res extra Deum. Dico, jam ipsas in Deo videre. Deinde, huic malo satis mederetur infusus habitus, qui connaturaliter sequeretur ad lumen gloriæ.

Suarez.

Lessius.

168 Respondeo & *assero*, distingui. Ratio prima est: diversitas summa formalium objectorum: nam lumen est per se virtus intellectualis Theologica: non ita lumen scientiæ infusæ: non autem est Theologis alia regula pro discriminãdis habitibus. *Dices*: ergo cùm ratio formalis scientiæ infusæ sit totuplex, quotuplex est objectum, & veritas eorum, necessariò erit ponendus multiplex. *Mox* de his. Nunc dico: imprimis majus esse discrimen inter objectum formale luminis Beatifici, & objectum scientiæ infusæ, quàm inter ipsa formalia objecta, quæ respicit scientia infusa. Deinde objecta formalia diversa creata non diversificare pro sui numero habitus intellectuales supernos, imò nec naturales, quando in objectis abitur in infinitum. Tunc enim pro infinitis ponendus est unus habitus ex repugnantia infiniti in actu. Ob id multi Prudentiam infusam, faciunt unum habitum.

Mox à nu. 170.

169 Altera ratio: quia lumen Gloriæ est habitus necessitans ad sui objecti cognitionem: non item habitus infusus: sed se habet, ut accidentalis, & habitualis dispositio ad cognoscendùm, quâ, sicut & habitibus potest uti, cùm velit, qui eum habet. Tertia ratio: quia id est magis conforme ordini virtutum affectivarum: Neque enim charitas, quæ est princeps, identificat sibi reliquas: idem ergo dicendum de ordine virtutum intellectualium, in quo princeps est lumen Gloriæ. Quarta ratio: quia non videtur rationi aut verosimile, quòd lumen Gloriæ sit institutum ad usum specierum missarum ab objectis extra Deum: talis autem est habitus scientiæ infusæ.

170 Nona difficultas: an habitus scientiæ infusæ in Christo fuerit simplex, aut multiplex? Variant multum Authores. Placent Suarez, & Bernal, quibus cum respondeo, & *assero*, simplicem. Probant aliqui ex simplicitate habitûs Fidei Theologicæ circa omnia objecta credibilia tam naturalia, quàm supernaturalia. Sed dicetur ea convenire sub unâ ratione formali, prout spectant ad habitum Fidei: quod de objectis scientiæ infusę dici nequit, cùm ea non conveniant sub unâ ratione formali, prout spectant ad hujusmodi scientiam. Ratio prima sit à posteriori: quia si pro diversitate objectorum, distinguendi sunt habitus partiales in scientiâ infusâ Christi; cùm illa infinita sint, necessariò fit dandos in Christo habitus numerò infinitos, quod est absurdum: si ergo finiti esse debent, quidni simplex ad omnia?

Suarez. Bernal.

171 Secunda: quia si ob aliquam rationem deberet esse multiplex habitus, esset, vel quia indistinguitur ab speciebus, & hoc est falsum: vel quia circa naturalia non videtur urgens ratio, ut asseratur habitus supernus; sed hæc ratio est nulla: Tùm quia ea est connexio donorum Gratiæ cum naturalibus, ut vix possint comprehendi illa, istis non cognitis: ergo congruum est, ut in eundem habitum cadant. Tùm etiam quia vis cognoscendi naturalia, quam Christo damus, debet esse superior eâ, quam vel anima separata naturaliter habet, vel Angelus etiam supremus: decet enim ut anima Christi excedat infinito penè discrimine in modo cognoscendi connaturali res in se ipsis, Vassallos, & sibi subditos: ergo debet esse superna: non est ergo cur non coëat in eundem habitum.

172 Tertia, & à priori: quia habitus scientiæ infusæ est per modum potentiæ intellectivæ, universalissimæ: id quod à pari cæterorum habituum infusorum intellectualium apparet valdè consonum: Potentiæ autem intellectivæ sunt pro infinitis objectis simplices. *Dices* ex Antonio Perez: cur distinguendus est habitus scientię infusę à Donis intellectualibus Spiritûs Sancti? Respondeo, quia nec video rationem, nec Theologos, qui hûc incliuent: Paricati autem quæ fieri in oppositum potest ex virtutibus moralibus infusis, patet ex *num. 168. & 169.*

P. Anton Perez.

173 Decima difficultas: an omnes species ad usum hujus scientiæ sint supernaturales? Respondeo, & *assero* primò: quæ sunt circa objecta supernaturalia, supernaturales esse. Ratio est: quia sunt imagines connaturales entium supernorum, eorumque semina, quæ per se non existunt nisi ex causâ supernaturali, quæ sit objectum, aut loco illius supernaturaliter operetur. Respondeo, & *assero* secundò cum Suarez, Aldrete, Delugo, Bernal *hic*, quibus accedit etiam Ripalda *disputat. 54.* etiam eas quæ sunt circa objecta naturalia, supernaturales esse. Id non est ita certum. Probari solet primò ex supernaturalitate habitûs, & actûs scientiæ infusæ circa objecta naturalia. Hæc ratio est insufficiens, à priori: quia supernaturalitas actûs, & habitûs non exigit necessariò speciem supernaturalem, cùm elevare possint naturalem, sicut & naturalem potentiam Animæ A pari: quia actus, & habitus Fidei sunt supernaturales: & tamen species, quibus utuntur, sunt naturales, ex communi, & ferè certâ Theologia apud Ripaldam *disp. citata*. Probari solet secundò: quia eæ species dandæ sunt Christo etiam circa naturalia, quæ sint perfectiores Angelicis. Hæc ratio etiam est insufficiens: quia aliunde possunt esse perfectiores.

Suarez. Aldrete. Delugo. Bernal. Ripalda Videndus.

174 Ratio ergo sit: quia illæ species debent esse conformes dignitati cognoscentis, atque adeò secundùm se potentes exprimere res ut futuras; imò tales, ut nulli cognoscenti creato deberi possint: ergo sunt supernaturales. Tùm etiam: quia talis constitui debet scientia infusa Christi, ut omni ex parte excellentissima sit: cur ergo non sit tantæ excellentiæ, ut exigat supernaturalitatem tam ex parte principii complentis potentiam, quàm ex parte principii loco objecti substituti? Et ratio est: quia sic connaturaliùs componitur excessus Christi Domini in ordine intelligendi per scientiam infusam.

175 Undecima difficultas: an species scientiæ infusæ in Christo fuerit simplex? A quo producatur? Et an abstractiva sit, vel intuitiva? Respondeo, & *assero* primò congruenter posse dici fuisse simplicem: connaturaliùs videri dicendum esse saltem *quadruplicem*; quarum *altera* sit omnium possibilium supernaturalium: *altera* omnium naturalium: *altera* omnium existentium, & futurorum supernaturalium; *altera* tandem omnium futurorum, & existentium naturalium.

176 Ratio primæ partis, pro quâ stat acerrimè Pater Bernal post Marsilium, est primò: quia sic vitatur processus in infinitum: si enim pro numero objectorum ponendæ divisim species essent, essent infinitæ: si ergo finitæ esse debent, quidni simplex, cùm alioqui possibilis sit? Secundò: quia sic melius salvatur illud principium apud Theologos commune, quòd species Christi sint perfectiores, & universaliores Angelicis:

Bernal. Marsilius.

Ter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertiò, quia Vniversalitas specierum debet sequi nobilitatem principii, cui debentur: ideò enim quo Angeli perfectiores sunt, ut untur speciebus magis universalibus: at dignitas, & nobilitas principii, cui dantur species, seu ratione cujus dantur, cùm sit Vnio, & unita Deitas, infinitè superat perfectionem Angelorum: ergo & species debet esse infinitè universalior: ergo. Quartò: quia sic modus intelligendi Christi magis imitatur, nempè quantum potest, amplitudinem Divini intellectûs, ejusque simplicitatem.

177 Ratio secundæ partis esse potest: quia per illum numerum specierum satis salvatur excessus Christi supra omnes intellectus purè creatos; & aliunde veritas illius principii, quòd nempe species nò gaudeant ea universalitate, quâ potentiæ gaudent, quas comitantur.

178 Respondeo & *assero* secundò, eas nò produci à Visione, *ut Marsilius voluit*, neque ab objectis, interventione intellectûs agentis, *ut voluit Schotus*, sed à solo Deo ad primariam exigentiam Vnionis. Ratio primæ partis est: quia Visio non continet in se esse naturale objectorum, quæ cognoscit: causa autem productiva speciei debet vel formaliter vel eminenter continere esse naturale, cujus speciem, vel semen producit. Dices: Visio, sicut & alii actus, producit speciem sui, & objectorum. Nego: & est discrimen inter Visionem, & alios actus: quòd isti, cùm facilè pereant, habent à natura indiram vim suppletivam sui producendo speciem: at visio, cùm sit ex naturâ suâ permanens, & semper actu exprimens suum objectum primarium, secundarium, & se, frustrà fingeretur cum vi sui suppletivâ. Ratio secundæ partis est: quia objecta plerumque non existunt: plerumque sunt improportionata. Ratio tertiæ partis est: quia nulla est alia causa ad quam conaturaliùs reducatur specierum hujusmodi productio.

Marsilius.

Schotus.

179 Respondeo & *assero* tertiò, eas esse intuitivas. Ratio contra Schotum est: quia species intuitiva, non requirit simpliciter quòd objectum sit præsens, sed quòd sit propria objecti, nempe tantæ perfectionis, ac si ab objecto proprio, & præsenti produceretur: atqui hujusmodi sunt tales species: ergo non sunt abstractivæ, sed intuitivæ. Minor patet: neque enim est verosimile productas à Deo cum minori perfectione, quam si à proprijs objectis producerentur. Major probatur, quia illa est cognitio intuitiva, seu species expressa intuitiva, quæ habetur per propriam objecti speciem, & per concursum objectivum ipsius objecti: ergo quia species propria objecti, tantæque perfectionis, ac si produceretur ab objecto præsenti, est intuitiva. Videatur super hæc Amicus *disp. 20. sect. 1.* Nos satis de Infusæ principiis. Descendamus ad usum illius.

Amicus.

§. V.

VSVS SCIENTIÆ INFVSÆ IN CHRISTO.

180 Dvodecima difficultas: An, & quousque fuerit Anima Christi in actu, & usu scientiæ Infusæ? Respondeo, & *assero* primò: Christi Animam potuisse pro libito esse in continuo, & in interrupto usu talis scientiæ, quoad omnia, & singula objecta. Patet: quia erant principia talis scientiæ sibi omninò subdita quoad usum. Respondeo, & *assero* secundò: potuisse id præstare continuò per simplicem actum circa omnia objecta. Patet: possibilitas *ex sect. præced.* Adde id esse valde conforme simplicitati habitûs, & specierum superiùs adstructæ.

181 Respondeo, & *assero* tertiò: fuisse saltem in usu talis scientiæ quoad omnia objecta in instanti conceptionis. Primò: quia certè decuit, ut aliquoties uteretur universaliter tali scientia, ut benè contendunt Marsilius, Vazquez, & Bernal, ne in linea viatoris dicatur habuisse ignorantiam rerum ad se spectantium: ac si aliquando decuit, maximè in ingressu Animæ ad principatum omnium. Secundò: quia in instanti Conceptionis debuit experiri ad gratiarum actionem omnia dona, quam ùm potuit. Respondeo, & *assero* quartò: valde verosimile est cũ Marsilio id præstitisse per actum omninò simplicem: quia non est ratio cur habitus non operaretur quantum perfectè potuit. An tamen fuerit semper Anima Christi in continuo usu talis scientiæ, vel quoad omnia objecta, ut potuit, vel saltem quoad aliqua, quod Suarez approbat, incertum res est.

Marsilius. *Vazquez.* *Bernal.* *Marsilius.* *P. Suarez.*

182 Tertiadecima difficultas: an in usu talis scientiæ pependerit ab usu phantasmatum, vel libere pendere potuerit? Respondeo cum communi Sententia, & *assero* contra Durandum non pependisse: & contra Thomistas, non potuisse. Ratio primæ partis est: primò: quia species hujus scientiæ sunt omninò

Durand. *Thomistæ contra Op. commun.*

nò independentes à corpore, & à sensu: ergo in usu earum non pendet anima Christi à phantasmate: *converti* enim *ad phantasmata*, & ab his pendere in intelligendo, est *uti speciebus dependentibus* à phantasmate, & exinde erutis. Secundò: explicando magis, quid sit uti conversione ad phantasmata in intelligendo: quod nihil est aliud, quam species intelligibiles, quibus completur intellectus ad intelligendum, connecti & erui à phantasmate, medio intellectu agente, quatenus non potest intellectus instrui specie intelligibili, non cooperante ad ipsius habitionem phantasia: unde neque potest speculari suũ objectum sine dependentia ab eo, quod Phantasia suo etiamphantasmate speculetur; id enim est, quod Philosophus dixit celebri illo axiomatè: *Oportet Intelligentem speculari phantasmata* Atqui species hujus scientiæ nullam habent connexionem cum phantasmate, utpote productæ, & infusæ indepẽdenter a sensibus, & organis Corporis.

Aristot.

Durand.

183 Dices ex Durando: Christus erat viator: Viatores autem intelligent dependenter à phantasmate. Exinde colligere potuit Durandus, (& fecit) Christum non potuisse uti scientia infusa, nisi adulta jam ætate. Et quidem potuisset inferre, non meruisse. Respondeo Christum non fuisse pure viatorem: sed comprehensorem, sensibusque supereminentem. Quidquod multi Viatores sine conversione ad phantasmata intelligunt: puta, in ecstasi, contemplatione altissima, & revelatione prophetica.

184 Ratio secundæ partis est: Primò: quia neque de absoluta potentia potuit reddi dependens à phantasmate sublimis hæc species scientiæ infusæ. *Dices*: ideò à te dici, quod potuerit uti conversione ad phantasmata, non propriè, sed impropriè: quatenus nempe potuit simul excitare phantasma circa illud objectum, quod intelligebat per scientiam infusam. Contra primò: quia comitari phantasiam operationem intellectus, nullam dicit pendentiam intellectûs operantis à phantasia: ergo neque impropriam cõversionem ad phantasmata. Secundò: quia ut fervetur aliqua ratio conversionis ad phantasmata, debet servari aliqua vis subserviendi ad intelligendum in phantasmate, ut multis exemplis firmari posset: sufficiat unum, quis dicat, pendere, adhuc impropriè, scientiam infusam ab intellectu naturaliter operante, quod Christus velit, quod operante se per scientiam infusam, pullulet in suâ mente cognitio naturalis ejusdem objecti.

185 Ratio est secundò: quia si hoc sufficeret, etiam Beati dici possent in usu scientiæ & Visionis Beatificæ, posse uti conversione ad phantasmata, si nempe excitent phantasmata alicujus rei, quam in Verbo vident. Collige ex his usum hujusmodi scientiæ haberi posse in somno, & in amentia. Est independens à sensu, & ab organis: & somnus non ligat nisi sensus: nec amentia lædit, nisi organa: & hæc de usu. Restat brevi discurrere ad Proprietates scientiæ infusæ.

§. VI.

PROPRIETATES SCIENTIÆ INFVSÆ Christi:

186 Qvartadecima difficultas: An hæc scientia infusa sit discursiva? & an per illius actum potuerit Christus uti discursu? Respondeo cum communi Sententia negativè, quoad partem utramque. Ratio est primò: quia modus intelligendi Christo Domino datus per infusam scientiam est omninò elevatior, & perfectior omni eo, quo gaudet supremus Angelus circa quævis objecta: atqui modus intelligendi, quo gaudet Angelus saltem supremus circa aliqua objecta, nempe naturalia, est incapax discursûs: id quod de omni intellectu Angelico est Sententia satis communis: ergo.

187 Secundò: ut arguam noto primò, ad rationem discursûs non sufficere unum in alio cognoscere, seu unum ex alio objectivè: alioqui discurret Deus. Noto secundò: requiri, quòd unus actus oriatur ex alio non satis assequente veritatem, quam intellectus quærit, & sternente viam, ut per alium actum acquirat notitiam plenam veritatis antea minùs notæ. Noto tertiò: cognitionem intuitivam ita rem penetrare, ut ipsam distinguat ab omni non ipsâ, atque adeò species intuitivas, & proprias rei esse omninò inutiles discursui. Iam rem confício, & arguo sic: per scientiam infusam habebat Christi Anima cognitionem intuitivam, & quidditativam omnium virtutum: ergo non poterat procedere ex minùs notis ad notiora: ergo neque discurrere. Confirmatur, species propriæ, & quidditativæ pariunt æquè immediatè, & primò notitiam quidditativam veritatis, quæ deberet dici Conclusio, ac veritatis quæ deberet facere vicem præmissarum: ergo sunt inutiles fini

dis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

discursûs : ergo discursui. Quòd si Christus alicubi videtur usus ritu discurrentis, vel fecit instructivè, & quoad vocalem apparentiam, ut innuit Pater Koninch; vel fecit ex usu scientiæ acquisitæ, & naturalis. Repugnat his specialiter Pater Ripalda *disp. 55. à num. 26* Sed non me movet.

Koninch.

Ripalda.

188 Quintadecima difficultas : an actus scientiæ infusæ sit incapax compositionis, & divisionis, in cognoscendo, & prærequirat apprehensiones? Apud me idem est, quicquid dicant Moderni logici, nimis puerilitèr hæc versantes, & tractantes, & procul à curâ, & mente veterum, & magnorum Theologorum Compositio igitur, & divisio (ne sit purè verbalis quæstio) hic sumi potest, *objectivè, subjectivè, & mixtim*, nempè subjectivè simul, & objectivè *Objectivè*, quæ solùm consistit in affirmatione, vel negatione: & hanc quis dubitet, cùm ne Deo quidem negemus? *Subjectivè* : cum præcedente pluralitate conceptuum hos quasi mens consulit, & quasi componit, aut dividit ferendo sententiam de præviis in apprehensione. *Mixtim* : cum non solùm præcedit illa pluralitas conceptuum, sed mens prædicatum, quod de subjecto dicit, apprehendit quasi quid ab ipso distinctum, & judicando componit: sic prædicaturi de Deo spiritualitatem, concipimus, (quippe per species alienas) aliquid, quod contendimus affigere mentaliter Deo. De his posterioribus acceptionibus est fermo Theologis. Et

189 Respondeo & *assero*; neque prærequirere apprehensiones hanc scientiam; nec esse capacem compositionis, & divisionis. Ratio primæ partis est : prævia enim lux apprehensionum tota nascitur ex imperfectione specierum: cum autem hîc sint perfectissimæ, non est cur illas anticipet intellectus ad immediatum & quidditativum rei conceptum. Ratio secundæ partis est : quia Actus istius scientiæ sunt quidditativi, & intuitivi: vident ergo res in seipsis, simplici intuitu; nec datur ullus locus secùs res concipiendi, ac in se sunt. Et satis de scientiâ infusâ Christi. Videri possunt

Suarez. Vazquez. Bernal. Godoy.

Suarez, Vazquez, Bernal, & Godoy.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

SECTIO IV.

DE SCIENTIA NATURALI, PERSE-infusa, Perse-acquiribili, & Experimentali. Vbi an ab aliquo Christus aliquid didicerit?

190 EXplicemus primùm hos terminos. Scientia naturalis *Perse infusa*, est scientia, similis illi, quam naturaliter habent Angeli, & quam exercet Anima in statu separationis à Corpore: atque adeò est quidem de ordine naturali, indebita tamen Animæ dum est in corpore, neque naturaliter acquiribilis ab ipsa : operatur enim independenter à phantasmatibus. Scientia *per se acquiribilis* est illa quam proprio marte, & industria acquirunt homines dependenter ab experientiis, & per discursum : ea autem operatur dependenter à phantasmatibus, & à sensibus connaturaliter, imò, ut benè explicat Koninchus, est scientia formata, & orta ex experientiis discursu collatis, atque adeò est experimentali posterior. *Experimentalis*, quæ & *Memorativa* dicitur, consistit in cognitionibus nixis experientiâ sensuum, ex quâ resultat in sensum internum species memorativa talium objectorum, & exinde species & habitus, qui dicuntur, scientia Memorativa, & Experimentalis, habens pro objecto formali experientiam sensuum externorum, seu præsentem, seu præteritam. Iam brevi videndum, & decidendum de existentia, tempore, objectis, principiis, & usu trium harum scientiarum in Anima Christi Domini.

Koninch.

§. I.

QVAM CERTO ADMITTENDÆ?

191 PRima difficultas : an triplex hæc scientia sit admittenda in Christo? Experimentalem nemo negat. Et meritò. Nam pro ipsius existentiâ stant clarè Scripturæ, Concilia, & Ratio. Scripturæ, nam Paulus ait Hebræor. 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Deinde sic loquuntur Luc. 2. ut profectum aliqualem attribuant Christo Sapientiæ cum ætate: quæ ex hac experimentali scientia optimè intelliguntur. Concilia & Patres, tùm in Ephesino, tùm ad ea verba Lucæ fatentur etiam profectum in humana Sapientia. Videantur apud Amicum *disp. 21. à num. 12.* & Vazquez *disp. 55.* Ratio: Tùm quia

Hebraor. 5
Luc. 2.
Concil. Ephesin.
Amicus.
Vazquez.

quia talis scientia nullum dicit defectum repugnantem statui Humanitatis. Tùm etiam quia est connaturalis ipsi: imò necessaria: alio quin usus sensuum externorum in Christo fuisset simulatus, & omninò apparens: quin etiam violentus, si objecta non imprimerent speciem sui sensibus & isti non derivarent in sensum internum, & exinde in intellectum: qui est ordo naturæ.

191 Respondeo igitur & *assero* primò, fuisse in Christo scientiam experimentalem. Id quod censeo Fidei proximum. De aliis duabus est majus dubium, inclinante nimis Koninch, ut neget *disp. 13. dub. 5.* Primam ut omninò otiosam, & præter naturam. Alteram, ut valde imperfectam, & ad nihil in Christo necessariam. Id quod mihi etiam est probabile. Nihilominùs

Koninch.

193 Respondeo & *assero* secundò, concedendam in Christo scientiam naturalem, perse infusam. Ratio mihi est, illa generalis, quia est insignis & magna perfectio Animæ, in ordine naturali : Christo autem negari non debet quicquid ejus perfectionem decet, tam in lineâ supernaturali, quàm naturali, cùm in utraque perfectissimus constitui debeat. Firmatur : sicut absentia cæcitatis, & aliorum defectuum datur Christo, ex congruenti ratione, ut nempe corpore perfectus, sit; negari ita non debet perfectio naturalis, quæ juvet ad augendam animæ perfectionem : quæ autem major perfectio animæ, quàm scientia ex modo suo independens à sensibus?

194 Dices primò : hæc scientia est otiosa, cùm jâ sit alia supernaturalis, quâ uti possit independenter à sensibus, Anima? Nego : quia nulla perfectio est otiosa secundùm se. Tùm etiam quia otiositas stare posset in simultaneâ existentia usuum, & actuum, utriusque scientiæ : erit tamen Christi, vitare, eligendo quem malit.

195 Dices secundò, multiplicari sine necessitate miracula : nam Anima, dum est in Corpore, non potest uti naturaliter potentiis suis sine conversione ad phantasmata. *Imprimis*, quæ major necessitas quàm Vnionis dignitas? Imò *ea supposità*, nullum existit de miraculum fit, sed omnia sequuntur connaturaliter. *Deinde* nego non posse naturaliter uti Animam his speciebus, etiam dum est in corpore, si semel infusas habeat. Videatur Antonius Perez *tract. 6. part. 2. disp. 3. à num. 5.*

Lib. 1. disp. 3. sect. 2. §. 4.

196 Dices tertiò, similiter posse discurri quoad scientiam acquisitam, & ultra Naturalem, quam in Christo cognoscit communis Theologia, poni aliam supernaturalem, quâ supernaturaliter cognoscere etiam possit Christus dependenter à phantasiâ. Ego sequelæ necessitatem non video; Sed neque video absurdum.

197 Respondeo, & *assero* tertiò : concedi Christo debere scientiam per se acquiribilem. Ratio mihi est primò : quia est conformius Conciliis, & Patribus statuentibus assumpsisse Verbum in Humanitate omnia connaturalia, quæ potentias, & operationes concernunt, demptâ Personalitate: quid autem convenit magis, quàm scientia connaturalis homini? Secundò : quia scientiæ naturales sunt maximus ornatus Animæ quoad naturalia : & quidem incredibile est, Verbum voluisse nobiscum conformari in molestiis corporis infantilis, & aliis : & noluisse conformari nobiscum in modo cognoscendi plenè connaturali. Tertiò : quia Christo sicut negari non potest, quod est proprium hominis, ita negari non debet, quod est Corporis, ut sub Anima est, si perfectionem connaturalem sonat, neque quod est Animæ, ut in corpore est : atqui perfectio Animæ, prout in corpore, maxima est scientia acquisita: ergo. Quartò : quia pro exercitio virtutum naturalium, si fortè vellet exercere, debuit præcedere proportionatum lumen, nempè prudentia acquisita, à quâ reguntur virtutes naturales. Per quæ patet ad scrupulos Patris Ægidii.

§. II.

EX QVO TEMPORE?

198 SEcunda difficultas : ex quo tempore habuit Christus triplicem hanc scientiam; & an à Deo infusam? Variant in his Authores maximè. Videatur dissidium in Amico, Delugo, & Suarez. Respondeo & *assero* primò : Experimentalem sibi acquivisse, decursu temporis, & experientiæ pro objectorum occursu, saltem quoad species. Id dico, nam, an habitus distinctus sit ab habitu scientiæ perse acquiribilis, dicetur postea. Ratio est : quia hæc species scientiæ tam quoad usum, quàm quoad speciem, nititur experientiâ sensuum externorum, & alligatur ipsi vel præsenti, vel præteritæ : ergo est necessariò acquiribilis decursu, & occursu temporis, & objectorum. Nota, eam experi-

Amicus. Delugo. Suarez.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nientalem scientiam fuisse in Christo multò perfectiorem nostrâ ob nobilitatem complexionis,& intellectûs,imò & juvamen aliarum scientiarum, saltem removendo prohibens.

199 Respondeo & *assero* secundò,duas alias scientias, nempe naturalem infusam, & perse acquiribilem, tam quoad habitum, quàm quoad species, infusas fuisse à Deo ab instanti Conceptionis. De primâ patet:quia non est ulla ratio, cur differri debuisset infusio. Probo de secundâ, de quâ est inter Theologos difficultas. Primò : ex decentia. Decuit enim,ne Christi Anima serperet per intervalla temporum, & rerum, ut nos, pro acquisitione perfectionis sibi alioquin debitissimæ. Secundò à pari. Si enim Adamo datus est à Deo ultra scientias supernas ab initio, cumulus harum scientiarum: quidni, & Christo? *Dices* : Adamus uti tunc poterat; non tamen Christi Anima. *Sed* hoc parùm nocet: glorioſius enim est præhabere principia scientiq ante expeditionem ęratis,quàm expectare, expeditâ jam ætate, principia scientiæ.

200 Tertiò à ratione sufficientis roboris pro materiæ, in quâ versamur, dignitate. Nam scientiæ naturales vel ponendæ sunt in Christo in gradu perfecto, vel non? Secundum ego non dixero : qui sentio omnes perfectiones in Christo fuisse valde conformes statui, quem tenebat Dicendum ergo primum:& rogo: vel so ùm datæ sunt ad occursum objectorum, vel præter objectorum occurrentium exigentiam, quando phantasia suos posset actus exercere?ut vult Lugus. *Card. de Lugo.* Si secundum: non essent in Christo scientiæ in gradu perfecto:nam objecta quæ occurrebant, non erant ita multa : & fieri posset sapientiores Christo quoad hanc scientiam fore plures homines : & quæ decentia, occupari Christum in addiscendis tot scientiarum tricis? hæc omnia absurda sunt. Si ergo secundum : quo puncto temporis infundentur? Nam phantasiæ exercitium pendet à Corporis rigore, qui suos gradus habet. Satius ergo est dicere infusas omnes ab initio ad exigentiam dignitatis ipsius Animæ : ne quæ vassalli suo sudore debent acquirere:simili sorte, & abjectione conditionis acquirere sibi debeat Princeps. Videatur inter *P. Suarez.* alios Eximius Doctor *disp.* 30. *sect.* 2.

201 Oppones primò : Authoritatem *S. Thomas.* Sancti Thomæ 3. *part. q.* 12. *art.*2 Secundò fore, ut Christus nihil potuisset discere contra sensum Scripturæ, & Patrum, nihilque profecisse in sapientiâ decursu temporis.Tertiò: quia connaturalius est,quòd hæc Scientia decursu têporis acquiratur.Quartò,fore, ut intellectus agens foret otiosus in Christo, quia ejus munus est eruere à phantasmatibus species: jam autem supponerentur in Christo.Quintò:quia usus hujus scientiæ haberi non potest, nisi dependenter ab organis : ergo quousque hæc sint apta operationi, otiosa omninò est habituum, & specierum infusio. Sextò : quia alioquin videtur infantia Christi simulata, & ficta : cùm infantia dicat incapacitatem scientiæ dependentis à dispositione organorum. Levia hæc sunt, & videndus de ipsis omninò Me- *Meratius.* ratius.

202 Ad primum, dico, Sanctum Tho- *S. Thomas* mam esse nostrum alibi, nempe *quæst.*20. *de* *se explicãs.* *Verit. art.*2. *& in* 3. *distinction* 14. *quæst.* 3. Ad secundum : ea loca intelligo de scientia Experimentali. Ad tertium : suppositâ unione Hypostaticâ, quæ Naturæ moderatur, Id esse plenè connaturale Humanitati. Ad quartum : fingitur imprimis intellectus ille agens, distinctus à possibili. Deinde non est otiosa potentia,quæ experimentales saltè species eruit.Insuper sentio Intellectum satis occupari in aliis scientiis. Demum,ut aliqua virtus non sit frustrà, sufficit ut sit connaturalis habenti, licèt peraccidens impediatur ab opere, & exercitio.

203 Ad quintum:censeo probabile cum *Aldrete.* Aldrete *disp. 66. sect.* 2. *nu.* 14. usum hujus scientiæ haberi posse sine usu phantasiæ, si aliunde species supponantur : potest enim dari qualitas, quæ suppleat, aut sopiat indispositionem organi ; & hanc vim non est cur negemus hypostaticæ unioni. Deinde, non est otiosum,quod est gloriosum:gloriosum autem est præhabere principia scientiq, etiam cùm exerceri non possunt, ut cùm possint, connaturaliùs & fortiùs exerceantur pro libito: ita gloriosum est Minori dominium, licèt impediatur ab usu. Ad sextum: sicut Infantia Christi non est simulata, licèt mente Beatus sit, & omnia sciens; ita licèt præhabeat scientiam hanc naturalẽ: quia revera Corpore fuit tenello, imbecillo, & pusillo.

§. III.

HARVM SCIENTIARVM OBIECTA Principia,& usus.

204 Tertia difficultas : quodnam fuerit objectum hujus triplicis scientiæ? Respondeo,& *assero* primò,objectum scientiæ Experimentalis fuisse omnia singularia, quæ sensu percepit Christus : Imò omnia, quæ in se expertus est tam naturalia, quàm supernaturalia:sed hæc non attigit experientia naturali simpliciter. Respondeo & *assero* secundò: scientiam naturalem infusam,similem ei, quã habent animæ separatæ,habuisse pro objecto omnia naturalia, quæ in ipsam cadere possunt : id quod etiam proportionatè assero de scientia naturali perse acquiribili: Ratio est, quia utraque scientia ponenda est eo gradu perfectionis,qui omninò sit connaturalis, & deceat statum Christi: hic autem gradus perfectionis necessariò debet esse maximus,& in quem cadant omnia objecta,quæ cadere possunt in hujusmodi scientias, non solùm quales habentur à nobis, vel ab hominibus maximi ingenii, & disciplinæ, sed quales existimari debent in Homine-Deo.

205 Quarta difficultas : quid sentiendum de principiis hujus triplicis scientiæ? Respondeo:quidquid quoad qualitatem,& distinctionem habituum, & specierum dici *Sect. præced.* hic potest, colligi satis ex *suprà* dictis. Tamẽ specialiter hìc addi debet : de distinctione habituum & specierum hujus triplicis scientiæ, sentiendum juxta principia cuiquam, meliùs visa,cùm de habitibus naturalibus in communi dictum est. Ego etiam in eorum distinctionem inclino.Quoad perfectionem, & quantitatem censendum juxta taxam positam in disputatione de Gratia Christi.

206 Sola restat dubitatio : an habitus scientiæ experimentalis distingui debeat entitativè ab habitu scientiæ acquisitæ. De speciebus nemo dubitat,& si habitus illi naturales consisterent in speciebus coordinatis, nullus etiam esset dubitandi locus. Dici potest cum acuto Magistro,habitum scientiq Experimentalis non distingui entitativè ab habitu scientiæ perse acquiribilis, & infusæ peraccidens, sed tantùm denominativè. Idẽ ergo habitus dicitur habitus scientiæ acquisitæ, quoad actus, quos elicit mediis speciebus infusis ab initio : dicitur experimentalis per accessum specierum experimentalium, & novarum, & quoad actus quos mediis his speciebus novis,& experimentalibus elicit. Vnde cùm Christus dicitur creviſſe in scientiâ experimentali, intelligendum, entitativè quoad experimentales species, à quibus subit habitus denominationem sciẽtiæ Experimentalis; non verò quoad habitũ entitativè, sed denominativè. Placet. Facilè tamen dici, & distingui posset cum communi sententia specialis habitus memorativus. Res est levis.

207 Quinta difficultas est de usu,& actu triplicis hujus scientiæ. Et *censeo* primò de perfectione,eam omninò superare,quam nos & quivis purus homo magni ingenii solet,& potest assequi. Ratio sumitur ex nobilitate principiorum nuper descriptâ. *Censeo* secundò, de scientia naturali infusa dicendum quod de Angelica dici solet in tractatu de Angelis cum proportionali excessu ad excessum perfectionis assertæ. *Censeo* tertiò,de scientia perse acquiribili, per eam potuisse Christi animam apprehendere, componere, discurrere,sed perfectione longè superante intensivè, & extensivè quamvis aliam scientiam in magno ingenio constitutam, & maximo studio comparatam.Ratio primæ partis est: quia id est connaturale tali scientiæ. Ratio secundæ partis est perfectio,quam toties ingeminavimus.

§. IV.

AN CHRISTVS VNQVAM DIDICERIT quicquam ab Angelo,vel ab homine?

208 Quæres hìc: an Christus quicquam didicerit ab homine,vel Angelo? Distinguo *quadruplicem* modum cognoscendi, qui potest dici, discere. *Primus* est:nosse aliquid, interventu experientiæ super actionem Angeli, vel hominis. *Alter* est ; nosse aliquid nitendo ad judicium veritatis, testimonio Angeli, vel hominis. *Tertius* est,nosse quomodolibet aliquid antè non cognitum, & cęptum agnosci interpositione Angeli,vel hominis. *Quartus* est, nosse de novo aliquid accipiendo aliquam cognitionem ministerio Angelorum moventium sensus externos per apparitiones; aut imaginationem per visiones imaginarias. *Primus* modus abusivè dicitur discere, sed experiri. *Alter*, dici potest discere,sed impropriè: quia propriè discere supponit ignorantiam: unde *Tertius* est

Universidad de Deusto
Biblioteca

propriè discere. *Quartus* non erit propriè discere, sed impropriè.

209 Respondeo jam,& *assero*, nihil unquam vel ab Angelo, vel ab homine Christi animam didicisse, neque potuisse discere, neque propriè, neque impropriè. Ratio est: quia seclusâ notitiâ purè experimentali, quâ diximus non esse discere, ne impropriè quidem Christus imprimis nullam habuit ignorantiam, neque potuit, ut dicemus *sect. seq.* ergo propriè non potuit discere. Deinde, quia non potuit habere notitiam formidolosam, & obscuram, neque potuit exercere actum Fidei humanæ, ex se falsibilis: loquar *mox* de hypothesi: ergo neque potuit impropriè discere secundo modo. Demum neque fuit decens neque utile, ut Angeli circa sensus internos, aut externos Christi, exercerent ministerium movendi per eorum alterationem Christi mentem: non utile: quia omnium rerum species jam præhabuit infusas Christus ab initio: non decens, quia in illâ Sanctâ Sanctorum mentis, & Animæ Christi Domini, quâ ratione liceat Ministris penè infinitè inferioris operationis manum extendere? non ergo potuit discere, ex Angelorum explicato ministerio. Quòd si Christus aliquando rogabat, & interrogabat homines, & responsum expectabat; non id faciebat, ut disceret, sed ut doceret. Interrogatio autem non semper est argumentum ignorantiæ, aut displicinæ: ut patet in Deo interrogante Cainum.

Mox sect. seq.

Luc. 22.

210 Sed quid ad locum *Lucæ* 22. ubi Christus in horto mœrens inducitur ab Angelo, qui apparuit, confortatus? quomodo verè potuit confortari, si nihil ab ipso didicit? Videndus est Pater Bernal, qui omnium optimè rem hanc discussit, & eruditè proposuit & exposuit, *disp.* 38. *sect.* 3. Sunt multi modi dicendi, satis probabiles. Primus est P. Vazquez, explicans confortationem hujusmodi, per solam gratulationem de exhibitâ fortitudine. Sequuntur Chrysostomus, Epiphanius, Theophilactus, alii.

P. Bernal.

P. Vazq. Ex Chrysost Epiphan. Theophil.

211 Secundus est Pater Suarez, explicans confortationem per exhibitionem motivorum sufficientium ad pellendum angorem, & robur addendum: quibus motivis abstinere volebat meus Christi pro nobis dolens, cùm sciret habitu, & reipsâ per visionem Beatificam, actu: ex hac tamen nullam voluit redundare dulcedinem, tristitiæ & doloris depulsivam. Sequuntur Hylarius, Hieronymus, Cyrillus, Damascenus, Bernardus, Sanctus Thomas.

P. Suarez. Ex Hylar. Hieronym. Cyrill. Damascen. Bernard. Thom.

212 Tertius est Pater Valentia explicans confortationem per adhibitionè objectorum delectantium, & amœnorum ad sensus: quo necessario recreari poterat in agonia Christus. Sequitur Cajetanus. Quartus est Pater Bernal explicans confortationem per tria officia quæ Christo præstitit Angelus, depulsiva trium malorum, ex quibus tristitia nascebatur, aut pascebatur, nempe per sui præsentiam, & soc etatem: & sic depulit solitudinem in horrore noctis: per extrinsecam sublevationem Corporis, tergendo sudorem, erigendo prostratum corpus, & sustinendo: & sic depulit fatigationis corporeæ pondus: per humiles preces, ut reduceret ad mentem motiva solatii, parceret tanto angori, laxaret vias sudori sanguineo: & sic pellere nixus est nubem tristitiæ, & angoris. Ex his modis, quorum, ut dixi, singuli probabiles sunt, nulla sequitur necessitas asserendi Christum quicquam ab Angelo didicisse: & tamen impletur & explicatur Ministerium Angeli apparentis, & confortantis.

P Valent. Ex Cajet.

P. Bernal.

213 Quicquid tamen de his sit, facilius & solidius explicari potest Christi confortatio ab Angelo exhibita, quàm ab ipso quicquam disceret Anima Christi, dicendo & quasi colligendo ex his modum alterum non planè diversum, sed illustriorem. Is est, confortationem tetendisse ad partem intellectivam, & sensitivam Christi; nam in utraque dominantur tristitia, angor, & dolor. Exhibuit ergo confortationem Angelus quoad partem utramque: quoad intellectivam, non instruendo, neque proponendo nova motiva, sed orando suppliciter, ut tristitiam voluntatiè susceptam, liberè deponeret, & à miraculo sui contristativo, desisteret. Quoad sensitivam, præstando duo. Primum, adspectui propositis, ut vult Valentia, rebus, quæ sua possent amœnitate recreare. Alterum & præcipuum, deducto justa proportione per omnes Corporis partes Sanguine, ne cor nimis gravaretur, & dispositis, & ita collectis particulis Sanguinis, ut Corpus guttis in terram defluentibus levaretur. Hæc Pater Esparza, quantùm mihi videtur, appositissimè ad textum Lucæ. Non ergo colligitur, aut potest colligi Christum quicquam ab Angelo didicisse.

Mens Authoris.

Esparza.

*** *** *** *** ***
*** *** *** *** ***

SEC-

SECTIO V.

DE EXTREMIS OPPOSITIS SCIENTIÆ.

Suprà à num. 161.

214 Excepta Fide, de quâ jam *disp.* 1. *à num.* 161. quinque sunt: *Ignorantia, Error, dubitatio, probabilitas, & obscuritas.* Hæc enim singula, gradu licèt impari, Scientiæ perfectioni resistunt. Et quæstio est: an eousque perfecta fuerit scientia Christi Domini, ejusque dignitas, ut ea vel omnia, vel aliqua excluserit? Authores sunt divisi. *Alii* negant omnia Christo de facto: admissa tamen possibilitate coexistentiæ. *Alii* hæc aut illa tenuunt etiam de possibili: alia non curant. *Alii* omnia, & singula etiam de possibili negant.

§. I.

DE IGNORANTIA, ET DE ERRORE quoad factum, & quoad possibile.

215 Noto tria. *Primum*: ignorantiâ dici tripliciter: nempe pravæ dispositionis, seu positivam: Privationis, seu privativam: Negationis, seu purè negativam. Ignorantia positiva, seu pravæ dispositionis non distinguitur ab errore, seu opinione falsâ: deque ea, quicquid de errore dicetur, dictum volo. Ignorantia privativa est privatio scientiæ aliàs debitæ, seu nescientia rei, quam scire deberes. Ignorantia purè negativa, est carentia scientiæ, seu purè nescientia, rerum nempe, quarum notitia non erat tibi debita. *Secundum*: Ignorantiam, vel errorem dupliciter contingere posse, culpabiliter, vel inculpabiliter. Error, seu ignorantia culpabilis esse non potest sine peccato: secùs, error, & ignorantia inculpabilis, ut termini præseferunt. *Tertium*: evidens esse suppositâ semel impeccabilitate, repugnare Christo Domino culpabilem errorem, & ignorantiam, non minùs, quàm culpam. His ita positis, sit

P. Suarez. Ragusa. Koninch. Amicus. Ovied. Bernal. Ant. Per. Oxea.

216 Prima Conclusio: Nec fuit nec esse potuit ullus error in Anima Christi Domini. Sic sentiunt cum Eximio Doctore, Ragusa, Koninch, Amicus, Oviedus, Bernal, Antonius Perez, & Oxea. Et prima pars, est omnium Catholicorum, & censetur à me de Fide, aut Fidei proxima. Ratio est: Tùm quia ore pleno dicitur ab Scripturis, Conciliis, & Patribus, Christus *Veritas*, & ipse testatus est se *veritatem* dicere, & *à Deo esse quid dicere, quid loqueretur.* Tùm etiam quia præcipuum fundamentum Christianæ Fidei, & veritatis est eam edoctam à Filio Dei. Tùm insuper quia fuisset Authoritatis contemptibilis.

217 Dices: Christus passus est deceptionem in sensibus: nam res magna apparebat oculis parva; recta apparebat obliqua; lux refracta, color in iride: ut nobis accidit: ergo nò fuit Christus expers erroris saltè in sensibus. Imprimis oculi errare non possunt: sed illa deceptio, quam nos patimur occasione sensuum, non est oculorum, sed mentis. Quare modus ille connaturalis videndi res procul à nobis positas solùm est error, accedente judicio falso: quod omninò procul à Christo. Deinde etiam quoad sensus externos tenuit Suarez *disp.* 24. *sect.* 3. (quem postea secutus est Pater Martinon *disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 6.) talem fuisse confortationem eorum in Christo supra naturam, per auxilium speciale Divinum, ut res omnes viderent, sicuti erant in se. Vterque dicendi modus est satis probabilis.

Suarez. Martinon.

218 Secunda pars, quæ potentiam etiâ extraordinariâ concernit, ostenditur primò: quia actus erroneus no est actio digna personæ Divinæ: atqui in Christo repugnat actio, quę nõ sit digna Personæ Divinæ: ergo repugnat actus erroneus. Minor est mihi ex terminis nota. Probatur major: quia actus erroneus est actio, quæ non decet personam, quæ se ipsa est veritas: Tùm quia est actio per se contemptibilis, & contemptum inducens in personâ, quæ patitur. Tùm etiam: quia est actio, per se turpis, & indecens Naturam intellectualem, & rationalem; & maximum malum intelligentis, sicut & peccatum est maximum malum volentis.

219 Ostendo secundò: solùm potest esse in Humanitate Christi id cujus admissio, vel permissio potest esse laus, & perfectio simpliciter simplex Deitatis unitæ: *volo dicere*: regulam admittendi, vel permittendi in Humanitate Christi hos aut illos actus, affectus, seu defectus, sumendam esse ex eo quòd posse, eos permittere, vel admittere in Humanitate quâ facit suam, & cui se dat, possit, & debeat dici laus, & perfectio simpliciter simplex Divinitatis; atqui posse permittere, aut causare errorem in Humanitate Christi, non potest esse perfectio simpliciter simplex, aut laus Divinitatis: ergo non potest permittere, vel causare errorem in Christi Humanitate.

Regula Generalis.

Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

220 Consequentia benè sequitur: & minor probatur: quia compossibilitas sui inhabitantis quantum potest animam, cum errore, & falsitate, non potest esse perfectio simpliciter simplex Divinitatis: nam eoipsò perficit quantùm physicè potest: & mirum est non poni aut suppleri ab ipsâ divinitate quod à formâ physicâ perficienti oriretur in anima: atqui si ea compossibilitas non est perfectio simpliciter simplex, neque potest esse, vis permittendi, aut causandi. Adde ex terminis apparere dissonum dicere, quòd compossibilitas summæ veritatis cum errore sit perfectio simpliciter simplex veritatis. Iam major ostenditur: quia posse Deum singula, quæ potest, est perfectio simpliciter simplex ipsius.

Discursus Anselmi. 221 Confirmatur hæc ratio ex acuto discursu Anselmi *lib. 1. cur Deus homo. cap. 3.* sic loquentis: *Sapienter Deus assumpsit mortalitatem, qui sapienter; & valdè utiliter uteretur: Ignorantiam verò non poterat assumere sapienter: quia nunquam est utilis, sed semper noxia.* Sic arguo: quicquid fieri non potest utiliter, & sapienter, non potest à Deo fieri: omnis enim operatio Dei est per se utilis, & sapiens, ut patet ex terminis: atqui erroris infusio, & assumptio non potest esse actio per se utilis, & sapiens, ex Anselmo: & suadetur: quia deceptio est per se malum naturæ rationalis, & activa deceptio, turpis sicut & mendacium. Tùm quia deceptio est occasio operationum secundùm se malarum, & semen actionum deerrantium à dictamine Dei: ergo, &c.

222 Ostendo tertiò: quia si Christus errare posset, esset Authoritatis omninò contemptibilis, & pessùm iret Christiana Religio. Ostenditur sequela quoad primam partem: quia Authoritas fallibilis, & exposita errori, & falsitati, non est minùs contemptibilis in linea Authoritatis, quàm exposita mendacio. Ostenditur etiam quoad secundam: quia si semel id est possibile, unde constat non locutum Christum ex aliquo errore, aut deceptione? Neque valet dicere errorem repugnare Christo, ut Doctori, & Magistro, qualis venit. Nam exinde saltem fieret, Christum, dum privatè loqueretur, non fuisse dignum summâ Authoritate. Neque secundò valet dicere, errorem ex naturâ rei repugnare Christo. Nam unde constat non usum miraculo, si potuit, in errando: quod mihi ex terminis videtur dissonũ. Confirmatur primò: Christus jus habet, ne reddatur ejus Authoritas contemptibilis, & ut ipsi omnes credant: ergo jus habet ne unquàm permittatur error in ipso. Confirmatur secundò: Per vos error ex naturâ rei repugnat in Christo; atqui repugnat error miraculosus: miracula enim non sunt in naturæ depressionem, & indecentiam. Vide quę *suprà disp 2. num. 27. & mox ad ista.* *Suprà disp. 2. à nu 27.*

223 Ostenditur quartò: si esset error in Christo, attribueretur specialiter Deo, & Verbo Divino; atqui Deo nequit specialiter attribui error: ergo. Major patet: quia Verbi, & Dei est, ut *suprà* diximus, regere Humanitatem: id quod non tolùm est verum quoad operationes voluntaris, sed etiam quoad operationes intellectûs. Minor ostenditur: quia nequit Deo specialiter attribui, quod Deus nequit causare specialiter: atqui Deus nequit specialiter errorem causare. Primò, quia sic esset deceptor, & seductor: quod ex terminis Deo repugnat. Tertiò: quia tota inhonestas mendacii stat in deceptione passivâ alterius formaliter volitâ, vel aliter mediis vocibus menti contrariis: atqui hæc inhonestas potiùs relucet in immediatâ infusione erroris, quàm in mere mediatâ, qualis mendatio fit. Tertiò: quia talis infusio erroris esset Dei locutio; atque adeò mendax. Quartò: quia ex communi conceptu Fidelium, quicquid scire dicimus per infusionem Dei, verum dicimus: quicquid autem falsum est, statim dicimus esse ab homine, vel à Diabolo. Quintò: quia volitio ut quis opponatur Voluntati Divinæ est perse turpe: ergo volitio, ut quis opponatur dictamini Divinæ mentis est per se etiam turpis: talis autem volitio est impræscindibilis à tali infusione speciali. Sextò: quia causa particularis influens in errorem actualem, est error habitualis: causa particularis influens in errorem habitualem est error actualis: quæ rationes, aut vis eas supplendi non est perfectio, sed imperfectio. Septimò: quia vel talis infusio esset miraculosa, vel non? Si secundum: certè Deum facimus facilè contemptibilis Authoritatis. Si primum: tale miraculum ex se repugnat ex se dictis *nu. 222.* Octavò: quia procuratio erroris, & deceptionis est perse turpis ut *mox* explico. *Suprà disp. 2. à nu. 32.* *Mox nu. 225.*

224 Dices: error est defectus physicus, & physicum malum, aut malum pœnæ, ut cæcitas & mors: ergo potest specialiter à Deo causari. Distinguo antecedens: error est defectus purè physicus, id est, non moralis formaliter, transeat: objectivè, nego. Vel *aliter*: est defectus purè physicus respectu habentis indeliberatè, concedo: respectu deliberatè habentis, procurantis, aut inducentis, nego. Et ratio est, 'intrinseca turpitudo erroris, & deceptionis secundùm se. Cujus turpitudinis, (atque adeò disparitas ad alia mala purè physica) explicatur ratio, primò à posteriori: quia nemo potest unquam licitè in se admittere errorem, & deceptionem, & falsitatem: alia autem mala, etiam mortem, aliquando potest.

225 Secundò & à priori: quia error est malum, quia oppositum Naturæ Rationali, ut sic, & ut tali: id quod non habent cætera mala purè physica, à quibus paritas sumitur. Imò error est malum oppositum Naturæ Rationali, ut tali, non utcumque sed ut est origo operationum moralium, opponitur enim directè Rationalitati, quam involvit Agens ut proximè constitutum ad morales operationes: unde error non solum habet physicam oppositionem cum Natura Rationali, ut tali, sed etiam moralem: cum hoc discrimine à culpa: quòd culpa habet oppositionem hanc moralem formaliter, & immediatè: error verò, radicaliter, & mediatè. Idque sufficit ut habeat oppositionem cum Naturâ Intellectuali Divinâ, & Divinæ Sapientiæ contrarietur. Implicat autem quod Deus specialiter causet, quod suæ naturæ opponitur. Quod additur de malo pœnæ, dicatur, errorem posse permitti in pœnam, aut causari ad exigentiam causarum secundarum; non verò induci perse, & specialiter à Deo. Videantur Oxea, & Lumberius de Fide. Ille *disp.4.hic quæst.5.* Infer, eodem Doctrinæ filo censendum de habitibus, & speciebus erroneis. *P. Oxea. M. Lumb.*

226 Secunda Conclusio: Nec fuit nec esse potuit in Christo ignorantia tam privativa, quàm negativa. Prima pars de facto contra Gnosticos, Agnoitas, & Sectarios nostri temporis censetur *de Fide* à Patre Vazquez omninò videndo *disp. 51.* & patet ex *suprà* dictis: diximus enim Christi animam sciviſse omnia. Ante secundæ partis, (quę cõcernit possibilitatem) probationem, fateor contrà pugnare communem Theologorũ recentium Authoritatem: stat tamen apertè pro ipsa D. Anselmus *loc. supra cit.* nempe *lib. 2. cur Deus homo toto cap. 13.* esse ipso Vazquez: & inclinat Pater Antonius Perez *de Incarnatione tract.6. part.2.disp.1. cap.4. nu. 38.* nec ipse video rationem ullam ponderis, quæ Theologum impulerit ad negandam hanc gloriam Christo ut homini. *Vnum* noto: in Christo distingui non posse ignorantiam privativam & purè negativam. Ratio mihi est: quia scientia omnium est omninò connaturalis animæ Christi: certè non potest esse supra dignitatem ipsius, & jura: ergo nulla potest fingi ignorantia, quà non sit in Christo carentia notitiæ aliàs debitæ: ergo quæ non sit ignorantia privativa: quà ex notatione fortè mollior fiet assensus in hanc viam. *P. Vazq. sect.2.& 3* *Suprà nu. 221.* *Anselm.* *Vazquez.* *Ant. Per.*

227 Iam suadeo secundam partem, primò: non potest esse laus Dei genuisse, & habere Filium stultum, & ignorantem, & qui ex ignorantiâ possit deficere materialiter in operando; atqui nequit esse Christus modo, quo non sit Dei laus eum esse & talem esse Filium ejus: ergo non potest esse laus Dei, quod Christus sit stultus, aut ignorans. Si autem habuerit ignorantiam, eoipso esset ignorans, utpote carens notitiâ pro suo statu debitâ. Quod autem non potest esse Dei laus in Christo, non potest esse in Christo: quem summè Deus diligit, & in quo sibi complacuit.

228 Suadeo secundò: ex ratione, quam insinuat *Anselmus*: repugnat ex naturâ rei quod Christus quicquam ignoret: habet enim Anima Christi dignitatem, cui saltem connaturaliter, & ex naturâ rei sit debita scientia ipsi possibilis: quæ juxta Superiores doctrinas est omnium scientia: ergo repugnat etiam metaphysicè. *Anselm.*

Consequentia probatur. Primò: ratione mihi familiari, quia miraculum, quod per se non sit utile, & perfectivum, non est possibile; vide quæ diximus *nu. 219.* Secundò: quia operatio supra exigentias rerum est ostensio singularis Divinæ Omnipotentiæ, Sapientiæ & dilectionis; atqui operatio, quà negetur Christo aliqua scientia, non potest esse singularis ostensio Omnipotentiæ, Sapientiæ, & dilectionis: quis enim ostentet Sapientiam, dilectionem, & potentiam in eruendis Filio oculis? aut in gignendo Filiũ nec statui suo, nec Patris dignitati conformem? ergo &c. *Suprà à nu.219.*

229 Dices: potest Deus gignere Filium alioqui mortalem in alienâ naturâ: cujus mortalitas sit laus divinæ immortalitatis. Fateor: nam sic Deus immortalis, apparet benignissimus: & ut homo fortis ad mortem perferendam: at quæ laus est Sapientiæ, & veritatis æternæ, gaudere in Filio ignoranti, & stulto.

§. II.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. II.

DE RELIQVIS EXTREMIS.

230 TErtia Conclusio: Nec fuit nec esse potuit in Christo dubitatio. Hæc est manifesta illatio præcedentis: & pars patet: quia dubitatio stare nequit sine ignorantia: est enim dubitatio, suspensio ab omni assensu circa aliquod objectum, tanquam nondum compertum, aut de quo dubitans non potest prudens judicium ferre, adhuc infirmum. Atqui in Christo nec fuit nec esse potuit ignorantia: ergo neque dubitatio. Adde, qui est in actuali intuitione omnium, aut pro libito habere potest, repugnat ipsi dubitatio de quoquam: at Christus, aut fuit, aut pro libito poterat esse in actuali omnium intuitione.

231 Quarta conclusio: nec fuit, nec esse potuit in Christo cognitio probabilis alicujus objecti. Probatur primò: quia omnis cognitio probabilis, & incerta affert secundùm se aliquam dubitationem, saltem imperfectam: quæ est species ignorantiæ. Secundò, & expensius: quia omnis cognitio probabilis, & incerta dicit impræscindibiliter actualem formidinem, & genus actualis dubitationis, explicabile per illa, *fortè se res aliter habet*: atqui talis modus cognoscendi repugnat Christo: ergo. Minor probatur: quia evidentia necessariò excludit hujusmodi modum subdubitativè cognoscendi, & ea fuit in Christo jurè naturali, & indispensabili. Major quæ à Modernis negatur, ostenditur sic: quia cognitio probabilis non est temeraria: esset verò, si sine dubitatione, aut formidine, & ritu indubitantis tenderet in objectum: peccaret enim contra gradum apparentiæ, quam hîc, & nunc habet veritas. Tùm quia motivum tantum probabile est signum veritatis dubium: implicat autem, quòd signum dubium pariat judicium dubii expers.

232 Dices, homines opinari plerumque nec esse memores incertitudinis, & dubitationis ullius. Respondeo primò: id esse commune vitium Generis Humani, nempè præsumptionem, temeritatem, nimiam adhæsionem, & inconsiderationem in opinando: quæ, cùm ad pauca respexerint, facilè pronuntiant. Secundò nego antecedens: satis enim produnt dubitationem, quâ procedunt, si rogentur, quàm verum sit illud, in quod inclinant.

233 Quinta Conclusio: Nec fuit, nec esse potuit in Christo obscuritas in cognoscendo. Probatur primò: quia sicut constituitur in genere honesti voluntas Christi, sic in genere veri debet constitui mens: sed voluntas ita constituitur, ut non possit non exerceri in aliqua actione virtutis moralis: ergo & ita debet constitui mens, ut non possit non exerceri in aliquâ virtute mentis: ergo nisi per actus cognoscendi claros, & certos. Secundò: quia obscuritas est maxima imperfectio intellectûs, atque adeò non decens intellectum Christi. Tertiò: quia in Christo non potest poni actio, quæ non sit actio digna Personæ Divinæ: at actus obscurus non est actio digna Personæ Divinæ, nec minùs eam dedecet, quàm solem, umbræ. Quartò: quia saltem ex naturâ rei talis obscuritas repugnat animæ Christi: miraculi autem in oppositum non video rationem congruentem.

234 Infertur ex his Christum nec habuisse, nec potuisse Fidem humanam, seu humanæ Fidei assensum: utpote qui nititur motivo fallibilis Authoritatis, & incertus evadit. Et hæc de *Scientia* Christi Domini.

DIS-

DISPVTATIO IV.

CHRISTI DOMINI LIBERTAS, MERITVM, & Oratio.

1 GRAVIORES controversiæ, quæ de *Libertate*, *Merito*, & *Oratione* Christi, solent hìc distinere Theologos, præmissæ, & evolutæ à nobis jam sunt *lib.*3. & 4. Nempe, quæ Meriti, & Orationis condignitatem, infinitudinem, & efficaciam tam intensivam, quam extensivam concernunt; quæque Christi Domini libertatem in morte subeundâ, & præceptis adimplendis attingunt. Vnde constat, præque oculis est habendum pro re præsenti: *Meritorios* actus Christi Domini esse simpliciter infinitos in genere meriti: Idque verum esse de singulis: *Deinde* eos, & insimul orationem, forè summæ efficaciæ in actu secundo ex intrinsecis, positâ efficaci Christi ipsius applicatione: *Insuper* potuisse Christum æquè mereri per actus naturales, si eos eliceret: *præterea* nullum esse posibile præmium, quod non superetur à condignitate meritorum: Christum *denique* incapacem fuisse præcepti, necessitantis, & obligantis, atque adeò fuisse in morte, aliorumque quæ habuit, præceptorum impletione liberrimum. Restant tamen aliæ difficultates examinandæ, tùm pro præsentis materiæ comprehensione: tùm pro luce Doctrinarum, per quas prædictis controversiis satisfacere *supra* conati sumus. *Suprà lib. 3. & 4.*

SECTIO I.

STATVITVR, ET EXPLICATVR IN Christo libertas sufficiens ad merendum.

§. I.

RATIO DVBITANDI.

2 DIfficultas instruitur sic: libertas sufficiens ad merendū nō est utcumque libertas à coactione, sed libertas à necessitate; id est, libertas indifferentiæ; atqui in Christo non fuit libertas indifferentiæ: ergo nec libertas sufficiens ad merēdum. Major est *de Fide* contra propositiones *Baii*, & *Iansenii*. Minor probatur primò: quia ubi concurrunt duæ potentiæ appetitivæ inæquales, bene invicem ordinatæ; quæ est inferior subjacet Superiori, istiusque motu rapitur necessariò: unde sola superior est actûs domina: ut patet in appetitu sensitivo, & Rationali ipsius Christi: atqui in ipso Christo concurrunt duæ Voluntates, quarum humana est inferior respectu Divinæ, illique subjacet, & ambæ sunt ordinatæ: ergo Humana necessatiò rapitur à Divina, & hæc est solùm domina actûs: ergo Christus ut homo (quâ solùm voluntate mereri potest,) non habet libertatem indifferentiæ.

3 Probatur eadem minor secundò: Nequit illa voluntas habere libertatem indifferentiæ, quæ pro priori ad actum est inevitabiliter connexa cum actu; atqui Christi humana volūtas pro priori ad singulos actus fuit inevitabiliter connexa cum ipsis: quod ostendo: Nam pro priori, & inevitabiliter inerat Voluntati Christi scientia Beatifica, quæ videbat Divinam prævisionem de singulis actibus suis quoad substantiam, & omnes singulas circunstantias, & quâ videbat eosdem suos actus omninò: talis autem visio est simpliciter incomposibilis cum eorum omissione, & alioqui inevitabilis: incomposibilis: quia essentialiter vera, inevitabi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis, quia Christi anima non poterat non esse beata: ergo ratione istius visionis fuit inevitabiliter connexa cum singulis actibus, idque pro priori.

4 Probatur eadem minor tertiò: quia libertas sufficiens ad meritum non est utcúque libertas indifferentiæ, sed libertas indifferentiæ, non solùm physica, & materialis, sed formalis, & moralis; atqui in Christo non fuit hujusmodi libertas: quod ostendo: Nam libertas indifferentiæ formalis, & moralis est indifferentia ad actus inæquales, seu libertas à necessitate ponendi tantumdem boni, quantum est ipsum, per quod mereri dicimur: atqui Christus non fuit liber à necessitate ponendi tantundem boni, quantum esset illud per quod meretur: ergo &c. Probatur hæc minor: quia Christus non solùm erat impeccabilis, sed incapax moralis imperfectionis, & utens ad obsequendum dignitate supplente quemcumque defectum æstimationis in operatione, eamque infinitante in genere placentis Deo, & in lineâ meriti, & obsequii; atqui qui sic operatur nō potest esse liber à necessitate ponendi tantundem boni, quantum sit illud per quod meretur: ergo.

5 Vrgetur: vel Christus magis placet & conformatur voluntati Divinæ per actum, quem hic & nunc elicit, quàm placeret, & conformaretur per omissum, vel non? Si primum: ergo placeret vel æquè vel magis. Si æquè: ergo est necessitatus ad æquè placendum Si magis: quomodo meretur omisso honestiori? Si ergo primum: qui potest fieri, ut non esset moraliter imperfectus, omittendo actum quem elicit, cum eoipso esset minùs conformis Regulæ primæ Moralitatis, & Honestatis. Hæc difficultas Theologos divisit in varias opinandi vias.

§. II.

QVALIS IN CHRISTO DOMINO libertas?

6 PRima Conclusio: Christus Dominus non fuit ita liber, ut cessare posset liberè ab omni actu honesto, & secundùm se meritorio. Est contra Modernos secutos Ripaldam, & Oviedum, qui aliter expedire se nequeunt à difficultate propositâ. Ratio Conclusionis est mihi primò, repugnantia omissionis puræ liberæ: quâ hic suppono, & ostendam *alibi*: unde sic secundò argumētor:

Contra Ripalda. Ovied. & alios.

Alibi in 1. 2.

potest Christus constitutus in proximâ libertate ad operandum se determinare per puram omissionem omnis actus honesti: ergo necessitatur operari aliquam actum honestum. Sed quivis actus Christi Domini honestus est summè meritorius ex *disp.* 4 ergo. Secundò: quia vel quòd Christus cesset ab omni actu honesto, est majus beneplacitum Dei, vel non? Si secundum: ergo Christus cessans, & otians opponitur Regulæ moralitatis: ergo est positivè imperfectus moraliter. Si primum: video summam repugnantiam in eo quòd Christus cognoscat esse majus beneplacitum Patris, ipsum non habere actum, quo se illi conformet. Tertiò: quia cessare ab omni actu honesto, est uti dominio libertatis, modo parùm decenti, & apud me reprehensibili, & defectuoso: est enim otiari, cum notitia summorum beneficiorum, ab obsequio Benefactoris, & Patris optimi.

7 Secunda Conclusio: Christus Dominus non fuit ita liber, ut posset eligere inter infinitos actus sursùm, & deorsùm perfectione, & honestate entitativâ inæquales: quasi sphæra electionis Christi fuerit infinitudo specierum, in quibus neque maxima; neque minima posset designari in infinitum, & infinitudo individuorum in quavis specie, in quibus neque maximum, neque minimum honestatis posset in infinitum designari. Est contra alios Modernos secutos insinuationem Patris Aldreti, tentantes sic occurrere rationi dubitandi.

Contra Aldret. & alios.

8 Ratio mihi non est quam assignat Herrera *quæst. 8. de Voluntate sect. 6.* nempe, neque eam libertatem sufficere ad laudabilitatem, & meritum, semel exclusâ sufficientiâ ad merendum in libertate ad actus æquales. Contra enim est: nam, quicquid sit de tali doctrinâ: qui sic esset necessitatus operari, quomodocumque operaretur, semper eligeret ultra id, quo suæ necessitati satisfaceret: nam posset satisfacere per infinitè minùs: quòd ergo hic & nunc non esset ipse infinitè minùs honestus in operando, laudabile est, cùm ex suo arbitrio talis sit. *Alibi* fusiùs, & expensiùs.

P. Herrer.

9 Ratio igitur mihi est primò: quia id est omninò confundere quæstiones per recursum ad infinitates hujusmodi, ubi difficultas absconditur, non vitatur. Tertiò: quia quicquid sit, an possit Christus elicere actus magis, & magis entitativè intensos, & perfectos in infinitum (quod mihi est difficile, statu-

Suprà disp. 1. statutà jam *disp.* 1. mensurà certà gratiæ & habituum) tamen quòd possit elicere actus minùs, & minùs perfectos in infinitum, est mihi omninò difficile, & impossibile. Difficile, quia ex Scripturis constant species ex quibus Christus operabatur, & operari debuit, quantum potuit. Impossibile: quia tale cēseo, quòd sit diminutio perfectionis, & intensionis in infinitum: nam necessariò veniēdum est ad primum intensionis gradum, & ad aliquid extra peccatum, & nihil præcisè, quod necesse est, sit minimum honestatis.

10 Tertia Conclusio: Christus Dominus fuit libet ad actus multipliciter dissimiles, & inæquales. Id concedo communi Sententiæ. Et ostenditur: nam imprimis inter actus Christi Domini potuit intervenire inæqualitas intensionis: deinde inæqualitas difficultatis: insuper inæqualitas commodi negle-cti: præterea inæqualitas benefaciendi: demum inæqualitas promovendi divinum honorem. Nihil horum negari potest, juxta nostra, & veriora principia: nam imprimis sine ulla imperfectione potuit elicere actum intensum ut sex, loco illius, quem elicuit intensum ut octo. Deinde potuit omittere mortem, & difficultatem ipsius. Insuper potuit non pati, quæ passus est. Præterea potuit nolle pati pro nobis, neque nobis benefacere, aut potuit minùs, & per minora. Demum quicquid ex his promovit Patris honorem, omittere potuit omninò liberè: ergo negari nequit inter extrema libertatis Christi multiplex inæqualitas, & quidem ea, quæ gratitudinem, honorabilitatem, laudabilitatem, & remunerationem concernit.

11 Quarta Conclusio: Christus Dominus non fuit liber ad actus disparis obsequii, & honestatis formaliter moralis, id est, ad actus in morali perfectione, & vi placendi, obsequendi, & merendi inæquales: si actus considerentur prout Christi. *Dixi*: si actus considerentur prout Christi: nam si quilibet actus, quem Christus elicit, comparetur *hic & nunc* cum actu prout omisso, erit maximè inæqualis: nam actus omissus, prout omissus à Christo non est conformis *hic & nunc* beneplacito Dei; & est actus, quem ipse pro libito elicit.

12 Ratio autem conclusionis est primò: Christus est in operando, utens dignitate simpliciter infinitâ, & cōdignificante quamcumque actionem ipsius, quantum excogitari potest in lineâ placendi obsequiosè, & meritoriè: est enim Dignitas, quoad effectum obsequii, & placendi, supplens quemcumque defectum honestatis, perfectionis, & intensionis, ex quibus in lineâ meriti, & obsequii crescere posset actus: ergo Christus non est liber ad actus disparis obsequii, & honestatis moralis. Secundò: quia Christus, quemvis actum eliciat, æquè Deo placet, & conformatur tanquam Regulæ omnis honestatis: imò tam placet, & conformatur, ut nequeat magis: alioquí posset in operando placere minùs, & minùs conformari, atque adeò posset operari cum dignitate reprehensionis: nam omnis defectus conformitatis cum regula honestatis, & omnis defectus tituli ad placendum Deo est positiva imperfectio, ut *supra* ostensum est: ergo Christus est necessitatus ad actus æquales obsequii, & honestatis. Tertiò: quia tota perfectio moraliter operantis, eatenus sumitur ex majori vel minori intensione operationis, quatenus per hanc vel per illam magis, vel minùs placet, & cōformatur primæ Regulæ: ergo qui quomodolibet operetur, æquè necesse est placeat, & conformetur primæ Regulæ; sive operetur intensè, sive remissè, necesse est ipsum æquè benè & honestè moraliter operari, seu in lineâ moris. Talis autem est Christus ex totâ *disp.* 2. *Suprà disp.* 2.

§. III.

MENS NOSTRA CIRCA CHRISTI DOmini libertatem.

13 QVinta Conclusio: Fuit in Christo nihilominùs libertas omninò sufficiens ad merendum. Est veritas *de Fide*: & *rationi* naturali, & supernaturali conformis omninò. *De fide*: nam Christo in Scriptura tribuitur passim electio, qui actus est ejus qui libertatem habet indifferentiæ. Videatur Suarez *disp 37. sect.* 2. Est rationi naturali conformis: quia libertas indifferentiæ est magna perfectio hominis, nec incompossibilis cum fine Incarnationis, imò ipsi necessaria: Humanitas autem debuit assumi, & reipsà est assumpta cū omni perfectione connaturali, compossibili cum fine Incarnationis. Item rationi supernaturali: quia Redēptio præstita est per opera meritoria, & satisfactoria. *Suarez.*

14 Vt autem hæc Assertio maneat undecumque firma, & exinde rationi, & difficultati Theologicæ initio propositæ plenè satisfiat, exhibenda est hic *triplex* Propositio: *A nu.* 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prima: etiamsi ad merendum requiratur libertas ad actus inæquales, ea non defuit Christo, quanta requiritur. *Secunda*: fortè non requiritur ad merendum in Christo libertas ad actus inæquales, sicut neque in Deo ad titulum laudis moralis: licèt ad utrumque requiratur in nobis. *Tertia*: sufficit ad merendum libertas ad actus paris obsequii, & honestatis, etiam cum necessitate vagâ ad alterutrum. Si hæc vera sunt, actum est de præsenti difficultate.

15 Et pro *prima* propositione sunt plures Theologi, alio fortè sensu, quàm nos, ut patebit. Pro *secunda* vidi nemnem. Pro *tertia* sunt Magni Theologi Vazquez *de Incarnatione disp.74. cap.5.* Valentia *de Incarnatione quæst. 19. punct. 2.* Meratius *disp. 43. sect. 4. de Incarnatione.* Koninch, Salas, & Præpositus apud Herreram *tract. de Voluntate quæst.8. sect. 1.* ex P. D. Gaspare Ortiz de Moncada *in Manuscrip. de Mer. controv. 4. deq. Incarn. controv. 2. cap. 2.* Clarius Ruiz *disp.8. de Provid. sect.7.* Lessius *lib. 2. de Summ. Bon. nu.* 185. Gaspar Hurtado *de Incarnatione*, & Araujo *ibid.* disputantes *de libertate Christi cum præcepto.* Clarissimè Herize *disp.18. nu* 39. Moncæus *disp.9. cap. 12.* Granad. *de Actib. Hum. tract.12. disp.7. sect.2.* Antonius Perez, licèt oppositum insinuet *in primam partem* id planè docet *1. 2. tract. de Vitiis & peccat. disp.2. cap.2.* Ortega *de Incarn. controv.6. disp 1. quæst. 3. certam.3.* Ex parte Quiròs, & Suarez: ille *in 1. p. tract. de Voluntate disp 74 sect.3.* Iste *3. de Grat. lib 12. cap.3. nu 7. & in 3. p. disp. 37. sect.4. fine.* Tandem Doctissimus Pater Thomas Manuella *p. sum in volum. de Incarnatione*, citans alios; quibus accedunt acuti Magistri tùm ex nostrâ, tùm ex *Castellana, Toletana, & Betica* Provincia: ut mirer putari *à nonnullis* exoticam hanc discurrendi viam: & certè vix resistunt, nisi qui nimis hærent ad humana commercia in rerum æstimatione. Accingamur in opus.

Vazquez. Valentia. Meratius. Koninch. Salas. Traposit. Lessius. Ruiz. Gasp. Hurt Herize. Moncæus. Granad. Ant. Per. Ortega. Quiròs. Suarez. Manuella. Gasp. Ortiz de Mõcad. Maginus Thead. Mauris.

16 Prima Propositio: Etiamsi ad merendum requiratur libertas inter actus inæquales, ea non defuit Christo, quanta requiritur. Ostenditur primò: quia licèt Christus esset necessitatus ad operandum moraliter per actus paris honestatis internæ, & quasi magnificativæ: tamen erat liber ad exercendam totam hanc honestatem cum summa inæqualitate favendi, & promovendi honorem Dei; atqui hæc inæqualitas sufficit, ut tota operatio sit laudabilis, meritoria, & digna gratiarum actione: ergo. Major patet *ex tertia Conclusione.* Et minor ostenditur primò: quia non requirunt ad laudabilitatem moralem in Deo communiter alium titulum Adversarii. Secundò: quia ea inæqualitas electionum supponunt libertatem simpliciter moralem, & æstimabilem. Tertiò: quia qui sine lucro liberè procurat & zelat honorem alterius, & aliis favet, quia Principi placet, eò magis est dignus remuneratione, & æstimatione, quò magis est incapax commodi, & lucri proprii, ut patet ex ipsis terminis; atqui Christus liberè procurabat honorem Patris, & favebat hominibus propter ipsum, sine lucro: quippe tantam honestatem haberet in se, aliter operando: ergo magis fuit dignus remuneratione, & æstimatione morali. Ostenditur secundò: quia quic quid sit de æqualitate honestatis, fuit tamen summa fere dissimilitudo inter actus, per quos eam exercere Christus potuit: atqui ista dissimilitudo sufficit: nam quòd sit hæc virtutis species, aut tanta perfectio, unicè à libertate Christi veniret: quæ libertas frigidè diceretur purè physica, & materialis.

17 Secunda Propositio: Fortè non requiritur ad merendum in Christo libertas ad actus inæquales, sicuti neque ad moralem laudabilitatem in Deo, licèt requiratur in nobis. Id dico cum formidine. Suaderi tamen potest primò: quia ideò in nobis non sufficit libertas ad actus æquales (si fortè nõ sufficit) quia tota honestas operationis non existit in nobis ex usu libertatis nostræ, sed aliundè; atqui modus quo Christus est necessitatus ad actus æquales, finit locum, ut tota honestas sit ex usu suæ libertatis: quod ostendo: quia ex usu libertatis Christi, ipsa electio, & electionis objectum præponderat omissioni in æstimatione divina, & est hic & nunc, quod magis est conforme Divino Beneplacito: Nam Christus ex sui dignitate, ut explicui *lib. 4. disp. 6. sect. 2* mansit Vice Regula honestatis, & Moralitatis, & cum jure, ut quod eligeret ipse, id ipsum maneret ratum & magis placitum Deo: atqui repugnat, quòd ex usu libertatis Christi electio præponderet omissioni in æstimatione divina, & hic & nunc sit magis conformis Divino beneplacito, quin summa honestatis existentia pendeat ex usu libertatis in Christo: ergo.

Suprà lib. 4. disp. 6. sect. 2.

18 Suaderi potest secundò: quia necessitas, quam nos possumus habere ad honestatem est adventitia, nec naturalis nobis. Christo autem est omninò naturalis, & quæ reddit ipsum præcisum ab usu libertatis summè æstimabilem: repugnat autem in terminis, quòd additus titulus libertatis, totam eam æstimabilitatem extinguat, & quòd novo jure operationis liberæ non sit demùm æstimabilis tota ea necessitas naturalis dignitatis, quæ est in personâ operante.

§. IV.

MENS NOSTRA CIRCA SUFFICIENTIAM libertatis ad actus æquales in ordine ad meritum.

19 TErtia, & capitalis propositio: sufficit ad merendum libertas ad actus paris obsequii, & honestatis, etiam cum necessitate vagâ ad alterutrum. Probatur primò authoritate Aristotelis *3. eth. cap. 2.* dicentis: *Electio quidem laudatur ex eo, quia est ejus quod oportet magis, vel quia est recta*: non ergo requiritur ad laudabilitatem electionis, seu moralem, excessus ad extremum omissum. Probatur secundò ab exemplo. Nam in Christo Domino in omnibus, & singulis actibus reperitur summa dignitas laudis obsequiosæ, & meritoriæ: & tamen, fiunt cum necessitate ad operandum summè in lineâ meriti, & obsequii, & moralis honestatis, atque adeò sine libertate ad actus inæqualis honestatis: ergo sufficit ad merendum libertas ad actus paris obsequii, & honestatis. Evasiones dari solitæ, præclusæ jam sunt.

Aristotel.

20 Dici enim solet primò: Christum potuisse omittere omnem actum meriti, & obsequii. Hoc impugnavi *in prima Cõclusione.* Dici secundò solet: esse liberum ad actus disparis intensionis. Contra primò: ergo si Christus eliceret actum unicè intensum ut unum, nec mereretur, nec obsequeretur, nec laudari deberet. Quam consequentiam deglutiunt: immeritò tamen: nam vel ille actus est liber, vel non est liber, morali libertate. Liber est, & liberrimus: ergo habet in se resasam summam æstimationem personæ, supplentem omnem defectum intensionis, & honestatis intrinsecæ: ergo superat æstimationem cujuscumque intensionis: quomodo ergo ex defectu intensionis desinit esse meritorius?

21 Contra secundò: si ergo Christus necessitatur ad duos actus, quorum alter sit intensus ut unum, & alter ut duo, solùm potest mereri per excessum. Etiam hanc gluttiunt. Sed immeritò: Tùm quia id est subtrahere meritis Christi plures infinitates meriti. Tùm ob rationem proximè tactam. Tùm quia ille excessus finitus est. Dicunt condignificari à formâ infinitâ: non benè: nam in esse condignificati infinitè, non excedit extremum omissum. Contra tertiò: quia excessus purè materialis, & nihili æstimabilis non potest esse per vos materia laudis: atqui excessus intensionis in actibus Christi est purè materialis, & nihili æstimabilis, cum sine ipso æquè placeat: ergo.

22 Probatur tertiò, & à priori: cum necessitate ad actus paris honestatis, & obsequii potest componi electio honesti simpliciter, & moraliter libera: ergo cum necessitate ad actus paris honestatis, & obsequii potest componi titulus ad laudem moralem, & ad meritum. Consequentiâ negat novissimè quidam Complutensis noster *in manuscriptis de merito* singulariter asserens libertatem ad actus æquales sufficere ad electionem moraliter laudabilem, non verò meritoriam. Immerito tamen: nam electio meritoria, quid addit ad electionem moraliter laudabilem, præter inferioritatem eligentis? quare ea Consequentia certa est: nam laus moralis venit ab electione honesti simpliciter, & moraliter liberæ.

Mag. Complutensis.

23 Antecedens, in quo est difficultas, ostenditur primò: quia cum necessitate ad actus paris honestatis potest componi magna dissimilitudo inter ipsas electiones virtuosas: puta enim, quem necessitari ad unũ actum temperantiæ, vel alterum misericordiæ: quæ dissimilitudo motivorum componi potest cum pari honestate: quis autem asserat eum, qui eligit esse honestum honestate temperantiæ: non elegisse moraliter, & moraliter simpliciter per ipsum abesse, ne sit misericors? sed de hoc infrà. Secundò: quia cum ea necessitate componi potest electio orta ex dictamine & advertentia ad honestum, & ad conformitatem ad regulam honestatis: quod genus eligendi non est physicæ, & materialis libertatis, sed formalis, & moralis. Tertiò: quia id quod potest esse materia, & titulus honestissimæ libertatis, & summè laudabilis in operando, & eligendo, non potest non esse materia electionis simpliciter moralis: atqui inter actus æquales, hic præ illo potest esse materia, & titulus honestissimæ, & summè laudabilis libertatis in operando, & eligendo: ut patet in Deo

præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædefiniente hunc præ illo: quis autem putet, conformari me cum actu divino, non non esse, electionem simpliciter moralem? Quartò: eatenus electio inter æquales non est æstimabilis, quatenus deest æstimator hujus præ illo; at respectu Dei non deest: ut patet in casu proposito. Quintò: ideò electio inter æqualia non censetur simpliciter moralis electio: quia hoc moraliter reputatur illud, id est, quia tantum est hoc quantum est illud: atqui hoc non obstat: quia licèt unum æquè æstimetur, ac aliud, non tollit quòd totum quod hic, & nunc existit, existat ex usu meæ libertatis.

24 Probatur quartò etiam à priori, & illustrantur præcedentia. Necessitas vaga placendi per hanc aut illam operationem, non potest esse ratio ne placeam, dum eligo hanc vel illam operationem: ergo necessitas æquè placendi per hanc, aut illam operationem non potest esse ratio, ne placeam, dum operor eligendo. *Dicis*: qui sic operatur, placet quidem in operando; non verò placet, quia eligit. *Contra*: Per te, qui sic placet, redditur ipsa operatione placens: nam redditur placens per id quo redditur honestus, & operando redditur honestus, cum honestas in operatione consistat. atqui ipsa operatio est electio: neque enim illa necessitas potest sortiri effectum, nisi medio usu libertatis meæ. *Dicis* iterum: ea libertas non reputatur moraliter in ratione libertatis: atque adeò qui sic operatur, moraliter censetur, ac si necessariò operaretur. *Contra*: Eatenus ea libertas dicitur non putari libertas moraliter, quatenus iste quomodocumque operetur, æquè placet; & extrema, inter quæ versatur libertas, non sunt moraliter plura, sed unum, & idem: hic est Achilles Adversariorum: quem ut deturbem,

25 Arguo sic: Esse extrema, inter quæ libertas exercetur, moraliter unum, vel est, exerceri sini libertate attendente ad regulam honestatis: vel est, utrumque pertinere ad eandem speciem moralitatis; vel est, utrũque eádem indivisim gaudere moralitate intrinsecà, vel tandem est, ea exerceri sine excessu unius ad alterum, ita ut extrinsecà moralitate sint idem, id est, unum æquè valeat ac aliud, nec per unum non possit operans plus placere quàm per aliud, atque adeò in æstimatione extrinseca & hominũ, perinde sit unum, ac aliud. *Primum* est omninò falsum: nam Agens liberum in lineà honestatis necessariò advertit ad rationem honesti in operando: atque adeò in hoc sensu, ea libertas moralis est, & usus libertatis est moralis. *Secundum* nihil obest, ut est evidens: quod enim extrema libertatis pertineant ad eandem lineam moralitatis, & virtutis non potest esse ratio, quæ moralem laudabilitatem impediat. *Tertium* etiam est falsum: nam libertas, & moralitas intrinseca consistit in actuum entitate, atque adeò non potest non esse diversa si entitas actuum sit diversa.

26 *Quartum* dici solet, & id ipsum non obstare contendo primò: quia ea est ipsissima quæstio: unde patet Adversariis nullam aliam esse probationem quæstionis, quàm ipsam quæstionem: nam quid esse moraliter idem illa extrema, nisi esse paris valoris, & honestatis, & æquè valerè? id aurem dicere pro ratione an hæc libertas sufficiat, est omninò dicere, non sufficere, quia non sufficit. Secundò: moralis identitas extrinseca, qualis est quæ consistit in æstimatione prudentum, non tollit diversitatem moralitatis intrinsecæ, in quâ consistit tota laudabilitas: ut est per se notum. Quidquòd sunt multi prudentes qui contrà sentiunt. Tertiò: quia hoc æquè valere ac illud, non tollit quominùs totum hoc, per quod ipse nunc valeo, & placeo, sit quia eligo, & prout eligo: & solùm est, mè æquè per aliud placiturum: ergo licèt obstet, ne plus ego lauder, obsequar, merear, quàm laudarer, obsequerer, & mererer, obstare non potest, ne placeam, obsequar, lauder, & merear.

27 Probatur quintò etiam à priori, & ubertiùs illustrantur præcedentia. Ratio laudis, & meriti respectu Dei non stat in exhibitione liberi boni utilis Deo, aut augentis intrinseca bona Dei, vel mediatè vel immediatè; sed consistit in exhibitione liberà operis Deo placentis: Atqui cum necessitate ad æquè placendum per hoc aut illud opus, relictà nobis determinatione in particulari, stat libera exhibitio operis Deo placentis: ergo & ratio meriti respectu Dei: quicquid sit de merito respectu hominum aliter obsequia æstimantium: unde ex æstimatione hominum hujus sęculi non est metienda ratio nostri meriti erga Deum.

28 Distinguis minorem: stat exhibitio libera moraliter, negas: physicè, concedis. *Contra*: dum negas esse moraliter liberam, negare non potes exercitium in lineâ motis liberum: quid ergo negas? *Dicis*, negare te, esse liberam æstimativè: quia æquè placeres ali-

aliter operando. *Contra*: ideò, perte, qui sic operatur, non operatur laudabiliter, & moraliter in sensu vestro, quia honestatem quam exercet, omittere non poterat in altero saltem individuo: sic arguo: licèt honestatem, quam exercet, æquivalenter omittere nequeat operans in altero saltem individuo, non tollit quòd tota hæc honestas non sit ipsi libera in hoc individuo: nam ipsi hoc individuum est liberum: ergo nõ tollit, quominus tota hæc honestas sit hic & nunc, & prout est in rebus ipsi libera in lineâ moris. Atqui id sufficit ad laudem, & meritum respectu Dei.

29 Probatur hæc minor: quòd tota honestas, quæ existit, existat hic, & nunc, prout existit ex usu libertatis, licèt omitti nõ posset saltem in altero individuo, est exhibitio libera operis Deo placentis, quatùm ad merendum respectu Dei requiritur. Quod ostendo: quia ad merendum respectu Dei sufficit exhibitio honestatis ita liberà, ut potiùs maneat Dei, quàm nostræ libertatis, atque adeo potiùs sit Deo attribuendum quòd simus honesti, quàm nobis; atqui ea necessitas ad summum id præstat, ut nostra libertas circa exhibitionem operis tanta non sit, ut licèt tota honestas existat, prout existit, ex nostro libito, potiùs sit Deo attribuenda quàm nobis: ergo ea necessitas non tollit, quominus ista libertas sufficiat ad rationem meriti, & laudis respectu Dei. Major ultimi syllogismi est omnium Patrum, & Conciliorum: voluit enim Deus dona sua esse merita nostra, ut dixit Tridentinum, & alibi nos ostendimus. Minor autem patet: quia licèt ipsi Deo antecedenter necessitati ad unum è duobus honestis, tribuenda sit existentia honestatis non tollit quòd modus, quo honestas existit in nobis, non sit nobis libera, atque adeò solùm exinde fit potiùs Deo quàm nobis tribuendum, quòd hic, & nunc honesti simus, & ipsi placeamus, quod merito respectu Dei non repugnat.

30 Probatur textò etiam à priori. Si qua ratio obstat, ne libertas ad actus æquales sufficiat ad meritum, maximè: quia quod omitti non potest, non reputari debet ad laudem, & meritum: atqui hoc est manifestè falsum: ergo liberras ad actus æquales sufficit ad meritum. Major est fundamentum Adversariorum variâ phrasi propositũ. Probatur Minor primò: quia nihil magis reputatur ad laudem, & meritum, quàm ipsa ratio exercitii liberi: si enim secernatur ab honestate ratio liberi exercitii, eòipsò desinit esse imputabilis: atqui ratio exercitii liberi omitti non potest ab eo, qui liberè operatur: nam quomodocumque operetur, poneret rationem liberi exercitii. Neque curo Herreram, satis sollicitum de solutione, tandem per quæstionem ipsam exhibitã. Secundò: qui operatur necessitatus ad actum ut octo, vel ut sex, & eligit octo, meretur per solum excessum unicè ad sex, qui omitti non possunt, & ideò per duo solùm meretur: jam sic: ille meretur per duo, quatenus addita supra sex: ergo meretur per duo, quia simul exercet sex: ergo ratio quæ omitti non potest, facit ut mereatur, & laudari possit: neque enim illa duo essent meritiva nisi prout conjuncta cum sex. Tertiò in eo qui necessitatus sit ad aliquem actum supernum: in hoc casu, supernaturalitas omitti non potest: & nemo, quem viderim, præter Herreram negat, eam etiam in tali casu conducere ad laudem, & meritum, & quidem principaliter. *T. Herrer.*

31 Probatur septimò à pari. Qui necessitatur ad duos actus paris obsequii, & honestatis, specie tamen motivi dissimiles, & diversos, quemcumque eligat, eligit cum libertate sufficienti ad laudabilitatem, & meritum: puta, esse alterum actum misericordiæ, alterum actum temperantiæ: ergo quomodocumque quis eligat inter actus æquales, eligit cum sufficienti libertate ad laudabilitatem, & meritum. Consequentia datur passim ab Adversariis, & mihi videtur omninò convincenda eisdem ipsorum argumentis contra nos.

Trident.

32 Antecedens autem, quod etiam est plurium ex Adversariis, ostenditur primò: quia qui sic eligit, suo libito potiùs est misericors, quàm temperans, & pro suo libito facit existere in rebus, & in se honestatem, quæ posit in se, & in rebus omitti, nempè misericordię. Id autem respectu Dei laudabile esse, & dignum præmio, patet exemplo Tutoris, quod adducit ingeniosus Recentior, frustrà ab Herrera morsus. Deus enim se gerit quasi tutorem virtutum: & ad eum modum, quo se gerit tutor respectu pupillorum: sicut ergo tutor tenetur æstimare beneficium uni ex pupillis factum, quasi solus hic esset: ita Deus debet remunerari quemcũque favorem virtuti particulari factum, quasi sola esset ea virtus, cui favetur: atqui qui suâ electione facit existere hanc speciem virtutis in se, & in rebus, favet *P. D. Gasp. Ortiz de Moncada.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ver particulari virtuti, potens non favere: ergo. Secundò: quia inter hæc extrema dantur sufficiens diversitas moralis, ut dicatur exerceri libertas plusquàm physicè.

33 Probatur octavò ab *absurdis*, quorum illa sunt apud me magni ponderis. *Primum*: Hominem necessitatum inter actum ut octo, & ut septem, non mereri nisi quoad excessum, nempè quoad unum; atque adeò nec magis, quàm qui sine ullâ simili necessitate operaretur actum ut unum. *Alterum*: eum ipsum, si operaretur actum ut septem, nihil meriturum apud Deum. *Tertium*: qui necessitatus est ad actum charitatis, vel misericordiæ, paris alioquin intensionis, nihil meriturum per actum misericordiæ. Hæc tria facilè devorant Adversarii, & mihi videntur omninò absurda: Tùm quia tola necessitas cogit ad hujusmodi sequelas subeundas. Tùm quia inde faciunt, quòd minor cessus in operando à modo operandi divino, & major à Deo favor homini præstitus reddant hominem pejoris conditionis præ eo qui minùs perfectâ libertate gaudet, & magis obnoxiâ non placendi Deo, Deoque magis dissimili, nec tantum adjuta. Tùm demum quia ad solum provenit ab illa æstimatione, quam prudentem dicunt: & mihi omninò iniqua videtur, cùm velit Deum & homines uno metiri gradu æstimationis, quoad respectum obsequiorum, & meritorum.

34 Objicio tandem *ultimum* inconvenientis, quod deglutire renuant. Nam inde fit hominem justum necessitatum inter actum ut tria, & ut duo, etiam eligendo actum ut tria neque meriturum de condigno, nec meritarum quidem. Ostendo primum: quia solùm per vos meretur per excessum: atqui excessus actûs condigni ut tria respectivè ad actum condignum ut duo, non est condignitas, seu ratio meriti condigni; quia hæc ratio omitti non potuit. *Dices*: omitti potuit in illo excessu, qui manet condignificatus. *Contra*: quia omnes illæ rationes in actuut tria, & in excessu, quæ non possent omitti, minimum operando, non debent esse materia laudis; sed talis est ratio meriti condigni. Secundum ostendo: quia sine supernaturalitate, libertate, & ratione meriti, non potest dari ratio meriti. & illæ rationes sunt inomittibiles, quomodocumque quis operetur. Mitto alia argumenta quæ fieri possunt, & solent à paritate laudabilitatis, & libertatis Divinæ.

Ob dicta lib. 2. disp. 1. à n. 124.

§. V.

OBIECTIONES CONTRA SUFficientiam prædefensam.

35 OBjices primò contra tertiam istam propositionem: libertas ad actus æquales non sufficit ad vituperabilitatem, & demeritum, si detur vaga necessitas ad alterutrum: ergo neque ad laudabilitatem, & meritum. Videatur de istâ paritate Pater Antonius Perez *tract. 1. qui est de vitiis, & peccatis disp. 2. cap. 2.* Imprimis nego suppositum antecedentis: necessitas enim vaga peccandi sic vel aliter, stare nequit cum lege, ne ullo modo peccetur; atque adeò est chymerica: nam peccari non potest in eo, cujus evitandi non est obligatio.

P. Anton. Perez.

36 Quare respondeo secundò, petendo exinde claram disparitatem: nam potestas peccandi est impræscindibilis ab obligatione non peccandi: est enim potestas faciendi contra legem: obligatio autem non peccandi stare non potest cum necessitate, cui ne metaphysicè quidem satisfieri nisi peccando potest: at potestas & libertas merendi apud Deum non debet esse potestas nullo modo merendi, aut placendi supernaturaliter Deo, quod idem est: & est evidens, & negari nequit etiam ab ipsis Adversariis: quo tum adversus disparitatè hujusmodi, nullus conatus est.

37 Secunda disparitas: quia Implicat institui vel à Natura vel à Deo necessitatem peccandi: non verò necessitatem obsequendi, & placendi Deo, id est, merendi. Tertia disparitas est: quia implicat in terminis, quòd recta ratio, & divina lex prohibeat, & dissuadeat simul & collectivè utrumque contradictionis extremum: qualia certè sunt extrema vagæ necessitatis: esset enim utrumque simul præcipere, cùm unum debeat mutuò omitti per alterum: at decet Deum, & Naturam Rationalem suadere divisim, & vagè utrumque vagæ necessitatis extremum. Quarta exinde disparitas: quia in casu necessitatis vagæ ad peccandum implicat notitia sufficiens ad peccandum; nam eliditur per notitiam quâ quis nosceret eoipso manere quod vis extremum reipsâ præceptum & honestûm: at in casu vagæ necessitatis ad merendum nulla deficit notitia ad moralitatè requisita.

38 Objicies secundò: Necessitatus ad actus paris honestatis, tantum boni impedit operando, quantum ponit; sed qui operando, tantum boni impedit, quantum ponit, nullam meretur laudem operationis: ergo neque qui operatur cum necessitate ad actus paris honestatis. Urgetur id variis arguendi formis. Primò: qui nec perfectionem in se promovet, nec in perfectione progreditur operando, non est laude morali dignus; sed qui sic eligit neque perfectionem in se promovet, neque in perfectione progreditur operando: ergo non est laude morali dignus. Secundò: qui suâ operatione non magis ponit, quàm impedit bonum, non est laudabilis; atqui sic eligens haberet se hujusmodi: ergo. Tertiò: Qui ita operatur, ut æquè bonum ipsi esset non ita operari, non est laudabilis quòd ita operetur: id quod exterminis videtur notum: sed sic se gerit qui operatur cum necessitate ad actus æquales: ergo. Tota argumenti, & confirmationum species instatur in Christo, & in Deo, quibus nihilominùs negari nequit moralis laudabilitas.

Exp. Mart Esparza.

Prima Solutio.

39 Respondeo ad argumentum: distinguendo minorem: tantum boni impedit ex fine impediendi bonum, nego: ex fine honestatis, & habendi in se liberè totam honestatem, quam potest habere, concedo minorem, & nego consequentiam: nam similiter qui succurrit Pauperi, cui scit, se non succurrente, alium æquè succursurum, tantum boni impedit, quantû ponit: & meretur. Ad primam Confirmationem: distinguo minorem: neque promovet, neque progreditur, plusquam aliter operando promoveret, & progrederetur, concedo: æquè ac aliter operando, factâ comparatione ad signum suæ libertatis, nego: aliud enim est, non plus progredi: aliud, non progredi. Iste, licèt non plus, sed æquè, progreditur tamen: quia incipit habere liberè totam honestatem, quæ in ipso hic & nunc potest esse. Ad secundam patet ex iis, quæ ad argumentum. Et negari posset major: quia ponere bonum, ad quod non teneor, laudabile est: omittere autem bonum, quod non teneor ponere, non est reprehensibile. Deinde nego minorem: quia ille plus operatur ex fine ponendi, quâ ex fine impediendi bonum. Ad tertiam distinguo majorem: qui ita operatur, ut æquè bonum ipsi esset non ita operari, quia non ita operari, esset æquè benè operari, faciendo sibi liberam ita operando bonitatem actionis, nego: quia ita operari esset otiosè, & inutiliter operari, concedo: & hic sensus

Altera Solutio.

noster est ille vulgaris, dû ita nos loquimur, & cui nimis fidit Adversarius.

Communis Objectio.

40 Objicies tertiò, ex eo quod inter homines accidit: Nam imprimis qui debet decem, non est laude dignus, quod hæc, aut illa solvat. Deinde qui necessitatur alteri dare centum, non meretur gratiarum obsequium, quod vel argento solvat, vel auro; aut his, vel illis nummis aureis. Demum qui necessitatur alteri vel honorem, vel divitias dare, supposità inter ea æqualitate æstimationis, non potest in eligendo parare sibi materiam laudis, & obsequii: ergo similiter in nostro casu qui necessitatur ad actus æquales, nullam meretur laudem apud Deû. Miror hæc adeò præsidenter à Theologis objici, coactis alunde catholicè dicere, plus requiri plerumque ut mereamur apud homines, quàm apud Deum, debitâ proportione. Nam apud homines nemo meretur per id ipsum, quod est donû ipsorum, & magis ipsorum apud quos meremur, quàm nostrum, qui meremur: & tamen sic, nec aliter mereri possumus apud Deum.

41 Omisso ergo antecedente (de quo dubitari posset, si inter homines esset qui res æstimaret more divino) nego consequentiam. Disparitas est: quia homines unicè res æstimant ex fine utilitatis, ultra sibi humanâ æstimatione jam debitam, & inevitabilem alioqui: ubi enim nullus est excessus boni commodi, lucrosi, & utilis, ultra id ad quod ipsi censent sibi esse jus, nulla intervenit circunstantia moralis æstimationis, id est, quæ fit ab hominibus, juxta regulas quas eorum prudentia dictat attendendas in rerum æstimatione. At Deus aliter res æstimat: non quidem ex ratione utilis, & excessu utilitatis: cujus præ sui felicitate est incapax, sed ex ratione honestatis hîc, & nunc liberè existentis in homine: quam quidem etiam in necessitato ad actus æquales simpliciter invenit: & saltem ratione favoris liberè hîc & nunc præstiti huic, vel illi virtuti, quarum quasi tutor est Deus: & hunc etiam favorem simpliciter invenit in eo qui necessitatus inter actus æquales saltem dissimiles, hunc præ illo eligit.

Objectio Principalis.

42 Objicies quartò: Nemo laudabilis est in eo, quod vitare non potest: qui enim aliquid vitare non potest, non operatur liberè: & sine libertate non potest esse laudabilitas: ergo nemo est moraliter laudabilis in eo quod moraliter vitare non potest: & ratio est, quia libertas, quæ aliquid morali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter vitare nó potest,nó est libertas moralis, sed physica. Physica autem libertas non sufficit ad laudem moralem. Nunc sic : atqui necessitatus ad actus æquales non potest moraliter evitare, quod præstat: ergo in eo quod præstat, non est moraliter liber, aut laudabilis.

43 Probatur minor subsumpta: ille non potest moraliter evitare quod præstat, qui moraliter cessare non potest ab eo quod præstat: atqui necessitatus inter actus æquales non potest moraliter cessare ab eo quod præstat: nam cessare non potest ab utroque extremo necessitatis; sed utrumque est unũ, & idem moraliter : quod patet : esse enim duo moraliter unum, & idem, est mensurari æquali æstimatione prudentum, ita ut solùm differant in eo, ad quod non attendit moralis distinctio, & æstimatio : atqui duo æqualia in ratione obsequii, & honestatis mensurantur æquali æstimatione, nec differunt nisi penès id, quod non attendit moralis distinctio, & æstimatio: ergo sunt unum & idem moraliter.

44 Confirmatur primò : nisi præstes aliquid æstimabile supra id ad quod necessitaris, æstimari non debes : quia ex tuo nihil ponis æstimabile ; sed qui necessitatur ad actus æquè honestos, nihil ponit honestum, & æstimabile, ultra id, ad quod necessitatur: ergo. Confirmatur secundò: Necessitatus inter actus inæquales, si minimum eligit, non meretur: quia facit minimum quod potest: ergo similiter necessitatus ad actus æquales. In hoc argumento latet tota vis, vel æquivocatio Adversariorum : quam vel ut vincam, vel ut pellam

Ex P. D. Augustin. Herrera.

45 Noto duo. *Primum.* Ly moraliter (quà in voce nititur argumentum) multipliciter sumi posse. *Primò*, relativè ad potentiam operantem cum advertentia rationis : & ità sonat moralitatem intrinsecam imputabilitatis. *Secundò*: relatè ad motivum honestum: & ità sonat moralitatem virtutis. *Tertiò*, relatè ad certam speciem virtutis moralis: & ita sonat speciem moralis honestatis. *Quartò*: relatè ad æstimationem extrinsecam in ordine ad hunc vel illum finem seu effectum : & ita sonat prudens aliorum judicium : quod varios gradus habet juxta diversas, comparationes quæ fieri possunt: idque est semper virtuti extrinsecum.

46 *Secundum*, juxta hos sensus, etiam posse multipliciter unum comparari cum altero moraliter. *Primò* moralitate imputabilitatis, & libertatis : & tunc unum erit moraliter aliud, quando subsint eidem libertati, & imputabilitati physicæ, ut accidit juxta plures in actu imperante, & imperato. *Secundò*, moralitate motivi honesti: & tunc unum erit moraliter aliud, quando subsint eidem motivo honesto. *Tertiò*, moralitate speciei moralis, & virtuosæ : & tunc unum erit moraliter aliud, quando ad eandem virtutem pertinent. *Quartò*, moralitate extrinseca, & purè respectiva : & tunc unum erit moraliter aliud, juxta varios gradus, & rationes: in ratione valoris, si æquè valeant: in ratione honestandi, si æquè honestent: in ratione utilis, si æquè utilia sunt.

47 Factà tamen multiplici consideratione, possunt in hoc genere moralitatis extrinsecæ, & æquivalentiæ respectivæ, sic comparari res, ut una sit moraliter eadem cum alia quoad unum effectum, & quoad aliud sic moraliter, & æstimativè diversa. Sume in nostro casu duos actus paris honestatis; quantitativè idem sunt moraliter hoc genere moralitatis, solùm attendente diversitatem notabilem : constitutivè sunt diversi : nam unum constituitur per electionem sui, & exclusionem alterius. Vides, quò recidat extrinseca moralitas, quà nititur argumentum, cùm ad laudem nó sit attendenda nisi intrinseca moralitas. Dico laudem honestantem: nam de laude gratificativà, & humanà, censendum ex humanà æstimatione. Iam

48 Respondeo, concesso antecedente, modo, & sensu, quem simpliciter sonat, & quo catholicè debet accipi ; & distinguo consequens : nemo est laudabilis moraliter, moralitate intrinsecà imputabilitatis, & virtutis in eo quod moraliter vitare non potest, eo sensu moralitatis, concedo: in eo quod moraliter vitare non potest, moralitate æquivalentiæ, & purè extrinseca, nego: neque enim ex eo quòd moralitate diversitatis notabilis, aut moralitate æquivalentiæ vitari aliquid nequeat, quia nempe, eo omisso, ponetur æquivalens, desinit esse verum, quòd libertas procedat ex dictamine honesti, proque, suo libito, ponat quicquid honestatis est in rebus; atque adeò quòd sit libertas moralis, licèt non exercibilis nisi per actus, qui alio sensu moraliter sint idem & unum æstimativè.

49 Vnde patet ad totam speciem argumenti seipsà fallentem. Licèt enim necessitatus vagè ad actus æquales cessarè non possit ab utroque extremo, etiam metaphysicè atque adeò cessare non possit etiã metaphysicè ab actu, qui extrinseca moralitate diversitatis notabilis, sit moraliter idem cum eo quem exercet ; tamen intrinseca moralitate virtutis, & imputabilitatis neque physicè, neque moraliter necessitatur ponere id quod ponit : nam actus quem modò pro libito ponit, licèt quantitativè reputetur idẽ cum eo quem aliter poneret, in humanâ æstimatione sic eos comparante : est tamen ex multiplici capite diversus moraliter, moraliter intrinsecà, & imputabilitatis, quæ attẽdi debet ad rationem laudis honestę: imo & moralitate respectivâ, & extrinseca, si aliter fiat comparatio eorumdem actuum ut prudenter fieri posse vidimus *nu.* 45. 46. & 47.

50 Ad primam confirmationem, distinguo imprimis majorem : nisi præstes aliquid æstimabile supra id ad quod necessitaris, nihil pro tuo libito ponendo æstimabile moralitate imputabilitatis & virtutis, æstimari non debes, concedo : si quod ponitur æstimabile, ponitur à te moralitate virtutis & imputabilitatis, subdistinguo: æstimari non debes ab eo, qui non attendit nisi ad moralitatẽ extrinsecam utilis, aut notabilis diversitatis inter ipsa exercitia, transeat: ab eo qui non sic æstimat, sed ex honestate, & moralitate imputabilitatis, & virtutis, nego. Talis est Deus. Deinde secundò etiam distinguo: supra, id est, excedens, nego: supra, id est distinctum, cõcedo: qui autẽ necessitatur inter actus paris honestatis, quorum alter sit justitiæ, alter misericordiæ: pro libito ponit speciem virtutis, quæ quidem per se est æstimabilis. Ad secundam confirmationem dico eum, qui necessitatur ad actus æquales jam ponere maximum, quod potest. Deinde distinguo antecedens: qui necessitatur ad actus inæquales, & eligit minimum, non meretur, si teneatur ponere maximum, & vitare minimum, concedo: si ita non tenetur: subdistinguo: non meretur æquè, concedo : Minùs, quàm meteretur, nego. Ponit enim honestum exercitium suæ libertatis, licèt procedat tepidè in via virtutis.

51 Instabis, specialiter adversus præcedentem solutionem, ex Doctissimo Patre Ioanne Barbiano *in Manuscriptis de Merito*. Minoris : saltem meriti est opus sub necessitate ad æqualia : ergo nullius. Antecedens datur: & consequentia probatur. Ratio, cur sit meriti minoris, est ratio æquivalentiæ: ergo est meriti nullius. Probatur hæc : si ratio æquivalentiæ est ratio minoris meriti, minùs erit meritum quò erit æquivalentia major : ergo si æquivalentia crescit usque ad summum, meritum decrescere debet usque ad infimum: ergo nullum manet. Sed in casu nostro datur summa æquivalentia: ergo meritum nullum. Respondetur. Distinguo antecedens: minoris est meriti, cæteris paribus & præcisim ab excessu compensante, concedo. Si cætera sint imparia, nego antecedens: & consequentiam. Et ratio est: quia licèt ratio æquivalentiæ possit esse caput diminutionis in Merito : quia, nempe, supponitur libertas minor: at summa æquivalentia, nequit rationem meriti tollere, quin tollat omnimodam libertatem : cùm autem hanc non tollat, neque meritum tollit. Et ita to. Minoris est meriti, minor intensio Actus : ergo minima intensio est meriti nullius?

P. Joann. Barbiano.

52 Objicies quintò : saltem moralitas, quæ debet attendi ad dignitatem laudabilitatis, & meriti, est libertas operationis, ejusque dependentia à regulis morũ, medio dictamine Prudentiæ ; atqui necessitato ad unum ex Duobus æqualibus vagè, repugnat operari ex dictamine Prudentiæ : cui enim perinde est sic operari, ac aliter operari (quando necesse est sic vel aliter operari) ille non eget regula, vel dictamine in operando. Confirmatur: quia ex *Philosopho*, laudis & exhortationis eadem est materia ; sed necessitatus ad actus æquales non est capax prudentis exhortationis, & seriæ: ergo neque prudentis, aut seriæ laudis. Totum argumentum instatur in Deo & in Christo, in quibus negari nequit operatio ex dictamine Prudentiæ.

P. Martin. Esparza.

53 Respondeo, hominem necessitatum ad actus æquales usqueadeò operari juxta regulas prudentiæ, & morum, ut necessitas vaga sit ad operandum juxta hujusmodi regulas : cum hoc discrimine : quòd cognoscens, & gaudens de sui necessitate ad operandum juxta motiva Virtutum, & regulam honestatis, non eam attendit, ut nos solemus, quasi suasivam majoris boni, & ut promoveat statum suæ perfectionis magis quàm aliter operando promoveret, sed ut tendat in ipsam honestatem, quam æquè exercibilem sibi Prudentia dictat, medio tamen usu suæ libertatis, sine quo videt haberi non posse, atque adeò non posse Deo obsequi. Vnde directus à Prudentia, quòd æquè benè operabitur sic, vel aliter, & videns necessariam sibi esse electionem hujus vel illius operationis, ut honestas imputabiliter existat

Universidad de Deusto
Biblioteca

in ipso, gaudet in hoc eligendo potiùs quã in illo, ut materiam habeat laudis, &, ut solemus dicere, faciat ex ipsâ necessitate virtutem.

54 Ad Confirmationem constat satis de mente Philosophi ex *nu.* 19. ubi non requirit excessum inter electiones operanti possibiles. Quòd si alibi facit materiam exhortationis, eandem materiam laudis, vel loquitur de laude humanâ, & extrinsecâ: vel de materiâ laudis, ut communiter esse solet in nobis, nempe cum potestate deviandi à bonis moribus, per quos meremur laudem. Non tamen est ista libertas tam perfecta, quàm ea de quâ modo loquimur.

55 Objicies denuò: libertas ad actus æquales numerò solùm distinctos non sufficit ad laudem & meritum: ergo neque libertas ad actus specie distinctos, si æquales sint. Consequentia probatur primò: quia eadem videtur esse ratio. Secundò: quia ideò libertas inter actus honestos æquales numericè distinctos non sufficit ad laudem, quia tota honestas, quæ ponitur, non censetur ponentis; sed neque honestas, quæ ponitur a libertate necessitata vagè ad actus specie diversos alioqui pares, non debet censeri ponentis: cùm habeat necessitatem cui neque metaphysicè satisfieri possit nisi per tantundem honestatis. Tertiò: quia non est laudabilis laudabilitate morali, qui si honestus est, non est honestus, quia est liber: atqui qui sic necessitatur, non est honestus, quia est liber: ergo. Antecedens autem videtur ex terminis notum; sola enim differentia individualis in eo casu potest attribui libertati, quæ differentia non est honestas.

56 Respondeo primò, permisso antecedente, cujus veritas non est necessaria ad veritatem nostræ propositionis: Nego consequentiam. Disparitas primò est: quia differentia virtutis specificæ facit moralitatem simpliciter diversam, & est diversitas honestatis & honestas, quicquid sit de individuali differentia: quod patet; nam esse justum, diversum quid est ut ita cæca moris ab esse temperantem; & tota hæc species attribuitur libertati. Secundò: quia in tali exercitio libertatis necessario miscetur favor liberè præstitus virtuti particulari, cujus proinde tutor, aut quasi tutor, qui Deus est juxta discursum *n.* 32. propositum, decenter remuneratur: nihil simile intervenit cum necessitate ad actus solo numero distinctos. Exquibus patet ad primam consequentiæ probationem. Ad secundam, nego minorem, censeri enim debet ponentis, tota species virtutis, quæ honestas specialis est. Ad tertiam, nego etiam minorem: qui enim est justus, quia vult, est honestus quia liber.

57 Respondeo secundò, negando etiam antecedens, ut ex totâ doctrinâ probationum sequitur. Nec oppositum potest esse notum nisi ex terminis æstimationis humanæ multam ignorantiam involventis, nec hic attendendæ, cùm melior rerum æstimator sit, qui Deus est. Deinde eòipsò quòd libera sit differentia individualis honesti (quæ necessariò honestas est) debet esse libera tota species, cùm ea non existat, nisi individuata: quare qui liberè ponit speciem individuatam, totam honestatem, quam hic & nunc habet, habet mediâ suâ libertate: & in terminis implicat, quòd sit necessitatus ad non habendam honestatem nisi liberè, & quòd habeat honestatem quæ non sit in habente libera, & quòd ipse non sit honestus hic & nunc, quia liber, atque adeò laudabilitate morali laudabilis.

§. VI.

OCCVRRITVR RATIONI DVBITANDI supra propositæ.

58 REstat brevi dissolvere difficultatem initio propositam, cui concessâ catholicè majori, nego minorem, ut constat ex totâ doctrinâ præsentis controversiæ, & *ex 4. lib. disp. 5. & 6.* & insuper *ex hoc lib. disp. 2.* Ad primam probationem fateor in Christo, sicut duas naturas, ita duas voluntates, & ex ipsis duas electiones: Vtraque enim Natura, & utraque voluntas est libera, & cum dominio sui specialis actûs. Nec ista facultas eligendi in solidum obstat subordinationi: licèt enim earum neutra sibi alteram despoticè de necessitate subordinet: at humanam sibi subordinat Divina politicè, modo explicato *lib. 4. disp. 5. & 6.* Nec eadem est ratio de appetitu Rationali, & sensitivo: tùm quia uterque est ejusdem naturæ, tùm etiam quia sensitivus non est capax electionis. *Suprà lib. 4. disp. 5. & 6. & lib. 5. disp. 2*

59 Ad secundam quæ difficilior est, & de quâ videndi inter alios sunt P. Suarez *disp. 37. sect. 5.* & Martinon *disp 11. sect. 3. nu 19.* & præsertim Amicus *disp. 26. tota sect. 4.* Nego minorem, & quod assumitur. Christo enim inevitabiliter quidem inerat Visio *Suarez. Martinon. Amicus.*

quoad

quoad substantiam, quia de jure Beatus erat: visio verò quoad circumstantias, & maximè Divinæ prævisionis, & suorum Actuum liberorum in ipsâ, inerat ipsi liberrimè, & quidem cum dependentia ab iis eisdem actibus, quos liberè elicuit: nunquam enim extitisset, nisi quia liberè Christus sic erat operaturus. Vnde ea visio, & notitia inerat Christo non quidem pro priori ad eos actus, sed putè speculativè, & signatè & cum intrinseca ineptitudine ad dirigendum, atque adeò ad existendum pro priori, cùm ea ipsa cognoscat actus liberè eliciendos independenter ab influxu suo. Quæ sunt attendenda maximè pro similibus.

60 Ad tertium, *Constat* ex primâ propositione, non defuisse Christo Domino sufficientem inæqualitatem inter actus ad laudem, & meritum, licèt ea requiratur. *Constat* ex secundâ, non esse Christo necessariâ libertatem ad actus inæquales quoad effectum laudabilitatis, & meriti, licèt in nobis necessaria foret. *Constat* ex tertiâ, neque in Christo neque in nobis requiri ad obsequêdum, & merendum libertatem ad actus inæquales. Ex quibus tota difficultas multipliciter evanescit. Descendamus jam ad speciales præsentis materiæ difficultates.

Suprà lib. 4. disp. 2. à nu. 96. & Tract. de Aux cũ Koninch.

P. Amic.

SECTIO II.

PER QVOS ACTVS, ET QVO TEMPORE meruerit Christus?

61 PRima difficultas est: an Christus per omnes, & solos actus supernaturales, cæteroquin liberos, meruerit? Respondeo, per eos omnes meruisse, & per solos, si solos habuit, id est, si non habuit naturales actus virtutum: quod mihi verosimiliùs est ex insinuatis *lib. 4. disp. 2. à nu. 96.* & ex *alibi* dictis, ubi cum Koninch putavi probabilius, ne in justis quidem hominibus exerceri unquam virtutum actus naturales. Ratio primæ partis est, quia ii omnes actus potiuntur omnibus conditionibus quas ad conceptum meriti requirunt Theologi disputando de merito. Ratio secundæ partis sumitur ex doctrinâ *lib. 4 loc. cit.* positâ de discrimine inter naturales actus Christi, & justorum, deque illorum sufficientiâ, & condignitate ad merendum. Id quod Amicus exrendit ad actus etiam indifferentes, si possibiles sint, & si elicerentur à Christo Domino. Vide ipsum *disp. 26.* præsertim *num 43.* quem tamen penès id non approbo ex defectu honestatis, quæ fundamentum est omnis obsequii apud Deum.

62 *Secunda* difficultas: an Christus per eos omnes, & solos actus meruerit, in quibus intervenit titulus neglecti commodi, & contemptus liber, & arduus boni, seu commodi temporalis? Affirmat acriter Pater Esparza, ex Doctrinâ generali, quam statuit *lib 3. qui est de Actibus Humanis quæst 3.* Negat cum communi Theologia Pater Aldrete *de Incarnatione tom. 2. disp. 79.* ubi benè rejicit Patrem Esparzam. Vtrumque meritò: nam de ratione meriti non est cur debeat esse titulus neglecti commodi temporalis: alioqui fieret primò, eò meritum esse majus, quòd majus est commodum, quod negligitur: idque est apertè falsum. Secundò: Viros sanctiores, quò minùs æstimant commoda temporalia, atque adeò quo minus negligunt temporalis commodi, mereri minùs. Tertiò, eum, qui voveret Matrimonium ob periculum incontinentiæ, ut licitè potest, vix meriturum, cùm potiùs amplectatur, quâ negligat commodum temporale. Quartò: qualis conditio ad conceptum meriti, sine ullo gravi fundamento cogitatur, & superaddituir iis conditionibus, quas Tridentina Synodus designavit ad merendum. *P. Esparz. P. Aldret.*

63 *Tertia* difficultas: an meruerit per actum Dilectionis Dei? Negat P. Vazquez ob difficultatem *num. seq.* vindicandam. Affirmat cum utroque Doctore, Angelico, & Eximio Theologia communis. Et meritò: Primò: quia negari non debet, Christum Dominum meruisse per exercitium Virtutis, quæ cæterarum est Auriga, & Regina, nisi constet de repugnantiâ. Eam nullam esse, potuisseque in Christo reperiri liberam Dei dilectionem, *mox* constabit. Secundò: quia negari nequit, quòd Christus propter Deum voluerit præstare, quæ præstitit erga nos, & erga Deum: id quod satis evincit locus Ioan. 14. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio:* sed hæc liberè præstitit: ergo liberè præstitit ex motivo, ex quo præstitit: ergo ex Dei Dilectione: negari ergo nequit in Christo libera dilectio Dei: ergo & exercitium merendi per ipsam. Sed jam pro explicando modo, quò Dei dilectio potuit esse libera, sit *Vazquez. Doct. Ang. Doct. Exim*

64 *Quarta* difficultas: an Dilectio Dei, per quam meruit Christus, fuerit Beatifica, id est, orta ex Dei Visione? an alia inferior, orta ex scientiâ infusâ? an per utramque simul;

Universidad de Deusto
Biblioteca

P. Vazq. simul; aut per actum amoris æquivalentem utrique? Nam Pater Vazquez exinde negat Christum meruisse per actum dilectionis Dei, quia vel hic amor esset Beatificus, & consequitur ad Visionem, vel esset aliter ortus, & secutus ex scientiâ infusâ? Non primus: quia necessarius: neque enim qui videt Deum, suspendere potest amorem. Non secundus: Tùm quia quando voluntas rapitur necessariò in bonitatem objecti clarè cognitam, non potest in eandem tendere vi medii imperfectioris; vel quia refringitur vis imperfectioris medii, nec finitur movere: vel quia parum curatur, ut accidit in eo qui intuitivè videt Personæ dignitatem, & post audit, & scit ex aliorum relatu. Tùm etiam quia neque ille amor posset esse liber: quippe licèt scientia infusa, secundùm se, possit parere liberum amorem Dei, tamen conjuncta cum Visione non potest, quia Visio planè informat, nullum esse posse morivum ad cessandum à tali amore. Hæc est ratio dubitandi.

65 Quam ut Theologi vincant, multa dixere. *Sunt*, qui cū Schoto dicant amorem Beatificum esse liberum, non secundùm substantiam actûs, sed secundùm quandam terminationem, & extensionem, quâ ipse amor incipit amare Deo bona extrinseca, & quæ posset non amare. Non placent primò: quia illa extensio inintelligibilis est, de quâ videndus Doctor Eximius *lib. 6. de Ange. cap. 6.* Secundò: quia hic dicendi modus non assequitur, Christum meruisse formaliter per ipsam Dei dilectionem.

Schotus.

P. Suarez.

Godoy. 66 *Sunt* qui paulò aliter cum Godoy dicant eúdem actum amoris esse necessarium, & liberum: necessarium: vel ut terminatur ad Deum, tanquam rem amatam, vel ut oritur à Visione Beatificâ. Liberum, vel ut terminatur ad Deum tanquam rationem amandi creaturas, vel ut oritur à Scientiâ infusâ. Non placent. Primò ex apertâ repugnantiâ, & contradictione terminorum; quales sunt, necessitas, & libertas. Nec valet recursus ad Mysterium Divinæ libertatis: nam quod ibi fide credimus, non capitur inter angustias finitudinis nostræ. Secundò: quia neque sic possunt assequi, quòd formaliter meruerit Christus per dilectionem Beatificam.

Salas. 67 *Sunt* qui cum Patre Salas dicant Beatum necessitari ad amandum, non verò ad talem intensionem amoris, atque adeò posse liberè à Beato eligi intensionem amoris, quæ posset omitti. Non placent primò: quia hæc intensio in Visione, & amore non est gradualis, sed major, aut minor perfectio actûs: imperceptibile autem est quòd Visio pro suâ perfectione non sibi determinet gradum perfectionis in amore. Secundò etiam videtur impossibile, posse Beatum suspendere quantam potest intensionem, cùm necessariò rapitur ad amandum.

Suarez. 68 *Sunt*, qui cum Patre Suarez, fateantur Christum mereri non potuisse per actum amoris Beatifici; meruisse verò per aliam dilectionem secutam ex scientiâ infusâ. Non placent primò: quia nō vincitur ab his ratio, quam pro Vazquez objecimus. Secundò: quia contradicere videntur Sancto Thomæ *3. part. quæst. 19. art. 3. ad 1.* Tertiò nunquam assequi poterunt, Christum formaliter meruisse per dilectionem Dei.

Vazquez.

P. Suarez. 69 *Sunt* qui communiter cum ipso Patre Suarez distinguant plures amores, sive Beatificos, sive non Beatificos. Ex Beatificis, alium qui præcisè tendat in Deum, volendo ipsi Bona intrinseca. Et hunc mutuò putant inomittibilem. Alium, qui non solùm tendat in Deum, amando ipsi Bona intrinseca, sed etiam amando bona extrinseca: & Beatum faciunt vagè necessitatum ad unum ex his: & ajunt eligendo secundum, posse obsequi, & mereri. Ex non Beatificis, alium qui tendat in proximum propter Deum: alium, qui ita sequatur ad scientiam infusam, ut non possit dirigi ab aliâ Scientiâ perfectiori. Et hos putant Beato posse esse liberos, quamvis aliundè necessitetur ex visione diligere per aliam nobilissimam dilectionem. Non placent. Imprimis in primo. Tùm quia jam fatentur Christum non potuisse mereri per ipsam dilectionem Dei, ut est Dei dilectio, sed ut terminatur ad proximum. Tùm etiam: quia Visio non solùm videtur necessitare ad amanda Deo bona intrinseca, sed etiam extrinseca, de quibus scitur beneplacitum majus Dei. Deinde in secundo: quia nondum satisfaciunt Patri Vazquez. Alia *alii* dicunt. Videatur Aldrete *disp.* 80.

Vazquez. Aldrete.

70 Respondeo igitur, & *assero* primò: Christum meruisse per actus ortos ex Scientiâ Beatâ, seu ex Visione Beatificâ. Ratio mihi est: quia omnes actus, per quos Christus meruit, fuerunt perfectis mè voluntarii, ut patet ex ipsis terminis: ergo sequebantur in Christo ad notitiam eorum sine quibus perfectè notis, non poterant esse perfectissimè

mè voluntarii. Atqui non poterant esse perfectissimè voluntarii sine immediatâ, & experimentali notitiâ Personæ efficientis: quomodo enim potest actus esse plenè voluntarius, si non cadit in experientiam, quòd exprimitur per hanc vocē *Ego*, dū dicimus: ego eligo, ego operor? Sub hac autem voce, venit persona operans: ergo non poterant esse perfectissimè voluntarii, sine immediatâ, & experimentali notitiâ Personæ efficientis, quæ est Divina Persona: ergo sine immediatâ, & experimentali notitiâ Personæ Divinæ. Notitia autem experimentalis, & immediata Personæ Divinæ est Beatifica Visio: ergo Visio Beatifica præexistit ad actus per quos Christus meruit. Confirmatur: quia ut nos mereamur, præcedit virtus intellectualis Theologica: ergo etiam præcedit Theologica virtus ad Christi meritum: & hæc non potest esse nisi Visio. Videatur Esparza *de Incarnatione quæst. 39. corp. art. 2.*

71 Respondeo, & *assero* secundò: Christum Dominum meruisse per actū Beatificæ dilectionis formaliter. Probo, & explico: Nā licèt Christi voluntas foret necessitata ad amandum ex vi Visionis, tamen erat indifferens inter plures amores Beatificos, quorum unus tenderet in Deum sistendo in bonis Dei intrinsecis, alter etiam tenderet ad bona extrinseca, & extrinsecam gloriam, quæ singula pro libito suo potuisset Christus omittere, quin tamen iret contra, vel præter majus beneplacitum Dei, ut constat ex doctrinis sepè citatis, & explicatis: & in hunc modum possunt excogitari innumeri actus amoris Beatifici, quorum singuli in individuo erant Christo liberrimi; atqui ea libertas planè sufficit, ut Christus meruerit per actum dilectionis etiam Beatificæ: quod ostendo ex doctrinâ 5. præcedentis. Nam licèt Christus Dominus habeat necessitatem, cui satisfieri nequit nisi per actum, in quo sit formalitas amoris erga Deum, tamen est liber, ut tota ea formalitas existat in ipso, modo, quo potuisset omittere: ergo liber est, ad habendum in se totam honestatem amoris erga Deum. Id autem omninò sufficit ad obsequium, & ad meritum.

72 Respondeo, & *assero* tertiò: Ut Christus mereatur per actum Dilectionis, non est opus in ipso distinguere plures actus amoris: verosimile tamen est plures in eo fuisse, & omnes liberos, & meritorios. Prima pars patet ex *num. præced.* Vidimus enim posse in eúdem actum coalescere formalitatem amoris, quo voluntas summè delectetur in Deo ejusque bonis intrinsecis: & formalitatem amoris, quo simul velit Deo non solùm ejus felicitatem intrinsecam, sed etiam extrinsecam gloriam, & alia bona extrinseca: qui actus liberè omninò habetur à Christo Domino, & cum indifferentiâ libertatis ad actus plusquam numero diversos.

73 Secunda pars probatur: quia verosimile est, quancumque notitiam repræsentativam bonitatis in objecto esse fœcundam specialis amoris circa tale objectum, ut per hujusmodi notitiam appareat ergo verosimile est amorem Beatificum esse speciem amoris distinctam ab eo, qui per se sequi potest ab inferiori notitia: quo enim voluntas plus assequitur de objecti bonitate perfectius amat, & rectius adhæret: ergo verosimile est amorem Beatificum esse specie sublimiorem eo, qui nasci potest ex inferiori notitia, sive scientiæ infusæ, sive Fidei: ergo quantumvis voluntas Beatificè amet: potest ex inferiori notitia speciem aliam amoris concipere minus sublimem: alioqui maneret sterilis, & infœcunda notitia, quæ specialem amorem nata est progignere: Non est autem verosimile voluntatem impediri ab amore sibi hic, & nunc debito, ex consortio majoris amoris, si semel admittatur intellectum non impediri à notitiâ minùs perfectâ bonitatis ex consortio perfectioris, & plenioris notitiæ circa bonitatem eandem, quo fit satis *objectioni* Patris Vazquez.

Occurritur P. Vazq.

74 Tertia pars, nempe omnes eos amores fuisse in Christo liberos, suadetur. Tùm quia fuit in Christo libertas eligendi, quem vellet actum ad operandum: quæ libertas Nobis etiam & Beatis deest. Tùm etiam quia non est cur negetur Christo hæc gloria merendi per singulos actus amoris, quos habuit, juxta doctrinam *num. præced.* Videantur Suarez, Aldrete, & Godoy *disp.* 48.

Suarez. Aldrete. Godoy.

75 *Quinta* difficultas: an Christus meruerit per actum formalis obedientiæ? Quod affirmat Theologia communis: & meritò: id enim docuit Paulus, dum dixit: *Factus est obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Vbi manifestè exprimitur Christum moriendo ex obedientiâ meruisse. Difficultates, quæ huc faciunt, & quibus maximè premi solent Authores, solutæ jam sunt *lib. 4. disp. 5.*

Suprà lib. 4. disp. 5.

76 *Sexta* difficultas: an Christus meruerit per actus aliarum virtutum moralium?

Cer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

certè potuit: & reipsâ meruisse per eos, quos exercuit, omnino certum. Nam nihil in eatum virtutum exercitio defuit, quo minùs Christus mereretur. *Dices*: hi omnes actus in Christo nasebantur ex imperio charitatis: neque enim credibile est Christum aliquid præstitisse, quod non præstiterit propter Deum, & ut Deo placeret: ergo hi omnes actus tantùm erant denominativè liberi in imperio charitatis: ergo non erant liberi propria libertate: ergo neque alio merito meritorii, quàm merito charitatis. Respondeo primò ex inde solùm fieri Christum non meruisse per actus, qui porè forent actus virtutum moralium, sed complexi, nempe qui simul & virtutis moralis, & charitatis motivum haberent: quod est valdè verosimile: neque enim opus, distinguere actum imperantem & imperatum, ut bene Delugo *disp. 17. sect. 1. nu. 6.* Respondeo secundò negando primam consequentiam. Nam apud me actus imperatus gaudet propria, & immediata libertate. Tertiò dici posset ex Ripalda quicquid sit de veritate enthymematis, & consequentis adjuncti, ultimum esse falsum.

Card. de Lugo.

Ripalda. Nos de Actib. tom in 1. 2.

77 *Septima* difficultas, à quousque tempore inceperit Christi meritum; quousque duraverit: & quanta cum continuatione merendi? Respondeo & *assero* primò: meruisse Christum ab ipso Conceptionis instanti inclusivè. Est contra Durandum, & Bonaventuram Theologia communis: & meritò. Tùm quia de ipso Conceptionis instanti interpretantur communiter Patrum & Theologorum, quod de Christo Paulus asserit ad Hebræos 10 *Ideò ingrediens in mundum dixit &c.* Tùm etiam quia Christus ab instanti Conceptionis habuit Voluntatem plenè præ venientem, & dispositam ad merendum: cur ergo negetur hæc gloria. Tùm demùm quia parum est pium, & incredibile, Christum plenè novisse in instanti Incarnationis beneficia Humanitati collata, & hæsisse, nec erupisse in gratiarum actionem. Quod autem aliqui putant, potentiam liberam requirere ad sui exercitium successionem temporis, est omninò paradoxum.

Contra Durand. & Bonavent.

Hebraor. 10.

78 Respondeo & *assero* secundò: Christum ab instanti ipso Conceptionis meruisse sine ulla intermissione, vel interruptione ad usque instans mortis. Sic etiam Theologia communis: & meritò: Nam id Christo fuit omninò possibile, cum habuerit scientias independentes ab usu sensuum & phantasmatum: nec est cur ipsi negetur. Imò judico necessarium, ut certè fuit Christum omnis imperfectionis moralis expertem, nunquam otiatum fuisse mente, vel voluntate, sed egisse vitam affectuum potiùs, quam instantium continuatione negotiosè transactam. Dices: ad quid tanta meritorum continuatio si meriti unius valor sufficisset ad omnia? Dixi jam *lib. 4.* non semel cur Christus ita dispoſuerit Redemptionem nostram.

Lib. 4. disp. 2. & 3. præsertim. nu. 44.

79 Respondeo & *assero* tertiò: licèt Christus moriendo meruerit, non tamen meruit ipso physico mortis instanti, nec ultrà. Sic etiam contra Ragusam, Cajetanum, & Hurtadum Theologia communis. Et merito. Imprimis nihil certiùs, quam Christum morte nos redemisse, mortemque nostram, moriendo destruxisse; ad quod sufficit meruisse Christum per ipsam mortem in fieri, id est, per sufferentiam tormentorum mortem inferentium, & per ipsam acceptationem mortis.

Contra Ragusa. Cajetan & Hurtad.

80 Deinde, desisse mereri inclusivè ipso mortis instanti, nec amplius meruisse, nec meriturum, inde constat primò quòd juxta Apostolum *ad Hebræos* 11. Christus sui effusione sanguinis, & oblatione vitæ consummavit negotium Redemptionis Humanæ: quod necessariò supponit Christum Dominum unicè direxisse, & applicuisse suæ omnia vitæ mortalis opera ad hoc negotium merendi: desiit ergo mereri, cùm mortuus est: nam sine applicatione, & directione Christi, meritum inesse non poterat in ejus operibus. Vitę autem mortalis, non est mors, opus; sed finis operum. Secundò: quia sphæra merendi, vel ex naturâ rei, vel saltem ex dispositione Divinâ est spatium viæ: Viæ autem extrinsecus terminus, & quo desinit esse, est instans mortis, quod est ultimum, & extrinsecum vitæ, & quo primò esse desinit. Videatur inter alios Amicus *disp. 26. sect. 5.*

Hebraor. 11.

Amicus.

81 Dices primò: si eòipsò mortis instanti mereri desiit Christus, quomodo ipsa nos morte redemit? Respondeo: quia & ipsam mortem acceptavit in fieri, acceptando sufferentiam tormentorum, & quia pro instanti immediatè antecedente ad ipsam mortem, quod moraliter est ipsa mors in facto esse ob connexionem, & indistantiam, acceptavit ipsam mortem in facto esse.

82 Dices secundò: effosionem lateris liberam fuisse Christo, & meritoriam, cùm aliqui Sancti Patres, inter quos Ambrosius, & Augustinus, dixerint fuisse fontem, unde Sacramenta manarunt. Respondeo fuisse meri-

Ambros. Augustin.

meritoriam, & liberam objectivè, & denominativè ab actu, quo ipsam in vita prævisam voluit acceptare, & offerre ad fundanda Ecclesiæ Sacramenta.

83 Dices tertiò ex Apostolo ad Romanos 4. *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*: ergo etiam resurgendo meruit. Respondeo, Christum resurrexisse propter nostram justificationem, vel repræsentativè, ut nempè ejus Resurrectio, nostram à peccato resurrectionem repræsentaret: vel, quia non aliter applicaretur nobis fructus justificationis, nisi per fidem in ipsum: quæ sine Christi resurrectione, vana mansisset, & inanis, ut 1. Corinth. 15. dicit idem Apostolus.

Rom. 4.

1. Corinth. 15.

84 Dices quartò: Christus etiamnunc pro nobis orat in Cœlo, & impetrat: ergo etiamnunc meretur. *Dicam* ad id, quod sentio *sect. 4.* quæ erit de *Oratione* Christi. *Dices* quintò: Non esse cur ita philosophemur de statu viæ respectu Christi, cùm simul comprehẽsor fuerit: Respondeo, nullam esse necessitatem, ut de Christo aliter ac de nobis loquamur, & sentiamus quoad statum viæ. Imò, non esse aliter sentiendum, Scripturæ, & Ecclesia satis innuunt, cùm nullibi significent aliquale meritum Christi post passionem. Quid autem involvat status viæ: & quousque requiratur ad merendum, disputare solent Theologi *tract. de Merito.* Vazquez, Meratius, Lugo, Aldrete (hi duo *tractatu de Incarnatione*) & Esparza satis probabiliter opinâtur, etiam ex naturâ rei requiri.

Theologi. Vazquez. Meratius. Lugo. Aldrete. Esparza.

SECTIO III.

QVIBVS, ET QVID MERVERIT Christus Dominus?

85 TRiplex hìc quæstio principalis, fæcunda quæque plurium in ordine suo. *Prima*: an, & quid sibi Christus meruerit? *Altera*; quid hominibus? *Tertia*: an, & quid Angelis? Resolvemus ipsi, quod in unàquaque tenendum sit, remissis ad Suarez, Vazquez, Amicum, Bernal, & Aldretum, strepitu, & pompâ citationum, & Patronorum.

Vide Suar. Vazquez. Amicum. Bernal. Aldrete.

§. I.

QVID SIBI?

86 PRima Conclusio: Christus sibi nec meruit, nec potuit mereri Donum

Aranda de Incarnatione.

Unionis: Potuit verò; verosimile tamen est non meruisse conservationem ipsius in individuo. Prima & secunda pars asserta est & patet ex *lib 3. disp. 3. ubi* rationem dedimus. Ratio tertiæ partis *ibi* etiam tacta, est, quia cessat penès conservationem implicantiæ ratio, quæ nos cogit ad negandam possibilitatem meriti respectu Unionis: ea enim implicantiæ ratio sumitur ex indistinctione meriti à præmio: quæ tamen *hic* non intervenit. Ratio quartæ partis est: primò, nã cõservatio doni ex naturâ rei perpetui censetur donari cum dono, eoipso modo, quo donum confertur; atque adeò independenter à meritis, si independenter à meritis primò Donum existit. Secundò: quia similiter dici posset Christum, & Beatos mereri sibi continuationem Gratiæ & Visionis. Tertiò: quia si Christus dependenter à meritis conservaret Hypostaticæ Unionis conservationem, esset Sanctus ipsâ exercitatione virtutum: quod videtur minùs consonum Patribus.

Suprà lib. 3. disp. 3. sect. 3. & 4.

87 Video dici posse, Christum non forè Sanctum in dies *exercitatione virtutum*, quia licèt dependenter à meritis habuerit continuationem hujus numerò unionis, quæ sanctitas est, & affert maximam Sanctitatem; tamen tota ea Sanctitas in specie erat ipsi metaphysicè necessaria juxta doctrinas *lib. 1.* præstitutas. Ob quæ dixi etiam *lib. 3. disp. 3.* probabile mihi videri cum Suarez Christum sibi meruisse perpetuitatem Unionis in Individuo. Quod censeo plusquam probabile, est, Christum Dominũ condignè meruisse, ut ipsius Hypostatica Unio in Eucharistia quotidie replicaretur per legitimos Sacerdotes. Ratio est: quia sicut Christus nobis meruit omnia novæ legis Sacramenta: ita & omnia sinè quibus ipsa peragi nequeunt.

Suprà lib. 1. & 3. disp. 3. Suarez.

88 Secunda Conclusio: Christus Dominus sibi neque meruit, neque potuit Gratiam habitualem & Visionem, cum donis perse annexis de linea intelligendi, & volendi. Prima pars est communis contra Bernal, & alios: ostenditur primò: quia non videtur connaturale designari in præmium id quod aliàs nobiliori titulo possideri debet: at Christus nobiliori titulo, nempe Filiationis naturalis, possidere debuit Gratiam, & Visionem. Secundò: quia Gratia & Visio sunt Proprietates adeò connaturales Unionis, ut moraliter indistinguantur in ratione doni: si ergo Unio datur independenter à meritis, connaturalissimum est, ut Gratia & Visio sine meritis conferantur. Tertiò: quia omnia dona

P. Bernal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gratiæ & scientiæ, quæ sunt in Christo, sequuntur ad Vnionem, mediâ Gratiâ habituali, & ipsâ Visione: ergo præter dignitatem, & ordinem Vnionis est, quòd sit ulla actio in Christo non pendens à Gratia, & Visione: quâ ergo ratione connaturaliter venire possit in præmium, id quod jure connaturalitatis præsupponitur ad existentiam meriti?

89 Quartò: quia per quem actum mereretur Christus Gratiam, & Visionem? non quidem per actum ortum ab ipsâ Visione & Gratia: nam sic incongruè daretur in præmium id ipsum quod supponebatur ad meritum. Neque etiam per actum, qui non oriatur à Gratia & Visione, sed à scientia infusa. Tùm quia talis actus non esset Christi: actus enim Christi est actus quo Christus operatur cum perfecta voluntarietate, atque adeò cum experientiâ suæ dignitatis, quæ nisi per Visionem haberi non potest. Tùm etiam quia, rogabo: cur etiam non cadat in præmium illa ipsa scientia infusa, quæ dirigit?

90 Quintò: quia licèt habere rem ex meritis sit gloriosius, quàm sine meritis habere, quando vel aliunde non censebitur propria, vel nò est alius perfectior titulus, vel quando per illum modum habendi augetur operantis perfectio, aut saltem, quando nihil diminuitur, aut demum, quando major est perfectio rem habere per meritum, quam sit imperfectio rem eandem habere per meritum: tamen si hi tituli desunt, non potest esse melius & gloriosius rem ex meritis habere, quàm habere sine illis: Atqui tituli hi desunt respectu Christi: ergo. Minor probatur. Nam imprimis, secluso titulo meriti, Gratia & Visio conferentur maximè propriæ Christi. Deinde ex perfectiori titulo. Insuper, non sic augeretur operantis perfectio. Præterea potius diminuitur, cùm videatur operans præcisim à principiis & notitiis sibi debitis in operando: ergo. Ex quibus facilè satisfiet Patri Bernal, contra quem potiùs ad hominem, & ex principiis communioribus rationes expressi, quàm quia judicem eas singulas esse validas juxta mea principia.

91 Secunda pars, quæ solet negari communiter, ostenditur primò: quia meritum nequit esse tale respectu sui: debet enim distingui meritum à præmio, non minùs quàm pretium à re, pro quâ emendâ datur, & solutio à debito cui satisfacit: id quod non solùm physicè intelligo, sed etiam moraliter: atqui Gratia & Visio non distinguuntur moraliter à quovis actu meritorio Christi: quod ostendo, non solùm quia moraliter indistinguuntur ab Vnionis dono, à quo sumit condignitatem Christi meritum; sed etiam & maximè: quia omnis actus Christi moraliter operantis in esse liberi, & voluntarii dicit ipsam Gratiam, & Visionem. Ratio est quia implicat Christum decenter operari, sine notitiâ experimentali suæ dignitatis, & quin possit experimentaliter dicere: *Ego operor*: ergo implicat, quòd sine Visione, in quâ ea experientia consistere debet, operetur.

92 Ostenditur secundò: quia ut *suprà* vidimus *disp.1. & 3.* Gratia & Visio ita sequuntur ad Vnionem, ut neque divinitùs separari ab ea possint: incongruum autem est designari in præmium id quod independenter a meritis negari non possit: hos volendi modos arce procul à Deo. Neque recurras ad modos volendi conditionatos; sunt enim in præsenti non incongrui minùs, cùm sint de conditione penitùs impossibili. *Supràlib. hoc 5.disp. 1.à nu.60. & disp. 3. a nu. 49. & rursus à nu.216.*

93 Tertia Conclusio: Meruit sibi Christus Gloriam Corporis, Exaltationem nominis, gloriosam Resurrectionem, & Exaltationem in Throno Paterno, actuale dominium in Creaturas, & Iudiciariam potestatem in omnes. Ita communis Theologia contra Calvinum. Et ostenditur primò ex ore ipsius Christi *Luc. 24 Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Deinde ex Apostol. ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* 2. ad Hebræos: *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Apocalyps. 5. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniã occisus es.* Matth. *vltim. Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra.* Ioann. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Quibus in locis clauduntur omnia, quæ nos assertione conclusimus. Ostendi secundò solet ratione ex Sancto Thoma: quia gloriosius est rem habere per merita, quàm sine illis. Hæc tamen ratio eatenus apud me valet, quatenus sine meritis, res fuisset omninò gratuita & unicè existens ex alterius beneplacito: si verò independenter à meritis, res est omninò naturalis, frustrà videntur merita, & gloriosius, habere secùs, ac habent Mercenarii: ut dixisse me memini hoc ipso *lib. disp.3. num.48.* *Luc. 24.* *Philippens 2.* *Hebræor.2* *Apocalyps.* *Matth.ult.* *Ioann. 5.* *S.Thomas.* *Lib.3.disp. 3. num.85. & lib. 5. disp.3. nu. 48.*

94 Ratio ergo esse potest primò: quia sic commendatur magis charitas erga nos, cùm voluerit annectere præmiis nostris gloriam suam, quâ se per tempus privare potuit, & voluit propter nos. Secundò: quia sic fuit exemplar eorum, qui pugnãdo coronati merentur: voluitque se privare donis aliàs sibi debitis, eaque sudore, & sanguine facere de novo sua, ut nos doceret ea velle consequi, quæ nostrà interfunt maximè, & nullo pacto debentur. *Censeo* igitur ea singula fuisse in Christo, cùm data sunt, ex duplici titulo, nempè meritorum, & personalis juris, quidquid opponat in oppositum Lugo, quod leve est. *Card. de Lugo.*

§. II.

QVID ALIIS?

95 QVarta Conclusio: Meruit Christus aliis extra ipsum omnibus omnia universim Gratiæ, & Gloriæ dona: ita ut quicquid gratiæ, & gloriæ uspiam, aut unquam fuerit, sit, aut erit, omne sit ex condigno merito Christi Domini. Ita Suarez, Valentia, Nanclantus, & alii, quos plenà manu dabit Pater Aldrete *disp.83.sect.1.* *Suarez. Valentia. Nanclant. & alii apud Aldrete, & ex sup.*

96 Probatur primò: quia hæc Doctrina maximè congruit, & omninò sequitur ex principiis alioqui veris *lib. 1. 2. & 3.* statutis de dignitate, & excellentia Christi, deque ejus primatu in ordine Gratiæ. Probatur secundò: quia id decus, (quod negari nequit, maximum esse) est maximè connaturale Dignitati Christi Domini, nec excedit limites, aut valorẽ ejus; imò ferè asseritur ab Scripturis, acutè perpensis ab Aldrete, & omninò à Sanctis Patribus Cyrillo, Gregorio, Ruperto: de quorum singulis promulsidem quasi dabimus *infrà*. *Cyrill. Gregor. Rupert.*

97 Probatur tertiò, & principaliter. De ratione primi, & universalis principii est, extendere se ad omnes effectus suæ lineæ, ita ut nullus ullibi sit, qui non oriatur ab ipso in eo genere, in quo principium est; Sed Christus est Primum, & Vniversale Principium morale omnis sanctitatis, & Gratiæ: ergo nullus ullibi est effectus Gratiæ, & sanctitatis, qui non oriatur ab ipso moraliter: ergo. Major patet exemplo Omnipotentiæ, de quo *mox*, & Solis, qui malè diceretur primum, & universale principium generationis, siqua esset, ad quam ejus non se virtus extenderet. Minor ostenditur: Tùm quia Christus dicitur in Scripturis habere Primatum Gratiæ, & Plenitudinem à qua omnes accipiunt: quæ sonant Primum, & Vniversale principium. Tùm etiam: quia omne accidens ducit originem à subsantiali: decuit ergo, ut omne accidens sanctitatis, & Gratiæ, originem duceret à subsantiali sanctitate Christi Domini. Tùm demum: quia sic optimè servatur admirabilis quædam proportio inter *Deum* secundùm se, & *Deum Hominem*: ut nempè *Deus* sit Primum, & Vniversale Principium omnium entium simpliciter, quorum omnium est caput: & *Deus Homo* sit Primum, & Vniversale Principium morale omnium entium supernorum, quorum est caput morale. *Num. seq.*

98 Illustratur hic discursus, & tota Conclusio: comparando cum Activitate Divinæ Omnipotentiæ, Activitatem meritoriam operum Christi Domini: Neque enim est quocum meliùs, & aptiùs æquiparari possit vis omnimerens, ut ita loquar, quàm cum vi Omnipotenti: quippè utrobique est eadem Divinitatis infinitas: & sicut Divinitas, quia in esse infinita, gaudet in lineà causæ physicæ, *Omnipotentia*: ita, quia in esse condignificandi infinita, gaudet in lineà causæ moralis, *Omnimerentia*. Discurrendum igitur debitâ cum proportione de vi meritoriâ Christi, ad eum modum, quo de vi effectivâ Dei discurrimus.

99 Iam sic: Deus, quatenus Omnipotens, se solo facit prima principia rerum per puram creationem, quasi jaciendo fundamẽta, & bases Vniversi: Deinde cũ illis primis principiis simul efficit, & propagat effectus reliquos, & ulteriores effectuum effectus, admissâ in cõsortium suę Omnipotentię cooperatione causarũ secundarum, partim quoad solam dispositionem ad formam, partim ad ipsam formam: præstando simul *tria*: *primum*: intendere, quantùm in se est, ut omnes causæ secundæ sortiantur effectus suos connaturales, & assequantur omnem perfectionem, eis, earumque effectibus connaturalitatis jure respondentem. *Alterum*: Permittere nihilominùs, ne aliquæ causæ secundæ vel ex parte, vel ex toto sortiantur connaturales effectus, aut connaturalem perfectionem suam, & eorum, propter impedimenta subnascentia vel ex mutuâ earundem causarum secundarum inter se pugnâ, vel ex liberâ substantiarum Rationalium Voluntate. *Tertium*: solùm efficaciter, & absolutè velle, voluntate quasi consequente, eos effectus easque connaturales perfectiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

eorum, quibus non obstat impedimentum efficax: ita tamen, ut nihil ullibi sit quod nó fluat ab Omnipotentia. Et sic exercet munus Primi, & Vniversalis Principii.

Tract. de Auxiliis.

100 Similiter Christus Dominus, quatenus Redemptor, Salvator, & Glorificator, &, ut ita dicam, Omnimerens, jacit se solo prima salutis, & gratiæ Semina, quasi per moralem creationem in nobis sine nobis, id est, ut alibi explicabamus, nihil eorum nobis ullo modo merentibus: Deinde nobiscum ex præacceptâ gratiâ jam merentibus, sivè imperfectè, de congruo, sivè perfectè de condigno, reliquos Gratiæ & gloriæ fructus, & ulteriores fructuum fructus propagat, & colligit, admissâ in consortiũ suæ infinitæ Omnimerentię cooperatione nostrorũ meritorum, vel disponentium ad infusionem justificantis Gratiæ, vel ejusdem argumentum de condigno merentium, præstando similiter tria.

101 *Primum*: velle, quantùm est ex se, omnibus, & singulis indiscriminatim omnia supernaturalia dona, quæ ipsis, & ipsorum statui congruunt, nempe vel remissionem peccati, vel innocentiam, vel vitam æternam, merendo singulis sufficientiam ad ea omnia. *Secundum*: permittere, ut varia intermisceãtur impedimenta partim naturalia, partim voluntaria, per quæ aliquibus intercludatur usus, aut aditus ad ea media, quibus voluit Christus applicatum habere fructum suæ Redemptionis, & vis meritoriæ. *Tertium*: velle efficaciter & absolutè gloriam, & alios effectus supernos solùm iis, quibus non obstitit impedimentum efficax eorum: ita tamẽ ut nihil ullibi fuerit, aut sit doni supernaturalis, quod ab Omnimerentiâ Christi non fluat. Et sic exercent munus Primi, & universalis Principii Moralis: sicque debet intelligi asserta Veritas. Cujus in ulteriorem lucem sit

§. III.

QVID INSVPER ANGELIS?

Contra Vazquez, & alios Aldrete, & Amic.

102 QVinta Conclusio: Meruit Christus Dominus Angelis, quicquid Gratiæ, gloriæ, donique supernaturalis est in illis, aut unquam fuit. Ex multis, quæ contra Vazquez, & alios aggerant Aldretus, & Amicus omninò videndi: ille *disp.* 83. hic *disp.* 26. *sect.* 13. insinuo, quæ sufficiant pro veritate Conclusionis: & arguo primò ex Authoritate Sanctorum Patrum Cyrillus enim Alexand. *lib.* 5. *in Isaiam cap* 54. hac habet: *Per ipsum*, nempe per Christum, *omnis fructificatio spiritualis tùm in Sanctis Angelis, tùm in nobis ipsis insita est.* Gregorius *in* 1. *Reg. cap* 2. super illud: *Neque enim est alius extra te*, sic ait: *Extra eum Sanctus aliquis esset, si absque dono Vnigeniti, sanctificationis spiritum habere potuisset*: unde infert etiam Angelos Sanctificatos in Filio. Ambrosius *lib.* 5. *de Sacram. cap* 4. hæc ait: *Sanguine Christi pacificata sunt omnia, vel in Cœlo, vel in terra: Sanctificatum est Cœlum: defectus est Diabolus.* Vbi alludit Ambrosius ad duo loca Scripturæ maximè illustria pro re nostra.

Ex Cyrill. *Gregor.* *Ambros.*

103 Primus est *Apocalyps.* 12. ubi describitur prælium Michaelis cum Dracone, & dicitur *Victoriam stetisse Sanguine Christi*: quod affirmat Ambrosius: quæ veritas stare non potest, nisi ex Christi meritis armati præextiterint Angeli ad prælium, donis gratiæ. Alter est Apostoli *ad Coloss.* 1. ubi dicitur, complacuisse Deo *condere propter Christum omnia, & per sanguinem ejus, & Crucem ea reconciliare, & pacificare tam in Cœlis, quam in terris*, nempe tam in hominibus, quam in Angelis, ut habet communis expositio cum Sancto Thoma: cujus oraculi Veritas manifestè firmat Sententiam nostram: si enim Deus condidit omnia propter Christum, & jam tunc decrevit omnia pacificata habere propter Sanguinem Christi, quomodo potuit non etiam velle, propter ejus Sãguinem præinfundere dona Gratiæ per quæ Sanctificatio, & pacificatio formaliter fieri debuit?

Apocalyps 12. *Coloss. 1.* *S. Thomas.*

104 Arguo secundò: ex rationibus Theologicis. Prima sit: Quia Christus Dominus ex Apostolo habet Primatum Capitis in Ecclesiâ, quæ est ejus Corpus ex Angelis, & hominibus compactum, legatur *ad Coloss.* 1. & 10. & *ad Ephes.* 1. ergo habet influxum Capitis in Angelos, & in homines tanquam in sui Corporis membra: ergo & Angeli, & homines à Christo, ut à Capite, spiritum, & vitales motus omninò participant: ergo.

Coloss. 1. & 10. *Ephes. 1.*

105 Secunda sit: Omnis benedictio spiritualis data & disposita à Deo in utilitatem hominum, fuit ex Christi meritis, ut dicetur *mox*, & habetur *ad Ephes.* 1. atqui infusio donorum in Angelis, fuit una & magna quidem hominum benedictio: inde enim redundavit in homines Custodia, & directio supernaturalis in Via, imò & augmentum gloriæ accidentalis in Patria ex Angelorũ consortio:

Mox à nu. 110.

tio: ergo ea etiam donorum infusio facta est ex meritis Christi.

106 Tertia sit: ex dignitate Christi, & modo quo decretus est. Constat enim ex terminis redundare in maximam Christi gloriam, habere sibi Angelos non utcumque subjectos, sed cum dependentia eorum donorum, quæ ipsi æstimant maximi, & in quibus eorum stat tota fælicitas. Deinde constitit *lib.* 3. independentia Christi venturi à circunstantia peccati.

Suprà lib. 3. disp. 2.

107 Tertia sit: ex dispositione rectæ Providentiæ: si enim in instanti, quo Angeli conditi sunt, eis proposuit Christum Deus adorandum, ut Regem, & Caput (hæc est enim communis Patrum, Theologorum, & Fidedelium sensus ex Scripturis erutus) oportuit, ut repræsentaret tanquam Regem omnino benevolum, & benignum Caput: cujus scilicet ex influxu meritorio præhabuissent ipsi dona superna, quæ jam habebant: sic enim suavior esset submissio, & resistentia difficilior. *Quinta* sit ex Revelatione facta Angelis de Christo, & ex culpâ Luciferi. Hæc enim fuit rebellio contra Christum, ut habetur *Ioann.* 18. & illa necessariò præintelligi debuit, & admittitur ab adversariis. Quis autem credat notam fuisse Angelis in via Christi existentiam, & nullo dono potitos eos ex hujus influxu? Videantur citati.

Ioann. 18.

108 Dices primò: Christus non est mortuus pro Angelis, quippe non mortuis *ex* 2. *Corint.* 5. 14. Deinde nec manutenuit, ne caderent in culpam, & exinde in pœnam *ex* 2. *Hebræ.* 16. ergo nihil illis meruit saltem per mortem. Secundò: quia si Angelis meruisset dona Gratiæ, & Gloriæ, potuisset dici Redemptor eorum, saltem præservativè. Tertiò: quia nullibi dicitur in Scriptura venisse Christus propter Angelos; venisset autem si eorum gratiæ ab ipsius Christi meritis pependerunt. Quartò: quia si Angeli accepturi erant ex meritis Christi gloriam; non accepissent antequam Christus. Decet enim, ne priùs membra, quàm caput, coronentur: ideòque hominibus dilata est glorificatio adusque glorificationem Christi. Hæc tamen, & alia quæ solent objici, levia sunt, & satis præoccupata *lib.* 3. *disp.* 2. *sect.* 5. *ad argumenta Lessii, & lib.* 4. *disp.* 1. *sect.* 3.

2. Corinth. 5. & Hebr. 2. *Suprà lib. 3. disp. 2. sect. 5. & lib. 4. disp. 1. sect. 3.*

109 Solutio generalis sit, in Scripturis repræsentari nobis adventum Christi, distinctè, & quasi unicè prout utilem nobis, quia *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, ut habet Apostolus *ad Rom.* 15. 4. non tamen exinde negari, quòd fuerit utilis Angelis: imò id insinuari satis, meditanti consilia Dei in Scripturis, ut diximus *hic*, & sæpè *alibi*. Deinde ad primum, nulla est consequentia, quia neque pro se dicitur mortuus Christus; tamen sibi per mortem multa meruit. Dicitur ergo mortuus pro nobis, & in peccati remedium, non pro Angelis; non quia morte non meruerit Angelis, dona, quæ alioquin sine morte influxissent in eos, sed quia mors Christi primariò est intenta propter nos peccati reos, alioquin nõ futura. Ad secundum, negavi jam *lib.* 4. *disp.* 1. *sect.* 3. hinc posse dici Redemptos Angelos; vide quæ *ibi*: ubi alia attexui. Ad tertium, patet ex præcitatis Apostoli verbis. Ad quartum, de quo satis *lib* 3. *loc. cit.* imò decet, ut membra & milites coronentur, quando Dux nondum est capax coronari: Membrorum enim & militum gloria redundat in Caput, & Ducem.

Loc. cit. *Lib. 4. disp. 1. sect. 3. & lib. 3. disp. 2. à nu. 58.*

§. IV.

QVID TANDEM HOMINIBVS: PRÆcipuè Prædestinatis?

Vbi suprà.

110 SExta Conclusio: Meruit Christus hominibus, quicquid doni supernaturalis fuit unquam in ipsis, aut erit: quod etiam intelligo de Parentibus primis ante lapsum. Ratio generalis est, ex dignitate Capitis in Christo Domino: quod munus *ex lib.* 3. *disp.* 2. cùm sit Christo connaturale, & omninò habendum ex præsenti modo decernendi, præcisim ab ullâ circunstantiâ lapsûs, & pro statu innocentiæ; non est cur ab ejus influxu eximantur Gratiæ dona pro illo statu à Parentibus primis præacceptæ. Iam inter dona, quæ conferuntur hominibus, triplex ordo excogitari potest: primus eorum, quæ anteceduut justificationem: secundus eorum, quæ constituunt, & comitantur: tertius eorum, quæ subsequuntur.

111 Conveniunt omnes Authores, tanquam in re *de Fide*, dona justificationis & Gloriæ esse ex Christi meritis. Sunt tamen qui id negent de antecedentibus, & subsequentibus.

P. Suarez.

Videatur Eximius Doctor *disp.* 41. maximè *sect.* 2. & 3. doctissimè, & gravissimè pronuntians, hac in re duo, mihi verissima. *Primum*: id esse derogari Christi meritis, & capitali dignitati, sine ullo fundamento. *Alterum*: id jam non posse negari sine errore in

Fide.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fide. Videtur enim veritas, quoad utriusque ordinis dona, à Sancta Synodo Tridentinâ definita, tùm *Sess.6. cap.5.* Tùm *cap.16.* tùm *Sess.14. cap.8.* & passim alibi. *Conc. Trid.*

112 Quomodo autem ipsa etiam Incarnatio, ut est beneficium humani generis, potuerit cadere in Christi merita, ne unquam, & usquam sit beneficium Gratiæ, quod non sit ex ejus influxu, dixi *lib 4. disp.2. à num.16. & à nu.19.* *Suprà lib. 4. disp.2. à num.16. & 19.*

113 Septima Conclusio: Meruit Christus Dominus Prædestinatis ipsam Prædestinationem, non modo passivam, quæ consistit in donis, sed formalem, & activam, quę consistit in actu Divinæ voluntatis. Prima pars patet ex præcedenti: & utraque ex Paulo *ad Ephes.1. 3. Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, id est, propter Christum. *Ephes. 1.*

114 Ad secundam, non moveor communi fundamento Recentium, nempe: quòd ex se meritum non potest inducere præmium, nisi mediâ causalitate in actum præmii collativum. Id enim, (ut sæpè dixi *lib.3. disp.1.*) est perquàm falsum; meritum enim solum potest exercere causalitatem in id, quod subire potest denominationem effectus, qualis certè non est actus Divinæ voluntatis: unde aliter loqui, dixit esse mentis ihlanæ Sanctus Thomas *1.p quæst 23 art. 5.* Nec moveor ex alio principio etiam inter Modernos communi, nempe quòd Christus, & ejus merita in absolutâ prævisione, & intentione præcesserint, & induxerint actum prædestinativũ Nostri. Id enim etiam excluditur à Sancto Thoma *ibi, & 3.p quæst.24. art.4.* tanquam modus ortus omninò ex apprehensionibus nostris assuetis ad finitudinem Providentiæ nostræ, fingentibusque sibi Deum, quales homines in similibus experiuntur: estque etiam *ex cit. loc.* perquàm falsum. Neuter ergo sensus, quo promiscuè solet intelligi conclusio, est verus, aut noster. *S. Thomas. Ejusq; grave dictum.* *Idem.*

115 Noster est, Actum Dei Prædestinativum ita tendere in Christi merita tanquã in causam totius ordinis Gratiæ, & Gloriæ, & exinde totius passivæ prædestinationis, ut nunquam conciperetur à Deo nisi in spe talium operum Christi, & nisi Christus suis meritis intercessor esset futurus. Id intelligo, quando dico meruisse etiam formalem Prædestinationem: quod reduci potest ad genus Meriti solutivi. Et in hoc sensu

116 Ratio pro secundà parte Conclusionis est: primò, locus citatus Apostoli: nam certè ipse actus adeò benevolus, quo prædestinatur homo, utpote origo benedictionum, maxima Dei *Benedictio* est. Secundò: quia eodem loco, sicut Apostolus ait *benedixisse nos in Christo Deum*, ita addit: *Elegisse nos in ipso*: quare pariter & *benedictio*, quà significatur ordo passivæ prædestinationis, & ipsà *Electio*, quà significatur activus, attribuuntur meritis Christi. Vnde Chrysostomus *homilia 1.* glossavit: *Per quem nos benedixit, per eundem nos elegit.* & Photius apud Oecumenium: *Benedixit per Filium, elegit per Filium; charos fecit per Filium.* Tertiò, multis omissis, & videndis apud Ruiz *disp. 57. de Prædest.* Aldret. *loc. cit.* & Herize, quia id cedit in gloriam Christi Domini, videturque de ratione mystici Capitis universalissimi, qualis est Christus. *Ephes. 1.* *Chrysost.* *Photius. Oecumen.* *Ruiz. Aldrete. Herize.*

117 Nec obest quod ab Apost. *ad Ephesios 1.* dicatur Deus elegisse secundùm propositũ voluntatis suę, per quę videtur excludi dependentia à meritis Christi Domini. Nõ, *inquam*, obest: quia benè stat elegisse Deum Prædestinatos ex Christi meritis, & nihilominùs operatum in electione secundùm propositum consilii sui. Id enim fuit, non alios eligere, quàm eos, pro quibus applicaret efficaciter sua merita Christus Dominus.

118 Octava Conclusio: Christo Domino sic attribuenda est electorum Prædestinatio, ut non solùm attribuatur Prædestinatio, quatenus dilectio est, sed etiam quatenus electio, & quidem, quatenus electio unius præ alio, per specialem applicationem meritorum pro his, aut illis determinatè. *Tres* partes habet assertio. *Prima* est: Tribuendam Christo prædestinationem, ut electio est: & patet ex præcedenti. *Tertia* est: id factum per specialem applicationem, quã de suis meritis fecit Christus Dominus: & probatur: tùm quia sic commendatur magis summa dilectio Dei erga Christum, & illa potestas, quam ipse ait sibi datam omnem in Cœlo, & in terrà. Tùm quia id sonare videtur illa Patris ad Christum allocutio *Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi Gentes Hæreditatem tuam*: Hæreditas autem Christi primariò, & propriè sunt Electi. Tùm etiam: quia pro aliquibus etiam constat specialiter applicuisse merita, & adeptum Perseverantiam finalem, ut patet ex *Luc.22.* & Ioann. 17. & Marc. *ultim.* Tùm demum quia non est ita statuenda Christi Dignitas, ut sit merus executor Paterni negotii, sed etiam ut se gerat in eo tanquam habens plenam *Psalm. 2.* *Luc. 22.* *Ioann 17.* *Marc. ult.*

nam potestatem arbitrii. Videantur Herize, & Ruiz. Ille *disp.25.* iste *loc. sup. cit.* *Herize. Ruiz.*

119 Nec obest, quòd videatur inversus ordo, quòd Deus in negotio tam gravi debeat se conformare voluntati Christi. Non inquam obest: nã ordo rectissimus est velle in manu Filii providentissimi relinquere summam negotii, quem scit omnino sibi placiturum in singulis, eaque electurum, quæ ipsemet eligeret: atque adeò velle hos eligere, quia videt eligi à Filio satis etiam vidente quid Pater faceret, rectissimus ordo est. Vide quæ hûc faciunt ex latè dictis *lib. 4 disp. 6. sect. 2.* *Suprà lib. 4 disp. 6. sect. 2.*

120 *Secunda* pars, (quam sic intellige, ut Christus meruerit, & applicuerit merita determinatè pro uno, quo modo non applicavit pro alio) probatur, quia ut Christus dicatur esse causa ut unus eligatur præ alio sufficit specialis directio meritorũ ad unum, quæ non fiat ad alium: atqui hæc negari nequit à Christo facta: ergo. *An verò* potuerit petere, aut petierit determinatè tunã alicujus aut permissionẽ ejus, aut saltè prævidens ordinem auxiliorum purè sufficientium, ea petierit, vel demum damnationem: ventilant Ruiz *disputatione citatà sect.9.* Alarcon *de Prædestinatione disp. 3. cap. 5.* Arriaga *disp. 37. sect. 5.* Ribadeneyra *disp. 22. cap. 4.* & Aldrete *hìc, & de Præcst.* *Montoya. Alarcon. Arriaga. Ribaden. Aldrete.*

121 Mihi duo sunt certa: & aliud valde dubium. Primò mihi certum est: Christum meruisse, & petiisse vindictam in rebelles, & finaliter impœnitentes. Id enim exprimit Scriptura. Secundò mihi certum est, non potuisse petere auxilia inefficacia in casu peccati, atque adeò neque ruinam animarum: quia id esse nequit sine affectu peccati. Dubium autem mihi est, an petierit peccati permissionem, aut collationem auxilii, quod prævidebat purè sufficiens. Id potuisse petere, verosimile mihi est: fecisse verò, videtur aliquibus non convenire cum munere Mediatoris, & Advocati, quod gerebat. Huic verò videtur aliis satis plenè facturus, si salutem in manu consilii hominum poneret per exhibitam sufficientiam.

122 Nona Conclusio: Meruit Christus Dominus Matri suæ Dignitatem, & electionem Matris, & reliqua omnia, ferè summa, dona, quæ dignitatem hujusmodi consequũtur. Vnus Lorca visus est negare. Probatur primò: quia omnia dona superni ordinis fluunt à Christo Domino, ut à fonte suo, juxta dicta superiùs: quæ autem magis de superuo ordine, quam Maternitas Dei, eique annexa dona? Secundò: Nullus ex veteri Testamento meruit gloriam Progenitoris Christi, nisi ex Christi meritis: nullus enim meruit nisi ex Gratiâ propter merita Christi præacceptà: meruisse autem aliquem constat, cùm de Abrahamo fateatur Scriptura *Gen. 22.* & *ad Galat. 3.* ergò neque Virgo meruit, nisi ex Christi ipsius meritis, Dignitatem Matris. Meruisse autem, adeò est concors Sanctorum Patrum, & Theologorum sensus ex communi Ecclesiæ consensu, ut sine temeritate negari non possit: ergo. Videatur Amicus *disp. 26. de Incarnat. sect. 10. & 11.* *M. Lorca.* *Genes. 22.* *Galat. 3.* *P. Amic.*

SECTIO IV.

DIFFICVLTAS EMERGENS EX PRÆcedentibus Doctrinis.

§. I.

PROPOSITIO DIFFICVLTATIS.

123 *Triplicem* video difficultatem hinc exoriri. *Prima* est: quomodo Christus impetrare potuit Antiquis Patribus auxilia, Matri Dignitatem, Angelis dona Gratiæ, & Gloriæ? Namque id orationefieri debuit: quis autem orat pro re præteritâ? Oratio enim tendit in rem futuram. Quòdsi ob id recurras ad Gratiarum actionem, incides in aliam difficultatem: Nam gratiarum actio supponit existentiam beneficii: quomodo ergo causare potest?

124 *Secunda* est: Nam Christus non meruit nisi existens: neque extitit nisi productus, neque productus est sine connexione naturali supponente jam Matrem, Avos, & Atavos, & in ipsis Dona Gratiæ: imò & merita, quibus has dignitates consecuti sunt: ergo Christus non meruit nisi merito jam præsupponente Deceretam Matrem, Avos, & Atavos, & in ipsis Gratiæ dona: quomodo ergo fieri potuit, ut Christus mereretur? Adde: videtur inde sequi mutua causalitas, & cadere in meritum, principium meriti: quod Theologis placere nec solet, nec debet.

125 *Tertia* est: quia videtur esse contra rationẽ præmii præcedere ad meritũ: imò & contra rationẽ meriti extendere causalitatem suã in præteritũ. Primò: ex Augustino *lib. de moribus Ecclesiæ cap. 25.* sic loquente: *Augustin.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

te; *præmium non potest præcedere meritum, & prius homini dari, quam dignus est.* Secundò: quia nulla causa, præterquam finalis, suam causalitatem exercet, antequam existat in se. Tertiò: quia præmium saltem condignum dicit rationem debiti: nihil autem debere potest, qui nihil accipit. Quartò: quia præmium redditur tanquam corona victoriæ jam obtentæ; & promittitur, ut esca, & stimulus obtinendæ: imò est compensativum obsequii præstiti, & excitativum ad idem præstandum: quæ tamen omninò cessant, si præmium anticipetur, & præexistat ad meritum. Quintò: quia præmium habet rationem finis respectu meriti: frustra autem ponitur medium pro fine jam obtento. Sextò: quia retributio per se est effectus meriti: & in hoc differt a contractibus commutativis: nam de naturâ rei, quæ commutatur non est dari antè, vel posteà. Septimò: Vis demeritoria æquiparatur in vi causandi cum vi meritoriâ; at nulli vi demeritoriæ potest anticipari supplicium: ergo neque præmium, meritoriæ.

Hucusque P. Esparz.

126 Hic *funiculus triplex difficilè rumpitur. Tria* communiter dici solent, armatis in speciem solutionis quibusdam quasi lineis decretorum, & prævisionum in Voluntate, & Mente Divina. *Primum*: Posse fundi orationem etiam pro re præteritâ. *Alterum*: Christum prævisione præcessisse ad decreta aliarum creaturarum. *Tertium*: Christi merita prævisa etiam esse, & præcessisse ad collationem, & decretum præmii, non in se, sed in Decreto, & divina prævisione. Omnes hos discursus disjeci non semel *lib.* 3. Nam eos, datâ hypothesi, quâ nituntur, ostendi *disp.* 3. evanidos esse, & momenti nullius. *Disputatione* verò 1. contra ipsam hypothesim pugnavi fortiter, & has machinas curavi destruere. Neque id refricarem, nisi occasione solutionis *mox* adhibendæ.

Latè suprà lib.3. disp. 3. sect. 2. & 5.

§. II.

OTINATIO PATRIS ESPARZÆ.

P. Esparz.

127 PAter Martinus Esparza, interclusis sibi recursibus ad imaginarium istud genus solutionum, ut ipse ait, aliam omninò realem excogitare conatus est. Et ad primam difficultatem, negat Christum meruisse Patribus antiquis auxilia per *Orationem*: eam enim *pro præteritis* censet inutilem, & ridiculam. Ad secundam negat Patribus circa Incarnationem, & ejus circumstantias; imò & Virgini circa Maternitatem omne genus meriti, *Scholasticè congrui*, id est, causativi, & inductivi sui præmii; admisso solùm merito congruo *latiùs*, & *impropriè* sumpto, id est dispositivo: quatenus Patres & Virgo præextiterunt cum eo cumulo Gratiarum, & perfectione morum, quales decebant esse Progenitores Christi, plus, minusve pro gradu cognationis, ita ut Congruum esset eos eligi, attentâ præinfusâ gratiâ, & moribus, quibus inerat decentiæ titulus ad electionem.

128 Id quod pressus difficultate dixerat *antea* M. Lorca, & modò approbat Pater Avendaño *de Prædestinatione disp.*14. *cap.*1. §.4. *num.*5. & per hæc visus sibi est Esparza vitare mutuam causalitatem. Ad tertiam docet *hic quæst* 41 *& de Actib. Hum. quæst.* 35. Impossibile esse, quòd meritum finitum subsequatur tempore, vel naturâ ad præmium; non verò meritum infinitum Christi Domini. Id quod videntur etiam approbare Delugo *disp.*27 *sect* 3. *à nu.* 40. *adusque* 43. & Esforcia *de Incarnatione cap* 7. *nu.* 122. Sed cum aliquali discrimine. Nam Lugus *nu.*42. non viderur renuere, quòd etiam meritis Christi facta sit aliqualis Gratia in anticipatione præmii. Esforcia dicit id factum ex privilegio. Iam

M. Lorca. P. Avend. Esparza.

Card. Lug.

Card. Esforcia.

129 Ratio disparitatis sumitur ex *diversitate formæ* condignificantis; ex *diversitate meritorum*, & ex *diversitate Personarum*. Ex *formæ diversitate*: quia in merito putè finito est successivè durans, & affixa instanti determinato non minùs ac opus quod condignificat, atque adeò meritum nullâ sui parte existit, vi cujus antecedenter ad existentiam sui possit inducere existentiam præmii: at in merito Christi, est æterna, & æquè præsens omnibus temporum differentiis; atque adeò tale meritû, licèt omni ex parte nó existat & præexistat, existit & præexistit meliori sui parte, mediâ quâ potest inducere, & exigere præmium jam sibi debitum ratione operis extituri, & ab ipsâ recepturi dignitatem, quæsit potens ad omne genus præmii, & ad ejus anticipationem pro totâ etiam æternitate.

130 *Ex diversitate meritorum*: nam in merito finito non potest dari nisi virtus finito modo operans, atque adeò ritu causarum finitarum in præsens, aut futurum: at in merito infinito, ipsa infinitudo valoris se extendit ad omne præmium, & ad omne tempus, quo præmium existere potest: Primò: cùm enim quicquid detur in præsens, & in futurum, sit etiam inæquale præmium, exigit ipsa ratio infiniti meriti, ut præmiari debeat & incipiat, antequam sit, per anticipationem donorum, ne præmium, (quandoquidem æquale non potest esse) sit minùs inæquale. Secundò: quia ipsa dignitas meriti tanta est, ut merentem faciat dignum gaudio sibi possibili, atque adeò nõ solùm de rebus præsentibus, sed etiam futuris & præteritis: sumi enim potest ab his gaudium: & Christus est dignus ratione meriti, ut ratione sui & in sui gratiam poni objecta debeant eo modo, quo ipsi gaudium generent.

131 *Ex diversitate merentium*; quia Pura Creatura eget spe, & stimulo præmii ad laborandum, & rectè procedendum in via veri, & boni: at Christus ex se inclinatissimus, imò necessitatus ad operationes moraliter optimas, nullo egebat incitamento futuri boni.

Fateor hæc acutissimè excogitata, & verè Theologicè: eaque præponenda fore discursibus Recentiorum, & necessariò amplectenda ab eo, qui nobiscum sentire nolit de rigore, & veritate meriti solutivi. Dicendum tamen, quid de rei veritate sentimus.

132 Censeo primò: negari jure posibilitatem orationis pro re præterita: non verò satisfieri primæ difficultati. Primam partem ostendam *sect. seq.* Ostendo nunc alteram: nam si semel excludatur oratio, quinam esse potest merendi modus, nisi vel per gratiarum actionem: (& hæc seipsa jam supponit collatum beneficium:) vel per modum solutionis per alia opera exhibendæ? & id est incedere viâ nostrâ.

Infrà sect. 5.

133 Censeo secundò: secundæ difficultati non fieri satis, neque occurri, negando Patribus & Virgini meritum *Scholasticè congruum*, & simpliciter tale respectu circunstantiarum Incarnationis. Imprimis non fit satis, quia meritum Scholasticè congruum in re præsenti negari non potest, sine magnâ injuria in Sanctos Patres, & Theologorum Principem Sanctum Thomam quem in Scholis, & re tam Scholasticâ, non esse Scholasticè locutum, dici non potest à viro Theologo, qui Thomam sciat: imò neque negari potest sine perabsurdis sequelis, & solâ cogente difficultate, à quâ non expectetur exitus nisi per singularitates hujusmodi. Videatur Aldrete *disp. 29. & alii.* Deinde non occurritur: quia semper manet illa difficultas, quomodo ea quæ reipsa, & naturali ordine præsupponuntur ad meritum, cadere in meritum possunt? nam, ut verbis, aut ratione Patris Esparzæ utar, indifferentia ad merendum, est indifferentia ad manendum sine præmio: ergo indifferentia ad merendũ Patres, Avos, Matrem, est indifferentia ad manendum sine ipsis: quomodo dari potest hæc indifferentia, si ea jam præsupponit Matrem, Avos, & Atavos?

SS. PP. & S. Thom.

§. III.

UNDE SIT PETENDA SOLUTIO?

134 CEnseo tertiò: in genere meriti remunerandi, nullam excogitari posse differentiam solidam inter merita finita, & infinita: meriti verò solutivi in genere, æquè in finitum ac in infinitum cadere posse præmium reipsa præexistens: cum aliquali differentiâ mox apponendâ. Prima pars ostenditur primò: quia Augustinus, & omnes ferè rationes objectæ æquè militant pro Merito infinito, ac pro finito. Secundò: quia tota ratio repugnantiæ, de eo quod præmium antecedens cadere nequeat in Meritum subsequens, venit ex modo causandi, qui imitatur causalitatem efficientem: cui proinde repugnat exerceri in præteritum. Tertiò: dissipando disparitates, quas conati sunt Esparza, Lugo, & Sfortia.

Esparza. Lugo. Sfortia.

135 Et prima quidem ex parte formæ non subsistit: Tùm quia, licèt forma condignificans sit entitativè æterna; condignificativè est temporalis, & alligata præsentiæ actûs: ergo illa æternitas non sufficit ad inducendum præmium pro tempore, quo non existit actus. Patet consequentia: quia præmium dicit correlationem ad meritum, & obsequium: atqui talis forma nec est meritum, nec obsequium: ergo. Tum etiam: quia similiter dici posset, formam finitam præexistentem ad actum, quem condignificare potest, & reipsà condignificabit, posse inducere præmium antecedenter ad actum: quo omnes rationes Esparzæ franguntur, & eliduntur. Tùm insuper: quia dignitas quæ movet ad præmium, ut contradistincta à dignitate quæ movet ad honorem, est dignitas exercita in obsequio; atqui Dignitas Christi temporaliter exercetur in obsequio: ergo. Tùm demum: quia neque sic potest discursus iste vitare meritum solutivum.

136 Neque altera disparitas ex parte meri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritorum subsistere potest. Nã infinitudo meriti potest, & debet aliunde explicari; nec potest invertere ordinem, & modum essentialem, qui necessariò competit causis: quare nisi fiat recursus ad rationem meriti solutivi, parùm præsidii est in infinitate meriti. Id quod posset illustrari ex infinitate demeriti, probabiliter defenso in peccatis. Demùm ultima disparitas ex parte personæ non subsistit: quia licèt aptá sit pena aliquid, non tamen occurrit omnibus rationibus, quibus ostendere nititur Elparza impossibilitatem præcessionis ad merita nostra in præmio.

137 Iam secunda pars, nempè quòd in genere meriti solutivi atque cadere possit præmium reipsà præexistens in meritum finitum, ac in infinitum, patet ex ipsà naturà meriti solutivi explicatá latis & firmatá *lib. 3. disp 3.* quippe modus causandi, & movèdi per modum finis negari nequit objecto finito. Est tamen differentia maximè observanda inter meritum solutivum finitum, & infinitum. Quòd respectu meriti finiti ne. qu t fieri anticipatio doni, quod datur in præmium pòst solvendum, sine mixtione gratiæ: at verò ipsa anticipatio doni respectu meriti infiniti non fit ex gratiâ & liberaliter: ratio est, quia in merito finito non datur valor excedens quantitatem præmii; unde non datur valor, qui etiam extendatur ad merendam ipsam anticipationem, & ipsum modum dandi Deinde nihil præcedit in quo meritum repræsentetur, tanquam in suo procuratore, qui necessitet, aut interponatur ad quasi extorquendam anticipatò existentiam doni. At verò in merito Infinito valor ipse, cùm infinitus sit, etiam extendi potest, & reipsà extenditur ad ipsam anticipationem, & modum dandi: & antecedenter ad ipsum, præsentatur in ipsâ æternâ permanentiâ formæ, jus meriti, ut anticipatè fiat donorum collatorum & ad id valent satis disparitates adductæ *à num.* 129.

Suprà lib. 3. disp. 3. latè.

138 Ad triplicem ergo difficultatem respondeo nixus doctrinis *de Merito solutivo*: nec aliter video posse solidè responderi. Sicut enim Christus non potuit Meritum offerre pro donis jam collatis, ut Deus daret, sed *quia* dederat, & in speciem solutionis: ita Deus non poterat dare dona, *quia* Christus dederat, sed *ut* daret, in spem, seu quasi spem pretii præsolvendi postea.

139 Ad primam dico imprimis, non meruisse Christum ea dona per orationem: eam enim circa præterita irrisoriam censeo, ut patebit *sect. seqq.* neque esse opus ad strictam gratiarum actionè recurrere: ubi enim non est stricte beneficium, neque strictè respondet actio gratiarum. Dico deinde meruisse Christum per eos ipsos actus, quos in vitâ exercuit, antiquis quidem Patribus per modum solutionis: aliis se subsequentibus per modum obsequii remunerandi. Videatur Godoy *disp. 56. . 6. num.* 113. Ad secundam, (de quâ jam satis *libro 3. disp. 3.*) non est opus quidquam addere, si semel constat de naturâ, & existentiâ meriti solutivi. Ad tertiam fateor, ea maximè premere, loquendo de merito remunerando: Meriti verò solutivi naturam non attingunt: imò probant necessitatem. Augustinum, (præterquam quòd satis constat, loqui de meritis nostris, atque adeò de meritis remunerandis) contendit insuper explicare Godoy, quasi locutus fuerit de præmio vitæ æternæ: quod quidem nequit dari propter merita, quæ ipsum subsequantur, cùm nulla reipsà subsecutura sint. Videatur hic Author *disp.* 50. §. 2.

Godoy, & Nos lib. 3. disp. 3.

Augustin.

Mens Ill. Godoy.

SECTIO V.

DE ORATIONE CHRISTI DOMINI.

140 DE quâ inter alios optimè Pater Suarez *disp.* 45. Pater Vazquez *disp.* 81. & 82. Becanus *cap.* 17. Bernal *disp.* 59. & Amicus *disp.* 27. & sunt quinque difficultates.

Suarez. Vazquez. Becanus. Bernal. Amicus.

141 Prima: an Christus in hac vitâ verè oraverit? Theologia communis affirmat: & *meritò*: Nam id expressè traditur in Scripturis. Quippè Luc. 6. 12. dicitur: *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 22. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Passim in Evangeliis alia, ex quibus resolutionem censet esse de *Fide* Pater Bernal.

Luc. 6. & 22.

Bernal.

142 Dices, doceri à Damasceno *lib. 4. de Fide cap. 19. post medium*, Christum non tàm orasse, quàm simulasse orationem. Respondeo, sensum Damasceni esse, Christum, orasse quidem, sed orasse sine necessitate, & indigentiâ, quæ nos cogit ad orationem; poterat enim aliter assequi quod volebat. Quare Damascenus non tàm dixit Christum simulasse orationem, quàm se gessisse in oratione, modo simulantis: his enim verbis utitur: & acutè: simulavit enim necessitatem,

Damasc.

tem, & indigentiam: sic in aliis se gessit Christus, nempè cùm interrogavit de Sepulcro Lazari: verè enim interrogavit, sed ad modum simulantis, egere se responsione, ut sciret de loco Sepulturæ. Et hanc eâdem mentem satis testatus est ipse Damascenus *lib. 3. de Fid. cap.* 24. ubi ex professo tractat de oratione Christi.

Dices iterum: ad quid oraret, qui sciebat rem infallibiliter futuram? Respondeo: quia sciebat rem futuram dependenter ab oratione, quam funderet: alias causas mox dabo. Dices demum: qui habet omnia in suâ potestate, ut de se fatetur Christus, frustrà orat. Id jam attingit quod evolvet difficultas

143 Secunda: An Christus de necessitate oraverit? Affirmant indiscriminatim multi. Ego respondeo, Christum orasse de necessitate decentiæ: de necessitate boni exempli: de necessitate consequenti: non verò de necessitate antecedenti indigentiæ. Quartà pars ostenditur: quia ita Christo Domino erant sub potestate omnia, ut multis aliis mediis, interposito merito, necessitare posset Deum ad executionem eorum, quæ vellet, juxta doctrinas *disp.* 4 solidè præfirmatas.

144 Prima pars patet: quia decens erat, ut Christus se exerceret per honestatem moralem orationis, quæ est actus nobilissimæ virtutis. Tùm quia decens erat, ut ex modo orandi se manifestaret Filium Dei, ut reipsa præstitisse dicitur *Ioannis* 11. 42. Patet etiam secunda pars: quia qui venerat ut Doctor, & Magister noster, necesse erat, instrueret nos de usu medii nostris miseriis opportunissimi, quoad substantiam ejus, & debitas circunstantias: id quod exemplo præeundi convenientissimè præstitit. Tertia demum pars etiam patet: quia multa ex his, quæ alioquin & aliter assequi poterat à Patre Christus per alia media, alligata voluit huic speciali medio orationis; unde necessitate consequenti compellebatur, pro rei assecutione, uti orationis medio: neque enim aliqua existerent ex suppositione Decreti, & præsentis Providentiæ, nisi Christus orasset.

Ioann. 11.

145 Tertia: An Christus oraverit pro rebus jam præteritis, & obtentis? nempe, an influxerit in beneficia, quæ antecedenter ad Christũ Deus ratione ipsius contulerat, Matri, Progenitoribus, Adamo, Angelis, per medium orationis pòst effusæ? Affirmant aliqui præsertim ex Modernis delusis ex usu Ecclesiæ perperam intellecto. Negant Vazquez *in 1. part. disp* 94. Alarcon *de Prædest disp. 9. cap.* 5 Amicus *disp.* 27 *sect.* 1. Ruiz *disp.* 57. *de Prædestin sect.* 7 *nu* 23. Esparza *hic quæst.* 5. *ad* 4. & *de Actib. Hum. quæst.* 35. *latius ad* 3. Godoy *disp.* 56. § 6. *nu.* 107. Dicastillo *de Euchar.* Meratius, novissimè Pater Thomas Munièssa *de Incarnatione disp.* 18. *sect.* 2. & alii acuti Magistri, quibus plenè subscribo.

Vazquez. Alarcon. Amicus. Ruiz. Esparza. Godoy. Dicastill. Meratius. Muniessa.

146 Primò: quia in Scripturis nullibi legitur talis modus orandi: imò legitur Christus aliter, & aliter loqui cum Patre suo, quando egit de donis conferendis, ac quando de donis antè collatis, de his enim egit per gratiarum actionem: de his per orationem. Legatur *Ioann.* 17. 11. & *Matth.* 11. Secundò: nam licèt modus iste orandi foret nobis alioqui possibilis, qui multa ignoramus, & quos ipsa ignorantia plerumque excusat ab imprudentiâ; tamen Christo non videtur possibilis, qui planè sciebat jam esse collata ea dona pro quibus orasset. Tertiò: quia orare pro re jam obtentâ, stricto genere orationis, quæ petitionem sonat, est imprudens, & omninò impossibile ei, qui rẽ advertat.

Iaann. 17. Matth. 11.

147 Cujus prima, & potissima ratio est: quia Oratio, quæ fit per modum petitionis (de hac enim loquimur) est manifestatio desiderii, vel involvit desiderium rei, pro quâ funditur: neque enim aliter explicari potest energia petitionis. Nunc sic: Objectum orationis est objectum desiderii: sed objectum desiderii nequit esse res præterita, & jam obtenta: ergo neque objectum orationis, qua de loquimur.

148 Secunda ratio est: quia ex terminis videtur irrisoria oratio, quâ nunc peteremus à Deo, quòd Adamo daret aliquid, aut quòd inspiraret Abrahamo ne Filium occidat: quis enim prudens ita oret? *Dices*: potuisse quidem ab æterno moveri Deum, ut propter orationem hujusmodi prævisam, anticiparet ea dona: unde talis oratio non fuisset inutilis. Contra: quia si talis modus orandi est imprudens, & omninò irrisorius, quomodo propter ipsum moveri Deus poterat? aut quomodo prævideri, si moraliter impossibilis.

149 Tertia ratio est: quia vel ea oratio postulat, ut res jam collata conferatur, vel ut res sit collata? Non primum: quia supponimus rem non esse ampliùs conferendam. Nó secundum: quia cum res collata jam sit, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi ineptiendo fundi potest ea oratio. Tùm quia talis modus orandi nunquam est auditus. Tùm demum quia oratio est medium indigentis, vel se gerentis ad modum indigẽtis vel in se,vel,in alio,pro quo orat:indigentia autem dicit carentiam boni, quo indigemus.

Delugo. Arriaga. Ribaden.

150 Dices primò ex Delugo,Arriaga,& Ribadeneyra:qui petit à Deo aliquid,etiam petit, & conatur flectere voluntatem Dei,ut decernat:Decretum autem Dei æternum est: ergo tendit oratio in rem præteritam.Nego majorem: qui enim petit à Deo aliquid,solùm petit quod desiderat: id autem quod desiderat est rei existentia,quà caret,& quæ nõ dũ in rebus est.Hanc ergo directè à Deo petimus:& hujus orationis intuitu, voluit ab æterno, quod res succederet ad instantiam orationis nostræ: nostra autem oratio nunquam petit quòd Deus ab æterno voluerit: licèt indirectè, petendo rem nostra oratione posteriorem, dici possit, quòd sumus aliquomodo in causà,ut Deus ab æterno voluerit. Id autem venit ex æternitate divinæ voluntatis: neque enim potest hìc & nunc velle: quin hoc ipsum hìc,& nunc velle,non fuerìt ab æterno velle. Nulla est ergo ratio, quæ tam magnos animos Arriagæ fecit: & instatur manifestè in desiderio, quando aliquid speramus, & desideramus à Deo:neque enim speramus, neque desideramus æternitatem Decreti, sed effectum temporalem æterni Decreti.

Praxis Ecclesiæ.

151 Dices secundò:modum orandi pro præteritis esse in praxi Ecclesiæ,& hominum communiter. Ecclesia enim imprimis pro defunctis sic orat: *libera eas de pœnis inferni*: cùm jam tunc liberæ sint animæ ab inferni pœnis: vel nunquam sint futuræ. Deinde quotidie sic orat in Missà: *libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Demum in communi praxi est, cùm nuntium accipimus de infirmitate, aut alterius discrimine, vel orare ante apertionem literarum pro fausto nuntio: vel erumpere in illas voces: *Deus te juverit*: ò *propitium habueris Nomen*, &c. ergo non est adeò inauditus modus orandi pro præteritis.

In quo sensu iuxta P. Esparz.

152 Benè censet Esparza,esse incredibile quòd Ecclesia intendat orare pro Animabus Fidelium per preces,quarum valor sub opinione est,& maximè dubius. Deinde ponit ut certum, neminem concipere similes affectus, postquam ipsi reipsà innotuit de eventu: id quod ipse certum etiam judico. Demum respondet per hæc verba neque ab Ecclesià, neque à quovis mortalium indicari animum conantem orare, sed animum exercendi affectum charitativum erga personas, ad quas diriguntur.

153 Et rationem subdit: quia in voluntate surgunt affectus modis totidem, quot apparent in intellectu objecta affectuum: Cùm ergo in casu orantis Ecclesiæ, & in similibus appareat objectum liberationis à pœnis inferni sine certitudine, & ad eum modum quo apparet etiam, & solet apparere damnatio aliorum hominum,qui adhuc vivunt:non enim cognoscitur damnatio sub eventu exclusionis, sed contingens, & possibilis: concipitur similiter affectus circa liberationem ab ipsà,similis illi, quem exercemus circa personas, quæ adhuc vivunt, per strictam orationem. Non tamen perinde licet colligere,Ecclesiam, aut aliũ quemcumque in casu simili reipsà fundere verba illa animo strictè orandi,& postulandi.Hæc solutio satis solida est.

Veriores sensus

154 Respondeo insuper, Ecclesiam in Missà defunctorum dicere ea verba repræsentativè pro tempore mortis, cui se præsentem facit, & quod tunc repræsentat: sic etiam repræsentando tempus præcedens ad Christi adventum, intonat: *Rorate Cœli de super, &c.* & hic modus dicendi defenditur a Bellarmino, Suarez,& Dicastillo. *Dici* posset aliter cum Azor,pœnas Purgatorii esse ejusdem speciei cum pœnis inferni, atque adeò Ecclesiam orare ut Deus animas eruat è Purgatorii pœnis. *Dici* ulteriùs posset cum aliis, nomine inferni venire alia etiam loca præter locum damnatorum, ut de Christo dicitur ad inferos descendisse. *Dici* deinde posset cum Thoma Hurtado, orare Ecclesiam ut ab acerbioribus pœnis, quas vocat pro discrimine significando, *Tartarum, Infernũ, & profundum lacum*, Deus animas liberet.

Bellarm. Suarez. Dicastill. Azor.

Th. Hurt.

155 Dici demum potest, peti ab Ecclesiâ liberationem ab inferno consummatam, & absolutam per ingressum ad gloriam: quod satis convenit cum illa phrasi Theologorum,dum dicunt requiri gratiam ad victoriam tentationum, nempe perfectam,& meritoriam gloriæ. Et *hæc de ritu Ecclesiæ* in Missis Defunctorum. Iam in eâ parte, ubi petimus,ut *nos liberet à malis præteritis* bene petimus: *petimus* enim remissionem peccatorum, quæ jam commissimus;*petimus* ne ob ipsa nos Deus puniat multis, quas infligere po-

potest, pœnis: *petimus* liberationem à præteritis quoad effectus inde reliquos, & præsentes. Demum ad illam praxim vulgarem, dico imprimis id plerumque ex ignorantia nasci,& imprudenter fieri.Deinde nego unquam in similibus casibus peti, nisi animi constantiam pro qualitate nuntii: aut unquam significari nisi bonum affectum, antequam innotescat eventus,qui nuntiatur.

Suarez.

156 Quarta: an omnis oratio Christi fuerit exaudita?Distinguunt aliqui cum Suarez, & dicunt orationem profectam ex efficaci desiderio rei, omnem impletam esse: quod patet ex dictis *lib. 4. disp. 2. sect. 3. à nu.71.* Orationem verò profectam ex inefficaci desiderio rei, non omnem fuisse sortitam effectum: quod firmant ex illo Matth. 26. 39. *Pater mi,si possibile est,transeat à me Calix iste.* P. Vazquez cum Sancto Thoma *quæst.21. art.4.* & ex ipsis Meratius,& Becanus asserunt omnem orationem Christi esse exauditam,& sortitam effectum.Dant rationem, quia oratio, si strictè sumatur, semper procedit ex efficaci desiderio, & absoluto rei,quam petimus. Qui enim ponit medium ad finem,convincitur operari ex efficaci desiderio finis; alioquin nullum medium adhiberet.

Matth.26.

Vazquez. cũ S. Thom Meratius. Becanus.

Doctrina P. Vazq.

157 Ad locum Matthæi, dicit Vazquez, aliud esse, orare, & aliud, proponere inefficax desiderium rei. Christus autem,dum dixit: *Pater, si possibile est, &c.* istud præstitit, & non illud.Nec obest quòd in Cruce dixerit: *Pater dimitte illis.* Respondet enim Vazquez, petiisse Crucifigentibus & Iudæis auxilia sufficiẽtia,quibus resipiscere possent. Addit ex Sancto Thoma,ea verba solùm protulisse pro iis, qui ex illorum numero erant prædestinati.Nec demum obest illud Psalmi 21. *Deus meus,clamabo per diem & non exaudies*: quod de Christo communiter intelligitur. Respondet enim Vazquez, id intelligi de manifestatione naturalis desiderii de morte vitandâ, quæ non potest simpliciter oratio dici. In hanc partem sola inclinare poterat Authoritas Sancti Thomæ. Sed modus dicendi, quem tenet Pater Suarez, planior est,& verosimilior. Oratio enim est interpres voluntatis:nec est cur voluntas ineffícax habitura non sit interpretẽ,quæ oratio sit. Et quidem fundamenta Patris Vazquez difficilia sunt,& arduæ doctrinæ, ut bene vidit Martinonus vìdendus *disp. 15. sect. 1. à nu.7.* Videantur tamen pro Vazquio Meratius, & Gaspar Hurtado.

Pſam. 21.

Difficilis. Martinon. Meratius. Gaſp.Hurt.

158 Quinta:an Christus etiamnum oret in Cœlo pro nobis? Multi cum Magno Suarez affirmant,ducti primò,quòd in Scripturis dicatur Christus intercedere, & interpellare pro nobis. Secundò: Authoritate Iustini, Augustini, & Gregorii Magni, qui conspirare videntur in sensum eundem.Tertiò, ratione: quia actus orandi decet etiam Christum in Cœlo.

Suarez. cum Iuſtin. Auguſt.& Gregor. Affirmat. Vazquez negat cum Rupert. Hieronym. Chryſoſt. Sedulio. Primaſ. & multis: ex Prax. Eccleſ. & Concilii Francof.

159 Negant obfirmatè cum Ruperto, Vazquez, Medina, Alvarez, Aragon, Becanus, Meratius,Delugo, Gaspar Hurtadus,& ferè Amicus:ducti primò,Authoritate Theodoreti, Hieronymi, Chrysostomi, Sedulii,& Primasii ad illud Pauli ad Rom.8. Qui etiã interpellat pro nobis. Secundò Authoritate Concilii Francofordiensis in Sacro syllabo, ubi Christi intercessionem pro nobis in Cœlo solùm explicat per manifestationem sui, & meritorum. Tertiò ex communi Praxi Ecclesiæ, nullibi enim legitur Ecclesia rogare Christum, ut pro nobis oret. Quartò: ex communi sensu Fidelium.

160 Quintò: quia Christus sua morte consummavit *Redemptionem nostram*, ut loquitur Paulus *ad Hebræos 9. & nostram Sanctificationem*, ut loquitur *cap 10.* ergo quicquid datur, & dandum est nobis, obtinuit jam Christus per sua merita:nihil ergo testat orationi, quam fundit in Cœlis. Sextò:nam vel Christus suâ oratione movet Deum, ut aliquid nobis conferat,vel non?Si secundum: ad quid orare dicitur? Si primum:cur ergo non dicitur mereri?cur dicitur consummasse morte Sanctificationem, & Redemptionem nostram?Septimò:quia qui rem habet in suâ omninò potestate, cur oret? at Christus vi suorum meritorum obtinuit habere in suâ potestate omnia: ergo non est dicendus orare. Octavò: quia efficacia meritorum Christi tanta apud me est, ut necesitet Deum ad conferenda præmia, pro quibus efficaciter applicantur à Christo: quis autem credat Christum non applicuisse satis,dum merebatur, ea ipsa meritâ, quæ exercebat.

Et meritò.

161 Applaudo Patri Vazquez, cujus opinio mihi videtur verosimilior: & cum ipso distinguo duplicem modum orationis. Nam est oratio tacita, interpretativa, & materialis, quæ consistit in exhibitione meritorum, vulnerum & laborum, quos quis pro aliquâ re obtinendâ præstitit.Et est oratio formalis,& expressa, quæ consistit in actu petitionis,& movet ac flectit aliquem ad aliquid concedendum. Illa exhibitio se habet

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad modum Scripturæ repræsentantis Regi, Parentum merita, ut conferat beneficium Filio, nec est propriè oratio; cùm ipsa non sit moralis causa, cui tribuenda sit effectûs existentia. Hæc verò petitio (quicquid sit de ratione meriti) est causa movens, & est stricta oratio. Hanc nego Christo in Cœlis cum Patre Vazquez. Illam admitto: & per ipsam explico cum Chrysostomo,& Francofordiensi Scriptoras allegatas.

162 Ad rationem in oppositum dico quòd oratio stricta dedecet Christum in Cœlo, non quidem ratione suæ imperfectionis, sed ratione inutilitatis, & signi indicantis in Christo defectum plenę potestatis obtentæ per merita,& plenissimæ dispositionis jam anteà factæ quoad omnia,& singula quæ nostram Redemptionem, & Sanctificationem concernit.

DISPVTATIO V.

CHRISTI DOMINI SERVITVS, FILIATIO, Prædestinatio.

1 EGENT Controversiæ, quas aggredimur, manu non levi, neque leviter Theologicâ: quippe gravissimæ.Ne dignitatem,& gravitatem rerum deterat brevis disputationis ambitus, opus est arte, quam dabit methodus.Faciunt hûc, quæ multus disputat Pater Bernal *disp.*56. & 57. & nos ferè præmisimus omnia *lib.* 4. *disp.* 5. Verùm, quia gradum, eorum insinuatio faciet ad altiora, quæ vocant; attingo: & sunt *Minoritas*, *subjectio*, & *servitus*: quæ *tria* ita se adinvicem habent, ut sint quasi quidam gradus consummatæ servitutis: Nam *servitus* involvit, aut supponit *subjectionem*,& *minoritatem*: quippe servus,subjectus est Domino,& eo minor: *subjectio* involvit, aut supponit *minoritatem*: *Minoritas* verò in formali conceptu suo neque *subjectionem* dicit,neque *servitutem*. Nam *Minor* dicitur ex inferioritate in perfectione,& bonitate physicâ: *subjectus*, seu *subditus* ex necessitate parendi, & obsequendi: *Servus* ex eo quòd quis sui juris non sit, sed alieni,cum aliis conditionibus,de quibus in decursu.

P. Bernal, & suprà Nos lib. 4. disp. 5.

2 Et quidem Christum esse subjectum Deo, ejusque directioni,& jurisdictioni patet ex *loc.cit.* ubi satis de qualitate subjectionis disputatum est.Esse *minorem Patre*, atque adeò Spiritu Sancto,& seipso,quatenus Deo,dixit ipse Christus *Ioannis* 14. 28. Difficultas esse solet: an absolutè,& sine reduplicatione cadente supra Naturam Humanã, dici possit & debeat Christus subjectus, & minor? Et quoad appellationem subjecti conveniunt ferè omnes in affirmando.Quoad appellationem minoris etiam affirmat Bernal,saltem,cùm dicitur Christus *Patre minor*:nam cùm dicitur minor Spiritu Sancto,& seipso, ratione periculi ex controversiis orti, dubitat. Alii communiter cum Suarez,& Lugo negant:quia minoritas videtur excludere æqualitatem in Naturâ: quem sentiendi modum ipse magis approbo; & de eo aliquid jam dixisse me memini *lib.*1. *disp.*1. *sect.*1. & 5. Veniamus jam ad magis ardua.

Ioann. 14.

Bernal.

Suarez. Delugo. Supra lib. 1. disp. 1. sect 1. & 5

SEC-

SECTIO I.

CHRISTVS DOMINVS, ETIAM VT HOMO, nec est, nec dici potest propriè Servus.

SS.PP. Damasc. Chrysostom Cyrill. Alexand. Augustin. Cõc.Franc. Adrian. Theolog. Argent. Vazquez. Becan. Pet.Hurt. Gasp Hurt. Torres. Lugo. Amicus. Aldrete. Martinon. Cont.Suar. Valentia. &c.

3 ITa planè sentiunt ex Patribus Damascenus *lib* 3 *de Fid. cap.*24 Chrysostom. *hom.*13. *in Epist ad Hebræos*,Cyrillus Alexandrinus *in expositione Symboli Nicæni*, Augustinus *tract.*3. *in* Ioann. & quod caput est, Concilii Francofordiensis Patres qui fuere *trecenti in Epist. ad Episcopos Hispaniæ*,& Adrianus Primus *in Epist. decretali ad eosdem contra* Elipandum, ut constabit. Ex Theologis Argentinas *in* 3 *dist* 9. & 10. acerrimè P. Vazquez *disp.*80.Becanus *cap.*16.*quæst.*2. Petrus Hurtado *disp.*18.Gaspar Hurtad *disp.* 15. *num* 8. Torres *Opusc.*13. *disp.*1. *dub.* 5. Delugo *disp.*28.Martinonus *disp.*14. Amicus *disp.*28. & Aldrete *disp* 87. *Sunt contra* cum Suarez & Valentia, & ut putant cum Sancto Thoma & aliquibus Patribus Thomistæ, & Schoristæ, & ex nostris multi, quorum censum vide apud Bernal *disp.*58. Godoy *disp.* 55. §. 7. *Novissimèque* secutos Lumbier, & Munièsa: illum, *quæst.* 37. hunc *disp.* 10. *de Incarnatione.*

Cyrillus. Hieronym. Athanas. Chrysost. Leo. Aldrete. Contra Suarez. Bernal. Koninch. Adrianus Papa. Adversus Elipand.

§. I.

ARGVMENTVM AB AVTHORITATE.

Damascen.

4 OStenditur primò Conclusio: Authoritate Sanctũ Patrum. Præcat Damascenus *loc. supra citato. Sciendum autem, quod neque Servum, ipsum dicere debeamus.* Dat rationem: *Nam servitutis & dominii nomina, non naturæ sunt Nomenclatura, seu non naturas indicant,sed ex eorum genere sunt quæ ad aliud referuntur.* Et paulò infrà: *Serva esset caro, nisi unita esset Deo Verbo. Semel autem unita secundum hypostasim, quomodo serva erit?* Et *lib.*4. *cap.*19. *Nisi caro Deo verbo copulata fuisset, serva procul dubio, & ignorans extitisset: verum ob personalem unionem id habuit,ut nec serva esset,nec in ignoratione versaretur.* Quid clarius? Succedat Augustinus, cujus verba recitat & allegat Francofordiense: & sunt: *Dominus noster in forma servi non servus, sed in forma etiam servi, dominus fuit.* Dixerat Vazquez se in Augustino hæc invenire non potuisse: unde pressus Koninch,negat esse verba Augustini. Sed affirmat Francofordiense: cui standum. Accedat Cyrillus in *expositione* Symboli Nicæni *prope medium* in hæc verba: *Accepit autem formam servi,ut liber: non servus existens ad libertatis reditt gloriam.* In hanc phrasim consonant Hieronymus, Athanasius, Chrisostomus, Leo,quorum loca vide apud Aldrete vindicata satis ab interpretatione Suarez, Bernalii, & Koninch.

Augustin. ex Vazq. & Francof cont. Kon.

5 Ostenditur secundò: principaliter, Authoritate Adriani Primi, & Concilii Francofordiensis *locis supra citatis. Tria*, quoad rem præsentem, præstat Adrianus in Decretali sua contra Elipandum.*Primum*: reprehendit & damnat,quòd Christus vocetur Servus. Verba sunt: *Servum eum, impii, & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurare. Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles,illum Servum nuncupare,qui vos de servitute diaboli nuncupavit?*

Alterum: comparat servitutem cum adoptione, & utramque ait à Christo repellendã; imò potiori jure servitutem: Verba sunt:*Adoptivum cum Filium,quasi parum Hominem, calamitati humanæ subjectum, & (quod pudet dicere) Servum eum &c. Tertium*: percurrit omnes Scripturas, & ait, in novo Testamento, nunquam à Patre dictum Christum Servum:in Veteri locutos Prophetas *tropicè*,& *impropriè*, dum Christo appellationem servi dedere. Deinde exurgit multipliciter contra appellationem Servi:& *hæc* Adrianus.

Francof. Concil.

6 Synodus verò Francofordiensis inter alia præstat duo. *Primum*: excludit à Christo omne genus servitutis, facta inductione respectu Angelorum, respectu Hominum, & respectu Patris Æterni.Idque habet expressè *in Epist. ad Episcopos Hispaniæ column.* 3. *Alterum*: excludit servitutem quasi antecedens,ex quo Elipãdus firmabat,& colligebat errorem suum Adoptionis. Verba sunt. *Quomodo ampliorisgloriæ,si Servus.Sicut & Moyses, vel ex Servo,Adoptivus?* Propter hæc ipse dubitare non possum de mente Adriani, & Francofordiensis.Quæ tamen ut omninò pateat

Formatur argum ex Concil. & ex Adrian.

7 Sic ex positis argumentor primò:quia Synodus & Adrianus *sine ulla limitatione*,& passim inculcant *appellationem Servi* esse Christo *injuriosam*, & omninò repellendam ab ipso: ergo planè *definiunt* Christum Dominum nec esse nec propriè dici posse Servum. Argumentor secundò: quia si aliquomodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo posset dici Christus Servus, inconsideratè processisset Adrianus, reprehendens tam apertè Elipandum, & omninò pronuntians nunquam & nusquam ab Scripturis appellatum fuisse Christum *nisi tropicè, & impropriè* Servum: at dicere, Adrianum inconsideratè processisse, temerarium est: ergo.

8 Argumentor tertiò: quia ut ex contextu Adriani, & Synodi patet, Elipandus fovebat & firmabat errorem suum de *adoptione Christi, ex appellatione Servi*, quam pro *antecedente* ponebat quasi de Fide, ex textibus Veteris testamenti, quos nunc Adversarii allegant contra nos: Id esse verisimum constat ex discursu Adriani, qui omninò curat repellere existimatum prætidium Elipandi, interpretando loca veteris testamenti, ut præmonui *num.* 5. ad quid enim tanta cura Adriani in repellendâ Servitute, nisi, quia in ea nitebatur Elipandus, malè assumens, & pejus colligens, invocante abyssum abysso? Constat etiam ex citatis verbis Synodi; *ex servo, Adoptivus*; ubi manifestè declarat discursum Elipandi colligentis *ex servitute Adoptionem*.

Nunc sic: at Synodus, & Adrianus simul damnant antecedens, & consequens Elipandi: nec enim permisso antecedente negant consequentiam adoptionis: ut faciunt Adversarii nostri: ergo juxta Synodum, & Adrianum damnata manet æquè servitus, ac Adoptio. Hic *noster Achilles*; videamus quomodo frangant, & exarment Adversarii.

§. II.

ALIQVÆ SOLVTIONES.

Prima solutio, indecora.

9 Respondent aliqui primò dubitâdo de Authoritate Epistolæ Pontificiæ, & Synodi Francofordiensis: quòd nempè diù latuerint, & ob alia. Sed hæc potiùs est temeritas quàm solutio: eamque totis viribus conteram contra Schotistas aliquos *sectione sequenti*: ubi de prædictæ Synodi authoritate decernam. Quicquid nunc de eâ sit: certè de Adriani Epistolâ sine scandalo dubitari non potest, cùm ea summo cum applausu admissa sit ab Ecclesiâ, & reposita post longam consultationem Theologorum de mandato Summi Pontificis *inter Decretales Summorum Pontificum anno* 1592. teste Vazquez videndo *disp.* 89. *cap.* 7.

Quanta Authorit. Francof & Decretalis

Vazquez.

10 Nec in eâ quicquam est quod non redoleat Sedem Romanam, & Pontificiam. Imò juxta Baronium *tom.* 9. *ad ann.* 795. *fol. mihi* 446. legitur Summarium ipsius, inventum inter schedas ipsius Adriani. Quòd verò aliquantò asperioris sit styli, movebit solummodò eos qui neque introspexerint causæ necessitatem, & arrogantiam Elipandi; imò & aliorum Pontificum morem scribentium contra errores exortos. Legatur Cælestinus *contra Casianum*. Adde in fine Epistolæ, satis ostendere Adrianum viscera Pontificiæ, & Paternæ clementiæ. Sed hæc hac pro re satis.

Card. Bar.

Cælestinus Papa.

Adrianus.

Secunda solutio.

11 Respondent alii secundò: Adrianum, & Synodum solùm damnasse appellationem servi de Christo, simpliciter, & absolutè; non verò *secundùm quid, & cum addito*, nempè *ut est Homo*, vel *secundùm Humanitatem*. Contra primò: quia Adrianus, & Synodus eo sensu damnant, quo Elipandus asseruit; atqui Elipandus appellationem *servi* asseruit de Christo, *cum addito*, nempè, *secundùm Humanitatem*, sicut & appellationem *Filii adoptivi*: audiatur ipse in suâ confessione: *Per istum Dei simul, & Hominis Filium, adoptivum Humanitate, & non adoptivum Divinitate, &c.* ergo Pontifex, & Synodus damnant appellationem *servi*, etiam cum addito, *secundùm naturam Humanam*.

Repellitur. Elipandi Confessio.

12 Contra secundò manifestissimè. Nam Adrianus etiam expressè damnat hanc appellationem servi, *cum addito*: audiatur ipse: *Nam Christus Deus, & homo erat, qui secundùm Deum dicebat: Ego, & Pater unum sumus: & secundùm hominem: Pater major me est: & tamen non ait: Pater Dominus meus est: sed major.* Vbi manifestè refellit appellationem, *quocumque sub addito*. Contra tertiò: & sit ratio præcedentium ex ipso Concilio: *nam appellatio servi, non est Natura, sed Personæ*: quæ ratio ex Damasceno desumpta, admittitur à Concilio, dum ait: *alia est Persona Filii; alia adoptivi, vel servi*: ubi docet in eandem personam cadere non posse appellationem Filii naturalis, & servi. Videatur per otium Vazquez *cap.* 7.

Adrianus.

Concil. Francof. cum Damascen.

13 Respondent alii tertiò, quibus applaudit Bernal, esse extra scopum Adriani, & Synodi definire contra servitutem: deque eâ, obiter, & indirectè egisse, non verò *per se, & ex professo*: nam scopus solus erat agere contra adoptionem, in quâ errabat Elipandus. Miror hæc dici à Viris alioqui doctis, & eruditis, cùm ostensione charitæ revinci possint.

P. Vazq. Tertia solutio sine fund. Bernal.

14 Contra primò: usque adeò Pontifex *ex professo* contra servitutis appellationem egit, ut Epistolam ferè dimidiam in hoc insumpserit arguens ab authoritate, & à ratione multiplici propthesi quam sibi proposuit, nempè Christum nec esse nec dici posse propriè servum. Incipit enim ab *Adoptione*, & pergit adusque medium Epistolæ; & exinde invehitur in *servitutem*. Et id quidem objiciendo sibi omnia fundamenta, quæ prosè vel adduxerat, vel adducere poterat Elipandus, ut patet ex supradictis. Deinde Synodus vix *de adoptione* loquitur, quin insimul *servitutem* excludat. Quis autem post hæc asserat, Adrianum, & Synodum non egisse de servitute directè & ex professo?

Tenor Decreti Adriani.

Con. Acta.

15 Contra secundò: & detego æquivocationem Adversarii ex præjactâ consideratione *num.* 8. Fateor Scopum Elipandi fuisse, adstruere adoptionem in Christo: sed ad eâ firmandam, confidenter usus est appellatione servi, aburendo Sacris Scripturis, & Patribus in hunc sensum: id quod manifestè convictum reliqui *loc. cit.* Alius tamen, & idem fuit scopus Synodi, & Adriani damnantium. *Idem*: nam damnavit *Adoptionem*: *alius*, nam damnavit, id quod pro certò ponebat Elipandus, nempè *servitutem*, damnando simul, & *antecedens* servituris, & *consequens* Adoptionis; & quid magis apud Patres, & Concilia usitatum quàm damnare simul, & errorem illatum; & principia, unde infertur, si æqualis fulguris ictu digna censet Ecclesia?

Sup. nu. 8.

§. III.

VEROSIMILIORES SOLVENDI VIÆ.

Quarta solutio plausibilis Bernal. Prudent. Godoy. fundatur.

16 Respondent alii quartò: quibus hærent confidentissimè Bernal, Prudentius, & Godoy, distinguendo multiplex sensus servitutis: Nam alia est, inquiunt, *naturalis*, quæ consistit in conditione naturæ, pendentis à Deo, tanquam à Domino: alia est *legalis*, nempè introducta per leges jure belli, pacti, vel pretii: & alia est *pœnalis*, quæ contrahitur ex peccato, vel consistit in ipso peccato. Ex his *Legalis*, & *pœnalis* est servitus *vilis*: non verò *naturalis*; & illas excusere Adrianus, & Synodus, non istam: quia non istam sed illas voluit Elipandus in Christo: quod patet ex verbis ipsius Concilii, sic alloquentis Elipandum: *Sed & hoc volumus à vobis audire: an Adam primus Humani generis Pater, qui de terrâ virgine creatus est, liber est conditus, sive Servus? Si Servus; quo modo tunc imago Dei? Si liber; quare & Christus quoque non legimus de Virgine?* Hucusque Concilium. Certum autem est Adamum ante peccatum, fuisse servitute naturali: non ergo hanc, sed vilem, & quæ contrahitur ex peccato voluerunt Synodus, & Pontifex excludere à Christo. Addit Lorca, convinci idipsum ex verbis Elipandi, nam servitutem, quam attribuit Christo, vocat *Captivitatem*: captivitas autem in homine ex solo peccato contrahitur. Hæc verò solutio solummodò suâ specie fallere incautum poterit.

M. Lorca.

17 Contra primò: quia Elipandus nunquam ita delipuit, ut attribuerit Christo servitutem peccati: Neque id colligi unquam potest ex ejus confessione, quæ apud Vazquez habetur *disp.* 80. *cap.* 4. Imò constat oppositum: nam in fine fideles excitat ad imitationem Christi, cui nempè debemus conformari in sanctitate, ut sancti simus. Legantur ejus verba *loco citato*. Nulla ergo servitus admissa est in Christo ab Elipando, nisi quæ cum sanctitate conjungitur: ergo nec est ab ipso admissa servitus ex peccato contractâ. Confirmatur evidentissimè ex his quæ novissimè insinuat Pater Gabriel de Henao *de Scientiâ Mediâ theologicè defensatâ part.* 1. *num.* 37. ubi recitat in confessione Felicis Urgelitani hæc Verba: *Servus Patris, Frater electorum, consimilis per omnia, excepto peccato.* Constat autem Elipandum per omnia consensisse Fælici. Legatur Ioannes Eusebius Nierembergius *in Epistolâ ad Laurentium Ramirez* del Prado *fol.* 518 *operum Luitprandi*.

P. Vazq. ex confess. Elipand.

Henao.

Ioan. Eus. Nieremb.

18 Contra secundò: quia fundamentum Adversariorum est omninò nullum, quod ostendo. Tùm quia dum Elipandus *Captivum* vocat Christum, intelligit, *comprehensum à Iudæis*, tempore passionis, ut constat ex ejus verbis apud Vazquez, Delugo, & Aldrete. Tùm etiam: quia Concilium *in verbis allegatis* incipit inductionem, enumerando species servitutis, ut omnes excludat à Christo, nullaque sit Elipando effugii rima. Discursus concilii est: *Dicis Christum servum? at vel esset Servus peccati?* Et id negat in verbis allegatis: vel est *servus hominum*; & id negat: quia est Dominus. Vel *Servus Angelorum?* Et id negat, adductis in oppositum Scripturis: vel demum est *Servus Æterni Patris*. Et id demum negat. Videantur Verba Concilii apud Delugo *num.* 22.

Vazquez. Delugo. Aldret.

19 Contra tertiò: quia servitus *naturalis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adriani P. Verba.

tis est servitus conditionis humanæ: servitus ex peccato contracta est servitus exclusa per gratiam, & quæ non manet in Sanctis. Audiatur modò Adrianus: *Opus namque ejus est, ut sit unicus, proprius, & dilectus Filius Dei: Nostrum opus est, ut simus servi per conditionem, & Filii per gratiam adoptionis.* En Adrianus fatetur *cum gratiâ Adoptionis servitutem conditionis* componi: & hanc fatetur in nobis, & excludit à Christo: ergo non solùm excludit servitutem pœnalem, sed aliam quæ nobis inest ex conditione naturæ. Id quod adductis exemplis lobi, & aliorum, firmat, asserens eos esse servos, non verò Christum: at illi servi non erant, servitute peccati, sed conditionis: ergo. Vbi noto quòd si negante Pontifice simpliciter servitutem, datur locus, ut intelligatur de unâ specie servitutis, & non de alia: cur similiter dici non poterit de adoptione?

Triplex consideratio. Prima.

20 Contra quartò, & argumentor sic: Vel ultrà speciem servitutis ex peccato contractæ agnovit Adrianus aliam speciem propriæ servituris? Vel non? Si secundum: ergo cum de *fide* sit Christum non esse servum servitute peccati, non est ulla Adversariis ratio, cur appellent Christum propriè servum? Si primum: ergo injustè, & inconsideratè processit Adrianus contra Elipandum, quòd Christum dixerit propriè servum. Deinde non fuit cur asseruisset Adrianus, omnes Scripturas, quæ Christo tribuunt appellationem servi, esse *impropriè*, & *tropicè*, ac *metaphoricè* intelligendas: est enim argumentum magnæ ignorantiæ in Adriano, possibilitas propriæ servitutis in Christo distinctæ à servitute peccati.

Secunda.

21 Aliter argumentum formo. Vel est propria servitus ea quam vocant Aduersarii, vel non? Si secundum: cur ergo vocant Christum propriè servum? Si primum: ergo per ipsam explicare debuit Scripturas Adrianus, ne iret contra regulas interpretandi Scripturas traditas ab Ecclesia, & Sanctis PP. Dicere verò Pontificem, dum definit, deviare à communi more, & sensu Ecclesiæ, & Patrum in interpretandis Scripturis, nempe *Metaphoricè*, dum propriè possunt, est plusquam temerarium. Formo etiam aliter: vel dependentia naturalis Naturæ Rationalis à Deo sufficit ad propriam servitutem, vel non? Si secundum: desinant Adversarii vocare Christum ex eo capite propriè servum. Si primum: quomodo propria servitus est argumentum Nestorianismi? quomodo nota non est Concilio Francofordiæ, nec Adriano?

Tertia.

22 Respondent alii quintò: Concilium, & Adrianum solùm damnasse Elipandum de speciali servitute, fundatâ *in conditione servili*, quâ, qui servus est, non paret ex amore, & sponte, sed coactè, & ex timore pœnæ. Sed contra primò: quia neque Elipandus in hoc erravit, ut planè convincit Pater Vazquez *disp* 80. *cap.* 5. ex ipsius confessione ubi ne verbum, aut umbra quidem de tali errore. Contra secundò: quia neque verbum est in toto contextu Concilii, & Adriani, quo videantur velle probare Christum fuisse operatum ex amore, non verò ex metu, aut timore pœnæ: quis autem credat, si penes id erraret Elipandus, omissum iri à Concilio, & ab Adriano? Contra tertiò: nam redeunt hùc dilemmata *numeri præcedentis*. Contra quartò: quia ratio, quâ Concilia, & Pontifex utitur, ad excludendam servitutem, ea est nempè, quâ eadem Persona nequit esse *servi*, & *Domini*: & quia qui gaudet adoratione, & honore Dominj, nequit esse servus: at hæc ratio omnem servitutem excludit, & non impetit specialiter discursum fictum ab Adversariis. Videatur Vazquius *loc. cit.*

Quinta solutio.

Repellitur à Vazquez ex confess. Elipand.

P. Vazq.

§. IV.

SOLVTIO PATRIS SVAREZ.

23 Respondent alii jam communiter, & ultimò cum Suarez, Elipandum locutum de servitute multiplicante supposita, & fecisse Christum *puram servum*: erat enim *Nestorianus*: & in hoc sensu damnatum à Synodo, & à Pontifice. *Duo* dicit hæc solutio in quibus maximè, & unicè nititur. *Primum*: Elipandum fuisse Nestorianum. *Secundum*: cum proinde non admisisse unam Personam in Christo, sed duas; & admisisse servitutem, quæ suo faveret errori: atque adeò servitutem, quâ Christus esset *purus* servus, & *purus* adoptivus, *ut Homo*.

Sexta solutio de Nestorianismo.

24 Primum ostendere conatur Suarez ex Historicis illorum temporum, & ex verbis Concilii, ubi dicitur error Elipandi jam damnatus in Nestorio: id quod amplificat P. Bernal *tota disp.* 64. Secundum ostendit ex filo consequentiæ: & addit parùm consulere famæ Concilii, & Adriani, qui contendimus Elipandum tàm acriter concussum & habitum, propter modum loquendi tàm frequentem alioquin in PP. & Scripturis.

Fundatur à Suarez. & Bernal.

Dissipatur

25 Vt ab hoc incipiam, *rogo*: cui standum in intelligentiâ Scripturæ? Si Scripturas, & Patres interpretatur Pontifex de *appellatione servi metaphorica, & impropria*, ut verè facit, deferendusne Pontifex pro sensu Adversariorum? Quoties in hæreticis, & aliis condemnat Ecclesiæ voces, quas tamen in Patribus invenit alio sensu dictas? Si ergo Ecclesia permisit Patribus *appellationem servi*, jam explicat in quo sensu. Iam quomodo consulunt Adversarii *famæ Concilii, & Papæ*, si utriusque rationes ex suo discursu faciunt inefficaces, & non facientes ad rem? Si enim admittitur in Christo propria servitus, quæ acoluthia disputandi in Adriano, quæ veritas? Demùm duo illa, in quibus nititur solutio, convincit omninò esse falsa, & quidem, quantum ipse assequor, evidenter Pater Vazquez *disp* 89. *cap.* 8.

P. Vazq. Nestorianismus quomodo objectus Elipando?

26 Imprimis hæc solutio non occurrit his, quæ contra alios diximus, & ipsam æquè ferunt: Nam vel propria servitus est argumentum Nestorianismi, vel Adrianus egit inconsideratè recurrens ad metaphoricam intelligentiam Scripturæ. Deinde quantùm attinet ad historicos, patet ex eorum Verbis, solùm affictam Elipando Nestorii hæresim *per illationem*. Tertiò: quòd Concilium, & Adrianus non eum planè censuerint Nestorizare, patet ex eisdem: nam quomodo vocant *Hæresim* Elipandi *novam*; si Nestorji erat? quomodo nullus factus recursus ad *Ephesinum*, ubi damnatus Nestorius? Quòd autem per *absurdum* objecerint Elipando, manifestè probat, Elipandum saltem apertè non fuisse in eo errore. Aliud ergo est quòd Nestorianus fuerit, aliud quod arguatur tanquam conveniens cũ Nestorio. Adde quòd Adrianus ne verbum quidem de Nestoriana hæresi inserit in Epistola sua contra Elipandum: neque liber Concilii Sacrosyllabus. Epistola verò Concilii statuere videtur, tanquam catholicè cognitam ab Elipando unitatem Personæ: & exinde arguit contra ipsum, quasi diceret quæ cum eo principio componi non possent. Quartò: quia eodem modo Synodus, & Pontifex damnant *Adoptionem*, quo *servitutem*; sed illam damnant simpliciter: ergo & hanc. Quinto, &

Prima Instantia.

27 Contendo Elipandum non fuisse à perte Nestorianum. Primò sic arguo: Elipandus admisit unicam Personam in Christo, negavit duas: ergo non fuit Nestorianus. Consequentia pater: & antecedenter ostenditur. Tùm quia Concilium infert tanquam inconveniens ex doctrinâ Elipandi, quod sequantur in Christo *duæ Personæ*: quid hoc, si ipse pro thesi admisisset? Tùm etiam quia ex eo principio arguebant Concilium, & Pontifex contra Elipandum, quasi cum *unicitate* Personæ componi non possent *servitus, & adoptio*. Tùm ex ipsâ confessione Elipandi, ubi hæc habet: *Homo interior in unâ, eâdemque Dei, & hominis Personâ*. Quid clarius? Tùm demum quia ipse fatetur in *Epistola* ad Felicem controversiam sibi *cum Beato, & Heterio*, (qui in Hispania resistebant Elipando) solam in eo esse, quòd illi censerent *unam eamdemque Personam* dici non posse Filium Naturalem, & adoptivum: ipse, contrà.

Secunda.

28 Arguo secundò: nam ipse Elipandus ejurat *in suâ confessione Bonosum*, quem secutus est Nestorius: non ergo apertè sensit quod Nestorius. Nec refert quòd Francofordiense reprehendat, quòd *Bonoso ejurato*, non ejuraverit Nestorium, quasi conscius, & compars erroris. Nam id facit Francofordiense, addito ly *fortè*: quod non addidisset, si planè sentiret Elipandum fuisse Nestorianum.

Tertia Cõc. Tolet. XV. Calced

29 Arguo tertiò: quia ipse Elipandus utitur Authoritate Iuliani Prædecessoris, qui præfuit Concilio *XV. Toletano*, ubi Calcedonense circa unitatem Personæ in Christo admissum unà cum *confessione Ephesini* contra Nestorium: quis autem credat Elipandum hebetis adeò ingenii, ut excitaret contra se testes, dum Patronos allegabat?

Quarta. Car. Mag.

Arguo quartò: quia Elipandus rogavit per litteras Carolum Magnum, ut coacto Sapientium consessu de sua doctrina decerneret: rescriberetque, quid sensissent: quod sonat maximam confidentiam de existimata securitate suæ doctrinæ, impossibilem in homine qui se Nestorianũ agnosceret, & simul agnosceret catholicam pietatem Caroli.

§. V.

LVMBERII, ET MVNIESSÆ RESPONsiones.

Septima solutio. M. Lumb. & Pater Munies.

30 Vidit uterque in autographo meo argumenti propositi speciem cum impugnationibus communium solutionum hucusque positis, & ex calore vel sanguinis, vel amicitiæ, effusè laudato supra meritum me; fideliter argumentum cum præmunitionibus meis transcripsit uterque: Ille *quæst.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

37. de Incarnatione art.2. per totum. Iste novissimè *disp.* 10. *de Incarnatione sect.* 4. Et uterque spatiosè paratus respondere; contemptis aliis solutionibus, tandem tèlabitur in *quartam*, & *sextam*; fusè contendendo, *servitutem* ab Adriano, & à Concilio, & à Patribus damnatam in Elipando, fuisse *servitutem peccati, & servitutem Nestorianam*, derogantem veritati physicæ Vnionis, & multiplicantem Personas in Christo.

Adrian. 31 Colligere tentat uterque *primam partem*, ex illis verbis Adriani: *Adoptivum enim Filium, quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum (& quod pudet dicere) servum cum.. non pertimescitis venenosâ fauce susurrare.* Quid est, *inquiunt*, *calamitas humana*, nisi peccatum? *Secundam partem* ex illis verbis Elipandi in confessione suâ dicentis: *homo interior in una eademque Dei, & hominis Personâ adglomeratus, atque carnis vestimento indutus.* Nota, *inquiunt*, non dictum *Vnitus*, sed *adglomeratus*, & *indutus*, quæ sunt voces Nestorianæ, & dissonæ realitati physicæ Vnionis. Hinc, vellicatâ mea in legendis Adriano, Concilio, & Confessione Elipandi quasi supinitate, procedit uterque latissimè ad respondendum impugnationibus *suprà* positis contra *quartam*, & *sextam* solutionem.

Elip. Conf.

Suprà à nu. 17. & à nu.26.

32 Ego quidem, magni faciens utriusque Doctissimi Magistri diligentiam, & studium in respondendo, impugnationes has meas adhuc stare video: nec eas per colores cõsiderationum hinc, & inde, *ex genio errantium perspelli*, quæsitos, eludi posse si stemus tenori damnantium *Adriani, & Concilii*, & errantis *Elipandi*. Cogor tamen rem eandem contra tantos Magistros evolvere. Et *imprimis* miror in utroque fragilitatem fundamenti: quid enim facit, ut jam notavit Pater Vazquez, in sæculo *barbaro*, & *vix latinè* loquenti vox illa *adglomeratus*, & *indutus*, contra veritatem unitatis in Personâ, in homine conceptissimè confitente *Personæ unitatem* in Christo? Aut quomodo convenit cùm *negante unitatem* Personæ, qui *confitetur* unitatem? Adde quòd vox illa *adglomerationis* in ore Elipandi tàm absuit à diminuenda veritate physicæ Vnionis, ut neque eam reprehenderint Patres; imò ut *per eam* expresserit Elipandus *identicam Vnitatem essentiæ* inter ipsas Personas Trinitatis, ut patet ex ejus confessione. Quid ergo mirantur hi Magistri, ut *ex hac* colligant Nestorianissimum in expressè negante?

Tantorum Magistrorum laus.

P. Vazq.

Sensus Elipandi

33 Insuper instantiæ nostræ de Elipandi recursu, per libellum supplicem *ad Carolū*; per exibitionem *suæ confessionis*, ad Concilium, & per ejurationem *Bonosi*, Ducis Nestorii, apertè præponderant motivis hinc inde, calamo suspicaci, collectis ab Adversariis contra ipsum Elipandum. Aut quomodo Concilii Patres arguerent contra ipsum ab absurdo Nestorianissimi, si Elipandus teneret errorem? Esserne apta arguendi facies cõtra Lutherum apertè negantem liberum arbitrium, ab absurdo negati liberi arbitrii? Quis hunc arguendi modum legit inter acta Conciliorum?

Mens Elipandi circa servitutem.

34 Iam servitus illa peccati manifestè rejecta etiam est ab Elipando, & sensere Patres Concilii eam ab ipso nunquam Christo Domino impactam. Prima pars constat ex *suprà* ponderatis. Primò quæ non egent ulteriori firmitudine: nam per se clara sunt: quid enim clarius, quàm *excipere peccatum*, in ipsâ propositione Doctrinæ ut fecit Elipandus: ergo adoptionem, & servitutem voluit *indemnes à conditione peccati*. Quòd si Patres colligebant ex errore Elipandi hoc absurdum; non illud docebat Elipandus. Secundò: quia servitus asserta ab Elipando, propositâ ab ipso est in *ideam benè operandi*, quam inspicerent justi: quomodo est asserta ab ipso peccati servitus?

Suprà nu. 17.

Ex Concil.

35 Secunda pars est etiam evidens, primò: Nam Patres, *factâ longa inductione*, omnes species servitutis, incipiendo à servitute peccati, à Christo Domino sublatas voluere. Ad quid ergo *illa inductio*, si Elipandus solam servitutem peccati defenderet? Secundò: Patres, & Pontifex, ex concessis ab Elipando, ipsum convincere conati sunt: quasi dicerent: *Tù peccatum excludis à Christo: ergo servitus peccati à te non admittitur: quænam est ergo servitus, quam admittis?* & facto descensu, singulas *enumerant*, & *singulas negant*. Vel ergo incogitantes, & supinè versatos in rebus, Patres Concilii, & Pontificem velint Adversarii, necesse est: vel Elipandus à Patribus non est de servitute peccati factus reus. Tertiò Adrianus assumit ex Elipando Verbum assumpsisse hominem *sine sorde peccati*, & tanquam magnum absurdum colligit, cogendum ad angustias, ut *fortè* Christum faceret peccati participem, quod negabat. Vndenam ergo ex mente Pontificis, *Elipandi servitus* censenda est *servitus peccati*? Iam ulterius insurgo, &

Et ex Adriano.

36 Argumentor primò: Qui omnes species

Nova instantia.

cies tollit, genus tollit: sed Adriani, & Concilii mens sustulit à Christo omnes species propriæ servitutis: ergo & sustulit genus. Consequentia est evidens: & major integrabilissimam genus sine specie non existit. Minor probatur primò: ex textu Concilii revidendo *suprà nu.* 6. & 18. vel enim Patres, patentissimam, quam ajunt adversarii, servitutem, nempe *naturalem*, non agnovere: quæ est ignorantia, & supinitas, tanto Concilio, non nisi per summam calumniam afficta; vel processere diminutissimè. Quid enim facit exclusio unius, & alterius speciei, ad tollendum proprium genus, si propriissimè manet in retris, quæ retinetur? Non cadit hæc supinitas in tantos Patres: & potior est mihi erga ipsos Reverentia, quàm contentio quælibet in opinando. Secundò: Qui nullam speciem admittit nisi *metaphoricè*, & *in sensu improprio*, omnes tollit *in re*, & *in proprio sensu*: sed Adrianus, ut ex ipsius contextu constat, solùm admisit in Christo appellationem *servi* in sensu *metaphorico* & *improprio*: ergo sustulit omnes *in re*, & *in sensu proprio*. Qui enim diceret, omne genus Vnionis in Christo explicandum unicè in sensu metaphorico, relinqueret aliquam propriam, nonne esset apertè Nestorianus? & qui diceret omne genus Gratiæ requisitæ ad salutariter operandum, explicari unicè debere *metaphoricè*, relinqueret locum Gratiæ propriæ? nonne esset apertè Pelagianus? Sed Pontifex in Decretali suâ definit *vocem servi* de Christo, solùm assumi posse *metaphoricè*: ergo non fuit locum *propriæ servituti*.

Suprà nu. 6. & 18.

Vrgetur à simili.

M. Lumb. repulsus.

37 Dicere cum Lumberio non advertisse Pontificem, nec Patres Concilii ad speciem servitutis naturalis, est dicere non advertisse ad *solem*, patentem oculis omnium. Et quis hoc ferat, quando *servitus naturalis*, ut adversarii volunt, est solùm *conditio creationis*? Non agnovere Patres, Humanitatem esse creaturam? Contrà deinde: *Minoritas* illa Christi ad Patrem, quid apud Adversarios est, nisi *servitus naturalis*? Sed Pontifex hanc *Minoritatem*, & agnovit, & retulit; & eam renuit explicari posse *per servitutem*: ergo & servitutem naturalem agnovit, & repulit. Adde, singulariter notatum ab Adriano, ne sub majori quidem apparentia servi, *qualis in hurib fuit*, voluisse Christum uti erga Patrem voce *Domini*, sed voce *Patris*: nequis ex eâ voce posset ipsum dicere *servum*. Vide quàm horreat Pontifex in Christo quodvis genus propriæ servitutis?

38 Neque satis consulit tanti Concilii, & Pontificis reverentiæ Pater Muniessa, dum *disp. cit. nu* 78. repulso Lumberio, fatetur agnitam ab ipsis speciem servitutis naturalis, ejus tamen non fecisse mentionem, quia nec erat opus, nec ea erat, quam adstruebat Elipandus. *Imprimis* instantiæ nostræ adhuc premunt: nam, si servitutis naturalis species est *propria servitus*, & agnita ab Adriano, & à Concilio, quomodo, ea retentâ, exclusum est *genus*? quomodo *Minoritatem* illam explicari dixit aliter debere quàm per *servitutem*, nam hic jam non angebat Peccati servitus, quæ exclusa jam erat? Quomodo indefinitè, & illimitatè *appellationem servi* definit, non minùs *tropicè* intelligendam esse de Christo, quàm appellationem *Agni, aut lapidis angularis*? Quomodo *ex* voce *servitutis* propriè assertâ, *peccatum*, & *Nestorianissimum* tam fervidè intulit? Quomodo, institutâ inductione per reliquas servitutes, reliquit patentissimam hanc vestram? Certè nec stylus arguendi, nec opportunitas rei id patiebatur: nam per hujusmodi servitutem eludi poterat Elipandus, & explicari *citra metaphoram* Scripturæ? Quomodo, si unicè servitutem peccati nominare voluit, inductione factâ, descendit ad reliquas species, ut patet ex contextu Francofordiensis, & Adriani? Quæ singula satis, superque, suprà inculcata sunt: & certè clariora sunt quâ ut aptatis sic, vel aliter terminis possint obicurari

P. Muniess. non satisfacit.

39 Deinde undenam constat illa servitus peccati in Elipando, nisi Patres, & Pontifex fiant ridiculi in disputando? Quis enim arguens, quasi in absurdum & incommodum deducat respondentem, inferendo *in absurdum*, & *in incommodum*, ipsum *antecedens*, in quo conveniunt ad disputandum? Sed colligitur adversus Elipandum tanquam absurdum, quod horreret in viâ suâ, *peccati servitus, & Nestorianismus*, idque non firmo gressu, sed suspicaci, explicato per *fortè* quomodo ergo conventu est in *antecedente*, de servitute peccati, & Nestorianismo? Hoc non est promovere reverentiam debitam Patribus in re gravissima. Inde

Secunda instantia.

40 Argumentor secundò: ita est exponenda Mens Adriani, & Concilii, ut explicatione non maneat vanus & inermis modus disputandi, quo usi sunt contra Elipandum; sed, si retentâ specie propriâ servitutis in Christo, solùm exponantur de servitute peccati, & multiplicativâ Personæ, modus arguendi maneret ex hujusmodi explicatione

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne vanus, & inermis : ergo exponenda non est mens Adriani, & Concilii per hujusmodi servitutes quasi solùm assertas, & intentas ab Elipando. Consequentia benè sequitur: & major non eget probatione: stare enim debemus pro reverentia Pontificiæ Decretalis, & Concilialis Epistolæ Francofordiensis, maximè in re gravi, & contra hæresim maturè disputatâ à tantis Patribus.

Modus arguendi CC. & Papæ.

41 Ostenditur minor quoad secundam partem: nam modus arguendi, quo usi sunt Pontifex, & Patres Francofordienses, erat, *ex rigore servitutis* inferre contra Elipandum *servitutem peccati, suspicionem Nestorianismi, & statum puri hominis* in Christo; sicut *ex servitute*, colligebat Elipandus *Adoptionem* in Christo; ut patet ex *nu.* 8. & ex ipso textu *Concilii, & Decretalis* attentè videndo: sed assertâ specie propriæ servitutis naturalis in Christo, qualem admittunt & explicant Adversarii, modus iste colligendi esset æquè vanus in Elipâdo contra Veritatâ, ac in Patribus contra Elipandum: nam neque ex asserto *proprio genere servitutis* colligi potest *adoptio*, ut adversarii volunt, neque *peccati servitus*, neque *multiplicatio* Personarum. Et ubi nam erat perspicacia Patrum, qui non viderent consequentiam Elipandicam Adoptionis ex assertâ propriâ servitute: si semel *propria servitus* excludi potest *ab Adoptione*? Hæc insulsitas nunquam est à Patribus objecta Elipando, etiam invigilantibus in singulos apices *libelli propositi*, ut ipsum carperent, & afficerent dignâ verecundiâ: ergo quia à Patribus non est cognita, nec permissa ulla in Christo propria servitus.

Suprà à nu 17. & à nu. 35. P. Vazq.

42 Ostenditur jam eadem minor quoad primam partem. Peccati servitus, & Nestorianismus, & suspicio puri hominis in Christo, illata sunt à Patribus contra Elipandum, tanquam absurdum, & inconveniens, *deducendo ipsum*, ut ajunt, *ad incommodum ex concessis*, ut patet ex toto contextu, & ex discursibus suprà factis: ergo vel non erat hoc, ipsum antecedens Elipandi, vel arguendi modus erat planè ridendus: qualis esset, ut acutè observat Pater Vazquez, *contra Lutherum*, inferre contra ipsum tanquam incommodum consequentiam, negationem liberi arbitrii, quam ipse ponebat pro antecedente; quis enim ipsum *antecedens*, in quo pro argumenti specie conveniunt disputantes, in ferat in *consequens* tanquam *incommodum*?

Fuga.

43 Unica restat effugii rima: & est, Patres intulisse ea incommoda ex *servitute*, ex quâ Elipandus colligebat *adoptionem*, quasi dicerent: *vide quid dicas: facis adoptivum ex servo*: ergo *facis ex servo purum hominem*, facis *servum peccati*, *& multiplicem in Persona*: nam servitus, quæ inferat adoptionem; & hæc, infert. Verùm nec est locus huic effugio. Primò: Non erat pronius ridere consequentiam Elipandi, quasi servitus sufficeret ad illationem adoptionis? Non ita faciunt Patres: sed omninò volunt excludere speciem servitutis à Christo: ergo quia species propriæ servitutis erat, ex mente Patrum, sufficiens antecedens ad omnes hujusmodi illationes, tam illam Elipandi, quàm suas. Secundò: Nam Schotistæ, (de jure non curo,) adhuc rident hujusmodi modum discurrendi: ipsi enim *adoptionem* assumunt, à quâ negant illa Incommoda Patrum. Tertiò: Nam Patribus magis *pudenda* visa est in Elipâdo vox servi, quam vox adoptivi, ut patet ex *nu.* 5. Et exinde, facto descensu per omnes species servitutis, nullam propriè tolerant in Christo Domino, addente & definiente Adriano, *vocem servi* intelligendam in Scripturis de Christo non magis propriè, nec minus *tropicè*, quàm intelligitur vox *lapidis angularis*, *&c.* Quartò recurrunt omnes instantiæ contra *quartam*, & *sextam* solutionem, quas necesse non est urgere magis.

Præcluditur.

Sup. nu. 5.

A nu. 17. & 26.

44 Maneant ergo *tria*. *Primum*: quòd error Elipandi, licèt illatione fuerit idem cũ Nestoriano, tamen fuit omninò diversus in sensu. Nam Elipandus in eadem Personâ putavit conjungi posse *Filiationem naturalem*, *servitutem*, & *adoptionem*. In quo certè desidero curam, & diligentiam Cardinalis Baronii *ad ann.* 794. nimis invecti in Elipandum, quem scire debuit catholicè respuisse, post acceptas literas Adriani, Synodi, & Caroli, ut videre poteris apud Vazquez *disp.* 80. *cap.* 12. *Secundum*, quòd *servitus*, quem admisit Elipandus, & quam damnavit cum Synodo Adrianus, non fuit nisi *propria servitus*, quin contenderet, ex ipsâ dualitatem Personarum in Christo. *Tertium*: argumentum ex Adriano, & Synodo supra peritum manere firmissimum; & exinde ex mente Adriani, & Synodi rejiciẽdam a Christo Domino *omnem speciem propriæ servitutis*, etiam cum illo addito, *secundum Humanam Naturam*: qui erat Scopus probationis. Et hæc de *principali*.

Card. Bar.

Vazquez.

Adrianus & Synod. Francof.

§. VI.

ARGUMENTA A RATIONE.

Ratione Damascen. & Synod. Francof.

45 Ostenditur tertiò Conclusio *rationibus* Theologicis. Primam sumo ex Damasceno, & ipso Concilio, & formo sic: Unio Hypostatica est per se incompossibilis cum propriâ servitute: utpote efficax impedimentum ipsius: ergo Christus ut homo nec est, nec dici potest *propriè* servus. Consequentia manifesta est, & antecedens probo: primò quia Unio Hypostatica est vinculum Filiationis Naturalis; sed vinculum Filiationis naturalis stare nequit cum notâ servitutis: si enim in Humanis vinculum Filiationis adoptivæ excludit conditionem servilem, ut patet ex Institutis Justiniani *titulo de Adoptionibus*: quanto magis impediet vinculum Filiationis naturalis?

Instit.

46 Secundò: quia Unio Hypostatica affert secum dignitatem, quâ in Humanitate ipsâ suppletur omnis defectus quasi ex parte natalium, & originis, ut demonstratum *lib.* 1. *disp.* 3. *& lib.* 4. *passim*: atqui dignitas suppletiva defectuum ex parte originis, & natalium necessariò impedit servitutem, quæ est imperfectio quæ resultat ex origine, & defectu natalium: ergo.

Suprà lib. 1. disp. 3. & lib. 4.

47 Tertiò, cui est connaturale jus ad omnia bona alterius, tanquam hæreditatem, ille non potest esse servus: si hoc jus intrinsecè habet inter sui constitutiva, ut patet ex terminis; atqui Unio Hypostatica facit, ut Humanitas intrinsecè constituatur per jus ad omnia bona Dei, tanquam Hæreditatem: ergo facit ne maneat serva. Confirmatur: ille cujus opera sunt exempta, & licèt ex favore, sub jure suo quasi privativo ad usus quoscumque, ita ut exigi ab ipso non possint, & ipse possit uti pro libito, non potest dici servus, ut patet ex terminis ipsis: nam servus non est sui juris, saltem quoad operas: atqui ipsa Hypostatica Unio est ratio vi cujus manent veluti exempta Humanitatis opera, & sub jure quasi privativo Christi, ita ut ab ipso exigi nequeant, ut patet ex toto *lib.* 4. ergo ipsa Hypostatica unio est efficax impedimentum propriæ servitutis.

Præsertim disp. 2. 3. & 4.

48 Secundam rationem sumo ex Adriano, *& ex definitione servi*, quæ colligitur ex ipso, & Aristotele, & Sancto Thoma, & ut præcludam evasiones, & fundamenta adversariorum, formo sic: Ad propriam servitutem non sufficit, Naturalis dependentia creaturæ rationalis ab aliquo, sed ultra requiritur negatio conjunctionis ita magnæ, ut neque physica, & intima sit, neque faciat Personam paris dignitatis, neque suppleat indignitatem originis, neque reddat Personæ sic conjunctæ opera simpliciter exempta: At qui Humanitas, licèt habeat illiusmodi dependentiam, non dicit exclusionem hujus conjunctionis: nam Unio Hypostatica vim hanc habet: ergo licèt habeat illiusmodi dependentiam, non est propriè serva.

Adrian. Aristot. S. Thom. Instit.

49 Major, in quâ est difficultas, probatur primò ex Adriano Papa: qui manifestè dicit *minoritatem*, quam confessus est de se Christus respectu Patris, non sufficere ad servitutem, & ut ipsum Patrem appellaret ut dominum: atqui hæc minoritas solùm consistit in ista naturali dependentia, ut est evidens: ergo. Secundò: quia juxta Aristotelem & Sanctum Thomam, servus est: *Organum animatum alterius, separatum, homo existens*, id est: *Persona, quæ alterius est, & ipsi non est physicè conjuncta*: sic Aristoteles habet 1. *Politic.* Tertiò, & ratio à priori sit: quia cum naturali dependentia potest componi, si accedat summa cognatio, jus eximens actiones Personæ faciens indebitas, & exemptas, & propias quasi privativè: cum quo jure est inintelligibilis servitus. Quartò: quia ratione minoris conjunctionis impeditur in humanis conditio servilis, ut manifestum fieri posset adductis exemplis ex Justiniano *tit. de Adoption.*

Concil. Francof.

50 Tertiam rationem sumo ex Francofordiensi *prope finem*: & formo sic: dignitas, quæ Naturam alioquin origine obnoxiam servituti naturali, evehit, & constituit intrinsecè in jure participandi cum Deo in bonis, honore, & fede, & summè amabilem, necessariò impedit servitutem. Ratio est primò: quia servitus, etiam naturalis, nequit compati cum naturali jure, ut servo detur honor Domini, & ut sint ejus, non quæcumque Domini bona, sed omnia, & ut cultu aliàs Domini proprio affici debeat, attentâ constitutione, quam habet: servitus enim est positivè infra hæc omnia, ut ex terminis patet. Secundò: quia de ratione servi est ut ametur amore longè dissimili, & distanti ab amore debito Filio naturali. Tertiò: quia exinde provenit in humanis, ut jure naturali conjugii, serva ducta in uxorem à Domino alioquin suo, desinat & extinguat in se conditionem servilem: nempe quia vinculum matri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trimonii est jus participandi cum Matre in bonis, & in honore. Nunc sic: atqui Dignitas Hypostaticæ unionis intrinsecè evehit & constituit Humanitatem in jure communicandi cum Deo in Deitate, adoratione, & cultu: quapropter à Ioanne dicitur eadem sedes *Dei, & Agni*: deinde reddit amabilem amore Filii naturalis, quia constituit in Persona Filii naturalis: ergo.

Adrian. & Franc.

51 Quartam denique rationem sumo ex Adriano, & Francofordiensi, & formo sic: Humanitati Christi simpliciter repugnat *adoptio*: ergo & *propria servitus*. Antecedens datur ab Adversariis, & censebitur à me de Fide *sect. seq.* Probo consequentiam. Primò: quia juxta Adrianum, & Francofordiense æquè utrumque debet à Christo excludi, ut patet ex verbis *supra* relatis. Secundò: ex ratione, quam *imbi* adhibent ex Damasceno: nam *adoptio, & servitus non sunt nomen Naturæ, sed Personæ*: sicut ergo propterea non sufficit ad adoptionem diversitas Naturarū, sed necessariò requiritur Personarum diversitas, unde acutè, & verè Synodus dixit *Personæ unitas, adoptionis tollit injuriam*: ita pariter non sufficit ad propriam servitutem diversitas in Naturâ, sed necessariò requiritur diversitas in Persona: unde mox subdidit eadem Synodus æquè verè: *Nam si Deus verus est, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus?* Ex quibus manet manifestum Christum, neque ut hominem, esse, nec dici posse *propriè* servum.

Ex Damascen.

Synod. Francof.

§. VII.

OBIECTIONES SOLVTÆ.

S. Script.

52 Objicies primò: Loca Scripturæ tam *veteris*, quam *novi* Testamenti, ubi Christus dicitur *servus*. Adde Patres in eadem loca: præsertim Chrysostomum *hom. 7. in Epist. ad Philippenses* sic: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus: ita in formâ servi, perfectus est servus*. Augustinum sic *Epist. 8. fin. in quâ eum infirmitate non solum subditum, sed etiam servum evidentissimè confitemur*. Hieronymū *in Epist. ad Titum cap. 1. Nec mirum quamvis Sanctos homines, Dei servos nobiliter appellari: cum per Isaiam Prophetam Pater loquatur ad Filium: Magnum tibi est vocari servum meum*. Athanasium *serm. 3 contra Arian.* cum enim *nomen servi, Filii, creati præmisisset*: addit: *omnes istiusmodi voculæ in ratione Humanitatis bene, & propriè competunt*. Alios textus agglomerant Suarez, & Bernal.

Chrysostom

Augustin.

Athanas. ex Suarez. & Bernal.

53 Respondeo primò mirari me maximè quòd post Concilium Francofordiense, & definitionem Adriani, in quibus & explicantur Scripturæ loca, & adducuntur eorundem Patrum verba pro negandâ Christo propria servitute, videam tam anxios Theologos in inculcandis iterum, & ad nauseam usque locis eisdem Scripturæ, & conquirendo Patrum patrocinio, quasi definitioni, & explicationi Pontificis, & Concilii præponderare possint ulla Theologorum, & Patrum testimonia.

Hoc argue di genus videtur injuriosum Sedi Pontificiæ.

54 Respondeo secundò, cum Concilio, & Adriano loca veteris testamenti *impropriè, & metaphoricè* intelligenda, cùm Christo appellationem servi tribuant: in locis verò novi, nusquam, & nunquam Christum dici servum, sed ad summum apparuisse sub specie servi, ut inquit Apostolus. Et hæc solutio non est nostra sed Concilii, eamque firmat Authoritate Leonis, Augustini, & aliorum.

SS. PP. & Scriptores ex Adrian

55 Iam quoad Patres adductos respondeo sigillatim, & tertiò, eos benignè interpretandos juxta mentem Adriani, sicubi favere videntur Elipando. Deinde Chrysostomi mens patet ex ejus verbis *hom. 13. in Epist. ad Hebræos*, ubi manifestè, negat Christum esse servum. Vnde in loco præsenti, ne sibi contrarius sit, dum dicit perfectum servum, intelligendus, quasi diceret perfectum hominem: quia Natura hominis est natura præferens speciem servi, & ex se, & origine servilis. Augustinus citatur, & laudatur à Concilio, *quia negavit servitutem*: unde in loco præsenti, solùm dicit nos evidentissimè confiteri Christum esse servum, at non propriè. Hieronymus intelligendus de mera appellatione servi, *ratione officii, & ministerii*: nam sensus Isaiæ longè alius ex Adriani defensione. Demum Athanasius, lectus *in textu græco*, in quo scripsit, non appellat ly *propriè* supra nomina servi, creati, &c. sed supra Naturæ humanæ proprietatem, ratione cujus, hæc, quomodocumque sint, attribuuntur Christo. Imò ex eodem textu (secùs ac sperare potuit Pater Bernal nimis confisus, & satis doctus in græcis) convincit Martinonus *disp. 14. sect. 4. num. 28. & 29.* Athanasium negasse propriam servitutem in Christo. Videatur de aliorum Patrum sensu Delugo *disp. 28. sect. 4.*

Benigna interpretatio Chrysost.

Augustin.

Hieronym.

Athanas. legendi apud

Martinon.

Card. de Lugo.

56 Objicies secundò: servitus naturalis consistit in naturali dependentiâ, quâ creaturæ manent in esse, fieri, & conservari à Deo dependentes: manent enim eòipsò Dei, & sub ejus supremo dominio: neque quicquam aliud requiritur ad definitionem servi, quam esse *subsistentiam Rationalem alicujus*, ut exponit Bernal nimis operosè, & anxiè *disp. 58. sect. 1.* Atqui Christo secundùm Humanitatem negari nequit ista naturalis dependentia à Deo: quia negari nequit minoritas: ergo Responderi solet primò negando majorem: nam ultrà *ex Conc. Francofurd. & Adriano* requiritur exclusio unitatis in Personâ, & communicationis in bonis, & honore: sine hujusmodi enim exclusione, illa naturalis dependentia est, quasi non esset ad fundandam propriam servitutem.

P. Bernal.

Adrian. & Franc.

57 Respondeo secundò: eam dependentiam naturalem non distingui à naturali minoritate: sciant autem Adversarii definitum ab Adriano, eam minoritatem non sufficere ad servitutem. Respondeo tertiò: Naturalem dependentiam, eatenus sufficere ad servitutem, quatenus ejus indignitas non suppletur, & manet sub conditione, vi cujus Natura ex intrinsecâ dignitate non manet sui juris, imò debitrix omnium operum: at si indignitas orta ex parte originis, & natalium suppletur, & aboletur illa conditio: imò natura manet usque adeò sui juris, ut exempta habeat sua opera; evidens est nō manere servam. Idque habet Humanitas ratione Vnionis juxta doctrinas nostras fusè traditas *lib. 1. & 4.* quas quia aliqui non satis advertunt in præsenti, faciunt animos Adversariis, ut hæc, & similia *objecturiant*.

Supra lib. 1. & 4.

58 Objicies tertiò: Deus est, & manet Dominus Humanitatis, etiam non obstante hypostaticâ Vnione: ergo Humanitas, unione non obstanti, manet serva: nam correlatū dominii servitus est. Respondent Delugo, & Amicus distinguēdo duplex dominium in Deo: aliud, cui ex parte termini correspondet pura subjectio, seu necessitas se conformandi, parendi, & obsequendi: & hoc admittunt in Deo respectu Humanitatis. Aliud, cui ex parte termini respondet servitus, nempè dependentia cum exclusione juris ad parem honorem: & hoc negant in Deo respectu Humanitatis. Satis benè: Videatur ipse Delugo.

Delugo. & Amic.

59 Alia responsio posset esse, negando consequentiam ex mente Concilii: quia servitus cadit in Personam, non in Naturam. Respondeo tertiò: Deus est, & manet Do-

minus Humanitatis, jure impedito, quoad exigendas operas Humanitatis, concedi jure expedito, quoad exigendas illas, & ipsam impediendam ab usu, quem malit nego: cùm autem id habeat Humanitas ratione ipsius Vnionis, patet ratione illius impediri, ne Deus in sensu compositō possit appellari Dominus, dominio, cui ex parte subjecti respondeat servitus, quæ necessariò importat subjici, nec esse juris sui, saltem quoad operas.

60 Objicies quartò: Humanitas non ita communicat in bonis, & honore cum Deo, ut non sit magna inæqualitas: nam neque redditur tam sancta, quàm Deus, neque tam beata, & tam adorabilis, quàm Deus. *Respondeo* primò: me satis occurrisse inter probationes asserti argumento præsenti: nam neque unicè nixus sum in his: licèt alioqui sufficerent: neque conatus sum excludere servitutem ex eo quòd esset summa æqualitas; sed ex eo quòd Humanitati detur honor alioquin supremus, & proprius Domini, sedes Domini: ipsa Divinitas; atque adeò jus omninò repugnans conditioni servili.

61 Respondeo secundò: æqualitatem in honore debito, quæ sufficit ad excludendam servitutem, sufficere, si sit in fide, & in cultu de genere supremo, qui propterea servo repugnat. Vnde benè notat Alfaret *sect. 2.* notari à Patribus Synodi, præsertim *in Epistola Caroli Magni* Elipandum, quasi minorem adorationem & cultum Christo quā homini tribueret, quàm deberet: & *benè*: nam cum conditione servili non componitur adorari supremo cultu, & esse ad dexteram Patris: *cui enim Servo dixit ultius Dominus*, ait Christus *Luc. 17. sedatim transi, & recumbe?*

Aldrete. PP. Francof.

Luc. 17.

62 Objicies quintò: Nam exempla ex humanis, per quæ nos discrimus, nulla sunt: nam in Humanis etiam Mater jure naturæ, vel legali desinit esse serva sui Filii: quis enim videat quòd Mater sit sui Filii serva? At Christi Mater non desinit esse serva, servitute naturali, respectu sui Filii, relatione Maternitatis. Maximè fidunt huic rationi Prudentius & Godoy, desumptæ ex nostro Delugo. Ea tamen non premit. Cur insuper recurrunt ad Matrem? Adoptio in Humanis manumittit: non autem inter nos & Deum, *inquam*, à servitute naturali. Dent ipsi rationem: & eandem accipiant. Dico igitur primò: ea exempla adduci arguendo nos de minori ad majus, claritatis gratiâ; non tamen ege-

M. Prudēt M. Godoy. Card. Lug.

Universidad de Deusto
Biblioteca

egemus eisdem. Dico secundò, ea exempla optima esse, cùm servatur eadem ratio, & cum maximè exceditur, ut evenit in casu nostro: congruum enim est, ut Filiationi Naturali, quæ excedit adoptivam infinitè, demus quod congruenter dari solet Adoptivæ, si perfectio, & dignitas sit. Dico tertiò: Filiationem adoptivam Dei, & Maternitatem nec esse jus ad æqualem cultum, nec ad Sedem æqualem, neque jus eximens actiones, neque intimam conjunctionem in esse cum Deo: quibus ex capitibus exclusa est ab Humanitate propria servitus. Ex quibus plenè penetratis, otiosum est superaddere alias objectiones, quas Moderni, ex hotum principiorum neglectu, formant.

SECTIO II.

CHRISTVS, ETIAM VT HOMO, NEC est, nec dici potest Filius Adoptivus.

Adrian. & Franc.

63 ITa jam plenè sentiunt Theologi communiter, & omnes sentire debemus post Concilium Francofordiense, & Epistolam Decretalem Adriani contra Felicem, Vrgelitanum Episcopum, gente Gallum: & Elipandum, Archiepiscopum Toletanum: quorum ille semel & iterum damnatus ab Apostolicâ Sede, suo errori immortuus est: hic, post Francofordiense, resipiscens, & obinde retentus in Sede, catholicè mortuus est, ut ostendit Pater Gabriel Vazquez *disp. 80. cap 12.* Error eorum fuit (non quidem apertè Nestorianus, ut diximus à *nu.26. & 84.*) sed in eo situs, quòd Christum facerent Filium Adoptivum: quo tamen sensu, patebit mox ex decursu probationum.

P. Vazq. Felicis, & Elipandi dispar exitus. Error.

64 Eum etiam loquendi modum approbarunt ex Theologis antiquis Durandus, & Bassolis, fasi Christum, *ut hominem* esse & posse dici *Filium Adoptivum*: Inclinant (quic quid reclamet Faber,) Schotus, Gabriel, Almainus, & Maior. Saltem Schotus admittit *Humanitatem* posse dici *Filiam adoptivam*: alii verò, posse dici *Adoptatam* Excuso hos Theologos, quia de Synodi, & Adriani Definitione non potuerunt scire, quæ latuit: Aliquos verò Schotistas, qui Propositiones inventas in Schoto, mordicùs etiamnum, in tantâ Concilii luce conantur defendere, non excuso. Sed de censura, *infrà*. Iam

Durand. Bassol. Schotista cũ Schoto.

Infrà à nu. 72.

65 Ostenditur primò, Conclusio ex *definitione Adriani, & Concilii* Francofordiensis, cujus præcipuus Scopus est excludere Filiationem Adoptivam à Christo contra Felicem, & Elipandum. Quod qui non videat, lecto Concilio, & Adriano, excusari non potest. *Dices*: ex definitione Concilii, & Adriani fieri quidem, non posse dici simpliciter: Christus est Filius Adoptivus Dei: quod verò nequeat dici reduplicativè, & cum addito: Christus, ut homo, vel humanitate, vel secundùm Humanitatem est Filius Adoptivus, non fieri. Contra & ostendo utrumque, & hoc potissimè damnari à Concilio, & ab Adriano.

Adrian. & Franc.

66 Primò ex Scriptoribus illius temporis: quorum Aurelianensis *lib. 1. de cultu Imaginum, & de Felice* loquens, hæc habet: *Quoniam juncto suo sceleratissimo errori Elipando Toletanæ Vrbis Episcopo, Christum secundùm Humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum, prædicare ausus est.* Annonius *lib. 4. de Gestis Francorum* consonat omninò *cap. 83.* Ado Viennensis *in Chronico sub anno 793.* de Francofordiensi loquens ait: *in hac Synodo hæresis cujusdam Episcopi, Felicis nomine, damnata est: qui Christum secundùm quod homo est, Adoptivum Dei Filium dicebat.* Secundò: ex ipsâ Decretali Adriani: sic enim habet: *Materia causalis perfidiæ, inter cætera reticienda, de adoptione Jesu Christi Filii secundùm carnem.* Deinde passim definit etiam cum addito, *secundùm hominem*, non posse Christum dici *Adoptivum*: accipe solùm hæc verba: *Advertite, quia nihil vobis restat, ut secundùm Divinitatem tantummodo credatis, dixisse Patrem: Hic est Filius meus, sed potiùs secundùm Humanitatem.*

Ion. Aur. *Annon. Ado Vien.*

67 Tertiò ex *libro Concilii Sacrosyllabo*, sic enim habetur post initium: *de Beatâ Virgine inenarrabiliter sumpsit, nõ adoptavit, carnem.* Quartò ex *Epistola Concilii ad Episcopos Hispaniæ*: Loquens enim de Elipando, sic habet: *quam adoptionem, prævissimo sensu, qui scripsit Epistolam, ad Christi voluit transferre Humanitatem.* Quintò, & ultimò ex ipsâ *Confessione Elipandi*: ubi se explicat, & ait de Christo: *Dei simul, & hominis Filius, Adoptivus Humanitate, & non Adoptivus Divinitate.* Quid clarius? Manet ergo quo sensu excluserit *Adoptionem* Adrianus, & Synodus: & quo sensu per eam erraverit Elipandus.

Sacrosyll. *Cõc. Franc.* *Conf. Elip.*

68 Ostenditur secundò, conclusio rationibus, quibus & Synodus in Sacrosyllabo, & in Epistolâ, & in suâ simul Adrianus utuntur, petitis acutissimè ex ipsâ *Adoptionis* Natu-

Ex eisdem locis.

Natura. *Triplicem* video. *Prima* est: Ille, qui adoptatur in Filium, non secundùm Naturam, sed solo affectu conjungitur adoptanti: *Adoptio* enim, inventa est in *supplementum Filiationis Naturalis*: quâ nempe quis assumitur ad jura aliàs debita Filio Naturali, manetque conjunctus affectu, non Natura: & Filius non re, sed jure, & gratiâ: supplente defectum naturalis conjunctionis, affectus. Atqui Humanitas Christi non solo affectu conjungitur Deo, sed reipsâ: ergo neque dici potest adoptiva, nec ex ipsâ adoptatâ Christus Dei Filius Adoptivus. Hac ratione usa est S. Synodus in Sacrosyllabo: unde bene deduxit aut deferendam adoptionem ab Elipando, aut asserendam ab ipso Nestorii hæresim.

Synod. in Sacrosyll.

69 *Secunda* est: quia Adoptio non secum compatitur proprietatem Filiationis, neque est nomen cadens *in Naturas*, sed in *Personas*: atqui Persona Christi est propriè Filius: ergo cadere nequit in ipsũ Adoptio: hac ratione usus est Adrianus, & etiam Synodus: unde benè deduxere Elipandum malè loqui, & sentire pejùs. *Tertia* demum, in quam coincidunt omnes alię, est: quia ex cõmuni Iurisperitorũ, & Theologorum: *Adoptio est: Extraneæ Personæ moralis assumptio ad bona aliàs debita Filio naturali*; quæ definitio neutiquam convenire Christo potest, neque ejus Humanitati. Non Christo, quia non est extraneus Deo: non Humanitati: Tùm quia ex ipsâ non fit Persona extranea Deo: Tùm etiam quia Humanitas physicè, & substantialiter constituitur in unitate suppositi cum Deo: quod repugnat extraneitati. Tùm demum quia *extraneitas*, quam requirit *Adoptio*, talis esse debet, ut vi ejus Adoptatus, etiam post adoptionem, maneat reipsâ extraneus, nec ullâ naturali conjunctione propinquus adoptanti. Hac ratione & Synodus, & Pontifex usus: unde pronuntiavit verè Synodus: *Vnitas Personæ, Adoptionis tollit injuriam*: & ore pari deduxere, sequi ex Adoptione Elipandi, Nestorii Hæresim, & duas Personas in Christo.

Adrian. & Synod. *Definitio Adoptionis.* *Cõc. Franc.*

70 Fit ex his æquè rejectas esse ab Adriano, & à Synodo, & æquè falsas esse tres istas Propositiones: *Christus ut homo, seu secundùm Humanitatem, est Filius Adoptivus: Humanitas est Filia Adoptiva: Humanitas est adoptata. Primam* vidimus ex professo rejectam à Concilio, & à Pontifice. *Secundã* simul, & *tertiam* æquè rejiciendas esse ex mente Concilii patet: tum ex triplici ratione, quâ utitur, æquè his resistente, ac *primæ*. Tùm ex illis verbis, ubi nefas censet esse dicere, quòd verbum adoptaverit carnem: textus Concilii in Sacrosyllabo est: *quia de Beatâ Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit, carnem*: quocum textu stare nequit, quòd caro, seu Humanitas sit Adoptata, seu Filia Adoptiva. Tùm ex illis verbis Concilii *in Epistola ad Episcopos Hispaniæ*: ubi dicit, *quam adoptionem prævissimo sensu*, qui *scripsit Epistolam, ad Christi voluit transferre Humanitatem* ubi manifestè damnatur, quòd adoptio transferatur ad Humanitatem. Idque fit, si Humanitas dicatur *Adoptata*, vel *adoptiva*.

Ildephõsus malè prosecallegatus ab Elipãdo juxta Bar. Hilarii sensus ex S. Thomas. clarior ex P. Vazq.

71 Tùm demum ex illis verbis Concilii, ubi Elipandum citantem pro se Ildefonsum, quasi dixisset *carnis Adoptionem*, utrumque reprehendit. Sed Ildephonsum bene liberat à nævo Baronius *loc. cit.* & Synodus juxta allegata processit, cùm ad manus non haberet *Missale Toletanum*, ubi citabatur Ildephonsus. *Dices*: Hylarius, quem ipsa Synodus laudat, *lib. 2. de Trinit.* hæc habet: *Illa potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adeptatur.* Sanctus Thomas respondet, Hilarium locutum *improprie*. Vazquez ait, locum esse corruptum, & legendum, *adoptatur*: quod benè arbitratur ex textu. Et id ipse præfero: & ita præferunt exemplaria correctiora, & novissima editio Parisiensis *anno 1544. Dices* iterum; effectum primi rium Gratiæ habitualis, quæ certè non caruit Christus, est *adoptare*. Explicui jam id *disp. 1 sect. 1. à nu 50.*

Suprà disp. 1. à nu 50.

72 Restat decidere de certitudine assertionis nostræ, & censura rium propositionum de quibus *num præced.* Lorca, quod miror, liberat eas ab omni censura, contentus earum falsitate. Pater Suarez cum aliis, qui censent Elipandum fuisse Nestorianum, censent eas *hæreticas in sensu Elipandi: non* verò *in sensu Durandi, & Schoti*, sed tantùm *improbabiles*. Verùm, quòd Elipandus fuerit apertè Nestorianus, est falsum ex *sect. præced.* & minùs conforme Concilio. Deinde estò, fuerit: simpliciter damnatur à Concilio: imò damnat ex eo, quòd *Adoptio* stare nequit sine duabus Personis in Christo; & usque adeò damnat, ut in ullo proprio sensu permittat eam locutionem usurpatam à SS. PP. tanquam contrariam Fidei nostræ unde explicat SS. PP. & excusat: Ildephonsum verò, (quasi reum harum locutionum ex malitia Elipandi,) sine ulla significatione dualitatis in Persona, reprobat. Quare

M. Lorcã. *P. Suarez.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nostra mens cum P. Vazq.

73 Censeo cum Patre Vazquez, & aliis, eas tres propositiones esse *hæreticas*, vel adminus *Sapientes hæresim*, & nostram Assertionem esse *de Fide*, vel *proximam Fidei*: nec oppositum dici, aut sentiri probabiliter. Ratio mihi est: quia Adrianus, & Synodus apertè, simpliciter, & absolutè damnant eas propositiones, & statuunt contradictorias: ut patet ex hucusque dictis, & præsertim ex *duobus num. præcedentibus*. Nec est cur teneat nos reverentia erga Durandum, Schotum, & alios Theologos. Nam præponderare debet Authoritas Ecclesiæ. Deinde excusari facilè possunt ex ignorantiâ Definitionis Pontificiæ, & Synodicæ, cùm latuerit adusque nostra hæc tempora. Nec refert deterere Authoritatem Concilii, quòd Generale non fuerit, sed Nationale. Nam congregatum est Authoritate Papæ, & celebratum, ejus Legatis præsidentibus, & tandem confirmatum ab ipso.

Authoritas Conc. Francofordiensis.

74 Dices tamen: dubitari posse de Epistola Adriani, & textu Concilii, quibus nitimur: Tùm quia in utroque stylus redolet fucatam eloquentiam. Tùm quia in textu Synodi reprehenduntur Eugenius, Iulianus & Ildephonsus. Tùm demum quia tandiu latuit. Verùm hæc nonnisi omninò temerariò dicerentur. Imprimis de Epistola Adriani dubitari non posse, constat ex *nu. 9. & 10.* Iam de Concilii Authoritate, sine maximâ Ecclesiæ injuriâ, nemo potest ambigere. Nam *inprimis*, licèt tandiu latuerit, constat extitisse talem Synodum, & in ea damnatum errorem Felicis & Elipandi: quòd autem ea, quæ jam restant & erutа sunt in lucem *opera Surii*, sint acta ipsius Synodi, convincitur tùm quia omnes historici Antiqui conveniunt hujusmodi rem esse discussam: Tùm quia communis Ecclesiæ plausu accepta, & excepta sunt, & proinde reposita *inter volumina Conciliorum*. Tùm demum quia ad nostram memoriam non aliter veniunt Concilia, quàm historiæ ductu: liceret autem facilè dubitare de textu aliorum Conciliorum, si de unius Concilii textu dubitare sic liceat. Nec Surius erat vitmente præceps, qui præsumi possit reus ullius impostura in editione hujusmodi textuum. Adde Baronium diligentissimum rei Ecclesiasticæ indagatorem pro compertо habere hujus Synodi Authoritatem *ad ann.* 594.

Ostenditur.

Laurent. Surius.

Card. Baronius.

75 Nec quę opponuntur, momenti ullius sunt. Quod enim ad stylum attinet, stylus est qualis eorum temporum, ut erudito lectori constabit. Quod attinet ad reprehensionem eorum Patrum, sit à Concilio juxta allegata ab Elipando: si autem hic mentitus est, aut illi Patres *materialiter, & invincibiliter* processerant. Synodus non curavit, intenta, errorem, & erroris patrocinium extinguere, undecumque posset: quicquid sit, an ex defectu historiæ pati posset aliquam æquivocationem: quod Synodi Authoritatem non deterit. Quod demum attinet ad tempus, quo latuit: dico, latuisse rem, non esse argumento quòd non fuerit. Constat, fuisse: & habemus, quod taudiu latuit. Multa latuere, quibus, Virorum de re Ecclesiasticâ optimè meritorum diligentiâ, fruimur. Videantur Baronius *loc. cit.* & Pater Vazquez *disp. 89. cap. 7.*

Card. Bar. ad ann. 594. P. Vazq.

SECTIO III.

CHRISTVS VT HOMO EST FILIVS, NON utcumque Proprius, sed Naturalis; neque totius Trinitatis, sed solius Dei Patris.

§. I.

POSITIS AVTHORVM SENTENTIIS, excluditur Pater Bernal.

76 VT singula, quæ involvit Assertio, & ejus sensus, & veritas, elucescant, oportet, brevi præmittere judicia Theologorum: deque eisdem ordine decernere, inferendo demum quid in hac re tam implexâ dicendum sit: sic constabit de eorum falsitate, quæ rejicit, deque veritate eorum, quæ ponit asserta Conclusio.

77 Prima ergo sententia tres Filiationes naturales agnoscit in Christo. *Primam*, ad Patrem, ratione generationis æternæ. *Alteram*, ad Matrem, ratione generationis temporalis: *Tertiam*, ad totam Augustissimam Trinitatem, ratione Vnionis, & Sanctificationis increatæ: & vi hujus, ait, dici, & esse Christum, *ut homo est*, Filium, non Adoptivum, sed Naturalem Dei. Sic tenent Suarez, Vazquez, Koninch, Becanus, Martinus Perez, alii.

Suarez. Vazquez. Koninch. Becanus. Mart. Per.

78 Secunda Sententia tenet Christum, *ut homo est*, non esse Filium Naturalem, sed *Proprium*. Illam enim *Filiationem*, quam Vazquez & Suarez fundant in Gratiâ unionis, & vocant Naturalem, hæc sententia vocat *Propriam*. Ita Bernal.

P. Augustin. Bernal.

79 Tertia Sententia tenet Christum, *ut homo*

S. Thom. & Thomistæ. Bonavent. Granad. Card. de Lugo. Martinon. Hurt. Salm Aldrete. Amicus. Muniessa.

homo est, esse & debere dici Filium unicè Naturalem æterni Patris. Ita Sanctus Thomas, & Thomistæ cum ipso. Deinde S. Bonaventura, Delugo, Granado, Martinonus, Hurtadus Salmanticensis, Aldrete, Amicus, novissimè Muniessa, & alii. Sed non una eorum mens. Nam *aliqui* ita intelligunt particulam reduplicantem, ut asserant, Christum esse Filium naturalem, *ut homo*, ly *ut* solùm *notante Humanitatem* non quasi sit *fundamentum Filiationis*, sed quia *non est ratio impediens* Filiationem. Ita innuit Delugo, *nu. 25. Alii* sic intelligunt, ut asserant, Christum, *ut homo est*, non esse Filium Naturalem, ly *ut* reduplicante *supra Humanitatem specificativè* sumptam: benè verò, *reduplicativè* sumptam, & *concretè, prout* involvit hypostasim Verbi. Ita se communiter explicant Authores. *Alii* sic intelligunt, ut etiam cadente reduplicatione *supra Humanitatem* asserant Christum, *ut homo est*, esse Filium Naturalem. Ita Hurtadus. *Alii* intelligunt *aliter*. Illustremus singula, decidendo: & explicando per positiones aliquas, Conclusionem.

80 Prima Positio: Christus *ut homo*, non est *Filius* Dei *Proprius*: specie Filiationis, & sensu minuente Filiationem Naturalem. Est contra Patrem Bernal. Ostenditur primò, & contendo Bernalem manifestè repugnare Concilio Francofordiensi: sic arguo: Per te, Synodus locum Pauli (quo maximè niteris) *ad Romanos 8. qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, intelligit de Christo, *ut homo est*, seu *secundùm Humanitatem*: & dicis optimè: nam addit Adrianus: *Scimus, quia non est traditus secundùm Divinitatem, sed secundùm id quod homo verus erat*: Atqui Synodus locum Pauli intelligit de *Filio naturali*, sub nomine *Proprii*: ergo juxta Synodum Christus, *ut homo*, non est Filius, utcumque *Proprius*, sed etiam *naturalis*.

Conc. Francofordiense contra Bern.

81 Minor probatur primò: Nam Synodus intelligit in sensu Hylarii, cujus interpretationem *ex lib. 6. de Trinit.* allegat, & approbat: atqui Hylarius manifestissimè intelligit Filium naturalem. Audiatur Hylarius, qui postquam eo loco dixit Paulum non contentum dicere *Filio suo*, nunc addidisse *Proprio*, ut significaret *omninò naturalem*, addit: ideò Paulum facere, ut obstrueret ora hæresis cujusdam, ut *Conscientiæ nostræ, quâ ita credimus, intelligentiam Filii Naturalis evellat*. Quid clarius?

Synod. cum Hylar.

Sacrosyll.

Secundò: quia ipsa Synodus in Sacrosyllabo post adductum locum Pauli, & aliorum, ubi dicitur Christus *Filius Dei verus & Proprius*, excludit Adoptionem Elipandi: quia *Adoptio cadere nequit, in eam Personam, quæ jam prius fuerat Filius proprius Adoptantis*: sed ante Vnionem Personа Verbi semper fuit *Filius Naturalis*, ergo Synodus omninò sumit pro eodem *Filium proprium, & Filium Naturalem*. Verba Synodi sunt: *Hoc ideò posuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptivum, qui nondum prius fuerat Proprius Adoptantis. Vnde in Dei Filium non cadit nomen Adoptionis, quia semper verus Filius, semper Dominus.* Vbi vides *Proprium* à Synodo dici Filium *verum, & Naturalem*. Ex his

82 Ostenditur secundò: Nam Filius Proprius, & Filius Naturalis, idem omninò sunt: ergo Christus ut homo vel non est Filius Proprius, vel Naturalis est: & omninò fingitur ista distinctio. Antecedens probatur primò: Nam hæc distinctio inaudita est in & extra Scholas. Secundò: quia manifestè descendit ex Synodo Francofordiæ: ubi laudat Hilarium eo quòd Filium *Proprium* dixerat esse *eum, qui non adoptione, sed origine; non nuncupatione, sed veritate; non creatione, sed Nativitate, seu Naturâ* est Filius. Legatur tota Synodus, & Hylarius loc. quem ipse citat, & allegat *lib. 3. de Trinitate*. Naturalis Filius, Filius est naturalis. Tertiò: quia si Filius proprius non significaret Naturalem, neque ex Concilio, neque ex Scripturâ constare posset, Christum ullo sensu posse dici Filium Naturalem, neque Personam Verbi posse convinci Filium Naturalem: quod est absurdo majus, & ostenditur: nam neque in Concilio, neque in Scripturâ alia rigorosiori phrasi dicitur Verbum, aut Christus Filius, quam Proprii.

Hylarius, & Synod.

83 Dices in Scripturâ aliter, & jam dici, Filium verum, qui Naturalem sonat. Contra manifestè primò: quia apud Hylarium, cujus sententiam laudat Synodus, vox *proprii* dicta est à Paulo in majorem significationem veræ Filiationis, unde convincere tentat Arianos Hilarius *lib. 6. de Trinitate*. Secundò: quia Filius proprius, non est improprius, neque Analogicus, neque fictus: ergo etiam verus. Tertiò: quia ab Hilario, cujus locum allegat, & approbat Synodus *lib. 3. de Trinitate* præeodem omninò sumuntur, Filius Proprius, & Filius verus. Sic enim habet: *Hic enim & verus, & proprius est Filius*. Quartò demum, quia eadem

Hylarius, & Synod.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem Synodus pro eodem etiam sumit *Verum, ac Proprium*: sic enim ait in Sacrosyllabo, *non adoptivus, sed verus; non alienus, sed Proprius. Et in Epistolâ ad Præsules Hispaniæ*, sic: *Verum Deum, verumque Dei Filium confiteamur in utraque Naturâ, Divinâ scilicet, & Humanâ.*

84 Ostenditur tertiò: quia hoc genere Filiationis Christus, *ut Homo*, solùm esset Filius proprius secundæ Personæ: & aliundè foret Filius proprius totius Trinitatis. *P. Bernal.* Secundam partem admittit Bernal., & efficaciter rejiciemus mox côtra Suarez, & Vazquez. Primam ostendo: quia Filius Proprius ille est, qui susceptione, & conjunctione physica ad Patrem est Filius, sine naturæ participatæ univocatione, ut explicat ipse Bernal: atqui Christus, *ut homo* seu *secundùm Humanitatem* soli Verbo intimè conjungitur, & à solo suscipitur: ergo solùm est filius Proprius Verbi. Quod nemo somniavit. Vide *Ill. Godoy.* Godoy *disp.* 54. §. 5.

§. II.

EXCLUDITUR ALIA SENTENTIA.

85 Secunda Positio: Christus, ut homo, non est Filius Naturalis totiùs Trinitatis. Est contra primam Sententiam *num.* 77. propositam, & ostenditur primò: quia id manifestè opponitur Concilio Toletano *Conc. Tolet* XI. *in confessione Fidei*: sic enim habet: *Nec tamen Spiritus, Pater esse credendus est Filii, pro eò quòd Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit, ne duos Patres Filii videamur asserere: quod nefas est dici.* Quæ omninò *Augustin.* sumpta sunt ex Augustino 2. *de Trinit. cap.* 11. qui ad illa verba Matthæi *Hic est Filius meus Dilectus*, ait, ea, *licèt a Trinitate tota formata sint, solummodo Patris denotare Personam: Neque enim Iesus, etiam Spiritus Sancti Filius, aut etiam suus Filius credi, aut intelligi potest.* Hæc Augustinus. Habent omninò similia Fulgentius, & Hieronymus. *Fulgentius Hieronym.*

86 Secundò: Nam novum Filiationis genus, ultra *Adoptivam*, & *Naturalem* in generatione fundatum, est contra communem sensum, & Theologorum; imò contra Synodum Francofordiensè, quæ exclusâ Adoptione, non aliam videtur agnoscere speciem Filiationis, nisi quæ in æterna generatione fundatur in Christo. Deindè, si semel novum istud Filiationis naturalis genus agnoscas; quis vetet, ne ab aliquo Spiritus Sanctus creatus etiam Filius: quod inconvenien, egregiè ponderat Cardinalis de Lugo *sect.* 2. *num.* 9. Nam si semel Filiationem naturalem invenis si ne naturali generatione, cur processio Spiritûs Sancti non sit Filiatio? & urgetur: quia ideò per vos, statùi debet modus iste Filiationis: quia Christus, *ut homo*, constituitur naturalis hæres Universorum, & bonorum Patris: atqui Spiritus Sanctus ex vi processionis accipit jus ad Bona Patris: ergo. *Card de Lugo.*

87 Tertiò: quia sic facilè foret fingere Filiationes naturales, & modos earum. Quartò: quia fundamentum Adversariorum, fragile omninò est: quippè non omnis hæres, est eòipsò Filius. Latiùs enim patet, quàm Filii nomen, nomen hæredis. Quintò, & sit à priori ratio: Tùm quia Filiatio naturalis in solâ generatione naturali fundatur. At in Christo solùm est respectivè ad Deum Generatio Patris Æterni. Tùm etiam, quia Forma, seu quasi forma, quâ Christus constituitur Filius Dei naturalis, etiam *ut Homo*, solummodò respicit Patrem ut Genitorem: est enim Persona Verbi, quæ à solo Patre est, & potest dici genita. Videte Delugum, *Delugo.* & Aldretum. *Aldrete.*

88 Dices primò: Adrianum *in Epistolâ* *Adrian.* *suæ fine* dicere, & docere, Verba Matthæi: *Hic est Filius meus dilectus: in quo mihi benè complacui*, debere referri ad totam Trinitatem: & inde firmat: quòd non sit dictum, *placui*, sed *complacui, ut totam comprehendat Trinitatem*, ait Pontifex: sensus autem est de Christo *ut Homine*: ergo juxta mentè Adriani, Christus, *ut Homo*, est Filius Naturalis totius Trinitatis. Respondeo sensum Adriani esse, vocem illam fuisse quidem Æterni Patris testantis sui Paternitatem naturalem, & ipsimul complacentiam totius Trinitatis in Christo: quod secundum, additum, & ita dictum ait Pontifex, ut sciremus Patrem Æternum, sui Paternitatem naturalem fuisse testatum de Christo, etiam, *ut homine*. Hanc esse sensum Adriani, & ea Verba, *Hic est Filius meus*, nec ipsum voluisse referre, nec referri posse ad totam Triuitatem, constat tùm ex ipso contextu: tùm quia is est communis sensus Sanctorum Patrum tùm & maximè: quia ea verba ut relata solùm ad Patrem, intelligenda tradidit Toletanum primum in *Regulis Fidei*, editis ex *mandato* Leonis Primi, & ab ipso approbatis: quibus contradicere Adrianum, nulli potest fiae temeritate in animum induci. *Cõc. Tolet. Leo Primi.*

Di-

89 Dices secundò: Christus, *ut homo* constituitur Filius Dei per gratiam Vnionis; sed non Adoptivus: ergo naturalis: atqui Gratia Vnionis est donum totius Trinitatis: ergo constituitur Filius naturalis totius Trinitatis. Major probatur: quia per Gratiam Vnionis sanctificatur, & constituitur hæres, quę sine Filiatione stare nequeunt. Confirmatur: quia si Pater, aut Spiritus Sanctus incarnarentur, neuter, *ut homo*, esset Filius adoptivus: neque item esset Pater, aut Spiritus Sanctus: ergo Filius Naturalis ex Gratia Vnionis: ergo similiter. Imprimis ex his solùm videtur inferri: quod Christus, *ut homo*, sit Filius Naturalis Verbi Divini, quo nempè assumitur, & sanctificatur: quod vel ipsi Adversarii negant. Deinde nego majorem in sensu Adversariorum; Latiùs enim patet nomen hæredis, & sancti, quàm nomen Filii: ut *fusè* ostendimus *lib.* 1. *disp.* 3. *sect.* 2. Ad confirmationem nego secundam partem antecedentis. Pater enim, *ut homo*, Pater esset: & Spiritus Sanctus, *ut homo*, esset Spiritus Sanctus, eo sensu, quo dicemus Christum, *ut hominem*, esse Filium Æterni Patris, Videatur Amicus *disp.* 29. *sect.* 2. *præsertim* *P. Amic.* *à num.* 45. *Suprà lib. 1. disp. 3. sect. 2. à nu. 128.*

§. III.

VERA SENTENTIA.

90 Tertia positio: Christus, *ut homo* est Filius Naturalis Dei, & quidem solius Dei Patris Æterni. Secunda pars patet ex supradictis. Primam ostendo: nam præscindendo nunc à ratione, quæ difficilis est, & à sensu, quo Synodus, & Adrianus accepere contra Elipandum, non videtur aliter posse satisfieri Authoritati Synodi, & ipsius Adriani. Nam ubique dicitur, Christum *secundum quod est homo*, esse Filium Dei verum, proprium, & Naturalem: dari ergo debet aliquis bonus sensus, quo asseratur Christus, *etiam ut homo*, Filius Naturalis Dei. *Adrian. & Syn. Francof.*

91 Assumptum constat ex his, quæ contra Bernalem objecimus, & ex multis, quæ benè ponderat Pater Aldrete *disp.* 85 *sect.* 1. *Tria* maximè convincunt. *Primum*: Nam Adrianus arguit ex loco Pauli: *Proprio Filio suo non pepercit*: ubi manifestè dicit Paulum loqui de Christo, *secundùm id quod est homo*, & non tantummodo secundum Divinitatem: deinde constat ex *Suprà à nu. 80. P. Aldret.*

qui de Filiatione Naturali. *Secundum*: quia ipse Adrianus illa verba Patris: *Hic est Filius meus Dilectus*, asserit dicta de Christo, etiam *secundùm Humanitatem*. *Tertiùm*: quia Synodus in *Sacrosyllabo* ait de Christo, dici Filium Dei verum, de quo dicitur esse Filium David: constat autem dici Filium David de Christo *quâ homine*. *Adrian.* *Synod. in Sacrosyll.*

92 Difficultas est in assignandâ ratione, & explicando modo, quo verè dicatur, Christus, *ut Homo*, Filius Naturalis Dei. Dant Thomistę communiter, & cum ipsis ferè Delugo, notando notam reduplicativam *ut* dupliciter sumi posse. Primò: ita ut cadat in ipsam Humanitatem tanquam in rationem verificandi propositionem, & fundamentum Filiationis. Secundò: ita ut cadat in ipsam Humanitatem, non utcumque, sed ut constituit cum Hypostasi Verbi Divini hominem, atque adeò supra complexum ex Humanitate, & Hypostasi Verbi. Ajunt ergo, Christi, *ut homo est*, non esse Filium naturalem Dei, ly *ut* cadente *supra Humanitatem*, tanquam in fundamentum Filiationis: esse verò ly *ut* cadente *supra complexum* ex Humanitate, & Hypostasi Verbi: quia sic ly *homo* supponit pro supposito, quod est Filius Naturalis Dei. *Ratio Tho. & Card. Lugo.*

93 Sed neque hic modus, neque hæc ratio videatur satisfacere. Primò: quia non explicat, quomodo Christo, *quâ Homini*, conveniat definitio Filii: nempe *Vivens à Vivente conjunctio in similitudinem naturæ*. Secundò: quia Filius in esse Filii dicit similitudinem in Naturâ; atqui Christus *ut homo*, cadente reduplicatione supra complexum ex Humanitate, & præcisam hypostasim, non est similis in naturâ: ergo neque Filius naturalis. Tertiò: quia sic vix, at ne vix quidem admittitur, quod Christus sit, *ut homo* Filius Dei, nisi identicè, & materialiter, & per communicationem idiomatum neque aliter, ac potest admitti, quod Christus etiam *ut homo* sit Deus: nam etiam, Christus *ut homo* constituit suppositum, quod est Deus. Quartò: quia sic discurrendo, vix possunt Adversarii assequi, nisi quòd Christus, ut homo, dicit Rationem formalem, quâ accedente Natura Divina constituitur Filius Dei. *Non est solida.*

94 Dat igitur ipse Delugo, notando, quod particula reduplicans *ut* ita potest lumi, quasi saltem in ipsam Humanitatem significet eam non impedire, quominus Persona, ad quam accedit, naturaliter sit sola Filiatione naturali Dei. Verùm licèt iste modus dicendi videatur sufficiens pro aliquibus *Ratio alia Card. Lug. nõ sufficit.*

texti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

textibus Concilii Francofordiensis, & Adriani, & forte pro omnibus: nam verisimile est neutrum intendisse per hos modos loquendi, nisi quòd Humanitas non posset esse ratio multiplicandi Filiationes, aut inducendi novas, sicut non est ratio multiplicandi Personas: tamen plus requirere videntur Theologi communiter, asserentes quod Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei. Adde aliqua Concilii, & Adriani difficulter contenta forè per hujusmodi explicationem.

Ratio Amic. & Martinon.

95 Dant tertiò, Amicus, & Martinonus, dicendo, verè Christum *ut hominem* esse Filium Dei naturalem nam in Christo *ly homo* jam dicit, quicquid requiritur ad esse Filii. Nam significat concretum, in quo non solùm importatur Hypostasis Verbi, sed etiam Natura Divina, ut propria Filii. Sed contrà primò: quia hic dicendi modus malè componitur cum Doctrinâ, qua hi Authores asserunt, Naturâ non uniri immediatè Humanitati: si enim vi Vnionis non est in Humanitate Divinitas, cur Christus, *ut homo*, dicat ipsam Naturam Diviuam? Si autem non dicit: quomodo est Filius, quin sit similis in Naturâ? Secundò: quia pari passu concedi deberet, quod Christus, *ut homo*, sit Deus: quod Adversarii renuunt.

Non satisfacit.

Ratio P. Hurtad.

96 Dat quartò, & specialissimè Pater Hurtadus, admittendo, quod *nota reduplicans* cadat in ipsam Humanitatem, & dicendo quod Christus *secundùm Humanitatem* est Filius naturalis Dei, quia ei convenit definitio generationis: *Origo viventis à Vivente, &c.* Christus enim *ut homo* procedit à Deo *vivēs a vivente*, ut est per se notū, deinde in *similitudinem naturæ*, quia Natura Humana est similis Divinæ non quidem in specie *athoma*, tamen quantum opus est, ut homo possit dici factus ad similitudinem Dei. Hanc sufficere, contendit ex generatione monstrosa: notat tamen eam similitudinem tantam esse debere, ut Natura rationis illius sit capax hæreditatis paternæ. Demum est à *principio conjuncto*, quia aliquid Dei constituit Christum, *ut hominem* Omninò displicet. Primò: quia sic Christus, *ut homo* esset Filius totius Trinitatis, quod dicendum non est ex *num.* 85. Secundò: quia hic dicendi modus enervat argumenta Patrum contra Arianos: si enim semel admittitur Filius, sine univocatione Naturæ cum Paterna, quomodo ex ratione Filii probari potest in Verbo Divinitas? Demum, quid magis absonum, quàm Filiationem Christi quà hominis ominùò confundere cum monstrosâ?

Displicet.

Ratio P. Aldreti.

97 Dat quintò Pater Aldrete, *notans* primò: quòd ad rationem Filii non requiritur, quòd actio generativa producat, aut tendat ad formam viventem producēdam. Id quòd patet in generatione hominis. Secundò: quòd ad rationem Filii sufficit, quòd actio generativa producat aliquid constituens suppositum vivens, ita ut ipsa productio exigat, quòd vivens productum sit simile generanti in Naturâ, quin tamen opus sit, quòd ipsa productio, aut terminus generationè formaliter productus sint ratio exigens, communicati sibi formam viventem, per quam suppositum vivit. Ratio hujus est, quia definitio generationis non est communicatio formæ viventis, sed *productio suppositi viventis, &c.* ex his *latè* notatis & explicatis infert Christum, *ut hominem*, esse Filium Naturalem Dei, quia Christus *ut homo* procedit à Patre *suppositum vivens confunctum in similitudinē naturæ*: quippe Christus constituitur in esse hominis & Personæ per Filiationem, quæ est passim processio exigens ut suppositum vivens, quâcumque naturâ vivat, sit simile in naturâ, & consequenter exigens, *ut homo* constitutus per ipsam, habeat sibi unitam Naturam Divinam, adeoque sit similis Deo in Naturâ.

Verosimilior.

98 Quominùs hæc adhuc probem, faciunt primò: quia non video, quomodo Christus, *ut homo*, non sit dicendus Deus? Secundò: quia si Natura Divina non unitur Humanæ, licèt uniatur Hypostasis, ratione distinctionis virtualis, quomodo Hypostasis potest exigere, quòd homo constitutus ex ipsâ, habeat sibi unitam intrinsecè Divinitatem. Cæterùm discursus aptus est, addendo, quæ sint opus ad ejus soliditatem, ut facio: &

§. IV.

RATIO VERÆ SENTENTIÆ.

Et vera si sic explicetur.

99 DO ipse rationem: addendo tria discursui Patris Aldreti. *Primum: ex lib. 1. disp. 2.* nempè Humanitatem Christi per id ipsum, quo *hic, & nunc* existit Humanitas, seu Natura composita, manere in Verbo, sustentatam substantialiter per subsistentiam ipsam Verbi, atque adeò determinari per id ipsum, quò determinatur ad existendum, ad componendum suppositum constitutum ex ipsâ generatione Patris Æterni. *Secundum: ex lib. cit disp 4.* nempè Humanitati vi Hypostaticæ Vnionis communicari non solùm Personalitatem Verbi, sed etiam Divinam Naturam *immediatè*; ita tamen ut ipsa personalitas sit ratio cur Divinitas terminet immediatam Vnionem cum ipsâ Humanitate, atque adeò cur *homo constitutus ex Natura Humana, & Hypostasi Divina* habeat intrinsecè Naturam Divinam. *Tertium* ex his resultans: quòd licèt Æterna generatio Patris non exigat terminum formaliter productum, uniri Humanæ Naturæ; tendit tamen ad ipsam Hypostasim, quæ non solùm exigit sibi communicati per identitatem Naturam Divinam, sed etiam exigit ut Naturæ cum quâ faciat suppositum, intrinsecè communicetur ipsa Natura Divina.

Suprà lib. 1. disp. 2. sect. 3. & disp. 4. sect. 1.

100 Ex quibus sit primò: quòd suppositum significatum per ly *homo*, reduplicando de Christo, sit homo constitutus in esse hominis per processionem à Patre Æterno, & constitutus formaliter Persona per Filiationem, & habens ratione talis processionis communicatam sibi intrinsecè eandem Naturam Patris. Secundò: quòd *hic homo* loquendo de Christo, attento modo, quo ipsa Natura, quæ dicitur vivens, subsistit, & ex vi modi quo subsistit, est formaliter suppositum *vivens à vivente conjuncto in similitudinem Naturæ*: Nam licèt Christus *ut homo*, factâ per notam reduplicantem præcisione à Naturâ Divinâ, non dicat in sensu formali Naturam Divinâ, atque adeò nec in sensu formali dicatur *Deus*; tamen non præscinditur à ratione habendi sibi intrinsecam Naturam Divinam, atque adeò neque à necessitate similitudinis in Naturâ Divinâ ratione originis, & processionis à Patre. Iam

101 Sic arguo, & probo Conclusionem. Filius Naturalis, est *vivens suppositum à vivente conjuncto in similitudinem Naturæ*; atqui Christus, *ut homo*, & respectivè ad Patrem Æternum, est suppositum vivens á vivente in similitudiné Naturæ: ergo Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Æterni Patris. Major est definitio ab omnibus recepta. Minor probatur: quia Christus *ut homo*, ita reduplicat, ut significet constitutum ex Naturâ vivente, & ex Personalitate, quæ est necessariò processio à Patre cum necessitate habendi identicè Naturam Patris, & eam communicandi complexo, quod sit *hic homo* v. g. atqui constitutum hujusmodi est suppositum vivens à vivente in similitudinem Naturæ: implicat enim quòd non sit in similitudinem Naturæ suppositum, constitutum, ex necessitate per ipsam formalem processionem inductâ, habendi Naturam eandem generantis: ergo.

Adrian. & Francof.

102 Iam videndum dicimus, Christum, *ut homo est*, esse Filium Naturalem, non reduplicati utcumque *supra Humanitatem*, sed secundùm id quòd formaliter, includit homo, *ut homo*, nempè *supra formale complexum* ex Naturâ Humanâ, & ex Hypostasi. Dubium esse posset, an etiam posset dici Christus Filius Naturalis, *ut homo*, reduplicando supra Humanitatem præcisè: in quo censeo primò: si reduplicatio sonet, quòd ipsa species Naturæ est ratio Filiationis, non posse dici: quia est species Naturæ diversa. Censeo secundò: si reduplicatio sonet, quòd ipsa constitutio Humanitatis Christi est impedimentum alterius Filiationis, quàm Naturalis: & simul necessitas, ut suppositū ex ea resultans sit Filius Naturalis Dei, posse dici, & dicendum cum maximâ cohærentiâ ad eâ, quæ Synodus Francofordiensis, & Adrianus ajunt, asserendo Christum *secundùm Humanitatem* esse Filium proprium Dei.

103 Sed dices: Christus, *ut homo*, non est Deus, quomodocumque reduplicatio fiat, dummodo fiat expressè, *ut homo*: ergo neque est Filius Naturalis. Probo consequentiam primò: quia Filius, *ut Filius*, est similis Patri in Naturâ: ergo Filius Dei Naturalis, eo modo, quo dicitur esse Filius Dei, debet concipi ut similis Patri in Naturâ: ergo sub illâ ratione, sub quâ nequit dici formaliter Deus, nequit dici formaliter Filius Dei Naturalis. Secundò: Qui non est Deus, non potest esse Filius Dei; alioquin nulla sunt argumenta Patrum contra Arianos: ergo qui sub aliquâ ratione non est Deus, non potest sub illâ dici Filius Dei. Confirmatur: *nota reduplicans* potest resolvi in causalem respectu prædicati, & significat Prædicatum convenire subjecto propter rationem formalem supra quam illa cadit; atqui esse Filium Naturalem non potest convenire Christo propter rationem formalem, propter quam est homo: Nam hæc est Humanitas, aut certè non est similitudo in Naturâ: ergo Christus *ut homo* non potest dici Filius Naturalis Dei.

Suprà lib. 1. disp. 6. num. 22.

104 Imprimis notavi jam *lib. 1. disp.6.* sic posse significare *notam reduplicantem ut* etiamsi cadat supra Humanitatē, ut vera sit hujusmodi propositio: *Christus ut homo est Deus,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus, si nempè usus particulæ non sit *limitativus*, sed *augmentativus*. Vide *ibi nu.22.*

105 Deinde permisso antecedente, nego consequentiam. Ad primam probationem: distinguo antecedens: est similis Patri in Naturâ, formaliter, & in facto esse sub omni præcisione, nego: *exigitivè*, & ex titulo quem formaliter dicit ex vi processionis à Patre, concedo. Itaque Filius est *suppositum vivens à vivente*, vi originis necessariò manens cum necessitate habendi Naturam eandem, aut similem Paternæ: id quod jam convenit Christo, etiam, *ut homini*. Ad secundam probationem, concesso antecedente nego consequentiam, ex modò dictis. Ad confirmationem, admisso quòd *nota reduplicans* ponit & debeat in causalem resolvi (quod non semper est verum) dico rationem formalem, supra quam reduplicat in hac propositione, *Christus, ut homo est Filius naturalis Dei*, non esse utcumque Humanitatem, sed vel ipsam ut constitutam in Christo, vel (quod communiùs solet asseri) complexum ex Humanitate, & Personalitate Verbi: propter hanc autem jam convenit Christo esse Filium Naturalem Dei, quia propter hanc rationem manet *hic homo* constitutus *suppositum vivens à vivente conjuncto in similitudinem naturæ*; nam constitutus manet ex necessitate formali habendi intrinsecè naturam eandem Patris, ex vi processionis ab ipso.

106 Dices iterum: Filius Naturalis est, qui à Patre procedit per generationem Naturalem; sed Christus *ut homo*, non procedit à Patre, generatione naturali: ergo Christus, *ut homo*, non est Filius Naturalis. Major videtur perse nota: & minor patet, tùm quia, generatio naturalis est æterna generatio, sed Christus, *ut homo*, non procedit à Patre per æternam generationem: ergo. Tùm etiam quia Christus, *ut homo*, fit per actionem temporalem toti Trinitati communem: ergo. Hac instantia se premit plurimùm illustrissimus Godoy: ea tamen juxta nostram explicationem facilem habet solutionem. *Respondetur.* *Ill. Godoy.*

107 Distinguo majorem: qui à Patre procedit per generationem Naturalem, *quæ sit ratio habendi Naturam Patris*; concedo, *quæ sit ratio totius, quod est in Filio naturali*: nego: nam homo est Filius hominis generantis: ubi generatio, licèt sit ratio, cur genitus habeat naturam generantis, non est processio quâ fiat totum quod est in genito: & in ipso Filio Divino Generatio Naturalis est ratio, cur genitus habeat Naturam Patris æterni: & non est ratio quâ fiat ipsa Natura. Et ratio est: quia eò præcisè quòd suppositum ex vi generationis naturalis habeat naturam Producentis, est *suppositum vivens à vivente conjuncto, &c.*

108 Et distinguo jam minorem: Christus, *ut homo*, non procedit à Patre, per generationé naturalem, id est, non habet per generationé Naturalem Patris, Naturâ Patris, nego: id est, non fit per generationé naturalem, quidquid est in Christo, *quâ homine*, concedo, & nego consequentiam. Ad probationem minoris, dicatur, Christum, *ut hominem*, non quidem accipere totum esse quod habet per generationem æternam: accipere tamen, *ut hominem*, per ipsam generationem æternam à Patre, non ab æterno, sed in tempore, *in principio conjuncto esse in similitudinem Patris*, & Naturâ ipsam Patris, ut explicuimus.

109 Instabis: Christus, *ut homo*, non est genitus æternâ generatione Patris: ergo, *ut homo*, non est Filius Naturalis æterni Patris. Consequentia patet: quia esse Filium est esse genitum: quid enim magis paradoxum quàm dari sine ratione geniti Filium? Antecedens probatur. Qua vel esset genitus æternâ generatione ab æterno, vel in tempore? Non ab æterno: quia *ut homo*, Christus in tempore extitit. Non in tempore: quia generatio est æterna: ergo.

110 Respondetur: Inter *esse genitum, & esse Filium*, licèt entitativè sint eadem, quoad denominationes posse dari diversitatem: nam *esse Genitum* formaliter explicat terminationem processionis à Patre penès id quod processionem terminat, seu penès formalem terminum *quo* processionis: esse verò Filium, solùm explicat, esse *Vivens suppositum à supposito vivente ex vi processionis in similitudinem Naturæ quâ talis*. Hinc est quod licèt Christus, *quâ Filius Naturalis*, nequeat non dicere, esse genitum ab Æterno Patre, tamè facta reduplicatione supra complexum explicans expressiùs formam, quâ non terminat processionem æternam, ut terminus *quo* productus, non debeat dici genitus æternâ generatione, *ut homo*: dici tamen possit, & debeat, ut homo, Filius naturalis: quia, *ut homo*, ly *ut* reduplicante complexum ex Humanitate, & Filiatione, seu hypostasi Filii, est *vivens suppositum*, &c. Vnde distinguo antecedens: non est genitus, cadente denominatione, supra formam reduplicatam, concedo: cadente, suprà suppositum, nego antecedens & consequentiã: Vt ex datâ doctrinâ constat.

111 Ex his collige duplicem Filiationem naturalem in Christo solùm esse: *alteram* erga Matrem: erga Patrem *alteram*: illam, *temporalem*; *æternam*, alteram: sed utraque Filiatio naturalis cadit in idem, unumque suppositum hominis simul, & Dei: unde non duo, sed unicus Filius est.

SECTIO IV.

QVOUSQVE DICI POSSIT CHRISTVS Prædestinatus?

112 TOta lis de modo loquendi; atque adeò de voce nobis hic tota quæstio: quam tamen prolixè versant, & ad nauseam usque Nonnulli Theologi ex Modernis, & inter ipsos maximè Petrus Godoy *disp. 55 & seqq.* Res est omninò tenuis, & levissimi calami. *Noto* primò: vocem prædestinationis ex usu frequenti Theologorum, & Scripturæ solùm significare Actum prædecernentem, ut aliquid sit. *Noto* secundo: ex usu Scholæ, restrictam esse vocem ad significandam efficacem & æternam prædispositionem Divinæ voluntatis circa Beatitudinem supernaturalem, & alia ejus lineæ beneficia Gratiæ. Vnde simpliciter, & sine addito, solùm dicuntur, Prædestinati, qui visuri sunt Deum, ex prædecretâ Dei dispositione. *Noto* tertiò: dupliciter posse aliquid prædestinari, aut prædecerni, seu esse prædestinatum, aut prædecretum. Primò *absolutè*, & *secundùm se*: quatenùs decretum est, ut esset, aut fieret ab eo, cujus à voluntate pendet in existendo. Secundò *respectivè*: quatenùs aliquid per antecedentem dispositionem ordinatur ad aliquid aliud. Vbi vides *Tria* distingui: *actum præordinantem: res, quæ ordinatur: & terminus*, ad quem ordinatur: qui necessariò debet distingui ab ipsâ re, quæ dicitur ordinari. Iam est

113 Dicendum primò: Christus, seu *hic homo* Christus simpliciter potest dici Prædestinatus Filius Dei, *absolutè*. Ratio est, quia Christus, *ut talis*, ab æterno decretus est ut existeret: à Divinâ enim voluntate pependit, quòd existeret hypostatica unio, quâ cæpit existere Christus suppositum constans ex Humanitate & Hypostasi Dei Verbi. Et in hoc sensu intelligendum est Concilium Toletanum XI. *cap.1.* dum affirmat, *credi debere Christum & factum, & prædestinatum fuisse secundùm quod de Beatâ Virgine natus est.* Et in eodem sensu intelligo cum Anselmo, Alapide, & aliis locum Pauli *ad Rom. 1. Qui factus est ei ex semine David secundùm Carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundũ Spiritũ Sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.* Et hoc etiam sensu videtur loqui Sanctus Thomas *3. p. quæst. 24. art. 1. Corp.* *Ill. Godoy.* *Cõc. Tolet.* *Anselm.* *Cornel.* *Rom. 1.* *S. Thomas.*

114 Dicendum secundò: Non verè dicitur, quòd *hic homo* designando Christum, seu Christus, *ut hic homo*, sit prædestinatus *respectivè*, ut sit Filius Dei: ita Toletus, Becanus, Martinonus, & alii post Durandum. Ratio est: id, ad quod aliquis prædestinari dicitur, debet esse *ultra* & *extra* substantialem constitutionem ipsius: quis enim fieret hominem prædestinari, ut animam haberet Rationalem? atqui *hic homo*, designando Christum, dicit in sui substantiali constitutione, esse Filium Dei: ergo ad id nequit dici prædestinatus. *Toletus.* *Becan.* *Martinon.* *Durand.*

115 Hæc vis rationis nequit eludi per superficiales præcisiones, & disjunctiones, quas inducunt Suarez, Lugo, Aldrete, & Godoy. *Hic*, multis fusè impugnatis, ait Christum *ut hominem*, ly *ut* significante complexivè, *& hunc hominem*, jam distingui formaliter per rationem, vel virtualiter ab esse Filii Dei. Contra: quia hæc distinctio non cadit in Deum, neque sufficit: aliquin & hypostasis divina posset prædestinari, ut sit Deus: & homo, seu Anima hominis, ut sit Rationale, & (ne sit recurrendi ratio) Petrus albus, *ut albus*, ad dilegrati jum visus. *Illi tres* ajunt, quòd *hic homo* non dicit determinatè subsistentiam Divinam, sed subsistentiam vagè, vel divinam, vel humanam. Contra etiam: quia neque ista disjunctio cadit in Deum, neque sufficit: nam *hic homo*, licèt apud nos non significet determinatam subsistentiam, at Deo significat: quippe in re, & in Divinâ idea non est nisi per determinatam. Adde, neque sic dari terminum sufficienter distinctum. *Suarez.* *Lugo.* *Aldrete.* *Godoy.*

116 Opponunt locum Pauli *citatum*. Sed jam respondi. Addo, eum habere multas alias expositiones longè probabiles: insinuo duas. *Primam* ex textu græco, ubi pro *prædestinatus* legitur *declaratus*, & *manifestatus* Filius Dei, nempe virtute miraculorum, sanctificatione hominum, & resurrectione ex mortuis. Quæ interpretatio, præterquam quòd est Chrysostomi, Theophilacti, & Græ- *Chrysostom.* *Theophil.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& PP. Græc.

Græcorum Patrum, maximè textui consonat. *Aliter am*, ita ut Christus non dicatur ab Apostolo *Prædestinatus* simpliciter ut sit Filius Dei, sed ut sit *Filius Dei in virtute*, nempe, ut nos redimat, Sanctificet, & resuscitet: quasi sensus sit, *Christum esse prædestinatum ad officium redimendi, Sanctificandi, & resuscitandi* homines. Ita Augustinus, & post ipsum Titelmanus, & Cajetanus.

Augustin. Titelman. Cajetan.

117 Dicendum tertiò: Neque Christus, neque Humanitas Christi, *prout talis*, potest propriè dici prædestinari ad Gloriam, & alia dona, quæ consequuntur ad Vnionem. Ratio mihi non est, ea quâ utuntur aliqui Thomistæ, nempe quòd Prædestinatio semper esse debet ad id, quod est in Prædestinato supremum, & præcipuum, qualia certè non sunt hæc dona in Christo Domino, aut in Humanitate. Hæc ratio est inefficax: quia omninò liberè sibi assumit usum hujusmodi. Imò pater opponitur naturam homo, non solùm dicitur prædestinari ad gloriam Animæ, sed etiam ad gloriam corporis, & dona Gratiæ.

118 Ratio igitur mihi est: quia Terminus propriè Prædestinationis debet esse gratuitus, & indebitus Rei prædestinatæ *ex usu communi*: atqui Christo non est gratuita collatio Gratiæ vel Gloriæ, neque item Humanitati Christi *prout tali*: habet enim in Vnione Hypostatica jus ad hæc omnia, vi cujus nequit simpliciter Christo, aut Humanitati fieri ulla nova Gratia. *Ob hæc* dici solet communiter, quòd nequat dici Prædestinatus ad esse hominis, aut ad alios terminos Filius Dei: quia ipsi per nullum fieri potest Gratia, aut beneficium. *In conclusione* tamen dixi *Propriè*. Nam *impropriè*, facilè adducor, ut Christus, *ut homo*, & humanitas dicantur Prædestinati ad ea dona, quatenùs ab æterno prædecretum simul est, ut Christus gauderet jure suo, & ea haberet. Et certè in hoc sensu posset etiam dici, quod Filius Dei prædestinatus sit ad esse hominis.

119 Dicendum quartò: Potest Humanitas dici prædestinata ad Vnionem Hypostaticam & insimul ad dona consequentia: imò ad esse Filii Naturalis, *abstractè*, non *concretè*, id est, non ut sit Filia, sed ut sit in Filio, & constituat suppositum quod sit Filius Dei. Ratio prioris partis est: quia Deus nihil facit in tempore, quod ab æterno non prædecreverit: elevata autem est Humanitas in tempore ad unionem: ergo prædecreta, & prædestinata est respectivè ad Vnionem. Ratio secundæ partis est: quia dona omnia data sunt, moraliter in ipsâ unione. Ratio tertiæ partis est: quia Denominatio Filii non est Naturæ, sed suppositi. Humanitas autem non est filia: non ergo prædestinata est, ut sit Filia.

120 Dices: Neque Prædestinati denominatio dicitur de Naturâ, sed de supposito ex Sancto Thomâ. Dico Sanctum Thomam loqui, quando sermo est de termino Prædestinationis, qui convenire Personæ potest, & datur Persona, cui conveniat: non verò quando Persona non est, cui conveniat, & aliàs Naturæ potest convenire. Cæterum ex usu Scripturæ & hominum, non est cur ea denominatio restringi solùm debeat ad Personas. Quæ ultra hìc agit Angelicus Doctor, præmissa sunt *lib. 3. disp. 3.* & hoc ipso *lib. disp. 4. de Merito* Christi Domini.

S. Thomas.

Suprà lib. 3. disp. 2. & 3. & hoc lib. 5. disp. 4.



DISPVTATIO VI.

CHRISTI DOMINI OFFICIA.

1 DECEM fuisse video: Nam Christus considerari potest, ut *Caput Ecclesiæ*, ut *Redemptor*, ut *Medicus*, ut *Legislator*, ut *Iudex*, ut *Doctor*, ut *Sacerdos*, ut *Propheta*, ut *Mediator*, & demum ut *Rex*: & illa *novem* vix separari possunt à Munere *Mediatoris*: & concernunt Potestatem Spiritualem: quæ in Christo triplex excogitari potest: *Redemptiva*, *Legislativa*, & *Sacerdotalis*: intra quas species continentur ea munera novem, quæ primò numeravi. Decimum Regis, & Regni concernit Potestatem Temporalem ipsius Christi. Singula percurremus, quantum omninò sit opus, ad singulorum intelligentiam, & ut ex ipsis clarè discussis maximè appareat Christi Domini, *quà Hominus*, Potestas tam Spiritualis, quàm Temporalis. Attingamus, quæ minoris momenti sunt.

SECTIO I.

DE CHRISTO CAPITE, REDEMPTORE, & Medico Animarum.

2 ET quidem de primo Munere *Capitis* constat satis ex *disp. 1. præsentis libri sect. 4.* ubi dedimus omnia, quæ Christum attingunt ut Caput Ecclesiæ; explicatis enim ejus constitutione, præeminentiâ, & influxu, quod ibi præstitimus, nihil aliud inquirendum occurrit. *De Redemptoris* officio, *Tria* sunt etiam, quæ sciri debent: nempe, ejus quidditas, & ratio in Christo Domino; effectus, & usus: quæ tria singula plenè jam anticipavimus *lib. 4. præsertim disp. 1. & 2.* Duo hæc ergo munera constat ex *loc. præcitatis* negari non posse Christo: & *hìc*, Doctrinæ solùm ordine, attexui.

Suprà disp. 1. sect. 4.

Et lib. 4. disp. 1. & 4.

3 Restat de tertio *Medici* breviter dicere. Et quidem eo munere gloriatum, & functum respectu animatum Christum Dominum constat ex ejus ore dicentis *Matth. 9. non est opus valentibus Medico, sed malè habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores.* Vbi Dominus satis expressit & rationem, & effectum, & functionem officii. Vix enim, nisi denominatione, differt à Munere Redemptoris. Propriè tamen convenit Christo, quia propriè nobis convenit spiritualis ægritudo, quam pellit impertiendo salutem per exhibita remedia Sacramentorum.

Matth. 9.

4 Sic enim discurro: Peccatum non solùm est in rigore captivitas Animæ, sed etiâ morbus: ergo sicut eruêdo nos à captivitate, propriè convenit Christo munus *Redemptoris*, ita eruendo nos à morbo per peccatum contracto, convenit etiam Munus *Medici* nostri. Antecedens præterquam quòd ponitur ab ipso Christo: (neque enim peccatores dicerentur *malè habentes*, nullâ ex peccato contractâ Animorum ægritudine) patet: Nâ infirmus, & ægrotus dicitur ille, qui nequit obire actiones Naturæ convenientes: atqui ex peccato contrahitur impotentia obeundi actiones rectæ Naturæ convenientes: destituitur enim peccator Gratiæ donis, sine quibus impossibilis esse dicitur observantia legis etiam naturalis, saltem diuturna: ergo.

5 Ex his patet, quâ ratione functus fuerit hoc munere Christus Dominus: & quanto jure frequenter accurrerit Regius Psaltes, cognitâ suæ animæ infirmitate, & origine ipsius per illa, vel similia: *Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.* Vtinam hæc, aut similia, nunquam nobis saltem mente deciderent!

Passim in Psal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO II.

DE CHRISTO PROPHETA, DOCTORE, Iudice, Legislatore, & Mediatore.

6 Circa *primum* constat ex *disp.1. sect* 1. (cùm de Gratiis gratis datis) Christum fuisse *Prophetam*: ubi Abulensem propter existimatam imperfectionem obscuritatis in ratione Prophetiæ subdubitantem, vel negantem, anticipatò repulimus. Id quod de Christo prædixerat Moyses Deuteronom. 18. dum dixit: *Prophetam de Gente tua, & de Fratribus tuis, sicut me, suscitavit tibi Dominus Deus tuus.* Quæ dicta à Moyse de Christo, testatur apertè Sanctus Petrus *Act.* 3.22. Neque constat minùs, exercuisse multipliciter, & sæpè Christus Dominus, *Prophetæ* munus: id quod in historiâ Evangelicâ est valdè pervium.

Abulens. *Deuteron.* 18. *Actuum* 3.

7 Circa *secundum*, multa disputat Sanctus Thomas *quæst.* 42. ubi locupletissimè Doctor Eximius *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 30. Imprimis certum est convenire Christo *Doctoris* officium, nihil enim frequentius in Scripturis: imò ipse de se testatus est Ioannis 13. *Vos vocatis me Magister, & Dominus, & benè dicitis.* Deinde censeo convenire Christo *Doctoris* munus per se ratione Hypostaticæ Vnionis. Ratio est: quia ratione Vnionis habet esse caput Ecclesiæ, summumque Sacerdotem: de quorum ratione est illuminare sibi subditos: unde patet convenire hoc Christo munus, non solùm respectu hominum, sed etiam Angelorum: omniumque Creaturarum discipliné capacium.

S. Thom. *P. Suarez.* *Ioann.* 13.

8 Insuper censeo, virtutem docendi in Christo esse excellentiorem, quàm in ullâ Creaturâ possit esse. Id quod patet, si considerentur tria quæ maximè in *Doctore* requiruntur: *Probitas, Scientia, & Scientiæ modus.* Iam de qualitate Doctrinæ, constat ex Evangelio. Sed quo eam modo docuit? *palam* quidem, & *viva vocis oraculo*, non verò Scripto. Id quod ex traditione debet nobis esse certissimum. Ex quo refutantur aliqui, conati libros aliquos attribuere Christo Domino. Videatur Doctor uterque: Angelicus, & Eximius *loc. cit.*

Dotes Doctoris, & Magistri. *Doct. Ang.* *Doct. Exim*

9 Circa *tertium*, de Fide est contra Lutherum, Herbrandum, & alios Sectarios nostri temporis, Christo, *quà Homini*, negari non posse potestatem *legislativam*, & munus *Legislatoris*. Patet ex Isaiæ 33. ubi Christus dicitur *Legifer noster*: item ex Matthæi ultimò. *Data est mihi omnis potestas, in Cælo & in terrâ*: quam satis ipse Christus de legislativâ explicuit per verba, quæ subdidit. Demum ex Tridentino *sess. 6. can.* 21. Et ratio est, quia hæc potestas annexa est officio supremi Capitis, & Regis.

Isaia. 33. *Matth. vlt.* *Trident.*

10 Sed explicanda sunt *origo, excellentia, universalitas, & usus* hujus legislativæ potestatis in Christo. Et quidem *origo* est ipsa suppositi dignitas, & excellentia unionis, unde provenit dignitas, Capitalis, & Regia. Deinde ejus potestatis *excellentia*, ut benè monet Suarez, tanta est, ut nulli creaturæ concessa sit unquam similis, aut possit. Tùm quia est quodammodo Divina ratione suppositi. Tùm quia est amplissima. Tùm etiam: quia fuit abrogativa legù veterum, & institutiva nobilissimæ. Tùm demum, quia potuit subrogare Vicarium. Præterea *universalitas* tanta est, ut sub se habeat omnem creaturam rationalem, Homines, & Angelos. Nec malorum rebellio eos eximit à potestate legislativâ Christi coercitivâ: quæ Vniversalitas palàm colligitur ex verbis ipsius Christi citatis Matth. *ultimo*, & ex universalitate Capitis, & Regni, de quo *sect.* 4. Demum *usus* multiplex fuit, tùm abrogando, tùm instituendo varias leges: & ex ipsis, Evangelicam: in quâ tripartita præcepta tulit: *Moralia, Sacramentalia, & Fidei.* Inter quæ id interest, quòd Sacramentalia sunt instituta de novo: reliqua non tam de novo instituta, quàm aucta de novo, & explicata.

P. Suarez. *Infrà sect.* 4.

11 Circa *quartum* de munere Iudicis (quod utpotè annexum Potestati, & Authoritati legislatoris negari non potest Christo, *quà homini*, testante idipsum Scripturâ) disputat ubertimè, & minimè otiosè inter alios Doctor Eximius *tom.* 2. *à disputat.* 52. quem per otium lege. Nos tria brevi tangimus: Potestatis hujusce judicialis in Christo, *quidditatem, causas, & usum.*

P. Suarez.

12 Dico igitur primò potestas judicialis in Christo non est primaria, sed quasi ex commissione; vera tamen, & propria est, & in suo ordine veluti Ordinaria. Prima pars patet, quia primaria potestas est solius Dei *privativè*: dicit enim supremam Authoritatem, & independentiam. Et exinde dicitur ea potestas in Christo *quasi delegata*: pendet enim, & oritur à supremâ Dei. Neque id obstat, ne suo etiam modo, & in suo ordine dicatur *ordinaria*; nam habetur à Christo

sto ex *iure Personæ*, & ratione proprii muneris, nempè: quia Legislator est, & Sacerdos, & Rex: per quæ constant, & sibi conveniunt secunda, & quarta pars assertionis. Tertia probatur: quia alioquin non esset Christus verè, & propriè judex. Adde, in Christo esse Potestatem jurisdictionis, & Authoritatem pronuntiandi sufficienti causarum, & legum notitiâ, & rectitudine voluntatis munitam: ultra quæ nihil desiderari potest ad rigorem judicialis Authoritatis.

13 Dico secundò: Potestas judicialis in Christo, licèt, respectu Divinæ, possit dici *quasi ministerialis*, tamen in suo ordine suprema est, & excellentiæ, nulli puræ creaturæ communicabilis. Ratio est, quia in Christo provenit ex perfectionibus, quæ nulli puræ creaturæ competere possunt.

Suprà lib. 4.

14 Dico tertiò: Hæc potestas fuit Christo connaturalis, *ut homini*, & quoad actum primum ipsi concessa ab instanti conceptionis. Prima pars patet: quia sequitur Dignitatem Capitis, Legislatoris, & Regis, quæ Christo ex Vnionis, & Suppositi dignitate proveniunt. Secunda patet etiam: quia in instanti Conceptionis fuit jus ad hanc authoritatem; nec fuit cur differretur. *Dices*: quomodo ergo dicitur eam Christus obtinuisse per *merita*. Ajo, quia, & duplici titulo juris physici, & moralis habere voluit. Tùm quia quoad usum, & exercitium habere noluit potestatem judicis, nisi per merita. Dico quartò *de usu* eum quidem morte meruit Christus, & principaliter post mortem exercet: isque multiplex est: præcipuè tamen duplex: alter in *particulari Iudicio* unius cujusque, cùm morimur; alter *in universali*, cùm resurgemus. Videte Suarez.

15 Circa *quintum* de munere *Mediatoris*, major esse solet controversia: levis tamen, postquam Redemptoris officium explicuimus *lib.* 4. Nam in Christo Mediatoris officium vix differtè à munere Redemptoris, præterquam denominatione, & extrinseca ratione. Nihilominus *duo* hic breviter explicanda. *Primum*: an solus Christus sit Mediator inter Deum, & homines? *Alterum*: juxta quam naturam Mediator sit? *Nota.* Is propriè Mediator dicitur, qui inter Personas dissidentes, ut eas inter se conciliet, intercedit. Id quod fieri potest quatuor modis. Primò discernendo, & judicando utriusque causam: & sic *Arbitri* dici possunt Mediatores. Secundò: referendo hinc inde pacta, & conditiones: & sic *Internuncii*, & *Proxenetæ* dicuntur etiam Mediatores. Tertiò, orando, & supplicando. Quartò, solvendo, & satisfaciendo uni parti pro alterâ.

16 Dico primò: hoc ultimo modo solus Christus dici potest mediator Dei, & hominum: aliis tamen non ita solus Mediator est Christus, ut alii sancti non sint, & maximè Beatissima Virgo. Prima pars patet: quia solus Christus obtulit, & offerre potuit condignam satisfactionem pro offensis, ut *latè* disputavimus *lib.* 2. & 4. & in hoc sensu intellige Paulum 1. Timoth. 2. 5. cùm dicit: *Vnus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro nobis.* Secunda pars patet etiam: quia alii modi non dicunt tantam excellentiam, ut pura Creatura non possit exequi. Adde, quod de se Moyses dixit Deuteronom. 5. 5. *Ego stabam inter Dominum, & vos.* Et Sancti interponuntur à Fidelibus apud Deum. De Beatissimâ Virgine *nefas* est dubitare. Neque curandæ sunt versutiæ aliquorum hæreticorum abutentium aliquibus Scripturæ, & Patrum testimoniis, ut recursum ad Sanctorum & Deiparæ orationes Fidelibus intercludant, subdolè sub specie honorificandi Christum Dominum. Videatur de ipsis, si otium est, Iaubertus de Barrault *part.* 2. *Clypei cap.* 2. & concisiùs Martinonus *disp.* 15 *sect.* 5.

Suprà lib. 2. & 4. *1. Timoth.* 2. *Deuteron.* 5. *Barrault.* *Martinon.*

17 Dico secundò: Munus *Mediatoris* convenit Christo *quà homini* & secundùm Humanitatem. Est contra Lutheranos & Calvinistas. Et ratio est: Tùm ex verbis citatis Apostoli. Tùm etiam quia opera, per quæ Christus exercuit officium mediatoris, fuerunt opera Humanitatis: non tamen utemque, sed condignificata ab excellentia Personæ, ea opera per Humanitatem, exercentis, & operantis. Per quæ occurrimus *Stancaro*, qui sensit soli Naturæ Humanæ convenisse officium Mediatoris: & Calvinistis, qui sentire Christo secundum Divinitatem, & quâ Deo, illud officium convenire: quasi Christi, qui Dei, pendens esse *intercedere, orare, sacrificare, supplicare, & adorare Deum.* Sed tu vide de his inter alios Bellarmin. *tom.* 1. *controv. lib.* 5. *de Christo.* Nos ad alia quæ magis sunt Scholastici quæstionis, & controversia magis, ascendimus.

Stancarus *Calvin.* *Cardinalis* *Bellarm.*

*** *** *** ***
*** *** ***

SEC-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO III.

DE CHRISTO SACERDOTE, EIVSQVE Sacerdotio.

Heb.5. & 8. 18 SAcerdos (ut ex Apostolo ad Hebræos 5. & 8. rectè colligit P. Bernal *disp.* 60. *sect.*1.) est *Creatura Rationalis legitimè constituta, & destinata ad Sacrificium offerendum*: quæ definitio vel descriptio ipsâ difficultatum subsequentium explicatione clarescet.

P. Bernal.

19 Prima difficultas: an Christus verè & propriè *Sacerdos* sit ? Affirmo tanquam rem de Fide. Primò ex Psalm.109. ubi David de Christo prophetice: *Iuravit, ait, Dominus, & non pœnitebit eum: Tù es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Secundò ex Apost. *loc. cit. Habemus Pontificem Magnum.* Tertiò ex Conciliis Alexandrino, *in Epist. ad Nestorium, anathematismo* 10. Ephesino eandem Epistolam amplexo, & Tridentino *Sess.*22. *cap* 1. *&* *can.*1. *&* 2. & ratio est: quia Christo Domino convenit tota definitio Sacerdotis, & ipsi utpote Mediatori inter Deum, & Homines maximè convenit Potestas, & dignitas Sacerdotalis.

Psal.109. *Hebræor.8* *Concil. Alexand. Ephesin. Trident.*

20 Secunda difficultas: an Christus sit Sacerdos, *ut homo*: an *ut Deus* ? Respondeo contra Lutheri, & Calvini Discipulos, Christum, *ut hominem*, & *non ut Deum*, esse Sacerdotem. Primò: quia munùs Sacerdotis est offerre Sacrificium per actionem protestativam submissionis, & cultùs Deo tanquam Superiori; atqui Christus *non ut Deus*, sed solùm *ut homo* præstare id potuit: ergo. Secundò: quia secundùm eam naturam Christus Sacerdos est, secundùm quam est Mediator: Sacerdos enim Mediatoris Personam agit, & munus exercet: at Christus Mediator est secundùm Naturam Humanam ex *nu* 17. ergo. Tertiò: quia Christus secundùm eam naturam est Sacerdos, secundum quam est principium elicitivum actionis sacrificæ, seu quæ propria est Sacerdotis; atqui Christus secundùm solam Naturam Humanam est principium elicitivum actionis Sacrificæ: ergo &c. Ex quo patet per hujusmodi loquèdi formas non excludi Divinitatem, tanquam principium condignificativum actionis Sacrificæ, & tanquam radicem dignitatis Sacerdotalis.

21 Tertia difficultas: quam Meratius vocat in præsenti *præcipuam, & pulcherrimam*: Quà nempe formâ, seu quasi formâ factus sit Christus, & constitutus à Deo Sacerdos? Ipse Meratius *disp.* 50. *sect.*5. secutus Patrem Vazquez *disp.* 85. *cap.* 2. & quem videntur alii sequi, latè contendit, eam *characteristicam quasi formam* fuisse Vnionem Hypostaticam, & Divinitatem Vnitam: per quam (præcisà quavis aliâ extrinsecâ designatione, deputatioque & voluntate,) tanquam per *oleum, & unctionem* spiritualiter, & mirabiliter mansit, ut ajunt SS. PP. Humanitas *uncta, & delibuta*, pro Summo Pontificatu, & Sacerdotio. Pater Bernal *sect.*1. §.3. præter gratiam unionis requirit etiam ad constitutionem Sacerdotis in Christo, extrinsecam Dei voluntatem supervenientem Vnionis Gratiæ. Prudentius *tract. ultim. disp.* 2. *dub.* 2. *sect.*1. ab utroque discedit, & omninò excludit Hypostaticæ unionis gratiam à ratione constitutivà Sacerdotii.

Meratius. *Vazquez.* *P. Bernal.* *M. Prudēt*

22 Subscribo contra Bernal, & Prudentium Vazquio, & Meratio. Primòt quia est aperta Sententia Cyrilli, Nazianceni, Eliæ Cretensis, Germani Constantinopolitani, Damasceni, & Clementis Romani apud Meratium, quorum iste *lib.* 8. *Constit. cap.* 46. dixit Christum esse *Naturâ Pontificem*: quod verum esse nequit, nisi ipsa Vnionis Gratia, fuerit characteristica constitutio Sacerdotii. Alii passim ajunt, Humanitatem *unctam* spiritualiter pro dignitate Sacerdotii non alio quàm ipsius *Divinitatis oleo*: quo satis exprimunt ipsam Vnionis gratiam esse characteristicam veluti formam Sacerdotii constitutivam in Christo Domino.

Nostra mens cum Cyrill. *Nazianz.* *Elia Cret.* *Germ.Cōst.* *Damasc.* *Clem.Rom.*

23 Secundò, ratione à posteriori, quam acutè promovet Pater Meratius *sect* 6. quia Christus Dominus est Sacerdos *in æternum*, id est, *sine fine*: ergo Sacerdos est, non ex extrinsecâ deputatione, sed ex intrinsecâ & mirabili unctione Divinitatis. Consequentia patet: quia pro æternitate Sacerdotii Christi nulla potest afferri congrua ratio, nisi Dignitatis æternitas: nam neque ab effectu Sacrificii, alioquin æterno, solidè; neque ab æternitate Sacrificii, verè; neque à tam longâ Sacrificii duratione, ad finem scilicet usque sæculorum, propriè; neque ab extrinsecâ deputatione, (quippe solùm præstat effectum pro tempore quo Sacerdos fungi potest officio,) congruè peti potest, ut evolventi Vazquium, Meratium, imò Bernalium contradicentem, planum fiet. Antecedens ergo probatur. Tùm ex *Psalm.* 190. Tùm ex Apost. *ad Hebræos cap.*7. ubi de Christo dicitur

P. Merat. *Psalm.109* *Hebræor.7.*

cùt habere *Sacerdotium sempiternum*: imò *secundùm virtutem* vitæ insolubilis. Tertiò ratione demum à priori: quia Vnctio substantialis, quà per ipsam Divinitatem consecratur, & ungitur Humanitas, continet in se eminentissimè quicquid est perfectionis in externâ hominum unctione, quà homines solent, & possunt consecrati in Sacerdotes, imò seipsà formaliter constituit jus, & potestatem Sacrificandi Deo: quæ cùm alioqui legitima sit, & à Deo accepta, non potest nò esse sublimis dignitas Sacerdotii.

24 Dices primò: ad quid æternitas Sacerdotii, si non est æternitas sacrificii? Secundò: quia Sacerdos dicit institutionem extrinsecam: imò Sacerdotium Christi specialiter dicit ex *loco* Psalmi 109. ubi interponitur juramentum Dei pro institutione Christi in Sacerdotem. Tertiò: quia in Christo data est vera dignitas Sacerdotalis ad sacrificandum Agnum Paschalem; at hæc dignitas non consistit in Vnionis Gratia: sine hac enim illa in pluribus extitit. Quartò: quia non videtur ratio esse, cur non obstante Vnione Hypostaticà, deficere Christo possit Sacerdotalis Dignitas. Levissima hæc sunt.

25 Ad primum, dico, æternitatem Sacerdotii non esse in Christo otiosam sine æternitate sacrificii, quia non solùm, & præcisè est ex fine sacrificii, sed maximè ex naturâ substantiali ipsius Christi: cui nempè talis dignitas, substantia est.

Ad secundùm, dico, dignitatem Sacerdotis eòipsò perfectiorem fore, quò magis nobilis sit modus consecrationis: quæ tamen fieri potest per substantialem unctionem. Fateor, requiri Decretum Dei in casu nostro, non verò distinctum ab eo, per quod decernitur Vnio Humanitatis. Quòd autem Deus jurasse dicitur potiùs Dignitatem Sacerdotis, quàm ullam aliam Regis, & Capitis: licèt singulæ in Vnione consistant; est ratio specialis, non solùm ex materiâ, quæ Sacrificium est, & est actus Religionis, sicut & actus jurandi: sed etiam ex fine Incarnationis sic præstito, qui fuit Humani Generis Redèptio per cruentù Sacrificiù Christi Sacerdotis in Cruce. Ad tertium, nego fuisse ejusdem formaliter rationis dignitatem Christi Sacerdotalem etiam respectu Sacrificii *veteris Agni*, ac fuit in aliis Sacerdotibus: Christi enim substantialis fuit, & nobilissima. Ad quartum, nego quod assumitur: impræscindibilis enim est unctio Hypostatica Humanitatis à Dignitate Summi Pontificatùs.

26 Quarta difficultas: Quousque perfecta sit Sacerdotalis dignitas Christi Domini? Respondeo, usqueadeò esse, ut superet omnem aliam potestatem Sacerdotalem. Ostendo excessum, ratione constitutionis, ratione objecti, ratione independentiæ, & ratione excellentiæ. Et quidem *ratione* constitutionis: nam consistit in ipsâ unctione intrinsecâ Divinitatis: cæteræ dignitates unicè stant, vel in extrinsecâ deputatione Dei, aut populi eligentis, aut in aliquâ participatione Dignitatis, & potestatis ipsius Christi. *Ratione* objecti: nam habuit pro objecto sacrificium Humanitatis ipsius: quod neque Sacerdotes novæ legis æquali cum plenitudine, aut ratione habent. *Ratione* independentiæ: Nam & efficaciam, & virtutem Sacrificii sui habebat in manu, neque alligatam Sacramentorum organis. *Ratione* demum excellentiæ: nam in eo genere à nullo alio Sacerdote pendet, & omnes pendent ab ipso: atque adeò Potestas Sacerdotalis Christi est in eo genere suprema, & jure dicitur Potestas Excellentiæ.

27 Quinta difficultas: Quotuplex Sacrificium Christus obtulerit? Et quâ proprietate? De *quadruplici* potissimâ iis: De *cruento* sui in Cruce: de *Incruento* in Eucharistiâ: de *Immolatione* Agni Paschalis: de *Sacrificiis* demum *Aaronicis*, quæ offerri solebant in Templo. Ibimus inversim, ut expeditiores eamus. *Censeo* primò: Christum Dominum non obtulisse sacrificia *Aaronica*. Ratio est: quia ex lege non poterant hæc offerri, nisi in Templo, & à Sacerdotibus Aaron: neque vestigium ullum est verisimilitudinis in oppositum. Nec obstat quòd Christus excellentius Sacerdotium habuerit, & continens potestatem Aaronicam: Nam licèt Christus non teneretur legibus, eas voluit implere, vitandi gratiâ scandali, & offensionis.

28 *Censeo* secundò, obtulisse Sacrificium *Agni Paschalis*. Constat ex Evangelicâ Historiâ. Nec audiendi qui videntur dubitare de proprietate Sacrificii: nam Agni immolatio verè sacrifica fuit: aut de legitimâ potestate: nam præterquàm quod Christus erat summus Sacerdos, omnes Patres Familias (inter quos numera Filios Natu majores, Rectores, Præpositos Domûs) erant à Deo constituti Sacerdotes ad Sactificium Agni, licèt non essent Aaronici Sacerdotes; aut de de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectu altatis, & templi: nam ex lege pro Agni immolatione non requirebatur Templum, neque altare, sed in domo cujusquam poterat Agnus immolari. Quæ omnia Christus præstitit. *Censeo* tertiò obtulisse Sacrificium incruentum sui in Eucharistiâ. Constat ex Tridentin. *Sess.* 22. *cap.* 1. Neque licet dubitare de proprietate & rigore hujus Sacrificii. Imò faciliùs hìc apparet immutatio hostiæ, ut notavit Bernal *num.*45. *Censeo* denum quartò, obtulisse Sacrificium sui cruentum in Cruce. Constat ex Apostolo ad Hebræos 7.& ex multis Conciliis, quorum loca dabit Bernal *sect.*2. §. 1. & ratio est quia in morte suâ obiit Christus Dominus omnia munia Sacerdotis.

Trident.

P. Bernal.

Hebræor.7

29 Oppones primò difficulter; ad verâ rationem actionis sacrificæ debet ipse Sacerdos esse causa immutationis in hostiâ; atque adeò si Christus cruentum sui Sacrificium obtulit, debuit esse causa mactationis, & mortis sui: in quibus ad cruentum Sacrificium consistit hostiæ immutatio; sicut ad incruentum in Eucharistiâ hostiæ immutatio consistit in mysticâ separatione, quam Sacerdos moraliter præstat, & causat, Sanguinis Christi ab ejus Corpore; atqui Christus non potuit esse causa suæ mactationis, & mortis; alioqui seipsum occidisset: ergo neque Sacrificium sui cruentum obtulit.

Confirmatur: quia Nihil aliud præstitisse videtur Christus in morte suâ, quàm quod Martyres præstant in oblatione suæ vitæ; at Martyres non offerunt cruentum Sacrificium sui: ergo neque obtulit Christus Dominus.

30 Plurium rationes eventilat, & impugnat Pater Bernal *loc. cit. à num.* 30. nec ipse solidiorem apponit *nu.*36. recurrens ad optionem factam sibi de Vitâ impalsibili; & addens, in electione vitæ palsibilis, & mortis, fuisse Christum causam aliquomodo moralem utriusque. Sed hæc ratio nimis à longè pergit, & vix pervenit, ut Crucifixionis faciat Christum causam moralem.

P. Bernal.

31 Rationem ipse jam tetigi *lib* 4. *disp.* 6. *sect.*1. quam repeto, aserendo Christum circa mortem *quatuor* præstitisse, quæ omninò sufficiunt, ut dicatur obtulisse se, fuisse causa moralis immutationis in seipso ut hostia oblata, & immolata, quin inde possit dici seipsum occidisse. *Primum*, seipsum externè mactandum tradidit. *Secundum*: posità causâ sufficienti mortis, potuit uti miraculo, quo suspenderetur effectus; & noluit. *Tertiù*: potuit impedire actionem externam Crucifigentium, etiam ex suppositione pravæ voluntatis eorum; & noluit: *Quartum*: voluit non impediri actionem externam Crucifigentium, suppositâ semel pravâ eorum voluntate, & insimul voluit sequi mortem ex suppositione causæ sufficientis. Quæ certum est præstita à Christo Domino; & omninò certum, hæc satis esse, ut dicatur causa moralis influens in sui mortem; nec esse satis ut dicatur occidisse se.

Ex suprà lib.4. disp. 6. sect.1.

32 Ratio secundæ partis est: quia ille dicitur occidere, qui causat nocumentum unde sequitur mors, non verò qui ex suppositione nocumenti vult, quòd ipsum sortiatur effectum, nolendo uti potestate sua miraculosà: ex quibus patet ad argumentum. Ad confirmationem est jam clara disparitas inter Martyres & ipsum Christum. Adde Martyres non esse authoritativè constitutos ad sui immolationem; quare ex defectu etiâ potestatis Sacerdotalis deficerent ab actione sacrificâ.

33 Oppones secundò: non est Sacrificium, ubi nec Altare, nec templum est. *Nota*: Christum Dominum jure à Patribus dici *Hostiam* simul, *Templum*, & *Altare*, quo sui Sacrificium cruentum obtulit. Est *hostia*, nã ipse est Agnus immaculatus. Est *templum*, quia intra se exercuit, & recepit actionem verè Sacrificam in protestationem Divini honoris. Est *Altare*, quia ejus Humanitas fuit veluti mensa, supra quam fusus est Sanguis ipsius, quo demum aspersa est: non ergo ex defectu Templi, & Altaris desiit esse sacrifica Domini actio. Adde, à Tridentino *Sess.*22. *cap.* 1 assignari Christo pro *Ara* ad Sacrificium sui cruentum *Crucem ipsam*: atque adeò fuerit *Templum* Calvariæ Mons. Neque dignitas Sacerdotalis pro sacrificiis offerendis limitanda est ad locum: poterat enim Christus, ubi vellet, offerre.

Trident.

34 Sexta difficultas: an Christus aliquem sui Sacrificii fructum, seu effectum participaverit? Negavit Pater Vazquez acerrimè *disp.*84 *cap* 2. Distinguo *triplex* Sacrificium: *Propitiatorium*, quod offertur pro delendis offensis, & placando Deo: *Eucharisticum*, quod offertur in gratiarum actionem: *Impetratorium*, quod offertur ad aliquid impetrandum: omnes has differentias, earumque perfectiones habuit cruentum Sacrificium Christi. Respondeo jam, participasse Christum effectum sui Sacrificii, *ut Eucharistici*, & *impetratorii*, non verò ut *propitiatorii*. Prima

P. Vazq.

ma & secunda pars ostenditur: quia Christus Dominus per sui immolationem in Cruce obtinuit sibi Gloriam Corporis, & alia, quæ Paulus memorat; nec est credibile non direxisse etiam Christum in Gratiarum actionem. Tertia pars patet: quia Christus non eguit, nec egere potuit propitiatione. Et hoc sensu intelligendi sunt Patres, quorum testimoniis ductus est Pater Vazquez ad negandum. Videantur Meratius *sect.*11. & 12. & Delugo *disp.*29. *sect.*2. & Martinon contra Delugo *disp.*15 *sect.*2. *à nu.*26.

Vazquez. Meratius. Delugo. Martinon.

35 Septima difficultas: an Christus fuerit Sacerdos *leviticus*, seu *legalis*, & cur dicatur esse *secundùm Ordinem Melchisedech*? Respondeo ad primam partem, negativè: id quod de fide est ex Apostolo ad *Hebræos* 7. Ratio autem est: quia ut Christus esset Sacerdos leviticus, opùs erat electio Dei, vel Iudaici Populi: neutrius autem intervênit: non Dei, quia ipse potiùs sua lege restrinxerat legale Sacerdotium ad Tribum Levi, Exodi 29. & Levitici 8. Non populi: quia neque iste poterat nisi ex eadem Tribu per virilem lineam oriundum eligere, ut constat ex Oziæ Lepra Deuteronom 26. Quod autè refert *Suidas* de Christo suffecto in locum demortui cujusdam levitici Sacerdotis, fictitium est. Respondeo insuper pro secunda parte, Christum dici secũdum ordinem Melchisedech, *figurativè*, & *secundùm similitudinem*, quam multipliciter extollit Apostolus *ad Hebraos cap.*7.

Hebræor.7 Exod. 29. Levit. 8. *Deuteron.* 26. *Suidas Fab.* *Hebræor.7*

SECTIO IV.

DE CHRISTO REGE, EIVSQVE REGNO.

§. I.

QVÆ CERTA, SVPPONO.

36 SEponamus ea, quæ certa sunt, ut detur locus celebri controversiæ de Regno Christi Domini. Ea *sex* ferè sunt. *Primum*, tria continet: nempe quæstionem hìc nobis esse de Christo, *quà homine*, nam quà Deus, omnimodè Rex est, & Dominus omnium citra ullam controversiam. Deinde nec esse quæstionem de Regno spirituali: certa enim omninò res est, Christum excellentissimè potitum Authoritate plenissimè Regiâ circa spiritualia, & exinde circa temporalia quatenùs conducunt ad illa: quæ Authoritas, (latè examinata, & probata à Patre Suarez *disp.* 47.) non est duplex, sed una & eadem *primariò* tendens ad spiritualia: *Secundariò*, indirectè, & ex consequenti circa Temporalia: & in Christo convincitur ex Paulo *ad Ephes* 1 *omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam.* Præterea quæcumque Authoritas Regia in Christo sit, sive hæc, quam modò supponimus, sive illa, de quâ disputabimus, ea quidem in Vnionis Gratiâ consistere debet, quâ mirabiliter Christus est *unctus* in Regem, ipso Divinitatis oleo, ad eum modum, quo de Sacerdotali dignitate philosophati sumus. Et id est, quod pro certo supponimus *primum*.

P. Suarez *Ephes.* 1. *Hymn. Eccles.*

37 *Secundum*: Christus Dominus non ita *privativè* fuit Rex directus omnium Temporalium, ut secum compati non posset alios Reges, sine ulla Tyrannidis specie. Ratio est, quia nec Deus habet tale dominium; quanto minùs Christus *ut homo*? Id quod *idcò* dixi, ut refellerem in limine aliquos, qui dixere, *Nato Christo*, cæteros Reges, vel abiisse in Tyrannos, vel incepisse Regnare, ut Vicarios Christi: est enim id paradoxum, & contra illud Ecclesiæ: *non eripit mortalia, qui regna dat Cælestia*: & illud ipsius Christi: *reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*.

38 *Tertium*: licèt Christus Dominus non fuerit ira *privativè* Rex tẽporalis omnium, potuit esse ex concessione Patris. Patet ex terminis; & exinde potest aliquomodo dici quòd terreni Principes, nato Christo, cæperunt regnare quasi Vicarii ipsius: quia perstiterunt in dignitate ex quadam quasi cessione Christi, qui noluerit hujusmodi dominatũ habere. Et in hoc fortè sensu protulit id Sanctus Thomas *opusculo de Regimine Principum* (si fortè unquam tale opusculum edidit Sanctus Thomas: quod tanti Doctoris ingenio indignum censent viri Doctissimi, & inter ipsos Cardinalis Bellarminus.)

S. Thomas. *Cardinalis Bellarm.*

39 *Quartum*: Christus, *at homo*, non fuit Rex, & Dominus omnium, eo dominii genere, quo Deus est Dominus: id quod ex fide, & ex naturali ratione debet esse certum contra *Vbiquistas*.

40 *Quintum*: Christus Dominus, *quà homo*, potuit habere dominium omnium, inferius quidem Divino, majus tamen, & excellentius eo genere dominatus, quo terreni Principes gaudent; atque adeò commune, seu compatibile cum eo quòd insimul in orbe terrarum regnarent legitimè alii

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principes. In hac enim excellentiæ potestate & dominatu imitanti Divinum, nulla apparet contradictio, aut incongruitas.

41 *Sextum* denique: Christus Dominus nullum temporale Regnum habuit *ex titulis*, ex quibus alii Principes habere solent: quales sunt, *Jus belli prima occupatio, Donatio alterius hominis, electio, seu jus hæreditarium.* De cæteris res est clara. Dubitarunt aliqui de *jure hæreditario* rati Christum hæreditariò debuisse succedere in Regnum Iudæorum, eoque hæreditatis jure reipsâ fuisse Regem: ita Amarcanus, Burgensis, & Baconis: & pro his citat Patrem Azorium Bernalius, omninò *immeritò*: & certè Bernal, conquestus contra Mendozam, quòd allegasset in hoc puncto, videri suo, minùs fideliter authorem aliquem, potuisset, & debuisset non offendere in lapidem eundem *tam supinè*. Cæterum res etiam est clara.

Amarc. Burgens. Bacon. Azor.

Vide Manriq. disp. 12. sect. 3.

Primò: Nam ante Christum natum jam amiserat Regnum Stirps Davidica justè in Iechonia. Secundò: quia non constat an alii fuerint propinquiores?. Tertiò: quia Iosephus, qui per Salomonem descendebat à David (nam Virgo Maria descendit per Nathan) solùm fuit Pater putativus Christi: & talis adoptio non præjudicat aliis descendentibus in jure successionis ad Regnum

P. Bernal. Videatur Pater Bernal *disp. 61. sect. 1.* Hi ita suppositis, manet

§. II.

CONTROVERSIA, EIVSQVE DECISIO.

42 QVestio: an Christus *ut homo*, propter excellentiã, & gratiam Vnionis, fuerit directè Rex temporalis omnium, & ita Dominus Vniversi, rerumque omnium contentarum in ipso, ut potuerit citra ullius injuriam, de quibuscumque disponere, tanquam politicus, & temporalis Dominus: non solùm, prout res temporales conducunt ad Spiritualia, sed etiam *directè*, prout sunt in se & manent in sphæra rerum, & finium temporalium? In qua quæstione

Sentent. 1. 43 Quinque sententias, seu dicendi modos invenio. Prima sententia, satis celebris, negat, & unicè Christo concedit Authoritatem Regiam directè circa spiritualia; circa temporalia verò solùm indirectè, & ex consequenti. Ita multi apud Franciscum de Mendoza *tom 1. in libro Regum cap. 2. num. 10.* Annot *XV. circa lit. sect. 3. num. 3.* præsertim Bellarminus *lib. 5. de Romano Pontifice cap. 4. & Valentia in 3. part. disp. de Incarnatione quæst. 22. punct. 6.* Secunda sententia affirmat, sed ita, ut sentiat Christum fuisse Regem Temporalem eo genere dominatûs, quo sunt Reges, alii homines in orbe terrarum. Ita nonnulli apud eundem Mendozam *num. 27.* conantem illustrare sensum eorum *à num. 18.* estò procul ab ipso. Tertia sententia affirmat in Christo Regiam potestatem etiam directam circa Temporalia, sed purè politicam, non verò dominativam: id est, Regiam Iurisdictionem, sed non dominium Regium: ita Pater Vazquez *disp. 87. cap. 2. & 6.* & Pater Amicus *disp. 31. sect. 2.*

Bellarm. Valentia. Sentent. 2.

Sentent. 3.

P. Vazq. P. Amic.

44 Quarta sententia plenè affirmat in Christo Regiam Potestatem circa temporalia omnia Vniversi, non politicam modo, sed directè dominativam, dominii tamen specie, inferioris Divino, superioris tamen vulgari, & purè humano, atque Divinum imitantis, & quod dici possit Dominium quoddam excellens, seu excellentiæ. Ita Pater Suarez, *disp. 48.* & alii quos citant, & sequuntur Pater Franciscus de Mendoza inter omnes optimè *loc. cit. à num. 22.* & Pater Bernal *disp. 61. & 62.*

Sentent. 4.

P. Suarez. P. Mendoza P. Bernal.

Sentent. 5.

45 Quinta sententia, quæ potiùs est explicatio præcedentis, affirmat eam Authoritatem Regiam dominativam in Christo universaliter, non tamen in actu secundo, sed in actu primo, id est, quoad jus, & dignitatem, non verò quoad exercitium: ita mihi videtur sentire omnes Authores quartæ sententiæ, & specialiter ita loquuntur Franciscus Mendoza, Azor, & Cardinalis de Lugo videndus *disp. 30. sect. 1. à num. 4.*

Mendoza. Azor. Card. de Lugo.

46 Subscribo *quartæ* sententiæ juxta distinctionem, & explicationem *quintæ*. Et ostendo *tripliciter*, ab Scripturâ, à Patribus, à ratione. Et primò quidem à Scripturâ. Tùm ex illo Matthæi 28. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terrâ*: ubi, acutè notante Mendoza, ly *omnis* distribuit Christi Domini Potestatem, non in partes Regni, sed in omnes species potestatis sub potestate in communi contentas. Tùm ex illis locis ubi asseritur Christus Dominus habuisse Authoritatem, & potestatem Pontificiam simul, & Regiam per similitudinem ad *Mosen, & Melchisedech*: qui Temporale Regni dominium habuerunt. Tùm quia passim in Scripturâ dicitur *Rex*, & in Apocalypsi *Rex Regum*: non autem est verosimile

Mens Nostra. Matth. 28.

Apocalyp.

se toties usurpatam in Scripturâ *Regis*, & *Regni* vocem *impropriè*: Regis enim vox propriè dominationem temporalem insinuat: imò, cùm dicatur *Rex Regum*, apertè comparatur cum his, qui temporales potestates habent, & exprimi videtur cum excellentiâ Regis, & Regni temporalis super omnes alias Regum potestates, quas suæ subjicit. Demùm: quia Christus in Scripturâ legitur non semel aliquos Potestatis Temporalis actus exercuisse: nempè Matth. 8. cum misit *Dæmones in porcorum gregem*, eum præcipitaturos in Mare: Matth. 21. cùm Ficulnea *marefecit*: Matth. 12. cum permisit Discipulos per aliena sata *vellere spicos, & manducare*: & id genus alia.

Matth. 8. & 12. & 21.

Bernard. Gregor. Chrysostom

47 Ex Patribus, adsunt Bernardus, Gregorius, & Chrysostomus, qui difficulter explicatione de Regno solùm spirituali contenti sunt. Audiatur hic *hom. 82. in Ioann.* ubi docet Christum esse *Regem huius mundi sublunaris, quamvis in Cœlo habeat Imperium non humanum, sed longè majus, atque præstantius.* Idem sentire videntur alii Patres, nempè Cyrillus Alexandrinus, Chrysostomus idem, & Augustinus, qui affirmant Christum *non negasse Pilato de Regno quode rogavit, sed affirmasse planè*: & Pilatum interrogasse de Regno temporali. Demum Patres innumeri, (quorum censum habet uberrimè Salazarius tùm *de Conceptione*; *tùm in cap. 8. Proverb. num. 16.*) simpliciter asserunt Matrem Dei totius esse mundi Reginam: id autem Magna Mater solùm habere potuit quòd genuerit Regem, qui regiam ipsi potestatem reflexerit: at Christus Potestatem Regiam temporalem reflexit in Matrem: ergo & eam habet.

Cyrill. Alexand. Augustin.

Salazar.

48 Ex Rationibus denique. *Prima* sit à posteriori & absurdo: quia alioquin Christus qua homo præcipere non posset quicquam nisi spirituale, & quatenùs spectat ad spirituale regimen: quod genus potestatis angustissimum est. *Secunda* sit à simili: Incredibile enim est, quòd Christus non ita plenè sit Rex hominum, & omnium sublunarium ac est Angelorum; at circa Angelos habet regiam Authoritatem dominii excellentis: quis enim putet non posse Christum præcipere Angelo, hoc Cœlum ita rotare, & movere, & alia similia, qui sunt Actus pleni Dominii.

49 *Tertia* sit à priori: quia Potestas Regia temporalis directa in omnes creaturas cum perfectâ jurisdictionis, & dominii plenitudine, sine ullo limite durationis, aut subordinationis alteri, præterquàm Deo, est bonum possibile, & à Deo communicabile, maximè decorum statui Filii Dei, imò necessarium, supposità Vnctione Humanitatis per Gratiam Vnionis, quæ impræscindibilis est à Regia dignitate super omnes creaturas: cur enim alii dignitatum apices contineantur in Gratia Vnionis, & non iste Regiæ dignitatis? non ergo potest negari Christo Potestas Regia non solùm politica, sed etiam Dominativa.

50 Quòd verò ea non fuerit in actu secundo, seu quoad exercitium, sed quoad potestatem juris, & in actu primo: quodque fuerit humanâ excellentior, & alterius ordinis, patet: & *primum* imprimis: quia Christus elegit habitum servi, & pauperrimam vitam: quæ cum usu temporalis dominii stare non potest. Adde, Christum roganti Pilato de Regno, affirmasse duo, quæ necessariò nostram doctrinam continent, nempe se Regem esse, & se non regnare in hoc mundo: quod est idem ac dignitatem affirmasse, & negasse exercitium. *Secundum* etiam patet: quia Dominatus propriè humanus, & Regnum ejusdem ordinis cum terrenis, sunt valde imperfecta, nec fundantur in titulo multæ perfectionis: at Christo debet attribui Dominatus universalissimus, & perfectus, utpote fundatus, & nixus in unctione substantiali Divinitatis: ut omittam alios multæ perfectionis titulos, nempe Redemptionis infiniti meriti, Filiationis naturalis, &c.

§. III.

OBIECTIONES OPPOSITÆ.

51 OBjicies primò pro primâ Sententiâ, & tertiâ contra nostram Dignitas Regia, saltem dominativa, conjuncta esse debet cum divitiarum abundantia, & repugnat paupertati: atqui Christus pauperrimam vitam elegit: ergo caruit potestate Regiâ, saltem dominativâ. Minor constat ex *Evangelio*. Major probatur quoad primam partem: quia Dignitas Regia perse facit hominem venerabilem: paupertas verò facit contemptibilem: nihil hîc esse tam in prophanis, quàm in Sacris literis magis obvium. Probatur etiam quoad secundam partem: quia perfectissima paupertas, qualem Christus docuit, & coluit, non solùm excludit usum, sed etiam dominium temporale: nam

opu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

opulentia, quam excludit, non solùm consistit *in* usu, sed etiam in temporali dominio: imò in isto potissimùm.

52 Confirmatur Authoritate Summorum Pontificum Nicolai IV. *in cap. exiit. de Verborũ significatione in 6.* & Ioannis XXII. *in extravagantibus: cum inter nonnullos, & quia quorundam* Quorum *prior* definit Christum exemplo docuisse paupertatem, quæ omni simul dominio privat. *Posterior, Christum paucarum rerum habuisse dominium* ubi manifestè supponit non habuisse omnium. Quæ duo Pontificum Decreta, ut rectè ponderat Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pontific. cap* 14. conciliari non possunt, nisi dicendo Christum aliquando carnisse omni dominio, ut *in Cruce*; & aliquando tenuissimo potitum, ut cum *habuisse loculos* legitur, ad alendos discipulos: sit ergo planè Christum non habuisse Potestatem Regiam in omnia, saltem dominativam.

Nicol. IV. Ioan XXII

Bellarm.

53 Respondeo Distinguo majorem: Potestas Regia dominativa ordinis inferioris, & purè humana, & quidem juris dati propter usum, & in actu secundo, concedo: Potestas excellens, & humanâ superior, data non propter usum, sed propter Personæ dignitatem, & in actu primo, nego. Itaque potestas purè humana, ut quæ datur propter usum, præ imperfectione sui ordinis, eget extrinsecis bonis, & eorum usu, ne reddatur contemptibilis, non ita dignitas excellens, qualis in Christo fuit. Nec ista, maximè in actu præcisè primo, & quoad præcisam potestatem juris repugnat cum perfectissima paupertate: licèt illa repugnet: nam potestas purè humana est propter usum, qui paupertati repugnat, atque adeò semper sapit usum rerum ad quem maximè ordinatur: non verò sic se habet Potestas excellens, data propter dignitatem naturalem Personæ. Ex quibus patet ad ipsam confirmationem: nam hi Pontifices manifestè loquuntur de dominio per se utili, & inferioris ordinis, quale est inter homines. & in hoc sensu, quin vel levissimè ferri possit Sententiæ nostræ veritas, admitto concordiam excogitatam à Bellarmino.

54 Objicies secundò: si Christus temporale dominium, & regnum haberet, haberet utique ex aliquo titulo: quisnam is? Nullus enim apparet: nam communes sunt, *jus belli justi, successionis, occupationis, electionis* Respondeo Christum habuisse dominium ex titulo, & quidem excellentissimo: nempe *ex titulo Patrimoniæ Donationis*, non quidem supervenientis ad *Unctionem substantialem*, & Gratiam Unionis, sed indispensabiliter consistentis in ipsâ: unde hæc potestas excellens, & in actu primo, qualis à nobis adstructa est, non potuit unquam Christo deesse.

55 Objicies tertiò: quia si Christus fuisset hujusmodi Rex, contulisset etiam suo Vicario regnũ hujusmodi temporale: unde Summus Pontifex esset etiam universalis Rex terræ *civiliter, & politicè*. Nego sequelam: nam ne in spiritualibus quidem, in quibus accepit vicariam potestatem, non dedit ipsi Christus omnẽ quam ipse habuit, ut est compertissimum.

56 Objicies quartò. Nam si Christus foret temporalis Rex Universi, potestate dominii, & non solùm potestate jurisdictionis, essent plures simul rei ejusdem domini in solidum: quod communiter censetur *apud Iurisconsultos* absurdum: imò omnes Reges vel tyranni forent, vel vicarii Christi. Satius ergo est admittere quòd Christus habeat potestatem jurisdictionis, & non dominii. Sic arguit Vazquez, cui fateor separari posse has potestates: tamen æquale malum forè: nam neque ipse vitare potest, ne ejusdem Regni sint simul in solidũ duo Reges: quod æquè videtur repugnare, ac dari duos in solidum Dominos. Respondeo igitur, concedendo forè, ut essent duo in solidum Domini rei ejusdem, non tamen in eadem dominii specie, de quâ loquuntur *Iurisperiti*, sed in diversâ, in quâ simultas negari non potest; cùm Deus sit Dominus omnium. Adde, Reges, in spiritualibus quidem non posse dici Vicarios Christi: in temporalibus posse dici Vicarios, non designatos, sed permissos ex *num* 38.

P. Vazq.

57 Objicies quintò: fieri exinde, quoties nos utimur aliquâ re contra Christi voluntatem, committere peccatum furti, & injustitiæ contra ipsum. Nego sequelam: quia quousque Christus cedit actui secundo, seu usui sui juris, contentus actu primo, & excellentiâ, & dignitate Dominii, relinquit res in statu, quo antea erant, ac proinde eodem modo licitas vel illicitas. Excipe res aliquas, in quas specialiter applicuit Dominium proximum, putà eas, quas pro alendis Apostolis reservabat. Aliqui putarunt ex his etiam esse bona Ecclesiastica, quasi dominium directum earum esset unicè in Christo: sed hos bene rejicit Pater Molina *tom. 1. de*

P. Molina;

*de Iust. tract.2. disp.*143. docens eorum dominium esse penès Ecclesiam, ad quam specialiter spectant: appellatique *Patrimonium Christi*, quia specialiter ad ejus cultum, obsequium, & honorem, & ob ejus amorem donata sunt.

P. Amic.

58 Quærit hic specialiter Pater Amicus *disp.31. sect.* 1. an insuper dicenda sit Christo, *quà homini*, concessa ita plena potestas in omnia, ut posset vel res novas condere, vel creatas destruere pro libito, independenter à salute animarum, & contestatione miraculorum: nam ad hos fines, & indirectè potuit: & reipsà fecit, ut in Evangelio legitur. Ipse respondet Negativè. Ego affirmandum censeo: Primò: quia id cedit in majorem gloriam Christi: tùm quia videtur significari ab Scripturis: ubi dicitur *data Christo omnis potestas*: Tùm etiam quia videtur sequi ex assertâ plenitudine Dominii. Secũdò quia Christo quà Filio, debitum est participiũ potestatis paternæ, quanta sit possibilis: at, *quà homini*, convenit etiam Christo esse Filium. Hæc sint satis.

DISPVTATIO VII.

CHRISTI DOMINI POTENTIA.

S. Thomas.

1 POTENTIAM Christi hìc cum Theologis ex Sancto Thoma nomino, *Eximiam quandam facultatem ad Admirabiles etiam Effectus, qui Naturæ humanæ vires ordinarias longè superant.* Et quidem, cùm duo omninò certa sint, *Alterum*, Omnipotentiam, mediante hypostasi, seu ratione hypostasis, & *prout in Verbo*, unitam Humanitati Christi: *Alterum*; Christum, operatum esse aliquos effectus omninò mirabiles; exurgit controversia multiplex de Potentia communicatâ Humanitati, deque ejus influxu ad opera miraculosa: quæ omnia brevi resolvenda sunt: addito nostro de *Potentiæ obedientialis*, quæ hìc maximè tangitur, *sphærâ*, judicio, quod insinuavimus passim in præcedentibus.

SECTIO I.

AN CHRISTVS, VT HOMO, SIT VI unionis Omnipotens: & quousque ab unita Omnipotentia reddi possit potens Humanitas?

§. I.

DAMNATIS VBIQVISTIS, QVÆSTIO proponitur: & Sententia.

Vbiquistarum Error, ex Valent.

2 SEcernendus est in præsenti, Vbiquistarum error, ab Opinionibus inter Doctores Theologos catholicè cõtroversis. Vbiquistæ, teste P. Valentia *tom.* 4. *disp.* 1. *quæst.*2. *part.*3. hærentes Nestorio, & Eutycheti, ita confundunt Proprietates utriusque Naturæ in Christo Domino, ut censeant explicari non posse vim Unionis, nisi per omnimodam transfusionem, & communicationem Denominationum unius Naturæ in alteram; ita, ut Natura Humana in Christo Domino, ex vi unionis, maneat intrinsecè particeps denominationum, quas à suis attributis habet Divina; atque adeò maneat immensa, omnipotens, & infinita. Sed hic error, stolidus est, ut planè convincunt ipsi Valentia *loc. cit.* & Cardinalis Bellarminus *tom.*4. *Contr. lib.*3. *de Incarn. a cap.*9.

Valentia. Cardinalis Bellarm.

3 Et *primò* quidem: quia si energia Unionis explicari nequit sine confusione, & transfusione Proprietatum, & Denominationum unius Naturæ in alteram: etiam proprietates, & denominationes Humanæ Naturæ transfunderentur in Divinam: quod sine de-

deco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

decore Dignitatis cogitari non potest. Secundò: quia non est in quavis unione possibilis energia ad fundandam denominationem, si non supponitur in subjecto, seu quasi subjecto, capacitas: sed in Naturâ Humanâ non est capacitas ad denominationes hujusmodi: nempè Omnipotentis, Æternæ, & Immensæ. Tùm quia capacitas ad hujusmodi denominationes est infinitudo in esse. Tùm etiam, quia denominatio Omnipotentis, (ut de hac loquar) dicit activitatem omnis entis à Deo distincti, & quidem independentem ab arbitrio, & concursu alterius: ergo non est possibilis in ullâ Unione capacitas ad fundandas in Humanâ Naturâ Denominationes hujusmodi. Sed hoc errore sepositò

4 Triplex manet Catholicis Doctoribus quæstio: *Prima* est: an Christus, *ut Homo*, seu Humanitas ex vi Unionis reddita sit ita potentior, vel ab ipsâ Omnipotentiâ, vel ex debito facultatum, aut Divini Concursûs ad omnia, ut in aliquo genere verè dici possit Omnipotens? *Altera* est: an formaliter per ipsam Omnipotentiam, ex vi Unionis, reddita sit, vel reddi potuerit Humanitas physicè potens ad aliquos effectus, atque adeò ad omnes, ab ipsâ Humanitate distinctos, & consequenter ad infinitos. *Tertia* est: an ex Hypothesi, quòd reddita sit, vel reddi potuerit per ipsam Omnipotentiam potens ad infinitos effectus; id sufficiat ut dicatur simpliciter infinitè potens, atque adeò aliquomodo physicè Omnipotens?

5 Et in primâ quæstione, Prima sententia tenet Humanitatem Christi Domini ex vi Unionis redditam fuisse physicè potentiorem, non tamen eo gradu, ut *Omnipotens* dici possit: ita Richardus, & in parte Bonaventura. *Secunda* tenet, ex vi Unionis debitas fuisse facultates activas ad omnia, eas tamen non habuisse: Ita Martinonus. *Tertia*, quomodocumque sit, Humanitatem Christi saltem moraliter posse dici ex vi Unionis Omnipotentem ex debito Divini concursûs ad omnia: ita idem Martinonus post Suarez.

Richard.
Bonavent.
P. Martin.
Idem, & P. Suarez

6 In secundâ quæstione, quæ magis speculativa est, sententia communis negat, & *Posse, & factum* Aliqui ausi sunt affirmare utrumque: nec quoad *posse* satis dissentiunt alii cum Lumbier, fassò posse Humanitatem formaliter reddi potentem aliqua per ipsam Omnipotentiam, cui tandem applaudit, & accedit Pater Thomas Munieſſa *de Essentiâ, & Attributis disp. 9. sect. 1. nu. 12.*

Lumbier.
Munieſſa.

7 In tertiâ quæstione fuit singularis aliorum opinio, qui datâ hypothesi, primò colligunt Humanitatem Christi dici debere simpliciter infinitè potentem: sicut enim non esse æquè sanctam, ac Deus est, non tollit quominus, dici possit simpliciter infinitè Sancta: ita, non esse æquè potentem, ac est Deus, non est cur tollat quominus dici possit simpliciter infinitè potens. Inde secundò colligunt, cùm denominatio simpliciter infinitè potentis, solius Omnipotentis sit, & à solâ Omnipotentiâ venire possit, Humanitatem Christi dici posse ex vi Unionis quodammodò physicè Omnipotentem: & pro se advocant inter alios Patres Damascenum, & Nicætam, quorum loca explicat Pater Vazquez *tom. 1. in 3. part. disp. 57. cap. 1.*

Damasc. & Nicæt. Vazquez.

§. II.

QVAM POTENS CHRISTI HVMANITAS ex vi Vnionis?

8 PRima Conclusio: Humanitas Christi Domini non est physicè potentior reddita, ex vi Unionis præcisè: neque ex vi Unionis accepit facultates activas ad omnia: fuit tamen ex vi Unionis *moraliter Omnipotens*, ex debito Divini Concursûs ad quæcumque vellet: idque habitualiter, & quasi permanenter, & incassabiliter *à primo Instanti Unionis.* Conclusio est *quadrimembris.* Richardus: Ostenditur prima pars contra Richardum: quia Unio hypostatica non est activa physicè, neque formaliter confortativa virium Assumptæ Naturæ: ergo Assumpta Natura, ex vi Unionis præcisè, non potuit reddi formaliter physicè potentior. Consequentia patet: quia sine augmento virtutis, nequit virtus augeri, ut ex terminis patet. Antecedens autem constat: quia Unionis munus non est agere, neque Hypostasis Divinæ, formaliter communicatæ per Unionem est munus aliud quàm naturam reddere subsistentem.

Richardus:

9 Secunda pars probatur: quia Christus Dominus elegit vitam passibilem, & obnoxiam lædentibus, cedendo, propter nos, Dotibus gloriosi Corporis, alioquin sibi debitis ex gratiâ Unionis: ergo ex vi Unionis non accepit facultates activas ad omnia. Antecedens est de Fide: & consequentia probatur: quia activæ illæ facultates ad omnia fuissent omninò otiosæ in Humanitate, constanter amplexa actus repugnantes hujusmodi facultatibus: ad quid ergo facultates, quorum se usu Christus Dominus propter nos privare voluit? essent enim actus primi permanenter conjuncti cum ordinatio actu secundo repugnante?

10 Tertia pars probatur: quia ex vi Unionis Assumpta Humanitas habuit paratum, & expeditum concursum Divinæ Omnipotentiæ ad quæcumque efficaciter vellet: ergo ex vi Unionis manet infinitè moraliter Potens, & quasi moraliter Omnipotens. Consequentia patet: quid enim est esse moraliter Omnipotentem, nisi omnia posse ex arbitrio suo? sicut enim esse reipsâ Omnipotentem est omnia posse ex arbitrio suo: ita esse quasi Omnipotentem, est ex arbitrio suo posse, quòd omnia fiant. Antecedens autem probatur, primò ex *latè* ponderatis *suprà*, cùm de Optione datâ Christo Domino locuti sumus: ibi enim dictum est non aliter intelligi posse illas Scripturas, in quibus dicitur, *in manus* Christi Patrem *dedisse omnia: datam ipsi omnem potestatem in Cælo, & in terra: tradita ipsi à Patre omnia: directam esse in manu ejus, voluntatem Dei.* Vide *lib. 4. disp. 6. sect. 1.* Secundò ex Christi Domini dignitate, & ex amore, quo Deus comitatus est Unionis donum: quæ singula spatiosè expensa sunt *loc. cit.*

Suprà lib. 4. disp. 6. à sect. 1.

11 Quarta pars probatur: quia hæc *quasi moralis Omnipotentia* data est Christo Domino quasi proprietas Unioni debita, consequens Personæ dignitatem: nec ulla est ratio cur differretur, aut cur aliquando cessaret: Finis enim Redemptionis, non eguit istius privationis medio: ergo fuit in Christo Domino ab Unionis instanti permanenter, & incessanter. Antecedens probatur ex superdictis: & consequentia probatur: quia Christus Dominus, estò liberè cesserit propter nos, innumeris donis alioquin debitis, & elegerit vitam planè miraculosam: ut propter nos pateretur, non cesserit aliis donis, quæ cum vita passibili, & lædentibus obnoxia componi possunt: at hujusmodi est hæc quasi moralis Omnipotentia: ergo.

§. III.

AB OMNIPOTENTIA NEC POTENS NEC Omnipotens reddi potest ex solâ vi Vnionis.

12 SEcunda Conclusio. *Ex vi Unionis*, quamvis immediatè unientis Omnipotentiam, neque reddita est, neque reddi potuit Humanitas assumpta *physicè potens* ad ullum effectum, per ipsam Omnipotentiam, tanquam *per rationem formalem* reddendi *potentem*. Hæc est directè contra aliquos Modernos, & contra Lumbier, & Munieſſa, & ex parte contra Godoy. Rationes sæpè tetigi tùm *lib. 1. disp. 1. sect. 3. & disp. 5. sect. 2.* tùm demum *lib. 4. disp. 1. sect. 1.* ubi assignata est multiplex disparitas inter Attributum Sanctitatis, & rationem subsistentiæ & inter alia Attributa Dei. Nihilominus, urgendo, & illustrando quæ *ibi* sparsa sunt

Adversus Lumbier. Munieſſa. Godoy. Ex suprà lib. 1. disp. 1 à nu. 61. & disp. 5. à nu. 86 & lib. 4. disp. 1. nu. 13.

13 Ostenditur primò Conclusio à paritate: Repugnat Humanitatem assumptam, ex vi unionis ad Immensitatem, & Æternitatem, reddi formaliter per ipsas correspondentem huic loco, vel tempori, tanquam per formalem rationem durandi, aut ubicandi: ergo pariter repugnat ex vi Unionis ad Omnipotentiam reddi formaliter potentem ad aliquid, tanquam per rationem formalem. Consequentia patet: cur enim potius repugnet ab illis Attributis limitata denominatio, quàm ab isto: cùm in Naturâ sit capacitas ad limitatas denominationes hujusmodi?

14 Antecedens probatur: quia repugnat ex unionis vi refundi formalem effectum Immensitatis, & Æternitatis in Humanitatem, infra capacitatem istius: nam Denominatio à forma, seu quasi forma physicè limitari non potest, nisi vel à limitatione formæ, vel à limitatione capacitatis: forma enim apta denominare in aliquo genere, denominat subjectum, seu quasi subjectum quantùm est capax: ergo repugnat limitatè refundi quoad effectum unicè correspondendi huic loco, vel tempori, si alioquin ea attributa possunt ex vi unionis communicare formalem effectum. Patet ista consequentia: quia & Attributa sunt ampliora in denominando: & Humanitas ampliotis capacitatis.

15 Modo sic: sed repugnat ex vi Unionis assumptam Humanitatem, reddi correspondentem, quot instantibus, & quot locis potest, per æternitatem, & immensitatem: ergo & repugnat ex vi unionis reddi limitatè correspondentem huic loco, vel tempori. Minor subsumpta probatur: ad repugnat, quod, si foret possibile, esset ex hypothesi necessarium, & datâ hypothesi, non contingit. Sed ex hypothesi unionis ad immensitatem, & æternitatem, non succedit effectus ille formalis in Humanitate, ut est de

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fide contra Vbiquistas ; & succederet, si possibile esset: nam, datâ Vnione communicante, undenam impediri posset, sicut impediri non potest albi denominatio, positâ unione albedinis ad subjectum capax?

16 Ostenditur secundò à priori: Virtus, quæ ex se solùm ex imperio potest operari, solùm potest ratione unionis reddere & denominare potentem eum, ex cujus imperio operari potest ex se : atqui Divina Omnipotentia essentialiter est virtus, quæ solùm ex se ex imperio Divinæ voluntatis operari potest: ergo ratione Vnionis, seu habitionis intrinsecæ solùm potest denominare potentem Deum. Ergo quantumvis uniatur assumptæ Humanitati, nequit ipsam denominare ratione Vnionis potentem ad aliquid. Ista consequentia sequitur : quia Vnio non subordinat imperio Humanitatis Assumptæ Omnipotentiam: stante enim quavis unione, si non accedat Decretum Divinæ Voluntatis, Omnipotentia nihil faciet: imò accedente Decreto, quantumvis nulla sit Vnio, elevabit naturam ad quamvis operationem oriundam à natura : ergo quamvis uniatur Assumptę Humanitati, quoad effectum denominandi, est quasi non uniatur. Tota difficultas est in primo syllogismo: cujus consequentia bene sequitur.

17 Probatur major : tùm ab inductione omnium aliarum facultatum : potentia enim locomotiva Angelica, nequit Humanam Naturam denominare, quantumvis ipsi unita, quia solùm obedit imperio Angeli. Voluntas Petri, quantumvis ejus Anima uniretur Paulo, non denominaret hunc potentem velle, quia est facultas subdita imperio Petri in operando : ergo virtus solùm operans ex imperio, solùm potest denominare potentem eum, qui posset imperare. Tùm à priori: nam virtus, quæ solùm ex imperio operatur, est quasi non esset, si desit imperium, quoad effectum operandi: si enim desit imperium, necessariò est otiosa: ergo pro capacitate denominationis requiritur potestas imperandi: ergo solũ potest denominare potentem, eum, qui posset imperare. Minor autem primi Syllogismi est evidens : nam omnipotentia nulli subest, & imperari non potest nisi ab ipso Deo : neque à quoquam determinari, nisi Deus libere sinat in manu alterius, ut se gerit cum Agentibus liberis.

Loc. supr. cit. lib. 1. & 4.

18 Illustratur hæc ratio, huc reducendo quæ *alibi* tetigi circa rem præsentem : Effectus formalis potentis ab Omnipotentiâ, ut tali, est posse independenter ab alio: sed neque ad omnia, imò neque ad factibile quidquam competere potest Creaturæ, posse independenter ab alio: ergo neque competere potest formalis effectus potentis ab ipsâ Omnipotentiâ : ergo quantumvis uniatur, nequit Humanitatem assumptam denominare ratione Vnionis potentem ad aliquid. Consequentiæ benè sequuntur. Minor est evidens : quia Vnio Omnipotentiæ tollere nequit, ne Humanitas operans alioquin, operetur dependenter à Deo. Major patet: nam eò differunt participatæ virtutes à summa, quæ est Omnipotentia : ut istius quasi formalis effectus esse debeat *posse omnia, & quid quam potest posse independenter ab alio*, secus verò virtutes participatæ: unde Virtus Omnipotentiæ, dicitur *Virtus Independens* : non ita finitæ, & limitatæ. Vnde

19 Ostenditur tertiò à priori conclusio. Vnio physica perfectionis ad subjectum, seu quasi subjectum, ubi non est capacitas accipiendi formalem effectum talis perfectionis Vnitæ : est quasi non esset, quoad derivandum talem effectum formalem; atqui in Creatura, atque adeò in assumpta Humanitate, non est capacitas accipiendi formalem effectum Omnipotentiæ, quà talis : ergo Vnio physica Omnipotentiæ ad Creaturam, seu ad Humanitatem Assumptam, quoad derivandum formalem effectum potentis, est quasi non esset: ergo ex vi unionis, &c. Major est evidens : quia forma in subjecto incapaci est quasi non esset: unde calor, quantumvis unitus Angelo, non reddit calidum.

20 Minor, in quâ est difficultas, probari solet primò : quia respectu formæ indivisim præstantis formalem effectum, qui non est capax formalis effectus indivisim à forma præstabilis, nõ est capax denominari à tali forma : neque enim partiri potest unio, & quasi dimidiare formalé effectum formæ, alioquin ex se aptæ generaliùs denominare : sic per cognitionem indivisibiliter apprehensivam, & judicativam, non est capax cognoscendi, qui non est capax judicare, licèt apprehendere possit: sed Creatura non est capax formalis effectus Omnipotentiæ, qualis indivisim ab ipsâ formaliter præstari potest : neque enim reddi potest activa omnium factibilium, cùm ex factibilibus, unum sit ipsa: ergo nec est capax ex vi unionis accipiendi formalem effectum Omnipotentiæ. Sed hæc probatio suas instantias habet: eâque in suâ probabilitate relicta

Pro-

21 Probatur secundò Minor: Tùm quia capacitas ad denominationem potentis oriũdam ab aliquâ virtute, dicit distinctionem à termino connaturali talis virtutis, ut videtur per se notum; atqui in nullâ creatura dari potest distinctio à connaturali termino Omnipotentiæ : quia non datur distinctio sui à seipsa: ergo neque capacitas. Tù etiam quia capacitas ad denominationem potentis, ut oriundam ab aliquâ virtute, dicit vim imperativam talis virtutis, si virtus ex imperio debeat operari; atqui in nullâ Creaturâ potest dari hujusmodi vis imperativa respectu Omnipotentiæ: ergo neque capacitas. Tùm demum quia sicut posse supponitur ad esse: ita perfectio, & quasi quantitas in esse debet esse capacitas ad posse : ergo si posse est infinitum, & infinitè contentivum cujusvis, & omnis esse : nequit dari capacitas nisi in infinitâ quantitate perfectionis in esse : hæc repugnat Creaturæ, ut perse patet: ergo capacitas. Hujus postremi discursus in ordine ad denominationem potentis, quidquid sit de aliis denominationibus sit, fundamentũ est: quia posse est in ordine dandi: & præsupponit in esse excessum perfectionis præ contentivum eorum, quæ danda sunt : nemo enim dat quod non habet. qnomodo autem infinitum posse, potest proportionari cum esse finito?

22 Tertia Conclusio : Si *ex vi Vnionis* potest assumpta Humanitas reddi per Omnipotentiam formaliter *potens ad aliquid*, reddita fuisset *ex vi Vnionis potens ad omnia factibilia*, præter se ipsam, atque adeò infinitorum factibilium, & simpliciter infinitè potens, & aliquomodò physicè Omnipotens. In hoc convenio cum Doctis Salmăticensibus, & juxta principia communia de generalitate Potentiæ Obedientialis videtur, *data hypothesi*, innegabile.

23 Nam prima pars probatur: Omnipotentia enim, si semel denominare potest ex vi Vnionis, necessariò denominat, quantùm potest: sed potest omnia factibilia, præter se ipsam : quia in Humanitate sustineri potest, juxta principia de potentiâ obedientiali, capacitas ad tam generalem denominationem: ergo. Secunda patet: quia infinitum factibilium, non desinit esse infinitum, per sublationem unius, qualis esset Humanitas ipsa. Tertia probatur: quia posse quantum est factibile, præter se ipsum, est posse simpliciter infinitè. Tùm quia sicut infinito non tollit rationem infiniti, defectus unius: sicut generalitati, rationem generalitatis unius exceptio ; sic nec *posse* tollere potest rationem simpliciter infinitè posse, unius exceptio. Tùm demum: quia licèt Humanitas non sit æquè Sancta, ac est Deus, ex vi Sanctitatis increatæ ; est tamen infinitè simpliciter Sancta, in aliquo vero genere: ergo licèt non esset æquè potens ac est Deus, esset in aliquo vero genere simpliciter infinitè potens. Quarta demum pars probatur. Quia denominatio Omnipotentis solum dicit omnia posse, præter seipsum. Tùm quia verè dicitur Spiritus Sanctus omnipotens, licèt non sit potens omnia producibilia producere. Tùm quia non aliter de creaturâ potest omnipotentia prædicari.

§. IV.

DEFENDITVR DOCTRINA PRÆCEDENS

24 Objicies primò cum Vbiquistis, & ex parte cum aliquibus catholicis contra primam conclusionem. Tùm illa verba Matth. ultim. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terrâ.* Tùm illa Ioannis 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* Qui locus uterque de Christo intelligitur, *qui homine*: & de Potentiâ Patris communicatâ Humanitati: sed Potentia Patris est Omnipotẽtia: ergo. Vrgetur ex SS. Patribus: nam imprimis Glossa ad illud Lucæ 1. *Hic erit Magnus* : *sic* ait: *quia Potentiam, quam Filius Dei naturaliter habet, homo ex tempore erat accepturus.* Deinde Damascenus *lib.5. de Fid. cap.8.* sic ait de Humanitate : *post unionem ipsa quoque omnia poterat*: ergo erat omnipotens. Denique Nicætas *lib.3. Thesaur. cap 38. num. 5.* sic ait de ipsa Humanitate : *ita Divinitatis dotes accepit, ut Omnipotens esset, & omnia cerneret.*

Matth. ult. Ioann. 13.

Luc.1. Glossa.

Damasc.

Nicætas.

25 Vnde fulcitur objectio. Æquè dicitur Humanitas à Nicæta *Omnipotens*, ac *omnia sciens* : sed simpliciter est *omnia sciens* : ergo & omnipotens. Quod & urgeo: Non est infinita minùs Dei scientia: quam Potentia Dei: sed scientia communicatur ita ut Humanitas omnia sciat, quæ Deus scit, sive per Increatam, sive per creatam notitiam : ergo Potentia ita communicatur ut omnia possit, quæ potest Deus, sive per creatam, sive per increatam Virtutem.

26 Respondetur. Ea duo, & similia loca, (quæ ex *suprà* dictis multiplicem sensum habent) in præsenti satis impleri per illam

Suprà ex 1. Conclus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mens Closs. Damascen. Nicat.

quasi moralem omnipotentiam quam explicuit nostra prima positio. Neque aliud, loquendo ultra communicationem idiomatũ, & de Humanitate abstractè sumptà, possunt assequi Glossa, Damascenus, & Nicetas. Ad primam confirmationem, dico, licèt æquè loquatur de omnipotentia, ac de scientià Nicetas, cum accomodà attributione intelligendum, id est, *modo possibili*: & eo, quo diximus in assertione, Humanitas omnia potuit: sed alio planè modo scivit omnia: nam *scire* non est denominatio compensabilis per aliquid extrinsecum.

27 Ad secundam, concessis præmissis, nego consequentiam: quia Christus sponte privare se voluit actu secundo earum facultatum, quas habere potuit: velle autem privare se actu sciendi, non erat decens, neque congruum. Deinde ex Doctrinà Sancti Thomæ, prima disparitas à scientia ad potentiam est: quia *scire* non dicit præcontinentiam rei scitæ, sicut *posse*, respectu rei producibilis: cum autem in ente finito repugnet entitativa præcontinentia termini ab Omnipotentia producibilis, inde est quòd repugnet denominatio. Secunda: quia Denominationis ab Omnipotenti non est in creatura capacitas, *ex nu.19.* est tamen capacitas denominationis à scientia: se enim ipsam cognoscere potest; non producere.

S. Thomas. & suprà disp.3. nu. 77.

Relege nu.19.

28 Objicies secundò contra secundam. Potest uniri Omnipotentia Assumptæ Humanitati sub conceptu Omnipotentiæ, & per modum principii quo, ita ut præstet specialem suum quasi formalem effectum: ergo potest Assumpta Humanitas reddi formaliter physicè potens ab Omnipotentia ex vi Vnionis: ergo reddita sic est. Consequentia patet: quia non est Christo Domino debenda possibilis gloria. Prima etiam constat: quia specialis effectus quasi formalis Omnipotentiæ est denominare potentem: vel ergo implicat communicari Creaturæ formalem effectum Omnipotentiæ, vel non ipsam reddi formaliter ab Omnipotentià potentem. Antecedens igitur ostenditur. Primò: Major est vis Vnionis physicæ, quàm moralis: sed moralis Vnio, in extrinsecà elevatione consistens, sufficit ut per Omnipotentiam formaliter reddatur creatura simpliciter potens: ergo magis sufficiet Vnio physica. Quæ ratio urgetur sic: Omnipotentia extrinsecè assistens, juxta nos contra Scholam Thomisticam disputantes, facit vicem intrinseci comprincipii: sed per intrinsecum comprincipium redditur creatura formaliter physicè potens: ergo & per Omnipotentiam.

29 Antecedens principale ostenditur secundò: Divina Omnipotentia continet in se omnes effectus, & omnes speciales virtutes ad omnes effectus: ergo unita formaliter Humanitati præstat effectum quasi formalem potentis. Probo consequentiam tum à priori, quia si Humanitas accipere potest formalem effectum potentis ad aliquid, à virtute particulari: quanto magis à virtute superexcedente? Tum à pari. Ideò negari nequit præstari posse Humanitati à Divinà Sanctitate, & à subsistentià Divinà, formalem effectum, Sancti, & subsistentis: quia Divina Sanctitas æquivalet per perfectionem superexcedentem omni Sanctitati particulari; & omni creatæ subsistentiæ, Divina subsistentia; atqui Omnipotentia æquè æquivalet omni virtuti particulari, per quam creatura reddi potest formaliter potens: ergo pariter reddi potest simpliciter potens ab Omnipotentia.

30 Ostenditur tertiò antecedens principale. Potest uniri Divina Sanctitas sub ratione Sanctitatis, & sub ratione subsistentiæ, Divina subsistentia: ergo pariter Divina omnipotentia sub ratione Omnipotentiæ. Probatur consequentia: sicut Natura assumpta est capax subsistendi, & est capax Sanctificationis, infra gradum, in quo Deus est Sanctus, & est subsistens, ita est capax reddi potentem infra gradum in quo Deus est potens: atqui infra illum gradum in quo Deus est Sanctus, & subsistens, & juxta capacitatem ipsius, redditur Humanitas subsistens, & Sancta: ergo etiam infra illum gradũ, in quo Deus est potens, potens redditur ab omnipotentià juxta capacitatem ipsius. Neque valet dicere, non esse in Humanitate Capacitatem ad effectum formalem Omnipotentiæ. Primò: quia hoc effugium præoccupatum est, ipsà objectionis formà, & est ipsà quæstio. Secundò: quia licet in Humanitate non sit capacitas ad formalem effectum Sanctitatis increatæ, & increatæ subsistentiæ, qualis ab ipsis in Deo est, accipit eum effectum ab ipsis Humanitas, juxta capacitatem quâ potest Sanctificari, & reddi subsistens: sed capax est, ut reddatur potens: ergo juxta hanc suam capacitatem, potest reddi potens ab ipsà Omnipotentià, estò non sit capacitas ad effectum formalem omnipotentiæ, qualis in Deo est.

31 Respondetur. Et nego antecedens, juxta tenorem secundæ conclusionis. Ad primam probationem: distinguenda est major: major est vis, quoad aliqua, concedo: quoad omnia, nego: major enim est vis in unione morali, quam habent actus Christi cum ipsius dignitate: quàm ea, quam habet Vnio physica Humanitatis ad Divinitatem: nã in ordine physico Humanitas non manet physicè infinitè simpliciter summa exphysicà Vnione: & tamen actiones Christi, ex illà Vnione morali, sunt infinitè simpliciter summæ. Vnde concessâ in vero sensu minori, negetur consequentia: & ratio petenda est semper ex qualitate Denominationũm, & ex naturà Formarum, seu quasi formarum. Si enim moralis Vnio magis applicet formam, quoad effectum Denominationis, quàm physica: minor erit respectivè vis in physicâ Vnione, quàm in morali: & sic contingit in præsenti: nam unio moralis, quæ talis hîc dicitur, consistit in Decreto Divinæ voluntatis appropriante, & attemperante Omnipotentiam ad defectum virium quê habet elevata potentia: & quoad hunc effectum appropriandi, & attemperandi sic omnipotentiam, efficacior est vis Decreti Divini, cujus est imperare virtutem Omnipotentiæ, quàm ullius physicæ Vnionis: quia respectu formæ liberè præstantis effectum, nihil potest unio physica? sic parùm prodesset unio caloris ab subjectum quoad denominationem calidi, si calor esset pendens à libero imperio ad exequendam calidi denominationem. Vnde patet ad confirmationem: concessis enim quæ dicuntur, negatur dari paritatem.

32 Ad secundam probationem, cõcesso antecedente, nego consequentiam: nam licèt contineat omnes virtutes particulares, nõ ita continet, ut subdita sit imperio, & voluntati illas habentium ut ipsæ subditæ sunt: hæc enim imperfectio facultarum particularium non est in omnipotentià, solùm ex imperio Divinæ voluntatis operatrice, atque adeò solùm eam potente denominare potentem. Vnde patet solutio ad primam probationem consequentiæ. Ad secundam data est sæpè disparitas præsertim *lib. 1. & lib. 4.* Addo nunc aliam, asserendo non eam, quæ assignatur in argumento, esse rationem: sed quia de ratione Perfectionis, eòipsò quòd unibilis sit cum ente perfectibili, est ipsum perficere *per necesse*: unde si ens sit substantialiter perfectibile in genere tum physico, tum morali, manebit ab aptâ perfectione completum & perfectum: at non est de ratione Virtutis, quę identicè unitur, perficere in ratione potentis, si virtus sit solùm apta denominare Naturam potentem imperare: nam Vnio non affert hanc imperandi vim. Relege loca citata.

Vide marg ad nu.12.

33 Ad tertiam, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad cujus probationem, distinguo secundam partem majoris: ita est capax reddi potentem per virtutem ipsi subordinatam ex se in operando, concedo; per virtutem ex se independentem ab imperio ipsius naturæ cui unitur, nego: & concessa minori, nego consequentiam. Patet autem ex præcedentibus multiplex ratio, cur Humanitas sit positivè incapax, ut ab omnipotentià, quantumvis physicè unità, reddatur potens ad quidquam. Contra tertiam assertionem, nihil momenti diluendum occurrit.

SECTIO II.

AN HVMANITAS PHYSICE POTVERIT ad miracula Christi concurrere? Vbi Nostrum de Potentia Obedientiali judicium.

§. I.

POSITIS, QVÆ CERTA SVNT, INSTITUITUR QUÆSTIO.

34 INter effectus miraculosos, alii sunt purè morales, & alii physici: & inter physicos, alii sunt Vitales, & de genere Vitalium; alii, non Vitales, sed purè physici. Non potest esse quæstio de effectibus primi generis: nam ad effectum purè moralem, qualis est remissio peccatorum, quomodo potest Humanitas physicè concurrere? neque potest esse quæstio de effectibus Vitalibus; nam ad ipsos necesse est, quòd Humanitas physicè immediatè concurrerit. Vnde reducitur tota quæstio ad alios effectus miraculosos purè physicos: & ante ipsius resolutionem

Error Iudæorum, & alter Avicen.

35 Explodendus est triplex error. Primus est Iudæorum arti Magicæ tribuentium miracula Christi. Alter Apostatæ cujusdam ea tribuentis temperamento Corporis: quò reducitur soliditas Avicennę tribuentis miracula Christi activitati Imaginationis. Iudæorum error ex *aperta malitia* ortus est: quando enim Dæmones mortuos semper tri-

dos

Universidad de Deusto
Biblioteca

dos resuscitavere? Quando cæcis à Nativitate, Visum; & sanitatem desperatis dedêre? Et quomodo Regnum Dœmonum dispulit, & destruxit sine vero miraculo? Iam alter error, *fatuus* est: quomodo enim, temperamento Corporis, Dœmones abigere, firmare gressus super aquas, salutem, & vitam restituere posset? Id autem, efficacitati Imaginationis, tribuere, solùm potest qui, lumine rationis extincto, vivat.

36 Certum est igitur, Christum Dominum, vera, & stupenda miracula patravisse. Et est quæstio: An ad ea omnia physicè concurrere Humanitas Christi potuerit? Itaque non, *factum* hîc examinamus, sed *posse*. Et affirmat Schola tota Thomistica: & ex nostrâ quotquot generaliter agnoscunt Potentiam Obedientialem activam in quolibet ad quodlibet, cum Patre Suarez latissimè discurrente, *hic disp* 31. Videatur etiam Ripalda de ente supernaturali *disp.* 40. & 41. Negant quotquot cum Patre Vazquez negant eam generalitatem Potentiæ Obedientialis activæ: Quorum censum post Martinonum, & Esparzam dabunt splendidè Oviedus, & Lynze in *Philosophia*. Vertitur ergo tota quæstio: an & quousque detur in rebus Potentia Obedientialis activa? Sine exceptione agnoscit Eximius Doctor *in quolibet ad quodlibet*: cum limitatione admittit Pater Vazquez *in* 1. *part. d.* 176. & uterlibet habet pro se doctissimos Assecias. Rem benè tetigit *hic* Pater Aldrete post Oviedum, & Lynze, sed omnium optimè Pater Esparza *lib* 10. *de Sacramentis quæst.* 21. 22. *&* 23. Cogor ipse *breviter* aperire judicium meum.

Schola Thomista, & Suarez. Ripalda. Obedientia listæ.

Negant P. Vazq. & Assecl. Martinon. Esparza. Oviedus. Lynze.

37 Noto primo: Potentiam Obedientialem activam ad aliquos effectus supernos negari non posse. Nam intellectus, & Voluntas ad supernaturales actus ita elevantur, ut activè concurrant cum elevante comprincipio: nequeunt enim vivere nisi per actus quos producant. *Noto* secundò, hanc Potentiam Obedientialem dici potentiam incohatam ad actum, cum quo obedientialiter cõparatur: quia sine verâ virtute inexcogitabilis est, ut Thomistæ volunt, modus quo salvetur actum ab eâ potentiâ produci. *Noto* tertiò, eam potentiam incohatam, ita dici, non quiâ non sit vera virtus, sed quia inspectâ nobilitate effectûs, est sine ulteriori comprincipio aliàs indebito, insufficiens ad productionem: quidquid sit an sit plenè sufficiens ad alios actus, sibi proportionatos, & commensuratos. *Noto* quartò: hanc potentiam activam incohatam omninò prærequiri ad elevationem activam: nam assumi non potest ut concausa, quæ nullatenus causa esse potest. Vnde si non sit generalis in omnibus hæc Virtus incohata; neque generalis erit in omnibus Potentia Obedientialis.

38 Quæstio igitur de Potentiâ Obedientiali, ad tædium usque disputata à non paucis, reducitur plenè ad hęc duo. *Primum*: an sit in quolibet ente Virtus incohata ad omnia, & singula producibilia, sine limitatione potentię ex limitatione perfectionis in esse? *Secundum*; si exceptio fieri debet, & limitatio: quænam erit Regula generalis limitandi hanc potentiam? Nam si sufficit convenientia effectuum in ratione entis: undenam erit limitatio? Si sufficit convenientia in genere subalterno, adhuc est amplitudo maxima, & petitur disparitas ex genere subalterno ad remotum, & sic ad remotissimum. Si requiritur convenientia specifica, vel hæc est infima, & athoma, vel subalterna? Si primum? Nullibi est hujusmodi virtus activa. Si subalterna: instat paritas ad speciem proximam subalternam; & inde ad genus proximum, & exinde ad remotissimum. *Ecce quæstionem!*

Quæstio.

§. II.

MENS NOSTRA CIRCA POTENTIAM Obedientialem.

39 PRima conclusio: Repugnat in Creaturâ (quæcumque ea sit) Activa Potentia Obedientialis ad *quælibet*. Ostenditur primò ex ipso conceptu creaturæ. Sic arguo. Omnis Creatura, ex conceptu Creaturæ, limitatè participat Divinam Perfectionem: ergo limitatè participat virtutem contentivam effectuum: ergo repugnat ex conceptu creaturæ virtus in ipsâ contentiva omnium, seu infinitorum effectuum: ergo ex conceptu creaturæ repugnat in ipsâ virtus incohata ad omnia: ergo, & generalis Potentia Obedientialis activa. In hoc discursu, duæ ultimæ Consequentiæ patent. Secundæ consequentiæ vis in eo stat: quod Creaturâ nequit participare virtutem productivam Omnipotentiæ, nisi ut complendam, & dependentem ab ipsâ Omnipotentiâ: & in hac participatione virtutis, etiam ut complendæ per ipsam Omnipotentiam, debet fieri

fieri limitatio juxta perfectionem majorem, aut minorem acceptam à causâ primâ. Sed implicat ex conceptu creaturæ pariformis participatio perfectionis à causâ primâ: ergo & pariformis activitas: Nam activitas, perfectio est, & sequitur gradum perfectionis in esse.

40 Vnicè restat primum entymema: cujus antecedens est certum. Et consequentia sic probatur. Primò: quia virtus contentiva est perfectio: Sed Creatura ex conceptu Creaturæ limitatè participat perfectionem: ergo & virtutem contentivam. Secundò: quia eoipso quòd Creaturæ limitatè participent perfectionem Dei, repugnat Creatura cui non sit essentialis defectus perfectionis alteri Creaturæ communicabilis: ergo repugnat cui non sit essentialis defectus virtutis communicativæ alicujus perfectionis: quod enim nullo modo habetur, dari non potest: nec haberi potest ullo modo, quod aliunde acceptum non est in ente, quod a se nihil habet.

41 Ostenditur secundò Conclusio, ex ipso conceptu virtutis discurrendo cum Patre Esparza, quem sic intelligo. Implicat ratio veræ virtutis, quæ non sit tota reducibilis naturaliter ad actum secundum: sed si esset in quavis Creaturâ incohata virtus ad quodlibet, daretur hujusmodi virtus: ergo repugnat. Minor est manifesta: nam cùm species sint diversissimæ, nec una contineatur in alia: necesse est, ut, si admittatur in qualibet Creaturâ virtus ad singulas species, eòipsò quòd naturaliter exerceatur in unâ, neque formaliter, neque virtualiter dici posset exercita Virtus erga aliam: ergo si naturaliter exerceri non potest, dabitur virtus quæ naturaliter non sit tota reducibilis ad actum secundum. Cujus ulterior ratio est: quia tunc dicitur exerceri virtus aliqua, quâ talis est, in effectu, quando ex effectu colligitur virtus in causa, & sui præcontinentiâ: sic eminentia Omnipotentiæ circa lapidem non dicitur exerceri, quâ talis, quando producit herbam: quia ex herba non colligitur formaliter eminentia lapidis: atqui in casu nostro ex effectu naturali non colligeretur virtus de quâ loquimur: ergo non ea exerceretur in sensu in quo loquimur.

P. Esparza

42 Major, in quâ est difficultas, probatur sic: primò ex generali principio: repugnat res cui finis proximus, & immediatus, propter quem est, sit naturaliter inassequibilis: quod enim naturaliter inassequibile est, nulla res innatè ex se quærit: at nulla res nequit non ex se quærere finem immediatum propter quem est: eò enim ipsò potest eligi ut medium: quis autem in medio non inveniat nativam proportionem, & ordinationem ad finem? Nunc sic; sed virtutis activæ, ut virtus est, immediatus, & proximus finis est operatio: ergo. Secundò: quia non ex alio titulo Virtus activa potest naturaliter reduci ad actum secundum, & facere sibi debita comprincipia, quam ex titulo continendi perfectionem effectûs: sed quævis virtus ex conceptu veræ virtutis, continet perfectionem effectûs ad quem est virtus: ergo repugnat ratio veræ virtutis, quæ naturaliter non sit tota reducibilis ad actum secundum. Minor patet, & major fundetur, tùm petendo alium titulum, qui ad rem faciat. Tùm ex regulâ generali: nam rei ex se ordinatæ ad aliquid, debentur media ad ipsum: nequit enim esse supra illam quod in illâ præcontinetur: nec potest non esse congener virtus quævis ad aliquid, virtuti illud ipsum præcontinenti. Legatur Esparza *loc. cit* cujus, ese nimis fundentis in hoc fundando, vim expressisse mihi satis, videor.

43 Ostenditur tertiò ex absurdo quod tetigit Pater Vazquez. Nam si hæc virtus incohata ita generaliter admitteretur, non esset cur ignis non compleret, & elevaret virtutem incohatam ligni ad producendum calorem, & ignem: & calor receptus in aquâ non compleret, & elevaret virtutem obedientialem aquæ ad calorem similiter producendum: quis autem id admittat? Sequela verò fundatur: quia virtus fortior elevare potest infirmiorem etiam in naturalibus: & quotidie dicitur elevari naturaliter phantasma ad productionem vel speciei spiritualis, vel actûs spiritualis. Tùm quia virtus incompleta satis completur per virtutem æqualem effectui: ut quid enim requiritur supernaturalitas? Neque recurras ad violentiam: quia violentia etiam à naturalibus causis provenit. Imò si aqua à calore violentiam patitur in privatione frigiditatis, cur non patiatur etiam in productione novi caloris?

P. Vazq.

44 Adversus hæc opponuntur multa. *Primum*: non esse negandum, quod non convincitur implicans. *Secundum*: extendi per illam obedientialitatem Dei dominium, & subjectionem creaturæ. *Tertium*: discursus

no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostros falli in accidentibus orga substantias : & in potentiis nostris circa species supernaturalium. *Quartum* : Augustinus, dicens *lib. 9. de Genes. ad lit. cap. 17. De omnibus posse Deum facere aliud, quàm eorum quasi seminales rationes habent.* Sed hæc, quavis eà illustrentur luce, momenti non sunt. *S. August.*

45 Ad primum dico, datam esse contradictionem. Ad secundum neque dominium Dei, neque creaturæ subjectionem extendi per chymericos usus. Ad tertium, dico imprimis Accidentia esse instrumenta substantiæ naturaliter instituta ad agendum, tanquam Virtutem ipsius, vel adæquatam, vel partialem, ut substantiæ, pluribus intentæ, non operetur minùs: in his virtutibus instrumentalibus naturaliter institutis attenditur continentia proportionis. Deinde quoad potentias nostras, dico virtutem incohatam in ipsis ad supernas species, esse ipsis imam quam exercent circa suos actus naturales, satis adæquativos Virtutis secundùm se totam. Licèt enim à concausâ supernaturali proveniat in effectu perfectio supernaturalis; at à concausâ naturali non provenit perfectio nec alia nec major, quàm ea quæ relucet in effectu naturali: qui cum gradum specificum habeat, compossibilem cum ulteriori perfectione, fit tertia species à concursu causarum, effectu sequente principaliorem in ordine : Ut *mox* explicabitur magis. Ad ultimum, Augustinus optimè dixit sed non est locutus *illimitate*, sed juxta nostram doctrinam. *Mox à num. 46.*

Nec ultra, nec aliter extendi potest Potentia Obedientialis activa.

47 Unde *duo* sunt. *Primum*: nec magis nec aliter contineri in potentiâ naturali actus, seu effectus supernos, quàm continetur perfectio actuum naturalium : eatenus enim est virtus ad illos, quatenus est naturalis ad istos. *Secundum* : totam virtutem, quæ exercetur circa supernos, exerceri, & adæquari per perfectionem Naturalium. Et huc reducitur illa communis Regula, quam illustrat inter alios Herize *de Sacramentis disp. 5. cap 3.* asserens, solùm admitti posse potentiam incohatam, quoad eos effectus, qui ex aliquo speciali prædicato petunt, ut principium proprium, aliquam causam secundam : cùm autem effectus per prædicata communissima potiùs respiciant causam primam, quàm secundam, non potest ex ipsis colligi virtus in causâ secunda. Sed nostra Regula clarior est, & magis magistralis. *Herize in Manuscrip*

48 Fundatur primò in his quæ docet *Fides*, & communis *Theologia*: Utraque docet Potentiam Obedientialem in Intellectu, & in Voluntate quoad actus supernos; & cum utráque volui in Deipara quoad Vnionem Hypostaticam : sed ex his nulla potest alia colligi Regula quàm Nostra : quod ostenditur: Nam quoad intellectum, & Voluntatem, tota specifica perfectio, quæ datur in actibus Naturalibus, & obquam pręcontinentur in illis, est identicè non repugnans adjungi cum gradu nobiliori, qui à concausa majori venire potest. Quoad Deiparam, specifica perfectio Vnionis humanæ quæ in potentiâ generatrice maternâ præcontinetur, non repugnat identificari cum Hypostatica, ut monstratum est *lib. 1.* & simiter discurrere quis potest ad casus prudenter innegabiles: ergo tenenda est nostra Regula Generalis. *Lib. 1. disp. 2. sect. 4. & 5.*

49 Fundatur secundò: quia aliàs deberet assignari Virtus naturaliter irreducibilis ad actum secundum, ad quem est virtus: & admitti continentia effectûs improportionata cum esse effectûs: hæc autem esse absurda & chymerica constitit in primâ conclusione. Et confirmatur : quia ex terminis satis videtur implicans : esse virtuale non esse proportionatum cum suo esse formali: sicut semen non esse proportionatum cum eo ad quod semen est: sed si admitteretur alia regula, quàm Nostra, id necessariò sequeretur, ut patet: nam omnis virtus ex conceptu suo est esse virtuale sui effectûs, & quasi semen ad ipsum: ergo Obji-

§. II.

REGVLA TENENDA, ET DECISIO Controversiæ.

46 SEcunda Conclusio : Incohata virtus, seu potentia obedientialis activa quoad superna, solùm admitti potest in causis Naturalibus, quorum effectus naturales constituuntur in specie per perfectionem, compossibilem identicè cum aliquo gradu superno. Hanc assumo in præsenti, ut Generalem Regulam. Itaque videndi sunt effectus naturales in suâ specie constituti: & si constituuntur in specie suâ per gradum essendi ex se non repugnantem identificari cum gradu superno, Potentia ad tales actus Naturales dici potest, & debet incohata virtus, & obedientialis ad superna-

50 Objicies primò. Creata intuitio Dei est *supernaturalis* ex conceptu intuitionis Dei ; sed ex conceptu Intuitionis Dei exigit Potentiam Naturalem activam: ergo ex conceptu supernaturalis exigit Potentiam Naturalem activam : ergo continetur in potentiâ activâ naturali, quâ supernaturalis. Hæc omnia benè sequuntur ex præmissis : quarum major est certa : alioquin posset dari intuitio naturalis Dei, contra multa quæ dicta sunt *disputando de summo Bono.* *Ad 1. 2.*

51 Minor probatur : quia ex conceptu intuitionis Dei, est vitalis: sed ex conceptu ex quo vitalis est, exigit potentiam Naturalem activam, quæ per ipsam vivat: ergo. Fiunt autem exinde *duo*, manifestè diruentia fundamentum discursûs nostri. *Primum* : dari facultatem activam, quæ secundùm suam totam continentiam sit naturaliter irreducibilis ad actum secundum: nam illa facultas potentiæ Naturalis, ut contentiva Divinæ intuitionis, non potest naturaliter exerceri, nec formaliter, nec æquivalenter, nisi per ipsam. *Secundum*, falli, & fallere nostram Regulam generalem. Nam intuitio Dei solùm convenit cum actibus potentiæ naturalibus in genere subalterno vitalitatis; sed hæc convenientia sufficit, ut oriatur à potêtia Naturali, tanquam ab incohatâ virtute : ergo sufficit generica convenientia effectuum, ad colligendam potêtiam incohatam. Sed hæc nullibi deficit : ergo Potentia obedientialis est illimitata in quolibet ad quodlibet.

52 Et Confirmatur: Omnis actus supernaturalis superat, & excedit perfectionem actûs Naturalis : per excessum enim perfectionis evadit supernaturalis. Deinde plerumque non convenit cum actu Naturali, nisi in generică perfectione, ut patet in Intuitione Dei. Iam sic: eo ipso quod intuitio Dei genericè conveniat cum actibus Naturalibus, oriri potest à potentia Naturali, superaddita virtute continente specificum excessum perfectionis supra genericam: Atqui nullus est effectus supernaturalis, qui saltem genericè non conveniat cum effectibus cujuslibet entis naturalis : ergo nullus est effectus supernaturalis, qui non possit oriri à quolibet ente naturali, superadditâ virtute continente specificum excessum effectûs. Quę singula urget, ut solet, optimè *P. Ripalda disp. 40. præsertim à num. 10.* *Ripalda.*

53 Respondetur ad argumentum : concessa maiori, & minori, nego consequentiam. Nam Syllogismus est similis huic: *Homo, ex conceptu hominis, est discursivus; sed ex conceptu hominis est sensitivus: ergo ex conceptu discursivi est sensitivus.* Mala consequentia ex præmissis veris. Itaque in intuitione creatâ Dei dantur gradus *entis, qualitatis, vitalitatis, cognitionis, & visionis*, qui gradus sunt perfectiones plenè contentæ in potentiâ Naturali, & naturaliter communicantur ab ipsâ suis naturalibus effectibus: qui ex limitatione in perfectione suæ speciei, & ex defectu virtutis, à quâ nascuntur, non progrediuntur ad identitatem cum speciali respectu ad Deum, cum perfectione *possessionis Dei*, cum *Deificatione firmante animam in centro*, procul ab omni miseria, qui sunt reliqui *gradus specifici Divinæ Intuitionis.* Ex *istis* est *supernaturalis* : non ex illis : & ex posterioribus non exigit potentiam naturalem contentivam ipsorum, sed ex prioribus: qui cùm sistant limitatè in effectu ex defectu virtutis ; istâ, quæ alioquin non debêtur, superadditâ, per supernaturale principium, resultat effectus identificans secum Perfectiones in utraque concausa contentas. *Æquivocatio* autem arguentis stat in eo, quòd gradum supernaturalem explicet per vocem *mixtè* significantem complexum perfectionum, tam quę continentur in potentiâ naturali, quàm quæ in elevante principio continentur.

54 Ex quibus apparet nihil exinde contra nos fieri. Non *primum* : Nam facultas naturalis non continet gradum ullum, quem in aliquo suo effectu naturaliter non exerceat. Non *secundum*: Nam intuitio Dei, quâ supernaturalis, convenit cum actu visivo, in omni perfectione specifica: & solùm superaddit ulteriorem perfectionem : quare accessu tam bonæ differentiæ, solùm desinit habere in suâ specie imperfectionê communem reliquis. Imperfectio autem non continetur in potentiâ: neque enim est à virtute, sed contingit ex defectu virtutis : unde sublato defectu per incrementum virtutis, non est cur imperfectio appareat in effectu. Sic habitus misericordiæ producit actum misericordiæ sine identitate cum perfectione justitiæ, ex defectu habendi secum consociatum justitiæ habitum ; quo defectu sublato, apparet in effectu utraque illa perfectio.

55 Ad confirmationem, concessâ primâ parte, nego secundâ: effectus enim supernaturalis, oriundus à concausâ creatâ elevatâ, solùm disconvenit cum effectu naturali ratiam. Nam Syllogismus est similis huic: *Homo, ex conceptu hominis, est discursivus; sed ex conceptu hominis est sensitivus: ergo ex conceptu discursivi est sensitivus.* Mala consequentia ex præmissis veris. Itaque in intuitione creatâ Dei dantur gradus *entis, qualitatis, vitalitatis, cognitionis, & visionis*, qui gradus sunt perfectiones plenè contentæ in potentiâ Naturali, & naturaliter communicantur ab ipsâ suis naturalibus effectibus: qui ex limitatione in perfectione suæ speciei, & ex defectu virtutis, à quâ nascuntur, non progrediuntur ad identitatem cum speciali respectu ad Deum, cum perfectione *possessionis Dei*, cum *Deificatione firmante animam in centro*, procul ab omni miseria, qui sunt reliqui *gradus specifici Divinæ Intuitionis.* Ex *istis* est *supernaturalis* : non ex illis : & ex posterioribus non exigit potentiam naturalem contentivam ipsorum, sed ex prioribus: qui cùm sistant limitatè in effectu ex defectu virtutis ; istâ, quæ alioquin non debêtur, superadditâ, per supernaturale principium, resultat effectus identificans secum Perfectiones in utraque concausa contentas. *Æquivocatio* autem arguentis stat in eo, quòd gradum supernaturalem explicet per vocem *mixtè* significantem complexum perfectionum, tam quę continentur in potentiâ naturali, quàm quæ in elevante principio continentur.

54 Ex quibus apparet nihil exinde contra nos fieri. Non *primum* : Nam facultas naturalis non continet gradum ullum, quem in aliquo suo effectu naturaliter non exerceat. Non *secundum*: Nam intuitio Dei, quâ supernaturalis, convenit cum actu visivo, in omni perfectione specifica: & solùm superaddit ulteriorem perfectionem : quare accessu tam bonæ differentiæ, solùm desinit habere in suâ specie imperfectionê communem reliquis. Imperfectio autem non continetur in potentiâ: neque enim est à virtute, sed contingit ex defectu virtutis : unde sublato defectu per incrementum virtutis, non est cur imperfectio appareat in effectu. Sic habitus misericordiæ producit actum misericordiæ sine identitate cum perfectione justitiæ, ex defectu habendi secum consociatum justitiæ habitum ; quo defectu sublato, apparet in effectu utraque illa perfectio.

55 Ad confirmationem, concessâ primâ parte, nego secundâ: effectus enim supernaturalis, oriundus à concausâ creatâ elevatâ, solùm disconvenit cum effectu naturali ratiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

is concausæ, in excessu perfectionis; unde convenit, in totâ perfectione, prout continetur in facultate naturali, secundùm id quod habet de perfectione specificâ; imperfectio enim, ut dixi, non est, à virtute, quâ virtus est. Inde nego suppositum majoris; & permissâ minori, nego consequentiam: quia perfectio datur à causâ, ut continetur in ipsâ: nulla autem est causa, instituta pro gradu generico perfectionis, sed pro perfectione in aliquâ specie: quæ species si non derivetur in effectum ex causa, talis causa non exercet virtutem suam. *Quæ notanda valde sunt.*

56 Objicies secundò: juxta Theologiam probabiliorem ignis elevatur ad agendum activè contra dæmones & animas damnatorum: atqui hujusmodi activitas ignis nequit exerceri naturaliter: ergo non repugnat virtus activa incohata, quæ in nullo effectu possit naturaliter exerceri. Probatur minor. Quia activitas ignis est ad agendum immediatè dolorem in spiritu, vel ad agendum dolorem, media aliquâ dolorifera qualitate: sed neutrum potest producere naturaliter intra speciem suorum actuum naturalium: ergo. Major est communis, & probatur minor: quia dolor ille spiritualis, aut qualitas dolorifera nihil habet commune cum effectibus naturalibus ignis, præterrationem omninò genericam: ergo nihil habet commune in effectibus naturalibus ignis, prout continentur in ipso: ergo si virtutem exercet circa talem torturam, exercet virtutem, quæ in nullo effectu naturali potest exerceri: ergo.

57 Huic argumento multipliciter respondeti potest, juxta varias sentiendi vias, quas attingit Pater Aldrete *tom. 1. de Incarnatione disp. 33. sect. 2. & 4.. Primò*. Ignem non aliter agere, nisi per receptam in se qualitatem activam doloris: sicut dicitur aqua calefacere per receptum in se calorem. Quod si dicatur, sufficit ad intelligentiam Scripturarum, & Sanctorum Patrum: & argumentum manet elumbe: Supponit enim virtutem incohatam intrinsecam, quæ negatur. *Secundò*. torturam Dæmonum, & spirituum cosistere in speciei impressæ productione, ad præsentiam ignis, sufficiente ad apprehensionem maximè dissentaneam.

P. Aldret.

58 Respondetur tamen *aliter*. Nempè Dæmones, & animas torqueri dolore imitante *sensionem*, quam nos experimur dum calore, & igne adurimur: est enim dolor, & resultans, & recedens à calore, ut dissentaneo: cùm autem in igne, & calore sit virtus ad producendum vel mediatè, vel immediatè hunc dolorem, seu sensionem doloris: quæ ex limitatione virtutis manet in specie materiali; superaddità virtute, transferre poterit prædicata suorum effectuum in operationem alterius speciei formatæ ex perfectione aliunde proveniente, nempè ex principio violenter, & *infra suam naturalem sphæram*, utente virtute naturali caloris, & ignis. Ita ioquor: Nam apud me, *entia hæc depressiva naturæ* non sunt *supernaturalia*, sed *infranaturalia*, ut ex Eximio Doctore jam diù didici.

P. Suarez. P. Quirós & in 1. 2. ex professo.

59 Quare concessâ majori, nego minorem, Ad probationem, concessâ majori, negetur etiam minor: ad istius denique probationem nego antecedens. Nam actus ille torquens dæmones, ita imitatur sensionem, ut præter imperfectionem materialitatis, dicat omnes alios gradus specificos, qui continentur in calore, vel igne, ut dictum est.

Alia argumenta, quæ Moderni formant ex concursu Deiparæ ad Hypostaticam Vnionem, cum præcitato Patre Aldrete *sect. 1.* constat *ex prima probatione* secundæ conclusionis nostræ, contra nos vim habere non posse.

60 Ex quibus infertur *resolutio* controversiæ Principalis. *Ea* enim est: Humanitatem Christi non potuisse physicè concurrere ad omnia miracula, quamvis ad aliqua potuerit. Et ratio est: quia concurrere non potuit physicè nisi elevatâ supernaturaliter incohata virtute Naturæ: sed hæc incohata virtus non fuit, nec esse potuit ad omnia, ut constat: ergo Christi Domini Humanitas non potuit physicè concurrere ad omnia.

SECTIO III.

QVA RATIONE CONCVRRERIT?

61 ASsertio sit: Christi Domini Humanitas, miracula morali concursu, patravit; operante physicè, *ad ejus nutum*, Omnipotentia. Quæ conclusio generalis non tollit, quominus aliqua miracula physicè patraverit immediatè perse ipsam, Humanitas Salvatoris: ea, nempe, ad quæ incohatam virtutem haberet, & quę nec loco, nec tempore iodistantia forent. Hæc est mens Patris Vazquez citantis pro se multos, & secuti postmodum à non paucis, inter quos sunt Ko-

Koninch. Becanus. Barradas. Martinon. S. Thomas.

Koninchus, Becanus, Barradas, & Martinonus: imò quotquot nobiscum limitatè de potentia obedientiali discurrunt. Favet Sanctus Thomas, imprimis *quæst. 13. art. 2. ad 3.* ubi id *expressè* docet, loquendo etiam de Christo Domino. Deinde 22. *quæst* 178. *art. 1. ad 1.* Neque curo responsiones Thomisticas: nam Sanctus Doctor *clarè* loquitur.

62 Ratio autem assertionis ex dictis est: nam *concausare physicè* sine ratione physicæ causæ est ex terminis repugnans: ratio physicæ causæ, sive virtute est æquè implicans: atqui Christi Domini Humanitas non habuit Virtutem ad omnia miracula: ergo neque habuit rationem causæ physicæ: ergo neque concausæ. At, excluso concursu physico unicè restat moralis: ergo hic Christo Domino tribuendus est. Confirmatur: Concursus moralis sufficit ad plenam intelligentiam Scripturarum & Patrum, loquentium de Christo operante miracula: aliter neque colligitur, neque requiritur: ergo standum est unicè pro concursu morali. Secunda pars antecedentis patet: nullibi enim Patres aut Scripturę promovent physicam efficientiam. Et urgetur. Nam Christus Dominus non aliter asseritur à Patribus & Scripturis causa miraculorum, quàm Redemptionis nostræ, & nostrę liberationis à dæmonum potestate: sed horum respectu, solùm extitit causa moralis: ergo & respectu illorum, in sensu Patrum & Scripturarum. Vnde patet prima antecedentis pars: nā moralis concursus planè sufficit, ut qui moraliter causat, dicatur rem efficere: ergo.

63 Objicies primò: illa loca Scripturæ, in quibus dicitur: *Sensi virtutem ex me exiisse, & virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: quæ loca sonant physicam efficientiam. Respondeo imprimis intelligi hæc posse de Christo Domino, *secundùm Divinitatem*: cujus virtute, mirabilia patrabantur ad nutum voluntatis humanæ ipsius. Deinde satis intelligi cum Augustino de concursu morali: neque enim ibi *virtus* sonat *virtutem productivam*, sed *effectum miraculorum*, qui *exiisse* dicitur *à Christo*, quatenus *volente*, ut fieret.

S. August.

64 Objicies secundò: à Patribus, & Cōciliis primò vocari *carnem Christi Domini vivificatricem*. Secundò dici Verbum fecisse per Humanitatem *opera, quæ erant indicia Divinitatis*. Tertiò *perfectiori modo* Christum *operatum esse miracula*, quā *Moysen*, & alios: quæ *tria* sine physica efficientia non satis congruè explicantur. Respondeo, *nihil ex his tribus* convincere, aut suadere efficientiam physicam. *Non primum*. Primò: quia caro Christi dicta est à Patribus ex unione moraliter *vivificatrix*, sicut mors Christi, sine efficientia physica, dicitur à Patribus, *vivificasse nos, & liberasse ab æterna morte*. Secundò: quia caro Christi ex unione fecit sibi proprium quod est proprium Divinitatis unitæ, quale est *vivificare*. *Non secundum*: quia fecisse per Humanitatem, id est, in assumptâ Humanitate, & quâ Christus est homo, non explicat concursum plusquam moralem. *Non tertium*: quia excessus Christi Domini satis patet per moralem illam Omnipotentiam quam explicuimus *sect. 1. in prima conclusione*, sibi debitam & permanenter habitam. Video hæc quasi à Godoy magnis conatibus impugnationum. Laudo ingeniū. Vim non timeo: præsertim à calamo, qui nullam innatam agnoscens in Humanitate virtutem, conatur verificare effectus exisse à Christi Humanitate per physicam efficientiam: non enim res exit, unde non extitit.

Suprà sect. 1. Ill. Godoy.

65 Objicies tertiò: Christo Domino, *ut homini*, tribuendæ est omnis Dignitas, & perfectio, quæ nec convincitur implicans, nec pugnans cum statu Redemptoris. Sed hæc virtus effectiva miraculorum, talis est: ergo tribuenda est Christo, quà homini. Et confirmatur: quia modus causandi moraliter nec est proprius neque sufficiens, ut actio dicatur egredi ab Agēte morali, & ut Agens morale dicatur cooperari concausæ physicæ effectūs: sed modus, quo Christus miracula patravit, est modus proprius, & sufficiens ut actio diceretur exire, & egredi à Christo, & ut ipse quà homo dicatur cooperārius cum Deo physicè operante miracula: ergo concurrendi modus in Christo fuit plusquam moralis. Adde, Christum egisse miracula *tangendo, & imperando*: qui modus plusquā moralem causam sonat. Per ista vagatur latissimè Godoy *tom. 3. de Incarnatione disp. 40. §. 1. 2. & 3.*

Ill. Godoy.

66 Respondetur. Et minorem nego, de cujus repugnantia satis *ex dictis* totā sect. 2. cōstat. Ea tamen in via Thomisticā specialiter repugnat: quis enim rem non activam existimet agere per virtutem adventitiam alioquin operantem in illā? Ad confirmationem, nego majorem: nobilius enim plerumque causat, qui moraliter, quàm qui physicè: sic judex nobilius se gerit quam carnifex: & Herus, quàm Famulus in eleemosynæ elargitione. Et quidem Christus Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus per passionem suam verè fuit causa salutis Hominum: nec tamen passio, causa dicenda est physica, sed moralis, saltem respectu eorum, qui ante, vel post illam Sanctificati sunt. Et miror objici hæc tam confidenter posse à Godoy, stando principiis Scholæ suæ, nullam innatam virtutem in Humanitate venerantibus. *Godoy.*

SECTIO IV.

QVÆSTIONES ANNEXÆ.

67 PRima est: an Christus, *ut homo*, quoad miracula dicendus sit in ordine Morali, Causa *Principalis*, aut *Instrumentalis*? Et *affero* dici debere *causam Principalem*, tùm ex primitate in eo genere: tùm ex absoluto arbitrio circa miracula, ex vi suæ dignitatis: tùm demum ex specialitate, quâ paratum habuit Divinæ Omnipotentiæ concursum ad quæcumque vellet. Quòd si aliqui cum Patre Vazquez, quem immeritò Godoy carpit, & mordet, vocant *Instrumentum morale* Humanitatem, non ideò volunt derogare dignitati causæ principalis, sed unicè sic loquuntur, ut negent activitatem *in ratione Instrumenti*. Sed hoc leve est. *Vazquez. Godoy.*

68 Secunda est: an hæc moralis activitas, seu causalitas se extenderit ad miracula loco distantia? Et affirmandum: quia causa moralis non exigit localem propinquitatem ad causandum. Imò neque requiri indistantiam localem Humanitatis quoad activam efficientiam, defendit Eximius Doctor, juxta principia sua, & omninò mordicùs juxta sua Godoy: sed ille faciliùs: iste non ita facilè, sed prolixiùs. *Suarez. Godoy.*

69 Tertia est: an hæc causalitas moralis se extenderit ad miracula tempore etiam distantia: ita ut Christus Dominus, *ut homo*, causalitatem moralem anticipaverit in omnes effectus miraculosos, se tempore priores, & exerceat in omnes deinde futuros? In nostro modo discurrendi vix esse potest difficultas. Thomistæ verò secuti Capreolum quoad *praterita* & quoad *futura* miracula, de Christi Domini Humanitate, & Passione, etiam in lineâ causæ physicæ conati sunt dicere paradoxa, rati assumi à Deo Instrumentum non existens ad efficientiam physicam. Qui nobiscum sentiunt de morali causalitate, loquuntur sine distinctione quoad præterita, & quoad futura: quod nequit esse verum stantibus nostris de *Merito Remunerando, & solutivo* Doctrinis. Igitur justa istas *Thomistæ Capreol.*

70 Asserendum *reor*: circa *praterita* miracula exercitâ esse à Christi Domini Humanitate causalitatem moralem, *in genere Meriti solutivi*, & in lineâ non excedente vim Finalis causalitatis: circa *coexistentia, & futura*, exercitam esse moralem causalitatem, *in genere Meriti Remunerandi*, & in lineâ causæ moraliter efficientis. Ratio assertionis est ex præfactis principiis circa utriusque meriti discrimen: & causalitatis utriusque. Nam Causa moralis efficiens, causat, movendo quia est, & ex præexistentiâ ad effectum, non præcognitâ solùm, sed præexercitâ: atqui modus iste causandi solùm potest competere Humanitati circa coexistentia, & futura: non verò circa præterita: ut perse patet: ergo non exercuit circa utraque pariformem moralem Concursum Humanitas Christi Domini.



DIS-

DISPVTATIO OCTAVA, ET VLTIMA.

CHRISTI DOMINI ADORATIO.

1 QVÆ res esset longissimæ disputationis, nisi falcem contineremus ab aliena messe controversiarũ, & Polemicæ Theologiæ, contenti Scholasticæ Palestræ cancellis, intra quos ramen adhuc nobis satis ampla seges oboritur. Eam inter alios in præsenti, contentis nec segniter nec semel contra se mutuò calamis versavere diligentissimè Doctores Vazquius, & Soarius. Nos brevi dicemus, quantum sit opus ad rem in quâ sumus, premissâ Naturâ Adorationis in communi: cujus examen *ex* 2. 2. satis opportunè transtulit hùc Theologia Recentiorum. *Suarez. Vazquez.*

SECTIO I.

DE ADORATIONE IN COMMVNI: quid sit, & quotuplex?

2 ADoratio in communi ex his, quæ tradidere Athanasius, Tharasius, Damascenus, & Thomas, aptè definitur: *Honoratio Excellentis, ut excellentis ab eo, qui se illo inferiorem significat, eidẽ exhibita.* Explico singula. Dicitur *Honoratio* potiùs, quam *signum honoris*, ut vulgò solet. Nam ipsa Adoratio potiùs est honor, seu honoris actio, quàm signum. Dicitur, *excellentis, ut excellentis, ab eo, qui se inferiorem illo significat*, ut Honorationis notio contrahatur ad eam speciem, quâ quis se altero inferiorem notat, ejusque excellentiam respectu sui significat, propter ipsam eum reverendo, seque illi submittendo propter ipsam. Ob hæc additur *eidem exhibita*: ad adorationem enim non sufficit quæcumque alienæ excellentiæ protestatio, sed ultra requiritur, ut præstetur aliquid quod vel physicè vel moraliter recipiciatur in Re quam diceris adorare. Quæ singula elucidat inter alios accuratè Pater Bernal *disp.62. sect.1.* *Athanas. Tharasius. Damasc. Thomas.* *P. Bernal.*

3 Ex istâ regulâ pronum jam est discernere *Adorationem* à *Laude*, ab *honore*, à *cultu*, à *veneratione*, & à *reverentia*, & à *Gloriâ*. Differt à laude, ab honore, & à Gloriâ, seu glorificatione: Nam hæc præstari possunt ab æquali erga æqualem, imò & à Superiori erga inferiorem. Nam *Laus* est *testificatio virtutis, seu excellentiæ alienæ verbo facta. Honor* est, *ejusmodi testificatio signo quovis præstita, indicante nostrum existimationem illius excellentiæ, quam honoramus.* Vade laus est quædam species honoris. *Gloria* est *clara cum Laude notitia*: unde est quidam effectus honorationis, & laudis, & his addit ingenerare bonam rei laudatæ existimationem in aliis. Differt à cultu, à veneratione, & Reverentiâ: Nam *cultus* comprehendit omnes actus Religionis: *Veneratio, & Reverentia*, licèt in eo conveniant cum Adoratione, quòd singuli circa præcellentem, & superiorem versentur, tamen in eo differunt quòd Adoratio ex communi sensu majorem submissionem requirit, quàm simplex reverentia, & veneratio. Patet igitur Adorationem se habere ad hos conceptus sicut se habet species ad sua genera.

4 Patet indidem in Adoratione virtutis honestas, species, & objectum. *Honestas*: honestum enim, & rationi consentaneum est, reverèri superioris excellentiam, cultum ipsi debitũ exhibere, eique se submittere. *Species*: quam cum sit specialis cultus, Adoratio per se cadit in sphæram Religio-

Dis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Suarez.

nis. Dixi *per se*: Nam ut benè notat Suarez videndus *disp.* 51. *sect.* 1. pertinere potest ad alias virtutes inferiores Adoratio, quæ tendit circa excellentias purè humanas, quę vulgò apparent. *Objectum*: nam Adorationis in communi sumptæ, duplex est: Materiale Proximum: & est res excellens, ut excellens, idest ut subest excellentiæ, quæ nos movet. Ideò dixi Proximum Materiale: nam per actum Adorationis formaliter solùm tenditur ad remut excellentem, habentibus se remotè, & quasi de materiali aliis rationibus, quæ rei insunt. Formale proximum: & est ipsa excellentia, & dignitas, propter quam summittimur rei præcellenti.

5 Vnde colligis etiam discrimen inter actum *Humilitatis, & Adorationis*: confunduntur enim plerumque cùm alioqui differant: & quidem in eo, quòd humilitatis actus est moderatio circa affectum honoris: unde plerumque fit per summissionem, & alios similes actus. Adoratio verò propriè tendit ad reddendum honorem debitum alteri ratione ejus excellentiæ, & dignitatis: sic pecuniæ elargitio facta propter moderandum affectum pecuniarum, est actus liberalitatis; facta verò propter solvendum debitum est actus justitiæ. His ita positis

6 Prima difficultas est: in quibus actionibus posita sit Adoratio? *Nota* inter adorandum, intervenire multiplicem actum tam ex parte Intellectûs, quàm ex parte Voluntatis. Ex parte intellectûs: *primus* est cogitatio rei excellentis, ut excellentis: quæ minimùm debet apprehensivè præconcipi. *Alter* est cogitatio actionis submissivæ, quæ exhibenda est in signũ summissionis. *Tertius* est cogitatio practica, quòd decens, & rationabile sit testificari summissionem respectu rei cognitæ, ut excellentis. Ex parte Voluntatis: *primus* est volitio exhibendi notam conceptæ excellentiæ. *Alter* est affectus se summittendi alteri præexcellenti. *Tertius* est affectus efficiendi illam notam, seu illud signum testificativum submissionis, & excellentiæ, quod illudcumque sit: ex his sequitur exhibitio signi testantis animi adorantis submissionem, & Adorati præcellentiam. Gabriel censuit Adorationem consistere in illis actibus intellectûs: Cardinalis de Lugo in hac præcisâ exhibitione signi: Suarez, & alii, quos satis illustrat Bernal *sect.* 2. in aggregato ex exhibitione signi, & affectu imperante. Quod ego etiam censeo probabilius. Itaque

Gabriel.

Card. Lug. Suarez. Bernal.

7 *Censeo* primò, actum adorationis constitutivè nullum dicere actum intellectûs: Ratio: nam est actus pertinens ad virtutem moralem voluntatis. Actus ergo illi intellectûs præcedunt, ut prævia fax, non constituunt. *Censeo* secundò: neque præcisè constitui per exhibitionem signi testificativi summissionis. Ratio: quia sic se habet ad adorationem, exhibitio signi, sicut ad eleemosynam elargitio pecunię v.g. atqui actio eleemosynæ nõ consistit in externa elargitione præcisè: ergo neque Adoratio in præcisa signi exhibitione. *Censeo* tertiò consistere in aggregato exhibitionis, & affectûs eam imperantis. Ratio quia Adoratio debet esse actus Voluntarius & ille affectus est quasi anima totius Adorationis.

8 Ex his fit primò, internam submissionem, seu affectum illum, quo Deo nos summittimus, prærequiri quidem, non tamen intrare in essentiam Adorationis. Ratio: quia Adoratio est exhibitio signi testantis internam summissionem: ergo non includit, sed supponit. Fit secundò, exhibitionem signi testantis ex se summissionem internam, præstiram seriò, licèt sine illâ internâ summissione, esse propriè Adorationem, & non meram fictionem Adorationis. Ratio: quia habet quicquid Adoratio essentialiter dicit: unde qui sine interna reverentia, & summissione adoraret Idola, verè diceretur adorator eorum, & incurreret censuram in adoratores hujusmodi latam.

Dices primò: illa exhibitio significaret summissionem internam, quæ nulla est: ergo esset ficta. Distinguo consequens: esset ficta, id est, non vera, conformitate expressionis cum re significata, concedo: id est, non verò, constitutione veri & proprii signi testantis, internam summissionem, nego. *Dices* secundò: Promissio sine animo interno, non est nisi ficta promissio: ergo similiter. Nego consequentiam: quia Promissio externa in rigore non est promissio, sed expressio promissionis: at exhibitio seria signi est adoratio. Videatur Cardinalis de Lugo *sect.* 2. *disp.* 23. *à nu.* 13.

Card. de Lugo.

9 Secunda difficultas: An actus adorationis essentialiter includat actionem externam? quod est quærere: an signum exhibitum, debeat esse externum essentialiter. Affirmat acerrimè Pater Vazquez *disp.* 93. *cap.* 4. Negat operosissimè Pater Suarez, ejusque opinio communior jam est, & probabilior: & ipsi subscribo. Primò: quia Angeli,

P. Vazq. P. Suarez cui subscribimus cum

geli, & animæ separatæ possunt elicere actum Propriæ, & rigorosæ Adorationis; ut evolventi Scripturas, & Sanctos Patres evidentissimum fiet: ergo potest per actionem purè interiorem, & spiritualem Adoratio consummari. Secundò: quia Adoratio, quæ fit spiritu, & veritate, & quam laudat specialissimè Christus Dominus *Ioan.* 4. non videtur exigere signum ullum externum: unde Augustinus *lib.* 10. *de Civitate Dei cap.* 4. hæc habet prorsus aurea: *Ei, nempè Deo, sacrificamus hostiam Humilitatis, & laudis in arâ cordis, igne fervidæ charitatis.*

Vazquez.

Augustin.

10 Tertiò: quia sicut Virtus Religionis, utitur membris corporis, & facultatum externè operantium in signum submissionis nostræ respectu Dei, ejusque præconceptæ à nobis excellentiæ, quidni utatur viribus animæ, & facultatum internè operantium? Quartò, & sit ratio à priori: quia sine externa ullâ operatione, & merè spiritualiter internè potest fieri nota summissionis, & honoris, atque adeò dari Honoratio rei excellentis, ut excellentis, ab eo qui se illâ inferiorem significat, eidem exhibita: in hoc autem consistit Adoratio.

11 Tertia difficultas, exinde resultans, & in quâ maximè nititur Pater Vazquez ad tuitionem Doctrinæ nuper impugnatæ: nempè in quibus operationibus, & actibus internis possit Adoratio cõsummari? Et ratio dubitandi pro Vazquez est: quia sicut in Adoratione, quæ consummatur externè, debent assignari duo: unum internè, quod inchoet; alterum externè, quod consummet Adorationem, & sit signum animi cedentis, & submissi: ita in eâ, quæ consummetur internè, debent assignari duo: unum, quod sit voluntas exhibẽdi signum: alterum, quod sit ipsum signum, & ejus exhibitio: at nullus actus purè internus videtur posse sufficere, ut assumatur in signum.

Vazquez.

12 Hæc ratio divisit Authores. Nam Vazquez juxta *numerum præcedentem* illi cessit. Alii, quorum est in hoc pũcto *Prima Sententia* assignat actus Fidei, spei, & charitatis: inferiorum virtutum excludit. *Secunda Sententia* superaddit his alios actus, nempè orationis, & similes, ita Suarez: *Tertia Sententia* solùm censet aptos adorationi purè internæ eos actus, qui ex se sunt significativi summissionis internæ: ita Delugo: *Quarta Sententia* contendit per omnes, & singulos actus virtutum posse consummari Adorationem internam, si a Voluntate hic, & nunc assumantur, & imperentur in signum internæ summissionis: ita specialiter Pater Vvadingus, Pater Arriaga, & Pater Bernal; quæ sententia est mihi *probabilior.*

P. Suarez.

Card. Lug.

Vvading. Arriaga. Bernal.

13 Ratio est: quia licèt interna locutio, ex se significativa summissionis, quam respectu Dei profitemur, & ejus præconceptæ excellentiæ, sit actio de se magis apta ad consummandam internè adorationem; (*id enim do Cardinali de Lugo*) nihil verat quominus Voluntas assumat quemcumque intellectûs, & voluntatis actum, & ex vi sui imperii faciat hic, & nunc esse signum animi sui cedentis, & summissi: non ergo est cur ullus virtutis actus excludi debeat ab aptitudine consummandi internè ipsam Adorationem. Inter quæ benè notat Pater Bernal *sect.* 4. *num.* 46. excipi debere actus illos, qui ex se excludunt omne genus adorationis: putà: nolo hic, & nunc adorare Deum. Addit, per puram cessationem ab actu externo posse consummari adorationem: si nempè conveniret inter homines, quòd ea pura cessatio significaret præconceptam Dei excellentiam, & nostram erga ipsum summissionem.

P. Bernal.

14 Dicit Delugo: ergo per quamlibet actionem, etiam externam, potest Adoratio consummari. Concedo sequelam, si assumatur in signum. Instat: requiritur specialis institutio in tale signum. Nego assumptum: sufficit enim, quòd ipse velim eam actionem assumere in protestationem meæ summissionis: eo enim ipso intelligitur tacita quædam conventio; & pactio creaturæ Rationalis cum Deo, & sufficiens institutio. *Instat*: ergo similiter per quamlibet actionem possemus dici, quòd offerimus sacrificium. Nego sequelam: nam Sacrificium consistit in hostiæ immutatione, requirente duo. *Primum*: legitimam approbationem: *Alterum*: legitimam potestatem in offerente: quæ duo non adsunt ad actionem quancumque.

Card. de Lugo.

15 Quarta difficultas: *quotuplex* sit Adoratio? Multiplex est. Primò, dividitur in *internam*, & *externam* ex nuper dictis: & hæc divisio sumitur ex parte actûs, & univoca est, & adæquata. Vtraque enim propria est, & extra ipsam nulla. Secundò, dividitur in *Sacram, & politicam, seu civilem*: & hæc divisio sumitur ex parte objecti formalis, nempè ex diversitate dignitatum: & etiam est adæquata & univoca propter rationem eandem: sed civilis, & politica pertinet ad civilem observantiam, & respicit dignitatem pu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

purè politicam. Sacra pertinet ad virtutem Religionis, & respicit Sacram Dignitatem. Sacra subdividitur tertiò in *Latriam*, *Hyperduliam*, & *Duliam*: quæ divisio etiam adæquata est, & censeri debet univoca contra Vazquez. *Vazquez.*

16 *Latria* significat cultum soli Divinæ excellentiæ debitum, *Hyperdulia*, cultum excellentiæ Sanctitatis singularissimæ, & extraordinariæ debitum. *Dulia*, cultum sanctitatis excellentiæ debitum. Quæ species Adorationis potissimum, & ferè semper uni cè differunt ratione affectûs interni: nam possunt habere, & communiter habent communes actiones externas. Vnam excipe, nempe Sacrificium, quæ assumpta est in latriæ protestationem.

17 Dividitur quartò in *Absolutam*, & *Respectivam*. Adoratio *Absoluta* est illa, quâ res adoratur propter excellentiam propriâ, intrinsecâ, & quâ habet in se. *Respectiva* est, quâ res adoratur propter alterius excellentiam, ad quam res adorata habet aliquam habitudinem: quæ respectiva adoratio dupliciter potest præstari: *propriè*, vel *impropriè*. Propriè: cùm res in se ipsâ adoratur quamvis propter aliud: Impropriè: cùm res adoratur loco alterius. Sic Legatus, ut talis, honoratur propriè, sed propter Regem: impropriè, cum Rex honoratur in ipso. Quintò dividitur in *Perse*, & *peraccidens*. *Perse* adoratur res, quæ in se habet causam, cur adoretur. *Peraccidens* adoratur, res, quæ peraccidens tangitur rei perse adorabili. Quæ, & aliæ divisiones ipso decursu clariores fient.

18 Quinta difficultas: quos ob titulos debeatur Deo cultus latriæ? Respondeo ob omnes, & singulas perfectiones Dei. Ratio est, quia titulus debendi supremum cultum, est excellentia Divinitatis: singulæ autem Dei perfectiones habent in se hujusmodi excellentiam: quantumvis præscindantur inter se: nam si concipiantur, ut Perfectiones Dei eo ipso concipiuntur cum identitate ad ipsam Divinitatem. Vnde singulæ perfectiones Dei præcisim ab aliis possunt terminare cultum latriæ.

P. Arriag. Dubitat hic Arriaga an cultus æqualis debeatur singulis attributis, seu Deo propter attributa singula: & demum resolvit nullû sibi in eo apparere inconveniens, quòd dicatur non deberi æqualem: putat enim perfectiones Dei inæquales interse. *Id quod* ego maximè *horreo*: nam identitas cum Divinitate par est in singulis. Tùm quia discursus iste dat locum, ut minùs amari possit Spiritus Sanctus, quàm Pater, & minùs debeat. Tùm demum quia fundamentum de inæqualitate perfectionum Divinarum est perquam falsum, ut in *proprio loco* videbimus. *Tom in 1. p. tract. 1. & sparsim in præced.*

19 Sexta difficultas: an Adorationes latriæ, quæ speciatim eliciuntur propter specialia Attributa Dei, sint specie diversæ? Exagitant operosè Cardinalis de Lugo *disp.* 34 *sect.* 1. & Arriaga *disp.* 51. *sect.* 2. & 3. ad quos multis in præsenti remissis, respondeo: quicquid sit de speciei physicæ diversitate, eas tamen adorationes non esse specie morali diversas. Pro quo *nota* primò: litem hîc non esse de actu internæ summissionis intellectuali, quo nempe recognoscitur excellentia specialis Dei relucens in hac, vel illâ perfectione Divinâ: hos enim actus intellectûs certum est specie distingui, cùm specialia objecta formalia respiciant. Lis solùm est de Voluntatis actu volenti testari per aliquod signum summissionem internam, & præconceptam excellentiam. *Card. de Lugo. P. Arriag.*

Noto secundò Virtutem, quæ non sit Theologica, licèt aliquomodo attingat aliquid divinum, tamen in ipso non niti tanquam in objecto formali.

20 Ex quibus: ratio resolutionis, maximè notanda est: quia licèt ex parte intellectûs repræsentetur voluntati directè excellentia specialis relucens in hoc, vel in illo Attributo, tamen voluntas solùm habet pro objecto formali, dum adorat, honestatem, quæ relucet objectivè in ipsâ summissione: quæ honestas, licèt excellentiæ sint diversæ moraliter, moraliter censetur eadem: ergo etiam Adorationes debent censeri speciei moraliter ejusdem: nam ex objecto formali sumitur, præsertim in virtutibus, & earum actibus, speciei diversitas, vel identitas.

21 Dices: ergo fient ab eodem habitu. *Dico*, si de infuso loquamur, certum esse: si de acquisito, non ita esse certum: nam ad multiplicationê habituum sufficit (quicquid sit de identitate motivi formalis, vel physicâ, vel morali) diversitas inter actus, quæ sint occasio specialis difficultatis in uno, quæ non sit altero; aut ratio, cur licèt potentia nõ sit, neque se experiatur facilem ad unum, se tamen experiatur facilem, circa alium: & ratio est: quia habitus hujusmodi, cùm acquiratur ex actibus, qui fiunt, solùm est semen similium & victoria difficultatum, quæ in ipsis, & propter ipsos occurrere possunt. Hæc autem diversitas satis oritur ex physicâ diver-

diversitate pertinere posse ad diversos habitus acquisitos: probabilius tamen censeo pertinere ad eundem. Ratio est: quia non potest apparere notabilis difficultas, si semel quis habet habitum adorandi Deum propter sapientiam, in eliciendis actibus adorationis propter alia Attributa, cum adorabilitas ubique veniat à ratione æquivalenter eàdem.

23 Septima difficultas: an Deo, ut Benefactori, seu ex hoc titulo, & propter beneficia, quæ nobis confert, debeatur cultus Latriæ? *Duplex* esse potest difficultatis sensus. *Primus*: an titulus Creatoris, Domini, Benefactoris sit titulus sufficiens ad adorationem latriæ. *Alter*: an ipsa creatio, Dominium actuale, & beneficia possint esse tituli ad latriæ Adorationem.

24 Respondeo in primo sensu difficultatis, affirmandum omninò esse. Ratio est: quia cultus hujusmodi, licèt excitetur ex suppositione creationis, beneficii, & effectuum, quæ sunt res finitæ, & extra Deum, non tribuitur nisi excellentiæ Divinæ, ex quâ tales effectus oriuntur: atque adeò est cultus Deo datus in protestationem excellentiæ, quæ soli Deo competit: unde non potest non esse latria. Id quod confirmari potest exemplo charitatis Theologicæ. Quòd si Augustinus, & Thomas aliter locuti videntur, benignè sunt interpretandi, dicendo, quòd vocem Duliæ, quam hîc assumunt, assumi cum præcisione, & quasi genericè. *Augustin. Thomas.*

25 Respondeo secundò: etiam in secundo sensu affirmandum esse. Ratio est: quia licèt ille cultus detur Deo propter relationem extrinsecam, non tamen datur ipsi propter ipsam, utcumque, & in abstracto, sed in concreto, nempè ut Deum denominat, & prout tales effectus specialiter conciliantur à Deo oriri, Deoque specialissimas tribuere denominationes, quæ videlicet soli Deo competunt: ubi patet dari cultum Deo, non propter excellentiam merè extrinsecam, & relationem purè adventitiam, sed propter intrinsecam excellentiam, ut subest his extrinsecis relationibus benefaciendi, creandi, &c.

P. Arriag. 26 Movet hîc Arriaga dubium: an ex inæqualitate beneficiorum possit hîc adesse inæqualitas in Latriam, & amorem, & utriusque debitum in nobis: & videtur affirmare quod ipse nullo modo probo. Nam aliud est, quòd ex novo titulo magis appareat respectivè excellentia Dei, aut ejus bonitas: unde tenea-

mur amare, & colere quantùm possumus ex titulo multiplici: aliud est, quòd non appareat excellentia, & bonitas, cui ex parte nostrâ non debeat respondere supremus cultus, & amor in nostrâ potestate positus, & summus, si summus elici potest à nobis. Id nego: illud admitto, & do tantùm Arriagæ. Videantur ipse *disp.* 51. *sect.* 5. & 6. & Cardinalis de Lugo *disp.* 34 *sect.* 1. Nos jam ex his descendimus ad rem nostram. *Card. de Lugo.*

SECTIO II.

DE ADORATIONE CHRISTI, ET HUmanitatis ipsius.

§. I.

CONTROVERSIA PRIMA.

27 DVplex est in præsenti puncto controversia principalis. *Prima* prius: deinde *alteram* decidemus. Et *prima* est: An Christus, *ut homo*, possit adorari, & debeat cultu Latriæ? Sensus imprimis non est, an *hic homo* Christus possit, & adorari Latria debeat: id &, tam certum est, quam certum est *hunc hominem* esse Deum. Nec deinde sensus est: An Christus, *ut Homo*, ita ut ejus Humanitas sit ratio propter quâ Latriam terminet. Sensus ergo est, an Humanitas Christi possit, & debeat adorari cultu Latriæ propter excellentiam, Verbi, quâ habet unitam? Notare placet Patri Vazquez *disp.* 95. *cap.* 10. Ex Valdensi invehi contra Vviclephum, quod dixerit, Humanitatem etiam si dimitteretur à Verbo, adorandam fore latriâ. Quòd tanquam delirum quid, & erroneum rejicit ex allegato Augustino Vazquez. Verum Augustinus aliud omninò intendit contra Nestorianos. Et certè Vviclephus vel contendebat, adorandam etiam tùm fore Latriâ absolutâ, vel in hoc non erravit: nam Latria respectiva, & ex contactu cur adoranda non esset? Fortè magis penès id erraruni Felix, & Elipandus, ut suspicatur Aldrete *disp.* 87. *sect.* 2. *à num.* 6. Quicquid id sit, variè circumferuntur sententiæ veterum, vel dubitantium, vel negantium: quorum fortasse mens nunquam fuit alia, quam explicabimus. *Vazquez ex Valdens. Mens Augustin. P. Aldret.*

28 Prima Conclusio: Christus, *ut Homo*, seu Humanitas Christi Domini potest, & debet adorari cultu latriæ. Est communis Theologia, communiter assenta de Fide. Triplex probatio est. Prima ex Conciliis, Alexandrino, Ephesino primo, Quinta Synodo, & Tri- *Concilia Alexand. Ephesin. 1. V. Synod.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Trident. Tridentina. Quorum tria manifestè definiunt Humanitatem coadorari cum Verbo: *P. Bernal.* Videre loca *latè, & doctè* expensa apud Bernal *disp. 69. sect. 1. §. 1.* Tridentinum verò *sess. 13. cap. 5. & can. 6.* definit Sacramentum Eucharistiæ adorandum esse Latriâ ob præsentiam Divinitatis. Secunda ex Patribus: quorum una mens, & unum os est in hac re conspirantium, Humanitatem Adorari indivisibiliter in toto. Legantur inter *Athanas. Cyrillus. Epiphanius* alios Athanasius, Cyrillus, & Epiphanius *apud* Bernal §. 2.

29 Tertia ex ratione: quam sic formo: primò: Nam ut Christi Humanitas adoretur Adoratione Latriæ, non opus est, ut ipsa sit ratio adorâdi, sed sufficit ut constituat unum cum eâ ratione adorandi: Nam & homo Sanctus adoratur propter sanctitatem, quin sit sanctitas; & corpus coadoratur cum animâ, quin sit anima: Atqui Humanitas, licèt seipsa non sit ratio adorandi, nec Divinitas, constituit cum Divinitate, quæ est adorandi ratio, unum per se, & quidem unitate substantiali Personæ: ergo. Secundò: quia Humanitas habet in se ratione Vnionis, & facit vi ejusdem unionis propriam, & suam excellentiam Divinitatis, quæ est ratio, cui respondet Adoratio Latriæ: ergo manet adorabilis cultu Latriæ, eo quidem absolutæ.

30 Oppones primò: Cui convenit adorare, non est debitus Latriæ cultus: atqui Christo quà homini, seu ejus Humanitati *Ioann. 4.* convenit adorare ex Ioann. 4. *Nos*, inquit Samaritanæ Christus, *adoramus, quod scimus*: ergo. Major autem patet, quia cui convenit adorare, habet superiorem, quem recognoscere debet: ergo cultus debitus supremo domino non est debitus ipsi. Secundò: latriæ cultus est debitus Deo, ut est primum principium creationis, quòd certè non convenit Christo, quà homini. Tertiò: Sacrificium non potest offerri Christo, quà homini: est *Augustin.* enim cultus soli Deo debitus ex Augustino *lib. 16. de Civit Dei cap. 20.* ergo neque latriæ cultus. Quartò: quia vel Christi Humanitas adoratur per se, vel peraccidens. Si primum: ergo super omnia. Si secundum: ergo inferiori cultu, quàm sit latria. Quintò: Non sufficit unio cum Verbo, ut Humanitas ametur æquali amore, ac Deus: ergo neque ut adoretur æquali cultu, sed cultus Dei est latria: ergo inferior cultus, quàm latria debetur Humanitati, non obstante Vnione ejusdem ad Verbum.

31 Respondeo ad primum, distinguo majorem: cui convenit adorare, non est debitus Latriæ cultus, secundùm se considerato, concedo, evecto ad ipsam excellentiam, quæ est ratio faciendi debitum latriæ cultum, nego. Humanitas autem per Vnionem ipsam evehitur ad hunc apicem: & in hunc modum loquitur Ephesinum *part 3. cap. 27.* *Cõc. Ephes.* manet ergo per latriam adorabilis, licèt ipsa posit Deum adorare. An potest Angelos, homines, Matrem? Affirmant Delugo *Lugo.* *disp. 35. à nu 72.* Negat Arriaga *disp. 52. sect.* *Arriaga.* 4. cui subscribo. Nam adoratio est actus inferioris ad superiorem: quòd si erga Matrem aliquid præstitit, quòd præferret speciem adorationis, & venerationis, honorandi animo præstitit, non alio. Ad secundum dico, quòd licèt Christo, quà homini non conveniat esse principium creationis, tamen convenit intrinsecè habere excellentiam Divinitatis, & esse suppositum Divinum: idque sufficere, ut debitus ipsi sit Dei cultus, seu latria.

32 Ad tertium: negant Vazquez ex Authoritate existimatâ Augustini posse Christo *Vazquez. Augustin.* quà homini offerri Sacrificium. Affirmat Suarez probabilius, quem postea cæteri secuti sunt. Nam Augustinus solùm loquitur, *Suarez.* & asserit Christum de facto non admisisse Sacrificium; non verò non potuisse. Vnde Cardinalis de Lugo censet posse Christo *Card. de Lugo.* quà homini Sacrificium offerri; non offerri tamen: quia in hac lege solum unum Sacrificium Eucharistiæ, in quo cum ipse Christus sit principalis offerens, videtur sibi quà homini non offerre: Sacrificaret enim sibi ipsi. Quæ ratio est satis solida, quicquid reclamet in oppositum Arriaga *disp. 52. sect. 2.* *Arriaga.*

33 Ad quartum: lis est inter Vazquez, *Vazquez.* & Suarez, an Durandi locutio dicentis, Hu- *Suarez.* manitatem adorari non *perse*, sed *peraccidens*, apta sit, approbante Vazquez, repre- *Durand.* hendente Suarez. Certè si mens Durandi sola fuit Humanitatem non adorari propterse, & propter rationem sibi essentialem, sed propter aliud, & propter rationem sibi alium de adventitiam, retentâ semper unione substantiali inter Humanitatem, & verbum, verum dixit: sed quia eæ voces aliud, & plus sonare videntur, admittendæ non sunt, & dicendum, Humanitatem, licèt adoretur propter se, per se tamen adorari, quia adoratur propter excellentiam, quam intimè habet, & cum quâ facit unum ens per se.

34 Ad quintum multi conantur disparitatem, mihi summè difficilem. Vide Patrem *P. Bernal.* Bernal *disp. 69. sect. 1. §. 4.* Ea paritas mihi videtur exigere majorem explicationem cõmunis Doctrinæ, & præcedêntis cõclusionis, quam duplici *conclusione sequente* præstabo.

35 Secunda Conclusio: Christus, *ut homo*, atque adeò ipsius Humanitas adorari debet eâdem adoratione Latriæ, quâ Verbum adoratur, atque adeò supremâ. Hanc veritatem ita propositam mihi suadent adducta, & laudata Concilia: sufficiant Verba Quintæ Synodi Generalis *collat. 8. cap. 9. Qui non unâ adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipsius carne adorat, &c. anathema sit.* Et hæc est mens Patrum, & Theologorum, dum uno ore fatentur Humanitatem unà coadorari cum Verbo. Ratio est: quia actus adorandi suppositum Verbi cadit in Naturam, cum quâ facit Personam; atqui Humanitas est Natura, cum quâ Verbi Personalitas Personam constituit: ergo actus adorandi suppositum, cadit in ipsam Humanitatem.

36 Tertiâ Conclusio: Nihilominùs, licèt eadem, & una adoratio respiciat Humanitatem, & Verbum, neque Humanitas est tam adorabilis, & excellens, quàm Verbum, neque Adoratio respectu utriusque æqualis est. Id fortè senserunt antiqui Theologi, *Suprà lib.* qui *suprà* pro parte negativâ insinuati sunt: *hoc 5. disp.* idque ipse dixi *disp. 1. sect. 2* & absolutè *1. à nu 101.* tenent Arriaga *disp. 52. sect. 2. & 3* Ber- *Arriaga.* nal *disp. 69. sect. 1. §. 4.* & Aldrete *disp.* *Bernal.* 48 *sect. 1. & alibi.* Ostenditur prima pars: *Aldrete.* quia licèt Humanitas reddatur per Divinitatem excellens, & adorabilis non redditur Deus: ergo sicut ob eandem rationem non redditur tam bona, & Sancta, quàm Deus, ita neque tam adorabilis, & excellens, quàm Deus. Ostenditur quoad secundam: quia Adoratio correspondet rei ut Adorabili, & ut Excellenti; sed Humanitas non est æquè excellens, & adorabilis, ac Deus: ergo neque Adoratio est æqualis respectivè ad Humanitatem, & ad Deum. Confirmatur utraque pars. Potest esse unus & idem amor respectu Humanitatis, & Verbi, quin æqualiter amet utrumque. Verbũ enim amat super omnia: non verò Humanitatem: ergo licèt sit unus, & idem actus adorandi respectu Humanitatis, & Verbi, non ideò debet æqualiter adorare.

37 Dices primò: ergo falsum est, quod Humanitas adoretur eâdem adoratione quâ Deus. Nego consequentiam. Eâdem enim adoratione colitur, sed diversimodè respiciente Humanitatem, ac Verbum: id quod vulgare est in multis actibus, indivisim tendentibus in plura objecta, & diversimodè juxta capacitatẽ singulorũ denominantibus.

38 Dices secundò: ergo adoratur Humanitas cultu, qui sit inferior, quàm latriæ cultus. Nego consequentiã: quia eodem omninò cultu supremæ latriæ colitur. *Dices* tertiò: ergo saltem ille cultus supremæ latriæ, si comparetur cum Humanitate non est latria. Nego etiam consequentiam, & distinguo duplicem rationem, seu formalitatem latriæ; aliam, quæ potest dici latria omninò suprema, & eximia: aliam, quæ potest dici latria secundaria, & non tam perfecta. Dico igitur, & fateor illam supremam latriam, quâ coadoratur Humanitas, comparativè ad ipsam, non esse illam eximiam, & primariam, & supremam, quâ res adorata adoratur ut Deus; esse tamen latriam, licèt non tam perfectam.

39 Dices quartò: ergo Humanitas non aliter adoratur, *ac Crux*. Nego consequen- *Suprà disp.* tiam. Crucis enim adoratio latriæ, solùm est *1. nu. 47.* respectiva: Humanitatis verò perfectior est, & absoluta. Et hæc de *prima controversia.*

§ II.

SECUNDA CONTROVERSIA.

40 ALtera Controversia, nata præsertim, & adulta inter Patres Suarez *P. Suarez.* & Vazquez maximis utrinque conatibus, est: *P. Vazq.* an Christi Humanitas, physicè & licitè possit adorari alio cultu, quàm latriæ, nempe propter excellentias alias creatas, quas habet, facta quadam mentali præcisione à Verbo? *Negavit* Vazquez, & physicè & licitè posse, *per totam disp 96* immenso ferè molimine Authoritatis, & Rationis. Affirmavit utrũq; Suarez æquè animosè *disp 54.* Conatus est inter utrumque concordiam Cardinalis de *Card. de* Lugo *disp. 35. sect. 3.* affirmans physicè posse; *Lugo.* negans, licitè.

41 Pater Arriaga *disp 53. sect 5 subsect.* *P. Arriag.* 2. licèt in re Sententiâ Patris Suarez asserat, *non benè* eam tamen, ex Patris Suarez, ut ajt, penetratã mente, sic proponit, ut reddat omninò *cẽsentis de* monstrosam. Hallucinatio Patris Arriagæ in *P. Suarez* eo fuit, quòd non distinxerit multa, perquæ *hallucina-* controversiam duxit Pater Suarez: nam *ipse* *tio.* primò *quæsivit*: an Humanitas posset adorari propter dignitatem Verbi, factâ quadam quasi præcisione, ut adoratio non esset Verbi, sed Humanitatis. Secundò *quæsivit*: an ea adoratio foret latria. Tertiò: an Humanitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi majori præcisione spectata posset adorari propter dignitatem Vnionis, ut contradistincta à Verbo? & quod genus adorationis foret hoc? Quartò: an ultrà posset adorari propter excellentiam Gratiæ,& aliarum dignitatum,ut præcisam ab unione,& à Verbo?& quali adoratione? Hæc omnia promisit: cuè habet Arriaga, jactatà nihilominùs diligentià pro mente Magni Suarez assequendà.

Nostra Mens cum Suarez. Aldrete.

42 Quarta Conclusio: & in hoc puncto Prima: Potest simpliciter, & licitè adorari Humanitas propter dignitatem Verbi,ita ut adoratio non sit adoratio Verbi, sed Humanitatis: ita Suarez *loc.cit.*& Aldrete *disp.*48. *sect.2. à nu.*10. Probatur prima pars de physicâ posibilitate, quia Potest adoratio ita tendere in Humanitatem, & dignitatem acceptam à Verbo, ut Humanitas sit id, cui summittimur: Dignitas autem non sit id,cui, sed propter quod summittimur; atqui talis actus adorandi non est adoratio Verbi, sed Humanitatis,ut patet:ergo,&c. Major patet: quia benè potest ratio formalis exercere vim movendi, ut submittamur alteri, quin exerceat vim movendi ut summittamur ipsi. Et ratio est,ut occurram instantiæ,quæ fieri potest ex ratione formali, quæ movet ad amandum:quia potest contingere,& contingit sæpè,ut aliqua ratio sit ratio sufficiens ad movendum adorationem,quin sit capax adorari: sic gratia est ratio, cur adorem justum: non est capax,ut adoretur: neque enim summitto me justitiæ, sed justo propter illam. Probatur secunda pars de licito: quia in tali adoratione nulla committitur inordinatio, ut ex argumentorum solutione constabit.

Doct. Eximius

43 Quinta Conclusio, & in hoc puncto secunda: Talis adoratio est adoratio latriæ, non verò *eximiæ*, & *omninò perfectæ*, sed *inferioris* eà,quà Deus adoratur. Secunda pars liquet *ex tertiâ conclusione*, & urgetur: nam per eam adorationem non colitur Humanitas super omnia,neque ut Deus:at latria perfecta, & eximia id habet. Ostenditur prima pars: quia ea adoratio redditur Humanitati propter dignitatem Divinitatis & excellentiam, omninò superantem omnes dignitates finitas:ergo est latria. Videatur Eximius Doctor *disp. cit sect* 2. in primâ *concluf. & sect.* 3 *in ultimâ Concluf.*

Ipse Suar.

44 Sexta Conclusio, & in hoc puncto tertia: Potest Humanitas physicè, & licitè adorari propter dignitatem Vnionis, præcisim à dignitate Verbi.ita Suarez & alii. Probatur prima pars de physicâ posibilitate; quia Humanitas sanctificatur ab Vnione,non *ut quo*, sed *ut quod*, neque solùm, ut medio communicante Sanctitatem Increatam, sed etiam ut sanctitate formali, ex dictis *alibi*: ergo capax est concipi sancta per unionem, factâ aliqua præcisione à Sanctitate verbi,ut constituente concretum sancti formaliter per unionem: ergo potest concipi ut adorabilis, quin in ratione formaliter denominante ingrediatur constitutivè ipsa Divinitas,& Dignitas Verbi, quæ unionem terminat: ergo, &c. Probatur secunda pars de licito: quia neque in hoc actu adorandi latet ulla inordinatio,ut etiam ex argumentorum solutione constabit.

Suprà lib. 1. disp.3. à nu.117. & lib. hoc 5. disp. 1. à nu. 37.

45 Septima Conclusio,& in hoc puncto quarta: ea adoratio est adoratio *Hyperduliæ nobilissimæ formaliter: reductivè* verò, *Latriæ*. Ratio secundæ partis est: quia ea dignitas moraliter indistinguitur à Divinitate: & est de linea ordinis, & suppositi Divini. Prima pars patet: quia ea sanctitas, quæ in unione consistit,non est increata perfectio,neque sanctitas infinita: est tamen inter omnes finitas nobilissima: ergo fundat nobilissimam Hyperduliam.

46 Octava Conclusio,& in hoc puncto quinta: Potest demum Humanitas adorari physicè,& licitè propter dignitates alias,quæ præscindunt à dignitate Verbi, quales sunt Gratiæ, Gloriæ,& hujusmodi. Probatur prima pars de physicâ posibilitate: quia istæ dignitates, secundùm se, possunt præscindi à Dignitate Verbi:deinde secundùm se reddunt Humanitatem dignam cultu, & adoratione: cur ergo non possit dari actus adorationis, qui tendat in Humanitatem propter illas? Secunda pars de licito probatur etiam: quia talis actus nihil habet vitii, neque per excessum, neque per defectum: non per excessum: quia potest tali dignitati excogitari par cultus; neque per defectum: quia imprimis, ut non teneamur semper cogitare de dignitate Vnionis, cùm de Humanitate cogitamus,cur quando ipsam adoramus? Deinde, quia dare cultū Humanitati propter dignitatem hujusmodi non est negare alium propter novam dignitatem debitum.

47 Nona Conclusio, & in hoc puncto sexta: ea adoratio non est *Latriæ*, sed *hyperduliæ*. Prima pars patet: quia ea adoratio non respicit excellentiam, quæ non possit esse in puræ creaturâ, & quæ non possit esse puræ creaturæ, sed excellentiam secundùm se finitam: non ergo est latriæ adoratio. Probatur

batur secunda pars: quia ea dignitas est excellentissimæ Gratiæ, & longè superans eas, quæ in putis Creaturis reperiri soleat, & de potentiâ ordinariâ possunt: ergo fundat cultum superduliæ, seu Hyperduliæ.

P. Vazq.

48 Oppones ex Vazquio: primò contra assertam posibilitatem hujusmodi cultûs: primò innumeram eruditionem *Conciliorum & Patrum* absolutè damnantium duas adorationes respectu Christi & ejus Humanitatis: quorum doctrina stare cum nostrâ nequit admittente respectu Christi, & ejus Humanitatis Sacrosanctæ multiplex adorationum genus. Secundò: quia, si non adsit error circa Christi Humanitatem, non potest ipsa concipi sine dignitate, quam habet à Verbo: ergo non potest adorari sine cultu tendente in ipsum verbum: ergo nisi cultu latriæ. Antecedens patet: quia, nisi adsit error, & ex rectâ fide, statim apprehensa Humanitate occurit, cujus ea sit: ergo & Christi dignitas.

Sensus CC. & PP. apud Vazq

49 Respondeo, & ad primum dico ex communi sensu Theologorum Conciliorū, & Patrum per textus, quos adeò diligenter aggessit Pater Vazquez, solùm intendisse, & voluisse damnare dualitatem adorationis multiplicantem in sensu Nestorii, & Theodori Personas in Christo: eatenus enim negant respectu Christi divisionem adorationis, quatenùs ea divisio non solùm sit *merè præcisivè*, sed *negativè*, id est, cum negatione Divinæ excellentiæ, & Personæ in Christo *quâ homine*, atque adeò, quatenùs ea divisio multiplicat in Christo Personas: nullo verò modo negant divisionem purè præcisivam Adorationis, quatenùs nempè cognitâ præcisim à Dignitate Verbi Humanitas ornata aliis excellentiis, terminare possit genus adorationis illis excellentiis respondentis, non verò excludentis dignitatem, ob quam major adoratio debeatur. Hanc esse mentem *Patrum, & Conciliorum* convincunt omninò Suarez, Bernal, Amicus, Martinon, & quod plus est, magnus Vazquii vindex,& assecla Meratius. Idque *ex calamo Damasceni* subtiliter, & apertè tenentis Sententiam nostram *lib* 4. *de Fid. cap.*3.

Suarez. Bernal. Amicus. Martinon. Meratius. ex, & cum Damasc.

50 Ad secundum dico primò: ex illo ad summum fieri non posse Humanitatem coli nisi cultu, qui simul sit Latriæ; at verò coli non posse cultu, qui simul sit Hyperduliæ, & latriæ, nullomodo fieri. Dico secundò:sicut,licèt non adsit error, potest fieri præcisio in Mysterio Trinitatis,unius perfectionis ab aliâ,unius Personæ ab aliâ: (*quia præscindentium non est mendacium*) ità similiter in Mysterio Incarnationis, potest fieri præcisio unius dignitatis ab aliâ.

Vazq. & Lugo.

51 Oppones ex ipso Vazquio, & Cardinali de Lugo cōtra licitum usum talis adorationis: Primò, licèt honor, & cultus deferatur me diâ cognitione,ut quando honorari vult aliqua persona, debet apprehendi maxima ejus dignitas. Secundò: quia Adoratio est decens tractatio Personæ, quam adoras; ut persona, quæ potest adorari cultu supremo, & adoratur minori,non tractatur decenter,sed indecenter: tractatur enim aliter,ac debet.

52 Tertiò: & sit ratio à priori:quia cultus, quem exhibemus alicui est significatio distantiæ, quæ inter illum est, & inter nos, interque dignitatem illius,& nostram: unde quo major est cultus, majorem distantiam profitemur, & minorem, quo minor est: atque adeò, quo minor est cultus, & minor distantia significetur illius, quem adoramus, à nobis qui adoramus, eo minùs ab eo nos esse distantes profitemur, & nos æquari magis ipsi volumus: atqui indecens est, ut homo vulgaris (quales nos omnes sumus respectu Christi) ipso cultu se profiteatur minus distantem à Rege, quàm est, & ipsi se velit æquare: ergo,&c. *Sic discurrit* Delugo.

53 Respondeo,& ad primum primò:ex eo solùm fieri ad summum posse deberi, Christum Dominum coli indivisim cultu,qui sit etiam Latriæ. Secundò: sicut potest res aliqua multipliciter bona,amari affectu tendente in hanc rationem bonæ, non tamen aliam excludente, sed præscindente: ita rem multipliciter dignam adoratione,posse adorari cultu tendente in hanc dignitatem, aliam nec excludente nec curante. Tertiò distinguo: quando honorari vult Personæ, quantum debet inspectâ totâ suâ dignitate, concedo: quando honorari vult, respectivè, & attenta hac,vel illâ dignitate præcisè, nego. Ad secundum distinguo minorem, & adoratur minori, quàm postulet dignitas, quæ movet ad adorandum, concedo: quàm postulet alia ejusdem Personæ dignitas, quæ tamen modò non movet ad adorandum, nego. Fateor peccati posse,si externè sit periculum scandali significantis, quòd Christo negetur altior adoratio, quasi aliunde non debita.

54 Ad tertium dico, nos ipso cultu testari excellentiam, quæ nos movet ad adorandum, & insimul Personæ, quam colimus, distan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

distantiam à nobis in eo ipso excellentiæ, profitemur expressè, non tamen proinde negamus altiorem dignitatem, & ulteriorem distantiam, nec à neutrâ dejicere nitimur, aut volumus: minus volumus æquare nos ipsi: imò testamur, quod licèt ob alias excellentias distantissimus à nobis sit sede, & dignitate, ob hanc etiam, quam modò colimus, distans est. Neque id est contra communem usum: quo nempè sæpius venit, ut Personæ aliàs magnæ, & altæ dignitatis, ob minores dignitates *certis temporibus, & locis*, admittant veneraciones hisce minoribus excellentiis debitas, factà quadam, *non exclusione, sed præcisione* dignitatum altiorum, quas habent. Sic *Rex*, qui aliquando, *& Canonicus, & Abbas* est aliquarum Ecclesiarum, gaudet in illis habere *sedem Abbatis, & Canonici*. Nec id eos dedecet.

55 Duo restant hìc *dubia*: *Primum*: An Humanitas Christi, ut à Verbo præcisa possit orari? Negat Suarez: quia Humanitas Christi ut à Verbo præcisa orare non potest nec operari: ergo nec orari. Certè Humanitas, licèt orare non posset, nec operari, non est cur exorari non posset. Deinde orare potest, & operari, tanquam principium elicitivum orationis, & operationis, quòd sufficit, ut orari possit: ut enim quis oretur, non requiritur, quòd ipse se solo, & omnimodo possit rem præstare; sufficit si aliquomodo influere potest in collationem rei petitæ. *Quare* melius affirmant Vazquius, Lugo, Amicus, & Arriaga: Patet primò ex communi usu satis illis precibus expresso, *Anima Christi sanctifica me, &c.* Secundò: quia oratio fit rectè in eum, cujus arbitrium flectere volumus, ut nobis rem aut impetret, aut concedat; atqui arbitrium Christi, quà hominis in Humanitate consistit, cui alioquin est annexa dignificatio Verbi, quovis modo velit operari: rectè ergo possumus orare Humanitatem, ut suum erga nos arbitrium flectat, & interpositâ suæ subsistentiæ dignificatione, nobis obtineat, quod appetimus.

Suarez.

Vazquez. Lugo. Amicus. Arriaga.

56 Alterum *dubium* est: An Christo ut Redemptori debeatur latriæ cultus? Negavit Schotus, eo ductus principio, quòd Christus eatenus nos redemit, quatenus meruit nobis amissam Gratiam: in quo, inquit, nulla intervenit ratio, quæ non sit creata: nam in hoc merito solùm datur actio Humanitatis condignificata à Gratiâ habituali. Sed hoc fundamentum Schoti *suprà* dissectum est: *ubi* ostendimus meritum satisfactorium pro peccato necessariò dicere ultetiorem dignitatem, quàm puræ Creaturæ, & rationem Divinæ excellentiæ: cùm nulla pura creatura possit satisfacere de condigno pro peccatis, nec Redemptoris simpliciter dicti gloriam habere. Quare affirmat communis opinio cum Suarez, & *meritò*: Nam ratio Redemptoris dicit excellentiam Divini suppositi.

Schotus.

Sup. lib. 2.

P. Suarez.

SECTIO III.

DE ADORATIONE SANCTORVM, ET eorum Reginæ Matris Dei.

57 PRima difficultas: An Sancti, tam homines, quàm Angeli, tam in Patriâ, quàm in viâ cultu plusquam politico, & civili possint, & debeant adorari? Negant hæretici apud Vazquez videndi, contenti dicere, Sanctos civili solùm, & politico cultu posse licitè coli: qui cultus est ille, quo se mutuò solent honorare cives, & spectat ad civilem, & politicam observantiam. Respondeo, & *assero* primò: Sanctos coli non posse ratione excellentiæ creatæ cultu Dei proprio, qualis est Latriæ. Ratio est, quia cultus debet esse proportionatus excellentiæ, propterquam quis colitur.

P. Vazq.

58 Respondeo, & *assero* secundò: Sanctos, præcipuè Beatos, coli posse cultu plusquam ciuili, id est sacro, & Religioso, nempè Duliæ, vel hyperduliæ, juxta proportionem supernaturalis excellentiæ, quà gaudent. Ratio est: quia Adoratio est exhibitio summissionis internæ alicui habitæ propter excellentiam, quà pollet: ergo quò major sit alicujus excellentia, eò debet esse cultus major. At in Sanctis est excellentia simpliciter major his, quæ politicæ, & puræ civiles sunt, & apparent in hominibus: est enim excellentia supernaturalis, & sacra: ergo cultus debet esse ultra civilem, & politicum, atque adeò specialis, sacer, & Religiosus.

59 *Dixi præcipuè Beatos*, non quòd negem justis adhuc vivis non posse exhiberi cultum sacrum, sed quòd ex regulâ Sancti Augustini *lib. 20. contra Faustum cap 21. de Beatis nulla potest esse contingentia. Imò* quò certior est Beatitudo alicujus, certius est debitum adorationis: quare de Beatificatis, & Canonizatis ab Ecclesia solemnis cultus, & publicus haberi potest: de aliis privatus esse debet juxta regulas Ecclesiæ *cap. 1. & 2. de Feriis.* Quæ Hæretici opponunt, *Levia* sunt. Videantur apud Vazquez, Delugo, & Bellarminum.

Vazquez. Delugo. Bellarm.

Se-

60 Secunda difficultas: an Adoratio, quæ Sanctis exhibetur, sit *absoluta*, vel respectiva? Communis sententia, quam benè explicat Cardinalis de Lugo *disp. 35. sect. 1. à num. 8.* videtur esse, Adorationem, quæ usitatior & communior est erga Sanctos, absolutam esse; posse tamen esse respectivam. Quæ sententia *vera* est; & ostenditur quoad primam partem: Nam adoratio absoluta ea est, & dicitur, quæ tribuitur alicui propter excellentiam propriam ipsius, & in ipso existentem; atqui adoratio usitatior, & communior erga Sanctos, exhibetur à Fidelibus propter excellentiam ipsorum propriam, & repertam in ipsis: adorantur enim, & coluntur ratione Sanctitatis, & amicitiæ, quâ pollent: ergo ea adoratio absoluta est, & dici debet. *Dices*: adorari Sanctum, quia Sanctus est, est adorari, quia amicus Dei est: ergo de primo ad ultimum Sancti adorantur respectivè propter Deum. Nego consequentiam. Aliud enim est, quòd excellentia, propter quam Sanctos colo, referatur ad Deum, quòd est verum: aliud quòd cultus Sanctis exhibitus sit respectivus, & propter excellentiam Dei, quod negamus: nam excellentia Gratiæ, licèt referatur ad Deum, in se habet distinctam rationem excellentiæ à Divinâ.

Card. de Lugo.

61 Fateor tamen, arguitivè coli Deum, dum Sanctos colimus, quia amici sunt Dei: quæ fuit mens SS. PP. quos Suarez allegat. Ostenditur, quoad secundam partem: quia Sancti possunt coli, ut vivæ imagines Divinitatis, & ut viva Templa, in quibus Deus specialiter inhabitat, atque adeò propter excellentiam Divinam, quam in se quasi extrinsecè habent, & tanquam in vivâ imagine: ergo possunt coli propter hujusmodi excellentiam: at hic cultus respectivus est. *Imò* Latriæ cultus; cavendus ex Consilio Sancti Thomæ. Videatur istius cultûs, quà possibilis, propugnatio apud Oxea *tract. de charit. disp. 2. sect. 4.* ubi benè satisfacit Ripaldæ contradicenti.

Suarez.

S. Thomas. Oxea. Ripalda.

62 Tertia difficultas: an Adoratio Sanctis exhibita eliciatur, aut elici possit ab eodem habitu, quo Dei adorationem elicimus? Affirmat post Marsilium Martinonus *disp. 16. sect. 5. num. 57.* Negant alii communiter. *Ipse* distinctione utendum reor: Nam si Adoratio Sanctis exhibita sit respectiva, elicitur ab eodem habitu, à quo elicitur Dei adoratio: nam utraque pertinet ad Latriam: sicut ab eodem habitu Charitatis diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum: si verò adoratio fiat absoluta propter specialis sanctitatis excellentiam, fiet ab habitu diverso.

Marsil. Martinon.

63 Ratio sumitur ex magnâ diversitate honestatum sequentium diversitatem dignitatum, & excellentiarum: sic diversus habitus ponitur ad amandum Deum propter se; & ad amandum propter se proximum: & diversus pœnitentiæ datur habitus pro peccatis, & offensis contra Deum, ac contra homines. Id quod non solùm intelligo de habitu acquisito, sed etiam de habitu infuso. Videatur inter alios Cardinalis de Lugo multa de his subtiliter disputans *disput. 35. à num. 12.*

Card. de Lugo.

64 Quarta difficultas: an, & quousque injuria facta alicui Sancto, vel ipsius Imagini, aut Personæ Sacræ dicenda sit Sacrilegium? Ratio dubitandi est: quia talis injuria solùm opponitur virtuti, à quâ elicitur Sanctorum adoratio; atqui talis virtus non est Religio: ergo neque talis injuria opponitur Virtuti Religionis: neque ergo erit irreligiosa, seu irreligio, aut Sacrilegium. Ob id Vazquez, & Arriaga negant eam injuriam esse Sacrilegium. Nihilominùs Cardinalis de Lugo *censet* primò, eam injuriam non esse strictè & propriè Sacrilegium: quatenùs Sacrilegium dicit actum oppositum virtuti Religionis. *Censet* secundò, dici posse, & esse latè Sacrilegium, quatenùs Sacrilegium sonat actum oppositum cultui Sacro, qualis est cultus Sanctorum. *Censet* tertiò, hæc intelligenda in sensu formali, non in sensu materiali, & identico talis injuria propriè dici debet Sacrilegium. Ratio est: quia ad induendam honestatem Religionis non sufficit quomodocumque intendere rem Sacram: at ad contrahendam malitiam irreligionis sufficit intendere id, ex quo sequatur materialiter Dei inhonoratio. Magis probo discursum hunc Cardinalis.

Vazquez. Arriaga. Card. Lug.

65 Quinta difficultas: quo cultu sit adoranda Mater Dei? Insinuabo, quæ latè, & verè de Deipará tradit Eximius, & Marianus Doctor Pater Suarez. Triplex titulus adorationis excogitari potest in Beatissima Virgine. *Titulus Gratiæ: Titulus Matris Dei: & Titulus contactûs.*

P. Suarez.

66 Censeo primò: ex *primo titulo* coli posse, & debere cultu Sacro, qui sit *hyperdulia*. Ratio est, quia licèt ejusdem speciei gratiâ polleat, quâ Sancti reliqui: est tamen in Beatâ Virgine excessus maximus Gratiæ, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui specialem cultum sibi vendicat.

67 Censeo secundò: Coli posse, & debere ob *titulum Maternitatis*,& quidem cultu superioris *hyperdulia*. Ratio primæ partis est: quia Dignitas Matris Dei est Dignitas Sacra,& supernaturalis, quæ licèt formaliter non sit forma Sanctificans, radicaliter, & in jure Sanctificat: estque quid moraliter intrinsecum in Deipara. Ratio secundæ partis est, quia superior dignitas superiorem etiam sibi vendicat cultum: non quidem latriæ: quia non est dignitas Dei: Hyperduliæ tamen excellentissimæ, quia est dignitas de ordine valde excellenti,nempe hypostatico. An verò hæc adoratio eliciatur ab habitu speciali, distincto à communi dulia, & à latria, dubitant Authores. Affirmant communiter reli-
Doct.Exim qui: Negat Eximius Doctor, existimans habitum latriæ servire ad elicientiam hujusmodi adorationis: quippe fundatur in Dignitate, quæ pertinet ad ordinem Christi, & Dei.

68 Censeo tertiò:coli etiam posse *ex titulo contactûs* atque adeò *latriâ respectivâ*, ad eum modum, quo *Crux* adoratur. Ratio est: quia perfectiùs tetigit Christum Virgo, & modò magis intimo, & mirabili, quàm ipsa Crux. *Dices*: hæc ratio adorationis non differt à titulo Maternitatis: nam Mater facta est ipso contactu. Respondeo, titulum Matris esse titulum dignitatis quasi intrinsecæ Virginis: quod *titulo præcisi contactûs* non convenit.Deinde *titulus contactûs* generalior est. Videatur Eximius Doctor *tom. 2. in 3. part. disp.22. sect. præsertim 2. & 3.*

SECTIO IV.

DE CVLTV, ET ADORATIONE Imaginum.

§. I.

SVPPOSITIS NONNVLLIS, EXPONITVR Controversia.

69 DVO supponimus è polemica Theologia; & *Tertium* ex Scholastico rigore decidendum accipimus. *Primum*,quod supponitur est: Dei, Angelorum, & Sanctorum Imagines rectè, & licitè pingi, & in templis collocari. Id quod de Fide est *ex*
VII.Synod *VII.Synodo ad id* specialiter congregatâ: exque totius Ecclesiæ Catholicæ *praxi, & usu*. Et ratio præsto est: nam usus imaginum nullam malitiam dicit: imò plures affert utilitates quas egregriè percurrit Synodus allegata. Et quidem *intolerabile est*, licere imagines Principum,aliorumque virorum famæ inaniter sonantis præconio insignium retineri, & asservari; non verò imagines eorũ, qui vero laudis genere insignes sunt. Quòd si Populo judaico vetitæ sunt, (quod negat Suarez) factum id est propter nimiam ejus *Suarez.* populi propensionem in idololatriam.

70 Alterum, quod hic supponitur, est, contra *Iconomachos* tam veteris, quam recentis ævi: licitum,& obligatorium esse Sanctorum imagines colere, adorare, & venerari. Id quod à Septima Synodo *act.* 7. & à *VII.Synod* *Concil.* Tridentina *Sess.*25. sancitum est: & firmant *Trident.* innumera miracula, & beneficia, quæ quotidie hac via Fideles experiuntur: & tandem ratio convincit: quia honor imaginis redundat in exemplar, sicut & injuria;& excellentia Personæ postulat, non solùm in se coli, sed etiam in ipsis, quæ ipsam Personam repræsentant. His ita suppositis,quibusde latè disputant, legendi cum fructu, è Polemicis Bellarminus, Valentia, Barraut: ex Scholasticis Suarez,Vazquez, Kouinch,& Delugo; *Bellarmin.* *Valentia.* *Barraut.* *Suarez.* *Vazquez.* *Kouinch.* *Delugo.*
restat modò discutiendum *tertium* &

71 Quæstio in hoc puncto gravis, atque difficilis, de *modo*,quo Imagines venerandę, & adorandæ sunt? Pro cujus declaratione revocare in memoriam oportet *tria* illa, quæ in actu, & exercitio adorandi interveniunt. Nempe *interna summissio*: *voluntas eam* significandi per aliquam actionem: *actio testativa* summissionis internæ: hæc *tria* eo se habent ordine, communiter loquendo: ut actus summissionis internæ, imperet voluntatem, eam significandi; & voluntas summissionem significandi imperet executiodem signi testantis eam summissionem internam.

72 In quo tria notanda maximè sunt. *Primum*: Adorationem, suppositâ internâ summissione, indivisibiliter coalescere ex voluntate exhibendi signum testativũ internæ summissionis, & ex exhibitione talis signi. *Secundum*: quomodocumque sis decidatur, salvari debere contra Durandum, & alios, quòd imagines propriè & verè colantur, & adorentur, & quidem imagines, non sumptæ materialiter, prout sunt res quædam artificiales, sed formaliter, & quatenùs in esse representativo fiunt quid unum cum exemplari: nam in primo sensu nullus ambigit, nullam ipsis deberi adorationem. *Tertiũ*: ex-

extra litem esse, cùm agitur de cultu imaginum, signum externè testativum summissionis internæ, immediatè versari circa ipsam imaginem formaliter sumptam. Iam

73 Status ergo quæstionis vertitur in his tribus:*primum*:an imagines ita possint & debeant adorari,ut ipsæ *per se* sint totum objectum Adorationis, tam internæ, quàm externæ,propter excellentiam tamen *non suam*, sed *exemplaris*, ita ut non solùm externa genuflexio v. gr. versetur circa imaginem, sed etiam interna summissio? *Secundum*: an saltem possint,& debeant esse partiale objectum tam internæ, quàm externæ actionis; ita ut licèt interna summissio terminetur ad exemplar, terminetur etiam ad imaginem, ut ad id cui nos submitti volumus. *Tertium*: an hic cultus, cujus est capax imago,possit, aut debeat esse diversus à cultu *Exemplaris*? Quæ omnia comprehendunt alii quærentes: an imagines possint adorari, non adorato exemplari, vel cultu inferiori, quo adorari debet exemplar? Et quidem in hac re

74 Duplex,omissis modò aliis, quæ vix æstimantur in Schola, Sententia est satis celebris. Prima affirmat, & docet primò:imagines adorari posse eodem cultu,quo exemplar. Secundò: adorari posse ita ut non solùm terminetur ad ipsam externa actio adorationis, sed etiam interna summissio, sicque communiter adorari. Tertiò: eum cultum, qui exhibetur imagini, esse inferiorem eo, qui Prototypo solet, & debet exhiberi. Ita cum aliis multis, præsertim ex noviori-
Bellarm. *Suarez.* bus, Bellarminus,& Suarez.

Prima Sententia.

Secunda Sententia.

75 Secunda Sententia negat, & docet primò: imagines nec debere nec posse adorari ita ut actus summissionis internæ versetur immediatè circa illas,sed circa prototypon. Secundò: non posse exinde imagines esse totum objectum adorationis, nec alio cultu coli, quàm cultu prototypi. Tertiò, eatenus imagines coli, & adorari, quatenùs ex effectu summittendi nos prototypo,imperatur exhibitio venerationis, & reverentiæ extetnæ circa ejus imaginem, & ad ipsam ut illius repræsentationem,testando imagini prout repræsentat exemplar, summissionem internam, quam circa exemplar exercemus, & experimur: idque sufficere,ut verè dicantur Imagines coli, & adorari: Nam Imago non solùm est incitamentum,& occasio adorandi,& honorandi prototypum (ut ajebant Durandus,& Alphonsus à Castro) sed sunt verè terminus reverentiæ, & venerationis,

Aranda de Incarnatione.

quâ testamur ipsis externè præstita,summissionem nostram erga exemplar, & exemplaris excellentiam.Ita,cum aliis quos allegant, Vazquez, Valentia, Lessius, Kouinch. Meratius, Gaspar Hurtadus, alii. Quorum Sententia mihi videtur *verosimilior*,eamque sequentibus assertionibus explico. *Vazquez.* *Valentia.* *Lessius.* *Kouinch.* *Meratius.* *Gasp Hurt.*

§. II.

DECISIO CONTROVERSIÆ PER QVAtuor Asserta.

76 PRima Conclusio: Imagines nec debent, nec possunt ita adorari, ut interna summissio, quam testamur, immediatè versetur circa ipsas,sed circa prototypon in ipsis. Duplex mihi est, *remissis* apud Vazquez *disp* 108 *penè innumeris*, præsentis asserti probatio est. Altera ab *Authoritate*: altera *ratione*, altera. *Vazquez.*

77 Primam sumo ex VII. Synodo,quæ *VII.Synod* fuit *Nicæna secunda*,& ex Tridentinâ,& formo sic: Nusquam & nunquam Patres, & *Trident.* Concilia, cùm de cultu Imaginum agunt, illum explicant per significationem summissionis internæ, quam solent appellare *adorationem in Spiritu*, sed illum explicant unicè per *significationem actûs externi*: imò negant imaginibus posse *adorationem in Spiritu* convenire: ergo censent Imagines nec debere, nec posse coli sic, ut etiam interna summissio, quam coràm, & in ipsis testamur respectu prototypi, versetur immediatè circa illas.Consequentia est mihi urgentissima: nam si alius liceret respectu imaginum cultus, quomodo coarctarent ad actiones externas? quomodo omitterent? aut quomodo tam expressè negarent circa eas adorationem in Spiritu, quæ unicè sonat apud ipsos,& apud nos unicè sonare debet internam summissionem?

78 Antecedens igitur assumptum apertè convincitur,relatis verbis Septimæ Synodi *act.* 4. *ubi* negat absolutè imagines posse *IIV.Synod* coli latriâ. Imò Tarasius *in Epistola ad Impe-* *Tharas.* *ratores*, quæ habetur *post act.* 7. addactis verbis Sancti Gregorii Theologi: *Bethleem cole, & præsepe adora*, subdit: *Quis putas eorum, qui rectè, & sincerè intelligunt, quæ divina scriptura proferuntur, intelligit, quod hæc de Adoratione, quæ Spiritu fit, pronunrientur*? & infrà: *Nunquid fastigio virgæ servivit Iacob, aut præsepi præcepit Gregorius Theologus deservire.* Et ultra,cum de eadem

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultu agit, *unicè exprimit actus externos.* Nunc sic: Qui Imagines ita colit, ut eas internâ summissione tangat, eisque se internè summittat, verè eas adorat in Spiritu, eisque servit, & se earum servum profitetur: at Synodus negat, respectu imaginum adorationem, quæ in Spiritu fit, ut profiteri nos respecta earum servitutem: ergo negat eas ita coli, ut interna summissio penès ipsas immediatè versetur.

Trident. 79 Confirmatur hæc omnia ex Tridentini *Sess.*25 ubi Synodus agens de cultu imaginum hæc habet: *his debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in eis divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ: sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christũ adoramus & Sãctos.* In quibus pondero. *Primum*: à Tridentino definiri adorationem imaginum, & modum adorationis; supponens nullum aliud esse modum adorationis: alioqui nec satis, nec aptè explicuisset adorationem imaginum, omisso nempe modo adorationis, qui censetur ab Adversariis maximè Imaginum proprius. *Secundum*: à Tridentino dici, nullã esse in imaginibus virtutem, excellentiam, seu rationem, ob quam coli debeant. *Tertium*: eatenus eas coli, quatenus, (nullà factà mentione summissionis internæ circa imaginem) restamus ipsis actus merè externos, *osculandi, procumbendi, caput aperiendi*, perquæ, *adoramus in imagine Exemplar*, transeunte illo externo honore, quem imagini exhibemus, ad ipsum prototypum per internam summissionem, & actus, quibus ipsũ in suâ imagine veneramur. Quę, si diligenter, & sincerè perpendantur, manifestè & verbis ferè conceptis, continent Sententiam nostram.

80 Alteram probationem à *ratione* sic formo: Interna summissio, quæ in adoratione miscetur, necessariò respicit superiorem, cujus excellentiam adorator intendit attestari, & cui se tanquam inferiorem, aut servum summittere intendit, ut ex ipso vocis sono, *Latria*, & *Dulia*, quæ servitutem sonat, & ex supra positis clarum est: Atqui imago, quantumvis formaliter sumpta, nunquam est superior; nec excellentior homine: nec ejus excellentiam adorator intendit attestari, sed prototypi in ipsâ, & huic, & non illi se intendit summittere: ergo interna summissio non respicit imaginem, sed prototypon: ergo Imago solùm est terminus actûs interni testantis summissionem habitam respectu prototypi: ergo.

81 Consequentiæ bonæ sunt, & minor ostenditur primò, ex communi sensu fidelium: Nemo enim intendit attestari excellẽtiam imaginis sed exemplaris: nemo autem se summittit internè, nisi cujus excellentiam profitetur. Secundò: quia imago etiam ut talis semper manet inferior homine, utpote res inanimis. Tertiò: quia ex Tridentino nulla inest imagini virtus aut excellentia. Nec valet recurrere ad extrinsecam excellentiam. Tùm quia nusquam & nunquam testari volumus nisi excellentiam repræsentati per imaginẽ. Tùm etiam quia vel illa extrinseca excellentia facit, ut imago secundùm se sit excellentior adoratore, vel non? Primum dicitur irrationabiliter: excellentia enim prototypi non meliorat imaginem. Si ergo secundum: semper imago manet inferior adoratore.

82 Dices: concipi imaginem quid moraliter unum cum prototypo. Contra: nam, nisi sit magnus error, aut oscitantia mentis maxima, quisque facilè discernit, & debet, imaginem eatenus dici posse unum quid cum prototypo, quatenùs ipsum repræsentat: at repræsentare prototypon non est esse superiorem iis, quibus prototypon, superius est: ergo neque facere potest, ut interna summissio versetur nisi circa excellentiam repræsentatam. Quare ea unitas moralis imaginis cum Exemplari, solùm facere potest, ut imago simul cum exemplari terminet adorationem, cum distributione tamen accomodà: ut nempe prototypon terminet summissionem internam: imago, reverentiam externam, ex affectu illam summissionem testandi imperatam, elicitam, & exhibitam imagini, tanquam vicariæ Rei excellentis, cui nos submittimur.

83 Secunda Conclusio: Imago nequit esse totale objectum adorationis, prudentis, & licitæ, ita nempe ut, eà adoratà, non adoretur insimul, & directè prototypon. Hæc manifestè descendit *ex præcedentibus* & ostenditur primò: quia interior summissio, sine quâ non est vera, & perfecta adoratio, terminari non potest ad imaginem; consequens ergo est, ut omnium actuum qui in ipsâ adoratione interveniunt, nequeat objectum esse imago: ergo nequit ipsa esse totale objectum adorationis, aut ita adorari, ut non in simul

simul adoretur exemplar. Secundò: quia imago in se non est capax injuriæ: imò tota injuriæ formalis ratio, quæ fit per actiones dissonas venerationi, & reverentiæ imaginum, transit ad exemplar: ergo similiter imago in se non est capax honoris; sed tota honoris; & internæ summissionis ratio transit ad prototypon, seu exemplar. Consequẽtia probatur: quia contrariorum, ut dici solet, commune subjectum est, eademque ratio. Tùm quia licitè imaginem frangis, nisi facias ex contemptu: quod non liceret utique si imago in se foret capax injuriæ. Videatur inter alios Koninch *disp.*25. *dub.*7. *P.Koninch*

84 Tertia Conclusio: Imago nequit adorari, non adorato *prototypo*, nec alia adoratione, quàm eâ quâ *prototypon* adoratur. Vtrumque manifestè fit ex duplici conclusione præcedenti. *Primum*: quia nequit dari perfecta adoratio, nisi fiat ostensio nostræ summissionis respectu alicujus rei excellentis ut talis; atqui submissio hujusmodi debet necessariò versari circa prototypon, dum imago colitur: ergo nequit imago adorari, non adorato prototypo. *Secundum*: quia si aliud genus adorationis competere posset imagini distinctum ab eo, quo prototypon adorari debet, imago in se posset esse totale objectum alicujus adorationis: quod negavimus. Id verò ita intelligendum, ut *interna summissio* nunquam terminetur *nisi ad prototypon.*

85 Quarta conclusio: Nihilominùs Imagines dicuntur verè, & propriè coli, & adorari: non tamen perinde capaces sunt orationis, seu invocationis etiam externæ. Prima pars patet: quia licèt interna summissio non versetur nisi circa prototypon, tamen externa signa reverentiæ tendunt ad imaginem, ex affectu significandi summissionem internam circa prototypon, cujus ut excellentiæ opinio promoveatur, volumus, & imperamus respectu Imaginum, quatenus ipsum exemplar repræsentantium, signa illa salutationis, & honorationis: quod sufficit ut imagines dicantur propriè coli, & adorari quantùm capaces sunt. Vnde nostra sententia non negat (ut videntur Adversarii existimasse) quòd aliquis affectus internus non attingat imaginem ut subjectum externæ illius summissionis, & Reverentiæ: fatemur enim hos affectus: quos tamen negamus esse affectus summissionis internæ, quâ nos dicimur submitti, fatendo inferioritatem nostram, & excellentiam ejus, cui summittimur. Quod advertendum est contra Lugum, & Arriagam reducentes exinde quæstionem ad sonum vocis. *Lugo, & Arriaga.*

86 Secunda pars etiam patet: stultum enim esset rem inanimem, & irrationalem rogare, ut pro nobis oret, miserta nostri. Quòd si Ecclesia canit: *O Crux ave spes unica, hoc passionis tempore, piis adauge gratiam, reisque dona veniam*, tropicè loquitur, gratiâ carminis, & *signum* pro *re significata* sumit, nempè *Crucem* pro *Crucifixo.* *Hymnus Ecclesiæ.*

§. III.

ARGVMENTIS IN OPPOSITVM fit satis.

87 OBjicies tamen primò: Synodus septima definit imagines adorandas: nec adorandas esse *Latria.* Ex quâ resolutione sic arguitur primò. Actus externus adorandi sine internâ summissione pũtius est simulatio adorationis, quàm adoratio: sic enim, dum pectus percutio testaturus dolorem, aut dum terram deosculor, testaturus humilem animum, dicerer adorare pectus, & terram: atqui imagines verè dicuntur coli, & adorari: ergo præter actum externum, debet affectus internus summissionis versari circa ipsas. Secundò arguitur: Per Synodum imago Christi debet adorari, & quidem non cultu Latriæ: ergo cultu aliquo inferiori, qui sic distinctus à cultu prototypi, & unicè respiciens ipsam imaginem, quà talem. *Verba VII.Synod*

88 Respondeo mentem septimæ Synodi satis explicari à Tridentina, & esse, imagines adorandas quidem, non verò ita, ut eas respiciat adoratio tanquam id, cui internè summittimur, aut cujus excellentiam promovere volumus, aut cui nos inferiores fatemur, & servos. Adorantur quidem, quatenus ad ipsas, prout sunt imagines rei excellentis, ut excellentis, & cui nos summittimur, dirigimus actiones externæ venerationis testativas internæ summissionis, ex affectu eam excellentiam exemplaris profitendi, quo imperamus reverentiam imaginis, repræsentantis eum, cui nos servimus in spiritu. Ex quo fit Concilium vocem *Latriæ, & adorationis in spiritu* sumpsisse pro *interna summissione.* Per quæ satis patet ad duplex argumentum. Exempla verò, quæ afferuntur, ad rem non sunt: quia neque pectus, neque terra sunt imagines Dei, nec *Explicatur à Trid.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

prout tales respiciuntur dum ea præstamus, quæ dict. Argumento: imò neque ea signa sunt signa externæ reverentiæ, nec animo revetendi, & honorandi fiunt.

89 Objicies secundò: Medium potest amari propter bonitatem finis, & res Fidei credi propter Dei testimonium: quæ sunt ipsis extrinseca: quidni ergo propter excellentiam Prototypi non possumus nos summittere imagini, quamvis ipsi extrinsecam? Respondeo, rationem esse, quia & medium est in se bonum, & res Fidei sunt in se veræ, deindeque ex fine Media, & ex Dei testimonio res Fidei fiunt apparere digna, quæ vel voluntas amplexetur, vel intellectus assentiatur: at imago neque in se excellens est, nec ex excellentia prototypi quicquam accipit, aut potest accipere, ratione cujus possit quis imagini tanquam superiori se velle summittere. Vide *num.* 81.

90 Objicies tertiò: quia Calicibus, Reliquiis, aliisque rebus sacris debetur adoratio *secundùm se* consideratis: ergo & imaginibus. Antecedens patet: quia ideò nequeunt à Laicis tractari, nec irreverenter. Confirmatur primò: si quis frangit imaginem, etiamsi nihil cogitet de Prototypo, peccat. Secundò: quia aliis imaginibus Christi deberur major honor, quando nempè Christus per eas locutus est, aut sudavit, aut alia miracula fecit. Respondeo negando antecedens. Solùm enim res illæ honorantur ratione eorum, quibus consecratæ sunt: unde tota summissio, quæ per earum externam reverentiam, & religiosam tractationis cautionem significatur, versatur circa eos, quibus consecratæ res sunt. Ad primam confirmationem, nego quod assumitur, nisi ex circumstantiis colligatur fieri in Prototypi injuriam. Ad secundam fateor aliquibus imaginibus majorem, & magis deberi venerationem. Quia in eis magis prototypon exprimitur & vult exprimi: sic ab Aulicis major honor fit Regi, ubi conspicuus est, quàm sub velo. Exinde jubemur ab Ecclesiâ majorem reverentiam exhibere Eucharistiæ, reducto, quàm inducto velo, quo tegitur.

91 Objicies quartò: etsi Legatus honoretur propter excellentiam Regis, cujus vicefungitur, honoratur etiam propter se. Respondeo, rationem esse, quia & Legatus, præter excellentiam Regiam, quam repræsentat, habet in se aliam, licèt minorem, cultu tamen civili, & observantiâ politicâ dignam. Secùs accidit in imaginibus.

92 Objicies quintò: cùm adoramus latriâ Christum, coadoramus etiam Humanitatem cultu latriæ: cùmque adoramus Eucharistiam coadoramus etiam speciem: ergo etiâ cùm adoramus Christum cum sua imagine, coadoramus imaginem latriâ. Respondeo, negando consequentiam, quatenùs sonat imaginem coli latriâ, per adorationem, quâ ipsa adoratur, prout in ipsam tendit: id enim falsum est; solùmque est verum, imagines coli adoratione latriæ, quatenùs adoratio quæ tendit ad imaginem, versatur circa Deum. Iam de antecedente supra diximus, & dicemus aliquid infra. Certe paritas ab Humanitate desumpta, nulla est: nam Humanitas habet in se intrinsecè excellentiam Divinitatis.

SECTIO V.

DE ALIARUM RERUM ADORATIONE.

93 HÆ sunt, *Crux Christi: Maria, & Iesu Nomina: Reliquiæ Sanctorum*, & id genus alia: circa quas percurremus difficultates nonnullas, quæ nostri negotii sint.

94 Prima difficultas est de cultu Crucis. *Nota*, crucem vel esse ipsam, in quâ Christus Dominus mortuus dignatus est, vel aliam adinstar illius factam: est discrimen inter has cruces: quòd *Crux Christi Domini* habet duplicem titulum adorationis, nempe ratione *contactûs*, & ratione *repræsentationis*: in hoc secundo convenit cum aliis crucibus. In primo disconvenit, & convenit cum aliis instrumentis Passionis dominicæ: unde aliæ Cruces non possunt adorari, amissa formâ Crucis: Crux Christi, etsi non sit adinstar Crucis adorari potest & debet.

95 Iam censeo primò: Crucem Christi Domini adorari posse, & debere cultu latriæ per contactum, eoipso modo, quo diximus adorari debere, & posse imagines. Ratio primæ partis est: ex perpetuo usu Ecclesiæ: *Eccl. prax.* ex miraculis secutis hunc cultum: & ex definitione VII. Synodi. Ratio secundæ par- *VII. Synod* tis formari debet eodem modo quo supra de Imaginibus. Censeo secundò: etiam debere, & posse coli latriâ, titulo repræsentationis. Id quod est commune cæteris crucibus, imò, & Cruci mali Latronis, prout sunt imago Crucifixi Domini nostri Iesu Christi. Ratio est eadem, quæ pro Imaginum cultu.

Di-

96 Dices primò: indecenter faceret Filius, si patibulum, in quo suspensus fuisset suus Pater, honoraret. Secundò: quia aliàs deberemus adorare omnes lanceas, omnes clavos, omnes asinos, & os Iudæ. Sic cum risu objiciunt ingrati, *qui redempti sunt à Domino qui regnavit à Ligno*. Respondeo negando antecedens, quoties patibulum, Patris suspensione, ingentem gloriam adeptum est, si Filii gloria pependit ab ipso patibulo, & Patris exaltatio. Quòd nihil horum interveniret, & in odium Patris Filius venerareturPatibulum quo sublatus de medio est Pater, pessimè faceret. Procul ab hac ingratitudine Fideles in dominicæ Crucis adoratione. Ad secundum, negetur assumptum: quia ea non assumuntur in imagines Christi, aut earum rerum, quæ Christum tetigere: Crux verò assumpta in id est, ut si in modo discedat à *P. Koninch* Christi Cruce. Addit Koninchus duo. *Primum*: quòd si quis sine scandalo, eas res assumeret in imagines Christi, aut rerum, quæ Christum tetigere, non malè faceret adorando. *Alterum*, diversam esse rationem de ore, & labiis Iudæ, & de asino, ne videretur vilissimis rebus aliquid proprii cultûs dari.

97 Secunda difficultas *de Nomine Iesu, & Mariæ*, aliisque similibus. Et censeo venerari, & coli posse cultu prototypi, eo modo, quo de Imaginibus dictum est. Ratio est: quia sunt Imagines quædam, & representationes earum rerum, quarum nomina sunt.

98 Tertia difficultas de *Reliquiis*: qu bus de primò quæritur: an adorandæ sint? Et affirmo catholicè. Tùm quia sic definitur in *VII. Synod* septimâ Synodo *act* 7. & in Tridentina *sess.* *Trident.* 25. Tùm ex perpetuo usu Ecclesiæ, & ob miracula, & beneficia, quibus Deus favet huic cultui. Tùm demùm quia reliquiæ majorem connexionem cum Sanctis habent, quàm Imagines. *Dices*: ergo etiam Vermes, in quos vertitur Sancti viri cadaver, coli poterunt. Multi permittunt, si absit contemptus, & scandalum. Sed alii melius negant consequentiam, quia illa materia jam desinit moraliter denominari Sancti illius, cujus antè fuerat: & colligit benè rationem physicam Delugo ex multiplici transmutatione, *Card. de* quæ intervenit ad formationem vermis. *Lugo.*

99 Secundò quæritur: quo cultu, vel modo cultùs adorandæ sint? Respondeo, coli debere eo modo, quo imagines diximus, atque adeò eodem cultu, quo adorari debet is cujus reliquiæ sunt. Ratio est omninò eadem, ac quæ pro adorandis imaginibus formata est: vanè enim dispar ratio quæritur: cùm reliquiæ res inanimæ sint.

100 Tertiò quæritur: ratione cujus excellentiæ adorandæ sint reliquiæ, an illius, quâ fruitur ille cujus reliquiæ sunt, dum adorantur: an illius, quam habuit? Respondeo, communiter adorari ratione excellentiæ, quam scimus habere: posse tamen coli ratione excellentiæ, quam habuit, nisi deinceps indignitas supervenerit ad omne genus cultus. Ratio est, quia in adoratione attendimus ad debitum ortum ex agnitione excellentiæ alienæ, nulla verò debetur ei, qui se eâ indignum reddidit.

101 Quartò quæritur; an casu impossibili, quo annihilaretur vir, aut anima, cujus alioqui reliquiæ coli possent, & deberent, coli adhuc possint, & debeant? Affirmat Ar- *Arriaga. Delugo.* riaga contra Delugo, qui negat, & negat *Primò*: ratio est: quia adoratio reddit debitum: nullum autem est debitum, si nullus est cui debeatur. Adde, cultum reliquiarum tendere potissimùm in eum cujus reliquiæ sunt: at si annihilatus est, cujus excellentiam profiteris? *Dices*: etiam erga hominem annihilatum peccari potest, si odio habeas: ergo poterit exerceri cultus. Nego consequentiam: illud ordinat charitas, quæ etiam extenditur ad res in statu possibili: hoc autem ordinat justitia potestativa.

102 Quintò quæritur: an Reliquiæ possint, nullâ adjectâ conditione, coli, sed absolutè? Respondeo, posse, si sit moralis certitudo, aut magna probabilitas, quòd Reliquiæ autenticæ sint? Ratio est: quia qui prudenter operatur, non est cur conditiones illas adjiciat. Cautè tamen procedendum: neque crediè nimis.

103 Quarta difficultas de cultu *Eucharistiæ*: an Eucharisticæ species coli debeant, aut possint conditionatè, si nempè consecratæ sint? Aliqui omninò affirmant, posse, & debere: Alii cum Suarez ajunt sine peccato *Suarez.* posse, non verò debere: quia licèt absolutè contingere possit ex variis capitibus, quòd consecrata non sit hostia: temeraria plerumque præsumptio est. Quare placet Delugo *Delugo.* qui sentit regulariter neque posse, neque debere fieri conditionis adjectum: quia ea præsumptio regulariter est levis animi, aut temerarii, & semper secum immiscet aliquâ indecentiam.

104 Quinta difficultas: an coli possint, & debeant apparitiones phantasticæ formatæ

Universidad de Deusto
Biblioteca
Vazquez.

tæ à Dæmone, transfigurante se *in Angelum lucis?* Ego cum Vazquez censeo posse: quia interna summissio tendit non ad Dæmonem, sed ad Prototypon: externa autem actio moraliter etiam sit prototypo; fit enim imagini, quatenus repræsentat exemplar: quare in tali adoratione nihil attingit Dæmonem, neque quicquam Dæmō extorquet sibi placiturum.

105 Sexta difficultas: an omnes res adorari possint? Et ratio dubitandi est: quia rebus in omnibus est Deus per essentiam, præsentiam, & potentiam: atque adeò res omnes possunt assumi in imagines Dei, & ut aliquid Dei, atque adeò Deus in singulis adorari. Ob id multi affirmant, limitando verò ratione scandali, vel ex indecentiâ alicujus objecti. Mihi videtur consultiùs id negare: quia licèt in omnibus sit Deus, non tamen omnia, & singula instituta sunt in imagines Dei, nec habent titulum, cur in ipsis debeat repræsentari excellentia Dei. Id autem cùm res moralis sit, ex prudentum æstimatione pensandum est. Et hæc Nos potiùs insinuando, quàm disputando de Reliquiis, aliisque rebus adorationi subjectis attigimus, quia nostri instituti non sunt. Dabunt enucleatiùs, & uberiùs singula Controversistæ, & ex scholasticis Vazquez, Suarez, Delugo, & Arriaga. *Vazquez. Suarez. Lugo. Arriaga.*

LAVS DEO.



RERVM

RERVM
IN TOTO VOLVMINE
NOTABILIVM ACCVRATISSIMVS
INDEX.

PRIOR NVMERVS INDICAT LIBRVM: ALTER, Disputationem: Tertius, Marginalem.

A

A BAYLARDI error. lib.4. disp.1. nu.1. & Fascinatio. nu.2. Objectio. nu.14.

Accidentia, Modi; & Accidentia, Res. lib. 1. disp.1. nu.61. Discrimen. ibid. Accidentis definitio, explicatur. lib. 1. disp. 2. à num. 179.

Accidentia quousque à Verbo assumpta? lib. 1. disp. 4. à num. 87. Inassumptibilia immediatè. lib. 1. disp. 5. à num. 41.

Actionis Incarnativæ termini. lib. 1. disp.1. à num. 102.

Actio sine exercitio denominandi repugnat: & cur? lib. 1. disp.2. nu.18. Titulus Divini dominii: ibidem. num. 38. Quæ exinde fiant? ibidem, & num. 57.

Actio creativa, & substantiæ non est subsistentia. ibid. à nu.42. & seq. Eductiva non esse formaliter unio. ibid. num. 57. Termini naturalis repugnat actio supernaturalis. ibid. nu.39. Actionum finis, & natura. ibid. Actionis, ut actio est, alligatio ad aliquid non operativum, implicat. lib. 1. disp. 2. num. 74. & 80.

Actio ad extra necessariò communis toti Trinitati. lib.1. disp.2. à nu.68. Et rursus ibid. nu. 86. nec valet in oppositum paritas ab Vnione. ibidem nu.84. & 86.

Actio Theandrica, & Deivirilis, quid sonet? lib. 4. disp.2. nu.47. & 48. Quanta condigoitas, & quantus valor. lib.4 disp. 2. & 3. Vide *Christus, Merita, Satisfactio.*

Actiones sunt suppositorum: quousque verum? lib.4. disp.2. à nu.97. & à nu.99.

Actus entis in potentia prout in potentia quid? lib.1. disp.1 nu.15.

Actuum suorum experientia, naturalis agenti rationali. lib 1. disp.3. à nu.154.

Actus divini an semper ex infinitate æstimandi? lib.2. disp.3. num.133.

Actus impræceptibiles an Cristo possibiles? & nobis? lib 4. disp.2. num.87.

Actus dilectionis aut contritionis non est forma sanctificans. lib. 2. disp.3. nu.160. & à nu. 237. Quamvis esset forma sanctificans, non esset condigna satisfactio. ibid. & à num.310.

Actus naturales in Christo (si fuissent) essent supernè Meritorii? lib. 4. disp.2. à nu.96. Non in Iusto. ibid. à nu98.

Actuum Divinorum libertas qualis? lib. 3. disp.1. à nu.16. Et rursus à num. 42. & à nu. 54. Actus Divini essentialiter inimperabiles. ibid. à nu. 55. & 57. & à nu. 138.

Admirationis explicatio. lib.5. disp. 2. à nu. 151. divisio multiplex. nu. 153. Quænam in Christo Domino admittenda? ibidem num.154.

Adoptio, quid sit? lib.5. disp.5. à nu 69. Ejus finis. à nu. 68. Cadere nequit in Christū, etiam quà hominē. à nu. 63. imò nequit in ejus humanitatem. à nu.70.

Adoptandi vim vndenam habeat Gratia Habitualis. lib.5. disp 1. à nu.53. & n.61.

Adoratio: quid in genere adoratio? lib 5. disp. 8. nu. 2. Ejus elucidatio, & discrimen à laude, honore, cultu, veneratione, reverentia, & à gloria. ibid. & nu.3. Ejus honestas, species, & objectum. ibid. nu 4.

Adoratio quas actiones internas importet?

Universidad de Deusto
Biblioteca

tet? lib.5. disp.8. num.6. & 7. In quibus constitutivè consistat ? nu. 7. fin. Per internas actiones consumari potest. ibidem nu.9. & 10. Et quidem per omnes,& singulas actiones virtutum. ibid. à nu.11.
Adoratio quotuplex ? nu. 15. 16. & 17. Tituli propter quos debetur Deo. nu.18. An inæqualiter sint adorabiles perfectiones Dei? ibid. An aliunde venire inæqualitas posit? nu.26.
Adoratio latriæ multiplex. lib. 5. disp.1. nu.102. & expensiùs disp.8. nu.16.& 17. An ex specialitate attributorum specie diversa? lib.5. disp.8. à nu.19.
Adoratio Sanctorum qualis? lib 5. disp.8 à n.57.à quo habitu profecta?ibid.à n.62.
Adoratio Deiparæ quanta, & qualis esse debeat, aut posit? lib.5. disp.8. à nu.65.
Adoratio imaginum licita,& obligatoria. lib.5. disp.8. nu.69. & 70. Explicatur. à nu.76.Non adorato simul,& directè prototypo, non licet. ibid. à nu.76. & num. 83.& 84.
Adoratio Crucis, Nominum Iesu,& Mariæ, Reliquiarum,& Eucharistiæ,quanta & qualis? lib.5 disp.8.nu 94. adusq.nu.105.
Adriani Decretalis Authoritas. lib.5.disp.5 nu.9.& n.74. Mens & sensus de servitute contra Elipandum. à nu.5. adusque n.44. & de adoptione. ibid. à nu.63. & 64.
Affectus.Necessitas prænotitiæ ad affectum, non arguit amorem omnis objecti, quod prægnoscitur. lib.3 disp.2. à nu. 107. & à nu.114. & à nu. 116. & 198.
Affectus efficax quod genus odii excludat? lib.3.disp.2. à nu.128.
Affectus quando est virtualiter alius? lib. 3. disp.2. à nu.152.& rursus per regulam generalem. nu 179. & nu.185. & 186.
Affectus virtualis, qui? ibid. susciPit magis, & minus. ibid. præsertim nu.186.
Affectus efficax vnius finis quousque sit nolitio contradictorii. ibid. à nu.186.
Agatho Papa. lib. 5. disp. 3.à num. 5. Ejus mens contra Monothelitas. à nu 6. maximè laudat Augustinum. nu.7. sensus ejus circa vitales operationes. nu.8.
Amicitia secum affert aliquam indestructibilitatem,& aliquam perennitatem. lib.1. disp.2. nu. 161.& lib.5. disp.2. à nu. 13. & 14. *Amor* vide *affectus*.
Angelis an facta revelatio de Incarnatione, in primo instanti creationis? lib. 1. disp. 3. à nu.202. & nu.211.
Angelorum peccatum. ibid.
Angelica natura an distincta à sua subsistentia?lib.1. à nu.20. & à nu.22. an simplex? ibid. à nu. 24. an assumptibilis hypostaticè à Verbo ? ibid. à nu. 18. disputatio circa eorum picturam, in Nicæno. lib.1. disp.5. nu.30.
Angelorum lapsûs, comparatio cum hominum lapsu. lib.2. disp.1. nu.30.
Angeli à Christo an dici possint redempti? lib.3. disp.2. à nu.59. & lib.4. disp.1. nu. 46.& nu. 50. Ex Christi meritis habuerunt omne bonum. ibid.& lib.5.disp. 4. à nu.102. & 109.
Angeli quousque membra mystica Christi? lib. 5. disp.1. à nu.144. an etiam mali dum fuerunt in via. à nu.146.
Angeli confortatio respectu Christi quæ fuerit? lib.5. disp.3. à nu.210. Mens Authoris. à 213.
Anima. Quid apud Patres sit, assumptum corpus à Verbo, mediante anima? lib. 1. disp. 5. num. 8.
Animæ defectus, qui ? lib. 5. disp.2. à num. 130. Quinam in Christo? ibidem. Quomodo torqueantur ab igne ? lib. 5. disp. 7. num. 58.
Apollinaris error. lib. 1. disp. 5. à num. 9. SS PP. contra ipsum arguendi modus. ibid. & num. 10. & lib. 5. disp. 2. nu. 2. Ejus argutiæ à PP.dissipatæ. lib.5. disp.2. num. 18.
Appetitus innatus quomodo considerandus in rebus. lib.1. disp.1. nu. 46. & à num. 63. Quid, & quam vim importet circa suum terminum. lib. 2. disp. 2. à nu. 5. & à nu.16. Num. præsertim 24. Quomodo reducatur ad aliquem elicitum ? ibibem.
Arcana cordis per se occulta. lib. 1. disp. 3. à num. 153.
Arnaldi error de scientia Christi. lib. 5. disp. 3. num. 113.
Assumptio quid addat actioni Incarnativæ. lib. 1. disp. 4. nu.1.
Quid necessariò assumptum à Verbo,pro veritate mysterii. lib. 1. disp. 4. à nu. 71.
An liceat dicere:*Deus assumpsit Hominem*? lib. 1. disp. 4. à nu. 89. Assumptionis ordo. lib.1. disp.4. à nu. 93. Termini, qui assumptibiles, & assumptivi?lib. 1. disp. 5. Tot.
Assumi duplex natura simul, non potest. lib.4. disp. 3. à num. 179.
Attributa quousque replendeant in Mysterio Incarnationis. lib.2. disp. 1. num. 3. sunt æqualis omninò perfectionis. lib. 5 disp. 1. à num. 72. & disp. 8. num. 18.
Augustini grave dictum. lib. 1. disp. 5. nu. 42. Ejus subtilis de necessitate discursus. lib. 2. disp. 1. nu. 51. Profunda ejus sententia de Omnipotētia. lib. 2 disp. 2. n. 14.
Augustini argumentandi modus contra Pelagium. lib. 3. disp. 3. nu. 27. 28. & 29.
Ejus probandi libertatem modus ex præceptis. lib. 4. disp. 5. num. 124. Ejus magna laus. lib. 5. disp. 3. num. 7.
Authoritas quanti faciēda, si Theologorum, & SS.PP. sit. lib. 2. disp. 3. n. 1. & n. 200.
Auxilium. Debitum ca endi auxiliis nequit dici pœna peccati. lib. 2. disp. 3. nu. 240.
Auxiliorum collatio,etiam,cum præscientia abusûs sequuturi,benefica: & car? lib. 3. disp. 1. à num. 161.
Auxilium inefficax, quia inefficax, à Deo dari nequit. lib. 3. disp. 2. à nu. 103. Nec id sequitur ex præintentione Redemptionis. ibidem.
Auxilium cadere nequit in meritum ab ipso procedens. lib. 3. disp. 3. à num. 75.
Auxilia gratiæ in quo consistant ? lib. 5. disp. 1. nu. 185. Eorum munera. ibid. nu. 187. Eorum in Christo qualitas. ibid. nu. 189. & influxus. ibidem num. 167.
Auxilia fieri in nobis sine nobis, quid sit ? lib. 5. disp. 3. num. 30.
Axiomata vulgaria : Non sunt multiplicanda entia, & alia, quomodo intelligenda? lib. 1. disp. 2. à num. 60.
Theologorum de indivisione operum ad extra, quàm verum, & quàm certum? lib. 1. disp. 2. num. 68. & 76.
Axioma Damasceni de non dimisso unquam, quod assumptum est, quàm certum, & quo sensu? lib. 1. disp. 2. num. 165. & num. 170.
De offensæ incremēto ex offensi dignitate, quomodo intelligendum? lib. 2. disp. 3. num. 108.
De præmio ultra condignum, & de pœna citra condignū sensus axiomatis Theologici. lib. 2. disp. 2. num. 137. & 138.
Voluntas pro facto reputatur, in quo sensu? lib. 2. disp. 3. num. 164.
Qui reddit quantum potest, nihil amplius debet: in quo sensu verum ? lib. 2. disp. 3. num. 170.
Finitum finitis ablationibus, finitur: quo sensu sēper verum? lib. 2. disp. 3. à n. 178.
Nemo dat quod non habet: quibus de causis intelligendum? lib. 3. disp. 4. nu. 7.
Actiones sunt suppositorum. lib. 4. disp. 2. à num. 97. & 99.
Oportet intelligentem speculari phantasma : qnid sit ? lib. 5. disp. 3. num. 182.
Pluribus intentus minor est ad singula sensus: quando verum? lib. 5. disp. 3. num. 119. & num. 122.

B

Baronii laus. lib. 1. disp.4. num.25.
Beatitudo quid exigat ? lib. 1. disp. 3. nu. 82. duplex : physica & intentionalis. ibid. à nu. 134. discrimen inter utramque. ibid. nu.136. Beatitudo, majus bonum, quàm sit malum, æterna pœna. lib. 2. disp.3. à nu.171.
An de ratione beatitudinis sit perpetuitas? & quidem cognita? lib. 5. disp. 3. à nu.89. Quid beatus videre debeat?ibid. à nu. 80. Quid posit? ibid. à nu.59.
Beneficium. Quid ? ejus definitio explicata. lib.1. disp.3. nu. 86. an beneficio posit gravari benefactor? ibid. à nu.97. Qualiter comparari posit in ratione beneficii, bonum filiationis. ibid. à nu.100.
Quomodo Incarnatio,cum sit Verbi propria, sit beneficium commune Trinitatis. lib.2. disp.1. à num.19.
Beneficium unde crescat? lib. 2. disp.3. à nu. 194. & à nu. 196. Potest crescere in ratione beneficii, quin crescat in ratione boni. à nu.195. & seqq.
Beneficium Dei non impeditur ex præscientia abusûs. lib.3. disp.1. à nu.161.
An ex inæqualitate beneficiorum Dei posit induci inæqualitas in latriam, & amorem. lib.5. disp.8. à nu.25.
Bernardus.Quis ejus sensus in Rhemensi cōtra Gilbertum? lib.1. disp.4. à num. 24. defenditur ejus authoritas. ibid. nu.25.
Bilocatio Circunscriptiva cur non repugnet? lib.1.disp.5.nu.36.Non sufficit,ne repugnent in vna natura finita duæ Totales subsistentiæ. ibid. nu.38.
Bonaventuræ Mens de subsistentia entis compositi. lib.1. disp.2. nu.107.Quid de simplici? ibid.
Bonum. Quousque sui diffusivum. lib. 2. disp.1. nu.3. & nu.7. Bonum connaturale incompensabile per æquale, vel majus, est simpliciter inauferibile. lib.2. disp. 2. num.29. Consequentiæ exinde deductæ. ibid. De ratione boni est posse esse summum, non de ratione mali. lib.2. disp.3. à nu.86. & nu.172.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Boni, & mali prima regula. lib.2. disp.1. à nu.72. Taxa certa. lib.2. disp.3. à n.279.

C

Calculatoria argutiæ, parum fidæ. lib.2. disp.3. à nu.106. ratio cur fallant. ibid. à nu.107. & lib.5. disp.3. à nu.68.

Capilli. Assumpti à Verbo. l.b. 1. disp. 4. à num.85.

Carentia. Authoris de ipsis mens. lib.1. disp. 3. à num.176.
Nihil veritatis afferunt distinctæ à positivis. ibid.

Causæ activæ, & Passivæ discrimen quoad elevationem. lib.3. disp.4 num.7.
Causa obedientialiter elevabilis. Vide *Potentia.*
Causa formalis an possit elevari ad causandum in genere suo. lib.1. disp 5 à n.96.
Causa moralis an possit excedi à suo effectu? lib.2. disp.3. num. 133. ejus à causa physica discrimen. ibid.
Causa finalis Incarnationis. lib.3. disp.2. nu.1. ubi multa de causa finali. Vide *Finis.*
Causæ Physicæ. lib.3. disp.4.
Duplex causa totalis, si finalis sit, non repugnat. lib 3. disp.2. à nu 38.

Causalitas meriti ad præmium, & demeriti ad pœnam explicatur. lib. 3. disp. 1. nu. 30. & rursus. à nu.94. & nu.96. Non probat ulla intrinsecam distinctionem inter actus divinos. ibid. Neque distinctionem ordinis intentivi ab executivo. ibid. à nu. 95. & nu.98.
Causalitas finalis explicatur. lib.3. disp.2. à nu.36. & 38. & latiùs à nu.98.

Christus an persona composita? lib.1. disp.1. nu.86. ex quibus? ibid. nu.89 an, *ut homo*, persona? ibid. à nu. 94. An persona divina, & persona humana? ibid. à nu.98. Persona divin humana. ibid. Quid in recto mportet? ibid. nu.101. Aliæ loquutiones de Christo. ibid. nu.100.
Christi Domini passibilitas, mortalitas, & mors. quomodo conciliandæ cum vnionis indestructibilitate. lib.1. disp.2. à nu.157.
An liceat dicere: *In Christo sunt tres naturæ.* lib.1. disp 4. à nu.91.
Christus *propriè & vnivocè* nobiscum homo. lib.1. disp.2. nu.141. & disp.6. à nu. 24. & à nu 31.
Christi libertas. lib 3. disp.1. à nu.153.
Christi Domini excellentia, per le finalizat primariò Decretum Incarnationis lib 3. disp.2. à num.3.
Christus Dominus veniret, Adamo non peccante, nec alio. lib.3. disp.2. à nu.46.
Decretus tamen est, etiam ut Redemptor sine antecessione prævisionis peccati. lib.3. disp.2. à nu 85. Quomodo veniret? lib.3. disp.2. a nu.59. & à nu.62. & à nu. 82. decretus est Redemptor originalis, & omnium peccatorum. ibidem à nu.208. Non veniret ut Redemptor, originali deficiente: & cur? ibid. à nu. 210. Venisset etiam originali deficiente, si plura actualia mortalia forent. ibid. nu.214.
Christus de condigno nec meruit, nec potuit Incarnationis substantiam. lib.3. disp. 3. à nu. 79. de congruo potuit; sed non meruit. ibid. à nu. 81. Quid circa unionem mereri potuerit, & meruerit, & quo genere meriti? lib.3. disp.3. nu.85. & lib. 5. disp.4. à nu:86. & à nu. 93. Quas circunstantias meruit. lib.3. disp.3. à nu.88. & lib.5. disp.4. nu.93.
Christi Domini Redemptio. lib.4. disp. 1. à nu.1. A qua servitute, & captivitate nos redemerit? à num.9.
Christus Dominus quomodo satisfecerit, & in quo genere? lib. 4. disp.1. à nu.29. Qua extensione & fructu? ibid. à nu.43.
Christi Domini opera quàm condigna? lib.4. disp.2. nu. 5. Vndenam? ibidem. à nu.52. & Quomodo? à nu.63.
Christi merita, & opera, ita Christi propria, ut simpliciter essent indebita. lib. 4. disp.2. à nu.75. & lib.4. disp.4. à n.301.
Christus an elicuerit actus honestos naturales? lib.4. disp.2 nu.96. Satisfacere per illos posset. ibid. & seqq.
Christi Domini meritorum, & obsequiorum infinitudo & excellentia. lib.4. disp. 3. à nu.1. Vide *Merita. Satisfactio.*
Cur Christus tot præstitit pro Mundi salute, cùm satisfecisset abundè per minus? lib.4. disp.3. nu.41. & nu.44.
Christi duplicis simultas quousque repugnans. lib.4. disp.3. à nu.179.
Christus ex quâ virtute satisfactionem obtulerit. lib.4. disp.4. à nu.339. assignatur specialis virtus. ibid. nu.334. & quæ? à nu.347. & à nu. 353. an satisfecerit ex iustitia vindicativa? ibid. à nu.365.
Christo Domino quousque præcipi à Deo posit? lib. 4. disp. 3. à nu. 221. obligari non potuit ex lege naturali ad moriendum. lib.4. disp.5. à nu.26. Etsi esset capax præcepti obligantis in conscientiâ, non fuisset absolutè præcepta mors. ibidem à nu.47. an conditionatè? à nu.192. non est capax præcepti obligantis in conscientiâ. lib.4. disp.5. à nu.114. Quale præceptum habuit? ibid. à nu.168. Habuit circa singula ibid. à nu.80. & 81. & à nu.175
Christi satisfactio ex rigore justitiæ. lib.4. disp.4. Latissimè, & specialiter. à num. 259. Nulla ei defuit conditio strictæ justitiæ. ibid. à nu. 265. Fuit ex toto rigore. ibid. à num. 329. Et assignatur specialis modus. ibid. à nu.332.
An Christo, & quousque esset facultas petendi dispensationem à præcepto moriendi? lib.4. disp.5. à nu.96. & à nu.103.
Quousque obligatus dici potest præceptis legis naturalis? lib.4. disp. 5. à nu.153. & 198. an legibus aliis vel divinis, vel humanis. ibid. à nu.199. Et quousque capax obligationis ex juramento, promissione, & voto? ibid. à nu.157.
Quale præceptum habuit? lib.4. disp.5. à nu.168. Ejusque cum perfectissima obedientia, impeccabilitate, & libertate concordia. lib. 4. disp. 5. à nu.176. & disp.6. à num.35.
Christo data est optio vitæ passibilis, vel impassibilis. lib.4. disp.6. à nu. 2. Explicatur modus. ibid. à num.3. Fundatur. à nu.5. & 6. Etiam est optio data quomodolibet eligendi. ibid. à nu. 15. An hæc optandi facultas necessariò comitetur donum unionis? ibid. à nu.21. 22. & 26.
Christi Domini Sanctitas. lib.5. disp.1. à nu.1. Latissimè Ejus Sanctitatis prærogativæ. disp.2. à num. etiam 1.
Christus Dominus jure caput Ecclesiæ. lib.5. disp.1. à nu. 137. & lib. 5. disp. 6. nu.2. Etiam ut homò. lib.5. disp.1. à nu. 140. & quorum? à nu.144. Per quod genus gratiæ? ibid. à nu.151. Christi mysticum membrum, quid. ibid. nu. 150. *fin.*
De Christi virtutibus, earumque qualitate, perfectione, & infusione, fixa principia. lib. 5. disp.1. à nu.156. Fides non admittitur: & cur. ibid. à nu.161. admittitur spes. ibid. à nu.172. & quousque virtus Pœnitentiæ. ibid. à num.173. & aliæ virtutes morales. a num. 176. & Spiritûs Sancti dona. a num. 178. & gratiæ gratis datæ. a num. 182. & auxiliantes gratiæ. a nu.185. & cujusmodi? a nu.188. & 189.
Christi Domini quâ hominis impeccabilitas. lib.5. disp.2. a num.4. Etiam ex vnionis. ibid. a nu.10. Summa. ibid. a nu. 21. & essentialis. ibid. a nu.49. etiam incompossibilis cum potestate peccandi. ibi. n.41. Vide *Humanitatis impeccabilitas.*
De Christi corpore, ejusque perfectionibus. lib.5. disp.2. a nu.82.
Christus Dominus imperfectionis moralis simpliciter incapax: & cur? lib.5. disp. 2. a nu.88. & a nu.110.
Christi Voluntatis creatæ concordia cum divina. lib.5. disp.3. a num. 168. Christi creata Voluntas quomodo se gesit in volendo? ibid. a nu. 120. Quid de insinuatione factâ in horto de non moriendo? ibid. nu.123. & de Voluntate latendi expressâ in Evangelio? ibid. nu.128.
Quas animæ passiones admiserit? lib. 5. disp. 2. a nu. 131. Tentari non potuit ab ipsis, nec a dœmone. a num.136. In ipso, tristitiæ concordia cum summo gaudio a nu. 146. Quid de timore, irâ, & admiratione? a nu.148.
Christi Domini scientia? lib. 5. disp.3. a nu.1. Ejus anima per increatam neque intellexit, neque potuit intelligere. ibid. a nu.4. & a nu.15. Quid si posset? a nu.21. specialis scientia Christi Domini, & quasi Theandrica. ibid. a nu.34. & nu.38.
Christi Domini scientia beata. lib.5. disp. 3. a nu.39. Certa; a nu.43. & continua ab instanti Conceptionis. ibid. & simpliciter inseparabilis ab vnione. a nu. 49. Quàm perfecta? a nu.55. Non tam comprehensiva Dei. a nu. 56. Ejus sphæra objectiva, omnia possibilia. a nu.59. Et omnia futura. a nu. 78. Quid de perpetuitate ipsius? a nu. 89. an omnia invariabiliter videat? a nu.105. an videat futura conditionata? a nu.108. Objecta creata comprehensivè cognoscit. a num.109. Principia ipsius. a nu.110. & Arnaldi error. a nu.113.
In Christo Domino scientia infusa. lib.5. disp.3. a nu.114. Ejus objecta. a nu. 124. Etiam Trinitas. a nu.135. sed non in quovis effectu. a nu. 139. In quo? a nu. 145. Ejus principia. a num. 158. Vide *Species.*
Christus liber in ejus usu. ibid. a nu. 180. Et quousque Christus eâ scientiâ usus. ibid. nu.181. In ejus usu neque pependit, neque potuit a phantasmatibus. ibidem. a 182. & a nu.184. Neque discurrere. ibid. a nu.186.
Christi Domini scientia acquiribilis: naturalis per se infusa: & experimentalis. lib.5. disp.3. a nu.190. ex quo tempore? a nu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

198. Earum objecta. nu.204. principia. nu.205. & vsus. nu.207.
Christus a nemine didicit,nec ab vllo potuit. lib. 5. disp.3. num. 209. Quomodo confortatus ab Angelo in horto. ibid. a nu.210. Varii explicandi modi.ibidem.a nu.211. Authoris sensus. nu.213.
A Christi intellectu, procul ignorantia, error, dubitatio, probabilitas, & obscuritas. lib.5.disp.3. a nu.214. Quàm etiam procul, inspectâ potentiâ Dei extraordinariâ? a nu.218. 226. 230. & seqq.
Christi Domini libertas ad moriendum. lib.5. disp.4. a nu.2. Non salvatur per recursum ad puram omissionem ibid. a nu. 6.Neque per recursum ad actus infinitos sursum & deorsum inæquales. ibid. a nu. 7.Neque per recursum ad disparilitatem obsequii. ibid. a nu.11. salvatur tamen. a nu.13. & multis viis. nu. 16. & nu. 17. & num.19.
Christus per quos actus meruit? lib. 5. disp.4. a num.61. vnicè meruit per actus supernos : & cur? ibid. a nu. 61. Meruit per actum dilectionis, etiam beatificæ. ibid. a nu.63, & nu.70. 71. & 72. & per quos alios actus? bid. a nu. 75. & continuò. nu. 78. ex quo instanti, ad quod instans. a nu.78. & 79.
Christus quid sibi meruit, aut mereri potuerit?lib.5 disp.4. a nu.86.Non gratiam, neque visionem. & cur? a num. 88. & 91. Omnibus meruit quidquid est, aut fuit gratiæ, & gloriæ. lib. 5. disp. 4. num.95. Etiam Angelis. ibid. nu. 102. & hominibus. a nu.110. Quid prædestinatis? a nu. 113. & a nu. 118. Quid Matri? a num.122.
Christi Omnimerentia. lib. 5. disp.4. nu. 98. Ejus influxus, & extensio mirabilis. ibid. a nu.100.
Christi oratio. lib.5. disp.4. a num. 140. Probatur a nu.141. an ipsi fuerit necessaria? a nu.143. Pro præteritis esse non potuit. a nu.145. Quousque exaudita? a nu. 158. An duret in Cœlo? a n.158.& n.161.
Christi Domini qua hominis, minoritas, & subjectio. lib.5. disp.5. a nu.1. & 2.
Christus Dominus etiam ut homo nec est, nec dici potest propriè servus. lib.5. disp. 5. a nu.3. Probatur Authoritate.a num.4. Maximè Concilii Francofordiensis, & Adriani. a num.5. & ratione multiplici.a nu.45. & objectionibus satisfit.a nu. 52.
Christus ut homo, nec est, nec dici potest Filius adoptivus? lib.5. disp.5. a nu.63.& 64. an citra censuram? ibid. nu.72.& 73.
Christus etiam ut homo, Filius naturalis æterni Patris. lib.5. disp.5.a nu.90.Dogmata de Christi Filiatione explicantur. ibid. a nu.77. Excluduntur à Christo ut homine,respectu Dei aliæ Filiationes. ibi. a nu.80. & a nu.85.
Christus quousque dici possit prædestinatus ad esse Filium Dei? lib.5. disp.5. a nu. 112. & a nu. 114. & quousque ejus humanitas, ad gloriam?ibid. a nu.117.& ad vnionem? ibid. a nu.119.
Christi Domini officia decem enumerantur. lib.5. disp. 6. nu. 1. Et explicantur a nu.2. Ejus potestas spiritualis, triplex. ibid. nu.1.
Christus Dominus, medicus. lib.5. disp. 6. nu. 3. Quam benè functus hoc munere?a nu.5. Propheta.nu.6 Doctor. a nu.7. & ex quâ inauguratione? ibid. nu.8.Legislator. a nu. 9. & quantâ cum excellentiâ. a nu. 10. Iudex. a num. 11. Potestate quidem veluti *ordinariâ*. nu.12. & *supremâ* nu.13. & *connaturali*. nu.14. Mediator. a nu. 15. & quâ proprietate. a num. 16. & 17.
Christus Dominus verè Sacerdos. lib. 5. disp.6. a nu. 19. Non ut *Deus*, sed ut *homo*. a nu. 20. Quomodo constitutus Sacerdos, & ex qua forma. ibid. a nu.21 & 22. Quam sublimi dignitate Sacerdotii? a nu.26. Quod Sacrificium obtulit. a nu. 27. an sui Sacrificii percipere potuerit aliquem fructum. a nu. 34. Non fuit Sacerdos Leviticus, seu legalis. a nu. 35. & fabula in oppositum. ibid.
Christi ut hominis Regia potestas & dignitas quam vera. lib. 5. disp.6. a num. 36. Præsertim a nu. 46. Quanta Domini excellentia,& extensione circa omnia etiam temporalia. ibid. & nu. 58. In quo consistat. nu. 36. & ex quo titulo. ibid. & nu. 41. an de jure hæreditario. ibid.
Christi Domini Potentia quid sonet apud Theologos. lib. 5. disp.7. nu 1. Christus ut homo ex vi vnionis,quàm potens. ibid. a nu.8. Moraliter Omnipotens, & in quo sensu. ibid. & nu.11. Ejus humanitas ab Omnipotentiâ vnitâ, ex vi vnionis, reddi potens ad quidquam, non potest: & cur. ibid. a nu.12. si potuisset ad quidquam, posset ad omnia, & teipsa reddita sic fuisset potens. ibid. a nu.22.
Christi Domini miracula quàm certò vera. lib.5. disp.7. nu.35. Vide *Humanitatis miracula*.

Circunstantia. Ex parte actûs, & ex parte objecti. lib. 4. disp. 3. a nu. 74. & 76. Explicatur utraque. ibid. Vtriusque discrimen notabile quoad augmentum malitiæ, & bonitatis. ibid. & lib.2. disp.3. a nu.77. Circunstantiæ Incarnationis. Vide *Christus. Incarnatio. Meritum.*
Cognitio. Intuitiva non est necessariò posterior suo objecto. lib.1. disp.2. num.19. Comprehensiva, quæ. Vide *Cõprehensio.* Cognoscibilium duplex genus, & notandum. lib.1. disp.3. nu.143. Cognoscibilia naturaliter, unde reddi possint naturaliter incognoscibila. lib. 1. disp. 3. a num.177.
De cognitione in medio multa. lib. 1. disp.3. a nu.186. Vide *Connexio.* Assignatur duplex cognoscendi modus,eorum que diversitas. ibid. a nu.189.
Converti ad phantasmata in cognoscendo, quid sit. lib.3. disp 3. a nu.182.
Compositio, & divisio in cognoscendo quid sit. lib.5. disp.3. a nu.188.
Cognoscendi modus invariabilis,an creaturæ competere possit. lib. 5. disp. 3. a nu.105. & 106.
Cognitio quidditativa,quæ intuitiva non sit, an possibilis. lib.5. disp.3. nu.138.
Cognitionis perfectio quousque sequatur mensuram objecti. lib.5. disp. 3. nu.71.
Circa idem omninò objectum cum æquali extensione, potest dari magis vel minus clara cognitio. ibid. a nu. 73. an cognitio simul attingens duo, habeat totam perfectionem cognitionum illa divisim attingentium. ibid. nu.75.
Compensatio. Necessaria metaphysicè est in privatione boni connaturalis. lib.2. disp.2 a nu.16 præsertim,a nu.20. vbi repugnat, etiam privatio repugnat. ibid. num 29. Cui, & quomodo facienda. ibid. nu. 27.
Complacentia. Necessaria complacentia non necessitat nisi absorptâ advertentiâ. lib.2 disp.2.n.47.Nulla circa quæcunq; cumulum finitæ bonitatis æquare potest divinâ de peccato mortali displicentiam. ibid.
Complexum ex Deo,& creatura, non est Deo perfectius, adhuc extensivè. lib.1.disp.1. a nu.10. An simpliciter minus, & imperfectum. lib.2. disp.2. a nu.11. Quando complexum ex infinitudine partis maner simpliciter infinitum & quando non. lib 4. disp.3. nu.28. & 29.
Compositum. Quid sonet, & quid importet. lib 1. disp.1. nu.89 & nu.86. an usurpari de Christo, possit. ibidem. An Christus, persona composita? & ex quibus. lib. 1. disp 1. a nu.84 & a num.89. Compositi Rectum naturale quodnam sit. lib.1. disp. 5. a nu.76 & disp.6. nu.7.
Comprehensio duplex: intensiva, & extensiva. lib. 1. disp.3. à num. 141. & lib.5. disp. 3. à num. 41. Quid importet comprehensio simpliciter, & intensivè talis? lib. 1. disp. 3. à nu. 143. & rursus à nu.191. Extensiva non infert intensivam. lib. 5. disp.3 a num.66.Imò hæc illa non requirit. lib. 1. disp. 3. à nu.191. nu.193. Subtilis cõprehensionis explicatio.ib.n.144. Non est cur dividatur in perfectam, & imperfectam. lib.1. disp.3. à nu.193. Perfecta non semper requirit extendi ad omnes respectus, & terminos rei comprehensæ.ibidem à num.191.
Conellia. Rhemensis acta,& Authoritas circa Mysterium & modum Vnionis hypostaticæ. lib.1. disp.4. a num.24.
Concilii Toletani sensus circa idem.lib.1. disp. 4. à num. 58.
Conciliales rationes quam vim habent? lib.1. disp.5. a num. 27. & rursus lib. 5. disp. 3. a nu. 16. Quid de ratione Nicæni Conc. 2. circa Angelos lib.1. disp. 5. num. 30.
Concilii Francofordiensis Authoritas. lib. 5. disp. 5. a nu. 9. & a nu. 74. Mens, & definitio contra Elipandum. ibidem. a num. 5. 6. & sequentibus.
Concomitantia, & connexio naturalis quid sit apud Concilium Tridentinum, in Eucharistiæ? lib.1. disp.2. num.223. & 224.
Condignitas meritorum Christi quanta? lib. 4. disp. 2. a nu.5. undenam sumpta? ibidem a nu. 52. & quomodo? ibid a num. 63. Exempta a debito. ibidem a num. 75.
Condignitas ab Vnione Hypostatica præcise. quanta? lib. 5. disp. 2. a num. 94.
Simul non potest a gratia, quæ non antecedat. lib. 4. disp. 3. a num. 95.
Connexio quoad cognitionem terminii, explicatur. lib. 1. disp. 3. a nu.185. Comparatur cum ente Diaphano. ibid. a num. 187. diversitas connexionum quoad modum cognoscendi. ibid. num. 189. Nonnullæ connexiones quantumvis penetra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

læ, non inferunt cognitionem termini. ibid. nu. 190. & num. 193. Plerumque non addit perfectionem enti connexo, & cur? ibidem.
Connexio ordinis superni cum hypostatico quanta sit? lib. 2. disp. 2. a num. 53. & lib. 3. disp. 2. num. 14.
Vndenam oriatur major aut minor connexio in Humanitate assumpta cum his aut illis donis? lib. 4. disp. 3. à nu. 206.
Quæ prærequisitorum connexio faveat, aut noceat libertati? lib. 3. disp. 1. a nu. 115. & lib. 5. disp. 3. a nu. 85. & nu. 87. & 88.
Quæ connexio sufficiat ad evidentiam Trinitatis: quæ non sufficiat? lib. 5. disp. 3. a nu. 139. & a nu. 145. etiam non obstantibus principiis metaphysicis in oppositum. ibidem a num. 149. & a num. 153.
Consilii a præcepto distinctio, & diversitas. lib. 4. disp. 5. a num. 2. & num. 5.
Contingentia minuit æstimationem doni. lib. 1. disp. 3. num. 40.
Convenientia quotuplex? lib. 2. in præmio. Quo genere conveniens Incarnatio, Deo. ibidem disp. 1. a num. 3.
Creatura melius est in Deo, quàm in se: & cur. lib. 1. disp. 1. nu. 8. complexum ex ipsis, & Deo ne extensivè quidem est Deo melius. ibid. num. 10. An Deo solo, minus. lib. 2. disp. 2. a nu. 11. & sequentibus. Creaturę etiam complerę discrimen a Deo, quoad unionem. Ibidem. nu. 14.
Puræ Creaturæ repugnat infinita proprietas. lib. 1. disp. 2. num. 163.
Repugnat creatura ex se indestructibilis ex suppositione, quòd producatur. lib. 1. disp. 3. nu. 34. Non tamen ipsi repugnat indestructibilitas quoad speciem. ibidem a num. 39. & cur? a num 46.
Creaturæ a Deo productæ ex amore: & quid hoc sit. lib. 2. disp. 2. num. 24.
Creatura pura pro veniali condignè satisfacere potest ex viribus gratiæ. lib. 2. disp. 3. a num. 27. Per vires naturales pro nullo peccato potest. a nu. 18. Pro mortali ex viribus Gratiæ congruam satisfactionem exhibere potest. ibid. a nu. 58. Condignam nullo modo potest. ibid. a nu. 153. etiam ex quacumque suppositione gratiæ. a num. 310. & 316. & dignitatis. a nu. 321. neque potest mereri de condigno remissionem peccati. ibid. a num. 182. & a num. 304. Ratio tantæ insufficientiæ, & impossibilitatis. ibidem a num. 276.
Creaturæ vilitas quanta. lib. 2. disp. 3. num. 65. Quotuplex. ibidem. num. 179.
Creaturæ diversa jura circa Deum. lib. 4. disp. 4. a num. 908. obligare se illi Deus potest ex justitia. ibidem. a num. 1. latissimè.
Creditoris gratia quando obstet rigori satisfactionis. lib. 2. disp. 3. a num. 36. & rursus a num. 41. & quando rigori justitiæ. lib. 4. disp. 4. a nu. 272. & a n. 275.
Crucis adoratio. lib. 5. disp. 8. num. 94.
Culpa remissa, nequit manere reatus æternæ pœnæ, nec econtra. lib. 2. disp. 3. num. 26. Vide. *Offensa. Peccatum.*

D

Damnati. In damnatis an aliquod donum supernum maneat? lib. 5. disp. 1. num. 145.
Debitum pœnæ non est pœna. lib. 2. disp. 3. nu. 240. Alicujus debiti remissio non obstat satisfactioni. ibid. & nu. 241. & 242.
Debitum peccati originalis remotum, & proximum. lib. 3. disp. 2. num. 219. Immunitas a debito contrahendi originale, De parę concedenda. ibid. a num 220.
Debitum carendi Redemptore an incurri per peccatū possit. lib. 4. disp. 2. a n. 14.
Debitum gratitudinis quid requirat. lib. 4. disp. 2. num. 28. & 29.
Debitum quale cadere potuit in Christi merita, & opera. lib. 4. disp. 2. a num. 75. & a num. 88.
Duplici debito an, & quando possit per rem eandem satisfieri. lib. 4. disp. 4. a num 281. & num. 287. & 288.
Decretum Dei nequit formaliter præstare vicem unionis. lib. 1. disp. 2. num. 10.
Decretorum ordo quàm varius apud Theologos. lib. 3. disp. 1. a num. 4.
Vnico, & simplicissimo decreto etiam virtuali, se exercet Deus circa omnia: nec dari potest inter Divini exercitii liberi tendentias distinctio virtualis, nec ulla, præterquam extrinseca, & rationis. lib. 3. disp. 1. a nu. 21. Authores. num. 15. Rationes. a nu. 23. adusque nu. 80. Objectiones. a nu. 80. specialissima à læsione creatæ libertatis opponitur. a num. 107. Vrgetur. a num. 108. Premitur. a nu. 131. Solvitur. a num. 112. & a num. 141.
Omne Dei decretum est plenè comprehensivum. ibidem a num. 25. & a nu. 28.

Re-

Repugnat in Deo decretum, & exercitium liberum, cui non præluceat scientia media, & quam pro priori essentialiter non supponat. lib. 3. disp. 1. a num. 25. & seq. & nu. 33 & nu 66. & a nu. 118.
Decretum entitative indifferens repugnat: & cur. lib. 3. disp. 1. a nu. 33. & a nu. 77. & a nu. 112. Nec ob id præiudicatur indifferentiæ creatæ libertatis. ibid. latè.
Decreta subordinata in Deo repugnant specialiter. lib. 3. disp. 1. a nu. 54. & specialiter insubordinata. a num. 61. Sunt essentialiter inimperabilia. a n. 55 & a n. 57. Decreta disjunctiva, & aliter importantia distinctionem ab aliis decretis repugnant. lib. 3. disp. 1. a nu. 67.
Divinorum Decretorum etiam efficacium attemperatio cum libertate creaturæ. lib. 3. disp. 1. a nu. 113. Ex beneficio Scientiæ Mediæ. ibid. a nu. 119. & a nu. 142. Eorum evitabilitas a libero arbitrio creato. ibid. nu. 119. & a nu. 142. Imò & acquiribilitas. ibidem nu. 142. 143. & 144.
Decretum essentialiter est de re contingente. lib. 5. disp. 2. num. 54. & a nu. 49. & disp. 3. a num. 91.
Defectus physici enumerantur. lib. 5. disp. 2. a num. 19. & 80. Quinam in Christo admittendi. ibidem a num. 81.
Defectus animæ, qui. lib. 5. disp. 2. nu. 130. Quinam in Christo Domino. lib. 5. disp. 2. & num. 131.
Definitio Ecclesiæ doctrinalis, quæ. lib. 5. disp. 3. num. 8.
Deitas. Vide *Natura Divina*.
Dentes a sùpti a Verbo. lib. 1. disp. 4. a n. 85.
Denominatio. Cur unas, & non alias denominationes accipiat a Verbo humanitas ex vi unionis. lib. 1. disp. 1. a num. 61. & disp. 5. a nu. 86. & lib. 5. disp. 1. a nu. 13. & lib. 5. disp. 7. a nu. 12. & 13. & nu. 31. 32. & 33.
Denominatio Sancti, & justi necessariò est intrinseca. lib. 2. disp. 3 nu. 316. & lib. 5. disp. 1. a nu. 20.
Dependentiæ genus duplex. lib. 1. disp. 2. nu. 93. Quo genere dependeat à Verbo Humanitas, & in quo consistat?. ibid. à nu. 89. & à nu. 92.
Desiderium. Regula pro taxandis desideriis in bonum, & in malum. lib. 2. disp. 3. à nu. 163. Vbi de axiomate: Voluntas pro facto reputatur. à nu. 164.
Determinatio quid importet? lib. 3. disp. 2. à num. 173.
Deus ex ratione summè perfecti incapax perfici, vel imperfici per villam suppositionem à se distinctam. lib. 1. disp. 1. à nu. 9.
Vt coexistens creaturis non format complexum, se solo perfectius. ibid. nu. 10.
Adhuc extensivè. ibid. & nu. 11. Vtcè compleri potest per perfectiones simpliciter tales. ibid. nu. 12. Nequit sine mutatione per finitam cognitionem reddi cognoscens, & cur? ibid. nu. 18. discrimé Dei, & creaturæ quoad aliquas denominationes. ibid. nu. 14. & nu. 20.
Dei dona aliquam indestructibilitatem secum important. lib. 1. disp. 3. à nu. 35.
Dei Dominium circa res, quale? ibid. nu. 34. & à nu. 46.
An possit naturaliter strictè loqui? lib. 1. disp. 3. à nu. 179.
Deus ut *Author naturæ*, & ut *Author gratiæ* quid importet? lib. 1. disp. 3. à nu. 197.
In Deo subsistentia absoluta, nulla. lib. 1. disp. 4. à nu. 47. & 53. Difficiles doctrinę Thomisticæ circa hæc. ibid. Rursus de subsistentia absoluta. lib. 1. disp. 5. à nu. 60.
Dei in operando decorum indispensabile. lib. 1. disp. 5. à nu. 140.
Dei proprium est, alienam posse supposítare naturam. lib. 1. disp. 5. à num. 91. Præsertim. nu. 92. & 93.
Viiri nequit physicè sub ratione vitæ, æternitatis, immensitatis, omnipotentiæ: & cur? lib. 1. disp. 5. à nu. 83.
Deo quousque conveniens Incarnatio. lib. 2. disp. 1. à nu. 2. Deus quousque sui communicativus, quia summè bonus. lib. 2. disp. 1. nu. 7.
Deo ad quidquam extra se repugnat absoluta necessitas etiam moralis. lib. 2. disp. 1. à nu. 41. specialiter ad productionem optimi. ibid. num. 53. specialius ad productionem supernorum. ibid. à num. 66. specialissimè ad executionem Incarnationis. ibid. à nu. 86. Necessitatiu tamen ad optimam electionem. ibid. à nu. 69. Cum sufficiente libertate ad laudem moralem. ibid. à nu. 104. & cur? à num. 106. & nu. 124.
Magis displicet de peccato, quàm in omni finita bonitate complaceat. lib. 2. disp. 1. num. 47. Rapi non potest ad extra ab vllis complacentiis, & inclinationibus circa finita bona. ibid. Latè, & à nu. 63.
Prima Regula morum, & honestatis, Deus. lib. 2. disp. 1. à nu. 72. Ex quo prædicato? ibidem, & sequentibus.

Dis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discrimen Dei, & creaturæ in ordine ad laudem moralem quoad actus liberos? lib. 2. disp. 1. à nu. 106. Cur Deo sufficiat libertas vnicè ad actus æquales, licèt in creatura non sufficeret? ibid. nu. 126.
Dei libertas explicatur. lib. 2. disp. 1. à n. 116. & à n. 124. & disp. 5. à nu. 5. & rursus à nu. 16. & nu. 33. Quanta sit, & qualis libertas Dei in rerum molitione. lib. 2. disp. 2. à nu. 30. In exigentiis rerum suo bono privandis. Ibid. & lib. 3. disp. 1. à nu. 16. & lib. 4. disp. 4. à nu. 69. præcipuè quod Mundi annihilationem? ibid. à n. 38.
Deus ex suppositione contingenti creata necessitatur ad aliquid. lib. 2. disp. 2. à nu. 5. Quanto gradu necessitatis? ibid à nu. 16. An æquè liber ad operandum contra, ac supra naturam? ibid. à nu. 32. Vndenam in ipso necessitas satisfaciēdi exigentiis rerum. ibid. à nu. 16. & à nu. 34.
Ex amore cuncta producere quid sit? ibi. num. 24.
Deus ex quà suppositione creata contingenti manere necessitatus possit ad Incarnationem? lib. 2. disp. 2. à num. 42. & præsertim a nu. 53.
De Deo qualiter sentiendum. lib. 2 disp. 3. nu. 19. Nequit dici subjectum offensæ, nec forma. ibid. à nu. 80. & à nu. 82. & nu. 85. Dei actus non semper æstimandi ex entitativa infinitate. lib. 2. disp. 3. nu. 136.
Dei, & hominum grande discrimen in pensandis obsequiis. lib. 2. disp. 3. à n. 284.
Deus exercitio virtualiter indivisibili libertatem exercet, nec aliter potest. lib. 3. disp. 1. à nu. 23. Latè
Non habet Deus de suis actibus Scientiā Mediam. lib. 3 disp. 2. nu. 87. Quomodo eos agnoscat? ibid.
Dei circa permissionem peccatorum quanta libertas: & ex quo titulo? lib. 3. disp. 2. à nu. 163.
Deus se potest homini obligare ex stricta justicia. lib. 4. disp. 4. latissimè à nu. 23.
An possit obligare potestatem extraordinariam & absolutam? à nu. 49.
Dei dominium comparatum cum jure dato creaturæ. lib 4 disp. 4. à nu. 73. & 74. Ejus prærogativæ. ibid. Non minuitur ex communicatione iuris facta creaturis. ibid.
In Deo quid sonet moralis obligatio? lib. 4. disp. 4. à nu. 134. & expensiùs à nu. 370.
Deo negari non debet vlla ex quatuor speciebus justitiæ. lib 4. disp. 4. à nu. 166. & à nu. 169. & à nu. 178. & à nu. 182.
Ex quà virtute justitiæ, distributivæ, vel commutativæ remuneret? lib. 4. disp. 4. à nu. 166. & à nu. 171.
Deus an præcipiat quidquid præcipit, ex jure dominii. lib. 4. disp 4. à nu. 198. Cedere nequit juri, ne indignè tractetur. ibid. à nu. 206.
Deus an credendus cessisse juri festinæ compensationis & pœnitentiæ? lib. 4. disp. 4. à nu. 246. & nu. 247. & seq.
Deus ex quà virtute acceptaverit Christi satisfactionem. lib. 4. disp. 4. nu. 360. & nu. 363. Deo repugnat gratitudinis virtus, & cur? ibid. à nu. 360. An exercuerit respectu Christi justitiam distributivam? ibid. à nu. 364.
Deum obligari ex aliqua virtute, quid sit? lib. 4. disp. 4. à nu. 370. & à nu. 380.
Deo in quovis genere perfectionis est assignanda denominatio characteristica. lib. 5. disp. 1. nu. 89.
Deus nequit specialiter infundere errorem ullum. lib. 5. disp. 3. à num. 218. & num. 223.
Deus quasi virtutum tutor: & quid inde fiat? lib. 5. disp. 4. nu. 32.
Dei, ut causæ primæ munera. lib 5. disp. 4. nu. 99.
Deo qui cultus debitus? lib 5. disp. 8. nu. 16. & 17. Ex quibus titulis? nu. 18. an ex titulo benefactoris? à nu. 23.
Discursus quid importet? lib. 5. disp. 3. nu. 187. Repugnat scientiæ infusæ. ibidem. à num. 186.
Dispensatio in quo differat à præcepti relaxatione? lib. 4 disp. 5. nu. 110. Quando sit possibilis. Ibid.
Displicentia. Vide *Complacentia. Peccatum.*
Dispositio quid importet in conceptu suo? lib. 3. disp 4. num. 11. & 12. neque physica, neque moralis præcesserit ad vnionem in Humanitate. ibid. à nu. 3. & à nu. 10.
Distinctio virtualis malè colligitur à multis ex Mysterio Incarnationis. lib. 1. disp. 4. à nu. 56. Quid importet? lib. 3. disp. 1. à nu. 34. Necessariò imbibit realem distinctionem in tertio. ibid. Repugnat specialiter inter formalitates divini exercitii liberi. ibid.
Dæmoni Quanta notitia permissa fuerit circa Incarnationem, & miracula Christi. lib. 1. disp. 3. à nu. 203.
Dæmonis Regnum, Tyrannis, & servitus, lib.

lib. 4. disp. 1. nu. 9. 10. & 11. Ejus Regni destructio in quo consistat. ibid. à nu. 19. Dæmonis alligatio ex meritis Re-Redemptoris. ibid. à nu 21.
Cur Dæmoni permissa licentia tentandi etiam post Redemptionem? lib. 4. disp. 1. num. 17. & num. 20.
Quomodo Christum tentare potuit? lib. 5. disp. 2. à num. 135. & nu. 138.
Eorum ab igne tortura, qualis? lib. 5. disp. 7. à num. 56. & num. 58.
Dæmonum apparitiones sub Angelo lucis, quî æstimandæ? lib 5 disp 8. nu 104.
Dolor quid? lib. 5. disp. 2. nu. 140. Ab aliquibus malè negatus in Christo Domino ibidem num. 142.
Dominium Dei in operando quantum, & quale? lib. 2. disp. 2. à nu. 30. & à n. 38. Duplex: jurisdictionis, & proprietatis. lib. 4. disp. 2. num. 88. Quodnam ex his exercere potuit Deus circa opera Christi. ibidem à num. 89. & à num. 90.
Divinum dominium non læditur positâ in Christi meritis intrinseca necessitate inducendi præmium. lib. 4. disp. 3. à nu. 197. & à nu. 203. Neque positâ obligatione ex strictâ justitiâ. lib. 4. disp. 4. à nu. 29. & specialiùs à num. 61. & 69. & à num. 91.
Exacta explicatio Dominii. lib. 4. disp. 4. à num. 69.
Dominii Diuini prærogativæ. lib. 4. disp. 4. à num. 77. Ejus à nostro differentia. ibid. nu. 74 Non minuitur Divinum ex dato dominio creaturæ. ibid.
Dominium insolidum ejusdem rei penès duos quousque repugnet? lib. 4. disp. 4. à num. 80.
Dominium jurisdictionis cur repugnet in creatura respectu Dei? lib. 4 disp 4. n. 151.
Dona Dei, quo sensu dicta ab Apostolo sine pœnitentiâ? lib. 1. disp. 3. num. 35. & nu. 41. Minuitur æstimatio Doni ex contingentiâ. ibidem, & num. 40.
Quæ dona cadere in meritum possint: & quæ non? lib. 3. disp. 3. à nu. 39. à nu. 58. & à num. 68.
Dona Spiritûs Sancti. lib. 5. disp. 1. nu. 178. Infusa Christo Domino. ibidem.
Dulia quid? lib. 5. disp. 8. num. 16.
Durandi difficilis Doctrina de Vnione lib. 1. disp. 4. à nu. 42. Quousque a Theologis notata. Ibid. à num. 43. *fin.* Ejus doctrina de prædicatione hominis de Christo, cavenda. lib. 1. disp. 6. a nu. 24.

E

Ecclesiæ militantis pulcritudo ex inæqualitate Personarum, dignitatum, & munerum. lib 4. disp. 4. nu. 170.
Ecclesiæ Militantis, & triumphantis Caput & Cor. lib. 5. disp. 5. nu. 138. Quid requiratur ad membrum Ecclesiæ. ibid. à nu. 149.
Ecclesiæ definientis duplex modus. lib. 5. disp. 3. à nu. 9.
Eductio. Vide *Actio*.
Electio Dei quævis optima. lib. 2. disp. 1. à num. 69. Quomodo stet in Deo cum necessitate ad electiones æquales, laudabilitas electionis. lib. 2. disp. 1. à nu. 104. Latè, & præsertim à nu. 124.
Electio respective ad intentionem duplex. lib. 3. disp. 2. à nu. 197. Explicatur utraque. ibid.
Electionis laudabilitas quid requirat. lib. 5. disp. 4. à nu. 19. & nu. 54.
Elipandi error. lib. 5. disp. 5. nu. 3 & 5. & 6. à num. 63. Duo inter alia dixit. ibid. servitutem & adoptionem. ibid. Expenditur. ibid. à nu. 17. & à nu. 26. & à nu. 32. & à num. 63. damnatus à Francofordiensi, & Adriano. ibid. An fuerit Nestorianus. ibid. à nu. 26. & à nu. 34. & nu. 63 Elipandi resipiscentia. ibid. & n. 63
Entis summè perfecti notio. lib. 1. disp. 1. nu. 8. Nec perfici, nec imperfici potest per accessionē vllius à se distincti: & cur? ibid. nu. 9. & sequentibus.
Entium tria genera: & explicantur. lib. 1. disp. 1. nu. 61. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quid sit? lib. 5. disp. 2. num. 67.
Enti completo quousque repugnet perfectio substantialis vlterior? lib. 1. disp. 3. à num. 31.
Error nec fuit, nec esse potuit in Christi anima. lib. 5. disp. 3. à nu. 216.
Error nequit specialiter à Deo causari, & infundi. lib. 5. disp. 3. à nu. 219. & à n. 223.
Erroris turpitudo lib. 5. disp. 3. nu. 224. & 225.
Eucharistiæ adoratio. l. b. 5. disp. 8. nu. 103.
Evidentia. Quotuplex? lib. 1. disp. 3. nu. 138. & rursus à nu. 214. Naturalis quousque repugnet circa mysteria Trinitatis, & incarnationis. ibid. nu. 146. Circa supernaturalia entia non repugnat. ibid. n. 146.
Quanta potest haberi de Trinitate per lu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lumen supernum distinctum à lumine gloriæ, etiam propositis in oppositum principiis metaphysicis? lib. 5. disp. 3. à nu.145. & nu.149.
Euthyches. Quis fuerit? lib 1. disp.1. nu. 82. Ejus error, & sequaces. ibid. & nu.83.
Exigentia physicæ quid? lib.2. disp.2. à nu. 5. & præsertim num. 10. & specialissimè nu.34. Ipsis nititur tota Philosophia. ibid. Quam necessitatem supponant ex parte Dei. ibid. num. 10. & 16. & Sine aliqua necessitate ex parte Dei sunt inexplicabiles. ibid. nu.10. Privari nequeunt bono connaturali sine compensatione; idque rarò. ibid. nu.20. & rursus à nu.27. Sunt quasi quædam naturæ leges, quas naturæ sibi Author imponit. ibid. à nu.35.
Experientia. Nitirur in ipsis Philosophia. lib.2. disp. 2. à nu. 10. Quando sumitur argumentum vtile ex experientiis. ibid. num.13.
Experimentalis Scientia in Christo. lib.5. disp. 3. à nu.191. Ex quo tempore? à nu. 198. An distinguatur ab habitu Scientiæ per se acquiribilis? à nu.26.

F

Factum. Pro facto voluntas reputatur, quando & quomodo verum? lib.2. disp. 3. num.164.
Felicis Vrgelitani error. lib. 5. disp.5. nu.3. 5.& 6. & num.63. Quis iste Felix fuerit? ibid. nu.63. Ejus infelix exitus. ibid.
Fides. Quæ sit? lib.5. disp.1. à nu. 161. Procul à Christo Domino: & cur? ibid. à nu. 162. An sit proprietas gratiæ? ibid.
Fidei habitus consistere nequit in speciebus impressis credibilium? lib.5. disp.1. à nu.166. & disp.3. nu.165.
Fidelitatis obligatio in Deo, quanta? lib.4. disp.4 à nu.38. Arguitur exinde pro obligatione ex justitia. ibid. à nu.41.
Filiatio, Filius. Qualiter respicere debeat Filius, ut acceptum Filiationis bonum. lib.1. disp.3. à nu.100. Vbi satis pulcta.
Filiatio quotuplex? lib. 5. disp. 5. nu.77. 78. & 76.
Filiatio propria distincta à naturali, fictitia. lib.5. disp.5. à nu.80. & a nu.82.
Dogmata de Filiatione Christi quâ hominis explicantur. lib.5. disp. 5. a nu.77. & præsertim à nu.90. & expensiùs a n.99.
Filiatio præcisè quid requirat? lib.5. disp. 5. a nu.99. Vbi Aristotelicæ definitionis explicatio. nu.100. & nu.101.
Esse Filium, an sit idem ac esse genitum? lib.5. disp.5. nu.110.
Finis Incarnationis. lib.3. disp. 2. a num. 3.
Integratur ex excellentiâ mysterii, & ex peccati remedio. ibid. a nu.32.
Duplex finis in modo finalizandi totalis concurrere potest in eundem effectum. lib.3. disp.2. à nu.38. Explicatur iste modus finalizandi, & illustratur. ibid. a n.40
Finis quam vim exerceat circa media, eorumque positionem? lib.3. disp.2. a num. 98. Finis amor quantumvis efficax non necessitat ad amanda media. ibid. & nu. 99. & rursus a nu.194.
Fomes peccati dividitur, & explicatur. lib.5. disp.2. a nu.67. Quid sit ipsum ligari; quid extingui? ibid. Exulat a Christo, & a purissima ejus Matre. ibid.
Forma Sanctificans, nisi ex habentis culpa, indestructibilis. lib.1. disp.2. nu.161.
Francofordiensis Concilii Authoritas. lib.5. disp.5. à nu.9. & a nu.74. Mens, & definitio adversus Elipandum de servitute Christi. a nu. 5. 6. latè, & circa adoptionem. ibid à nu.63.

G

Generatio viventium explicata. lib.5. disp 5. a nu. 99. Aristotelica definitio quo sensu sumenda. ibid. a nu.100. & nu.101.
Inter esse genitum & esse Filium quæ diversitas sit? lib.5. disp.5. nu.110.
Gradus in intensione videntur heterogenei. lib.5. disp.1. a nu.121.
Nulli in qualitatibus vitalibus. à nu. 125. & lib.5. disp.3. à nu.90.
Gratia Habitualis nequit esse connaturalis entitativæ substantiæ finitæ, sine præsuppositione hypostaticæ Vnionis. lib.1. disp. 3. à nu.8. Etiam secundùm se est proprietas hypostaticæ Vnionis. ibid. à nu. 9. & lib.5. disp.1. nu.50. & 53. & 68. & a nu. 127. Vnione necessariò sequitur indispensabili connexione. lib.5. disp.1. à nu.59. & 60. Non est tamen violenta sine ipsâ lib. 1. disp.3. à nu.19.
In gratia jus ad gloriam, quale? lib.1. disp. 3. a nu.106. Cur, non obstante hoc jure, superadditæ gratiæ sint novæ gratiæ. ibid. à num.108.
Ordinis gratiæ & Naturæ pulcra diversitas.

sitas. lib.1. disp.3. à nu.109.
Vnio ipsius ad animam, cur non est Sanctitas ut quod, ut est vnio Verbi divini ad Animam. lib.1. disp.3. nu. 131.
Gratia essentialiter incompossibilis cum peccato. lib.2. disp.3. a nu.191. In ratione beneficii crescit ex circunstantiâ remissionis. ibid. & cur? a nu.196. Quomodo expellat peccatum? ibid. num.193. & quo genere causalitatis? ibid. Non est tam bona, quàm est peccatum malum. ibid.
Gratiæ multiplex genus. lib.4. disp.2. nu. 16. Ex majori gratia merentis an crescat meritum. lib.4. disp.3. a nu 81. Paritas a dignitate Verbi non vrget. ibid. a nu.85.
Casu quo crescat, an arithmeticè? ibid. num.91.
Gratia, quæ non antecedat, non condignificat. lib.4. disp.3. a nu.95.
Gratia habitualis in Christo quàm certò statuenda? lib.5. disp.1. a nu.49. & num. 58. & cur? a nu.50. Vndenam habet vim adoptandi. ibid. a nu.52. Ejus varia elogia ex Scripturis. ibid. a nu. 54. Ejus in Christo munera. ibid. a nu.55.
Gratiæ habitualis primarius effectus non est adoptio. lib.5. disp.1. a nu. 61. Quænam in Christo Domino ejus causa? ibid. a nu.62. Christi gratia, & nostra ejusdem speciei. ibid. a nu.64.
Gratia habitualis perfectior specie gratiâ Christi non est possibilis. lib. 5. disp. 1. num.64. & 65. Vnde nec præsenti perfectior. ibid.
Habitualis gratia in Christo non est actu infinita. lib.5. disp.1. a nu115. Ex repugnantia infiniti in actu. ibid. a nu. 116. Et ex speciali repugnantia infiniti secundum intensionem. a nu. 121. Esset infinita, si possibilis foret in actu. ibid. a nu.109. An tunc esset in Christo omnis gratia possibilis. ibid. a nu. 114. Est summa moraliter. ibid. a nu. 127. & unde taxanda. a num.130.
Gratia Christi ut capitis, quæ? lib 5. disp. 1. a nu.137. & a nu.151.
Gratiæ auxiliantis munera. lib. 5. disp.1. a nu.187. Necessitas etiam in Christo ad actus supernos. ibid. a nu. 185. Ejus in Christo qualitas. ibid. a nu.189. & qualis influxus vbique. ibid. nu.167.
Gratiæ gratis datæ, quæ? lib.5. disp. 1. a num.82.
Gratia habitualis ne divinitus quidem conjungi cum peccato potest, si ex naturâ rei non potest. lib.5. disp.2. a n.26. & 29.
Gratitudo. Debitum ejus quantum? lib. 4. disp.2. nu.28. & 29. Gratiarum actio, an petimatur ex obligatione justitiæ. lib. 4. disp.5. nu.144.
Gratitudinis virtus Deo repugnat: & cur? lib.4. disp.4. a nu.106.

H

Habitus vitiosus repugnat Christo Domino. lib 5. disp 2 num.72. Infundi a Deo nequit. ibid.
Habitus Fidei nequit stare in speciebus credibilium? lib. 5. disp.1. a nu. 166. & disp.3. num.165.
Habitus scientiæ infusæ distinctus ab speciebus impressis. lib. 5 disp. 3. a nu. 158. & a lumine gloriæ. lib. 5. disp. 3 a nu.168. simplex. a nu.170.
Habitus intellectualis an indistinctus ab speciebus? lib. 5. disp.3. a nu. 205. & 206. & ante. a nu 158 & nu.164. & nu.166.
Habituum & specierum distinctissima munera. lib.5. disp.3. a nu.158.
Homo. Deus assumpsit hominem, ne dicas. lib.1. disp.4. a nu.89. Qui dixerint, & in quo sensu? ibid.
Quotuplex esset *homo*, assumpta humanitate multiplici, vel assumente triplici subsistentia? lib.1. disp.5. a nu.73.
Homo vnivocè dictus de Christo, & de nobis, & æquè propriè. lib.1 disp.2. nu.141. & latiùs. disp 6. a nu.24 & a nu.31.
Homo naturæ, & Vniversi compendium. lib.3. disp.2. à nu.68.
Homo circa Deum, & justitiam, & injustitiam strictè exercere potest. lib.4 disp. 4 a nu. 183. Et exercet necessariò dum peccat. ibid. a nu.195 & 205.
Honoris descriptio. lib.5. disp.8 num.3.
Humanitas Christi Domini mutata, & cur? lib.1. disp. 1. a nu.3. Nullatenus Forma nec perfectiva, aut imperfectiva Verbi Divini. ibid. a nu. 8. & nu.22. & lib. 2. disp.1. a nu.11.
Quomodo suppletur in ipsâ a Verbo effectus propriæ subsistentiæ. lib.1. disp.1. a nu.24. præsertim nu. 47. & sine vlla violentia. & cur? lib.1. disp.4. a nu.96.
Quas denominationes a Verbo ex vi vnionis accipiat; quas non possit? lib.1. disp. 1. a nu.61. & disp. 5. a nu. 86. & lib. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

disp. 1. a nu. 13. & rursus disp. 7 a nu. 12. & 13. latè. Vbi cur ab Omnipotentia vnira reddi nequeat potens ad quidquam ibid. & a nu. 131.
Qualiter a Verbo dependeat. lib. 1. disp. 2. a nu. 54. & rursus a nu. 89. specialiter a nu. 92. Cur ex vi vnionis non est vbicumque est Verbum. ibid. nu. 189. & lib. 5. disp. 7. nu. 2. & 3.
Quid sit humanitas constitutivè? lib. 1. disp. 2. nu. 143. & seqq. Non est specie diversa, ex diversitate vnionum, etiam specifica: & cur? ibid. nu. 145. & 147. an supernaturale compositum. ibid. nu. 147. Ratione vnionis magis sunt ipsi connaturalia, supernaturalia dona, quàm sunt nobis bona naturalia: & cur? lib. 1. disp. 3. nu. 90. Semel assumpta, quo nomine sibi exigat omnia bona? ibid. a nu. 92. Absorbetur in ipsâ omne genus indignitatis. ibid. nu. 91. & a nu. 110. & lib. 2. disp. 1. a nu. 13. & nu. præsertim 14. & 15. Quomodo teneatur reddere gratias pro donis superadditis ad vnionem, cùm non sint beneficia ab ipsâ diversa? lib. 1. disp. 3. a num. 114.
Quo ordine, ejus partes, assumptæ? lib. 1. disp. 4. a num. 93. Cur præ aliis naturis assumpta? lib. 3. disp. 2. a nu. 68.
Duplicem simul assumi, vel eandem a duplici persona repugnat. lib. 1. disp. 5. a nu. 42. & lib. 4. disp. 3. a nu. 179.
Humanitatis diversa ab unione jura. lib. 4. disp. 3. a n. 206 Cur alia separari possint a termino juris; alia, non? ibid.
Humanitatis Sanctificatio a perfectione increata. lib. 5. disp. 1. a nu. 3. Non est summa simpliciter. ibid. a nu. 81. Est summa in ratione Sanctitatis communicatæ ibid. a nu. 73.
Ejusdē Sanctificatio ab Vnione ut quod. lib. 1. disp. 3. a num. 171. & lib. 5. disp. 1. a num. 37.
Humanitatis impeccabilitas. lib. 5. disp. 2. a num. 4. Est summa, & essentialis ex vi vnionis. ibid. a num. 21. & a nu. 41. & a 49. Nequit secum compari potestatem peccandi. ibid. a nu. 41. Imò ex præciso titulo *assumendæ* ibid. a nu. 55. & ex titulo semel assumptæ, etiamsi pòst dimitteretur. ibid. a nu. 60. Etiam bilocata. a nu. 61. Neque secum potest compati peccatum materiale ibid. a nu. 64. Neque fomitem a nu. 67. Neque vitiosum habitum. a nu. 72. Neque reatum pœnæ, a nu. 75. Quid & quos defectus ex physicis potuerit in humanitate permittere? ibid. a nu. 77. & 79.
Humanitatis Scientia. lib. 5. disp. 3. Vide *Christus, Scientia.* Humanitatis immunitas a morali imperfectione, quanta, & unde? lib. 5. disp. 5 a nu. 88.
Humanitas an dici posit adoptata? lib. 5. disp. 5. a nu. 70. & quousque prædestinata. ibid. a nu. 112.
Humanitas præcisè ex vi vnionis, etiam vnirâ Omnipotentiâ, non fit physicè potentior. lib. 5. disp. 7. a nu. 8. Neque fieri potest formaliter potens ad quidquam. ibid. a nu. 12. Ejus Omnipotentia quasi moralis ex vi Vnionis. ibid. a nu. 11.
Humanitatis vera miracula. lib. 5. disp. 7. nu. 35. Quæ potestas ei concessa? ibid. nu. 11. an physicè concurrerit ad omnia? ibid. a nu. 34. & a nu. 60. morali concursu fegesit. a nu. 61. & quidem ad miracula loco, & tempore distantia. ibid. a nu. 68. 69. & 70.
Humanitas Christi adorari potest & debet cultu latriæ. lib. 5. disp. 8. a nu. 27. & a num. 28. & quidem eadem adoratione, quâ Verbum. num. 35. Inæquali tamen adoratione. nu. 36.
Etiam potest adorari propter Verbum, ita ut adoratio sit ipsius Humanitatis, & non Verbi. lib. 5. disp. 8. a nu. 42. Quod genus latriæ sit istud? ibid. nu. 43. Adorari potest propter dignitatem Vnionis: & alias. ibid. a nu. 44. 45. 46. 47. & quo cultu? ibidem.
Humanitas Christi præcisim a Verbo adorari potest, & orari. lib. 5. disp. 8. a num. 42. & nu. 55.
Hyperdulia. Quid? lib. 5. disp. 8. num. 16. Hyperdulia debita dignitati Vnionis, & eximiæ. ibid. nu. 45. & nu. 46.

I

Ianseni error. lib 4. disp. 1. à num. 44.
Idiomatum communicatio, quid? lib. 1. disp. 6. a nu. 2. In quo fundetur. ibid. a nu. 3. & rursus a nu. 10. Regulæ observandæ. ibid. a nu. 14.
Jesu nominis adoratio. lib. 5. disp. 8. nu. 97.
Ignorantia dividitur. lib. 5. disp. 3. num. 215. Nec fuit, necesse potuit in Christo. ibidem a num. 226. & 227.
Imago non requirit influxum ejus, cujus est lib.

lib. 1. disp. 2. à num. 79.
Imaginum usus licitus. lib. 5. disp. 8. nu. 69. Cultus obligatorius. ibidem nu. 70. Quomodo adorandæ? ibid. à nu. 71. & 76. Adorari nequeunt, non adorato prototypo. ibidem à num. 84.
Imperium in Deo respectu suorum actuum repugnat. lib. 3. disp. 1 à nu. 57. & à n. 131. Imperium internis actibus imperatis, non impedit immediatam libertatem. lib. 5. disp. 3. num. 80.
Immensitas quid? lib. 1. disp. 2. à num. 84. vbi pulchræ doctrinæ. ibid. & seqq. Sinister conceptus Immensitatis. lib. 1. disp. 3. à nu. 36. nequit ex vi unionis denominare aut immensam, aut ubicatam Humanitatem: & cur? lib. 1. num. 61. & disp. 5. à nu. 86. & lib. 5. disp. 1. à num. 13.
Imperfectio moralis, quid sit? lib. 5. disp. 2. à nu. 88. Varii dicendi modi. à nu. 90. Authoris sensus. ibid. à nu. 106.
Imperfectionis moralis simpliciter incapax Christus Dominus. lib. 5. disp. 2. à nu. 110. Eâ caruit Virgo Deipara. ibid.
Incarnatio. Vnde vox ista in Prologo. Quāta tractatûs dignitas. ibidem. Tractatores, & Authores. ibidem.
Quid substantia Incarnationis? lib. 1 disp. 1. nu. 1. Quotuplex, & unde, contra ipsam difficultas. ibid. nu. 2. Nullam infert mutationem in Verbo: & cur? ibid. à nu. 8. & à nu. 19. & lib. 3. disp. 2. nu. 71 Incarnationis activæ termini. lib. 1. disp. 1. num. 102. Formalis Incarnationis termini. lib. 1. disp. 4. nu. 1. Vide *Vnio Hypostatica.*
Incarnatio, opus ad extra? lib. 1. disp. 2. nu. 6. Ejus convenientia, & necessitas. lib. 2. tot. Vide *Deus, Necessitas.* Quousque in ipsâ resplendeant Dei attributa. lib. 2. disp. 1. à nu. 2. Deo conveniens. ibid. & toti Trinitati. à nu. 11. Et omni creaturæ. & nu. 27. Et summè benefica non obstante præscientia ingratitudinis. lib. 3. disp. 1. à num. 161.
Incarnationis necessitas ex suppositione ordinis gratiæ: & quanta? lib. 2. disp. 2. à num. 53. Nulla ejus necessitas ex aliâ suppositione creatâ contingenti. ibidem à num. 42.
Cur tandiù dilata? lib. 2. disp. 2. à num. 56. Eam inter, & ordinem Entium supernorum, quanta proportio, & connexio. ibidem à nu. 54. latè, & à num 57.
Incarnationis quanta necessitas ex suppositione satisfactionis exhibendæ lib. 2. disp. 3. à num. 1. tota, & latissimè.
Incarnationis causa multiplex. lib. 3. toto. Causæ finales. ibid. disp. 2. Morales. disp. 3. Physicę. disp. 4.
Circa totum negotium Incarnationis, unicum, & indivisibile in Deo decretum. lib. 3. disp. 1. Nec aliter esse potuit. à nu. 23. & specialiter à nu. 152.
Incarnationis causa finalis, adæquata, & primaria mysterii excellentia. lib. 3. disp. 2. a nu. 3. Item adæquata causa finalis, estò secundaria, remedium peccati. Ibid. a nu. 22. Integratur Incarnationis causa finalis tanquam ex finibus alioqui totalibus, ex excellentia Mysterii, & ex peccati remedio. ibid. a num. 38.
Incarnationis substantia in nullius meritum condignum cadere potuit. lib. 3. disp. 3. a num. 79. Potuit in congruum. ibidem a nu. 81. Quas circunstantias meruerit Christus? Deipara? Veteres Patres? ibidem a num. 87. & seqq. ibidem.
Incarnatio maxima gratia. lib. 4. disp. 2. a num. 16. & quomodo respectu nostri.? ibid. a num. 19.
Indignitas omnis quasi extinguitur in assumpta natura, ratione unionis. lib. 1. disp. 3. a nu. 91. & a nu. 110. Ex quâ indignitate pendanda est malitia? lib. 2. disp. 3. a nu. 286. Duplex indignitas, valdè notanda. ibidem. a num. 291. Cur peccantis indignitas non gravificet offensam, modo quo personæ dignitas obsequium condignificat. lib. 4. disp. 3. a num. 102.
Inclinatio. Vide *appetitus.*
Infiniti simpliciter, notio. lib. 2. disp. 3. nu. 71. & lib. 5. disp. 2. a nu. 76. & lib. 5. disp. 3. nu. 72.
Quid requirat, & quid excludat. lib. 2. disp. 3. a nu. 72. Infinitudo peccato repugnat. ibid. a num. 64.
Infinitudo se habet aliquando de materiali in actu quoad æstimationem. lib. 2. disp. 3. num. 136.
Infinitudo meritorum Christi Domini. lib. 4. disp. 3. à num. 1. latissimè. Vide *Merita. Satisfactio.*
Ex infinitudine termini, quomodo, & quousque colligatur infinitudo Potentiæ, & virtutis. lib. 4. disp. 3. nu. 5.
Infiniti simpliciter, & infiniti secundùm quid notanda differentia. lib. 4. disp. 3. num. 167.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Infinitum in actu secundùm multitudinem, & intensionem repugnat. lib. 5. disp. 1. à num. 115.
Injuriæ magnitudo unde taxãda, & pensanda? lib. 2. disp. 3. n. 163. Injuriæ non obest permissio facti. lib. 4. disp. 4. a nu. 224. Qualis læsio juris sufficiat ad injuriam, & injustitiam? lib. 4. disp. 4. a num. 225. Injuria facta Sanctis, eorumque imaginibus, quousque sacrilegium? lib. 5. disp. 8. num. 64.
Injustitia quid imbibat. lib. 4. disp. 4. a nu. 94. Non potest esse actus alicujus dominii. ibid. necessariò est contra jus alicujus. ibid. a nu. 366. Necessariò imbibitur in omni peccato. ibidem. a nu. 195. & num. 205.
Intensio infinita repugnat. lib. 5. disp. 1. a nu. 122. Gradualis videtur fieri per gradus heterogeneos. ibid. nu. 221. Gradualis in qualitatibus viralibus nulla est. ibid. nu. 125. & lib. 5. disp. 3. num. 90.
Intentivus, & executivus ordo in Deo non distinctus. lib. 3. disp. 1. num. 67.
Intentio quid præstare debeat circa media? lib. 3. disp. 2. a nu. 98. & a nu. 194.
Intrinsecum quid sit, & quid importet? lib. 1. disp. 2. a num. 186.
Intuitio non est suo objecto posterior de necessè. lib 1. disp. 2. num. 79. Intuitio nequit esse discursiva. lib. 5. disp. 3. n. 187.
Ira admittitur in Christo Domino. lib. 5. disp. 2. num. 150.
Jurium magna diversitas, etiam provenientium ex eodem titulo. lib. 4. disp. 3. a nu. 206. Varia jura in Humanitate a dignitate Unionis. ibidem.
Juris exacta definitio. lib. 4. disp. 4. nu. 4. Divisio multiplex. ibidem num. 3. & 5. Et major elucidatio. ibid. num. 31.
Jus in creatura necessitans Deum, quid sit? lib. 4. disp. 4. nu. 30. & a nu. 75. Quousque subordinetur Deo? a num. 75. Et mandat ipsius Dei? a num. 78. Quantum differat a Divino? a nu. 74. & n. 80.
Jurium alteritas contrahendo sufficiens, quanta? lib. 4. disp. 4. a nu. 105. Et in quibus sit? a num. 110. & rursus a num. 268. & num. 270.
Jurium creaturæ circa Deum, diversitas. lib. 4. disp. 4. à num. 108. dependentia. ibidem, & vis. à num. 109.
Jus altum Principis, quod? lib. 4. disp. 4. nu. 179.
Jurium diversitas an pariat specificam in Justitiâ differentiam. lib. 4. disp. 4. nu. 353. & 354.
Justitia quid? lib. 4. disp. 4. num. 2. Quotuplex. ibidem, & iterum. num. 166.
Justitia inter Deum, & Homines, quæstio quàm gravis? lib. 4. disp. 4. nu. 7. Authores utrinque decidentes. à nu. 6. & num. 9. Origo discordiæ inter utrosque. à num. 18.
Obligare se Deus Homini potest ex strictâ justitiâ? lib. 4. disp. 4. à nu. 23. Quod authoritate probatur. ibid. & à priori. à num. 29. & à pari, fortissimè. à nu. 37. dissipato discursu medio. à num. 49. & objectionibus, à num. 56. 61. 91. 103. 112. 123. 136. 147.
Quæ justitiæ obligatio secum importet imperfectionem? lib. 4. disp. 4. à nu. 33. & à num. 35.
Justitiæ etiam commutativæ non est materia necessaria, *circa quam*, lucrum, & damnum. lib. 4. disp. 4. à nu. 116. Neque contrapassum. ibid. nu. 122. Quænam æqualitas *dati*, & *accepti* requiratur ad rationem justitiæ? ibid. num. 118.
Actus ex virtute justitiæ, quid requirat. lib. 4. disp. 4. à nu. 127.
Justitia commutativa in Deo. lib. 4. disp. 4. à num. 166. Ejus ratio. ibid. & seqq.
Justitiæ distributivæ consideratio. lib. 4. disp. 4. à nu. 169. datur in Deo. ibidem. Quæ ejus sphæra? ibidem, & num. 170. de ejus medio geometrico. ibid. nu. 174.
Justitia legalis: quæ? lib. 4. disp. 4. à nu. 176. An virtus particularis. ibid. Propria Principum. ibidem num. 178. datur in Deo. ibidem.
Justitia vindex diversimodè exercetur à Deo, ac ab hominibus. lib. 4. disp. 4. à num. 180.
Justitia, & injustitia stricta exerceri potest ab homine circa Deum. lib. 4. disp. 4. à nu. 183. & à nu. 189. Et ibi justitia necessariò exercetur, dum peccat. ibidem num. 195. & 205.
Justitiæ conditiones enumerantur, & explicantur. lib. 4. disp. 4. à nu. 259. nulla defuit satisfactioni Christi Domini. ibid. à nu. 265. Fuit ista ex toto rigore justitiæ. ibid. à nu. 329. Et assignatur modus specialis. ibidem à num. 332.
Justitiæ an specie diversæ ex præcisâ jurium diversitate? lib. 4. disp. 4. num. 353. & num. 354.

L

Latria quotuplex. lib. 5. disp. 1. nu 102. & disp. 8. num. 16. & 17 Ex quo titulo Deo debita. ibid. nu. 18.
Quod genus latriæ sit illud, quo Humanitas adorari potest propter Verbum. lib 5. disp. 8. a nu. 42.
Laudabilitas. Quotuplex? lib. 2. disp. 1. nu. 108. Quid requirat moralis Laudabilitas? ibid. & latè à nu. 104. & rursus lib. 5. disp. 4. præsertim à nu. 19.
Laudabilitati non officit operis obligatio. lib 2. disp. 3. nu. 249.
Laudis descriptio. lib. 5. disp. 8. nu. 3.
Legalis Justitia. Vide *Justitia*.
Lex naturalis quousque obliget. lib. 4. disp. 5. à num. 30. & num. 37. & 38. Quousque Princeps suis teneri potest legibus? lib. 4. disp. 5. nu. 230. & sequentibus.
Libertas. Quæ necessitas ipsi obstet? lib. 2. disp. 1. nu. 75. & lib. 4. disp. 5. à num. 53. Quanta in Deo ad producendum ad extra? lib. 2. disp. 1. à nu. 44.
Libertas ad actus æquales in Deo sufficit specialiter ad laudem moralem. lib. 2. disp. 1. à num. 104. & nu. 124. Imò & in Christo specialiter sufficit. lib. 5. disp. 4. à nu. 16. & 17. Etiam sufficit in creaturis ad laudem & meritum: non ita ad demeritum, & vituperium. ibid. à nu. 19.
Libertatis exacta consideratio. lib. 4. disp 4. nu. 69.
Cum prædeterminatione stare nequit. lib. 4. disp. 5. à nu. 51.
Ex præceptis manifestè probat Augustinus. lib. 4. disp. 5. nu. 124.
Quam indifferentiam requirat ex parte actûs primi. lib. 3. disp. 1. à nu. 116. & lib. 5. disp. 3. à nu. 85. & 86. Quæ evitabilitas in prærequisito connexo, requiritur omninò pro indemnitate libertatis. lib. 5. disp. 3. à nu. 871. & 88.
Libertas Christi. Explicatur. lib. 3. disp. 1. à nu. 153. Quanta quoad substantiam mortis? lib. 4. disp. 5. à nu. 14. & à nu. 47. & à nu. 82. & quoad circumstantias ibid. à nu. 80. Nulla compati potest cum absoluto præcepto obligante in conscientiâ. ibid. à nu. 49. refutantur eradendi modi. à num 51. latissimè.
Libertas Christi ad merendum, quanta? lib. 5. disp. 4. à nu. 2. Multipliciter defensa. à nu. 16. & à nu. 19. Non obstante æqualitate operationum. ibid.
Libertas Creaturæ explicatur. lib. 3. disp. 1. num 112. Quid indispensabiliter importet constitutivè. ibid. nu. 115. & 116. & à nu. 146. Quæ prærequisitorum connexio illi noceat. ibid. à nu. 118. Divinæ libertatis, divinorumque actuum, & prædefinitionum cum ipsâ concordia. ibid. à nu. 113. & sequentibus. latè. Et à num. 122. & à num. 141.
Libertas Divinorum Actuum specialem prærogativam habet, & explicatur. lib. 2. disp. 1. à nu. 124. Quomodo explicanda Divina libertas? ibid. disp. 2. à nu. 5. & à nu. 16. & à nu. 27. Quanta sit quoad mundi annihilationem. ibid. à num. 38.
Libertas actuum in Deo intrinseca. lib. 3. disp. 1. à nu. 16. Quomodo explicanda? ibidem *remissivè*.
Libertas Dei in exercitio, qualis? lib. 3. disp. 1. à nu. 42. & quomodo explicanda, & amplianda. ibidem à num. 47.
Libertas exercitii divini omninò essentialis, & invariabilis. lib. 3. disp. 3. à nu. 54. & à num. 61.
Libertatis divinæ prærogativæ. lib. 4. disp. 4. à num. 73.
Limitatio Perfectionis, quid sit? lib. 1. disp. 1. num. 36.
Loquendi modus de Christo. lib. 1. disp. 4. nu 83. & à nu. 89. & disp. 6. tot.
Quos loquendi modos fundet communicatio Idiomatum? ibid. à nu. 2. & à num. 14. Quos permittat, & quos vetet? ibid. à num. 14.
Lumen Gloriæ an indistinctum ab specie impressa? lib. 5. disp 3. à nu. 163. distinctum ab habitu scientiæ infusæ. ibid. à nu. 267.
Virtus intellectualis Theologica. ibid.

M

Magnanimi conditio ex Aristotele. lib. 2. disp. 3. à nu. 271.
Malo repugnat infinitudo. lib. 2. disp. 3. à nu. 86. & nu. 172. Mali regula. ibid. nu. 72. Taxa. ibid. nu. 279.
Maria Virgo Sanctissima propriissimè Dei Mater. lib. 1. disp 2. nu. 49. Qualiter explicetur? ibid. Qualiter explicandum. ibidem. nu. 50. & nu. 108.
Mariæ dignitas, quanta? & in quo genere? lib. 2. disp. 3. à nu. 324. Dignitas Maternitatis non est forma Sanctificans. ibid. nu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

326 Est tamen jus ad infinita bona. ibid.
Et inseparabilis à gratia: & incompossibilis cum peccato etiam originali. ibid. & lib. 2. disp. 2. nu. 29.
Esset Mater Dei, etiamsi Adamus non peccaret. lib. 3. disp. 2. à nu. 62.
Exempta à debito Originalis. lib. 3. disp. 2. à nu. 220. Nec inclusa in pacto. ibid. & nu. 222. Nec Voluntas ejus in Voluntate Adami ut capitis. ibid. Sed verè redempta. ibid. & nu. 226. & nu. 228. & lib. 4. disp. 2. nu. 47. Cur ea, quæ sunt pœna originalis passa est, originali non cõtracto? lib 3. disp 2. nu. 230.
Non meruit de condigno dignitatem Matris: & in quo sensu nec posset. lib. 3 disp. 3. à nu. 91. De congruo meruit. ibid. à nu. 92. & lib. 5. disp. 4 à nu 133.
Ingens difficultas in oppositum. lib. 3. disp 3. à nu. 93. & altera lib. 5. disp. 4. à num. 123.
Physicus ejus influxus in hypostaticam vnionem proponitur, & defenditur. lib. 3. disp. 4. à nu. 16.
Influxus ejus licèt obedientialis, verè Maternus. ibid. nu. 18 & nu. 20.
An in via Deum viderit? lib. 4. disp. 5. num. 163. Quousque impeccabilis. ibid. nu. 161. & 164.
Caruit fomite peccati. lib 5. disp. 2. à nu. 67. & imperfectione morali ibid. n. 110. Quo cultu adorabilis? lib. 5. disp. 8. à nu. 65 An etiam cultu latriæ respectivè. ibid. num 68.
Matriæ nominis adoratio. lib. 5. disp. 8. num 97.
Venerabilis Maria de Agreda. Elogium ejus. lib. 3. disp. 2. nu. 3. & 54. Ejus de fine Incarnationis, doctrina. ibid.
Martyr cur dici nequeat in sui immolatione Sacerdos. lib 5. disp. 6. nu. 32.
Massilienses. Error eorum. lib. 3. disp. 3. à nu. 24. Procul ab eo meritum solutivum. ibid. & nu. 25.
Mater. Quid requirat Maternus concursus? lib. 1. disp. 2. nu. 108. Multiplex acceptio Matris. ibid. nu. 148.
Maternitas Dei in Beata Virgine. Vide *Maria.* Matres quod concursûs genus præstent in prolem? lib. 3. disp. 3. à n. 99.
Materia prima an duplici simul forma totali possit informari? lib. 1. disp. 5. nu. 59.
Sancti Maximi regula pro modo loquendi de Christo. lib 1. disp. 1. nu. 90.
Medium. Quousque media respici debent ab intendente finem. lib. 3. disp. 2. à nu. 98. & à nu. 99. & rursus à nu. 194.
Medium utile ut vtile quid significet? ibid. num. 195.
Medium Geometricum in puncto Iustitiæ, quod? lib. 4. disp. 4. nu. 174.
Mediator. Quis, & quotuplex sit? lib. 5. disp. 6. num. 15.
Meritum. Ejus notio. lib. 2. disp 3. num. 16. differt à Satisfactione. ibid. Exacta definitio. lib. 3. disp. 3. num. 1.
Meriti condigni quanta sit cum præmio æqualitas, aut proportio? lib. 2. disp. 3. à num. 198.
Meriti causalitas ad præmium non probat distinctionem inter actus divinos lib. 3. disp. 1. à nu. 29. & rursus à nu. 94. & à nu. 96. In quo consistit? ibid. & nu. 101.
Meriti duplex genus: remuneran di, & solutivi. lib. 3. disp. 2. num. 226. Vtriusque explicatio. lib. 3. disp 3. à nu. 3. & meriti solutivi conditio. à nu 5 Et causandi modus. à nu. 6. Solutivi proprietas ab Authoritate. à nu. 13. à ratione. à num. 14. ab exemplo. à nu. 18. Ejus vindicatio. à nu. 20. & à nu. 24.
In meritum se ipso posterius nequit cadere donum reipsâ præexistens tanquam præmium in genere remunerandi. lib. 3. disp. 3. à nu. 39. Latè. Neque juvat institudo meriti. lib. 5. disp. 4. a nu. 134. Specialiter repugnat cadere in meritum remunerandum principium meriti. à num. 58. Varii Theologorum discursus in oppositum. à nu. 60. & rursus a nu. 97.
Meriti, & demeriti comparatio in modo movendi. lib. 3 disp. 3. à num. 50. & in modo crescendi ex persona circumstantiâ. lib 4. disp. 3 num. 108 & ex parte libertatis. lib 5 disp. 4. à nu. 35.
Donum reipsâ præexistens solùm potest cadere in meritum se ipso posterius in lineâ solutivi. lib. 3. disp 3 à nu. 68.
Donum valorativum, & constitutivum obsequii in esse meriti, in nullo genere potest cadere in meritum. Ibid. à num. 74.
Principium meriti quousque possit, aut nequeat in meritũ cadere. ibid. & à n. 75. Quanta requiratur inter meritum, & præmium distinctio. ibid. nu. 74.
In meritum condignum nullo modo cadere potuit Incarnationis substantia. lib. 3. disp. 3. à nu. 79. Potuit in congruum: quod non contigit. ibid. à n. 81. & à n. 83.

Me-

Merita veterum PP. circa Incarnationis circunstantias; & circa quas? lib 3. disp. 3. num. 87. Quid de merito Maternitatis? ibid. & lib. 5. disp. 4. à nu. 122.
Meriti solutivi vsus ad expeditionem magnæ difficultatis. lib. 3. disp. 3. à nu. 114. & lib. 5. disp. 4. à nu. 123.
Merita Christi Domini quàm condigna? lib. 4 disp. 2. à num. 5. cur, & quantùm à debito immunia? ibid. à nu. 75. Præcisè condignificata ab Vnione præstarent cõdignam satisfactionem. lib 4. disp. 2. à nu. 94. & 95. In Christo actus naturales (si essent) elevarentur ad supernè merendum. ibid. à nu. 96.
Merita Christi Domini infiniti valoris. lib 4. disp. 3. à nu. 1. & à nu. 6. & cur? à nu. 11. An in ratione boni, & placentis, infinita. ibid. à num 37. & seqq. Eorum infinitatis origo, & ratio. ibid. à nu. 48. & à nu. 60. Per præmium inexæquabilia. à nu. 119. & cur? à nu. 131. & à num. 161. Habent vim inducendi præmium necessitativam, & infrustrabilem. à nu. 184. Salva indemnitate divini dominii. à nu. 197. & a nu. 203. Vide etiam à nu 324. An infinitatem hauriant ex re oblata? ibidem à nu. 224. An habeant vim satisfactivam pro peccatis purè hypotheticis, & aliquomodo theandricis. à nu. 229. & à nu. 240. Singula singulis, & omnibus æqualia. ibid. à num. 250.
Meritum an crescat ex majori gratia merentis? lib. 4. disp. 3. à num. 81. à Christi meritis nulla paritas est. ibid. à num. 85. Casu quo crescat, an crescat arithmeticè? ibid. nu. 81. Condignificari non potest à gratia, quæ non antecedat. lib. 4. disp. 3. à num. 95.
Meritum dimitti sine præmio, est limitatio meriti, nec laus merentis. lib. 4. disp. 3. num. 188.
Meritorii actus Christi Domini. lib. 5. disp. 4. à num. 61. Titulus neglecti commodi tẽporalis non est de conceptu meriti. lib. 5. disp. 4. nu. 62. Merendi spatium. lib. 5. disp. 4. nu. 80. & 84. Habere rem præterquam ex meritis, quando gloriosius. lib. 3. disp. 3. a nu. 85. & lib. 5. disp. 3. nu. 48. & disp. 4. nu. 93.
Meriti congrui vsurpatio rejecta. lib. 5. disp. 4. num. 127. Meriti infiniti, & finiti discrimina inventa. ibid. num. 128. & seq. Rejecta. a nu. 134. verum discrimen. ibid. a nu. 137.
Minoritas in Christo quà homine, quid sonet? lib. 5. disp. 3. nu. 1. & 2. & 56. & 57.
Miraculum. Quid requirat in cognoscente ad creandam rei certitudinem. lib. 1. disp. 3. nu. 155. Miracula Christi quousque nota Dœmoni. lib 1. disp. 3. à nu. 204. Quam evidentiam rei pariant. ibid. à nu. 208. Quo sensu dicantur *sigillum Dei.* ibidem num. 209.
Quas conditiones requirat ratio miraculi? lib. 1. disp. 5. a num. 14. vbi pulcra in hanc rem. ibid. & lib. 2. disp. 2. a nu. 20. De ratione miraculi est raritas, & cur, & in quibus? lib. 2. disp. 2. a nu. 20. debet esse attestatio Sapientiæ, & Potentiæ Dei. ibid. nu. 25. & 26. Miraculis nequit reddi incredibilis, revelatio à Deo facta. ibid nu. 26.
Miraculum ex intuitu Christi, nec faciendum nec factum, an possibile? lib. 2. disp. 2. num. 20.
Miraculum conjungendi vnionem hypostaticam, imò etiam gratiam cum peccato, simpliciter repugnat. lib. 5. disp. 2. a nu. 26. & seqnentibus.
Miracula Christi quàm certò vera? lib. 5. disp. 7. nu. 35. Eadem patrandi quæ potestas Humanitati concessa. ibid. nu. 11. & a num. 34. Physicè non concurrit ad omnia. ibid. nu. 60. Explicatur concursus ad illa. à nu. 61. & à nu. 67.
Modus. Entis modalis condi tio. lib. 1. disp. 1. nu. 47. & 51. & 61. & disp. 3. nu. 66. & 68. Necessitas & natura. lib. 1. disp. 2. a nu. 18. Sine exercitio denominandi repugnat. ibid. Discrimen ab ente entitativo, quoad supernaturalitatem. ibid. nu. 32. & 34. & num. 181. Modi in denominando conditionati repugnant. lib. 1. disp. 2. a nu. 18. & nu. 174.
Monophysitarum error. lib. 5. disp. 2. nu. 2.
Monotheliſmi error. lib. 5. disp. 2. num. 2.
Moralis necessitas, quid? lib. 2. disp. 1 a nu. 35. Nulla in Deo ad quidquam extra se, latissimè. a nu. 44. In rebus non est necessitas moralis. lib. 2. disp. 2. passim, & nu. 40. & nu. 43 & disp. 2. nu. 17.
Moralis perfectionis mensura, & regula. lib. 2. disp. 1. à num. 72.
Quò reduci debeat moralis necessitas in Deo? lib. 2. disp. 2. à nu. 5. & à nu. 16.
Moralis obligatio in Deo, quid sit. lib. 4. disp. 4. à nu. 134. Quàm diversa à nostris? ibid. à nu. 146. Et ex professò. à nu. 370. & à nu. 380. Et quid sit in ge-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere? lib. 4. disp. 4. à num. 375.
Quæ libertas moralis requiratur ad laudem, & ad meritum? lib. 5. disp. 4. à num. 19. præsertim à num. 25.
Mors Christi Domini, passibilitas, & mortalitas, quomodo concilianda cum Vnionis excellẽtia, & indestructibilitate? lib. 1. disp. 2. à nu. 157.
Quid requiratur, ut dicatur præcepta simpliciter Christo Domino mors? lib. 4. disp. 5. num. 11. Ita circa ipsam statuendum in Christo Domino præceptum, ut nihilominus potuerit non mori. ibidem num. 14. & à num. 82.
Motus, & Mutatio procul à Verbo in Mysterio Incarnationis. lib. 1. disp. 1. à nu. 8. Quid importet? ibid. nu. 15. Aristotelicę definitionis explicatio. ibid. n. 15 & 20.
Mundi molitio, & ordo quid exigat? lib. 2. disp. 2. num. 27. & à num. 30.
Quousque sit annihilabilis: & unde timenda non sit ejus annihilatio. lib. 2. disp. 2. à nu. 38.
Mysterium Incarnationis, ex nullo capite impossibile. lib. 1. disp. 1. *tota*. Vide *Incarnatio*, *Vnio Hypostatica*. Mysterii laudes. In prolog. & lib. 1. disp. 3. nu. 147. Catholica veritas de ipso, quę cõprehendat. lib. 1. disp. 1. nu. 76. Ejus supra cognitionem naturalem quanta elevatio sit? lib. 1. disp. 3. à nu. 141. Ænigma quoddam divinæ Omnipotentiæ, quo sensu? lib. 1. disp. 3. nu. 153.
Mysteria Fidei qualiter evidenter credibilia? lib. 1. disp. 3. à num. 244.

N

Natura, quomodo possit quasi per se intendere bonum Incarnationis? lib. 1. disp. 1. nu. 74. Naturæ qualis dependentia a subsistentia, & in quo genere? lib. 1. disp. 2. num. 41.
Natura, prædicata alioquin distinguibilia, non identificat, & cur? lib. 1. disp. 2. nu. 65. & 66. Quomodo intelligendum: per plura non fact, quot per pauciora potest. ibid. nu. 67. Substantias rationales primò intendit, & cæteras propter illas. ibidem. num. 65.
Quid in Homine gaudeat rigore naturæ? lib. 1. disp. 2. num. 143. Vnio non est Natura, licèt de unitate Naturæ sit. ibid. num. 151.
An in Christo tres naturæ ob Divinitatem, corpus, & animam? lib. 1. disp. 4. à nu. 89. & 91. Natura non rationalis à Verbo inassumptibilis. lib. 1. disp. 5. à num. 2.
Natura retinens propriam subsistentiam, etiam inassumptibilis. lib. 1. disp. 5. à nu. 25. & lib. 2. disp. 1. nu. 8. Quid de Angelica. Vide *Angelus*. Quid de naturis incompletis. lib. 1. disp. 5. à num. 39.
Operati contra, & supra naturam, quantùm quoad Deum differant. lib. 2. disp. 2. à num. 32.
In statu puræ naturæ an possibilis satisfactio pro aliquo peccato lib. 2. disp. 3. a num. 21.
Duplicem à Verbo Naturam assumi simul, simpliciter repugnat. lib. 4. disp. 3. à num. 179.
Natura Divina immediatè unita est in Christo Humanitati. lib. 1. disp. 4. nu. 10. & latiùs à nu. 18. Non fuit ratio terminandi unionem. ibid. à nu. 15. Si fuisset, Incarnata esset Trinitas. ibid. a num. 36. Quid sit eam, unitam, *prout in Filio*. ibidem num. 19. & num. 59.
Ex quo titulo triplicem subsistentiam exigit? lib. 1. disp. 5. num. 58.
Natura Divina si personis innitis, posset uniri finitæ Naturæ, eam redderet subsistentem, etiam negatâ subsistentiâ absolutâ. lib. 1. disp. 5. num. 61. Nequit uniri secundum se, personis innitis. ibid, a num. 65. simpliciter nequit assumere. secundùm se. ibidem. a num. 67.
Naturalis. Quotuplex sensus hujus vocis lib. 1. disp. 2. nu. 142. & 147. & 148. & specialiùs lib. 1. disp. 3. a nu. 30. Naturalis & gratuiti ordinis diversitas. lib. 1. disp. 3. nu. 109. Naturalia possunt reddi naturaliter incognoscibilia. lib. 1. disp. 3. num. 177.
Necessitas triplex. lib. 2. disp. 1. num. 1. Explicatur. ibid. Necessitas moralis nihil est in rebus: in quo consistat. ibidem a nu. 36. & nu. 40. & disp. 2 nu. 17. Quanta à multis adstruatur ad optimum in Deo. lib. 1. disp. 1. à num. 31. & num. 38.
Necessitas absoluta, etiam moralis, ad quidquam extra se in Deo implicat. lib. 2. disp. 1. à nu. 41. & nu. 43. Imò ad optimi productionem. ibid. à nu. 55. specialiùs ad productionem supernorum. ibid. à nu. 66. specialissimè ad executionem Incarnationis. ibid. à nu. 86. Neque juvatur Authoritate Sanctorum Patrum. ibid. a nu. 78.
Quæ necessitas obstet libertati? lib. 2. disp 1. a nu. 75. & lib. 4. disp. 5. a nu. 54. Quanta sit necessitas specialis privilegii, ad vitãda omnia venialia. lib. 2. disp. 1. a n. 76.
Necessitas ad actus æquales, cum libertate inter vtrumque, non obstat laudabilitati morali in Deo ex speciali ratione. lib. 2. disp. 1. a nu. 104. & nu. 124. An nec in Christo ex ratione etiam speciali? lib. 5. disp. 4. à nu. 17. Nullibi obstat. ibid. a nu. 19. Latissimè.
Necessitas ex suppositione, quotuplex, & quomodo intelligenda? lib. 2. disp. 2. a nu. 22. Admittitur in Deo ex suppositione creata contingenti. ibid. a nu. 5. Reducitur ad duplicem, metaphysicam. ibid. a nu. 16. Iure dicitur physico moralis. ibid. a nu. 18. Necessitas non violandi exigentias rerum, nec operandi contra naturam, quanta sit? ibid. a nu. 16. & rursus nu. 32. Quanta necessitas compensandi cum bono privat? ibid. a nu. 20. & rursus a num. 27. quanta rarò faciendi miracula? ibid. præsertim a nu. 22.
Nestorius. Quis fuerit? lib. 1. disp. 1. num. & Ejus error, & sequaces. ibid.
Nomina concreta quid naturaliter in recto dicant? lib. 1. disp. 5. a nu. 76. & disp. 6. num. 7. Nomina *Deus*, & *homo* an variata sint in significando ratione Incarnationis. lib. 1. disp. 6. a nu. 10. Quomodo prædicanda? ibid. a nu. 14.
Nominum IESV, & Mariæ adoratio. lib. 5. disp. 8. num. 97.

O

Obedientia Perfectio non requirit præceptum obligans in conscientiâ. lib. 4. disp. 5. num. 12.
Obedientialis. Vide *Potentia*.
Objecti prænotitiæ necessitas ad aliquem affectum, non arguit affectum talis objecti: & cur? lib. 3. disp. 2. a nu. 107. & a nu. 104. & a nu. 116. & 198.
Objectum legis obligantis, & similium voluntatum. lib. 4. disp. 4. a nu. 371. & a num. 375.
Objecta Scientiæ Christi Domini. Vide *Christus. Scientia*.
Objecti formalis diversitas, an ex diversitate actus naturalis, & supernaturalis benè colligatur? lib. 5. disp. 3. n. 130. & 131.
Objecta quomodo mensurent perfectionem actuum in se tendentium. lib. 5. disp. 3. a nu. 71.
Obligatio non minuit laudabilitatem obsequii. lib. 2. disp. 3. nu. 249.
Obligatio moralis in Deo quid sonet, & quàm diversa a nostrâ? lib. 4. disp. 4. a nu. 134. & nu. 146. Et rursus a nu. 370. & 380.
Quid in genere sit? lib. 4. disp. 4. à num. 371. & 375.
Quomodo præcedit ad opera? lib. 4. disp. 4. num. 146.
Obligatio quanta sit in peccatore statim pœnitendi. lib. 4. disp. 4. a nu. 229. Obligationi quousque per rem aliàs debitam potest satisfieri? lib. 4. disp. 4. a nu. 287.
Obligatio Christi ad res de lege naturali. Vide *Christus*.
Obsequia unde taxanda? lib. 2. disp. 3. nu. 179. & latè a nu. 276. & a nu. 279. Obligatio non minuit laudabilitatem eorum. ibid. & nu. 249. Obsequia creaturæ cur respectu Dei quid simpliciter parvum? lib. 2. disp. 3. a nu. 27.
Odium inimicabile est Deo honestum, non homini: & cur? lib. 2. disp. 3. nu. 301.
Quod genus odii excludatur ab amore efficaci circa aliquod objectum. lib. 3. disp. 2. a num. 128.
Offensa Dei quid requirat? lib. 2. disp. 3. a nu. 9. & 10. Nequit esse simpliciter infinita. ibid. à nu. 64. Neque ratione subjecti moralis. a nu. 62. Neque ratione formæ. à nu. 64. & a nu. 80. Si esset infinita simpliciter, esset simpliciter impossibilis. a num. 86. Imò & incompensabilis etiam per satisfactionem theandricam. a nu. 96. & lib. 4. disp. 3 a nu. 246. Nec ex pœna. lib. 2. disp. 3. a nu. 132. Nec ex calculatione probatur infinitus excessus. ibidem à num. 106.
Quomodo crescat ex dignitate personæ. ibid. a nu. 77. & a nu. 106. & rursus a nu. 251. Quid sit geometricè crescere? ibid. a nu. 109. Per quid constituatur in ordine superiori? lib. 2. disp. 3. a nu. 114. & rursus a nu. 252.
Offensa lethalis quomodo dicatur Dei destructiva? ibid. nu. 134. Est simpliciter incompensabilis per obsequia purè finita. & cur? lib. 2. disp. 3. a nu. 153. Latè.
Offensæ & obsequii notanda comparatio & differentia. lib. 2. disp. 3. num. 178. & 179. & latiùs a nu. 276.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discrimen utriusque maximum quoad augmentũ ex persona merente, vel offensâ. lib. 4. disp. 3. à nu. 75. & quoad augmentum ex circunstantiâ peccantis, aut obsequentis. lib. 4. disp. 3. à num. 102. & num. 108.

Officia Christi Domini. lib. 5. disp. 6. à n. 1.

Omnipotentia. Quomodo suplere possit concursum objecti, & facere vicem speciei? lib. 1. disp. 2. à nu. 79. & 80.
Quomodo de ejus sphæra philosophandum. lib. 1. disp. 5. nu. 3.
Solùm potest formaliter denominare potentem eum à quo possit imperari. lib. 1. disp. 5. à nu. 88. & lib. 5. disp. 1. a num. 13. & disp. 7. à nu. 12. Latissimè.
Cur dicatur ab Augustino Sapientię Virtus? lib. 2. disp. 2. à nu. 14.
Ejus præparatio ad actus liberos creaturæ. lib. 3. disp. 1. à nu. 112. Planè indifferens est. à nu. 113.
Omnipotentiæ ad extra munera. lib. 5. disp. 4. num. 99.
Omnipotentia moralis ex vi vnionis in Humanitate, explicatur. lib. 2. disp. 7. num. 11.
Omnipotentia cur extrinsecè assistens, possit aliquem reddere potentem: & non possit ex vi vnionis intrinsecæ? lib. 5. disp. 7 nu. 28 & 31.

Operari supra & contra naturam, quàm diversa? lib. 2. disp. 2. num. 32. In quibus operationibus prævaleat optimum pessimo. lib. 2. disp. 3. nu. 180.

Optimi nomine quid veniat, in quæstione, an Deus necessitetur ad Optimum. lib. 2. disp. 1. à num. 35.
In quibus operationibus optimum pessimo prævaleat. lib. 2. disp. 3. nu. 180.

Optio vitæ passibilis data est Christo Domino, vel impassibilis. lib. 4. disp. 6. à nu. 2. Quomodo? à nu. 3. Etiam est data Optio quomodolibet eligendi. ibid. à n. 15.

Opera ad extra, communia toti Trinitati; quàm verum, & quàm certum? lib. 1. disp. 2 nu. 68 & seqq. & rursus num. 86.

Oratio pro præteritis, nulla est. lib 4. disp. 4 nu 132. & prudenti impossibilis ibid. & specialiùs à nu. 145. Explicatur apparens in oppositum praxis Ecclesiæ. ibid. à nu. 152. adusque nu. 155. An Christus oraverit, & oret. ibid. à nu. 141. & à n 158. Oratio duplex explicatur. lib. 5. disp. 4. à num. 161.

Orainis gratiæ, & naturæ, vnde & quanta diversitas? lib 1. disp. 3. num 19.
Ordo in assumptione partium Humanitatis. lib. 1. disp. 4. à num. 93.
Ordinis superioris res quando possit, & quando non possit compensari per res ordinis inferioris. lib. 2. disp. 3. a nu. 254. Latè.
Ordinis intentivi, & executivi distinctio nulla inter divina decreta. lib. 3. disp. 1. à num. 73.
Ordinis gratiæ, & hypostatici connexio. lib. 2. disp. 2. à nu. 53. & lib. 3. disp. 2. à num. 14.

Originale peccatum si non fuisset, nulla peccata fuissent. lib. 3. disp. 2. à num. 210.
Originalis debitum explicatur. lib. 3. disp 2. à num. 219. cum laude & exemptione Deiparæ. ibid à nu 221.

Orthofrisingensis. Quis? lib 1. disp 4. nu. 25. Malè scribens de Sancto Bernardo. ibid.
Cautè legendus de actis Rhemensis. contra Gilbertum. ibid.

P

Passio, Passibilitas. Vide *Mors, Christus.*
Vitæ passibilis, & impassibilis data est optio Christo Domino. lib. 4 disp. 6. n. 6.

Passiones animi divisæ & explicatæ. lib. 5. disp. 2. à nu. 130. Regulæ generales pro earum admissione, vel exceptione in anima Christi Domini. ibid. à nu. 131. Discrimen earum in Christo à nostris. ibid. num. 134.

Sanctorũ Patrum Authoritas pro necessitate Dei ad optimum, quid assequatur? lib. 2. disp. 1 à nu. 78. & disp. 2. à nu. 8.
Quanti facienda? lib. 2. disp. 3. num. 1. & nu. 200. Et quanta sit pro necessitate Incarnationis ad peccati satisfactionem. ibi. à nu. 153. & 154.
SS. PP. arguendi methodus contra Pelagium. lib. 3. disp. 3. nu. 77.
Veteres PP. quid de Incarnatione meruerint. lib. 3. disp. 3. à nu. 89.
SS. PP. Authoritas pro justitia inter Deũ & homines. lib. 4. disp. 4. à nu. 27.

Peccator. Quousque excusari possit ex opinione probabili? lib. 4. disp. 4. à nu. 219. Quæ notitiæ necessariò comitentur ipsũ, dum peccat? ibid. Non favet ipse regula juris: Scienti, & Volenti, &c. ibid. à n. 228.
Peccator an teneatur statim pœnitere? lib. 4. disp. 4. à nu. 229.

Peccatum. Magis Deo mortale displicet, quàm placeant omnes finitæ bonitates. lib. 2. disp. 1. nu. 47. & rursus latè disp. 3. à num. 276.
Omne peccatum essentialiter importat rationem offensæ divinæ. lib. 3. disp. 3. num. 9. Sine actuali Dei cognitione nullum fit. ibid. nu. 10. Vnde ejus divisio in Philosophicum, & Theologicum impossibilis. nu. 11. Oppositæ doctrinæ prohibitio. ibid.
Pro peccato philosophico satisfieri posset à pura creatura per vires etiam naturales. lib. 2. disp. 3. nu. 17. Pro nullo Theologico potest per eas solùm vires. ibid. à nu. 18. Quid in statu puræ naturæ? ibid. à num. 21.
Peccatum veniale quousque compensabile? lib. 2. disp. 3. à nu. 18. & præsertim à nu. 27. & per quos actus? à nu. 55. an incurrat debitum carendi aliquibus auxiliis. à nu. 45. Quousque dici debet offensa Dei? nu. 31. & 56. & lib. 4. disp. 4. nu. 211. & injustitia? ibid.
Peccatum mortale nequit esse simpliciter infinitum. lib. 2. disp. 3. à nu. 60. Non esset possibile, si foret infinitum. à nu. 86. Nec esset etiam theandricè compensabile. à nu. 95. & lib. 4. disp. 3. à nu. 246. Quomodo crescat ex offensi dignitate. lib. 2. disp. 3. à nu. 77. & à nu. 106.
Neque est infinitum in ratione demeriti peccatum lethale. lib. 2. disp. 3. à nu. 101. & à nu. 132. an dici debeat ordinis infiniti? à num. 102. Cur sit, & ex quâ ratione ordinis superioris? à nu. 114. An exceptio fieri debeat de Christicidio? à nu. 103.
Peccata mortalia necessariò possunt esse inæqualia, & cur? lib. 2. disp. 3. à nu. 71.
Pœna peccati lethalis non arguit ejus infinitudinem. lib. 2. disp. 3. a nu. 93. & rursus a nu. 132. Cur æterna? a nu. 147. Vide *Pœna.*
De peccato hypothetico, vel destructivo Vnionis, vel aliàs impeditivo, multa. lib. 2. disp. 3. a nu. 142.
Peccatum lethale est simpliciter incompensabile per obsequia purè finita. lib. 2. disp. 3. a nu. 158. Ejus condigna satisfactio requirit obsequia theandrica. ibid. & cur? a num. 276.
Peccatum lethale, in quo sensu, malum Dei? lib. 2. disp. 3. nu. 165. & 166. & 167.
Peccati permissio quomodo possit esse pœna peccati? lib. 3. disp. 1. nu. 102. Quanta circa ipsum in Deo libertas? & quàm modica in nobis? lib. 3. disp. 2. nu. 163.
Quid necessariò importet? ibid. nu. 164.
Peccati determinatio, quid? ibid. nu. 173.
Nulla fuissent, si non fuisset originale. lib. 3. disp. 2. à num. 210.
Peccati regnum, servitus, & captivitas. lib. 4. disp. 1. a nu. 9. Quomodo destructa per Redemptionem? ibid. a nu. 19. adusque 22.
Peccata an secum importent debitum carendi Redemptore? lib. 4. disp. 2. a n. 14.
Peccata Hypothetica planè Chymerica. lib. 4. disp. 2. nu. 27. & disp. 3. a n. 229.
Peccatum cur non crescat ex indignitate peccantis? lib. 4. disp. 3. a num. 108.
Peccatum omne grave, stricta injustitia contra Deum. lib. 4. disp. 4. a nu. 195. & 205. & verè crimen læsæ majestatis. ibid. & a nu. 202. & 203. Esto Deus non prohibeat ex jure proprietatis. ibidem a nu. 201. & 214.
Quæ advertentia necessariò peccantem comitetur. lib. 4. disp. 4. a nu. 119.
Peccatum materiale, an ex errore possit esse actus bonus, & meritorius. lib. 5. disp. 2. a num. 66.
Peccandi necessitas, etiam disjunctiva cur repugnet? lib. 5. disp. 4. a num. 36.

Pelagii error qualis? lib. 3. disp. 3. num. 27.

Perfectio. Entis summè perfecti notio, & prærogativæ. lib. 1. disp. 1. a num. 8.
Limitatio ad propriam perfectionem incompossibile in cum majori non est aversari majorem? lib. 1. disp. 1. num. 36.
Perfectio positiva per se primariò non est ad aliam impediendam. lib. 1. disp. 1. a nu. 42. Esse necessariam, ex titulo impediendi, repugnat. lib. 1. disp. 2. n. 120.
Perfectionum varietas, notanda. lib. 1. disp. 1. a nu. 61. quanta sit in Vnione hypostatica? lib. 1. disp. 3. a nu. 49. Optima regula pro taxanda perfectione rerum. ibid. a num. 63.
Perfectionis moralis prima regula. lib. 2. disp. 1. a num. 72.
Perfectionis excessus in ente finito, non arguit exemptionem a concursu agentis finiti: & cur? lib. 3. disp. 4. num. 21. 22.

Permissio peccati quomodo possit esse pœna? lib. 3. disp. 3. a nu. 102.
Circa peccati permissionem cur homini tam limitata libertas. lib. 3. disp. 2. num. 163.
Putæ permissioni quid obstet: quid non ob-

Universidad de Deusto
Biblioteca

obstet? lib. 3. disp. 2. num. 164.
Permissio multiplex: lib. 3. disp. 2. num. 196. Quousque utilis ad Redemptionem, vel pœnitentiam. ibidem.
Non existente originali, nulla Deus peccata permisisset. lib. 3. disp. 2. à nu. 210.
Permissio facti, non obstat injuriæ. lib. 4. disp. 4. à nu. 224.
Permissio peccati an à Christo postulari posset alicui? lib. 5. disp. 4. num. 121.
Persona quid? lib. 1. disp. 1. num. 43. An Christus Persona composita? & ex quibus? lib. 1. disp. 1. nu. 84. & nu. 89. An *ut homo*, persona. ibid. à nu. 94. Persona Divin-humana. ibidem num. 98.
Persona Divina. Cur incarnata secunda? lib. 1. disp. 4. à nu. 7. Circa Personalitates Divinas, difficiles Doctrinæ Thomisticæ? lib. 1. disp. 4. à nu. 47. & 53. Vnâ unitâ ex vi unionis manent cæteræ in Humanitate specialiter. lib. 1. disp. 4. à num. 65. Nec Vna tres humanitates simul assumere; nec una humanitas à tribus assumi simul potest. lib. 1. disp. 5. à nu. 48. & a nu. 52. & lib. 4. disp. 3. à nu. 179. & 180.
Tribus simul assumentibus, necessariò maneret unita immediatè divinitas assumptæ naturæ. lib. 1. disp. 5. num. 47.
Phantasma. Converti ad phantasma in cognoscendo, quid sit? lib. 5. disp. 3. num. 183. Vsus Scientiæ infusæ non id patitur. ibidem.
Phantasticæ apparitiones, an possint aliquem cultum pati? lib. 5. disp. 8. nu. 104.
Pœna peccati lethalis, unde taxanda? lib. 2. disp. 3. à nu. 93. & nu. 131. & latiùs. à num. 137. Non omnis privatio boni censenda in pœnam. ibidem à num. 140.
Pœnæ æternitas in peccato lethali, unde? lib. 2. disp. 3. nu. 131. & rursus à num. 147. Multiplex ejus ratio, præcisim ab infinitudine offensæ. ibidem à num. 148.
Pœnæ, & præmii comparatio, & discrimen. lib. 2. disp. 3. nu. 172. & lib. 3. disp. 3. à nu. 50. Pœna debet esse minùs malum, quàm culpa. ibid. & nu. 207.
Reatus æternæ pœnæ manere nequit remissâ culpa. ibid. num. 206.
Reatus pœnæ est semper indignitas alicujus contemptûs. lib. 5. disp. 2. à nu. 75.
Pœnitentia. An, & quousque teneatur statim pœnitere, qui peccat? lib. 4. disp. 4. à num. 229.
Pœnitentia an specialis virtus, vel an specialis justitia? lib. 4. disp. 4. à num. 156. & lib. 5. disp. 1. à nu. 175.
Quinam actus maximè proprius pœnitentiæ. ibid. à nu. 173. Quomodo in Christo admittenda? ibidem.
Possibilitas quomodo colligatur ex evidentia solvendi contradictionem. lib. 1. disp. 3. à nu. 224. Quousque ex non apparentia contradictionis? ibid. & lib. 1. disp. 5. à nu. 3.
Possibilitas, à quâ venit denominatio possibilium, Omnipotentia. lib. 5. disp. 3. num. 62.
Omnia possibilia distinctè videri in Deo possunt, Deo incomprehenso. lib. 5. disp. 3. à nu. 60. & à nu. 70.
Potentia passiva an egeat elevatione ad superna? lib. 3. disp. 4. nu. 7. Discrimen inter activam, & passivam. ibidem.
Potentia obedientialis ad unionem hypostaticam in Deipara. lib. 3. disp. 4. num. 16. & 20.
Potentia obedientialis, quæ sit? lib. 5. disp. 7. nu. 37. Vbinam certò admittenda. ibid. Repugnat in creatura quavis ad quælibet. ibid. à num. 39. Regula tenenda pro discernendo in quibus sit, & ad quæ? ibidem à num. 46.
Potentia Christi, quæ, & quanta? lib. 5. disp. 7. à nu. 1.
Potentiæ infinitudo quousque colligatur ex infinitudine termini? lib. 4. disp. 3. num. 5.
Potentia ordinaria Dei, & extraordinaria. Vide *Potestas*.
Potentis denominatio cur dari non possit ab Omnipotentiâ unitâ, ex vi solius unionis? lib. 5. disp. 7. à num. 22.
Potestas jurisdictionis, & proprietatis. lib. 4. disp. 2. nu. 88. Finis utriusque. ibid.
Potestatis ordinariæ, & extraordinariæ in Deo explicatio. lib. 4. disp. 4. à nu. 20. & à nu. 49. & major elucidatio. nu. 55.
Potestas Christi Domini temporalis, & spiritualis. lib. 5. disp. 6. num. 1. Spiritualis triplex. ibidem.
Præceptum. Quousque Christo præcipi à Deo possit? lib. 4. disp. 3. à num. 221.
Ex quo jure præcipiat Deus quidquid præcipit. lib. 4. disp. 4. a nu. 197. & 198.
Præcepti diversitas à consilio. lib. 4. disp. 5. a nu. 2. & 5. Illius genus multiplex. ibid. a nu. 6. Obligans in conscientiâ, necessariò est coactivum. ibid. nu. 7. & latiùs.
Vt dicatur Christo Domino præcepta mors, quid requiratur? lib. 4. disp. 5. n. 11.

De

De præcepto Christi quanta Varietas Theologizandi. lib. 4. disp. 5. a nu. 16.
Non fuisset naturale, aut ex lege naturali in Christo, præceptum de morte pro genere humano, licèt ipse esset capax præcepti obligantis in conscientiâ. lib. 4. disp. 5. à num. 26.
Præceptum obligans in conscientiâ difficilius componi potest in Christo in via Thomistica, quàm Physica Prædeterminatio. lib. 4. disp. 5. à nu. 51. In nullo discurrendi modo potest, si absolutum sit. à nu. 57. 70. 79. 89. 96. Quid si conditionatum sit? ibidem à num. 192. Simpliciter Christo Domino repugnat præceptum obligans in conscientia ibid. à n. 114.
Præcepti dispensatio quid sit: & quando possibilis? lib. 4. disp. 5. à num. 110.
Præcepti obligantis in conscientiâ, vis, & sphæra subjectiva. lib. 4. disp. 5. latè à num. 114.
Præcepta, manifesta probatio libertatis. lib. 4. disp. 5. num. 124.
Veri præcepti ratio non importat eoipso obligationem in conscientiâ. lib. 4. disp. 5. à nu. 168. Quid præcisè requirat? ibidem à nu. 170. Qualia fuerint præcepta in Christo Domino, & circa quæ? ibid. à nu. 175. & nu. 176.
Præcepti conditionati consideratio, & hypothetica expensio respectu Christi Domini. lib. 4. disp. 5. à num. 188.
Prædefinitio divina efficax actûs liberi creati, non obest ejus libertati: & cur? lib. 3. disp. 1. præsertim à nu. 107. & à nu. 112.
Circa materiale peccati, cur omninò repugnet? ibid. nu. 148. & etiam pœnæ ante prævisum absolutè peccatum. ibid. Non verò Redemptionis, aut pœnitentiæ. ibid. à nu. 85. Latissimè.
Prædestinatio. Quomodo ex Christi meritis? lib. 5. disp. 4. à nu. 113. an etiam ut dilectio, & ut electio. à nu. 118.
Quid prædestinatio sonet? lib. 5. disp. 5. à nu. 112. Quotuplex ejus vsurpatio? ibid.
Prædestinatio quousque dici possit de Christo, & de ejus Humanitate, & respectivè ad quæ? lib. 5. disp. 5. nu. 113. & nu. 114. & nu. 117. & nu. 118.
Prædeterminatio Physica componi cum libertate prædeterminari non potest. lib. 4. disp. 5. à num. 51.
Præmii & pœnæ comparatio; & utriusque conditio. lib. 2. disp. 3. à nu. 172. & nu. 207 & lib. 3. disp. 3. num. 50.
Præmium ad quod genus meriti reipsa possit supponi præexistens. lib. 3. disp. 3. nu. 39. & à num. 58. & à nu. 68. & lib. 5. disp. 4. à nu. 134. distinctio necessaria inter meritum & præmium. ibid. nu. 74.
Præmii mensura unde sumenda? lib. 4. disp. 2. à nu. 54. & lib. eod. 4. disp. 3. à nu. 133. & specialiter à nu. 161.
Quid requirat conditio præmii. lib. 4. disp. 3. à nu. 132. & à nu. 134.
Præmium æquale merito Christi, atque adeò simpliciter in ratione præmii, repugnat. lib. 4. disp. 3. à nu. 133. & cur? à nu. 161. Latissimè.
Præparatio Divinæ Omnipotentiæ. Vide *Libertas creaturæ. Omnipotentia*.
Præservationis à peccato, & remissionis comparatio. lib. 2. disp. 3. à num. 196. Quæ quam superet in ratione boni, vel beneficii. ibid.
Principium meriti. Vide *Meritum*. Principium *quod*, & *quo* satisfaciendi in Christo. lib. 4. disp. 2. à nu. 99.
Privatio boni unde taxanda in ratione mali, & pœnæ. lib. 2. disp. 3. à nu. 140. & 141. & latiùs. à nu. 300.
Probabile. Quid importet? lib. 1. disp. 3. à nu. 196. Quomodo & quando colligatur ex solutione argumentorum in oppositum? lib. 1. disp. 3. à nu. 228.
Quâdo excuset à peccato opinio, quę putatur probabilis? lib. 4 disp. 4 n. 219. & 220.
Actus probabilis quo gaudet modo tendendi? lib. 5. disp. 3. nu. 231. Repugnat Christi Domino. ibid.
Procuratorius titulus in Vnione Hypostatica explicatur. lib. 1. disp. 3. nu. 116.
Seria procuratio rei, quid importet, & quid impediat in procurante? lib. 3. disp. 2. à nu. 133 & à nu. 138. & à nu. 155. & nu. 157. & sequentibus.
Proprietas Infinita repugnat enti finito. lib. 1. disp. 2. nu. 163. Quomodo mensurandæ cum eo cujus est proprietas? lib 1. disp. 5. à num. 12. Suppositi nobilioris, nequeunt esse inferiores proprietatibus inferioris suppositi. ibid.
S. Prosper. Ejus grave dictum de Authoritate. lib. 2. disp. 3. num. 1.

Q

Qualitas an sit possibilis, cui debeatur Vnio Hypostatica? lib. 3. disp. 4. nu. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. & nu. 12. Vel elevativa ad ejus influxum, & productionem. ibid.
Qualitatum intensio. lib. 5. disp. 1. à nu. 121. Vitales qualitates non intenduntur per gradus. ibid. nu. 125.
Quia non denotat semper motivi rationem. lib. 3. disp. 2. num. 195.

R

Rationalitas est conditio indispensabilis in natura ad assumptionem hypostaticam. lib. 1. disp. 5. nu 2.
Propter rationalia sunt in mundo cætera. lib. 2. disp. 2 nu. 27.
Receptio Mutationem imbibit: est tamen sine hac, illa. lib. 1. disp. 1. nu. 17.
Rectum naturæ, & compositi, quodnam sit? lib. 1. disp 5 num. 31. Recta & obliqua compositi nó sunt arbitraria. lib. 1. disp. 5. à nu. 76. Quodnam sit rectum naturale. ibid. & disp. 6. nu. 7.
Redemptio. An de Angelis dici possit? lib. 3. disp. 2. à nu. 59. & rursus lib. 4. disp. 1. nu. 46. & 50. Et lib. 5. disp. 4. nu. 109.
Decreta, & præintenta est sine attentione prævisionis absolutæ de peccato. lib 3. disp. 2. à nu. 85. Latissimè. Nullus exinde sequitur peccati amor in intendente: & cur? ibidem nu. 95.
Redemptionis Christi proprietas, & veritas. lib. 4 disp. 1. à nu. 4 In quo constiterit? à nu. 6 & rursus à nu. 19. ad vsque 22, Quomodo per ipsam soluta captivitas, sublata Tyrannis? & alligatus sit Diabolus? ibid. Cur post Redemptionem, & quanta manserit in diabolo tentandi licentia? ibid. nu. 17. & nu. 20.
Redemptionis Christi extensio, & quo fructu ad omnes homines? lib. 4. disp. 1. à nu. 45. ad Angelos? ibid. à num. 46. ad Deiparam? ibid. à nu. 48.
Redemptionis Christi, elogia, & nomina. lib. 4. disp. 2. nu. 1. Condignitas. ibid. à nu. 5 Condignitatis origo, & modus. ibid. à nu. 52. & à nu. 63. Vis in actu secundo. ibid. à nu. 72. Infinitudo. ibid. disp. 3. à nu. 7. Latissimè. Vide *Satisfactio*.
Redemptionis Christi rigor ex justitiâ. lib. 4. disp. 4. à nu. 1. & rursus à nu. 259. Item ex Obedientiâ. lib. 4. disp. 5 Latissimè. Sine præcepto tamen obligante in Conscientiâ. ibid. à nu. 114. Vide *Præceptum*.
Reduplicantis notæ vis, & vsus. lib. 1. disp. 6. a nu. 22. & lib. 5. disp. 5. nu. 79. & nu. 94. & num. 102.
Regnum Dei, & regnum peccati, quæ? lib. 4. disp. 1. nu. 11.
Regnum & regia dignitas Christi Domini, statuitur, & defenditur. lib. 5. disp. 6. à nu. 36. Vide *Christus*.
Regula generalis pro dignoscendo quas denominationes possit accipere à Verbo Humanitas ex vi Vnionis? lib. 1. disp. 1. a num. 61.
Regula Sancti Maximi pro modo loquendi de Christo. ibid. nu. 90. Aliæ duæ regulæ pro aliis loquutionibus. ibid. nu. 100.
Quæ sit bona pro taxanda perfectione rerum. lib. 1. disp 3. a nu. 63.
Regulæ: *ab oppositi consequentis &c. &: Mutato prædicato finito in infinitum, &c.* Explicatæ lib. 1. disp. 3. nu. 215. & 217.
Regulæ notandæ pro prædicationibus de Christo. lib. 1. disp. 4. à nu. 83.
Regula pro multiplicandis concretis. lib. 1. disp 5. a nu 76.
Regulæ ad dignoscendam communicationem idiomatum. lib. 1 disp. 6. a nu. 14.
Regula pro compensatione rerum ordinis superioris, per res ordinis inferioris. lib. 2. disp. 3. à nu. 260.
Regula pro interpretatione Sanctæ Scripturæ. lib 3. disp. 2. a nu. 49.
Regula pro dignoscendis affectibus virtualibus. lib. 3. disp. 2. nu. 179. & 185.
Regula: *Scienti & volenti non fit injuria*, non valet in peccatore. lib. 4. disp. 4. num. 223.
Regulæ generales circa Virtutes admittendas in Christo Domino. lib. 5. disp. 1. a nu. 156.
Regula pro dignoscendo, qui physici defectus admittendi sint in Christo. lib. 5. disp. 2. a nu. 81.
Regulæ pro dignoscendo, quæ passiones animæ in Christo admittendæ lib. 5 disp. 2. a num. 131.
Regula pro limitatione potentiæ obedientialis. lib. 5. disp. 7. a nu. 46.
Regula de cognitione causæ ex effectûs cognitione quousque vera? lib. 5. disp. 3. num. 73.
Relationibus divinis repugnat specialiter agere ad extra. lib. 1. disp. 2. a num. 70.
Est indistincta ab ipsis vnibilitas. ibid. nu. 87 Vide *Persona Divina*.
Relationes divinæ quousque sint assumptivæ

tivæ naturæ finitæ? lib. 1. disp. 5. à nu. 44. Quid de relatione spiratoris? ibid. à num. 45.
Relationes, perfectio, ratione sui. lib. 5. disp. 2. num. 33. & omninò perfectionis æqualis. ibidem à num. 72.
Reliquiarum Sanctorum adoratio. lib. 5. disp. 8. à nu. 98.
Remissio peccati, quantus favor? lib. 2. disp. 3. à num. 194. & à num. 196. Ejus cum præservatione comparatio. ibidem.
Remissio alicujus debiti ex culpa, non obstat satisfactioni. lib. 2. disp. 3. à num. 241.
Reminiscentia etiam de supernis, est debita agenti naturali. lib 1. disp. 3. à nu. 164.
Restitutio in quo differat à satisfactione? lib. 2. disp. 3. nu. 15. & nu. 41. & rursus lib. 4 disp. 4. à nu. 308. & 313.
Quando per æquivalens fieri debet? lib. 4. disp. 4. nu. 233. & num. 237.
Restitutionis finis. lib. 4. disp. 4. à nu. 240. Qui totum nequit restituere, ad quid tenetur? ibidem à num. 244.
Festinæ restitutionis obligatio in quo fundetur? lib. 4. disp. 4. à num. 249.
Revelatio Dei, purè naturalis, an possibilis. lib. 1. disp. 3. à num. 179.
Quousque evidenter existens appareat. ibidem à nu. 14 Nequit Deus eâ miraculis incredibilem facere. lib. 2. disp. 2. num. 26.
Rhemensis Concilii sensus de Vnione Divinitatis cum Humanitate. lib. 1. disp. 4. à num. 24. Ejus acta contra Gilbertum. ibidem num. 25.

S

Sacerdotis definitio. lib. 5. disp. 6. nu. 18. Quousque debeat Hostiam immutare. ibid. à nu. 29. Martyribus cur non conveniat ratio Sacerdotis? ibid. num. 32. Sacerdotes levitici, legales, & secundùm ordinem Melchisedech, qui? lib. 5. disp. 6. num. 35. Sacerdotium Christi. Vide *Christus*.
Sacrificii multiplicis explicatio. lib. 5. disp. 6. nu. 27. Quod sacrificium Christus obtulerit. ibid. & num. 28.
Sacrificium adhuc triplex. lib. 5. disp. 6. nu. 34. An alicujus sacrificii fructum perceperit Christus Dominus? ibidem.
Sanctitas secum affert indestructibilitatem. lib. 1. disp. 2. nu. 161. & lib. 5. disp. 2. à nu. 13. Convenit Vnioni Hypostaticæ ratio sanctitatis ut quod. lib. 1. disp. 3. à num. 114. & lib. 5. disp. 1. à nu. 49.
Quid ad rationem Sanctitatis sufficiat. ibidem, & utrobique, & specialiter. lib. 1. disp. 3. nu. 130. & specialiùs. lib. 5. disp. 1. à num. 20.
Non importat necessariò jus ad hæreditatem, sicut neque filiationem. lib. 1. disp. 3. num. 128. Non convenit actui dilectionis Dei, nec contritionis. lib. 2. disp. 3. num. 159. & 237. Etiamsi sit incompossibilis cum peccato. ibidem.
Sancti denominatio est essentialiter intrinseca. lib. 2. disp. 3. num. 326. & lib. 5. disp. 1. à num. 28.
Sanctitatis conceptui non sufficit incompossibilitas cum peccato. lib. 4. disp. 3. à num. 213.
Sanctitatis vox significati multiplicis. lib. 5. disp. 1. nu. 1. Humanitatis vera sanctificatio, à perfectione increata. ibidem à nu. 3. Etiam præcisim a sanctitate accidentali. ibidem à num. 18. Et a Deitate, & a Personalitate, insolidum. ibidem a num. 24. & a nu 33. Quanta sit taxa hujus sanctificationis a sanctitate increata? ibid. a nu. 70. & a nu. 73. & a nu. 81. Vide *Gratia, Humanitas, Vnio Hypostatica*.
Sanctitatis Christi prærogativæ. lib. 5. disp. 2. num. 1.
Sanctis qui cultus debitus, & cur? lib. 5. disp. 8. a nu. 57. Injuria ipsis, eorumque imaginibus facta, quousque Sacrilegium. ibi. num. 64. Vide *Imago*.
Sanguis a Verbo immediatè assumptus. lib. 1. disp. 4 nu. 75. & 76. Certitudo hujus veritatis. ibid. An totus Sanguis? ibid. nu. 76. An reassumptus totus. ibid. nu. 78. & 80. Varii sensus Authorum. ibid. nu. 74. Cujusdam vetita propositio. ibid. num. 78.
Satisfactionis notio, definitio & explicatio. lib. 2. disp. 3. a nu 12. Ejus discrimen a restitutione, & a merito. ibid. a nu. 15. & a nu. 41. & lib. 4. disp. 4. a nu 308. & 313.
Satisfactio per vires merè naturales, pro quovis peccato, est impossibilis lib. 2. disp. 3. a nu. 18. Per vires Gratiæ, possibilis est puræ creaturæ & congrua, & condigna Satisfactio pro veniali. ibid. a nu. 27. Latè. Pro mortali, per vires gratiæ possibilis est congrua. ibid. a num. 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Condigna per nullas vires gratiæ possibilis est puræ creaturæ. ibid. a nu. 153.
Vndenam tanta impossibilitas? a nu. 154.
Non ab offensæ infinitate. a nu. 64. Nec a servitute contractâ per peccatum. a nu. 215. Nec a periculo, ne vilescat offensæ gravitas. a num. 228. Nec a necessitate præsuppositæ remissionis quoad aliquod debitum ex offensâ contractum. a nu. 236
Nec præcise ex ordinum diversitate, & ex infinitate personæ offensæ. a nu. 250. Ratio talis impossibilitatis. a nu. 276.
Satisfactio pro peccato mortali condigna præstari nequit a pura creatura, etiamsi ornetur infinita gratia habituali. lib. 2. disp. 3. a nu. 316. Etiamsi actus contritionis fingatur forma Sanctificans. a nu. 159. & nu. 237. & a nu. 310. Etiamsi Creatura constituatur caput morale reliquorum. a nu. 313. etiamsi consideretur ut membrum Christi Domini. a nu. 314. Etiamsi gaudeat dignitate moraliter infinitâ. a num. 321.
Satisfactionis rigori quæ obstet gratia ex parte creditoris. lib. 2. disp. 3. a nu. 36. & qui favor istius. a nu. 41. & a nu 209.
Satisfactio præstari non potest ab actu dilectionis, vel contritionis, estò permittatur uterque forma Sanctificans. lib. 2. disp 3. a nu 159. & a nu. 237. & 310.
Satisfactioni non obstat remissio alicujus debiti. lib 2. disp. 3 a nu. 238 Satisfactionis proprietates. ibid. a nu. 243.
Satisfactio unde taxanda? lib. 2. disp. 3. a num. 251 & Latè a num. 276. & rursus a num. 261.
Satisfactio Christi propria & vera Redemptio. lib 4. disp. 1. a nu. 4. & Cur? a nu. 6. Vide *Redemptio*.
Satisfactionis divisio multiplex. lib. 4. disp. 1. a nu. 23 Theandricæ satisfactionis modus explicatur. ibid. a nu 29. & a nu. 33 & extensio. ibid. a nu 43.
Satisfactionis theandricæ elogia. lib. 4. disp. 2 nu. 1. Intrinseca condignitas ibid. a nu. 5. ab Authoritate. a nu. 6. & a ratione a nu. 10. Ejus condignitatis origo, quidditas, & ratio a priori. Latè a nu. 52.
Vis theandricæ Satisfactionis in actu secundo. lib 4. disp. 2. a nu. 71. Immunitas ejus a debito. ibid. nu. 75.
Satisfactio condigna pro peccato præstari potest per obsequia Christi Domini præcisè condignificata per dignitatem vnionis. lib. 4. disp. 2. a nu. 94. Imò per obsequia entitatis purè naturalis, si fuissent in Christo. ibid. a nu. 9.
Satisfaciendi principium *quod*, & *quo*. lib. 4. disp. 2. a nu. 99.
Satisfactionis theandricæ valor simpliciter infinitus. lib. 4. disp. 3. a nu. 1. & inimpedibilis vis inducendi præmium. ibid a nu. 184. Vide *Meritum*.
Satisfactio theandrica nec superabundans, nec sufficiens esset pro peccato, si peccatum esset simpliciter infinitum. lib 4. disp. 3. a nu. 241. & nu. 246.
Satisfactionis, quæ fit homini, & quæ fit Deo grande discrimen. lib. 4. disp. 3. a num. 217. Item finitæ ab infinita, quoad vim movendi. ibid. a nu. 218.
Satisfactionis Christi rigor in specie justitiæ. lib. 4 disp. 4. a nu. 1. Nulla ei defuit conditio strictæ justitiæ. lib. 4. disp. 4. a nu. 258. Fuit ex toto rigore justitiæ. ibid. a nu. 329. Modus specialis defensionis. ibid. a num. 332. Ex quâ virtute oblata. ibid. a nu. 339. Et ex quâ accepta? ibid. a nu. 360. & nu 363.
Satisfactio Christi Domini ex obedientiâ lib. 4. disp. 5. tota. Et ex quo genere præcepti? ibid. a nu. 26. & a nu. 47. & a nu. 114. & a nu. 168.
Scientia quam immanentiam importet? lib. 5. disp. 3. nu. 8. & 15. & 30.
Scientiæ multiplicitas quando potest dici superflua. lib. 5. disp. 3. a nu 120.
Scientia infusa quæ, & quotuplex? lib 5. disp. 3. nu. 114. Ejus existentia in Christo. a nu. 115 Ejus objecta. a num. 124 Etiam Trinitas. a nu 135. In quo tamen medio? a nu 139. & a nu 145. & a nu. 147.
Scientiæ infusæ habitus distinctus ab speciebus lib. 5. disp. 3. a nu. 158. & distinctus a lumine gloriæ lib. 5 disp. 3. a nu. 168. simplex est. ibid. a nu. 170. Omnes species ad ejus vsum in Christo sunt supernæ. a nu. 173. & cur? nu. 174. An simplex aut multiplex species. ibid. a nu. 175. Vide *Species*.
Scientiæ infusæ vsus in Christo liber. lib. 5. disp. 3. a nu. 180. Independens essentialiter a phantasmate. ibid. a nu. 182.
Scientia infusa non est discursiva lib 5. disp. 3. a nu. 186. nec potest: & cur? ibid. nu. 187. & quousque capax, aut incapax compositionis, & divisionis in cognoscendo? ibid. a nu. 188. & 189.
Scientia naturalis per se infusa; per se acquiribilis: & experimentalis. lib. 5. disp. 3. nu. 190. Explicatur singulę. ibid. & admittendę singulę in Christo Domino. ibid. nu. 191. Et ex quo tempore. ibid. a num. 198. Earum objecta. ibid a nu. 204. Principia. ibid. a num. 205. & vsus. ibid. a num. 207.
Scientia animæ Christi. lib. 5. disp. 3. a nu. 1.
Scientia Theandrica. a nu. 34. & 38.
Scientia beata in Christo simpliciter necessaria. lib. 5. disp. 3. a nu 43. & a nu 49. Ejus sphæra objectiva, divinæ triplicis scientiæ objecta. a nu. 59. & nu. 78. & seq. & a nu. 108. Ejus tendendi modus. a nu. 105. Principia. a nu. 100.
Scientia Media. Ejus vsus in Deo. lib. 3. disp. 1. a nu. 118. & 120. Impedibilitas. ibid. necessitas precedendi ad omne decretum liberum Dei. lib. 3. disp. 1. a nu. 25. & nu. 66. Quid importet ex parte hypothesis? lib. 3. disp. 1. a nu. 115. 116. & rursus a nu. 146. Est in Deo necessitas disjunctiva, vel non decernendi, vel decernendi per attemperatam connexionem cum consensu prævisо creaturæ. ibid. Quam posteriоritatem, & determinationem habeat ab objecto suo. ibid. nu. 125. & a nu. 147. & 149.
Scientiæ Mediæ necessitas in præcedendo non obstat divinæ beneficentiæ. lib. 3. disp. 1. a nu. 161.
De actibus divinis nulla est. lib. 3. disp. 2. a num. 87.
Recursus ad ipsam non emollit difficultatem præcepti obligantis in conscientiâ in Christo. lib. 4. disp. 5. a nu. 57. Neque hujus compositio cum libertate peti potest a favore Scientiæ Mediæ. ibid. a nu. 64. & a nu. 67.
Scientia Media quando libertati favere potest? lib. 4. disp. 5. nu. 67. & 68.
Scientia Visionis. Quomodo comparetur ad decreta, & ad objecta? lib. 3. disp. 1. a nu. 103. & 104. Repugnat Scientia Visionis indepēdens a decreto Dei. lib. 3. disp. 2. num. 87.
Sancta Scriptura. Regulæ pro ejus intelligentia. lib. 3. disp. 2. a nu. 49. & lib. 4. disp. 4. num. 24. & 25.
Scripturæ de servitute Christi loquentes, quo sensu interpretandæ. lib. 5. disp. 5. num. 7. 8. & 53.
Servitus. Duplex: ex delicto, & ex origine, lib. 2. disp. 3. a num. 215. Malè petitur ex inde impossibilitas condignè satisfaciendi. ibid. a nu. 216. & a nu. 224.
Servitus ex peccato magis explicata. lib. 4. disp. 1. nu. 9. & 12. & nu. 16. Quomodo ab ipsâ redempti per Christum? ibid. & nu. 16. & specialius a nu. 20.
Triplex adhuc Servitus explicata. lib. 4. disp. 1. nu. 16.
Conditio Servitutis & onera. lib. 4. disp. 4. a num. 101.
Servus, quid? lib. 4. disp. 5 num. 141. & lib. 5. disp. 5. a nu 48 & 49. An definitio competat Christo ut homini. ibid. & ex professo lib. 5. disp. 5. a nu 3. Nulla competit Christo quâ homini. ibid. Latissimè. De quâ servitute damnatus foerit Elipandus. lib. 5. disp. 5. a nu. 17. & à nu. 23. & a nu. 32. Explicatur multiplex Servitus. ibid. a nu. 16.
Servitus propria incompossibilis cum vnione hypostatica. lib. 5. disp. 5. a num. 45. adusque nu. 51.
Species credibilium an naturales vel supernę? lib. 5. disp. 1. nu. 166. & disp. 3. nu. 173. Nequit in ipsis consistere habitus fidei. lib. 5. disp. 1. nu. 166. & nu. 167. & disp. 3. num. 165.
Species impressæ ab habitibus scientiæ infusæ distinctæ. lib. 5. disp. 3. a nu. 158.
Species ad vsum Scientiæ infusæ in Christo, cur supernæ. lib. 5. disp. 3. nu. 173. & 174. An multiplex. ibid. a nu. 175. a quo principio. ibid. nu. 178. Intuitivæ sunt. a num. 179.
Specierum & habituum distinctio. lib. 5. disp. 3. a nu. 164 & a nu. 205. Manera diversa. lib. 5. disp 3. a nu. 158.
Spei Theologicæ proprius actus: lib. 5. disp. 1. num. 172. Virtus hæc in Christo: & cur. ibid. a nu. 170. & 172.
Spirator. Vide *Relatio*.
Spiritus Sancti dona, quæ & in quo cōsistant? lib. 5. disp. 1. a nu. 178. Fuerunt in Christo Domino. ibid. Etiam donum Timoris. num. 180.
Subjectio quæ in Christo Domino, quâ homine, admittenda? lib. 5. disp. 5. nu. 1. & 2. & lib. 4. disp. 3. a nu. 22. & lib. 4. disp. 5. a nu. 153. & a nu. 198. & a nu. 199.
Substantia. Inter modales & entitativas, quātum discrimen quoad supernaturalitatē. lib. 5. disp. 2. nu 32. & 34. & 181.
Substantiæ rationales primò intentæ a natura, & quomodo? lib. 1. disp. 2. nu. 65. & lib. 2. disp. 2. nu. 27.
Subsistentia in positivo. lib. 1. disp. 1. a num. 31. Qui propugnent in negativo. ibidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nu. 30. & ex quibus fundamentis? ibid. nu. 36. & a nu. 37. Creata in ente composito, & separabilis a natura. ibid. a nu. 39. Consistit in vnione substantiali connaturali. lib. 1. disp. 2. a nu. 115. Alter modus superadditus otiosus est: & cur? ibid. a nu 116. præsertim nu. 120. Quid de natura purè spirituali, lib 1. disp. 5. a nu. 20. Subsistentiæ formalis effectus primarius. lib. 1. disp. 1. a nu. 40. Ejus major elucidatio. lib. 1. disp. 5. a nu. 31. & rursus à nu. 53. Quantam incommunicabilitatem importet. ibid. disp. 1. nu. 44. & disp. 5. latè a nu. 32. discrimen inter creatam & increatam. ibid. disp. 1. num. 46. & disp. 5. a nu. 58 & rursus a nu. 92. Quomodo suppletur a Verbo inhumanitate. ibid. nu. 48. defectus propriæ subsistentiæ quousque notus Angelo. lib 1. disp. 3. a n. 177. Subsistentia absoluta in Deo nulla. lib. 1. disp. 4. nu. 47. & rursus a nu. 53. & expresiùs disp. 5. a nu. 60. Permissa, nequit esse ratio terminandi vnionẽ in Christo. ibid. Duplex in eadem natura finita repugnat, & cur? lib. 1. disp. 5. a nu. 26. & a nu. 36. maximè aliena, & propria. ibid. a nu. 31. An duplex partialis. ibid. a num. 40. an duplex attemperata? ibid. a nu. 37.
Subsistentia distincta a sua natura, necessariò est modus. lib. 1. disp. 5. nu. 89. Finita nequit alienam supposítare naturam. ibid. a num. 91. divinæ subsistentiæ propriu m, id, est. ibid nu. 92.
Suppositum ex sui dignitate taxat sibi perfectionem proprietatem. lib. 1. disp. 5. a num. 12.
Actiones sunt suppositorum. lib. 4. disp. 2. a nu. 97. ad nu. 99.
Supernaturalitas. Cur subsantiæ modali competere possit; non verò entitativæ. lib. 1. disp. 2. nu. 32. & 34. & 181. Latiùs. lib. 1. disp. 3. à nu. 8.
Quomodo vsurpanda sit vox *Supernaturalis*. ibid. a nu. 29. Vide *Vnio hypostatica*.
Supernaturalis ordinis, & naturalis pulcra diversitas. lib. 1. disp. 3. a nu. 109.
Supernaturalium entium classis duplex. lib. 1. disp. 3. nu. 163. Eorum entium exemptio ab evidentia naturali. ibid. a nu. 146. & a nu. 162.
Ordo supernaturalis, ex sui prærogativa, exemptus est a necessitate, ut producatur. lib. 2. disp. 1. a nu. 55.
Supernaturalium entium mira proportio & connexio, cum ordine hypostatico. lib. 2. disp. 2. a nu. 53.
Non omnia supra naturam supernaturalia sunt. lib. 5. disp. 7. nu. 58.

T

Tentatio. Cur relicta Dœmoni tentandi facultas post Redemptionem? & quanta? lib. 4. disp 1. nu. 17. & nu. 20.
Sancti Thomæ discursus, cur Verbum non mutetur? lib. 1. disp. 1. nu. 19.
Ejus mens & testimonia de vnione hypostatica, & subsistentia entis compositi. lib. 1. disp. 2. a nu. 103. & a nu. 164. Nec sibi unquam, aut alibi contrarius. ibid. a nu. 126. & à nu. 129. Mens ejus de virtute assumptiva naturæ. lib. 1. disp 5. nu 71.
Mens ejus de debito gratitudinis. lib. 4. disp. 2. nu. 28. & 29.
Ejus mens de Christi præcepto. lib. 5. disp. 5. nu. 135.
Regula ipsius pro cognitione causæ ex effectu. lib 5. disp. 3. nu. 73.
Thomistica opinio de vnionis terminatione ad absolutum, variè proposita & repressa. lib. 1. disp. 4 a nu. 44.
De concordia præcepti & libertatis explosa. lib. 4. disp. 5. a nu. 51.
Timoris donum. lib. 5. disp. 1. nu. 180. Quotuplex timor. ibid. Et quinam in Christo Domino ibid. nu. 188. Timoris Aristotelici explicatio. lib. 5. disp. 2. à num. 148. Et quousque in Christo Domino? ibidem.
Toletani Concilii sensus circa modum unionis in Christo. lib. 1. disp. 4. à nu. 57.
Tortura Dœmonum, & Animarum ab igne, qualis? lib. 5. disp. 7. num. 58. Non debet dici supernaturalis. ibidem.
Tridentini locus explicatus. lib. 1. disp. 2. num. 122.
Trinitas cognosci nequit ex creatura evidenter, licèt hæc comprehendatur, & cur? lib. 1. disp. 3. à nu. 193. Et lib. 5. disp. 3. à num. 139.
Cur secunda Persona Trinitatis, incarnata præ cæteris. lib. 1. disp. 4. num. 7.
Tota Trinitas specialiter in Humanitate Christi ex unione Verbi: & cur? lib. 1. disp. 4. à num 65.
Citra lumen gloriæ cognosci evidenter potest in aliquo medio finito. lib. 5. disp. 3. à num. 145. Non obstantibus in oppositum principiis Metaphysicis. ibidem à nu.

à num. 147. 148. 149. 150. & num. 153.
Tristitia Quid? lib. 5. disp. 2. à num. 141. Tristitiæ cum summo gaudio compositio explicatur, in Christo. ibidem à nu. 146.
Tyrannis quæ? lib. 4. disp. 1. num. 12. & 13. Peccati, & Diaboli Tyrannis. ibidem. Quomodo sublata. ibidem à num. 20.

V

Valentiarum error. lib. 5. disp. 7. nu. 2. Exploditur. à nu. 3.
Venialè. Vide *Peccatum*. Ejus conditio. lib. 2. disp. 3. nu. 29. Et compensabilitas per vires gratiæ. à nu. 27. & per quos actus à nu. 53. & nu. 55. An stricta injustitia. lib. 4. disp. 4. num. 211.
Verbum Divinum nec mutatum unione, nec mutari capax: & cur? lib. 1. disp. 1. à nu. 8. & 18. & lib. 2. à nu. 11. & lib. 3. disp. 2. à nu. 71. Neque subjectum Humanitatis. lib. 1. disp. 1. nu. 22. Neque forma. ibid. Neque magis diligibile ex Vnione. ibid. Et lib. 2. disp. 1. à nu. 17. & nu. 19. An Pars? ibid. nu. 22. & nu. 69. Perfectè supplevit in Humanitate subsistentiæ effectum. ibid. nu. 30. & nu. 47. & sine ulla violentia Humanitatis, & cur? lib. 1. disp. 4. à nu. 96.
Verbum Divinum non influit specialiter effectivè in naturam assumptam. lib. 1. disp. 2. à nu. 68. Neque potest. ibid. à num. 70.
Cur Verbum præ aliis personis Incarnatum? lib. 1. disp. 4. à num. 7. & lib. 3. disp. 2. à num. 68.
In Verbo res videre quid sit? lib. 5. disp. 3. num. 42.
Vilitas Creaturæ quanta? lib. 2. disp. 3. à nu. 65. Malè fundatur in ea peccati infinitudo. ibid. duplex. ibid. nu. 179.
Ex quâ nascatur difficultas operandi heroicè. ibidem.
Violentum quid? lib. 1. disp. 3. nu. 70. Status naturæ assumptæ cur non violentus in Verbo. lib. 1. disp. 4. à nu. 96.
Virtus notionalis ad extra repugnat. lib. 1. disp. 2. à nu. 74.
Virtutis actus necessariò respicit motivum ipsius. lib. 4. disp. 4. num. 129.
Virtutum obligationes, & officia, quàm diversa in Deo, ac in nobis. lib. 4. disp. 4. à nu. 131. & nu. 146.
Virtutum finis, qualis. lib. 4. disp. 4. à num. 134. & 135.
Virtutum fructus, & motivum malè confusa. lib. 4. disp. 4. num. 141. Vtriusque explicatio ibid.
De Virtutum specificatione, plura. lib. 4. disp. 4. à nu. 347. & à num. 353.
Virtutes speciales in Christo Domino. lib. 4. disp. 4. à nu. 347.
Quæ virtutes in Christo Domino admittendæ. lib. 5. disp. 1. à nu. 156.
Virtutibus quinam attribuendi sunt actus conditionati; & quinam non? lib. 5. disp. 1. num. 168. & 169.
Virtus æthimologicè sumitur, & entitativè. lib. 5. disp. 1. à nu. 170. Virtutum moralium consideratio. ibid. à nu. 176.
Videri nequit una Persona Trinitatis sine alia: seu aliâ non visâ. lib. 1. disp. 1. nu. 57. & disp. 2. à nu. 79. & disp. 4. nu. 6. Visio non est cur oriri ab objecto debeat. ibidem. num. 79.
Visio Dei quid sit? lib. 5. disp. 3. nu. 40. Quid sit videre res in Verbo? ib. d. nu. 42. Quid videre formaliter, & causaliter? Visio Beatifica inseparabilis est ab Vnione hypostatica. lib. 5. disp. 3. à nu. 49.
Videri possunt in Verbo omnia possibilia, non comprehensâ Omnipotentiâ. lib. 5. disp. 3. num. 41. & 42. & à num. 76.
Visio Beatifica requirit de sua perpetuitate notitiam. lib. 5. disp. 3. à num. 89.
Assignatur modus, salvâ ipsius entitativâ contingentiâ. à num. 99.
Visio Dei ex suo conceptu supernaturalis. lib. 5. disp. 3. à num. 50. & à nu. 53. Vbi multa in rem hanc.
Vitalis operatio quam dicat immanentiam in vivente? lib. 5. disp. 3. num. 8. & nu. 15. & 30.
Vitiosus habitus repugnat Christo Domino. lib. 5. disp. 2. à num. 72. Infundi nequit specialiter à Deo. ibidem.
Vngues assumpti à Verbo. lib. 1. disp. 4. à num. 85.
Vnibilitas quid requirat? lib. 1. disp. 2. à nu. 62. & quam proportionem? ibidem nu. 71. & 72. & 73. & disp. 5. à nu. 11. Est perfectio. lib. 1 disp. 1 nu. 63. In Personis Divinis non est perfectio diversa à relatione. lib. 1. disp. 2. nu. 87.
Vnio physica, quid? lib. 1. disp. 1. à num. 51. Ejus energia. ibid. Intrinsecitas in quo consistat? lib. 1. disp. 2. à nu. 185. & nu. 188. Sine exercitio donum nandi, & constituta per aliquid actu non unions, repug-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pugnat unio, & cur? lib. 1. disp. 2. à nu. 18. Quam indistantiam ab extremis importet. ibid. à nu. 85. & 88. Non est Natura. lib. 1. disp. 2. à nu. 151. Quomodo sit necessitas, ut indistent extrema. ibid. nu. 189. Vnionis perfectio, unde taxanda? lib. 1. disp. 3. num. 79.

Vnionis Hypostaticæ fides, possibilitas, existentia, lib. 1. disp. 1. tot. Quomodo propria Verbi. ibid. à nu. 55. Vi ejus quomodo sint in Humanitate tres Personæ? ibid. nu. 55. & disp. 4. nu. 65. Cur Humanitati det à Verbo denominationem subsistentis, sanctæ, & alias; nec det immensæ, æternæ, potentis, & similes? lib. 1. disp. 1. à nu. 61. & disp. 5. à nu. 83. & lib. 5. disp. 1. num. 13. & 14.

Vnionis hypostaticæ physica quidditas. lib. 1. disp. 2. à nu. 1. Modus est ab Humanitate, & Verbo distinctus. ibid. à nu. 5. & à productione Humanitatis. ibidem à nu. 37. & ab speciali influxu Verbi divini. ibid. à nu. 68. Identificat sibi vim, & munus unionis humanæ, & cur? latissimè. ibid. à num. 98.

Vnio hypostatica nequit in Divino Decreto consistere. lib. 1. disp. 2. à nu. 5. specialiter. nu. 10. Neque in formalitate identificatâ cum Verbo. à n. 12. Necessariò est opus ad extra. ibidem à num. 6.

Vnionis Hypostaticæ indestructibilitas, quanta? lib 1. disp. 2. nu. 157. & disp. 3. à nu. 32. Ejus indestructibilitas benè composita cum veritate catholica de Christi morte, lib 1. disp. 2. num. 170.

Vnio Hypostatica an in Christo unica, an multiplex? lib. 1. disp. 2. à nu. 166. Substantialis, integraliter composita, materialis, & extremis intrinseca. lib. 1. disp. 2. num. 176. In quo sensu, Gratia. ibid. num. 182.

Vnionis excellentiæ maximæ. lib. 1. disp. 3. nu. 1. Vnde eruendæ. ibid. Et ex quoto capite? ibid.

Quanta sit ejus supernaturalitas? lib. 1. disp. 3. à nu. 3. Nequit ulli substantiæ entitativæ creatæ esse debita. ibid. Supponeretur fore, si alicui connaturalis esset gratia, aut visio. ibid. à nu. 8. Quo sensu dici potest Christo naturalis? ibidem à nu. 21.

Quantitas ejus in perfectione. lib. 1. disp. 3. à nu. 49. Nequit inter ipsas dari inæqualitas ex pluralitate terminorum. ibidem. à nu. 69. Ejus quantitas in ratione unionis, & doni. lib. 1. disp. 3. à nu. 72. Omnium maxima in munere vniendi. ibid. à nu. 76. & in ratione doni omnium maximum donum. ibid. à nu. 80. Et jus ad omnia Dei dona. ibid. à nu. 87. Et qualiter. ibid. à nu. 115. Quasi extinguit in naturâ omne genus indignitatis. ibid. a nu. 91. & à nu. 110. Et explicatur modus, & quo jure? ibid. & sequent. Sanctitas ut quod. lib. 1. disp. 3. a num. 117. & lib. 5 disp. 1. à nu. 49. Et Beatitudo formalis physica. lib. 1. disp. 3. nu. 134. Et simpliciter inseparabilis à beatitudine formali. lib. 5. disp. 3. à num. 49. In ratione doni incomprehensibilis est. lib. 1. disp. 3. à nu. 141. Naturaliter indemonstrabilis. ibid. a nu. 147. Etiam ex suppositione Prophetiarum, Vaticiniorũ, & miraculorum. ibid. à nu. 154. Imò, & prudenter insuspicabilis. ibid. nu. 158. & nu. 160. Ens per se occultum, & per se pertinens ad arcana divini cordis. ibid. nu. 148. & 153. Nihilominus ex aliquâ suppositione supernaturali manere potest evidentiæ naturali pervia. ibid. nu. 162.

Vnionis termini. lib. 1. disp. 4. num. 1. Quot sint? & explicantur. ibid. terminata ad naturam, & ad personalitatem Verbi, immediatè, sed diversimodè. ibidem à nu. 10. latissimè. Varii dicendi modi de ejus terminatione ad absolutum, repressi. ibid. à nu. 42. Qui possint esse termini unionis tam assumptivi, quàm assumptibiles? lib. 1. disp. 5. tot.

Vnionis hypostaticæ convenientia. lib. 2. disp. 1. à nu. 2. Ejus necessitas, absoluta, nulla. ibid. à nu. 31.

Ex suppositione ordinis gratiæ, summa. ibid. disp. 2. à nu. 53. Nulla verò ex aliâ quacumque suppositione creatâ contingenti. ibid. à nu. 42. Mirabilis inter ipsam, & alia entia superna, proportio, & connexio. ibid. à nu. 54.

Ejus ex suppositione satisfactionis exhibendæ, quanta necessitas? lib. 2. disp. 3. à nu. 1. per totam.

Meritum Vnionis hypostaticæ. Vide *Christus, Incarnatio, Meritum.*

Ad Vnionem nulla physica dispositio præcesit. lib. 3. disp. 4. nu. 5. Imò repugnat physica dispositio, quæ prævè præexegerit. ibid. a num. 3. Neque moralis potuit, servato gradu dispositionis. ibidem. à num. 10.

Vnionis hypostaticæ vis privilegiandi, & eximendi actiones Humanitatis. lib. 4. disp. 2. a num. 80.

Vnionis hypostaticæ condignificatio præcisè sufficeret ad condignam satisfactionem pro peccato. lib. 4. disp. 2. a nu. 94. & num. 93.

Vnio hypostatica, quomodo, finita cùm sit, nõ obstet infinitudini valoris, & condignificationis in operibus Christi. lib. 4. disp. 3 à nu. 32. usque ad 37.

Vnio hypostatica alteri Naturæ collata nequit esse præmium simpliciter infinitũ. lib 4. disp. 3. à nu. 133. & cur? à nu. 161.

Repugnat simultas multarum unionum hypostaticarum, & quomodo? lib. 4. disp. 3 à num. 63.

Vnio Hypostatica necessariò est unica: id est, unius Personæ ad unam naturam. lib. 4. disp. 3. à nu. 163. & rursus 179.

Vnio hypostatica quam secum prærogativam importet privilegiandi naturam. lib. 4. disp. 3. à nu. 180. Vna cùm sit quomodo fundet iura maximè varia? lib. 4. disp. 4. à nu. 206.

Vnioni hypostaticæ an congruat specialis dependentia à Scientiâ Mediâ de actibus alioquin ab Humanitate ponendis. lib. 4. disp. 5. à num. 69.

Vnio hypostatica ratione sui est impeccabilitas. latè lib 5. disp. 2. à num. 7. & a num. 10. Explicatur hæc impeccabilitas. ibid. à nu 16. & 17 Excludit omnem potestatem peccandi. ibid. à nu. 41. Et quidem ex essentiâ suâ. lib. 5. disp. 2. à nu. 49. Etiam ut futura anticipat impeccabilitatem in naturâ assumenda. lib. 5. disp. 2. a nu. 55. Componi nequit cum peccato etiam materiali. nu. 64. Neque cum fomite. à nu. 67. Neque cum habitu vitioso. à nu. 72. Neque cum reatu pœnæ. à num. 75.

Vnio hypostatica à quo decreto debet poni. lib. 5. disp. 2. à nu. 23. Quam necessitatem importet in Verbo regendi actiones Humanitatis vnitæ. lib. 5. disp. 2. a nu. 32. & nu. 43.

Vnionis privatio nequit in pœnam assignari: & cur? lib. 5. disp. 2. à nu. 45.

Vnionis excellentia incompossibilis est cum servitute. lib. 5. disp. 5. à nu. 45. adusque num. 51.

Vnivocatio. Quid præcisè requirat? lib. 1. disp. 6. nu. 32. Vnivocè dicitur *homo* de Christo, & de nobis. ibid. à nu. 31.

Vnum per se quomodo sit de intentione naturæ? lib. 1. disp. 1. nu. 74.

Voluntas pro facto reputatur: in quo sensu? lib. 2. disp. 3. num. 164.

Christi Domini Voluntas quousque impleta? lib 5. disp. 2. à nu. 127. Vide *Christus.*

Voti materia, quæ? lib. 3. disp. 2. à nu. 167. & lib. 4. disp. 5. nu. 75. an Christus habuerit moriendi strictum votum? lib 4. disp. 5. nu. 75. & nu. 141. Quomodo differat à Sacrificio, & à simplici proposito. ibid.

FINIS.

FINIS.

Biblioteca
Universidad de Deusto

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca